Digitized by Google

9
18 L
26

FAUSTO STASI
ROMA
Via S. Chiara
N. 60
LEGATORE DI LIBRI

DE IVSTIFICATIONE DOCTRINA VNIVERSA, LIBRIS XV. ABSOLVTE TRADITA,

& contra omnes omnium errores, iuxta germanam sententiam Orthodoxæ veritatis, & Sacri Concilii TRIDENTINI, præclarè defensa.

AVTHORE

R.P. ET PRÆSTANTI THEOLOGO ANDREA VEGA HISPANO, MAGISTRO SALMANTICENSI, ORDINIS S.Francisci de Obseruantia.

Quæ præcipua huius sint Operis Capita, & quàm varij in eo confutantur errores, & quæ porrò eiusdem Argumenti, eodem Authore, adiecta sint, versa mox pagina cognoscet Lector, magnumq́; Thesaurum, hîc à nobis offerri Lectio ipsa docebit.

Cum INDICE triplici, videlicet, Errorum qui hîc confutantur, Locorum Sacræ Scripturæ explicatorum, Rerumq́; & Verborum memorabilium, copiosissimo.

ASCHAFFEBVRGI in Diœcesi Moguntina,

Excudebat Hermannus Miræsius, Sumptibus Antonii Hierati, Bibliop. Colon.

ANNO M.DC.XXI.

CATALOGVS LIBRORVM HVIVS OPERIS.

Accessit responsio eiusdem Authoris, duobus postremis libris comprehensa, in librum Caluini valdè pestilentem, Antidotum scilicet eiusdem in Acta Synodi Tridentinæ.

Item:

Opusculum aliud Quæstionum quindecim, quod velut prioris operis est epitome, pluraq; simul adiungit, De Iustificatione, gratia, fide, operibus & meritis. Vnde magnam licet petere lucem ad plurimas & difficillimas Theologorum tum veterum, tum recentiorum Quæstiones rectius iudicandas, commodiusq; tractandas.

Huius opusculi Quæstiones XV. quæ potissimùm in eo tractantur, summatim subijciuntur:

I. Quæ fides & qualis illa sit, cui diuina Scriptura & præcipuè Paulus, iustificationem hominis tribuit?

II. An fides sola sufficiat hominibus ad salutem?

III. An fides teneat primum & præcipuum locum in iustificatione peccatoris?

IV. An fides, & alia opera pia, meritoria sint apud Deum?

V. An fides & alia opera iustorum sint meritoria beatitudinis ex condigno?

VI. An fides & alia opera concurrentia ad iustificationem peccatoris, meritoria sint ipsius iustificationis?

VII. An fides & alia opera, quibus disponuntur peccatores ad gratiam, sint meritoria, saltem ex cõgruo, suæ iustificationis?

VIII. An possit homo per proprias vires naturales absque Dei adiutorio speciali facere, quæ necessaria sunt ex parte sua, vt iustificetur, & ad gratiã Dei perueniat?

IX. An possimus per vires solas naturales cum communi Dei influentia, credere fidei nostræ.

X. An necessarium sit auxilium Dei speciale ad diligendum Deum super omnia?

XI. An ad veram pœnitentiam nostrorum peccatorum, sufficiant vires nostræ naturales cum communi Dei influentia?

XII. An necessaria sit gratia auxilij specialis ad quodcunque opus bonum, & ad vincendum quãuis tentationem, & ad implendum quodcunque mandatum, & vitandum quodcunque peccatũ?

XIII. An necessaria sit gratia gratum faciens, ad implendum præcepta diuina?

XIV. An iustificatis necessaria sit gratia auxilii specialis ad implendum præcepta diuina, ad vincendum tentationes, perseuerandum in iustitia, & generaliter ad vitandum peccatum, & bonum operandum?

XV. An iusti mereri possint suam in bono perseuerantiam?

REVE-



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISS. Principi ac Domino,

DN. ERNESTO COMITI PALATINO, VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, ET FRISINGENSIS ECCLESIÆ ADMINISTRATORI,

Petrus Canisius Theologus in Christo Iesu S. P. D.

NIHIL est dubium, Reuerendissime & Illustriss. Princeps ERNESTE, variis modis de IVSTIFICATIONE iam pridem disputari, & hoc Quæstionis genus in Ecclesia vt grauissimũ, sic & amplissimum esse, in quo viri sapientes & docti persæpè soleant desudare. Nam hic præcipuus Doctrinæ Christianæ locus existit, qui in verbo Dei se nobis passim offert, & scriptis Apostolicis sedulò inculcatur, quiq; à piis pro dignitate nunquàm potest expendi atq; pertractari. Nec video sanè, quo fructu multa in Sacris literis mysteria penetrentur, si quod ad benè beateq; viuendũ maximè pertinet, de vera scilicet Iustitia homini comparanda, conseruanda, promouenda & absoluenda, id aut penitus ignoretur, aut parum studiosè curetur. Certe ad Christiani hominis officium inprimis pertinet, de Christiana Iustitia, eiusque causis, partibus, officiis, finibus & effectis philosophari, tum ea quæ ad iniustitiam fugiendam, solidamque in CHRISTO Iustitiam consequendam faciunt, ex DEI Verbo percipere, totaq; vita meditari, vt nimirum semel iustificatus, & de manibus inimicorum liberatus, sicut Zacharias loquitur, in iustitia & sanctitate per omnem vitam Deo seruiat. *Luc. 1.* Quin & Paulus non obscurè commonstrat, omnem Scripturæ Diuinæ vsum & fructum, qui quidem latissimè patet, huc referri oportere, vt cùm ad alia CHRISTIANÆ charitatis officia, tum ad institutionem quæ est de Iustitia, proficiat Christianus, ac DEI homo perfectus, ad omneq; opus bonum instructus euadat. *1. Tim. 3.* Eôdem spectat, quod à Petro scribitur, vt homines peccatis mortui, Iustitiæ viuant: quodque Ioannes postulat, vt iustus adhuc iustificetur; & quod Sapiens præcipit: Ne verearis ad mortem vsque iustificari. *1. Pet. 2.* *Apoc. 22.* *Ecclesi. 18.*

Cæterùm quemadmodum syncera de IVSTIFICATIONE doctrina, præsertim si cum bona conscientia vitaq; religiosa coniungatur, laudem & virtutem homini maximã adfert: ita nihil ferè perniciosius, & ad Religionẽ euertendam pestilentius potest excogitari, quàm cùm hoc necessariũ doctrinæ gen⁹, tetris

vitiatum erroribus, in vulgus nefariè spargitur. Nouit hoc profectò Sathan,
Matth.13. versutissimus ille & humanæ saluti nocentissimus hostis, qui lolium suum infelix puræ Christi sementi nunquam non admiscere conatur, quiq; per omnes ætates ECCLESIÆ, suos subinde ministros cùm ad alias purioris doctrinæ partes labefactandas, tum ad propriam CHRISTIANÆ Iustitię tractationem quomodolibet corrumpendam, excitat atque submittit. Quare cùm primùm fideles Apostoli Dominico agro Euangelicum triticum inseuissent, suos etiam
Actor.8. satores, qui superseminarent zizania, præsentes ille habuit, Simonis nempe Magi familiam: ex quo velut pestifero frutice, venenatarum herbarum, hoc est, immanium hæresium passim ingens cœpit esse prouentus. Sic paulatim variis artibus & nefariis fraudibus id oppugnatum atque conuulsum est, quod ad astruendam verè piam de IVSTIFICATIONE sententiam partim Apostoli, partim eorum Discipuli longè lateque disseminarant. Quidam velut in ipso limine impingentes, fidem & libertatem Euangelicam immodicè commendarunt, Epistolis scilicet Paulinis offensi, quas Petrus haud temerè dixit intel-
2 Pet.3. lectu difficiles esse. Ebionitæ, sicut & Cerinthiani, qui ad Apostolorum peruenerunt ætatem, legem cum Euangelio misceri oportere finxerunt. Sequuti sunt porrò Manichæi, qui noua & impura multa, sicut & de Iustificatione, dogmata extruerent & propagarent. Accesserunt posteà Aëtiani, Eunomiani, Iouinianistæ, Pelagiani, ab eodem quidem duce & magistro Sathana subornati, vt incorruptum hoc semen à Christo & Apostolis Ecclesiæ, ceu fidæ custodi, commendatum ac traditum, vel omninò tollerent, vel aliqua saltem ex parte deprauarent. Proinde sicut gnauos Sathanæ operarios decebat, multos & perniciosos illi inuexerunt errores, quos nunc repetere supersedemus: ac licet diuersis itineribus progrederentur, tamen ad hunc vnum eundemq; finem conspirarunt omnes, vt contra CHRISTI ECCLESIAM arma mouerent, ac diuinis de Iustificatione testimoniis, ad veræ fidei ac doctrinæ subuersionem sacrilegè abuterentur.

Iam verò qui nouandæ religioni hodie dant operam, de nulla re illi magis, quàm de Iustificatione, tractant, inculcant, atque contendunt: hoc argumentum sibi potissimùm sumunt, in quo suas vires & copias explicent; de hoc Christianæ doctrinæ loco, velut à se mirabiliter illustrato, sæpè ac multum gloriantur. Est interim facile iudicatu, inter veteris & præsentis Ecclesiæ aduersarios in plurimis conuenire: & quòd ad Iustificationem attinet, nunc eadem ferè spargi defendique dogmata, quæ iam olim, authore & impulsore Sathana, iactabantur. Nimirùm virtutem bonorum operum eleuant, benefactorum necessitatem excludunt, iter ad felicitatem placidum & expeditum, minimeque laboriosum cunctis ostendunt. Sed eandem docendi rationem Simoniani profitebantur. Arbitrium homini liberum tollunt: nec dissentiebāt ab hoc dogmate Manichæi & Priscillianistæ. Fidem tanti faciunt, vt omnem hominis iustitiam & salutem ex illa sola pendere contendant, nullamq; Iustificationem operibus tribuant. Tuebantur hanc quoque sententiam Eunomiani, vt sola fide hominem contentum esse iuberent. Affirmant, in virginitate & absti-

abſtinentia nullam meriti rationem ineſſe, ne quid diuerſum à Iouiniano ſentiant. Promittunt remiſſionem peccatorum & Iuſtificationis gratiam credentibus omnibus, etſi nulla Confeſſio vel Satisfactio ſecundùm Eccleſiæ morem ac diſciplinam adhibeatur. Sed æquè blandi ac faciles erant olim Maſſiliani, in quibuſuis relapſis ſtatim Eccleſiæ reconciliandis. Omitto cætera id genus exempla, quæ nobis erudita præbet Antiquitas, cùm hinc ſatis omnes intelligāt, bene vetus ac familiare hoc eſſe ſtudium & artificium Sathanæ, quo IVSTIFICATIONIS doctrinam diuerſis corruptelis obruere, ac tetris erroribus conſpurcare conatur.

Eſt interim cur immortali Deo gratias ingentes agamus, qui turbulentos præſentis Eccleſiæ hoſtes, cùm hanc ipſam doctrinę partem oppugnant, haud ſine ſingulari quodam iudicio corripit, publiceque caſtigat, minùs vt illi Eccleſiam ſua profana nouatione & ſchiſmatica ſeparatione poſſint exagitare. An enim euidenti diuinæ iræ flagello non feriuntur, qui ſummis ſtudiis, indefeſſis laboribus, perpetuis curis & editis infinitis penè commentariis, hoc ſuū DE IVSTIFICATIONE ſaxum mouent quidem, ſed iam tot annis tam male promouent, verè vt de illis cum Paulo dixeris: Semper diſcentes, & nunquàm ad veritatis ſcientiam peruenientes? Etenim quo eunt iſti longiùs in diſputando, quo plura edunt hac de re volumina, eo in grauiores labyrinthos & inextricabiliores nodos incidunt, vt ſeipſos etiam mundo ridendos præbeant, quòd qui ſapientes, immò & Euangelici dici haberique volunt, in ſuis de re tanta cogitationibus & adinuentionibus inaniter euaneſcant. Confudit eos iuſtus Dominus, & infelicibus Babylonicæ turris ædificatoribus annumerauit, vt complere non poſſint opus quod male cœperunt, ex cuius informi, ac (vt ipſis tamen videtur) ſublimi machina tantoperè gloriantur. Spiritum ergò vertiginis ille qui alta deſpicit, & humilia reſpicit, in fabros iſtos immiſit, vt quæ tot annos DE IVSTIFICATIONE fingunt & refingunt, nec ipſi quidem ſatis aſſequantur, & ſuum prætereà ædificium ſubinde mutent, ac diruant. Adeò non labij vnius & ſermonum eorundem terram, vt Scripturæ verbis vtamur, ſed multorum potiùs capitum hydram hîc ſeipſos eſſe declarant. Aliter enim de Iuſtificatione docent Wittenbergēſes & Lipſienſes, quàm Ienenſes atque Mansfeldenſes. Cum Caluino Melanchthoni non conuenit. Hieronymus Zanchus diſputando reclamat Argentinenſibus. Heshuſius ob hoc argumentum ſe Philippo, Maiori, Ebero & Pfeffingero palàm opponit. Improbant plerique dogmata Oſiandri, quem tamen Brentiani defendunt. De ſola voce Iuſtificationis contra eundem Oſiandrum opiniones quatuordecim, easque planè diſpares, extitiſſe legimus. Quin idem Oſiander viginti numerat opiniones, in quibus de Iuſtificatione aliter atque aliter ſentiant Wittenbergenſes. Iam verò an paucæ & exiguæ ſunt corruptelæ, quas in doctrina Iuſtificationis Ambſdorfius & Illyricus collegerunt, & de quibus præceptori Philippo & Adiaphoriſtis litem intendunt, quòd hi à germanis Lutheri placitis defecerint, ſynceritatem Euangelicam adulterantes? Tum apertè teſtatur Gallus, ſibi cum Philippo eiuſque diſcipulis concertationem eſſe de Lege

2. Tim. 3.

Geneſ. 11.

Pſal. 113. & 137.

Geneſ. 11.

& Euangelio, de Iustificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vsu Cæremoniarum: ac de his quidem sublimibus Christianæ doctrinæ articulis, nulla inter ipsos ratione componi & transigi posse. Et in alio scripto, quod Illyricus & Gallus communiter ediderunt, nihil dissimulant, sed apertè confirmant, Maioristas legem cum Euangelio confundere, & articulum Iustificationis penitùs corrumpere: sicut & ministri Lubecenses asseuerãt, Maioristas adiaphoricis fraudibus fundamenta purioris doctrinę labefactare, & ECCLESIAM dissipare. Rursus quàm est multiplex & amarulenta inter Illyricum & Strigelium Ienæ habita, & postea in lucem edita, disceptatio? Illyricus de Antagonista suo ita iudicauit: *Victorinus donec clarè & publicè suos errores condemnauerit, erit mihi hæreticus & Anathema MARANATHA.* Durat adhuc inter Flaccianos & Maioristas acris contentio de Iustificatione: & notum est Colloquium Altenburgense, de hac ipsa re institutum, & in multorum mensium altercationibus frustrà cõsumptum, quod maioris etiam distractionis flammas præbuit, grauemque tum populo, tum Principibus peperit offensionem. Sic inter præcipuos Lutheri discipulos doctrina dilacerata est, cùm de vera sui præceptoris mente ac sententia conuenire non possunt, ac interim se mutuò virulente proscindunt, immò & pro hæreticis damnant. Nec obscurum est, quosdam à Luthero palàm discedere, multoq; aliter de IVSTIFICATIONE, quàm ille vnquam fecit, philosophari, sicut Caluinus, Bucerus, Martyr, Beza, Musculus, Stancarus, & Schwenckfeldius, multis in locis & libris ostendunt, etsi ne hi quidem sibi constant per omnia. Heshusius cum plerisque aliis Illyricum meritò reprehendit, eumque Manichæum esse conuincit. Facit enim Diabolum creatoré, qui in genere humano nouas quasdam animas regnantes super totum hominem creauerit, easque in infinitum propaget. Fingit præterea, hominem post lapsum imaginem gestare Sathanæ, atque in eam transformatum esse. Tum docet, hæc vocabula, Corruptionem, Defectum, Concupiscentiam, Inordinatam dispositionem, quæ homini post lapsum tribuuntur, substantiam significare. Quid autem hoc aliud est, quæso, nisi Manichæorum deliria resuscitare, doctrinam de Iustificatione & originis peccato, corrumpere, prorsus execrandas hæreses in ECCLESIAM reuehere, ac fidei nostræ fundamenta euertere velle? Istorum igitur consilia dissipat DEVS, & præiudicio manifesto declarat, eos nec vnitatis, nec veritatis afflari spiritu, qui tot annis non solum aduersus vnam sanctam & catholicam ECCLESIAM, sed etiam inter seipsos Andabatarum more pugnant, & post atroces pugnas consentire non possunt, nõ dicam in adiaphoris, sicut ipsi loquuntur, sed in præcipuo Euangelicæ doctrinæ capite, in quo secundùm ipsorum sententiam Religionis cardo versatur. Nec solùm alij ab aliis, sed etiam à seipsis diffident sæpè, sicut Luthero & Melanchthoni est familiare, vt velut Proteus colorem, sic ipsi suas subinde sentẽtias mutent, homines nimirùm, ex Iacobi sententia, duplici animo & instabiles, qui (Athanasio teste) in eadem sententia diu nequeant persistere; sed nunc in hanc, nunc in illam sese vertant, hodiè affirmantes, quod cras iterum negent, vt sic eodem ore modò calidum, mox frigidum spirent.

In Epist. ad Consiliar. Ducis Saxoniæ.

Lib. de peccato originis.

Iacob. 1.

Ex qua

Ex qua grassantium nunc dogmatum varietate, DEVM immortalem, quanta nunc distractio & confusio facta est doctrinæ pulcherrimæ simul & vtilissimæ de hominis Iustificatione, vt populus qui plura de hoc argumento scripta nunquam vidit, nunquam etiam magis addubitarit, minusque crediderit in his, quæ sanæ & orthodoxæ doctrinæ congruunt. Intereà mutantur, immò & passim abrogantur Sacrosanctæ religionis instituta: nec solum errores seruntur ex erroribus, sed & honestæ vitæ legumque laxantur, quin & planè rumpuntur vincula. Vnde Christiana iustitia, qua nihil antiquiùs esse decebat, magis magisque repudiatur, improbitatis autem & impietatis formæ ac species teterrimæ sic ab omni propemodum ætate ordineque accersuntur, excoluntur, grassantur, vt pristinæ iustitiæ vestigia, quæ nostrorum ætate Maiorum apparebant splendidè, nunc tantùm non ex hominum animis deleta & obliterata esse videantur. Nec mirum sanè, quando de sola fide iustificante sic docetur ac discitur, vt vulgò absque timore & pudore vllo peccetur, & stulti homines ad summam vitæ licentiam idcircò sibi promittant impunitatem, quòd fide CHRISTVM teneant & apprehendant. Ita demum sibi licere putant quicquid libet, eò quòd præclarè scilicet, vtut ipsi viuant, Christi tamen tegantur Iustitia, & hac ipsa omnis iniustitia atque turpitudo credentibus, etiamsi obedientia & pœnitentia nunquam accedant, statim abstergatur. Quòd pessimæ securitatis malum in animis hominum altas profectò iecit radices, quas vix arte humana liceat reuellere, & funditùs extirpare, præsertim cùm propemodum insanabilis arrogantiæ morbus accesserit, quo impediti homines, quantumuis inepti ac prophani, sacris de rebus & literis nihil non intelligere & iudicare se posse confidunt ac statuunt. Hinc tanta ingeniorum petulantia, tantumque in iudicando supercilium cunctos ferè ordines occupat, vt vel vilissimi & sordidissimi quique, tametsi nihil minùs quàm sacra didicerint, de hominis tamen iustificatione, aliisque abstrusissimis, huic argumento coniunctis, palàm disputare, & contra doctissimos liberè pronunciare minimè vereantur. Quorum insaniæ & temeritati si quis fortasse Maiorum vel Patrum authoritatem opponat, mox illi ad solitas tergiuersationes excurrunt, insultant maioribus, parum aut nihil tribuunt Patribus, rident Episcopos, ECCLESIÆ sensum & consensum respuũt, ac demum in præsenti controuersia simul Actores & Iudices esse contendunt. O mores, ô tempora, cùm tam impunè licet sacra contemnere, sine legibus, sine iudicio iudicare, & pro suo quenque capite diuinis de rebus philosophari. At mihi non humanam & Euangelicam, sed Luciferanicam & intolerabilem profectò superbiam hæc sapere videntur. Cur verò miremur, hoc extremo seculo, impudentiæ & impietatis omnis feracissimo, tam modestos scilicet ac religiosos prodire discipulos, qui præceptorum vitia propensis animis æmulantur? Dici certè non potest, quæ quantaque sit nouorum istiusmodi magistrorum temeritas & audacia, cùm in rescindendis & abolendis ECCLESIÆ Legibus & institutis, tum in authoritate Veterum conuellenda, reiiciendaque.

Et quo-

Et quoniam in hunc locum incidimus, age parumper commonstremus exemplis, quantulum nouæ doctrinæ ministri & magistri, venerandis & antiquis Patribus deferant, immò quàm in illos ipsos petulanter insurgant: nimirum vt quod stultè his detrahunt, sibi demùm stultiùs arrogent, præsertim ad sua de Iustificatione dogmata communienda. Non satis est Bezæ & plerisque aliis, cùm Epistolam ad Romanos interpretantur, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum subinde sugillare, nisi verbis etiam cōtumeliæ plenis, hos probatissimos ECCLESIÆ Doctores palàm insectentur. *Certè hoc ausim dicere*, inquit Beza, *Origenem hominem fuisse selectum Diaboli organum, Apostolicæ doctrinæ funditùs euertendæ ordinatum.* Eundem, scribit, neque quid sit gratuita Imputatio, neq; quid sit fides, neq; quid Iustitia aut Iustificatio, intellexisse. Etsi enim suos habeat næuos Origenes, quos reiecit Ecclesia, nullus tamen Veterum ac Doctorum illi vnquam adeò fuit iniquus, vt tantam inscitiæ Notam & singularem Doctrinæ de Iustificatione deprauatiònem, illi summo Theologo, qui MAGISTER ECCLESIARVM dictus est, voluerit imputare. Et audet tamen cum Beza Melanchthon pronunciare, Origenem de fide quid sit, quidq; PAVLVS de Iustificatione disserat, haudquaquam assequi, sed extra viam currere. Crassior adhuc in censendo est Heshusius, qui simul amicum osculum præbet, & colaphum hostiliter impingit Origeni, cùm de illo ita censet: *Origenes, homo doctus, immensi laboris, admirandæ diligentiæ, verùm nullius iudicij, quòd ad verum intellectum sacrarum literarum attinet.* Et rursus: *Vix vllam Pauli sententiam absq; insigni & perniciosa deprauatione exponit: nobilissima verò testimonia, quæ sunt fons omnis consolationis, non sine blasphemia inuertit.* Quis verò pius ambigat, de Sacris literis vni Origeni plus iudicij, quàm centum huiusmodi Theologis contigisse, qui cum Heshusio Diuinam Scripturam perniciosè interpretantur? Pari verò maledicentia idem Heshusius Clementem Alexandrinum Origenis præceptorem, & Pantæni discipulum, ac Apostolorum temporum planè vicinum, persequi non erubescit. *Hic*, inquit, *vsqueadeò in doctrina Christiana rudis fuit, vt neq; doctrinam de peccato originis, neque promissionem Euangelij intellexerit: ideò passim de Iustitia operum philosophatur, non secus ac si de Platonis Academia vel Zenonis Stoa prodiret.* O fœdum calumniatorem, qui de viro doctissimo iuxtà & laudatissimo, tam abiectè ac ridiculè iudicat.

In 3. cap. ad Rom.

Lib. de Ecclesia. & in cap. 14. ad Rom.

Lib. de seruo arbitrio.

Ibidem.

Cent. 2. c. 4.

Idem est candor, eadem æquitas in Centuriatoribus, qui negant virũ hunc maximum & peritissimum, peccatum originis cognouisse.

Lib. contra Claudium de Sanctes.

Lib. de seruo arbitrio.

Ibidem.

Ac tandem huc impudentiæ prorumpit Heshusius, quem Beza vocat asinum calcitronem, vt his duobus, quos dixi, magistris Clementi & Origeni, acceptum ferendum esse dicat, quicquid de libero arbitrio affirmant Athanasius, Eusebius, Basilius, Nazianzenus, Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus. *Atque idcircò*, inquit, *id totum apud rectè iudicantes minus ponderis in controuersiæ dijudicatione habere debet.* Tam friuolo demùm argumento nititur Heshusius, vt suam de seruo arbitrio sententiam toties explosam, & ab antiquitate proculcatam, aduersus grauissimos & probatissimos illos Patres, quos sibi repugnare intelligit, aliqua ex parte defendat. De Chrysostomo idem Heshu-

Heshusius pronunciat, quòd Origenica philosophia imbutus, de viribus humanis perperàm doceat, ac cæteris orthodoxis crassiùs loquatur, de libera scilicet hominis voluntate.

Centuriatores Chrysostomum vocant bonorum operum immodicum Encomiasten, qui & synergiam voluntatis humanæ passim defendat, & liberi arbitrij patronum agat. *Nimis propensus est*, inquit Martyr, *ad tuendum liberum arbitrium & humanas vires.* Nihil enim istis non est immodicum, quod modò syncerè pium & orthodoxum docet atq; confirmat ECCLESIA. Idem Basilium & Nazianzenum appellat magnos ἐργοδιώκτας, hoc est, operum exactores, ac liberi arbitrij patronos, quasi in hac parte summi illi Græcorum Theologi hallucinentur. Cent. 5. c. 4. In cap. 3. ad Rom. In cap. 11. ad Rom.

Iam verò si vllus ex Patribus, inprimis quidem Augustinus, vbi de Iustificatione tractatur, summæ semper fuit Authoritatis. Sed contra hunc etiam isti cristas erigunt, ac eius doctrinam nunquàm satis laudatam, quæ lucem scriptis Apostolicis maximam præbet, pergunt calumniari.

Chytreus obiicit, Augustinum sententiæ Pauli de gratuita imputatione iustitiæ CHRISTI, non satisfacere. Lib. de studio Theologiæ.

Schnepfius in hunc modum scribit: *Augustinus veram & genuinam Ecclesiæ de imputatiua iustitia sententiam nunquàm est assequutus.* Quid verò, si quod Augustinus in Pauli scriptis non est assecutus, Chytreus, Schnepfius, Lutherus cum tota sua synagoga, multo minus intelligere & assequi possint? Addit & illud Schnepfius: *Manifestum est, Diuum Augustinum haud leuium errorum semina vel iecisse, vel ab aliis iam sparsa auxisse & confirmasse.* Tum Philippus ita probat Augustinum, vt multa etiam in ipso improbet, vtpote quòd Paulum sæpè torqueat, ac perperàm interpretetur, quodq; vulgaribus sui seculi opinionibus subinde se vinci patiatur. Lib. de Eucharistia. Lib. de Ecclesia.

Fingit Heshusius, Augustinum plus æquo tribuere libero arbitrio, neq; dextrè satis ab eo tractari negocium iustificationis. Plura in eo desiderant adhuc Centuriatores, quoniam næuos ex prioribus seculi doctoribus retinuerit, & in loco de Iustificatione nō rarò sese inuoluerit, bonisq; operibus in quibusdam locis nimium adscripserit, quòd nimirum etiam aliquid ad salutem prosint. Verùm enimuerò quos isti næuos deputant, nos Augustini virtutes ac veritatis testimonia possumus interpretari: nihilque referre putemus, quin & laudi tribuamus, si quædam vir tantus cum aliis Patribus nunquam est assecutus, quæ ad doctrinam & mysteria istiusmodi quinti Euangelij propriè spectant. Lib. de seruo arbitrio. Cent. 5. cap. 4.

Reprehendit in eodem Augustino Pomeranus, quòd commendare sanè decebat, charitatem Dei diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, sic à Paulo dici, vt accipiatur de charitate nostra, qua diligimus DEVM & proximum, quæ est impletio & opera legis. In Ionam. Rom. 5.

Quid ad hæc Pomeranus? *Negato Augustinum*, inquit, *nè Christum Iustitiam nostram neges.*

Sic in re seria vir bonus ille nugatur, vt Augustini dictum & authoritatem eludat. Quasi verò si Augustinum ducem sequamur, & primas charitati tri-

†† buamus,

1.Cor.13. buamus, negare simul oporteat Christum nobis factum esse Iustitiam, immò
1.Cor.1. & sapientiam, & sanctificationem, & redemptionem, sicut Paulus, eiusq; fidus interpres Augustinus, constanter prædicant.

Lib. de Trinit. & Mediatore. Fuit demùm Gregorius Massouita, tam præposteræ mentis & insani iudicii homo, vt, si Stancaro credimus, vnum Caluinum plus valere voluerit, quàm centum Augustinos.

Ibidem. Sed hîc non male fortasse quis responderit, quod pro Petro Lombardo lepidè respondit idem Stancarus: *Plus valet vnus Augustinus, quàm centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Caluini. Qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur*, inquit, *vna vncia veræ Theologiæ.*

Longum sane ac infinitum propè foret, reliqua id genus commemorare, in quibus isti Momi, non dicam qua fide, næuos, corruptelas & vitia sanctorum Patrum singulatim numerant, ac præsertim in doctrina Iustificationis odiose perstringunt. Nobis verò sat fuerit hoc loco subijcere, quid illi generatim de vniuerso semperq; venerando Patrum cœtu censeant, quàm parum electis illis Dei organis, & præclaris Ecclesiæ luminibus deferant, nullus vt propemodùm ipsorum palato satisfaciat ex his, qui totius antiquitatis & ordinis Christiani iudicio comprobantur. Neq; solùm posteriorum ætatum, quæ mille ab hinc annis defluxerunt, sed & priorum, quæ Apostolorum ætatem proxime

In caput 3. prioris ad Cor. sunt consecutæ, Theologos vexant & verberant. Affirmat Melanchthon, statim initio Scriptores siue Patres supra fundamentum stipulas extruxisse, & doctrinam de iustitia fidei obscurasse.

De pace Ecclesia. Matthæus Iudex ità loquitur: *Quia negligens fuit ætas post Apostolos, næuos & stipulas multas miscuit.*

Comment. in Psal. 19. Testatur Æpinus, veteres scriptores neque integris editis disputationibus pertractasse argumentum Iustificationis, quòd eorum ætate hæc res præcipue disputata non sit, neq; satis commode de hoc argumento locutos esse.

Lib. de seruo homin. arb. Heshusius adhuc impudentiùs vociferatur, sublimem Articulũ nostræ religionis, de Iustificatione nimirùm, in plerisque Patribus seu scriptoribus Ecclesiasticis sanioribus, impropriè, & non sine corruptelis: in multis obscurè & perplexè, in paucissimis solidè & absq; rationis fundamento exponi.

Lib. de studio Theologia. A qua sententia non discedit Chytreus, dum queritur: *Non modò Basilium & Hieronymum, sed & plerosq; Patres, propriam Euangelij de gratia Dei & Iustitia fidei doctrinam, quæ præcipuum & proprium Ecclesiæ patrimonium est, leuissimè attingere, aut politicis opinionibus de iustitia legis obscurare & deprauare.*

In Ionam. Pomeranus, qui Lutheri fuit ætate Pastor Wittenbergensis, has voces barbaras & contumeliosas euomit: *Nostri Patres siue sancti, siue non sancti, nihil moror, excæcati sunt Montanico spiritu per traditiones humanas & doctrinas Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Et rursus: *In libris doctorum Ecclesiasticorum rarò inuenies articulum Iustificationis purè expressum, ne in libris quidem B. Athanasii. Non puto, inquam, dicunt de Iustificatione, nisi fortè quando citant Pauli verba de Iustificatione, in quibus tamen non persistunt, aut quando quidam ex eis optimi scribunt de gratia Dei*

contra

contra Pelagianos: vbi tamen quædam intermiscent, vt non satis videantur assequi sententiam Pauli & sacrarum literarum. Ac ne sit finis maledicendi: *Quidam*, inquit, *ex illis doctoribus, cùm multa docent, & ingentia volumina scribunt, ne solliciti quidem sunt, vt Christum per Euangelium syncerè doceant: sed cùm de Iustificatione & salute nostra dicendum est, dicunt quicquid in buccam venit.* Assuit tandem hoc præclarum scilicet epiphonema: *Non debetis Patribus credere, qui ex vno ore frigidum & calidum efflant.*

Quid autem in vniuersos, eosq; celeberrimos Patres impurius, quid in sanctissimos viros petulantius effutire poterat Pomeranus, à suo nempe magistro Luthero sic institutus? Hic etenim ne parùm sit impudens, mendacium esse dicit, quòd Augustinus, Ambrosius, Hieronymus Diuinas illustrarint literas, graues errores in omnium Patrum Scriptis reperiri testatur, Hieronymum totum insaniisse, & sensu communi caruisse, quin & bestiam & stipitem eundem dicere non veretur: Franciscum tam crassum & stultum fuisse miratur, qui paupertatem vltrò deligeret, suisq; fratribus iniungeret; demùm Thomæ Aquinati, dum scriberet, non bonum, sed malignum adfuisse spiritum criminatur. Sed qui Patres, quantumuis de Repub. Christiana benè meritos, tam superbè cõtemnit, ac tanquàm rudes & ineptos magno supercilio despicit, quid illum de suo Theseo Philippo Melanchthone putes iudicaturum? Hunc Apostolo Paulo facit proximum, huius in Paulinam ad Roman. Epistolam commentarios tantopere laudat, vt non solùm Hieronymi & Origenis libros præ illis negligat, sed & aliorum Patrum scripta, si cum Philippi Annotationibus compararentur, meras nugas & ineptias esse non dubitet asseuerare; ornat Philippus vicissim Lutherum, sicut & reliqui discipuli summis laudibus in cælum vehunt hunc suum reuerendum (vt vocant) Patrem, præceptorem, prophetam, Apostolum, Euangelistam, Eliam, Ioannem, & quid non deniq;? Nam Erasmus Alberus hoc eidem tribuit elogium, post Apostolorum ætatem inter Doctores Ecclesiæ Luthero peritiorem nullum extitisse. En tibi, quam gloriosè isti suos colunt ac prædicant, ne frustrà vulgò dicatur, Scabies scabiem fricat, & muli mulos scabunt. Contrà verò apud sectarios nihil ferè contemptius est Patribus, quorum vita, doctrina, mors in conspectu totius Ecclesiæ nõ potest non preciosa videri, ac diuinis sæpè testimoniis orbi commendatur.

Sermone in Festo S. Iacobi, & in Dominicâ 13. & in c. 25. Genes.

In assertionibus contra Bullam Leonis.

In præfat. super annotat. Philippi in Epist. ad Roman.

Lib. contra Carolstadianos.

Illyricus, ne prætermittam quicquam, quod ad Patres conuiciis lacerãdos pertinet, Franciscum, Dominicum & Benedictum, viros in Ecclesia celeberrimos, per summam contumeliam Hæresiarchas appellat.

Lib. de sectis & dissensionibus.

Quid Martino Turonensi inter Episcopos illustrius? Et hunc virum planè Apostolicum, faciunt Necromanticum Centuriatores: qui prætereà Germaniæ APOSTOLVM nunquam satis prædicatum BONIFACIVM, pseudoapostolum, ministrum etiam & mancipium Antichristi audent appellare, talemque describere, qui cardinem vniuersæ pietatis de Iustificatione gratuita per solam in Christo fidem, euerterit atq; eliserit, quiq; articulorũ fidei corruptelas passim inculcarit.

Centur. 5. cap. 10.

Centur. 8. c. 10. & in præfat. eiusdem centuriæ.

Eadem penè censura perstringunt, iisdẽ tetris Notis infamant alios Germaniæ

Ibidem

niæ nostræ primos ferè & sanctiss. Episcopos, WILIBALDVM Eistetensem, LVDGERVM Monasteriensem, WILLEBRORDVM Traiectensem, & CORBINIANVM Frisingensem, qui summa fide & laboribus maximis multas in Germania Ecclesias instituerunt atq; administrarunt.

Sed blasphemi sunt planè Centuriatores, qui vt nothos & spurios Ecclesiæ Germaniæ filios se esse demonstrant, antiquum & proprium Germanorum Apostolum, & eundem constantem Christi martyrem BONIFACIVM, non minus perfidè abnegant, quàm contumeliosè insectantur: huius autem loco adsciscunt, & Germanis obtrudunt, non Patrem, sed pestem Patriæ, Germanicum (si Superis placet) Prophetam Lutherum, cuius voce ac ministerio, vt inquiunt, lux Euangelij quasi è tenebris Ægyptiacis reuocata est.

At ô longe beatiorem in vtroque statu Germaniam, si hæc suo Apostolo & Doctore primo contenta, tertio Heliæ, quem vocãt, & nouo Germanico prophetæ, aliisq; pseudoapostolis & falsis prophetis aditum & hospitium nullum præbuisset, neq; lucem Euangelij vel doctrinæ aliam, nisi à BONIFACIO, eiusque sociis & primis in Germania Episcopis traditam, velut depositum Apostolicum, bona fide custodiuisset. Ità profectò non tam tetris & horrendis errorum sectarumq; tenebris immersa, non tot exitialibus motibus concussa, nõ tam grauiter & miserè scissa deformataq; iaceret nobilis Germania, sed vera fidei luce, & amabili pace, communique florentis Imperii libertate, & veteri tranquillitate lætè adhuc & integrè perfrueretur.

Quid, quod iidem Centuriatores, cùm omnes ECCLESIÆ peruestigant ætates, nullum reperire seculum possunt, quo incorrupta de Iustificatione doctrina, integrè, hoc est, ex Lutheri suæq; sectę sententia, sit tradita & conseruata? Non illis quartum placet seculum, quod spectatissimos tulit Patres, Athanasium, Basilium, vtrunq; Gregorium, Epiphanium, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, quod seculum in articulo Iustificationis de Apostolorum doctrina procul desciuisse queruntur. Non placet tertium, quod Tertullianus, Cyprianus, Origenes & Arnobius præstanti sua doctrina illustrarunt. Nã tunc etiam doctrinam de Iustificatione, adeò perplexè & confusè tractatam dicunt, vt veræ doctrinæ lucem propemodum amisisse videatur. Non secundum, & Apostolorum temporibus proximum, in quo Dionysius Areopagita, Clemens Romanus, Polycarpus, Ignatius, Iustinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus floruerunt. Cœpit enim, vt inquiunt, eo seculo Doctrina de libero arbitrio vitiari, nimium viribus humanis tributum est, Articulum Iustificationis non satis perspicue explicarunt, & operibus iustificatorum plus quàm debebant, adscripserunt. In his ergo primis, multoq; ampliùs in sequentibus ætatibus ECCLESIÆ, si Centuriatoribus creditur, magna syncerę Doctrinæ inclinatio facta est; & vel ignota, vel obscurata neglectaq; iacuit vera lux de libero Arbitrio, de hominis Iustificatione, de gratuita remissione peccatorum, de bonis operibus, de Sacramentis, ac breuiter de summis capitibus Christianæ Doctrinæ.

Cent. 4. c. 4.

Cent. 3. c. 4.

In præfat. 2. centuria.

Quid multa: Quoniã affectis male oculis inuisa lux est, & in causa non bona latebras

latebras & effugia quærunt versipelles: quæcunq; piæ vetustatis extant vestigia, instituta, exempla, testimonia, quæ ipsorum placitis aduersa, & Catholicorum sententiæ sunt consentanea, hæc illi aut studiose supprimũt, aut maligne inficiantur, aut arte quadam obscurant, vel non sine vi ad næuos & corruptelas detorquent. Igitur sub suam ferulam cunctos Patres reuocant atque castigant Aristarchi: his fœdam inscitiæ Notam inurunt, velut prima fidei & pietatis elementa nesciuerint, illos nefariæ superstitionis arguunt: cæteros, vt in doctrina vindicanda negligentes, ex falsis sectæ principiis calumniantur. Summa verò & præcipua querela, cur contra omnium ætatum Patres excipiant, in eo versatur, quòd Euangelij fulgorem & fidei doctrinam, & iustitiam merè imputatiuam, in verbo Dei nullum seculum post Apostolos adspexerit atq; retinuerit, sicut ipsi nunc faciunt, nescio quo nouo spiritu præ omnibus aliis illustrati, vt purum Dei verbum rectè scilicet intelligant, & legitimè interpretentur.

Sed enim cælum & terram Gigantes isti misceant, sursum deorsum voluant omnia, sacra simul & prophana confundant: nunquam tamen suis aut præstigiis, aut clamoribus, aut furoribus eò Catholicos adigent, vt à Columnis illis Domûs Dei firmissimis auellantur, & præclara Ecclesiæ lumina per quoslibet Tenebriones aut obscurari penitùs, aut vnquàm extingui patiantur. Coaxent ranæ omnes Ægyptiacæ, insurgant & sæuiant cum armatis copiis Pharaonis, vniuersi demum Amalechitæ & incircuncisi Philistæi agminatim conspirent. Quid? an idcirco à complexu consensuq; PATRVM perduelles isti nos abstrahent, & à præscriptis illorum Terminis bonorumq; possessione legitimos Hæredes extrudent, vt quod AVGVSTVM velut PATRIMONIVM, sanctè à Patrib⁹ traditum & relictũ accepimus atq; retinemus, id vel prodam⁹ perfidi, vel deseramus ingrati, vel prodigamus insani? Auertat hanc tantam à nobis amentiam Deus, eamq; sensuum integritatẽ orthodoxis conseruet omnibus, vt non quid nouatores somniant, sed quid veteres illi sentiunt, ritè animaduertant, ac pro dignitate ponderent, nè alioqui Dei Verbum & Doctrinæ Christianæ dijudicatio non Patrum sapientiæ, sed sectariorum libidini patere videatur.

At sinamus interim istos, qui non se minus à PATRIBVS, quàm ab ECCLESIA nostra se nefariè præciderunt, eoque ipso testantur, se huius ac superioris Ecclesiæ consensione atq; communione alienos, hoc est, verè hæreticos esse: sinamus, inquam, eos de suorum patrum & magistrorum doctrina vel nuper nata, vel iam olim reiecta, & in multas partes concisa, superbè gloriari, immò & inter se hostiliter digladiari.

Illud autem ferre non possumus, & execrari debemus, vt quam ipsi *Episcopis* & *Patribus* adimunt Authoritatem, eandem vel sibi, vel suis magistris & collegis arrogent, etiamsi *Angelus* de cælo delapsus, contra communem *Patrum* sensum atq; consensum, vna cum nouatoribus omnibus euangelizaret.

Igitur quam à nobis fidem in re omnium maxima postulant, constanter illis negare cogimur, vt sciant se neq; solos, neq; præcipuos in Verbo Dei interpretando, & in Doctrina Religionis diiudicanda magistros ac arbitros esse, nullaq; ratione illis inferiores videri posse, sed longè præstare *Patres*, quorum

consentientem fidem & præclaram doctrinam, singularis vitæ sanctimonia commendauit, crebra & illustris miraculorum gloria, ac mirificus totius ECCLESIÆ consensus tot seculis comprobauit.

Sed præsentis loci non est, longius isthæc persequi, quæ nos propter hominum iniquitatem, Doctrinam Iustificationis scelerate corrumpentium, Patrumq; verba inscitè & malignè calumniantium, haud omninò volumus prætetire. Vnde illud etiam intelligi potest, nullo vnquam tempore, cùm sectarij signa in Ecclesiam infesta mouerunt, Catholicis cum aduersariis iniquiorem & difficiliorem extitisse conflictum. Siquidem Arriani, Macedoniani, Eunomiani, ac plures id genus hæretici, ante annos mille grassantes, veterum Scriptorum & PATRVM ECCLESIASTICORVM præiudicio se suasq; opiniones oppugnari patiebantur: nonnunquam ROMANI quoq; PONTIFICIS, & SYNODORVM EPISCOPALIVM iudicium minimè recusabant. Nunc verò nihil tam sanctum, tam inuiolabile, firmum & ratum in ECCLESIA potest reperiri, quod sibi nouatores sinant opponi: non APOSTOLICIS TRADITIONIBVS commouentur, non PONTIFICVM Sanctiones admittunt, non ECCLESIÆ ritibus & consuetudini acquiescunt: & demùm, quæ à Patribus dicta, facta, instituta, tradita, scripta & confirmata sunt, ea vel nihili pendunt, vel in controuersiam reuocant impudenter. Et ne omninò quid certum atq; firmum in Religione constet, incredibili obstinent peruicacia, quo minùs Sacrorum etiam Conciliorum quantumlibet frequentium Authoritas suum pondus habeat, & salua in Ecclesia retineatur.

Ad Te porrò redit oratio, Reuerend. & Illustrissime PRINCEPS, quem ego, vti spero, ad præsentem Tractationem, adeoque ad ætatis nostræ insaniam cōtemplandam non temerè omninò deduxi. Tua enim & EPISCOPORVM omnium refert, de hoc miserando Ecclesiæ statu cognoscere, & pro ea qua polles dignitate, aliquandò curare, vt Reipublicæ Christianæ tot miserandis modis afflictæ, & exitialibus Sectariorum incursionibus dilaceratæ, primo quoque tempore succurratur. Deinde sanctum est studium, quod Tuam florentem decet ætatem, in Orthodoxa Doctrina quæ hodie tam grauiter oppugnatur, iudicanda vindicandaq; versari, vt nimirùm eo accuratiùs bonos in syncera Religione confirmes, malorum verò consilia impiosq; conatus dissipes, & veræ PIETATIS Hospitia vel passim instituas, vel instituta prouehas, conserues, atque defendas.

Adhæc non fuit abs re, vt arbitror, isthæc hoc loco præfari, quæ ad sequens Opus paratiorem animū redderent, vt in progressu Libri, morem ingeniumq; aduersariorum rectiùs nôris, & si vsquam alibi, tum verò præcipue in doctrina IVSTIFICATIONIS non deflectas à Patrum sententia, quorum vtique grauissima semper fuit, & esse debet Authoritas in Ecclesia Dei. Etsi verò multi multorum Catholicorum DE IVSTIFICATIONE Commentarij circunferuntur, qui & cum laude scripti sint, & vtiliter euoluantur, attamen operæ me precium inprimis facturum putaui, si ex Theologis omnibus deligerem vnū, nec eum quidem vulgarem, de IVSTIFICATIONE tum dextrè, tum eruditè, tum

tum copiosè scribentem, qui vno volumine comprehensus, in Lectorum gratiam euulgaretur. Prodest enim vehementer, de hoc trito quidem, sed difficili & amplo Argumento selecta quædam extare, quæ & studiosis satisfaciant, & pios commonefaciant sæpè, & bonam quidem hominum partem aduersus eos, qui latè & perniciosè grassantur, errores, salutaribus velut Antidotis possint præmunire. Notus est enim APOSTOLICVS CANON, qui nostris hominibus non potest hodie satis inculcari, DOCTRINIS VARIIS ET PEREGRINIS NOLITE ABDVCI. Et hunc quidem Theologum delegimus R.P. ANDREAM VEGAM, virum cumprimis eruditum, pariq; sanctimonia, cùm viueret, commendatum, sed & primariis CONCILII TRIDENTINI THEOLOGIS, quos præstantissimos fuisse constat, DOCTORVM iudicio annumeratum. H.i.n.

NIHIL hîc dicam de CONCILIO TRIDENTINO, in cuius verbis explanandis VEGA studiosè versatur: quodq; ritè indictum, & multarum Nationum *Episcopis* ac *Theologis* exquisitè doctis instructum, neque paucis quidem annis celebratum, ac demùm ex Ecclesiæ more confirmatum, non potest non legitimum & Oecumenicum esse. Hanc præclaram SYNODVM, quæ suo quodam iure cum Veteribus certat, CATHOLICI quidem omnes excipiunt reuerenter, & velut eximium Dei beneficium Ecclesiæ collatum, magnoperè probant. Cæterùm quæ SYNODVS eadem de IVSTIFICATIONE tradidit, tanti fiunt à Sapientibus, vt his qui aliter sentiunt ac docent, perpetuum dicant ANATHEMA. Nec dubium, quin grata etiam agnoscet Posteritas, hanc singularem & salutarem Doctrinæ lucem, quam ægri aduersariorum oculi ferre non possunt, Verbo Dei & consensui Ecclesiæ maximè consentaneam esse, sicut & VEGA luculentissimè probat.

Illud dicam, permagni sane referre, vt ad manum habeamus quorundam Testimonia scripta, qui velut oculati Testes ACTIONVM dicti CONCILII, coram adfuêre, vt horum etiam sententia & interpretatione nobis & posteris explicatiora reddantur, quæ sunt in eadem SYNODO constituta. Eoq; charior in hoc OPERE nobis VEGA esse debet, qui TRIDENTI doctissimos THEOLOGOS & sapientissimos PATRES tunc disserentes audiuit, cùm DE IVSTIFICATIONE multis est mensibus acerrimè disputatum, ipseq; cum disputantibus aliis sua sensa studiosissime contulit. Ex cuius Viri scriptis docti facile deprehendent, quàm fuerit idem in eruenda confirmandaq; *Veritate* laboriosus, quàm prætereà solers & exercitatus in *Quæstionibus* obscurissimis atq; grauissimis examinandis, quas ille quidem ad normam Verbi Dei libenter reuocare consueuit, sed ità, vt simul exponat, quid & antiquiores & recentiores *Theologi* de re proposita iudicarint.

Cùm verò duæ sint partes OPERIS ab eodem VEGA perscriptæ, in primo quidem de IVSTIFICATIONE tractat fusiùs, seq; totum ad verborum CONCILII germanam interpretationem studet accommodare, quod OPVS toto ferè biennio elaborauit.

In posteriore parte, quam priùs idem AVTHOR scripsit ac edidit, aliquanto sum-

to simplicior stylus est, & tractatio, quæ ad docendum sæpe lucem præbet, *Scholastica*, vt eo rectiùs perplexis & inuolutis *Quæstionibus* respondeatur: eaque contractiùs moreq; Scholastico explicentur, quæ prioribus libris *Quindecim* amplissime disputantur. Sed vtrobiq; nec ingenij Acumen, nec docendi Methodum, neq; in veteribus aut recentioribus Theologis exercitationem, neq; in disputando demum perspicuitatem possis meritò desiderare.

Hoc igitur OPVS, vt *Bauaris* & *Germanis* omnibus commendatius fiat, sub tuo nomine in publicum prodit, tibiq; reuerenter à me nuncupatur, REVER. & ILLVSTRISS. PRINCEPS, aptum illud haud dubiè studiis tuis, nec etiam inutile Sacerdotibus & Clericis, præsertim quibus in hoc amplo EPISCOPATV FRISINGENSI Præsul datus es atq; Administrator. Neq; aliter certe docet VEGA, quàm colendus Præceptor & laudatus ille Theologus tuus D. ANDREAS FABRICIVS, quem Tu libenter audis, & meritò diligis, pro sua fide facere solet.

Habeas igitur vtrunq; Domesticum Admonitorem licet: quos si pro facilitate tua sequaris, & doctiorem, crede mihi, & sapientiorem Te indies reddent. Ac duplici quidem nomine perges, quemadmodũ præclare cœpisti, bene pieque monentibus obsecundare, tum vt MAIORVM PARENTVMQ; Tuorum splendorem eximiũ conserues & augeas, quoniam inclyti HEROES & PRINCIPES BAVARI Te progenuerunt, tum vt *Bonorum* omnium expectationi satisfacias, qui Te dignũ ECCLESIÆ Antistitem, & EPISCOPALI, hoc est, Amplissimæ simul & difficilimæ DIGNITATI parem sperant & optant cernere.

Nos autem Diuinæ bonitati iure gratias agimus, cùm lætis contemplamur oculis, hunc Iuuentutis Tuæ florem non luxu & ocio marcescere, sed præclaris bonarum Artium & Rerum Sacratum studiis magis magisq; splendescere, cumq; consideramus Generosum Tuum animum ad veram pietatem Diuinasq; Cæremonias natura esse propensum.

Testantur sanè *Colonienses*, nõrunt *Salsburgenses*, admirãtur *Frisingenses*, quàm rarum & excellens *Orthodoxæ* Religionis specimen, cùm apud illos proximis annis degeres, palàm præbueris, vera vt NOBILITATE & nobili PIETATE alios, genere quantumuis Illustres, facilè antecellas. Ego verò pro ea, quam ILLVSTRISSIMÆ FAMILIÆ Vestræ Obseruantiam maximam debeo, non possum Te nõ rogare & hortari ERNESTE PRINCEPS, vt quam apud Catholicos omnes de Te opinionem & expectationem amplissimam concitasti, eam CHRISTO DVCE sustinere, immò & superare contendas, talemq; Te nobis & Ecclesiæ præstes, qualem PAVLVS Apostolus iuuenem Episcopum, suũ nempe TIMOTHEVM, in Ecclesia esse præcepit. Bene vale in Christo Iesu REVERENDISS. & ILLVSTRISS. PRINCEPS, teq; his exorna moribus, qui summũ aliquando ANTISTITEM Deo hominibusq; commendent. Oeniponti Calend. Augusti, Anno post Christum natum

M. D. LXXII.

Illustrissi-

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino,

D. PETRO PACCAECO, S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI ET GIENNENSI PRÆSVLI, PATRONO AC DOMINO SVO COLENDISSIMO, ANDREAS VEGA SALVTEM IN DOMINO ET FELICITATEM.

DIVINA *omnia tanta & tam illustria sunt, Clarissime Præsul, vt quoquouersum spectes, contuentis oculos eximia sua luce perstringant, & in admirationem vel potius stuporem vniuersorum mentes adigant. Sed ex omnibus, quibus in ijs quæ facta sunt, sese nobis velut contuendam dedit æterna illa & beneficentissima diuina vis, nihil est admirabilius, nihil illustrius iustitia, quam in huius mundi administratione cum summa semper suauitate & clementia conseruat.* Iustitia tua Psalm. 35.
inquit Regius psaltes, sicut montes Dei, *hoc est, iuxta phrasim Hebraicam, sicut montes editissimi & altissimi, quorum verticem & cacumen nulla oculorum acies potest assequi. Hæc Luciferum cum suæ factionis apostaticis angelis è cælo deturbauit, protoparentes nostros à paradiso voluptatis expulit, diluuium in orbem induxit, linguam vniuersæ terræ in Babel cōfudit, ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum subuertit, Dathan & Abiron cum complicibus viuentes in infernum reclusit, regna & imperia mutauit, atque à Babylonijs ad Medos & Persas, & ab his ad Græcos, & à Græcis in Romanos transtulit, & eadem in specie olim columnæ ignis & nubis, Pharaonem, & currus, & totum exercitum eius in profundum maris rubri demersit.* Vbi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi nar- Iudic. 5.
rentur iustitiæ Domini, *canit illa fortis & elegantissima Delbora. Et quoniam iustitia est plena dextra ipsius, qui per Amos monuit iustitiam suam esse sicut torrentem fortem, idem vt non tantum eam tremendam, sed & amandam & desiderandam indicaret, per Dauidem & Paulum liberare illam oppressos, lætificare mærentes, exaltare humiles, & præmiare certantes luculenter expressit. Semper illam sibi comitem Deus voluit, & in omnibus suis operibus vestigium aliquod ipsius dereliquit, atque in ipso omnium operum misericordiæ præstantissimo magnifice nobis eam commendauit. Quid aliud vnigenitum filium Dei à cælis ad terram deduxit, nostra carne vestiuit, conciuem nostrum fecit, laboribus, molestijs & necessitatibus huius vitæ, ac morti denique turpissimæ & acerbissimæ subiecit, quam iustitia? O admirandū & adorandum sapientiæ diuinæ consilium, & à nostris omnibus omnino remotissimum. Liberare hominem pater cælestis propter diuitias suæ misericordiæ volebat. Et ne liberaret læsa vel in speciem iustitia, ad nos misit filium suum, qui iusta pro nobis exolueret & suo nos sanguine iure ab iniquo tyranno redimeret. Plane sibi tum obuiauerunt iustitia & misericordia,*

 & sua

Digitized by Google

& suauissimo se sunt osculo complexæ, ac benedictum factum est lignum, per quod perfecta est iustitia. Atqui non sibi soli hoc tantum ornamentum Deus voluit. Non est inuidus, sed vsque ad miraculum nostræ semper gloriæ studiosus. Omnia propter nos operatus est, suis bonis ipse ditissimus. Filium suum iustitiam nostram fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Et in hoc se ille præstitit omnib. in reb. absolutissime iustū, & carissimæ exigendæ & tuendæ iustitiæ praest, atque ipsa est pulchritudo & decor iustitiæ, vt & nos ab eo discamus vbique sectari iustitiam. Ad hoc scripturam, ad hoc sacramenta, ad hoc præcepta, ad hoc Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores, & seipsum nobis largitus est. Vult hanc nobis cum ipso virtutem esse communem. Quos ad imaginem & similitudinem suam plasmauit, moribus postulat sibi esse similes. Quid aliud præcepta omnia & consilia sunt, quam præcepta & consilia iustitiæ? Ac vide quantopere cupiat nostram ille iustitiam. Quia nemo nostrum solis suis viribus eam valet consequi, ipse ad eam obtinendam adiuuat, ipse hortatur, ipse magnis præmijs inuitat, ipse concedit, ipse largitur. Inde iustitia incipit, inde claritas & dignitas ipsius principatum sumit. Diligenda res homini, quæ Deo cara est. Bonum quod amat. Diuina maiestas, commendat. Hac vna promereri se vult, nec quenquam amat, aut inhabitat, nisi quem illa exornauerit. Et omnium bonorum nostrorum origo, ipsa est ac certissima tutela.

Prou. 11. 13. & 14. 16. Iustitia simplicis, docente veridica scriptura, dirigit viam eius, custodit innocentis viam, vitam præstat, in libertatem asserit, ditat, protegit, firmat solium principum, exornat, exaltat, beat: vestimentumq; est, & cingulum, & thorax, & lorica, & clypeus, galea, & omnis armatura iustorū. Quæcunque in omnibus virtutibus singulatim sunt, simul sub se complectitur Astræa ista, ac plane diuina virtus. Non Hesperus, non Lucifer, non ipse Sol mundi oculus tantum splendoris orbi affert, quantum vel vna iustitia. Tolle iustitiam è mundo, & in præceps ibunt omnia. Tolle iustitiam è mundo & nihil erunt omnia, nisi tenebræ, nisi caligo, nisi confusio. Atque hac nimirum ratione antiquus ille humani generis hostis, & primus præuaricator iustitiæ, ab ipso mundi exordio hoc satagit, hoc molitur, hoc omni vi & ope sua conatur, vt iustitiam à mundo eliminet. Nollet tantum ornatum esse in nobis. Quam gloriam perdidit, dolet si in alio conspiciat. Mitto quid ante Christi aduentum hac de causa fecerit: Ex quo Dei iustitia per Euangelium manifestius coruscare cæpit, quid aliud agit, quam aduersari, quam reluctari, quam resistere propagationi iustitiæ? In ipsis ecclesiæ cunabulis aduersus paucos & humiles Christi discipulos excitauit Iudæorum zelum pharisæorum supercilium, sacerdotum & scribarum authoritatem, regum ac principum armatam potentiam, Magorum præstigias, Philosophorum argumenta: quia nouerat iustitiæ illos esse præcones, & ad hoc in mundum missos, vt iustitiam Dei annunciarent, & plantarent, ac propagarent in hominibus. Et vbi intellexit Apostolos suam authoritatem & munus velut per manus tradidisse Pastoribus & doctoribus, suscitauit & aduersus illos hæreticorum furores, fraudes, blasphemias, schismata, seditiones. Tot machinis nisus est satanas iustitiam è mundo exterminare, propellere, profligare, propulsare. Sed non est consilium contra Dominum. Temperante ipso, immò vlciscente conatus & impressiones dæmonis restituta est mundo, & illustrata, & confirmata, & propagata iustitia. Quoque acrius impetita est & infestata, eo velut aurum splendidius orbi rutilauit. Oues scilicet domuerunt leones, columbi abegerunt serpentes, imperiti confutauerant huius seculi sapientia turgidos, humiles obscurarunt mundi gloriam, imbeciles prostrauerunt tyrannorum potentiam, pauci subegerunt omnes mundi nationes. Perfidia Iudæorū antiquatas docuit legis iustitias, & euangelicam iustitiam illustrauit. Oblatrationes philosophorum

confu-

confirmarunt Euangelij lucem. Hæreticorum argutiæ & tenebræ, scripturarum arcana reuelarunt. Ita clarius, ita illustrius, ita manifestius declarata est, & orbi cognita Dei iustitia. Quod & nobis his temporibus quasi in speculo contuendum diuina dedit largitas. Obscurare rursus conatus est dæmon veram iustitiæ doctrinam, quam tenebat tota ecclesia, & in eam rem aptissimos sibi delegit satellites, qui argutijs, qui technis & subdolo melle vniuersa circumlinierunt, & falsis libertatis ac pacis promissionibus, magnam heu, & præclaram ecclesiæ partem à iustitia & recta fide abduxerunt. Sed hos quoque aduersarij nostri impetus miro modo Deus infregit. Suscitauit vicarium suũ Romanũ Pontificem, suscitauit Christianissimos Principes, suscitauit fidelissimos Pastores & Doctores. Indicitur legitime Tridenti Concilium œcumenicum. Concurrunt eo cum obseruandissimis Apostolicæ sedis legatis, Præsules pietate & doctrina spectatissimi, ac viri ex toto orbe doctissimi. Animaduertunt omnes, ac prudenter dispiciunt par esse, vt in id inprimis tota intentione incumbant, vt viam veram iustitiæ edisserant, explicent, elucident, nec sinant vel tantisper obumbrari tantum orbis decus & splendorem, innumeris diuinæ sapientiæ argumentis, quamplurimis sanctorum omnium laboribus, atque ipso Christi sanguine nobis commendatũ. Nauant pro sua quique parte diligentissimam huic rei operam. Et ecce agente ipso spiritusancto Conciliorum omnium præside per decretum de iustificatione, Tridenti sessione sexta admirabili Patrum omnium consensu pronunciatum, tota doctrina necessaria ad acquirendam, tuendam, augendam, reparandam, ac perficiendam iustitiam multo clarius, quam vnquam ante hæc tempora emicuit.

Debet hoc, illustrissime antistes amplitudini tuæ tota ecclesia. Debet hoc tuæ curæ & solicitudini iustitia Christiana, ac debebit in perpetuũ. Nam tuis quidem laboribus, tuisq; vigilijs & admonitionibus magna ex parte effectum est, vt tam certa, tam necessaria, & tam perspicua doctrina frueretur orbis terrarum. Nollem sane quenquam defraudare sua gloria. Quid alienũ magis à mea professione? quid dissonũ magis tuis votis? Tuam tu semper gloriã, gloriã præsulũ omniũ, qui Concilio interfuerunt, putasti, & eis omnibus honorandis, amplectendis, recreandis, ac nonnullis ex ipsis magna ex parte alendis sedulo inuigilasti. Et pro sua quisque virili & portione non mediocriter hac in re desudauit. Sed tuos ego magis assiduos labores, ac perpetuã solicitudinem, quam pro omnibus decretis corrigendis, conformandis, examinandis gessisti, sicut domesticus & oculatus testis, commendare posteritati & debeo, & possũ. Non cupit sat scio, iste tuus generosus, excelsus & erectus animus suas vel legere, vel audire laudes. Nosti bene tantã nos vanæ gloriæ iacturam apud Deũ facere, quantum nostris delectamur hac in vita præconijs. Sed det nobis semel hanc veniã, oro sublimitas tua. Sine paululũ nostræ in te indulgere pietati. Dũ tuã enim celebro gloriam, nihil aliud me agere existimo, quã dona in te Dei prædicare, & egregiæ virtutis exemplũ, velut lumen in edito ponere, vt & omnibus præluceat & multos ad sui æmulationem accendat. Vt tuæ & tui similiũ modestiæ est, laudes hominum non agnoscere, & Deũ vnum exaltari velle, qui totius boni author est: ita scriptorũ est gratitudinis, non tacere viros, per quos Diuina benignitas tanta cõmoda largitur humano generi. Laudent v. alij illustrissimi tui generis Paccaorum & Gueuarensium claritatem: laudent iudicium singulare, felicissimã memoriã, rarissimam prudentiã, absolutam vtriusque iuris, sed præsertim Canonici, peritiam. Prædicent viuidam fidem in Deũ & sanctos eius, commendent synceram pietatem, eximiã religionem, benignitatem, ac viscera miserationis in pauperes, propensum affectum ad bene merendum de omnibus: Sed præcipue de religiosis, ac quibuscunq; cultui Diuino mancipatis. Tollant in altũ iustitiæ rectitudinem, honestissimorũ tuorũ morũ integritatem, cum admirabili grauitate & mansuetudine coniunctam.

Ego tametsi istis omnibus laudibus te non indignum agnosco, tamen præcipue adoro & veneror quadam alia Dei in te munera, quæ propria sunt pastorum Dominici gregis, atque in te fulgere conspicio. Nulla laus episcopo dignior, quam quod perpetuum geris studium pacis, & reformandæ ecclesiæ solicitudine semper teneris, & ardenti zelo flagras extirpandæ omnis hæreseos, & illustrandæ ac propagandæ doctrinæ Christianæ. Quoties ego te vidi humanissime Domine, nec tuæ ætatis, nec tuæ valetudinis rationem habentem, & tempestiuis & intempestiuis horis, nunc hunc, nunc illum librum euoluere, nunc tecum meditari, & conquirere? Quoties nec tua, nec doctissimorum virorum, quos tuis expensis alebas, nec nostra diligentia contentus, aliorum me cogisti sententiam, rationes, argumenta vestigare? Quoties & præter tuos, alios quoque viros doctrina & pietate celebres, ex diuersis nationibus & ordinibus ad te venire fecisti, & cũ eis acerrime certasti, ac eos inter se differere & disputare fecisti de omnibus ne minimo quidem verbo decreti prætermisso? Hoc erat, hoc erat, scilicet, vere agere pastorem ouium Christi, hoc Præsulem dignissimum, qui interesset concilio, hoc munere fungi Cardinalis, gloriæ totius ecclesiæ studiosissimi & sitientissimi. Quæ quidem res me commouit, vt tuo nomini consecrarem expositionem hanc & defensionem decreti Tridentini de iustificatione, quam & te teste iam ab aliquot annis, magnis meis laboribus parturio. Vt enim omittam, quod & meipsum & mea omnia tibi debeo, iustum profecto erat, vt sub tuo præsertim nomine & auspicijs in lucem producerem, quæ te iubente, te cogente, te impellente ex lectione catholicorum authorum & ex tuis & doctissimorum aliorum, & nostris meditationibus & collationibus, quanta maxima potui diligentia, collegi. Fruantur igitur studiosi per sublimitatem tuam amplissime Præsul his qualibus qualibus Commẽtarijs nostris, & in eis, velut in quodam aceruo, per te habeant, quidquid pertinens ad iustificationem, & in antiquis, & in iunioribus ecclesiasticis Doctoribus, hactenus potui inuenire, quando & per tuos labores, & prouidentiam, ac solicitudinem repurgata est & vindicata tota hæc doctrina à tenebris & scrobe Allophylorum nostrorum. Sit hoc qualecunque obsequium apud celsitudinem tuam meæ in te obseruantiæ pignus, ac signum animi nunquam tuorum in me beneficiorũ futuri immemoris. Sicubi vero sum lapsus, vt quidem communis fragilitatis conscius, in multis vehementer formido, benigne, vt soles, & amanter corrige: nec verba, sed animum meum pensa, qui nihil aliud profecto toto in hoc opere volui, quam doctrinam à Patribus traditam, ad certissimam Euangelij lucem exponere, roborare, & qua decebat grauitate, ab oblatrantibus hæreticis tueri. Id autem, quicquid est, quod pro gloria sanctæ synodi hic desudaui, ac meipsum & mea omnia castigatissimo tuo iudicio, & cuiuscunque rectius sentientis, atque in primis Apostolicæ sedis & ipsius sacri Concilij certissimæ censuræ subijcio. Vale integerrime & illustrissime Præsul in Pastore illo magno ouium Christo Iesu Domino nostro, vnico authore & reparatore iustitiæ. Venetijs apud religiosissimũ cœnobium Sancti Francisci de Vinea, Calendis Octobris Anno Domini 1548.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

INTER omnia omnium Conciliorum decreta, quæ quidem de dogmatibus fidei hactenus legiſſe me memini, nullum ſane ſcio optime Lector, quod tot veritates ſcitu neceſſarias diffiniat, totque errores eliminet, ac facit hoc Concilij Tridentini decretum de iuſtificatione, quod nunc exponere, roborare, & ab aduerſantibus tueri aggredimur. Si bene enim & pro dignitate illud expendamus, omnia in ipſo proculdubio inueniemus, quæ neceſſaria ſunt ad acquirendam, augendam & conſeruandam veram iuſtitiam, ac ad eam, ſi contigerit amitti, reparandam. Cumque hæretici noſtræ tempeſtatis hoc ſint antiquis pernicioſiores, quod ant qui vno, aut altero, aut certe paucis articulis ab Eccleſia Catholica diſſentiebant hi vero pene vniuerſam doctrinam ipſius eneruare & labefectare contenderint, tamen hoc decretum tanta dexteritate & maturitate eſt conditum vt maximam partem hæreſum ipſorum non ſolum damnet, ſed ſubruat, euertat, & extirpet. Atq; hæc vna cauſa me potiſſimum commouit vt illius benignitate fretus, qui etiam ad diffinitiones Eccleſiæ ſermonem ſuum referens, olim per Salomonem dixit: *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt*: non vnum, aut duos menſes, ſed integrum pene biennium huius decreti elucidationi, confirmationi & defenſioni conſecrauerim. Nam & digniſſimum viſum eſt, cui & illuſtrando optima etiam doctiſſimorum virorum ingenia deſudent, & obſequium neq; Deo ingratum, neque Eccleſiæ ipſius, me facturum ſum perſuaſus, ſi quod Patres & antiſtites noſtri, grauiſſime & ſapientiſſime ſtatuerunt id & perſpicuũ cunctis facere ſatagerem, & firmiſſimis ſubnixũ fundamentis oſtenderem. Quod quidem hoc ordine, qui commodiſſimus viſus eſt, Deo auſpice, vtcunque perfeci. Primo ſententiam Patrum ſub compendio quodã, quo eſſet dilucidior, propoſui, & quæcunque in diffinitione Patrum obſcura aut difficilia videri poterant, perſpicua facere curaui. Deinde diffinita à Patribus & Chriſti, & Apoſtolorum, & Prophetarum, & antiquorum Doctorum totiusq; Eccleſiæ Catholicæ communiui teſtimonijs. Et tertio ab aduerſariorum argumentis & captiunculis pro virili noſtra eã defenſaui. Quamuis enim hucuſq;, quod ſciam, nemo per Dei gratiam, & per celeberrimas victorias inuictiſſimi noſtri Cæſaris, contra hoc decretum ſcriptis pugnare ſit auſus, tamẽ cum nonnulli impudenter adhuc oblatrent, & alij, vt audiui, neſcio quid impium contra ipſum ſubmurmurent, neque ſatis diffinitis acquieſcant: operæ precium me facturum putaui, ſi & illa enodarem, quæ contra hanc doctrinam vel antea obiecerant, vel obijcere poterant hæretici, vt cùm vident ad omnia paratas eſſe ſibi idoneas reſponſiones, ora ſua comprimant, neq; negociũ amplius vllum nobis his de rebus faceſſant. Et alioqui cõmodiſſimum exiſtimaui, vt ſub his Patrũ diffinitionibus, velut ſub certiſſimis fidei noſtræ regulis heberent ſtudioſi optima quæq; ad hoc argumentũ de Iuſtificatione ſpectantia, ſiue quæ viri doctrina & pietate inſignes contra recentes hos hæreticos præclaris ſuis ſcriptis prodidere, ſiue quæ nos Dei gratia, & eorum operibus

Decretum hoc aliis multis præſtare.

Hæretici noſtri temporis, pernicioſiores antiquis.

Eccl. 24.

Ordo totius operis cum propoſitione.

A 3 adiuti,

adiuti,aduersus eosdem cogitauimus. Quæ res & nonnunquam me impulit, vt & ex ijs quæstionibus, quę & inter Catholicos hoc tempore controuersę fuerunt, obiter nonnullas aliquanto diligentius tractarem, quã decreti expositio requireret. Vt tamen vniuersis clariora & apertiora essent omnia, procœmio, & singulis pene capitibus singulos assignaui libellos, & sic finem cuique statui, vt in eo, veluti in aliqua amœna mansione interquiescere Lector possit, & tędiũ alleuare, quod magnitudo operis solet afferre. Sed vela soluamus iã ventis, & eo freti, qui cuncta regit, tenuem ingenioli nostri cymbam, grandi, quod nobis tranandum est, mari committamus.

ANDREAE VEGAE THEOLOGI HISPANI, DE AVTHORITATE ET VTILITATE DECRETI TRIDENTINÆ SYNODI DE IVSTIFICATIONE, LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM DECRETI CONCILII TRIDENTINI DE IVSTIFICATIONE.

CVM hoc tempore non sine multarum animarum iactura, & graui Ecclesiæ vnitatis detrimento, erronea quædam disseminata sit de Iustificatione doctrina: ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem, sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Pauli diuina prouidentia Papæ tertij; Reuerendissimis dominis, Dominis, Ioanne Maria Episcopo Prænestino de Monte, & Marcello titulo Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero, S. R. E. Cardinalibus, & Apostolicis de Latere Legatis, exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamq; doctrinam ipsius Iustificationis, quam Sol Iustitiæ Christus Iesus, nostræ fidei author & confirmator, docuit. Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Sp. sancto suggerente, perpetuò retinuit, districtiùs inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare aut docere, quàm præsenti Decreto statuitur ac declaratur.

CAPVT I.

SVMMA PROOEMII.

QVo mihi videre videor in summa fieri in hoc procemio. Primò explicantur aliqua, quæ ad authoritatem Decreti spectant, illudque omnibus piis maximè commendare possunt. Secundò præcipitur districtè, ne deinceps quispiam audeat aliter credere, aut docere, quàm decreto præsenti statuitur ac declaratur. Ex ijs autem, quæ decretum istud fidelibus omnibus maximè commendant, quatuor in hac præfatione video attingi. Primū, motiua causa, quæ Patres hoc edere decretum compulit. Eaque, disseminatio dicitur fuisse erroneæ cuiusdam de iustificatione doctrinæ, quæ hoc tempore est facta non sine multarum animarum iactura, & graui vnitatis Ecclesiasticæ detrimento. Secundum: causa finalis, finisque à Patribus in promulgatione præsentis decreti prætentus. Is autem triplex asseritur esse: laus gloriaque omnipotentis DEI, Ecclesiæ tranquillitas, & salus animarum. Tertium, hoc decretū condentium authoritas. Sacrosancta enim generalis & œcumenica Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, illud statuisse affirmatur. Et illa præsidentes sibi duos Reuerendissimos Dominos, Apostolicæ sedis de latere legatos, habuisse exprimitur: Alterum quidem Episcopum Cardinalem: alterum verò, Presbyterum. Postremum deniq;, est materia siue potius argumentū ipsius decreti. Hoc autem traditur esse vera & sana de Iustificatione doctrina, eaq; minimè recens, neq; ex capite Patrum qui hoc decretum sanxerunt, conficta, aut leues aliquos habens authores, sed quam sol ipse iustitiæ Christus IESVS nostræ fidei author & confirmator, docuit, A-

Quatuor hoc Decretum commendant.

postoli

postoli tradiderūt, & catholica Ecclesia Sp. sancto suggerente, perpetuo retinuit. Et quia grauissimum & omninò exitiabile piaculum est, tam præcellenti doctrinæ aduersari, & iustissimum est, omnes eam catholicos tota mentis deuotione & pietate suscipere, summo iure ilicò subnectitur districta prohibitio, nè deinceps quispiam aliter credere audeat, prædicare, aut docere, quàm præsenti decreto statuitur ac declaratur.

Porrò ex his discere possumus & colligere aliqua dignissima animaduersu & notatu, quæ seorsum ad maiorem perspicuitatem commodum erit disserere.

CAPVT II.

De causa potissima, quæ & olim & nunc Patres Ecclesiæ coegit in Concilia.

Causa pastoralis. EX causa, quæ mouisse dicitur Patres ad huius Decreti promulgationem, errores nouos in fide subortos agnoscimus debere excitare Ecclesiæ Præsules, vt Consilia ineant, & decreta de dogmatibus fidei, nouis illis erroribus contraria, stabiliant. Maximè namq; inuigilare oportet Ecclesiæ Prælatos, vt illibatam in gregibus sibi creditis & intemeratam seruēt fidem, quam & à Christo suscepimus, & ab Apostolis. Hoc est enim depositum illis creditum, & ab eis fideliter custodiendum, de quo Paulus inquit: O *Timothee, depositum custodi*. Et sicut aduersarius noster diabolus nunquam dormit, sed tanquam leo rugiens, perpetuo greges Christi circuit, & iactis doctrinæ sanctæ seminibus, zizania errorum superseminare gestit, ita ipsos decet iugiter vigilare, & custodire vigilias noctis super oues & agros sibi commissos: & si qua fortè zizania, malitia hostili aut negligentia nostra superseminata viderint, omni cura & diligentia ea euellere & disperdere, & pro erroribus fidem veram & genuinam ædificare & plantare. Et ob hanc potissimum causam conuenisse scimus Ecclesiarum antistites ad Concilia antiqua generalia, & decreta fidei celeberrima in eis statuisse, quia hæretici nouis erroribus & animas fideles perdere, & Ecclesiasticam vnitatem discindere & dilacerare tentàrunt. Et hoc perspicuum esse potest ex quatuor primis Concilijs generalibus.

[Margin: Fidei deposi tum. — 1. Tim. 6.]

Error enim Arrij, asserentis Christum esse creaturam, CCCXVIII Patres coegit in Cōcilium I. Nicenum, sub Siluestro Pontifice vrbis Romæ, & Constantino Augusto orbis monarcha. Error Macedonij negantis Spiritum sanctum esse Deum, coegit CL. Patres in Concilium I. Constantinopolitanū, sub Damaso Papa, & temporibus Gratiani & Theodosij. Error Nestorij duas personas in Christo prædicantis, CC. Episcopos in Ephesinam Synodum compulit, sub Cælestino Papa & Theodosio iuniore Imperatore. Error Eutychis, vnam naturam verbi Dei & carnis, & carnē in Deitatem versam pronunciantis, DCXXX. Patres in Chalcedonensem Synodum adduxit, sub Leone Papa I. & Martiano Imperatore.

[Margin: Errores damnati in 4. primis Cōcil. gener.]

Et ne alias commemoremus Synodos, ex quarū gestis facilimum erit idem ipsum colligere, tandem in hoc Concilium commouit ex toto orbe Patres & doctores, pietate, sanctitate & eruditione insignes, doctrina quædā, vt hic aiunt Patres erronea & pestilens, nostris his temporibus disseminata de iustificatione, quam primo Luterus & alij sequaces ipsius, deinde Anabaptistæ, ac postremo Protestantes in Confessione Augustana suis Germanis tradiderūt. Sed quos hæc doctrina præcipuos complectatur errores, in quos nobis his Libris cominus est & punctim, quod aiunt, & cæsim dimicandum, speciatim & seorsum videamus.

CAPVT III.

De erroribus nouæ doctrinæ de Iustificatione, tradita à Lutheranis, Anabaptistis, & protestantibus.

ERrores, quos in se continet doctrina hæc noua de iustificatione, cuius hic meminere Patres, quantum ipse ex variis libris potui colligere, sunt numero viginti. Et hi omnes in hoc decreto apertissime damnantur. Primus est Fide sola, seclusis omnibus alijs operibus sufficit ad salutem. Sed hunc errorem quidam sic simplici-

[Margin: Viginti errores de iustificatione hic maximè damnati.]

pliciter & generaliter docuerunt, vt dicerẽt nihil aliud esse necessarium ad salutem, nisi solam fidem, & eam sufficere ad acquirendam iustitiam: & iustificatos liberos esse ab omni lege, & non teneri nisi ad credendũ, & sola incredulitate posse perdere suam iustificationem. Et ita hunc errorem defendit Martinus Luterus, cuius illa fuerunt peculiaria & familiaria dogmata, Hominem sola iustificante fide implere totam legem, & nullam esse virtutem, nisi fidem: Nullum esse peccatum lethale, quod à gratia Dei separet, præter infidelitatem: Omnia opera alia à fide, liberrima esse, neque pręcepta, neque prohibita: solam fidem dignum facere, qui suscipiat eucharistiam. Alij vero, quorum mens sanior fuit, & minus à vero aliena, concessere, ad iustitiam conseruãdum necessaria esse etiam alia præter fidem, & iustificatos teneri ad præcepta alia: sed vt acquiratur iustitia, solam fidem omnib⁹ sufficere. Nouissime vero Protestantes, videntes ista omnia manifeste pugnare cum Euangelio, in hanc eãdem inciderunt sententiam, vt dicerent quidem, solam fidem iustificare, non quia non sint alia opera, vel interiora, vel exteriora, ad salutem necessaria. sed quia neminem propter ea DEVS iustificat, sed propter solam fidem. Neque hoc tantum contendunt de operibus, quæ vel cum auxilio generali, vel etiam cum speciali nos facimus, & proprie opera nostræ dicuntur, sed & idem de Ecclesiæ sacramentis affirmant, asseuerãtes cum suo magistro Luthero, ea neminem iustificare, & solam fidem esse quæ nos iustificat. Secundus error principalis huius doctrinę est, Fides per quam iustificamur, est fiducia, vel certa animi persuasio, qua certo & indubitatò credimus, nobis remitti peccata propter Christũ. Et vt patet ex Bulla Leonis Decimi art. 11. & 12 contra Luterum, hunc errorem ille manifestius & perniciosius alijs authorib⁹ asseruit, cum dixit, quicquid esset de cõtritione verissime esse absolutum, quisquis se verbis Sacerdotis absolutum crediderit. Quia vero pręceptum est de fide qua possimus iustificari, consequẽter dicunt, qui hunc errorem tuentur, non solum posse, sed teneri

Lut. in capt. Bab. & in de libert. Christ. & in li. acu. Carolst. & in ep. ad Gal. & in serm. sup illud Ioannis, Sic Deus dilexit mund. Ioa Riuс. in opusc. de fide & oper. art 6 Conf. Aug.

omnes iustificatos ad credendum, certo sibi esse remissa sua peccata: & accedentibus ad sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, necessarium esse credere certo, per illa sibi remitti peccata, & alioqui non posse per ea iustificari. Et hic potest pro tertio eorum errore computari. Quartus error, in quo manifeste & sibiipsis, & superioribus erroribus aduersantur, hic est, Nulla est dispositio pręuia ex parte nostra ad iustificationem, neque fide dicimur iustificari, quia illa sit dispositio ad iustificationem, sed quia per eam apprehendimus iustitiam. Et huic errori adiecit hos tres alios Luterus. Quintus error est, Optima pænitentia est noua vita, neque peccatori necessaria est ad iustitiam prioris vitæ pœnitentia. Sextus Contritio magis facit peccatorem. Septimus, Timor gehennæ non prodest ad acquirendum iustitiam, sed obest potius: & peccatum est; & peccatores peiores facit. Et vt se naturæ ipsius manifestarios hostes probarent, addiderũt his octauo, omnia de necessitate absoluta euenire, & non esse in nobis liberum arbitrium, sed figmentum esse merum, & titulum sine re. Et adiungentes errores erroribus, & blasphemias blasphemijs, dixerunt nono, Deum esse totam causam operũ nostrorum nihil nobis agentibus: & omnia opera nostra, siue bona, siue mala, ab eo solo in nobis fieri, idque ex necessitate, & eum cogere nos ad peccandum, neque nos per auxilium ipsius implere legem, sed Deum ipsum. Decimus eorum error est, Qui iustificantur, non vere iusti sunt, neque iustitiã vllam propriam sibi habent inhærentem, neque carent peccato, quo digni sunt pæna æterna: neque tolluntur ab eis peccata cum ipsis remittuntur, sed ideò iustificari dicuntur, quia illis imputatur ad iustitiam iustitia Christi. Vndecimus. Formalis iustitia iustificatorum, est sola iustitia Christi, & si qua nobis inhęret iustitia, illa imperfecta est, neque nos facit vere amicos Dei, neque opera nostra facit, nisi inchoate & imperfecte iusta. Duodecimus, Iustificati omnes liberi sunt ab omni culpa & pæna. Et ex hoc errore inferunt tertiodecimò, non esse necessariam iustificatis aliquam satisfactionẽ,

neque in hac vita, neque post mortem, & superfluum prorsus esse & negandum Purgatorium, & falsum esse, quod tres sint veræ pœnitentiæ partes. Quartusdecimus, Iustificati omnes ęqualiter iustificantur, & ad ęqualem gratiam & gloriā sunt accepti. Quintusdecimus, Iustificati neque implere possunt legem Dei, neque vitare peccata etiam mortalia. Et huic adnexuit Luterus errorem sextumdecimum prorsus intolerabilem, in omni opere bono iustum peccare, & opus quantumuis bonum, veniale esse peccatum: & neminem esse certum se non semper peccare mortaliter. Et ad hæc consequenter asseruit, animas in Purgatorio sine intermissione peccare. Contra vero & iidem & alij, toto cælo ab his, & à seipsis distātes, decimumseptimum tradiderunt errorē, Iustificati liberi sunt ab omni lege. Et in his non longe fuerunt ab antiquis quorūdam hæreticorum erroribus, qui etiam hoc Decreto condemnantur, quod asseruerunt, iustificatos non posse suam perdere iustitiam, & lapsos à gratia baptismali, non semper posse in hac vita iustitiam reparare. Sed ne alienos errores commemoremus, decimusoctauus, atque adeo proprius huius doctrinæ error est, Iustificati nō possunt mereri beatitudinem, neque opera bona, quantumuis iusti, merita sunt beatitudinis, neque in eis vlla est fiducia habenda. Decimusnonus, Iustificati indigent noua & indebita applicatione iustitiæ Christi, vt exeuntes de hac vita, assequantur beatitudinē. Vigesimus, Soli electi & prædestinati vere iustificantur.

Vides optime lector, non leuem fuisse causam, quæ Patres extimulauerit ad decretum istud publicandum. Miserabile enim erat, & vehementer dolendum, tot errorū portentis commaculatam esse & obscuratam doctrinam de iustificatione, quam vnā maxime decet & claram esse, & apertam fidelibus, ne frustra pro nostra iustificatione tot labores Christus, tot tormenta, tot iniurias & contumelias, & denique mortem ipsam, tolerauerit. Potuit etiam mouere Patres, & induxit vere ad statuendum hoc decretum, quod pleraque erant spectantia ad hoc argumentum de iustificatione, quæ licet diffinita essent in aliquibus Concilijs prouincialibus, & à sede Apostolica authoritate sua nobis tradita, nunquam tamen authoritate Concilij generalis expressa & communita fuerant, & apud multos catholicos, vt postea docebimus, hac ratione & ambigua aliquibus erant, & vehementer apud plerosque Scholasticos controuersa. Æquum autem erat, illis controuersijs finem imponi, neque amplius sinere sub incerto fluctuare veritates adeo certas, adeoque scitu necessarias.

CAPVT IV.

De triplici causa finali Conciliorum.

EX causa vero finali, in quam ordinare se dicunt Patres sanctionem huius Decreti, colligere licet, quis debeat Conciliorum esse scopus, & quo spectare, & collimare studia debeant sua, quicunque leges aliquas Ecclesiasticas constituunt. Intendenda quippe ab ipsis præcipue in primis est laus, gloriaque Dei, iuxta Pauli consiliū: *Omnia in gloriam Dei facite.* Et maxime docet hoc antistites Ecclesiæ præsertim in re tam sacra Meminisse enim oportet, se à Deo tantam habere potestatem. Neque dandum est vnquam obliuioni illud Bernardi: Nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ, ac ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, gratia accessum non habet. Sed post gloriam DEI, in tranquillitatem Ecclesiæ & salutem animarum oportet adspicere, & eo studia & conatus omnes Patrum debēt dirigi. Par quippe est, & omnino iustissimum, vt qui Christi vices gerunt in terris, eum imitentur, qui vt nos factis suis erudiret, quęcunque egit & passus est in terris, in salutem animarum destinauit, & hunc cibum suum & delicias suas esse dicebat. Et præcipue tertio necesse est, vnitati Ecclesiæ in huiusmodi studere, & toto ei pectore incumbere. Conuiuium enim est Domini, sicut verissime dicit Aug. vnitas corporis Christi, non solum in sacramento altaris, sed etiam in vinculo pacis. Et Christus ipse strictissime nobis commendauit pacem.

1. finis Cōciliorū Dei gloria.

1. Corin. 10.

Bern serm. 2. de Euang. septem panum.

Ingratitudo.

2. Salus animarum.

3. Vnitas.

Epist. 50. vt habetur 23. q. 4. c. Ipsa.

Ioan. 13. 15. 17.

pacem & mutuam dilectionem, & eam vnam, argumẽtum esse voluit & certissimum signum suorum discipulorum. Et sicut pax & tranquillitas Ecclesiæ, omnia secum adducit, nutrit, ac perficit bona: ita discordiæ & schismata, diminutio sunt fidei & cultus diuini, & exilium, immo casus, religionis & veræ pietatis. Atque ideo, si quando contigerit, neque sarciri posse, neque reparari aliqua populi Christiani damna sine periculo schismatis, omnia ea quantumuis grauia, leuia putanda sunt, collata ad schisma: & toleranda ad tempus sunt, ne scindatur Christi tunica, & fideles tanto discrimini cõmittantur.

CAPVT V.

De authoritate Synodi Tridentinæ.

CIRCA authoritatem verò condentium hoc decretum, aduertẽdum est, omnia illa habuisse istam Synodum Tridentinam, quæ habuerunt omnes aliæ Synodi generales, quibus non præfuit ipse sũmus pontifex per seipsum. Atque ideo omnes catholicos oportet, omni reuerentia & veneratione suscipere & amplecti omnia decreta huius Synodi, & imitari Diuũ Gregorium, & eodem in illã affectu esse, quo se ipse in Nicenam, Constantinopolitanam primam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem his verbis affectum fuisse declarat: *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor.* Et alibi de eisdem Synodis ita scribit: *Quisquis aliter sapit, quam hæ quatuor Sinodi, à fide veritatis alienus est* Damnamus autẽ quoscunque damnant, & absoluimus quoscunq; absoluunt. Et singulatim possumus docere hãc Synodum habuisse omnia, propter quæ sic erat in priores illas quatuor affectus sanctus hic pontifex. Fuit enim hæc Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, quia authoritate Apostolica ob grauissimas causas indicta & conuocata est. Quod vnum satis est, & requiritur ad legitimam in spiritu sancto congregationem, vt patet ex multis sanctorum Patrum decretis. Et habuit præsidentes vice summi Pontificis non quosuis, sed tres Reuerendissimos Dominos Cardinales, Apostolicæ Sedis de latere legatos. Nã quod huic Sessioni duo tantummodo ex ipsis præfuere, prudentia, grauitate, pietate, & incredibili mansuetudine vniuersis spectabiles, causa fuit diuturna quędam ægritudo, quæ coegit Tridẽto recedere illustrissimum illum Cardinalem, qui tertio loco eis adnumeratus fuerat, Reginaldum videlicet Polum, ex regum Anglorum prosapia originem trahentem, eximium atque adeo singulare totius nobilitatis & sanctitatis exemplar, cælestemque plane virum, & angelicum potius quam Anglicum.

Dist. 15. sicut Sancti.

Greg. l. 3. ep. 33.

Quæ sit legitima in Sp. S. congregatio.

Laus Reginaldi Poli.

Neque prouincialis hæc fuit Synodus, vt aliæ, quæ authoritate Apostolica conuocatæ sunt, & præsidentes habuerunt Apostolicæ Sedis Legatos, sed generalis & œcumenica, quia pro causis ad totam Ecclesiam spectantibus conuocati sunt Episcopi ad eam ex toto orbe Christiano, vbicunque agnoscitur Romanus Pontifex vicarius esse Christi, & in omnes Christi fideles habere potestatem. Et diligentia & fauore beatissimi Pauli, huius nominis tertij, Dei gratia & prouidẽtia Pontificis summi, & cura ac solicitudine felicissimi & augustissimi Imperatoris nostri, & aliorum Christianorum regum & principum effectum est, vt viderim⁹ Tridenti antistites pietate & sapientia venerandos ex Italia, Hispania, Gallia, Germania, Anglia, Sicilia, Neapoli, Sardinia, Hibernia, Gothia, Suedia, Dalmatia, Creta, Græcia, & ex insulis Fortunatis extra orbem positis. Accessit ad hæc, quod sacrosancta ista Synodus ex benigna concessione eiusdem beatissimi Pauli, authoritatem habuit plenissimam, vt & in dogmatibus fidei, & in reformatione morũ ecclesiæ, & in his, quæ necessaria viderentur ad pacem principum populi Christiani, quæcunq; placerent, pro arbitratu suo statueret.

Quæ sit œcumenica Synodus.

Authoritas Synodi Tridentinæ.

Neque ob eas causas, quas quidam malignè interpretantur, intermissus est ille titulus, quo Concilium Constantiense sæpe vtitur, nempe, Vniuersalem Ecclesiam repręsentans: Sed eo potius nomine, quod cùm quidam prælati omni honore digni, sancto studio & zelo, eum titulum sæpè efflagitauerint, & præmitti omnibus huius Synodi

Cur non est adiectum in titulo illud verbum Ecclesiam vniuersalem repræsentans.

decretis voluerint, tamen tandèm maiori parti Patrum placuit, magis imitari modestiam antiquorum Conciliorum, quæ nunquam eo titulo sunt vsa. Et prudentissimè sanè hoc illi cēsuerunt, q̃a nulla talis causa nunc occurrebat, quæ talem titulum exposceret, qualis fuit tempore Concilij Constantiensis. Eo namq; tempore ad componendum schisma illud magnum, quod tum vigebat, commodissimum fuit eum vsurpare titulum, vt qui se pro summis Pontificib. gerebant, dum Ecclesia vniuersali se inferiores agnoscerent ad iussum Concilij, quod eam repręsentabat, pontificali suę authoritati humiliter pro pace & tranquillitate ipsius Ecclesiæ cederent. At nunc cum Ecclesia Dei vno, eoq; indubitato maximo Pontifice gaudeat nulla erat causa, quæ compelleret eiusmodi nihil necessario vti titulo. Verum cum hæc sancta Synod⁹ leg tos habuerit summi Pontificis, & ad eam conuocati fuerint Episcopi ex toto orbe, & permulti fuerint prælati in ea ex diuersissimis regionibus & nationibus: nemini debet esse dubium, quin & vniuersalem Ecclesiam repræsentauerit, & ea gauisa fuerit beneficentissima & infallibili Spiritus sanct præsentia, qua & aliæ Synodi generales semper in Ecclesia gauisæ sunt.

Quàm sedulò discussa & Tridenti doctrina de iustificatione.

Et tanta cura & diligētia septimestri spatio omnia ad hoc decretum spectantia, examinata & expēsa fuerunt ab omnibus Cōcilij Patribus, & à clarissimis plerisque Doctorib⁹ Theologis, qui Concilij causa Tridentum conuenerunt, vt nefas videant, de aliqua parte ipsius dubitare. Qua in re multas & magnas merētur omnes illi à toto orbe Christiano & laudes & gratias, sed præcipuas, me iudice, grauissimus idemq; religiosissimus, Reuerendissimus Dominus Cardinalis S. Crucis, cui huius decreti cōficiendi cura potissimū incubuit. Quis dicet, quantos ille labores & quam assiduos diu ac noctu hac de causa pertulerit? Omnes vrgebat, omnes solicitabat ad diligentem operam huic rei nauandam. Omnium sententias, omnium dubia, & priuatim & publicè; mansuetissimo & indefatigabili animo audiebat. Ipse pro suo singulari iudicio & sapientia multa corrigebat, multa mutabat, & nunc in hanc nunc in illam formam decretum variabat, donec id perficeret, quod perfecit, vt placeret cunctis Patribus.

Oculatus testis hæc loquor, & priuatas taceo permultas selectorum virorum congregationes. Congregati sunt in vnū publice, & rogati de omnibus suam quique sententiam, nunc soli Patres Concilij, nunc Theologi præsentibus Patribus, pl ris opinor, quam octogesies. Itaque tametsi ex sacris literis nō constaret præsentia infallibilis, quam Spiritussanctus exhibet generalibus Concilijs in decretis fidei & morum, stultissimum esse censerem, & omnino amentissimum, vel latum vnguem ab eis declinare, quæ in hoc decreto tanta & tam matura discussione, & vnanimi omnium Patrum consensu, conclusa & diffinita sunt. Cur enim debeat aliquis mortalium, tantum sibi tribuere aut arrogare, vt suum iudicium præferat tantæ & tam maturæ tot & tantorum Patrum sententiæ?

Stultissimū dissentire ab hoc decreto.

Et cum Deus nunquam in necessarijs deesse soleat, cur dubitemus, enim adstitisse tā piæ, tam diuturnæ, tam assiduæ, & tam graui tantorum virorum consultationi? Quid potest à nobis aut maius, aut aptius fieri, vt ipsius gratiam promereamur, nè in re tanti momenti labamur? Neque casu putandum est esse factum, sed diuina prorsus prouidētia, vt cum in alijs decretis non semper Patres vniuersi conuenerint, tamen hoc, vno omnium consensu, probatum fuerit, etiam si in plerisque, vt assolet, in principio dissentirent, & multa in eo statuta sint & firmata, quæ aperte aduersarentur aliquibus, vel ab ipsismet, vel à doctoribus, quos sequerentur, assertis & scriptis. Et super hæc omnia, ad authoritatē huius Decreti de iustificatione accessit approbatio Pontificis. Quamuis enim, quia nondum absoluta est hęc Synodus, nullius hactenus decreti ipsi⁹ approbatio summi Pontificis in publicum prodierit, tamen certò noui, suam sanctitatem fecisse, vt ante istius editionem decreti à viris doctissimis discuterentur & examinarentur Romæ materiæ ad ipsum spectantes,

Approbatio summi Pontificis.

tes, & post ipsius editionem maturo habito cum sacro collegio Cardinalium consilio, literas, quibus illud laudat & approbat, ad Reuerendissimos Dominos Legatos, qui huic Sessioni præfuerunt, misisse. Nihil itaque huic decreto deest in omni catholicorũ Doctorum opinione, quo minus reuerenter catholicus aliquis diffinita in ipso suscipiat, quàm diffinita in alijs sanctis & generalibus synodis.

CAPVT VI.

De qualitate doctrinæ huius Decreti.

Qualitas doctrinæ huius.

COMMENDARVNT patres quarto loco decretum hoc ex qualitate doctrinæ, quam in eo tradunt. Aiunt nanque, vt diximus, doctrinam hanc non esse recentẽ aut nouam, sed à Christo & ab Apostolis traditam, ac Spiritusancto suggerente, perpetuò à Catholica Ecclesia retentã. Quod quidem grandem & omninò imparem nostris viribus nobis imponit prouinciam. Vt enim constet, verissimè hoc esse dictum à patribus, necesse erit, si munus nostrũ perindè ac debemus, explere volumus, ostẽdere, omnia hic diffinita, tradita nobis prius esse à Christo, & ab Apostolis, & ab vniuersa Ecclesia semper recepta. Sed quãtunuis hoc graue sit, & præstitu difficile, ipso Spiritusancto freti, qui hoc vt traderetur, suggessit, in id ostendendum omni vi & ope nostra incumbemus.

Merito vero Patres, & sane quam prudentissime, hinc suam diffinitionem fidelibus commendarunt. Maximè nanque, si quidpiam aliud, hoc potest commendare & persuadere omnibus fidelibus hanc doctrinam, & vt tanquã sacrosancta ab omnibus recipiatur, compellere. Ecquid enim fidelibus sacratius debet esse, aut maiori veneratione recipi, quam id quod authoritate constat Domini nostri Iesu Christi, Apostolorumque ipsius, & totius ecclesiæ consensu? Et quid rursus tam sceleratum, tam perfidum, à recta fide tam alienum esse potest, q̃ doctrinæ tam præclaris testimonijs subnixæ, vel tantillulum refragari aut dissentire? Secutaq; est in hoc sacrosancta ista Synodus morem & consuetudinem aliorũ Conciliorum. Nunquam enim Patres in Concilijs sibi vsurparunt authoritatem faciendi catholicas veritates aliquas, quæ nõ essent catholicę. Hæc enim authoritas duntaxat est Dei, & habentium spiritum propheticum Sed illud præcipuè curârũt quod ex gestis multorum Cõciliorum est conspicuũ, vt diffinitiones suas testimonijs Christi, & Apostolorum, antiquorum Doctorũ Ecclesiæ fidelibus approbarent.

Non facit concilium catholicas propositiones ex non catholicis.

Et Concilia generalia hoc tantum habẽt, vt veritates iam alias, vel in seipsis, vel in suis principijs à Deo Ecclesiæ & sanctis patribus reuelatas, vel per scripturas, vel per traditionem prophetarum & Apostolorum, tũ declarent tum confirment & sua authoritate claras & apertas. & absque vlla ambiguitate ab omnibus catholicis tenẽdas tradant. Et ad hæc duo præsentia Spiritussãcti illustrantur: primò, vt infallibiliter declarent veritates Ecclesiæ reuelatas: & secundò, vt ad terminanda dubia in Ecclesia suborta, extirpandosque errores & abusus, infallibiliter etiam ex reuelatis colligant, populo Christiano credenda, & seruanda in fide & moribus. Et propterea, licèt non adiuncta fuisset districta prohibitio aliter credendi aut docendi, quam hoc præsenti decreto statuatur, quæ ad maiorem firmitatẽ & claritatem, fini huius præfationis est adiecta, ambigendum non est, quin post promulgationem & notitiam huius decreti aliter credere vel docere, peccatum sit mortale & anathemate meritò feriendum. Alienus enim est, teste Cypriano, prophanus est, hostis est, & habere non potest Deum Patrem qui Ecclesiæ vniuersalis non tenet vnitatem.

Ad duo habent Concilia certiss. Sp. Sancti præsentiam.

De simplicitate Prælatorum.

Et vt sanctissimi alij Patres, Doctores ecclesiæ passim tradunt, extra vnitatẽ Ecclesię neq; haberi potest donum gratiæ, neq; Spiritus Sanctus, neque remissio peccatorum, neque prodesse possunt sacramenta, neq; accepta esse sacrificia.

Aug. lib. de symb. 4. Cap. 10.

Constantissimũ autem est, Ecclesiæ vniuersalis non tenere vnitatem, qui aliter credunt aut docent, quàm Ecclesia vniuersalis in Concilijs generalibus credendum &

docendum statuit. Quoniam verò Tridēti diximus, hoc decretum esse constitutū procœmialibus difficultatibus vtcunquè transcursis, libet ad alleuamentum & pleniorē lectoris instructionem, præcipuis quibusdā ciuitatis Tridentinæ notis ac laudib⁹, libellum istum absoluere.

CAPVT VII.

De commendatione & descriptione Tridenti.

Situs Tridēti. Conditor. Antiquitas.

TRIDENTINA ciuitas in confinibus Italiæ & Germaniæ ad radices Alpium in planitie quadam feruli, & altissimis mōtibus penè vndique septa à Brenno Gallorum Senonum duce, ante annos mille nongentos sicut narrāt historiographi, est condita, & à Theodorico Gothorum rege optimis mœnib⁹ & propugnaculis posteà cincta. Locus est ad res maximas gerendas aptissimus, & gratissimum ac velut commune hospitium, in quo interquiescere possint & fessas vires reparare, qui longo & præcipiti itinere per altissimos montiū scopulos à septētrione in Italiam veniunt, & qui ad ea in septentrionem conscendunt. Athesi laudatissimo fluuio ab Occidente, & tribus alijs torrentibus ab Oriente est circunflua. Spatiosos habet vicos, aquarum riuulis circunquaque fluentibus, mundos & nitidos, & magnas ac cōmodissimas & placidissimas etiam supra suam magnitudinem domos. Castrum est illi bene munitum columnis & testudineo opere fortiter sustentatum. Adiunctaque sunt ei palatium elegantia amplitudine & diuitijs, cunctis admirandum, & viridarium pulcherrimum & amœnissimum, varijs odoriferis herbis & vrbanis omnibus delicijs affatim consitū. Vini boni est feracissima, optimoque pane, & alijs omnibus ad victum communem necessarijs abunde fruitur.

Et quod maximæ est gloriæ, strenuissimis & bellicosissimis administrata est olim ducibus, & postea per sanctis Episcopis & Principibus Imperij. Templa habet & religiosorum diuersorum Ordinum cœnobia pro sua magnitudine, satis pia & commoda. Ciues partim sunt Itali, partim Germani, & omnes satis humanis & honestis ac placidis sunt moribus.

Hermagor. pater fidei Tridenti.

Anno circiter quadragesimo ab ascensione Christi, per Hermagoram Aquileiensē ciuem & episcopum, ac beati Marci Euangelistæ discipulum, fidem Christianam recepit. Circa annum verò salutis nostræ 383. magnificentius nobilitata est, & maiorib⁹ gratiarum incrementis aucta. Ex magno quippe dono DEI Episcopum tum meruit habere patronum illum suum Romanum genere sanctum Vigilium, facundissimum & acerrimum hæreticorum impugnatorem & clarissimum Christi martyrem. Et ob illius præclara apud Deum merita, multis ac magnis miraculis illustrata est. Sacrum ipsius totum corpus penes se magna veneratione seruat in prima sua Ecclesia, eius nomini & honori consecrata. Fulget etiā martyrio & integro venerando corpusculo Simonis illius innocentissimi infantis, quem Iudæi, incolæ tum ipsi⁹ ciuitatis odio Christi & Christianorum, anno à partu virginis septuagesimoquinto supra millesmum quatercentenum horridis & infandis supplicijs affecerunt. Cumq; triginta ab hinc annis & supra Germania pene tota varijs vbique hæresum & sectarū nouarū concussa sit fluctibus, opera tamen & vigilantia illustrissimi, & humanissimi Cardinalis, Principis & Episcopi ipsius Christophori Madrutij, & aliorū qui eum antecesserunt, religiosissimorum antistitum, in ea, quam illibatā seruauerat à sua conuersione, fide immota perseuerat & quæ sunt religionis nostræ, sicut cæteri populi Christiani, firmiter & constanter sectatur ac tuetur.

S. Vigilii laudes.

S. Simonis martyrium.

Constantia in fide.

Quò aūt nomen illius inmortale esset & in æternū commendaretur posteris, ad hæc tam multa ipsius præconia, & nunquā intermorituras laudes, nouissimis his diebus hoc tanquam auctarium accessit. Ibant iam res pene omnes Christianæ in præcipitiū, & grādem in dies singulos minabantur ruinam. Et ecce ex mandato summi Christianorū omniū præsulis, & sedulis atq; obnixis studiis potētissimi nostri Imperatoris, & Christianorum aliorum Regum & Principum,

sicut

ſicut ad fidiſſimum & tutiſſimum portum, Tridentum Eccleſia tota pro ſalute omniũ conuocatur, & ibidem œcumenicũ Concilium magna omniũ fideliũ lætitia & ſpe, diuinis auſpicijs celebrat.

Etymologia Tridenti.

Quærant alij quorũ intereſt, & diſputent curioſius, cur illam Tridentũ ſui conditores appellauerint. Ego Tridentũ diuina prouidentia nuncupatam auguror, quod ſicut Neptunũ fabuloſa antiquitas credidit, Tridente ſuo mare regere, & ſæuientes fluctus componere, ita Deus optimus maximus his nouiſſimis temporibus turbatũ huius mundi mare, & ſęuiſſimis hęreſum & corruptiſſimorum morũ fluctibus vbiquè concuſſum per eam velut per quendam Diuinum Tridentẽ ſtatuerit ad tranquillitatem reducere, ac fidem veram, & optima vitæ præcepta optatam pacem & quietem orbi Chriſtiano reſtituere.

Congratulatio ad Tridentum.

Exulta igitur, & gloriare toto pectore Tridentum in Domino, qui te tot prærogatiuis illuſtrauit, Agnoſce Diuinam in te magnificentiam. Paruula quidem es inter Germanas alias Imperij ciuitates, ſi ciuium & domorum tuarum numerum, & magnitudinem ſpectes. Sed nequaquam paruula es, immo omnibus pene illis, abſit iniuria verbo, multo certe auguſtior & felicior, ſi ad dona in te Dei adſpicias. Et vel vno hoc nomine ſupra omnes illas ſummo iure gloriari potes, quod tu illis leges dederis, tu illas inſtruxeris, tu illas docueris, & ad rectã fidem reuocaueris, vel certe in ea retinueris Ex te nanque in orbem Chriſtianum feliciter iam prodierunt pulcherrima & vtiliſſima fidei & morum decreta, quibus popul⁹ Dei ſaluberrime inſtruatur & regatur.

Sed vt aliorum decretorum iuſtiſſima encomia ſilentio nunc prætereamus, hæc erit profecto omnib⁹ in ſeculis eximia Tridenti laus, quod ab illa in totam Eccleſiam proceſſerit hoc clariſſimum & ſanctiſſimum decretum, quod doctrinam de iuſtificatione, multa hæreſum & obſcuritatum ſcrobe à noſtris allophylis oppletã, ſic purã & perſpicuam cunctis tradit, vt ſi vel illud vnum ob oculos habeatur, nemo poſſit, niſi ſponte ſua cæcutiat, viam, qua iuſtificari poſſit, ignorare. Planum quidem eſt, ſicut ipſum Tridẽtum, vbi eſt conditũ, ſed optimorum dogmatum feraciſſimum. Et vt nihil ei deſit ad ſimilitudinem Tridenti, teſtimonijs ſcripturæ & ſanctorum Doctorum, velut firmiſsimis & altiſſimis montib⁹, vndique eſt munitum. Sed hæc ſatis fuerit, pro expoſitione & confirmatione procemij, lectorem monuiſſe. Ad ipſum decretum, Deo auſpice, iam transeamus.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE NATVRAE AC LEGIS IMBECILLITATE, LIBER SECVNDVS IN CAPVT PRIMVM DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.



ANTIQVI illi procerę ſtaturę Gigantes ideo perierunt, & Philoſophi acerrimis ſuis ingenijs & falſa ſua doctrina tumidi, ideo ſtulti facti ſunt, quia naturę noſtrę exiguas & imbecillas vires neſcientes, in virtute roboreque ſuo ſunt gloriati, neq; poſuerunt Deum adiutorem ſuum. Et ea ratione plerique ex Iudęis veram iuſtitiam minime ſunt aſſecuti, quia ex virtute ipſa & iuſtitia ſuę legis, iuſtitiam veram quęſierunt. Atque à Deo ſoli illi iuſtificari ſunt meriti, vereq; ſapientes & poten-

potentes fuerunt, qui suę sibi infirmitatis conscij, ac proinde à se diffisi, in vna Dei gratia spem collocauerunt suam. *Arcus fortium superatus est*, verissime cecinit Anna, *& infirmi accincti sunt robore. Et cognitio*, vt aiunt, *proprij morbi, initium est salutis.* 1. Reg. 2.

Quare decretum hoc de iustificatione, commodissime profecto à naturę ac legis inbecillitate sancta Synodus est auspicata. Et in expositionem & confirmationem eorum, quę de his statuit, secundum librum eodem titulo, quo & capitulum ipsum pręnotatum hinc auspicabimur, precantes eum, qui nostrę infirmitatis dignatus est fieri particeps, sic communis conditionis & Mosaicæ legis fragilitatem dilucidam cunctis facere, vt ab eius vnius misericordia toti iugiter pendeamus. porrò verba decreti sic habent:

DE NATVRÆ AC LEGIS AD JVSTIFICANDOS HOMINES IMBECILLITATE.

Caput Primum.

PRIMVM *declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam probe & syncere intelligendam, oportere, vt vnusquisque agnoscat & fateatur, quod cum omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi & (vt Apostolus inquit)* natura filij iræ, *quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, vsq; adeo serui erant peccati, & sub potestate diaboli & mortis, vt non modo gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberari aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum & inclinatum.* Ephes. 2.

CAPVT I.

De diuisione Decreti, & huius primi Capituli sententia.

VT clarior esset omnibus, ac magis perspicua doctrina de iustificatione, & Christi fideles aperte noscerēt, quid de ea tenere & quid circa illam cauere deberēt, visum est Patribus, expedire, vt non solum in hoc decreto condemnarentur errores, qui illam & olim & hoc tempore, in plerisque obscurarunt, verumetiam pura quędam & syncera confessio doctrinæ de iustificatiōe, in primis & ante omnia traderetur. Itaque decretum in duas principales partes visum est partiri. Et in priori quidem veram & sectandam doctrinam de iustificatione, tradidere: in posteriori vero, cauendos circa eam errores docuerunt & digno eos, ne ab aliquo credātur, ferierunt anathemate. Quare priorem hanc partem merito appellare poterimus confessionem seu professionem veræ & certę doctrinę de iustificatione; posteriorem autem, condemnationem errorum circa hominis iustificationem.

Est vero prior ista pars seu confessio ita integra & omnibus suis partibus absoluta, vt ex ea cuiuis studioso possit constare, quid sit iustificatio, q̄ eius species seu partes, quæ causæ, qui effectus seu fructus, quæ illi cognata, & quæ aduersantia, quę necessitas illius, qui illius participes, qua via eā obtinere possimus, quomodo in ea proficere & perseuerare, quibus rebus eā perdere, & perditā recuperare valeamus, qualis certitudo de ipsa, & quæ perseuerantia in illa à nobis haberi queat. Non est autem in hoc decreto sermo de iustificatione, qua iusti facti sunt & amici Dei, tum angeli, tum protoparentes nostri in statu innocentiæ, tum Christus secundum suam humanitatē, qui iustificati sunt, cum nunquam ante fuissent quoquo modo inimici aut iniusti. Sermo tan-

Diuisio Decreti.

Summa totius doctrinæ de Iustificatione.

De quali iustificatione decretum tractet. Tria traditur in hoc c. mo tantum est hic de iustificatione, quæ hominibus competit post lapsum, cum ex iniustis & inimicis fiunt iusti & amici, vel ex iustis iustiores & cariores Deo. Atq; ideo primo quidem in hoc capitulo explicantur sex mala, quibus obnoxij sumus omnes per peccatum Adæ. Deinde imbecillitas ostenditur naturæ ac legis, ad liberandum ab his malis. Et tertio, nostrum liberum arbitriū extenuatum esse ex eade in præuaricatione, sed non extinctum fuisse, aperitur.

Atq; ex his, vt apertiora sint omnia, tres has cōclusiones possumus colligere. Prima. Omnes homines in præuaricatiōe Adæ innocentiam perdiderunt, & facti sunt immundi natura filij iræ, serui peccati, & sub potestate diaboli ac mortis. Secunda, Neq; gentes per vim naturæ, neq; Iudæi per naturam aut literam legis Mosaicæ liberari ab eis malis potuerunt, quæ ex transgressione Adæ contraximus. Tertia, Liberū arbitriū attenuatum est & inclinatum in omnibus hominibus propter Adæ peccatum, non autem extinctum. Et has conclusiones sic asseueranter diffiniuit sancta Synodus, vt in canone primo & quinto illis respondentibus, anathema indixerit negantibus secundam aut tertiam. Nam primam nihil fuit necesse sic hoc loco communire, quia in decreto de peccato originali, satis fuerat in quinta sessione roborata. Vt vero hanc totam doctrinam singulatim explicemus & ab Apostolis nobis traditam, & ab Ecclesia Catholica perpetuo retentā, & multos per eam & antiquorum & recentium hereticorum elisos errores doceamus, ab explicandis & confirmandis sex malis, quibus obnoxij asserimus, exordium sumemus.

CAPVT II.

Declarantur quatuor priora incommoda, quæ per peccatum Adæ incurrimus.

Sex damna secuta ex peccato Adæ. PRIMVM detrimentum è sex, quam Patres asseuerant, per peccatum Adæ nos incurrisse, est innocentiæ carentia. Statuit
1. enim Deus, vt peccante Adam, exosam haberet & inimicam totam ipsius posteritatē, & quam ei dederat iustitiam originalem pro ipso & tota eius progenie, mox vt ille peccaret, ab eo pro ipso & omnibus suis auferret. Atque ideo, sicut Adam innocentiā & gratiam, & iustitiam originalem perdidit propter suum peccatum, & nos etiam in illo hęc omnia perdidimus, & peccati illius participatione peccatores constituti sumus. Et statutum seu pactum hoc inter Deum & Adam, expressit Oseas illis verbis: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me.* Quia vero peccata sordidant & coinquinant peccatores, adiecerunt statim Patres, immundos nos esse effectos per præuaricationem Adæ. Et inde est illud iuxta translationem LXX. *Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super terrā.* Pactum inter Deum & Adam. Osee 6.

2. Incom. Iob 14.

Et quia *odio est Deo omnis iniquitas*, 3. addūt cum Paulo, nos incurrisse ex peccato Adæ iram Dei. *Mundi enim sunt oculi ipsius, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non potest.* Et vt iustissimus mundi gubernator & iudex, nullum malum relinquit impunitum, & mala culpæ, malis pœnæ compensat & ordinat. 3. Incom. Sapient. 14. Ephes. 2. Abac. 1.

Dicimur v. naturā filij iræ, vel quia verè & propriè & omnino sumus filij iræ, vt verbum, natura, exponit Theoph. vel quia ex natiuitate nostra vitiata, rei sumus & sic obnoxij iræ diuinæ. Salus enim, gratiæ est, sicut statim Paulus asseuerat: ira vero, naturæ corruptæ & natiuitatis nostræ. Et quoniam per peccatum iram Dei incurrimus, maledicto etiam dicimur fuisse obnoxij. Vnde & Cyrillus: *Per præuaricationem primi Adæ, maledictioni subiecti fuimus.* Quid sit, natura esse filios iræ. Theop. in cō. Ephes. Cyril. li. in Ioan. c. 2.

Quarto asseuerat sancta Synodus, incidisse nos in seruitutem peccati. *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est*, teste principe Apostolorum. Et Paul. dicit: *An nescitis quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem siue obeditionis ad iustitiā?* Et seruitus hæc peccati, grauis & ferrea est. Ab ea proficiscitur, vt in multis cæcutiamus, labamur, deficiamus, vincamur, & volentes nolentes in aliquibus seruiamus legi peccati, quæ est in membris nostris, neque vitare possimus omnes carnis concupiscentias. Et hanc huius seruitutis partem mirificè expressit Paulus, cū ait: 4. Incom. 2. Petr. 2. Rom. 6. Seruitus peccati.

Rom. 7. ait. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video aũt aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et hæc quatuor incommoda agnouit perpetuo & professa est Ecclesia, & tradiderunt nobis omnia illa Catholici Doctores, cum constanter & consentienter docuerunt, omnes filios Adæ nasci in peccato originali, & indigere baptismo vt mundentur & liberentur, & Deo reconcilientur. Et peculiariter de seruitute peccati, quam miseranda sit, & in multis peior seruitute corporali, poterunt videri Cyrillus l. 6. super. Ioã. c. 1. & Aug. tract. 42. in eundem.

CAPVT XIII.

Quod omnes homines constituti fuerint sub potestate dæmonis propter peccatum Adæ.

5. Rom. QVINTO sub potestate diaboli constitutos esse asserimus. Et idem in canone primo decreti de peccato originali, diffinitum fuerat ab hac sancta Synodo. Habuit dęmon propter peccatũ Adæ quoddam in hominem ius, non iure acquisitum, sed nequiter vsurpatum, iuste tamen à Deo ei permissum. Et hanc nostram sub eo captiuitatem sancta Synodus didicit à Christo, qui eum appellauit principem huius mundi, & fortem armatum custodientem atrium suũ possessoremq́; vasorũ. Nam si diaboli atriũ, mundus erat: & vasa, homines: & ille, princeps mundi: dominabatur vtiq́; ille aliquo modo in hominibus, & homines sub potestate ipsius erant. Et cum se solũ Christus
Ioan. 14. exceperit, dicens: *Venit princeps mundi huius, in me non habet quicquam:* insinuauit profecto, in reliquos homines aliquod ius dæmoni conuenisse.

Et ab hac captiuitate & seruitute peccati, ac per hoc etiam dæmonis, liberandos nos per seipsum, non semel explicuit Christus in Euangelio. Vnde & Clichtoueus in illa verba, *Et veritas liberabit vos*, bene admonet, quod cum apud Latinos authores liberare sit eripere aut eximere periculo, tamen in Euangelio est, liberos efficere, aut in libertatem asserere. Et Aug. in eadem verba: *Quid* Aug. tract. 40. & 41. in Ioan.
est, liberabit vos? Liberos vos facit. Et hoc apertissimum esse, dicit, ex Græca veritate. Docuit & istã captiuitatẽ Paul. cum de Deo dicit: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Et rursus de Coloss. 1. 2.
Christo: *Et ipsum*, scilicet chirographũ decreti, *quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam.* Et alibi, ipsum dæmonem ante mortem Christi, manifeste, dicit, habuisse mortis imperium. Hebr. 2.

Sed & prophetæ eandem captiuitatem tradiderant, cum & Christum sub nomine liberatoris & redemptoris permittebant, & fructum sui aduentus, redemptionem hominum prædicabant. *Confitemini Domino* Psalm. 106.
ait regius psaltes, *quoniam bonus quoniam in seculum misericordia eius: Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici de regionib cõgregauit eos: A solis ortu & occasu ab Aquilone & mari.* Et paulò post: *Confiteãtur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum: Quia satiauit animam inanem: & animam esurientem satiauit bonis: Sedentes in tenebris & vmbra mortis vinctos in mendicitate & ferro.* Et statim: *Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit. Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum: Quia contriuit portas æreas; & vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorũ. Propter iniustitias enim suas humiliati sunt.* Et sub typo Hierusalem loquitur ad vniuersalem Ecclesiam per quendam prophetam Dominus *saluabo claudicantem & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo.* Et in alio rursus: *Exulta satis filia Sion iubila filia Hierusalem. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator.* Et propheta idem ad regem & saluatorem omnium conuersus: *Tu quoque, inquit, in sanguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quibus verbis & captiuitatem nostram, & liberationem per Christum aperte professus est. Sed superfluum fuerit, plura testimonia in hoc congerere, cum ea passim occurrant in prophetis.

Sophon. 3. Matth. 21. Zachar. 9.

Quod autem & hanc ipsam captiuitatẽ sem-

Ecclesia captiuitatem nostrã semper credidit Bern. epist. 190.

semper tenuerit ecclesia, possumus probare testimonio D. Bernardi, (quod & testimonium eius est, qui hanc veritatem & irrisit & negauit) dum scribit ad Innocentium summum Pontificẽ de erroribus Petri Abailardi, hæc verba ex illo refert: *Sciendum est, omnes Doctores nostros post Apostolos in hoc conuenire, quod diabolus dominiũ & potestatem habebat super hominem, & iure eũ possidebat, ideo scilicet, quod homo ex libertate arbitrij, quam habebat, sponte diabolo consensit. Aiunt nanque, quod si quis aliquem vicerit, victus, iure captiuus victoris constituitur. Ideo, sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est filius DEI, vt homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis, iure liberaretur à iugo diaboli. Sed vt nobis videtur, neque diabolus vnquam ius aliquod in homine habuit, nisi forte, Deo permittente, vt carcerarius: neque filius Dei, vt hominem liberaret, carnem assumpsit* Hæc Bernardus ex Petro Abailardo. Quorum verborum blasphemiam, impietatem, temeritatem & arrogantiam, optimis & grauissimis verbis cõfutat & reprehẽdit Bernardus, & errorem illius, nouum appellat Euangelium, contra Christi, Apostolorũ, & Prophetarum testimonium ab eo confictum. Et in eo poterit quis legere responsiones ad argumenta præcipua, quibus Abailardus nitebatur.

Aug. ep. 105.

Vt in ore tamen duorum vel triũ testiũ stet omne verbum, adiungam & huic testimonio alterum clarissimi Ecclesiæ sideris Augustini, quod & testimonium totius Ecclesiæ censeri potest. Is itaq; Pelagianos, negantes peccatum originale paruulorum, in quadam epistola sic premit: *Circumstipantur diuinarũ authoritate lectionum & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptismate paruulorũ, vbi apertissime demonstrantur infantes & cum exorcizantur, & cum ei per eos, à quibus gestantur, renunciare respondent, a diaboli dominatione liberari.* Hæc Aug. Ex quibus manifestũ est, Ecclesiam semper agnouisse dominium diaboli in omnes, qui non eriperentur gratia Saluatoris à dominatu ipsius: & ex Græcis Basilius, in instructione quadam venientium ad baptismũ, gratia baptismatis à tyranide diaboli nos liberari affirmat & idem est in Concilio Florẽtino, ex consensu Græcorum & Latinorum, vt infra monstrabimus, diffinitum.

CAPVT IV.

Explicatur duplex potestas, quam dæmon in hominem acquisiuit per peccatum, & quod neutram ei in totum abstulerit Christus.

QVÆRET vero hic aliquis nõ incommode, cur sub potestate diaboli constituti esse dicimur per peccatũ Adæ? quod habuit dæmon ex hoc iure, siue ex hac potestate? quousque illa se extendit? per aduentum & passionem Christi perdiditne hanc potestatem? Quantũ assequi possum, ex hoc iure potestatem ille habuit in oẽs existentes in originali vel mortali peccato, vt si quidem in eo decederent, retruderet eos in infernum, vel in limbum puerorum. Atq; ideo sub potestate ipsius dicimur oẽs constituti fuisse per Adæ præuaricationem, & sub ea esse dicuntur, quicunq; sunt in mortali peccato. Et hanc potestatem clare tribuit dæmoni Gregorius in illa verba, Et liberabit vos de manu Philistim: nam cum exposuisset, in Philistim designatos esse dæmones, subdit: Quæ est manus Philistim, nisi potestas illa dæmonum, qua mortuas in peccato animas, ad æterna tormẽta perducit? Ab ista Philistim manu solus liber fuerat, qui dicebat; Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Hæc Gregor.

1. Con.

Duplex potestas dæmonis in peccatores.

Manus Philisthim, potestas dæmonis.

Sed & alterũ acquisiuit dæmon ex peccato Adæ, ratione cuius & sub potestate ipsius constituti esse dicimur. Nam per peccatũ Adæ factũ est, vt manentes in originali vel mortali, decipere possit frequentius, & in infidelitatem, idololatriam, superstitionẽ, & alia teterrima peccata potentius inflectere. Vnde & maximæ parti orbis, miris techis ante aduentum Christi imposuerat, & eam captiuam ad suam ipsius voluntatẽ tenebat. Et ob hanc causam, princeps mũdi huius appellatus est à Christo ipse diabolus vt eleganter persequitur Aug. in psalm. 54. Et Paulus eum & satellites eius, principes, potestates, & mundi rectores appellat, siue (vt significantius vertunt alij verbum Græcum, cosmocratoras) mundi dominos.

2. Con.

Quare diabolus princeps huius mundi sit appellatus à Christo.

Tertull. lib. 5. adu. Marcionem. Hil. in Psal. 118. in eum vers. Adiutor & susceptor.

Quod & Tertullianus ad verbum dixit, mundi tenentes: Hilarius, non ineleganter effictà vna composita dictione; mundipotentes.

Neque hanc, neque priorem potestatē in totum perdidit dæmon per aduentum Christi. Habet etiam nunc idem ius retrudendi, in infernum vel limbū, decedentes in originali aut mortali: & manentes in his peccatis, captiuos tenet ad suā ipsius voluntatē. Imminuta tamen est vehementer hæc secunda ipsius potestas per aduentū Christi. Eius quippe meritis factum est, vt non tanta, neque tot ei permittatur spiritualia nocumenta inferre, præsertim fidelibus, quanta ante ipsius aduentum. Et cum prius maximam partem orbis sub tenebris ignorantiæ victā teneret, prædicatione Apostolorum factum est, vt maxima quoq; pars orbis, abnegato illius regno, in regnū Christi transuolarit. Detectæ enim sunt illius technæ ad coruscationē Euangelij, manifestatæ nequitiæ & præstigiæ. Et impletum est ex parte, quod Christus de deiectione illius, & de direptione suorum vasorū ante prædixerat.

Greg. 17. moral. c. 18.

Vnde pulchre beatissimus Papa Gregorius, in illa verba Iob, *Et obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus*: *Cauernæ*, inquit, *huius colubri, corda sunt iniquorum. Quæ quia ad prauitatem propriam traxit, quasi in eorum habitatione requieuit. Sed obstetricante manu domini, tortuosus coluber de proprijs cauernis expulsus est, quia dum nobis diuina gratia medetur, is qui nos tenuerat, antiquus à nobis hostis eijcitur, sicut incarnata veritas dicit: Nunc princeps mūdi huius eijcietur foras. Vnde iam nunc sane nos omnes nō tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia non in eis intrinsecus regnat, contra eos pugnat extrinsecus. & quia intus dominiū perdidit, bella molitur foris.* Et de Christo statim in eundem sensum exponit illa verba Esaiæ: *Delectabitur infans ab vbere super foramen aspidis; & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Et tunc addit, coronari Dominū de cubilibus leonum, secundum quod in canticis dicitur, quando creditur vicisse dæmones, & eos expulisse de cordibus hominum, quos ad fidem vocauit & traxit.

Esaia 11.

Quādo Dominus de cubilibus leonum coronatus.

Diuus etiam Augustin. in epistol. 107. hunc in modum ostendit nos ereptos de potestate & rectore tenebrarum harum. *Intrat ipse mediator in domum fortis; id est, in hoc seculum mortalium; sub potestate diaboli, quantum ad ipsum pertinet, constitutum. De ipso quippe scriptum est, quod potestatem habeat mortis. Intrat in domum fortis, id est, in suo dominatu habentis genus humanum; & prius alligat eum, id est eius coercet & cohibet potestatē, potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasa eius, quæcunque prædestinauit, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, vt illo non impediente, credant in istum libera voluntate.* Hæc Augustinus.

Prædestinati vasa fortis.

CAPVT V.

Quod non habuerit Dæmon potestatem aliquam supra electos qui erant in sinu Abrahæ.

SVPEREST tamen hic dubium non contemnendum, an præter has duas potestates, quas super solos DEI inimicos habebat, decipiendi scilicet eos, & inclinandi in vitia, & retrudendi in loca perditionis in eorum obitu, habuerit etiam aliquam potestatem in electos, quam in totū perdiderit in aduētu Christi. Et posset quidem alicui videri probabile, habuisse dæmonem potestatem detinendi electos in sinu Abrahæ, quousque Christus pateretur & plene exolueret, & satis faceret pro pœnis, quas illi erant commeriti. Argumenta, quibus in hanc sententiam inclinari posset, quæ quidem mihi occurrerint, sunt hæc.

Non fuerunt electi perfecte redempti vel liberati à potestate dæmonis, vsque ad passionem Christi, sed indiguerunt semper ante illam redemptore & liberatore, neque prima iustificatio aliquibus satis fuit ad perfectam ereptionem ab hoc tyranno. Quare soli Christo dictum est, *Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, vt diceres his qui vincti sunt, Exite: & his qui in tenebris, Reuelamini.* Deinde: Non diripuit solum CHRISTVS à dæmone aliqua vasa, quæ hic habebat, sed diripuit etiam vasa aliqua, quæ habebat extra hoc seculum. Et enim aliàs nō fuisset opus, vt portas æreas contereret, & vectes ferreos

1. argumentum Electi ante passionem Christi egerunt redemptore.

Esaia 49.

2. argum. Quæ Christus eripuit à dæmone vasa.

con-

confringeret, sub quib. arctissime custodiebantur sancti Patres. Insuper: Habuit diabolus ante mortem Christi, teste Paulo, mortis imperiũ. Ergo mortui omnes transibant in eius ditionem. Qua enim alia ratione, mortis possit dici habuisse imperium, cum ille non habuerit potestatem inferendi mortem? Et in hunc sensum videntur Patres vsi hoc testimonio in hoc Concilio canone 1. de peccat. original. Et nisi hoc dicamus, nulla erit potestas, quam in totum perdiderit dæmon per aduentum Christi. Et videtur hoc sensisse Gregorius libr. 3. ca. 5. in 1. lib. Regum. cum illa verba, *Liberabit vos de manu Philisthiim*, ad liberationem à dæmone per Christum factum, transfert: *Tale est*, inquit, *ac si dicat: Liberabit vos de potestate spirituum malignorum, vt velut fugatis de itinere crudelibus hostibus, dum mors carnis interuenit, ea quæ cupitis æterna gaudia securius adeatis*. Et paulò post: *O quam maximum est, in vita huius transitu potestatem cruentorum spirituum non incurrere.*

3. Arg.

Quare diabolus dici turhabuisse mortis imperium.

1. Reg. 7. 4.

4. Arg.

His tamen non obstantibus, quæ nō erit valde operosum diluere, probabilius videtur, nullam talem habuisse dæmonem potestatē supra electos qui erant in sinu Abrahæ. Et hoc expresse fatetur Bernardus vbi supra, cuius sententiam possumus his argumentis firmare. Ratione peccati, vel originalis, vel mortalis, solum constituimur sub potestate dæmonis. Non enim alia ratione pateretur eum Deus cuiquam dominari. Et de primis parentibus nostris, vel ex his verbis decreti, quæ modo exponimus, constat, eos liberos fuisse, ante lapsum, à dominatu dæmonis: & per peccatū introisse in mundum dominium & ditionem ipsius. Ergo peccatis deletis, aut remissis, non amplius est dicendus quispiam sub potestate ipsius positus.

Nullam habuit dæmō potestatem in electos, manentes in sinu Abrahæ.

5. Arg.

Deinde: Per iustificationem de potestate dæmonis eripimur, & transferimur in regnum Christi. Iustificatis enim omnibus loquitur Paulus: *Gratias agentes Deo & patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorū in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū filij dilectionis suæ*. Et nō alio modo diripiebat Christus prædicatione sua vasa dæmonis, quā adducendo ad fidem verā, & iustificando ipsa. Et qui dixit immundū spiritum reuerti in domum suam vnde exiuit, cum eam inuenit iacentē, scopis mundatam, & ornatam, & fieri nouissima hominis illius peiora prioribus, satis indicauit exire dæmonem à peccatoribus, cum iustificantur: & redire ad eos, redeuntibus duntaxat peccatis. Vnde & Chrysost. de peccatoribus ait: *Abiecto peccato, non sunt amplius serui*. Et Basilius: *Liberamur ab amarulenta diaboli tyrānide, dum liberati sumus à dominio peccatorum.*

Iustificatio eripit nos à dæmonis potestate.

Chrys. hom. 51. in Ioan. Basil. lib. 1. de Bapt.

Insuper: Nullus potest simul esse sub potestate Christi & dæmonis. Neque stat, quempiam simul spectare ad regnum vtriusque. Nam sunt regna longe inter se diuersa. Et Paulus cum dixit, nos ereptos esse *de potestate tenebrarum*, vt hoc explicaret, mox adiecit, *Et transtulit in regnum filij dilectionis suæ*. Et alibi dicit: *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Cum ergo iusti omnes, amici sint & filij Dei, & ad regnum ipsius spectent, & sub dominio illius militent, nequaquam verisimile est, eos etiā esse sub potestate tanti tyranni, & tam sæui hostis gloriæ Dei.

3. Arg.

Coloss. 1.

2. Cor. 6.

Accedit his, q̄ dæmon appellatur Princeps mundi huius, & rector tenebrarum seculi huius. Electi vero, sicut docet Paulus, sunt filij lucis, & filij diei. & Christus clare asserit eos non esse de hoc mundo. Non habet etiam dæmon potestatem super animas Purgatorij. Exaudit nanque Deus Ecclesiā orantem: *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* Et longe ille abest à Purgatorio. Et qui de hac vita cum gratia exierunt, viriliter eum vicerunt, & gloriosum de illo triumphum reportarunt, non amplius illi subiecti esse existimādi sunt. Multo ergo minus potestatem aliquam habuerit dæmon super electos, qui erant in sinu Abrahæ, & plene iam pro omnib. proprijs peccatis satisfecerant.

4. Arg. 3.

Animæ purgatorij liberæ a potestate dæmonis.

Præterea: Electi qui detinebantur in sinu Abrahæ, non patiebantur aliquam pœnam cui inferendæ opus esset ministerio dæmonū. Soli enim pœnæ damni obnoxij erant. Et ad eam satis erat, Deum non se illis præbere videndum. Neq; in ea pœna vel inferenda, vel mitiganda, vel auferenda vllum

5. Arg.

BIBLIOTECA PAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ios dæmon habuit. Superuacuum igitur est, talem ei & tantam tribuere potestatem.

6. Arg. Adhæc: Non dæmon, sed angeli iustorum animas in sinum Abrahæ deportabant, vt aperte constat ex historia Lazari mendici. Ergo neque ille erat, qui sanctos Patres in sinu Abrahæ detinebat. Nam si ius habuisset eos ibi detinendi, habuisset & eo deportandi. Itaq; in existentes in peccato originali vel mortali, ius habuit dæmon, & habet, & non vtcunque, sed tale, vt vasa etiam & arma ipsius, & possessio eius merito dicantur. Iusti tamen, quandiu perseuerarunt in iustitia, neque in hoc seculo, neque extra illud sub potestate illius fuerunt. Quare consulto nostrum decretum non alios, quam obnoxios peccato, constitutos esse tradit per peccatum Adæ sub potestate diaboli.

CAPVT VI.

De sexto incommodo, secuto ex peccato Adæ.

SEXTVM detrimentum, quod per peccatum Adæ affirmamus incurrisse, est reatus ad mortem. Et hoc patet ex lege illa diuina *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.*

Gen. 2. *In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quid est aliud, *Morte morieris*, quam

Phrasis hebræa. quod periti phrasium Hebraicarum apertius exponunt, Certò certissimeque morieris & reatum incurres inevitabilē mortis: In hæc autem mala omnia, & alia, quæ sub his comprehenduntur, dicimur incidisse per præuaricationem Adæ, quia peccante Eua, & perseuerante in iustitia Adam, nullum talium malorum in nos redundasset. Non enim cum Eua, sed cum Adam factū est pactum de nostra iustitia, si ille perseueraret in iustitia: & de nostra inimicitia & peccato, si quidem ille prætergrederetur mandatum Domini: Quod quidem satis patet ex verbis Oseę Pauloque ante citatis.

Quia tamen non vsquequaq; est certum inter doctores, an hæc mala in nos Adam

Cur nomine præuaricationis vsi sunt Patres. transmiserit per superbiam suam, vel per nimium & immoderatum amorem suæ vxoris, vel per voluntatem comedendi de ligno vetito, vel tandem per ipsam sumptionem & manducationem illius, vt locus esset disputationibus scholasticis, neq; de rebus incertis certa vsurparetur aut ferretur sententia, prudenter visum est Concilium verbo generali præuaricationis: ex quo tantum possumus colligere, non fuisse in nos trāsfusum peccatū originale per omissionem alicuius præcepti affirmatiui, sed per transgressionem alicuius negatiui. Præuaricatio enim, transgressio est positiuæ legis.

Et in his imitati sunt Patres Paulum, qui ad Romanos huiusmodi generalitate vtitur, & validissime totam istam doctrinam confirmat. Et ex eo constare poterit, Apostolos ita docuisse, & tradidisse nobis, sicut hic tradit sancta Synodus. Ait ergo: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerūt.* Et paulo post: *Vnius delicto multi mortui sunt.* Et statim, *Iudicium ex vno in condemnationem.* Et mox, *Vnius delicto mors regnauit per vnum.* Et rursus, *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Et iterum, *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Et paulò posterius, *Cum peccatores & inimici essemus, reconciliatos nos dixerat Deo per mortem filij eius, vt iustificati sanguine ipsius, salui essemus ab ira per ipsum.*

Ex quibus omnibus patet, Paulum non nisi generalibus vocabulis, peccati, delicti & inobedientiæ, fuisse vsum. & vnius præuaricationi imputasse, quod innocentiam perdidimus, quod immundi facti fuimus, quod iræ & inimicitiæ diuinæ obnoxij facti sumus & potestati & regno mortis addicti. Et Concilium Mileuitanum aperte asserit, paruulos recentes ab vteris matrum, baptizandos esse in remissionem peccatorum, vt regenerationis lauacro expietur macula originalis peccati, quam ex Adam trahunt. Et expresse asseuerat Ecclesiam catholicam vbiq; diffusam, semper ita intellexisse hunc locum Pauli statim citatum, vt ex eo constaret, etiam paruulos, qui nihil peccatorū in semetipsis committere potuerunt, generatione traxisse, quod regenerati mundentur. Et ibidem capite primo asseritur, ex peccato accessisse Adæ reatus

Concil. Mileuit. ca. 2. Paruulos baptizandos in expiationem originalis maculæ.

mor-

mortis, & nisi peccasset, nūquam eum moriturum.

Et probauit hæc sancta Synodus & confirmauit per omnia, vtrumq; istorum Canonum in decreto de peccato originali. Et in hac tota doctrina nihil, quod sciam, à nobis dissentiunt Lutherani. Constanter vbiq; & satis nobiscum consentaneè illam docent Protestantes in suis confessionibus apologijs, & libellis alijs. Damnati vero sunt in hac Patrum diffinitione Pelagiani, Armeni, Albanenses, & alij, si qui fuerunt qui negarunt peccatum originale. Nemo tamen sub hac conclusione intelligat, comprehensam esse Deiparam virginem. Ideo enim Concilium in huius conclusionis assertione remisit se ad decretum aliud de peccato originali, quod in quinta sessione ediderat: quia in illo clare explicuerat, non esse intentionis suæ, comprehendere eam sub lege illa vniuersali.

Hæretici negantes peccatum originale.

Et propterea in hoc decreto generalem doctrinam de his tradidit vt doceret, quid consecutum fuisset, quantùm fuit ex ipso peccato Adæ, in omnibus eius posteris secundum naturalem propagationem, & omnes nos indiguisse misericordissima iustificatione. Quod & de beatissima virgine verum est. Quamuis enim, vt aliàs probabilius faciemus, non contraxerit peccatum originale, verissimum tamen est, eam indiguisse redemptione & iustificatione, non minus, immo magis, quam si vere contraxisset peccatum originale. Sed hæc satis poterunt esse ad primæ conclusionis, quam capite 1. statuimus, explicationem & confirmationem. Et idonea abunde sunt, vt agnoscentes quantis malis obnoxij concipiamur & nascamur non superbiamus non insolescamus, sed humiliemur iugiter sub omnipotenti manu Dei, qui vnus potest nos de tantis miserijs eripere, quemadmodum sequentes & communiores doctrinam Patrum in secunda conclusione, quam in principio huius libri præmisimus, iamiam monstrabimus.

Caruit originali virgo, sed indiguit redemptione.

CAPVT VII.

Inefficaces esse naturæ vires ad liberandum à malis, ex peccato Adæ contractis.

TANTA est & tam insanabilis plaga, quam Adam sua præuaricatione toti suæ posteritati inflixit: tam graue iugum, quod ille nobis suis filijs imposuit: tam dura seruitus, vt mox Patres subiecerint, neq; per naturæ vires, neque per legis literam potuisse quempiam nostrum ab eis malis liberari, in quæ venimus per illius peccatum. Et imbecillam esse naturam nostram, & eneruem, ac prorsus inefficacem ad liberandum à tantis miserijs, duplici via confirmare possumus.

Impossibilis naturæ seruatio mādatorum.

Primo quidem, quia ad iustificationem requisita est seruatio mandatorum diuinorum, & post lapsum Adæ, nemo nostrum ex solis viribus naturalibus ea seruare potuit. Qua in re communiter semper conuenerunt doctores Theologi, & antiqui, & Scholastici. Et falsò eis oppositum imponit Philippus in Apologia confessionis Augustanæ. Et hoc luculenter ostendimus in opusculo de iustificatione, tum apertis scripturæ testimonijs, tum ex Innocentio huius nominis I. in responsione ad Mileuitanum Concilium, & Carthaginense, & Cælestino I. cap. 10. primæ suæ Epistolæ, & ex Cōcil. Mileuit. & ex quodam Carthaginensi, ab eodem approbatis, & multorum Doctorum sanctorum, sed præcipue Augustini & Hieronymi attestationibus, & nonnullis validissimis argumentis.

1. Argum.

Calumnia. Melancht. in Scholast. q. 6.

Secundo: Nulla opera nostra, quantumcunque præcellentia & perfecta, promereri possunt remissionem peccatorum nostrorum. Indigna quippe sunt gratia & iustificatione diuina, & tanto beneficio diuinæ misericordiæ longe inferiora. Et nisi gratis ille & ex misericordia nos iustificet, & sibi reconciliet, & ad suam gratiam recipiat, quis nostrum vim ei inferre queat? quis iure tantam gratiam postulare audeat? Liber ille est ab omni lege, & neminem tenetur iustificare. Et peccatum quoduis vel originale, vel mortale, dignum est perpetua ira & inimicitia diuina.

2. Argum. Indigna opera nostra gratia.

Et hoc est, quod Patres contra Pelagium &

Digitized by Google

& Cælestium in Concilio Palæstino & Arausicano secundo prætenderunt. asserentes nemini dari gratiam, aut remissionem peccatorum secundum merita. Quod & nos apertissimis scripturæ locis, & ex Hieronymo, Ambrosio, Augustino, multisque fortissimis argumentis perspicuum fecimus, & ab argumentis quæ contra fieri poterant, latissime defendimus in libello de iustificatiõe. Quemadmodum autem Paulus dicit, *Si ex lege est iustitia gratis Christus mortuus est:* ita pulchre & verissime dicit Augustinus, *Si per naturam iustitia, gratis Christus mortu⁹ est.* Et vel vnum illud Pauli testimonium, in huius veritatis confirmationem satis esse potest. *Si gratia, iam non ex operibus. Alioquin gratia iam non est gratia.* Transeamus itaque ad ostendendam legis veteris infirmitatem.

Galat. 2.
3. Argum.
Aug. de gratia & lib. ar. cap. 13. & epist. 108.
Rom. 11.

CAPVT VIII.

De legis Mosaicæ insufficientia ad iustificationem.

QVOD vero, vt Patres simul asseruerunt, neque antiquæ legis litera quenquam iustificare potuerit, aut à prædictis malis liberare, his possumus confirmare argumentis: Paulus ad Romanos scribit, impossibile fuisse legi, vt præstaret iustificationẽ, & ea causa missum esse filium Dei ad nos, vt quod lex non poterat, ipse cõcederet. Quod impossibile enim, dicit, erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filiũ suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnẽ ambulamus. Galatis etiam asseuerat, neminem in lege iustificari, & sub maledicto esse, quicunq; ex operibus legis sunt.

5. Argum.

Cum ergo certissimum sit, multos fuisse in veteri lege sanctos & iustos, & à Deo benedictos: relinquitur hoc vnum, his verbis docuisse Paulum, neminem per legem potuisse iustificari, & eos oẽs sub maledicto esse & fuisse, qui ea sola fecerunt, quæ per legem efficere potuerunt, & ab ea iustificationem suam expectarunt. Et hoc est, quod idem Paulus alibi dicit, *Lex irã operatur.* Et rursus de ipsa lege, vt Augustinus multis in locis, & Basil. lib. 1. de baptismate exponit, *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Et alias: *Si enim qui ex lege heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Si ex lege hereditas, iam non ex promissione. Si data esset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia. Si ex lege est iustitia, gratis Christus mortuus est. Euacuati estis a Christo, qui lege iustificamini.*

Roman. 4.
2. Cor 3.
Roman. 4.
Gal. 3. 2. & 5. cap.

Et quidem si pro dignitate expendantur epistolæ Pauli ad Romanos & ad Galatas, hic probabitur esse earum præcipuus scopus, vt ostendat, neq; per naturam, neque per legem potuisse quempiam iustificari, sed per vnum Iesum Christum. Ideoque illæ satis possunt esse, vt constet, hanc conclusionem nobis esse traditam à Christo, & ab Apostolis. Vnde & pulchre Rupertus, sacramẽta vestium summi sacerdotis edisserens, de duobus lapidibus Onychinis superhumeralis ita inquit: *Duo lapides, duo sunt populi temporibus quidem disiuncti, sed causa vel sacramento coniuncti, quorum Christus peccata in corpore suo pertulit. Neuter quidem aliter, nisi per Christi gratiam saluari, & vterq; vno eodemque portitore indiguit.* Hæc Rupertus.

Scopus epistolarum Pauli.
Rupert. lib. 4. c. 24. in c. 28 Exodi.

Sed vt constet etiam perpetuo tenuisse Ecclesiam Catholicam hanc legis Mosaicę inefficaciam, adijciam his alia: In Concilio Arausicano secundo sic legimus: Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur tanquam nõ acceperit: aut ideo putet se accepisse, quia litera extrinsecus velut legitur, apparuit, vel vt audiretur, sonuit. Nã sicut Apostolus dicit, *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Et verũ, eis, qui volentes in lege iustificari, & gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus: *Si ex lege est iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Iam hic enim erat lex, & non iustificabat: iam hic erat & natura, & non iustificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui dixit: *Non veni legem soluere, sed adimplere:* & natura per Adã perdita, per illum repararetur, qui dixit venisse se quærere & saluare quod perierat.

Galat. 2.
Matth. 5.

Neq; leuis habenda est horum canonum authoritas. Nam si bene inspiciantur acta illius concilij, potius censebuntur canones

Apo-

Apostolicæ Sedis, quam Concilij alicuius Prouincialis. Et hanc eandem sententiam docuerunt vno consensu Doctores Catholici, asserentes passim in suis scriptis cum Ioanne, legem per Moysen datã esse: gratiã autem & veritatem per IESVM Christum factam: & peculiariter Aug. & Cyrillus in hæc verba. Et Cyrillus de differentia legis & gratiæ Christi ibi multa disserit.

Ioan. 1. b.

Aug. tract. 3. Cyril. lib. 1. c. 21.

CAPVT IX.

Diluitur obiectio apparens contra assertam infirmitatem legis veteris.

Obiectio apparens.

DICET tamen aliquis: Si per legem nemo potuit iustificari, nullum ergo veteris legis sacramentũ, nullus ritus præceptus à lege, conferebat gratiã: & ex consequenti, omnes & paruuli, & adulti, qui vixerunt in veteri testamento, fuissent in peccato mortui vel mortali, vel certe originali. Nullum quippe huiusmodi peccatum deletum vnquam est sine infusione gratiæ.

Responsio.

Cur Patres dixerint, neminem per literam legis potuisse iustificari.

Hoc argumentum adeo male vrgebat quosdam Patres Cõcilij, vt putarent haudquaquam vere posse dici, per legem veterẽ neminem fuisse iustificatum. Si enim per sacramentum veteris legis, quale fuit circuncisio, paruuli circuncisi consecuti sunt remissionem originalis peccati, & iustificati sunt: quomodo, aiebant, negari potest, Iudæos potuisse per veterem legem iustificari?

Et tantum eorũ authoritas valuit, vt (ne videretur præiudicium fieri opinioni grauium authorum dicentium sacramintum Circũcisionis potuisse iustificare paruulos) coacti fuerint tandem Patres in eorum gratiam sic temperare sententiam, vt tantum dicerent, per literam legis neminẽ potuisse iustificari. Neque abhorret hic modus loquendi ab Augustino, qui in epistola quadam ideo dicit Apostolum iustitiam quę ex lege est, suam dixisse, quia lex per literam iubet, non per spiritum iuuat. Sed si ego per legem crederẽ potuisse Iudæos iustificari, crederẽ & per literã legis idẽ ipsum potuisse præstari. Litera quippe legis erat quæ sacramentum Circuncisionis pro paruulis, & fidẽ pro adultis præcipiebat. Et quanuis Paulus legis literã ab spiritu distinxerit, cũ dixit: *Litera occidit spiritus autem viuificat*: & eum imitati Patres, potuerint ea forma loquẽdi vti, qua hic vsi sunt, eundem tamen Paulũ & Concilium Arausicanum, in testimonijs iã citatis absolute video, & absq; vllo scrupulo pronunciasse per legẽ neminem potuisse iustificari. Neq; argumentũ in contrarium factum, tanti faciendũ est, vt propter illud vereri debeamus asserere, neminem, per legem veterem fuisse iustificatum. Quod si testimonia iã inducta sufficere nõ videntur, vt sic absolute loquamur, certe poterunt ab hoc nos scrupulo liberare, quæ ad Hebræos Paulus scribit: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, per singulos annos eisdẽ ipsis hostijs, quas offerunt indesinẽter, nunquã potest accedẽtes perfectos facere. Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent vltra cõscientiã peccati cultores semel mundati. Sed in ipsis commemoratio peccatorũ per singulos annos fit. Impossibile est enim, sanguine taurorum & hircorũ auferri peccata. Et paulo inferius subdit: *Et omnis quidẽ sacerdos præsto est quotidie ministrans & easdem sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata.*

Aug. epist. 106.

Potuerunt Patres dicere neminem per legem potuisse iustificari.

2. Cor. 3.

Heb. 10. a.

Ibid.

In quibus manifestum est, eum asserere, neque legẽ Moysi, neque vetera sacrificia potuisse quenquam sic perfectum facere, vt auferret ei peccata. Quod si hoc dixit de lege absolute, & de sacrificijs in particulari, quæ ad remissionem peccatorum erant instituta, idem ipsum & de omnibus alijs ritibus & cæremonijs, & de ipsa circuncisione credendũ est eum sensisse. Huc que accedit, quod Abraham per fidem dicit iustificatũ, & non per circuncisionẽ: & circuncisionẽ illius, solum appellat signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. Et alibi veteres ritus infirma & egena elementa generaliter pronũciat. Et quia prius testamentũ culpa non vacabat, ideo secundi locum inquisitum dixit.

Rom. 4. a. b.

Gal. 4. b. Heb. 8. b. Error Armenorum.

Non est tamen necesse, propter ista concedere, caruisse gratia, & in peccatis decessisse omnes & paruulos, & adultos veteris testamenti. Impietas hæc est Armeno-

Cap. 3.

rum,

rum, qui, teste Guidone Carmelita in summa de hæresibus, asseruerunt, omnes homines mortuos ante passionem Christi, damnatos esse, & in infernũ descendisse. Aliudque est; aliquos iustificatos esse: aliud iustificatos esse per legem. Primũ cõcedimus, secundum negamus. In circuncisione data fuit gratia paruulis, non tamen per eam, sed per fidem. Et in sacrificijs consequebantur persæpe Iudæi gratiam, non per ipsa tamen oblata, sed per fidem & bonos motus ipsorum. Et hanc differentiam docuit nos Cõcilium Florentinum his verbis: Sacramẽta nouæ legis multum differunt à sacramẽtis antiquæ legis. Illa enim nõ causabant gratiam, sed eam solam per passionem Christi dandam esse figurabant: Hæc vero nostra & cõtinent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Et licet circuncisio non fuerit ex Mose, sed ex Patribus, tamen cum non solum approbata & recepta, sed præcepta etiam fuerit à lege veteri, nescio cur non & inter sacramenta antiquæ legis debeat computari. Sed qui tenent cum Doctore Subtili, & plerisque Nominalibus, Circuncisionem ipsam contulisse gratiam paruulis, possunt & ad Paulum, & ad ista verba decreti nostri, & ad Concilium Florentinum & Arausicanum, si generaliter intelligantur, respõdere dupliciter: Primo dicent, non habuisse circuncisionem hoc à se, neque à lege, sed à Christi meritis præuisis. Et sicut dicentes cũ Paulo, fidem iustificasse veteres, non coguntur dicere, legem, quæ illam præcipiebat, quenquam iustificasse: non enim hoc fides habebat ex lege, sed à Christo, quem profitebatur: ita dicẽtes Circuncisionem iustificasse, non est necesse vt dicant legem iustificasse.

Conc. Flor.

Circuncisio inter sacramenta veteris legis debet computari.

Duplex euasio pro Scotist. & recentioribus scholasticis.

Et si bene perpendamus, quæ in proximo capitulo huius decreti statim asseruntur, apertum erit, tantum intendisse Patres asserere, neque per naturam, neque per legem potuisse sola ipsorum virtute absque aduentu Christi, cuiquã iustitiam præstari. Huc enim tendunt omnia, quæ his dicuntur, vt ostẽdatur mediatoris necessitas. Hic etiam vnus scopus fuit Pauli. Itaque si concedatur ab illis, habuisse veterem legem, vt per aliqua vel sacramenta, vel opera quæ præcipiebat, homines iustificarentur, neq; Paulo, neque nostro decreto aduersabuntur, qui dixerint, Circuncisionem potuisse gratiam cõferre. Secundo euadere possunt, dicentes & in Paulo, & in Concilijs allegatis, sermonem esse de iustificatione perfecta, quæ sufficeret ad faciendos beatos decedentes ex hac vita sine aliquo reatu propriorum delictorum: ideo asseri neque legem Moysi, neq; sacramenta vetera quemquã iustificasse, quia nulli veterum tanta est gratia per illa præstita, vt sufficeret ad regni cœlorum consecutionem antequam ipsius ianuam Christus passus reseraret.

1. Euasio.

Rom. 3. c. d.

2. Euasio.

Et quidem Concilium Florentinum sic esse exponendum, & sic etiam Paulum, & alia præcedentia Concilia interpretanda censuisse, possumus probare, quia dixit sacramenta veteris legis non causasse gratiam sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurasse. Gratia enim per passionem Christi veteribus danda erat quæ sufficeret ad consecutionem regni cælorum. Et quia lex noua Christum complectitur authorem & confirmatorẽ gratiæ, & paradisi fores reseratas habet, & gratiam ex consequenti per sacramenta præstat, quæ iustos decedentes sine reatu aliquo propriorum delictorum mox in regnum cælorum introducit, ideo dicere non debemus etiã de litera legis nouę, quod hic Patres verissime dixerunt de litera legis veteris, & de lege absolute potuerunt dicere. Explicemus ergo, quæ Patres de libero nostro arbitrio mox subijciunt.

Lex noua iustificat.

CAPVT X.

De attenuatione liberi nostri arbitrii per peccatum.

DVo tradunt Patres hoc loco de libero nostro arbitrio. Aiunt namq; attenuatum illud fuisse per peccatum, sed non extinctum. Et quidem attenuatum illud fuisse, apertè diffinitum est in Concil. 2. Arausic. tanquam conforme & per omnia consonum in sanctis scripturis & sanctis Patribus.

Nam

Can. 1. Nam si quis aiunt, per offensam præuaricationis Adæ, non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo dicit corruptioni obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur scripturæ dicenti, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*. Et *Nescitis quoniā cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obedistis?* Et *à quo quis superatur, eius & seruus addicitur*. Et can 8. *à recta fide docentur alienus, qui non asserit omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis infirmatum*. Et can. 13. *iterum dicitur, arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum*. Et can 25. subditur: *Secundū supra scriptas sanctarum scripturarum sententias, & antiquorum Patrum diffinitiones, hoc, Deo propiciante, & prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitriū, vt nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit*. Hæc ibi. Diffinitum etiam hoc fuerat ab hac sancta Synodo in decreto de peccato originali.

Ezech. 18. a. Rom. 6. c. 2. Pet. 2. d.

Sess. 5. can. 1. Luc. 10. d. Aug. 3. Hyp. Mag. 2. d. 25. c. 8. à q. 1. vsque ad 14.

Et frequenter generi humano aptant Doctores & peculiariter August. & Magister Sententiarum, hominem illum, qui descendit ab Hierusalem in Hiericho. Estq; illud iam velut Prouerbio iactatum, *Expoliatum hominem gratuitis, & vulneratum in naturalibus*. Et in confirmationem huius sententię adduci possunt omnia illa, quæ latissime disseruimus in opusculo de iustificatione, cum probauimus in hoc statu siue Dei speciali auxilio neque omnia posse nos implere diuina mādata, neque credere in Deum, sicut oportet, neq; diligere ipsum, aut dolere de peccatis propter ipsum, neq; perseuerare in Dei gratia, neq; præcellentia aliqua opera facere. Quæ quidē omnia potuisset homo, si quidem permansisset in statu innocentiæ. Aliàs non fuisset in eo natura nostra integra. Quamobrem D. August. iure queritur de Pelagio, quod non aperte fateretur liberum arbitrium in nobis esse infirmum & inualidum, donec sanentur omnes languores animæ. *non enim*, inquit, *pro infirmitate corporis precabatur*, qui dicebat: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Nam vt ostenderet pro anima se rogare, secutus adiunxit: Et anima mea turbata est valde*. Hæc August. Et si antecedentia & sequentia consulamus, videtur quidem ille sensisse, hunc errorem damnatum tum fuisse in concilio Palæstino, cum Patres coegerunt Pelagium anathematizare inter alios hunc errorem, Peccatum ipsum solum læsit, & non genus humanum.

Aug. epist. 106. Psal. 6. a.

CAPVT XI.

Quantum & quousque debilitatæ fuerint vires nostri arbitrij per peccatum.

NON sunt tamen vsque adeo imminutæ nostræ libertatis vires, vt nihil possimus boni facere cum sola generali influentia, nullum implere præceptum: nullum vitare peccatū, nullam vincere tentationē. Possumus etiamnum omnia ista, vt late disseruimus vbi supra, cum cōmuni scholasticorum sententia contra Gregor. Arimin. Imminutæ tamen in duobus sunt. Quia nec possumus modo cum solo generali Dei concursu omnia seruare mandata, aut omnia vitare peccata. Neque valemus quodcunq; præceptū implere, aut quodcunq; bonum opus facere, sed ea duntaxat quorum executio neq; magnam habet difficultatem, neq; eximiā laudem. Et leues quidem possumus vincere tentationes, nō autem fortes & vehementes, nisi Deus peculiariter adiuuet.

Damasc. 2. 4. Sed cum naturalia, teste Damasc. mansérint integra in dæmonibus, cur in nobis attenuatas dicimus arbitrij vires? Attenuatæ sunt arbitrij nostri vires in hoc statu, si cōferantur ad perfectionem, quam habuerunt protoparentes nostri in statu innocentiæ per naturam & donum iustitiæ originalis: non autem, si conferantur ad vires, quas haberet homo, in solis suis naturalibus creatus. Et respectu earum, perinde possent dici naturalia in nobis mansisse integra, ac in dæmonibus. Virium corporis imbecillitas, difficultas ad resistendum malis, & faciendum bona, quā in nobis experimur, & ipsa

lex membrorum, carnis scilicet rebellio ad spiritum, ex conditione est naturæ nostræ, & non ex aliqua mala qualitate transfusa in nos à Parentibus nostris, vt communiter docent scholastici contra Gregor. Arimin. & perinde, atq; in nobis, fuissent in omnibus creatis in puris naturalibus.

Nulla qualitas mala in nos ex Adam transfusa.

Iustitia originalis, donum naturæ.

Habent tamen hæc in nobis rationem pœnæ, quam nō haberent in creatis in puris naturalibus, quia Deus hos defectus naturales reformauerat per iustitiam originalem, quam perdidimus per peccatum. Et quia illa tantum data est ad reformandum defectus naturales, donū naturæ censetur: & quæ ab ipsa in homine fuerunt & fuissēt, dicuntur naturalia. Nam gratuita, vt distinguuntur contra naturalia, ea duntaxat vocantur, quæ perficiebant in ordine ad supernaturalia, vt gratia, dona Spiritussancti, & virtutes infusæ. Quia vero istis omnibus expoliatus est homo propter peccatū: perfectiones vero naturales non omnino ei ablatæ sunt, sed diminutæ, extenuatæ, nēpe quantum ad illud, quod habebant à iustitia originali, ideo expoliatus dicitur homo fuisse gratuitis, & vulneratus in naturalibus. In angelis autem nullus fuit defectus naturalis, cuius correctio vel reformatio, dono aliquo gratuito iustitiæ originalis indigeret: sed tota ipsorum perfectio circa naturalia, à natura ipsius erat: neque plus habuissent, neque minus creati in puris naturalibus: eaq; causa, illorum bona naturalia, dicuntur integra mansisse: nostra autē, diminuta esse & inclinata.

Et ex his possumus probare, liberum arbitrium non fuisse extinctum per peccatū: quoniam illud tantum perdidimus, quod per iustitiam originalem habebamus. Non tota vero libertas nostra ab ea erat, sed partim à natura. Commodum tamen erit, seorsum istud disserere, & altius rem totam repetere.

CAPVT XII.

De erroribus libero arbitrio aduersantium, & de authoribus illud defendentibus.

CVM diffinierunt, liberum arbitrium non esse extinctum per peccatū, manifeste damnarūt omnem hæresim negantium liberum arbitrium inesse hominibus. Et ne nouum quispiā autumet hunc errorē, qui olim fuerint de hac re damnati, quique modo eundem tueantur, paucis subnectā. Primo hanc hæresim, quod quidem scire potuerim, defenderunt Manichæi, qui nullam ponebant in homine potentiam ad vtrumlibet liberam, sed duas esse dixerunt in homine animas: alteram rationalem, ex bono principio conditam, & ex necessitate quæ bona & honesta sunt, operantem: alteram malam, sensualem, ab altero malo principio, quæ pari necessitate mala perpetrat. Et contra horum errorē antiquissimi tam Græci quam Latini doctores scripsere. Et peculiariter contra eos Augustinus librū edidit de libero arbitrio, vbi copiose disserit, causam delinquēdi, à propria voluntate nobis competere ab aliquo malo principio. Secundo vero liberum arbitrium nostrum negauit Priscillianus, pars videlicet Manichæi, qui homines fatalibus stellis alligatos esse dicebat, & damnatus est à Leone huius nominis primo, in episto. 91. quæ est ad Astoricensem episcopum, & in Concil. I. Braccarensi, can. 9. Et Hieron. in epist. ad Ctesiphon. dicit, eum seculi gladio & totius orbis authoritate damnatū. Et hunc errorem Priscilliani, defendit etiam (authore August. lib. de hæret. c. 35.) Bardesanes quidam, qui omnia humana fato adscribenda esse censuit. Tertio Petrus Abailardus tempore Innocentij III. omnia asseruit ex necessitate absoluta euenire, neque Deum ipsum aliter posse facere res quam facit. Quod quidem olim stupidi Stoici, Empedocles, Critolaus, Diodorus, & alij stulti philosophi docuerunt. Et secutus est Abailardum Ioannes Vuicleffus, damnatusque fuit eius error in Concilio Constātiensi sessione 8.

Hostes liberi arbitrij.

Aduersus Pelagium.

Non tamen continuerunt ista Martinū Lutherum, pestilentissimum nostræ ætatis hæresiarcham. Primo quidem asseruit, liberum arbitrium non se habere actiue ad bonum: postea vero proficiens in peius, negauit omnino liberum arbitrium. Et huius hæresis eum condemnauit Leo, huius nominis

minis decimus, vt patet ex bulla condemnationis ipsius, articulo 30. Porro eum secuti sunt in hoc errore Oecolampadius, Philippus Melanchthon, Carolostadius, Vrbanus Pellicanus, & plerique alij eiusdē factionis.

Verba autem Lutheri in responsione ad articulum illum, ne quis nos criminetur errorem hunc ei falso imponere, sunt hæc: *Liberum arbitrium post peccatum, res est de solo titulo, & dum facit quod in se est peccat mortaliter.* Et subdit: *Immo simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sine re. Quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia, vt Vuicleffi articulus, Constantiæ condemnatus, rectè docet, de necessitate absoluta eueniunt.* Hæc ille. Et tandem nomen ipsum libertatis expungere & abolere pergens, librum scripsit de seruo arbitrio.

Contra hunc errorem scripsere olim diuus August. Grego. Nazianzenus, Propser, Anselmus, Bernardus integros libros sub titulo, De libero arbitrio, vel, de gratia & libero arbitrio. Et nostra tempestate copiosissime eundem errorem confutarunt nobiles authores, Roffensis in articul. 36. confutationis Lutheranarum assertionum Ioannes Eckius in Encheridio, artic. vlt. 31. Ioannes Cochlæus in 2. lib. contra Philippum Melanchthonem. Ioannes Driedonis in libro de gratia & libero arbitrio, frater Alphonsus de Castro in lib. 9. suæ summæ aduersus omnes hæreses.

Sed vt veritas diffinitionis nostri decreti & aliorum Conciliorum, quæ citauimus, cunctis manifestissima sit, primo quidem testimonijs scripturæ, secundo testimonijs sanctorum, tertio apertis luminis naturalis argumentis eam confirmabimus. Et vt sub compendio aliquo habere possit lector omnia, quæ sparsim & diffuse in hoc argumento legimus, testimonia scripturæ ad quinq; locos communes reducemus, & contenti erimus, loca sanctorum Patrum, suppressis eorum verbis, citare.

CAPVT XIII.

Probatur libertas arbitrij nostri ex Scriptura.

PRIMO quidem potest liberum arbitrium nostrum conuinci, quia in multis locis scripturæ datur nobis optio, & electio, & permittitur vt vtrumuis ex duobus eligamus. In Deuteronomio Moyses proponit populo Israelitico, vt eligat benedictionem vel maledictionem. Iosue etiam proposuit eidem, an Deum sequi vellet, necne. In lege optio datur marito in voto vxoris. Dauid data est optio eligendi vnam ex tribus plagis. Hieremiæ præcepit Dominus, vt diceret populo suo: *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego do coram vobis viam vitæ & viam mortis: qui habitauerit in vrbe, morietur qui egressus fuerit, viuet.* Salomoni dixit Deus, vt postularet quodcunq; vellet. Susanna fatetur, angustias sibi esse vndiq;, & ignorare se quid eligeret, non dubitans vtrumuis suæ subesse potestati, & consentire malis senibus, & non consentire. Ecclesiasticus aperte dicit, ante hominem posuisse Deum vitam & mortem, bonū & malum, vt quod placuerit, detur & illi. Quæ verba etiam de homine post peccatum esse intelligenda, probauimus in opusculo de iustificatione.

1. Arg. pro lib. arbit.
Deut. 30.
Iosu. vlt.
Num. 30.
2. Reg. 24.
Hier. 21.
3. Reg. 3.
Dan. 13.
Eccl. 15.
q. 5.

Ad hæc, multa dicuntur in scripturis voluntariâ, multa voluntarie, & ex voluntate, & sponte fieri, & nostræ relinqui voluntati. In Exodo vocantur voluntaria dona, quæ obtulerunt viri & fœminæ Israel ad conficiendum tabernaculum. In Paralipomenon primo dicitur. *Si quis sponte offert, impleat manum suam, & offerat quod voluerit Domino.* Dauid dicit: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Et alibi: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Esaias: *Si volueritis & audieritis me bona terra comedetis.* Hieremias: *Si pœnitentiam egerit gens illa.* Ezechiel: *Si impius egerit pœnitentiam.* Christus Dominus & legifer noster, in Euangelio apertissime testatur nostræ subesse potestati obseruantiam mandatorum, sequelam ipsius, & perfectionē Euangelicam, dicens: *Si vis ad vitam ingredi. Si vis perfectus esse. Si quis vult venire post me, abne-*

2. Argum.
Exod. 35.
1. Paral. 29.
Psal. 118. 53.
Esa. 1.
Hier. 18.
Ezech. 18.
Matt. 19. 16.
Luc. 9.
Marc. 8.

get semetipsum. Paulus ad Philemonem scribit: *Vt non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.*

3. Argum. Gen. 4. Tertio, Multa dicuntur esse in nostra potestate. Ad Cain ait Dominus: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ioannes dicit, dedisse Deum potestatem credentibus, vt filij Dei fiant. Petrus Ananiæ dixit, etiam precium agri venundati in sua fuisse potestate. Paulus asserit neminem habere necessitatem, sed potestatem potius voluntatis suæ, vt seruet virginem suam.

Ioan. 1. Act. 5. 1. Cor. 7.

4. Argum. Quarto, Multa dicuntur in scriptura fieri à peccatoribus contra voluntatem & expectationem Dei de ipsis, & in multis dicuntur peccatores resistere Deo. In Exodo dicitur Pharao resistere Deo. In Actis dixit Stephanus Iudæis, semper eos restitisse spiritui sancto. In Prouerbijs: *Vocaui*, inquit, *& renuistis.* In Esaia: *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas.* Et per eundem ad Israel dicit, teste Paulo: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Ad Hierusalem ait: *Quoties volui congregare filios tuos sub alis, & noluisti?* Et in Apocalypsi de Iezabele: *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere.*

Exod. 10. Act. 7. Prou. 1. Hiere. 7. Esa. 5. & 65. Rom. 10. Matth. 23. Apoc. 2.

5. Argum. Quinto, Omnia docet Scriptura facere cum consilio, & vt passim in ea est videre, aliqua præcipit, alia prohibet: aliqua consulit & suadet, ab alijs dehortatur: aliqua laudat, alia vituperat: aliqua præmiat, alia punit. Omnis etiam scriptura, sicut docet Paulus, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Cũ igitur necessaria & naturalia, neque optioni nostræ permittantur, neque voluntati nostræ aut potestati subsint, neque voluntaria appellentur, aut ex voluntate & sponte fieri dicantur, neque laudem aut vituperium, neque præmium aut pœnam mereãtur: & si omnia necessario euenerint, superuacuum sit docere, arguere, corripere, erudire, præcipere, prohibere, consulere, dissuadere, intrepide possumus dicere, ex vniuersa scriptura posse colligi libertatem nostri arbitrij.

2. Tim. 3.

Tota Scriptura sacra testis libertatis.

CAPVT XIV.

Confirmatur libertas arbitrij ex testimonio Ecclesiæ Catholicæ.

NEQVE tantum Christus & prophetæ & Apostoli hanc veritatem nobis tradiderunt: sed & eam semper tenuit, Spiritu sancto suggerente, vniuersa Ecclesia. Et præter Concilia & diffinitiones Apostolicæ sedis, & integros libros de hoc iam citatos, hanc veritatem tradiderunt nobis Origenes libro tertio de principijs, cap. 1. Tertullian. lib. 2. aduersus Marcionem, & de Monogamia. Cypr. lib. 1. epistolar. epist. 5. & in tracta. de simplicitate prælatorum. Lactan. 2. Institut. ca. 9. Irenæus 4. lib. aduersus hæreses, ca. 71. Basil. in opusculo, quo probat Deum non esse authorem malorum, & in serm. quodam de lib. arbit. Chrysosto. homil. 60. in cap. 18. Matthæi, & disertissime in homil. quadam de conuersione Pauli. Theophylact. in parabolam de filio prodigo. Ambrosius lib. 1. de Iacob & vita beata. Hieron. ad Hedibiam, & in 4. epist. ad Damasum. Aug. de vera religione c. 14. & contra Fortunatum Manichæum in initio secundæ disputationis, & contra Cresconium Grammaticum lib. 3. c. 51. & 12. de ciuit. Dei, cap. 6. & hom. 29. super Ioannem, & epist. duabus ad Valentinum, videlicet 46. & 47. & epist. quadam ad Paulinum refert, in Concilio Palæstino damnatum Pelagium, quod diceret, non esse lib. arbit. si Dei indiget auxilio, & controuersia erat cum Pelagio de auxilio gratiæ ad iustificationem. Docuere & eandem veritatem Hilarius primo de Trinitate, Gregorius 13. Moralium, cap. 9. super illa verba Iob, Conuulnerauit lumbos meos. Hesychius lib. 1. in Leuiticũ super illa verba, Vesiculam vero gutturis & plumas &c. Cyril. lib. 3. cõtra Iulianum apostatam prope principium & 6. lib. prope finem, & 4. super Ioann. cap. 30. Athanasius in epistol. ad Roman. Damasc. 2. de fide orthodoxa, cap. 25. & 27. Anselm. de conceptu virgin. cap. 8. Magister sententiarum, & vniuersi scholast. in 24. d. 2.

Et his omnibus testimonijs & alijs, quæ studio-

studiosis horum sacrorum authorum vbiq; in suis libris occurrunt, libet suis verbis adijcere duo, ex quibus patebit, hanc fidem semper tenuisse Ecclesiam. Alterũ est Hieron. qui inter alia sic scribit ad Damasum Papam: *Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse quam illos, qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare. Vterq; enim aufert arbitrij libertatem. Nos vero dicimus, hominem semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur arbitrij.* Hucusq; Hieron. Alterum est testimonium August. in 3. Hypognost. *Liberum arbitrium inesse hominibus certa fide credimus, & prædicamus indubitanter.* Et tandem aperte subdit, nõ esse Catholicum, qui negauerit liberum arbitrium. Patet his verbis Augustinum & Hieron. veritatem hanc, vt certam totius Ecclesiæ doctrinam, tradidisse. Et Gelasius in concil 70. episcop. approbauit, quæ de arbitrio liber. tradidit Hierony. contra Ruffinum.

Hieron. in Explanat. Symboli.

CAPVT XV.

Ex lumine naturali ostenditur libertas nostra.

Lumen naturale indicat nos esse liberos. 1. Argum.

SED nihil profecto hic scripturis aut testimonijs sanctorum Patrum aut conciliorum opus est. Ipsa experientia & lumen nostrum naturale, manifeste nobis libertatem nostrã mõstrat. Neq; ego apertius mihi videor videre hos characteres, quos scribo, quam sentio meæ subesse potestati, eos scribere, vel non scribere. Et merito dicit Aristot. negantes liberũ arbitrium, non rationibus, sed verberibus esse cõuincendos. Et commodissimum esset, pertinaces hæreticos, vt resipiscerẽt ab hac insania, in pyram aliquam mittere, & rogare num possimus eos inde extrahere. Si enim dicerent, hoc non esse in nostra potestate, nihil est, quod nos parum pios in se esse querantur: si vero hoc dicant nostræ subesse potestati, iam re- acti pœna & tormentis, agnoscent nos habere liberum arbitriũ. Enimuero vnicuiq; potentiæ cognoscitiuæ suam Deus accommodauit ciuisdẽ generis & naturæ appetitũ. Cum igitur intellectus noster natura sua ratiocinatiuus sit in vtramque partẽ, vt ipsi in nobis experimur, erit & qui sibi respondet, rationalis appetitus noster, hoc est, voluntas, liber ad vtrumlibet, & natura sua in vtranque partem contradictionis indeterminata. Et quidem, qui tollunt nobis liberum arbitrium, quid nisi stipites & truncos nos faciunt? Vix profecto homines esse aut dici merentur, tam male de sua ipsorum natura meriti. Neque aliud agunt, quam omnia humana perturbare & confundere. Quis est locus orationibus, legibus, cõsilijs pœnis, præmijs, exhortationibus, dehortationibus, consultationibus, si nullum habemus liberum arbitrium? Pulcherrime sane August. *Si non est gratia, quomodo Deus saluat mundum; & si non est liberum arbitrium, quomodo Deus iudicat mundum? Si non est morbus, cur frustra medicus? Si ex nobis possumus, quasi ex nobis, cur dicit Dominus Sine me nihil potestis facere? Aut si nihil possumus, & nihil agimus, sed solus Deus agit, quid est ergo quod ait Paulus, Omnia possum in eo qui me cõfortat? & quomodo imperatur nobis, vt velimus & operemur, si non est in manu nostra quicquam penitus facere, aut secundum mandatum, aut contra mandatum? Cur laudamur quia fecimus? cur vituperamur quia non fecimus?*

Aristot. in Topic.

Argum. 2.

Argum. 3.

Aug. epist. 46.

Ioan. 15.

Philip. 4. 6.

Et vehementissimum omnino pro nostra libertate argumentum est, Quod si liberum arbitrium non habemus, nullum opus quantumcunque prauum, & rectæ rationi dissonum, peccatum erit. Quis enim peccat in eo, quod vitare non potest? Vnde & idem August. alibi: *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et paulo post: *Si non voluntate male facimus, nemo obiurgandus est omnino, nemo monendus. Quibus sublatis, Christiana lex & disciplina omnis religionis auferatur necesse est.* Hæc ille. Eademq; & ab illo in alijs multis locis, & ab vniuersa Ecclesia perpetuo tradita, inferius copiose docebimus Ipsosq;, qui liberum arbitrium negant in testimonium illius compellare velim Equidem si quæ quotidie in se experiuntur, attendant, volentes nolentes cogi possunt veritati isti attestari. Cur aliqua vel in vobis, vel in alijs damnatis? cur aliqua reprehenditis? cur aliqua carpitis? cur de famulis vestris, cur de ami-

Argum. 4.

Aug. de vera relig. c. 14.

Lib. 12.

Argum. 5.

amicis, cur de iniurijs aut damnis vobis illatis, per sæpe queri mini? Si fieri non possunt, quæ non fiunt, neq; vitari quæ fiunt, nemo vtrique vel in se, vel in alio, culpæ quidquam potest tribuere. Manifeste sane repugnat sibi Lutherus, cum in artic. 36. iam citato, adijciens errorem erroribus, subdit: Quomodo potest homo se ad bonum præparare, cum neque in potestate sua sit, vias suas malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur. Si viæ peccatoris malæ sunt, quomodo, inquit, non sunt in ipsius potestate? Potest contra Dei obedientiam esse, quod nostræ non subest potestati? Quæ ratio inobedientiæ aut culpæ potest esse, in eis operibus, ad quæ Deus ipse nos compellit?

Contradictio Luthe-ri.

Si igitur viæ peccatoris malæ sunt, & in eius erunt potestate. Tu tibi ipsi palam repugnas, cum & malas eas dicis, & tamen eius subtrahis potestati. Sed quid est quod addis, Nam & mala opera in impijs Deus operatur? Nunquid Deus peccati author est? Nunquid non omnia Dei opera bona sunt? Potest Deus fieri ipsius voluntati aduersari? Potest à lege & regula bonorum operum, quæ ipse met est, deficere? Si ipse operatur mala opera in piorum, & illi ea debuit non possunt, mala igitur non sunt. Si scribentis manus, bene scribendi esset regula: quidquid scriberet, bonum esset. Si pictoris alicuius manus, lex esset recte pingendi: omnia quę ille pingeret, bona essent: neq; habere possent defectū vllum, quem vel Momus posset reprehendere. Cum Deus ergo totius bonitatis lex & regula sit, perspicere est contradictio, ea esse mala, quæ ipse principaliter facit, nullo ipsi cooperante, qui possit illa deuitare, aut impedire. Qui possunt ab eo sic facta, non esse consona & conformia regulæ suæ? Si quæ Deus præcipit aut consulit, longissime à peccato sunt, quomodo possunt peccata illa cēseri, ad quæ Deus non tantum hortatur & instigat, sed etiam adigit & compellit? Iacobus, ipsa Dei bonitate admonitus dicit: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tētatur.* Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat: & tu non vereris

Nequeunt esse mala, Dei solius opera.

Similia.

Iacob. 1.

dicere, Deum esse authorem malorum, & ad ea non tantum tentare, sed necessitatem inferre? Hanc nimirum contradictionem vel stupidissimi Manichæi intellexerunt. Ideo certe malum principium commenti sunt, à quo vniuersa mala essent, quia intelligere non poterant mala esse, quæ fierent à bono principio & regula totius bonitatis. Atque ista de causa defecit Augustinus ad Manichæos, vt ipse de se dicit, & in eorum errorem impulsus fuit. Non enim quæ illius pietas & religio in Deum erat, tantam ei impietatem tribuere ausus est, vt author esset malorum. Et in hoc errore permansit, quousq; sibi diuinitus illuxit, vniuersa nostra peccata in nostras ipsorum voluntates esse referenda. Manifestissimumq; prorsus est, si libertas nostra negetur, necessarium esse in aliquod horum tuum incidere. Aut enim omnia nostra opera erunt bona, aut Deus erit præcipua causa omnium malorum, & ipsi soli ea imputabuntur: aut erit tandem aliquod malum principium, vnde omnia proficiscantur mala.

Aug. lib. 1. de lib. arbit. cap. 2. & ... Augusti. Manich. erroris assensit.

Hæc autem omnia, quæ & impia & absurdissima sunt, facile vitabimus, si libertatem nostram constanter tueamur. Nam qua parte liberi sumus, ita Deo in nostris operibus cooperamur, vt ab illis & deficere pro nostra libertate possimus. Atque ideo omnia operum nostrorū vitia & omnes defectus, iure nobis debent, & nullatenus Deo, imputari. Nos quippe sumus, qui ad mala opera, illius generali concursu abutimur, cum ille perinde, immo multo magis, paratus sit nobis ad bona cooperari. Et quemadmodum nemo imputat fabro homicidium, patratum gladio ab ipso bona intentione facto: nemo angelo motori orbium cælestium quod per eorum influxum multa mala faciamus: & vitium malæ ambulationis claudi, in detortam tibiam reijcimus: & vitium scripturæ exaratæ ab optimo scriba, in malam papyrum, aut in male temperatum calamum: ita prorsus nostra peccata non debent imputari Deo, qui auxilio duntaxat generali ad ea concurrit, sed nobis, qui deflectimus & claudicamus ab ipsius lege, atque influxum illius, in malum detorque-

Similia.

Cur Deus non dicatur causa peccati.

torquemus. Quamobrem licet nobiscum efficiat actus, qui intrinsecam & inseparabilem habent malitiam, nequaquam tamẽ, vt antiquiores Theologi probe monuerunt, causa peccati, seu au hor peccati censeri aut appellari debet. Idque hoc argumento confirmati potest: Quia in moralibus ille alicuius operis causa iudicatur, qui lege, consilio, fauore, ope, aut persuasu ad illud mouet. Deus autem tametsi, vt pleriq; Theologi probabilius sentiunt, voluntate & concursu suo velit ac faciat nostra nobiscum peccata, neq; præcipit tamen, neque consulit, neque suadet, neque præmiat, neque approbat illa.

In 1. d. 47. & in 2. d. 37.

Atq; e vt castius & reuerentius de Deo loquamur, neque pias aures offendamus, imitandi nobis sunt prophetæ & doctores sancti, qui hæc vbiq; Dei efficientiæ & voluntati subt ahunt, etiam si non ignorarent, neque folium arboris sine nutu eius cadere, & subsistere nihil posse, nisi ipse vellet. *Mane adstabo tibi, & videbo*, ait egregius psaltes Israel, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Et Salomon: *Similiter odio sunt Deo & impius & impietas eius*. Et Abacuk: *Mũdi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniqui atem non poteris*. Et per Oseam ipse dicit: *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. A nobilipsis est, quod deficimus, quod erramus, quod perimus. Ille semper stat ad ostiũ & pulsat, semper vocat, semper allicit, semper hortatur & instigat ad bonum Verissimeque dicit August. *Deo authore aut volente nemo fit deterior*. Et al bi: *Ad peccandum non adiuuamur à Deo, sed vt iusta omni ex parte agamus*. Et receptissima est illa Fulgentij sententia: *Deus non est author eius, cuius est vltor. Quis namque, nisi prorsus inhumanus & crudelis, ea vlciscatur aut puniat, ad quæ ipse hortatus fuerit, vel opẽ aut fauorem præstiterit?*

Psal. 5. Sap. 14 Abac. 1 Osea 13

Aug. lib. 83. q. quæst. 3. 1. de pec. me. cap. 5 Fulgent. lib. 1. ad Monimum circa medium.

Impia Melanct. verba.

Atque hinc patet, impia esse illa verba Melanchthonis in annotationibus super epist. ad Rom. Certum est, inquit, omnia à Deo fieri, siue bona, siue mala, non solum permittendo, sed & principaliter, & effectiue. Quemadmodum igitur confitemur, vocationem Pauli esse proprium opus Dei, ita & adulterium Dauidis, & sæuitiam Manlij, atq; etiam proditionem Iudæ, Dei esse propria opera oportet fateri. Et quamquam eundem errorem secutus est Bucerus, in illa verba Pauli, Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum: tamen impietas vtriusq; potest etiamnum acrius sic reuinci: Ad adulterium Dauidis, sæuitiam Manlij, & proditionem Iudæ, concursu tantum generali concurrit Deus, atq; vt ita dixerim, velut duci se passus est, cum omnes eos multipliciter ab eis peccatis dehortaretur, & deterreret. Paulum autem per se solum vocauit, & ad opera spectantia ad religionem & iustificationem, vt & ipsi fatentur, peculiari sua gratia nos inuitat, adiuuat, & extimulat. Multo igitur magis hæc, propria DEI opera dici debent, quã alia: immo hæc propria opera sunt Dei, illa proprie opera nostra.

Rom. 1

Quare summo iure sancta Synodus blasphemiam omnium istorum execrata, contra omnes illos pientissime sic in canone 5. statuit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permissiue solum, sed etiã proprie & per se, adeo vt sit eius proprium opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

CAPVT XVI.

Impugnantur tres quædam mediæ opiniones aduersantes nostræ libertati.

1. Opin.

COACTI istis aut similibus argumentis quidam ex Lutheranis, sic temperarunt sententiam, vt asserant quidem liberum arbitrium, sed passiue tantum, & non actiue, dicant nos habere in operationibus libero arbitrio subditis. Et alij rursus cum fateantur, nos habere liberum arbitrium, sed ad malum, non ad bonum. Estque de horum numero Oecolampadius in adnotatione quadam in homil. Chrysost. de conuersione Pauli. Alij autem qui magis ab erroribus sui magistri resipuerũt, cõcessere nobis libertatem arbitrij, sed ad bona naturalia, non ad moralia, aut certe non ad bona spiritalia, ad religionem & verum Dei cultum spectantia. Sed intelligere non possum, quomodo aliquid sit im-

Impug. 1. opin.

mediate in mea potestate, si respectu illius tantum me habeo passiue. Neq; quisquam dicit in sua potestate esse, vt in præsentia Solis lumine perfundatur, vel non perfundatur, aut in præsentia ignis calefiat, vel nõ calefiat. Et hoc non ob aliud nisi quia respectu luminis, vel caloris in nobis producti, tantum nos habemus passiue. Et si tantum nos habemus passiue in actibus li-

1. Cor. 3

liberi arbitrij, quomodo Dei adiutores à Paulo dicimur? quomodo aliqua permissa esse dicuntur nostræ optioni & voluntati? quomodo & Deo dicimur in aliquibus resistere ac plane contradicere?

Impug. 2. opin. & 3.

Quanuis autem, sicut iam docuimus, non ad omnia bona meritoria, vel spectantia ad cultum Dei & religionem, immo neq; ad omnia bona moralia nostrum liberum arbitrium sufficiat, sed gratia Dei speciali ad multa eorum indigeat, non est profecto negandum, nos habere in ea liberum arbitrium. Habemus enim libertatem respectu illorum, in quæ non sufficimus sine generali influentia. Et merito in Concilio Palæstino coactus est Pelagius, referente August. anathematizare hunc errorem, Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio Si nihil in ista possemus, neque vllam partem sibi in huiusmodi vindicaret liberum nostrum arbitrium, neque ista essent in nobis laudanda, neque digna præmio, neque ad ea nos inuitaret & exhortaretur scriptura: neq; illa præciperet aut consuleret, neq; nostræ subiecta esse voluntati indicaret, neque quisquam dignus esset pœna vel vituperio, quod vel ea omnia sponte sua intermitteret. Quorum omnium contraria, manifesta iam fecimus ex scripturis.

Aug. epist. 106.

Quod si ex libertate nostra non esset, vt quidam diuinæ motioni in suam ipsorum iustificationem assentirẽtur & cooperarentur, alij vero minime, cum Deus paratissimus sit omnes conuertere, & semper stet ad ostium cordis nostri, & pulset, cur non omnes conuerterentur & iustificarentur? Quæ causa etiam proxima assignari potest, ob quam Deus vni peccatori pœnitenti maiorem gratiam elargiatur, quam alteri, nisi quia vnus feruentius se in Deum con-

Apoc. 3

uertit & perfectius, quam alter? Hæc autẽ causa nulla est, si non ille feruoris excessus, ac proinde & nostra conuersio, nostræ subesset potestati. Equidem stultissimum est credere, Deum dedisse nobis libertatem in opera naturalia & ciuilia, & non in opera gratiæ & meritoria, cum ea potissimum ratione homines & angelos liberos fecerit vt essent, qui cum laude opera gratiæ exercerent, & ad suiipsius beatificam fruitionem peruenirent.

CAPVT XVII.

Respondetur ad argumenta aduersantium libertati nostræ.

SED non satis est nostra firmasse, nisi etiam & quæ obijciunt nostri aduersarij, diluamus: afferunt primo contra nos hæretici multa sanctarum scripturarum loca perperam intellecta: sed præcipua, & quæ aliquam habent apparentiam, sunt hæc: *Non est hominis via eius, neque viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est. Quid habes quod non accepisti? Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis: Perditio tua Israel ex te, tantummodo in me auxilium tuum. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.*

1. Obiect. Hier. 10 Ioan. 3 Ibid. 6 Iac. 1 1. Cor. 4 Rom. 9 Osea 13 Matth. 10

Verum omnia ista & alia similia, excepto vltimo, tantum probant, non sufficere libertatem nostram ad ea, quæ ad nostram salutem necessaria sunt. Excipio autem testimonium vltimum, quia respectu scientiæ infusæ fidelibus, vt tempore persecutionis sapienter & constanter respondeant, non diffitemur passiue se eos habere. Atq; idem fortassis nonnunquam erit & de eorum responsionibus. Secundo aduersum nos inducunt orationem Ecclesiæ, *Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum.* Et illud August. *Dum Deus remunerat merita nostra, coronat dona sua.* & Bernard. *liberum arbitrium tantum est capax salutis.* Et alibi idem ait, *Initium reuertendi ad Deum pœnitentia est, quam si-*

Responsio. 2. Obiect. Aug. ad Felician. Bern. libr. de lib. arbit. Idem serm. 1. de Pentec.

ne du-

ne dubio spiritus operatur non noster, sed Dei. Quibus verbis videtur actiuitatem omnem, respectu pœnitentiæ, nobis abrogare. Cyprianus etiam vt sæpe ex illo citat August. *Gloriandum*, inquit, *in nullo, quia nostrum nihil est.* Si nihil nostrum, nullam partem ibi habet libertas nostra.

Cyprian. lib. 3. testimon. ad Quiran. c. 4. August. de Tradest. Sanct. c. 3.

Sed apertius pro eis militat Canon. 13. Concilij 2. Arausicani, vbi sic legimus: Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit d ri, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* Et vrgent vere illa verba Augustini: *Liberũ arbitrium prono ad nequitiam lapsu fluit, & cum ad virtutis indolem, Dei auxilio deserente, nihil possit, ad genus omne peccati idonea fultum virtute subsistit.* Et alibi ait. *Liberum arbitrium ad bene pieque viuendum non valet, nisi voluntas hominis fuerit liberata.* Et in Enchir. c. 30. Libero arb. male vtens homo, & se perdidit, & ipsum. & li 3. Hypog Adam per velle malum, recte perdidit posse bonum, qui per posse bonum potuit vincere velle malum. Et de Spi. & lit. Liberum arbit. sine gratia non valet, nisi ad peccatum. Sed Ecclesia, Augustinus, Bernar. & Patres Concilij Arausicani sic loquuntur, vt ostendant insufficientiam nostram, & Deo præcipuè tribuenda esse bona nostra, non nobis: & Deum præuenire voluntatem nostram, non nos illum: & bona Theologicè non censeri, quæ ante acceptam gratiam facimus Et Aug. ipse se exposuit, non in alium sensum allegata dixisse, idq; copiose ostēdimus in opusculo de iustificatione. Arausicanum vero Concil. de libero arbitrio loquitur in ea perfectione, quam habuit in statu innocentiæ. Et amissum illud dixit, quia licet non fuerit extinctum, sed tantum infirmatum, vt aperte ibi fatetur, tamen non amplius inuenitur saltem ante acceptam gratiam, in ea integritate. Quomodo sæpe dicimus amisisse nos vires nostras, quando non manet pristinum robur in sua perfectione, licet aliqua earum pars nobis supersit. Atque Ecclesia verissime dicit, totum quod est optimum, Dei esse, sicut & Aug. alicubi ait: Viuimus recte, si totum Deo demus, non illi ex parte & nobis ex parte. Nam dum Deus & nos per liberum arbit. facimus aliquem actum meritorium, ipse quidem est præcipua causa meriti, sed totum meritum est ab vtroque, & à neutro totaliter. Et hæc docent Physici euenire, quotiescunque à duobus agentibus simul producitur aliquis effectus. Cum vero Bernardus dicit, liberum arbitrium tantum esse capax salutis, non negat, liberam nostram cooperationem necessariam esse ad salutem, sed duntaxat significat, non esse salutis capacia, nisi quæ habent liberum arbitrium. Sed vt pateat, hunc esse germanum sensum Bernardi, & nullibi magis pro nobis stare, quam hic, vnde exultare videntur aduersarij, ipsa illius verba subijciam: *Tolle*, ait, *liberum arbitrium: & non erit, quod saluetur. Tolle gratiam, & non erit, vnde saluetur. Opus hoc sine duobus effici non potest: vno, à quo fit: altero, cui vel in quo fit. Deus author est salutis; liberũ arbitrium tantum capax. Quod ergo à solo Deo & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu esse non potest accipientis, quam absque gratia dantis Et ita gratia operanti salutem, liberum arbitrium dicitur cooperari, dum consentit, hoc est, dum saluatur. Proinde irrationalis spiritus salutem minime capit, eo quod illi voluntarius consensus desit, quo Deo saluanti placide optemperet, siue iubenti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddendi gratias agendo.* Hæc Bernardus: Et si verba hæc quibus dicitur liberũ arbitrium tantum esse capax salutis, & salutem à Deo solo nobis, vel in nobis fieri, referantur ad gratiam gratum facientem, qua formaliter saluamur, verissimum est, nos passiuè duntaxat habere respectu salutis nostræ. Solus enim Deus nobis eam infundit. Fortius tamen instant 3. Si liberum habemus arbitrium, frustrare possumus scientiam & voluntatem diuinam. Si enim Deus me præsciuit celebraturum hodie Missam, & voluit me celebrare, & possum non celebrare, possum ergo frustrare scientiam & voluntatem diuinam. Quandoquidem possum facere oppositum eius, quod Deus sciuit & voluit. Et satis est, vt possit Petrus frustrare opinionem & voluntatem sui parentis de se, si possit ipse aliter facere, quam parens suus eum

Conc. Arausic. 2. c. 13

Ioan. 8

August. de Tradest. & grat. c. 9

Lib 2. cont. epist. Pelag. c. 5

c. 5.

Respon.

q. 12.

Aug. de bono pers. 2.

Bernard.

3. Obiect.

Responsio.

voluit facere, & credidit facturum esse. Sed qui hoc aduersum nos intorquent argumentum, parum aduertunt, idem ipsum argumentum contra libertatem diuinam ex æquo militare. Non sane magis potest ipse frustrare scientiam & voluntatem suam, quam nos. Si ergo quia sciuit & voluit me hodie celebrare, non possum non celebrare, neq; ipse poterit saluare, quem sciuit & voluit condemnandum: neque potuerit non creasse mundum, quem ab æterno & sciuerat se creaturum, & voluerat in initio temporis creare. Itaque, si argumentum istud concludat quod volunt, tollet & à Deo, & à nobis, & à toto mundo magnam istam libertatis perfectionem, neq; Deus per totam suam potentiam poterit creare aliquam creaturam liberā. Necessariumq; erit omnia ex necessitate absoluta euenire. Quo quid dici possit absurdius, aut in Deum contumeliosius? Dicendum igitur breuiter, optime stare, Deum sciuisse nos aliquid hodie facturos, & voluisse nos id facere, & tamen posse nos illud non facere, quia Deus potest facere, vt nunquam id sciuerit, neq; voluerit, sed prorsus oppositum. Verum hunc modum multiplicius & accuratius in 1. sententiarum, Deo dante enodabimus.

CAPVT XVIII.

Aperitur via conciliandi protestantes cum Catholicis.

Concilia-tio Prote-stantium cum Ca-tholicis.

QVONIAM vero studere omnes debemus concordię, & quacunque possimus via, omni vi & ope nostra veritati fauere, adijciam hic viam, qua nobiscum iam conciliari queant Protestantes. Si enim fateamur nos non habere sufficientem libertatem ad opera spiritalia, & spectantia ad religionem, nisi Deus adiuuet, & eos interpretemur hac ratione dixisse, non habere nos libertatem respectu talium operum, quia non habemus libertatem sine gratia Dei ad illa sufficientem: inuenta erit prorsus ratio, qua illi nobiscum, & nos cum illis, in hoc articulo conciliemur. Et quidem ita illos video per Dei gratiam à prioribus erroribus resipuisse, vt inter nos & illos nullam de hoc articulo iam esse putem controuersiam: Quia vt est videre in Apologia Philippi pro confessione Augustana, & in libro Imperatori oblato Ratisponæ ad componendum discordias, amplexati illi sunt mediam viam, quam & nos in opusculo de iustificatione secuti sumus: & sequentes Augustinum & Guillermum Parisiensem, concedunt libero arbitrio facultatem ad iustitiam Philosophicam & ciuilem, sed non ad spiritalem & diuinam, hoc est, ad opera externa legis, non autem ad opera interna legis: hoc est, ad opera spiritualia, quibus implentur vere præcepta primæ tabulæ. In quem sensum interpretor verba illa Philippi in locis communibus: Et ego nego vim esse vllam in homine, quæ serio affectibus aduersari possit. Non enim frustra adiecit verbum illud, *serio*. Et ita Basilius per liberū arbitrium resistere nos posse diabolo asseuerat, sed non penitus, nisi inuicta Dei potentia adiuuemur. Neque vsquam video illos, quidquid alij sentiant, negare arbitrio nostro facultatem ad huiusmodi opera spiritalia, quia nullam vim in hæc habeat, sed quia non habet sufficientem. Attenuatum itaque & inclinatum est nostrum liberum arbitrium per peccatum, sed extinctum esse, aut duntaxat passiue se habere respectu nullorum operum, debet dici. Idque magis patebit ex sequentibus aliquod capitibus & canonibus. Agnoscentes itaque tenuitatem & imbecillitatem naturæ nostræ & legis, & mala quibus addicti sumus per nostri primi parentis peccatum, studiose imploremus opem veri medici nostri, clamantes iugiter cum Dauid: *Adiutor meus es tu, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Neque tamen velut degeneres nosipsos abijciamus, aut contemnamus. Extincta non est arbitrij nostrij libertas. Et hæc quantulacunque antiquarum virium particula, quæ residua nobis est, magnos nobis potest cum Dei gratia afferre prouentus, & eximia & cunctis admiranda opera perficere. Nihil est, quod animum despondeas ô homo. Nulla vis creata vim tuo arbitrio, tametsi attenuato, inferre potest: nulla potestas te valet ad

q 12

Basil. serm. de lib. arb.

Cap. 5.6. can. 3,4,5,6.

Psal. 16.

pecca-

peccatum compellere. Omnia poteris, si velis, in Domino. Tantum, vt velis, opus est, neque tibi desis. Volenti nihil erit difficile. Paratus ille semper est ac promptus, ait pulchre Chrysost. ad saluandum hominem non inuoluntarium, neque non volentem, id quod sæpe dico, sed voluntarium, & hoc eligentem. Et nulli vnquam deest, qui pie ipsius numen & fauorem requirit. *Respicite filij nationes hominum*, inquit Ecclesiasticus, *& scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est.*

Chrys. hom. enim sr. Paul. — *Eccles. 2.*

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE DISPENSATIONE ADVENTVS CHRISTI, LIB. TERTIVS IN CAPVT II. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

NIHIL potest imbecilles & pusillos homines magis confortare, quàm diuitiæ illæ ineffabilis amoris, quem Pater cœlestis nobis ostendit, dum ad redimendos abiectissimos & ingratissimos seruos, filium suum è cœlis in terram misit. Appositissimè igitur sancta Synodus post expositam naturæ ac legis imbecillitatem, ne quispiam desperet, sed omnes in spem suæ iustificationis accendantur, de dispensatione & mysterio aduentus Christi pauca quædam edisserit. Ipsiusque benignissimi Saluatoris misericordia freti, in eorum explanationem & robur, librum tertium ab eis ipsis auspicabimur.

DE DISPENSATIONE ET MYSTERIO ADVENTVS CHRISTI.

Caput Secundum.

QVO factum est, vt cælestis Pater, Pater misericordiarum & Deus totius con- 2. Cor. 1.
solationis, Christum IESVM filium suum, & ante legem & legis tempore
multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa ple- Galat. 4.
nitudo temporis, ad homines miserit, vt & Iudæos, qui sub lege erant, redime- Rom. 9.
ret: & gentes, quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque
omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in san- 1. Ioan. 2.
guine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

CAPVT I.

Exprimitur sub Compendio sententia Patrum, & indicantur causæ aduentus filij Dei in carne.

SENTENTIA huius capitis, vna hac conclusione potest facilimè explicari. In tempore plenitudinis misit Deus filium suum, quem ante legem & legis tempore multis sanctis Patribus declarauerat & promiserat, & eum proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, pro peccatis totius mundi. Exprimitur tamen obiter causa aduentus filij Dei in carne. Et hæc causa, quæ patrem cœlestem mouit, vt filium suum mitteret, ipsius misericordia, & nostra necessitas fuisse asseritur. Vnde & velut corollarium proximi capituli infertur hæc conclusio hoc modo: Quo factum est, vt pater misericordiarum & Deus, &c. Cum

enim

enim neque per legem, neque per naturam possemus iustificari, Deus qui diues est in misericordia, cuique proprium est misereri, & nunquam deficere in necessarijs, prouidisse nobis dicitur mediatorem filium suum, cuius mer tis & intercessione, ipsi reconciliaremur. Est quippe misericordia, sicut dicit Augustinus, quædam alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua vtique, si possumus, subuenire compellimur.

Aug. 8. de ciuit. Dei, c. 5.

4. causæ finales aduentus filii Dei.

Possumusque ex obiter hic dictis colligere quatuor causas finales huius aduentus filij Dei in carne. Prima est redemptio nostra. Et hæc potest colligi ex illis verbis huius decreti, *Vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Redemit enim Christus precio sui sacratissimi sanguinis omnes nos à seruitute peccati, à captiuitate dæmonis, & à morte. Vnde & per quendam Prophetam dixerat: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Et Iudæos peculiariter redemit de maledicto legis, factus pro omnibus maledictus.

1. Causa redemption. Galat. 3.

Secunda causa est iustificatio, seu sanctificatio. Et hæc explicatur illis verbis, Et gentes, quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent. Nam licet prima causa aperiatur Iudæis, & secunda gentibus, vt responderent ista textui Paulino, ex quo desumpta sunt, tamen vtraque earum omnibus conuenit. Quod vt exponeret Paulus, alibi nomine omnium hominum de Christo IESV dicit: *Qui factus est nobis iustitia, sanctificatio & redempt o.* Tertia causa est adoptatio nostri in filios Dei. Et hæc exprimitur ibi, *Vt adoptionem filiorum reciperemus.* Cùm enim verbum esset filius Dei, factus est hom nis, sicut dicit Diuus Augustinus in illa verba, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, vt filius hominis fieret filius Dei. Et in hac causa clauditur apertio regni cœlorum, & beatitudo nostra. *Si filius, ergo heres,* argumentatur Paulus.

2. Iustificatio.

1. Cor. 1

3. Adoptatio nostra.

Galat. 4

Quarta causa est propitiatio nostrorum peccatorum. Et hæc in fine capituli apertè ponitur. Cum enim, vt iam explicuimus, omne genus hominum fecisset Adam sua præuaricatione inimicum DEO, & reum mortis & multarum aliarum pœnarum, statuit DEVS, sicut pulchrè docet Anselmus, nullum mortalium reconciliare sibi, nisi ob merita & iustitiam filij sui. Et licet reconciliatio nostra omnia ista in se claudat, meritò tamen ista distinguuntur. Distincta etenim sunt ratione, & si propitiatio perfectam reconciliationem, seu reparationem includat, separari posset reconciliatio à propitiatione. Et dum ista sic seorsum traduntur, quantum sit beneficium redemptionis, melius agnoscimus. Multas enim & vehementer varias in se gratias comprehendit.

4. Remissio peccatorum.

Anselm. lib. 1. cur Deus homo.

Merito etiam, istæ causæ hic sunt expositæ, & aliç de impletione legis, illuminatione secretorum mysteriorum, confutatione errorum, exemplo & ædificatione nostra extimulationeq; ad virtutē, & inflammatione ad amorem diuinum, quæ communiter assignantur, prætermissæ sunt, immo etiam ipsa potissima vltimata finalis, quæ est gloria Dei, hic dissimulata est, quoniam ad propositum iustificationis quatuor expositæ, satis erant, & ipsa vltimata finalis ex his satis innotescit. Magnæ quippe misericordiæ & bonitatis, & benignitatis diuinæ gloria est, vt seruum redimeret, eumque vilissimum & ingratissimum, filium ipsum suum nobis tradidisse. Vt tamen omnia, quæ in hoc capite dicuntur, aperta maneant: conueniens erit, aliquot dubia circa ipsa seorsum tractare.

Aliæ iex causæ aduentus filii Dei.

CAPVT II.

Quod tempus hoc gratiæ merito dicitur tempus plenitudinis.

ET primo quidem rogabit hic quispiam cur tempus aduentus Christi, vocetur à Paulo & à Patribus tempus plenitudinis. Quia in eo impleta omnia & consummata. Vnde & pulchre Augustin. illa verba Apostoli, *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est.* sic exponit, id est, *in illo sunt exhibitæ.* Et alibi: *In illo est, quidquid pro nostra salute firmatum est.* Hæc Augustinus. & Petrus aperte dicit, per Christum maxima nobis & preciosa promissa esse donata. Et summo quidem iure, tempus plenitudinis hoc tempus dicitur. Impletæ quidem in eo prophetiæ, pro-

1. Dubium.

Responsio.

Aug. citatur à Beda.

Plenitudo nostri temporis. tiæ, promissiones, figuræ aduentus, vitæ, & passionis Christi: impleta & in hoc tẽpore Ecclesia DEO ipso, qui inhabitare cœpit corporaliter in ipsa, nunquam illam vsq; ad finem mundi deserturus. Et quia Deus omnia implet, & cum illo qui omne bonum est, omnia bona, quocunque ille intrauerit, confluunt, impleta est per aduentum & inhabitationem ipsius Ecclesia & ditata scientia diuinorum mysteriorum, impleta gratijs, virtutibus, donis: impleta sacramentis impleta stupendis & omnino admirandis miraculis, impleta multitudine gentium, impleta sanctissimis & perfectissimis virtutum exemplis charitatis, obedientiæ, humilitatis, pœnitentiæ, paupertatis Euangelicæ, religionis, & aliarum virtutum: impleta martyribus, doctoribus, virginibus, monachis, & magnanimis honorum, diuitiarum, & voluptatum omnium mundi contemptoribus.

Et cum nihil olim ad perfectum adduxerit lex, data est Ecclesiæ perfectissima lex, gratiæ & amoris, data & perfectissima potestas ligandi & soluendi, ad regendum & perficiendum ipsam, data & admirabilis potestas transsubstantiandi panem in corpus, & vinum in sanguinem ipsius, vt nunquam deesset nobis plenitudo ipsius. Apertisque & reseratis paradisi foribus, impleri cœperunt paradisi ruinæ, & gratia viæ consummata & perfecta est, & esurientes & sitientes iusti, repleti sunt omnium bonorum abundantia & torrente voluptatis potati per visionem & fruitionem Dei, illis misericordissime collatas. Et quia omnia hæc bona tempore aduentus Christi nobis præstita, summo iure non contenti fuere patres, tempus hoc, tempus plenitudinis cum Paulo appellare, sed & beatam appellauerunt plenitudinem temporis.

CAPVT III.

De causis dilationis aduentus filij Dei.

2. Dubium. SECVNDO quæret aliquis, cur non ante hoc tempus venit filius Dei ad liberandum nos? Responsio. Desiderari conueniebat, & magnis & crebris gemitibus & suspirijs postulari rem tantam, ne vile esset tam grande beneficiũ. Et grauitatem peccati mortalis, & miseriæ, in qua eramus, oportebat nos prius nosse, vt deinceps cautiores essemus, & diuinæ in nos benignitati gratiores. Deducenda etiam erat natura nostra de imperfecto ad perfectum. Et quanto maior iudex & præcellentior medicus veniebat, tanto eum longior præconum series vt præcederet, par erat. Cur dilatus aduentus filii Dei.

CAPVT IIII.

Quod æqualitas filij cum patre, nihil praiudicat missioni filij.

PERCONTABVNTVR & id nonnulli, quare in Synodo asseritur pater misisse filium suum, cum æqualis sit illi? 3. Dubium. Non requirit missio, vt mittens, superior sit aut nobilior misso. Responsio. Sed satis est authoritas originis, quæ est in personis diuinis, vt pater dicatur mittere filium suum, & filius & pater Spiritum sanctum. Satis authoritas originis ad mittendum. Cum enim persona, quæ procedit ab alia, ab ea velut à suo principio productiuo habeat, quidquid habet, merito potest dici, & ab ea mitti, quotiescunq; ad nos venit. Habet enim à suo principio voluntatem veniendi ad nos multo verius, quam aliquis legatus habet à mittente ipsum voluntatem veniendi, quo mittitur. Quod si ista saltem authoritas originis necessaria sit ad missionem, vt probabilius faciemus, Deo auspice in 1. Sentent. necesse erit in verbis decreti, quibus dicitur pater misericordiarum & Deus totius consolationis, misisse ad nos filium suum & patrem & Deum notionaliter capere pro sola prima persona diuina, & non essentialiter pro omnibus personis diuinis: vel certe intelligendum erit decretum de filio Dei secundum suam humanitatem. Nam secundum eam, certum est, ab omnibus personis eum esse missum legatum ad nos. Vnde & ipse dicit. *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Esa. 48, 8

CAPVT V.

Potuisse aliter liberari sed non conuenientius.

DISQVIRI etiam valet, an potuerit aliter nostræ miseriæ subueniri? 4. Dubium. Non defue-

Responsio. defuere sapientiæ & potentiæ diuinæ multi alij modi. Nam vt alios modos taceamus potuit profecto condonare nobis omnino gratis nostram culpam, nihilque suæ iustitiæ, si id fecisset, præiudicasset. Liberrime namque omnia, quæ ad extra sunt, facit, & nulla eum ratio cogit suas offensas vlcisci. Absurdumque est, eius potestati, qui summe misericors est, ea subtrahere, quæ cu q; nostrum subsunt. Neque tantæ fuisset misericordiæ aduentus filij Dei ad redimendum nos, quantæ cer o scimus eum fuisse si non potuisset aliter pater æternus nostræ miseriæ succurrere sine præiudicio suæ iustitiæ. Sed vt optime differit Augustinus, nullus profecto modus fuit nostræ miseriæ sanandæ congruentior. Nullo enim alio modo potuerunt nobis magis patere viscera misericordiæ Dei in nos, nullo magis nobillitati natura nostra, nullo magis allici ad DEI & proximorum amorem, nullo melius & plenius omnium exempla virtutum doceri, nullo potentius & sapientius ab omni miseria nostra, & à potestate dæmonis liberari, neque denique aliter verius & copiosius pro omnibus delictis nostris potuimus patri ad condignū satisfacere. Esto enim pura creatura potuerit Deo ad condignum pro nobis satisfacere, vt plerique scholastici authores, & maxime Scotistæ contra beatum Anselm. & contra magistrum, S. Tho. & S. Bonauen. & alios differunt, dubitari tamen nequit, quin verius ad condignū, & plenius Christus pro nobis, omnibus satisfecerit, quam potuisset vlla pura creatura, etiam concessa illi infinita gratia.

Potuit Deus gratis donare delicta.

Aug. 13. de Trin. c. 10

CAPVT VI.

De prophetiis & promissionibus aduentus filij Dei.

3. Dubium. VERVM illud exactius & aliquanto diligentius necesse est inquiramus, quibus patribus ante legem & legis tempore, declaratus est & promissus aduentus filij DEI in carne. Et vt altius atq; (vt aiunt) ab ouo rem istam ordiamur, primo illud video ab omnibus receptum, reuelatum fuisse aduentum filij DEI & prædictum

1. Conclusio.

Adæ ante lapsum, eo videlicet tempore, quo cum magno & vehementi sopore opprimeretur, de ipsius latere formata est Eua & huius sententiæ aperte est D. Hieronym. in illa verba, *Sacramentum hoc magnum est.* Vbi sic scribit: *primus homo & primus vates Adam, hoc de Christo & Ecclesia prophetauit, quod reliquerit Dominus noster atque Saluator Patrem suum Deum & matrem suam cœlestem Hierusalem & venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam & de suo eam latere fabricatus sit, cum propter illā verbum caro factum sit.* Hæc Hieronymus. Et ex Doctoribus Scholasticis nominatim S. Tho. dicit, credibile non esse, primum hominem ignorasse hoc sacramentum. Et id suaderi potest: Quod enim scriptura in Genesi dicit Adam dixisse, cum euigilauit à somno, hoc Saluator Deum dixisse asserit his verbis: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Et qui tanto sopore tenebatur, vt neque senserit de suo latere ablatam costam, vnde formaretur Eua non videtur potuisse nosse, Euam fuisse os de ossibus suis, & carnem de carne sua, nisi ex reuelatione diuina. Cum igitur prophetæ intelligant mysteria recondita in suis verbis, vt scriptura & Ecclesia Catholica contra Montanum aperte docet, & Paulus sub his verbis, Sacramentum magnum Christi & Ecclesiæ contineri expresserit, & tunc proculdubio reuelatus ei fuerit aduentus filij Dei in carne. Sed siue tunc reuelatus ei fuerit aduentus filij Dei, siue nō certe statim post lapsum potuit illum nosse ex illis verbis Dei ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius: Ipsum conteret caput tuum.* Non enim alius, quam Christus, * contriturus hic prædicebatur caput serpentis. Quod & aliquanto nobis fecit apertius Ioannes in Apocalyp. *Et ipsum*, manifeste habet Hebraicus textus, *non ipsa*. Quamuis &, si ipsa legeremus, idem posset apparenter colligi. Non quippe mulier per se, sed per semen suum conterere habuit caput serpentis. Vnde & quod sequitur statim, *Et tu insidiaberis calcaneo eius*, ad Christum referendum est, non

Hieronym. Ephe. 5

Matth. 19

2. Conclusio.

Genes. 3

forte, * quia

Apoc. 12

Fides mediatoris statim post lapsum necessaria.

est, non ad Deiparam virginem. Et cum
statim post lapsum, necessaria fuerit fides
Saluatoris ad iustificationem hominum, vt
q. 1 con. 5. 3. Ibi. 2.2. multis testimonijs scripturæ & Augustini
docuimus in opusculo de iustificatione, &
nemo absque illius fide vel explicita, vel
implicita iustificatus fuerit secũdum com-
munem opinionem Scholasticorum, ne-
3. Conclusio, cessarium esse dicere, statim post lapsum
primorum parentum nostrorum, aut certe
paulò post, & omninò ante legem Mosai-
cam, reuelasse Deum hominibus hoc my-
sterium, & constituisse aliquos viros præ-
cellentes, qui hominibus illud traderent,
& bene sperare de sua salute docerent. Nã
alias non sufficienter prouidisset DEVS
hominibus necessaria ad eorum iustifica-
tionem. Et vtcunque de his argumentis sit,
apertissime hoc potest conuinci ex illis ver-
bis cantici Zachariæ: *Benedictus Dominus De-*
Luc. 1 *us Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem ple-*
bis suæ: Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid
pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à
seculo sunt, prophetarum eius. neque aliud est
quod beatissima virgo mirifico suo cantico
expressit dicens: *Sicut locutus est ad Patres no-*
stros, Abraham & semini eius. Et hinc est, quod
sanctus Iob quintus à Noe, constanter se
visurum oculis in carne sua Saluatorem su-
um asseruit. Et licet Prosper in illa verba,
Eph. 5 *Sacramentum hoc magnum est.* aperte dicat,
Adam promissum sperasse hoc sacramen-
tum, tamen ante Abraham nemini legi-
mus in scripturis Deum tantum benefici-
um proprie promisisse. Abrahæ vero pro-
misit Deus, & quidem sub iuramento, cum
ei dixit. *Per memet ipsum iuraui, dicit Dominus,*
Promissus Abrahæ Christus. *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vni-*
genito. benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum
Gen. 22 *sicut stellas cœli, & velut arenam maris: Possidebit*
semen tuum portas inimicorum suorum, & bene-
dicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obe-
disti voci meæ. Et hæc promissio confirmata
26. est Isaac in hæc verba: *Tibi & semini tuo dabo*
vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod
spopondi Abraham patri tuo: & multiplicabo se-
men tuum, sicut stellas cœli. Daboque posteris tuis
vniuersas regiones has & benedicentur in semine
tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham
voci meæ. Eandemque pollicitationem con-
firmauit ipsi Iacob, dicens: *Ego sum Dominus* 28.
Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram
in qua dormis, tibi dabo & semini tuo, eritque se-
men tuum quasi puluis terræ: Dilataberis ad Orien-
tẽ & Occidentem, & septentrionẽ, & meridiem, &
benedicentur in te & semine tuo cunctæ tribus terræ.
Et has promissiones de Christo intelligi,
explicat Paulus cum dicit: *Abrahæ dictæ sunt* Galat. 3
promissiones, & semini eius. Non dicit, *& semi-*
nibus, quasi in multis: sed quasi in vno, &
semini tuo, quod est Christus. Nam hæc
eo tendunt, vt doceat de Christo intelligi
illam promissionem, *In semine tuo benedicen-* 4. Conclusio.
tur omnes gentes. Tempore legis, manifestis- Promissus
simum est, eandem promissionem factam Christus
esse Dauid. Vnde & ipse eam pollicitatio- Dauid.
nem magnificat, dicens: *Iurauit Dominus* Psal. 131
Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de 1. Par. 17
fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et eã-
dem promissionem confirmasse videtur
Deus Salomoni, cum perfecto ædificio
domus Domini, apparuit ei secundo, &
inter alia, hæc quoque ei dixit: *Tu quoque si* 3. Reg. 9
ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus 2. Par. 7
in simplicitate cordis & æquitate, & feceris omnia,
quæ præcepi tibi, & iudicia mea & legitima mea
seruaueris ponam thronum regni tui super Israel in
sempiternum, sicut locutus sum Dauid patri tuo,
dicens. Non auferetur vir de genere tuo de solio Isra-
el. Et videtur Gabriel angelus has & similes
promissiones de Christo docuisse expone-
re, cum Deiparæ virgini dicit: *Et dabit illi* Luc. 1
Dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit
in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit fi-
nis. Explicuit enim in his, per Christum fi-
lium Dauid, futurum fuisse perpetuum
regnum ipsius Dauidis super Israel, & non
alias. Nam solum regnum Christi, prædixe-
rant prophetæ, futurum esse sempiternum.
Declarauit etiam, & promisit populo Is-
raelitico Pater cœlestis hunc aduentum fi-
lij sui per omnes prophetas. Quoniam
Christo, sicut dicit Petrus, omnes prophe-
tæ testimonium perhibent, remissionem
peccatorum accipere per nomen eius o-
mnes, qui credunt in eum. Et ipsa tanta
tanti beneficij reuelatio, promissio quędam
illius erat. Vnde & Paulus Euangelium di-

cit promissum à Deo per prophetas suos in scripturis sanctis. Et alibi ait, Christum Iesum fuisse ministrum circuncisionis propter veritatem DEI ad confirmandas promissiones patrum. Et ipsas prophetias de beneficijs conferendis in aduentu Christi, promissiones idem Paulus appellat, dicés:

2. Cor. 1

Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est.

August. in Psal 87. ser. de passione Domini.

Et Augustinus populo Israel, secundum carnem de semine Abrahæ venienti, multa dicit fuisse prophetice promissa, & eum in hoc propagatum, vt in eo implerentur promissa DEI. Et alibi dicit, illis verbis, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel*, ostendisse Christum, redditam esse Iudæis præsentiæ ipsius promissionem. Et notissima est illa promissio aduentus Christi facta populo per Moysen: *Benè omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, &c.*

Deut. 18

Stephanus enim docuit, de Christo esse ista dicta. Et cùm velut præmium illius, quod bene omnia sunt locuti, ista fuerint prædicta populo, non est cur dubitemus, eam prophetiam & promissionem quoque fuisse. Et alioqui omnis prænunciatio beneficij nobis conferendi facta ab eo, qui illud debet & potest conferre, vel nomine, & mandato ipsius, merito promissio illius beneficij appellari potest. Nam vtique si Deus reuelaret, beatum me futurum quomodocunque hæc reuelatio ab eo fieret, vel asserendo, vel promittendo, & ea reuelatio, promissio meæ beatitudinis censeretur.

Expositio Prosperi.

Et ita possemus exponere, quod supra ex Prospero retulimus, Adam promissum sperasse incarnationis sacramentum. Cum autem vel sic extenso vocabulo promissionis, vel etiam rigidissime & strictissime accepto, tam sæpe constet, Deum patrem promisisse aduentum filij sui, non possum non mirari, Hieronymum scripturarum peritissimum, ideo dicere, Matthæum tantum Abrahæ & Dauidis filium Christum appellasse, quod eis tantum Christus promissus sit.

Difficilia verba Hieronymi in Matth.

Verba Hieronymi sunt hæc: Ideo autem, cæteris prætermissis, horum filium nuncupauit, quia ad hos tantum facta est de Christo promissio. Neque inuenio aliquid peculiare in pollicitationibus factis Abrahæ & Dauidi, quod non & in pollicitationibus factis Isaac, & Iacob, & Salomoni liceat inuenire, nisi hoc duntaxat, quod Abrahæ & Dauidi sub iuramento sunt illæ promissiones confirmatæ, & vnicuique eorum proprijs & peculiaribus meritis, cum cæteris & vniuerso populo Israelitico non sub iuramento promiserit Deus, & magis parentum meritis, quam proprijs. Et ob hoc potuit, & debuit Matthæus solum illorum filium nuncupasse Christum, sicut & alibi sæpe in scripturis factitatum videmus, quia celeberrimæ & solennissimæ promissiones de Christo, ad ipsos factæ sunt. Et huc fortassis respexit Hieronymus, cum his tantum repromissum dicit Christum. Sed vtcunque sit de verbis Hieronymi, liquet ex iam dictis, merito Patres in hoc decreto asseruisse, & ante legem, & legis tempore declaratum esse & promissum aduentum filij Dei. Licet enim præcipuæ promissiones factæ fuerint Abrahæ ante legem, & Dauidi sub lege, tamen & alijs quoque declaratus ille fuit & promissus. Et cum nulla in his, quod meminerim, controuersia nobis sit cum hæreticis, & ex testimonijs iam citatis, & communibus symbolis Ecclesiæ satis liqueat, doctrinam huius capitis, esse Christi & Apostolorum & totius Ecclesiæ Catholicæ, his paucis contenti, ad expositionem tertij capitis properabimus.

A N-

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE DEPENDENTIA IVSTIFICATIONIS A CHRISTO, LIB. QVARTVS IN CAPVT III. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

LENTE quidem, ſed quã decet maturitate & grauitate, progreditur ſancta ſynodus ad explicandam iuſtificationis gratiam. Et aptiſſime explanata incarnationis Dominicæ neceſſitate, qui ſint tantæ gratiæ participes, & neminem potuiſſe de lege iuſtificari, niſi per Chriſtum, nunc exponit. Atque vt nos ſententiam iſtam Patrum, & quantum Chriſto debeamus, pro tenuitate noſtra explanemus, horum commentariorum librum quartum de iuſtificatis propter Chriſtum, & de dependentia beneficiorum ſpiritualium ab ipſo, ipſius Chriſti adiutorio confiſi, hinc auſpicabimur.

QVI PROPTER CHRISTVM IVSTIFICANTVR.
Caput Primum.

VERVM etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed hi duntaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur. Nã ſicut reuera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati, non naſcerentur iniuſti, cum ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contraherent: ita niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarentur, cum ea renaſcentia per meritum paſſionis eius, gratia, qua iuſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Coloss. 1. *Apoſtolus gratias nos ſemper agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum, tranſtulitque in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.*

CAPVT I.

De compendiaria & literali capitis tertij expoſitione.

NON eſt difficile, ſententiam huius capitis ad compendium aliquod redigere. Vna namque concluſione huiuſmodi, tota poteſt breuiter comprehendi: Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ſoli tamen illi beneficium mortis eius participant quibus meritum paſſionis eius cõmunicatur. Et quamuis hæc verba Patrum ad omne beneficium mortis Chriſti referantur, meritum enim ipſius ad omnia beneficia ſpiritalia nobis exhibita ſe extendit: tamen quia propoſitum præcipuum huius capitis & totius huius decreti, de beneficio iuſtificationis eſt, peculiariter hic probamus ſolũ illi hanc tantam gratiam participare, quibus meritum paſſionis eius communicatur. Et hoc quidem ex Paulo ſuadetur, dicente, in Chriſto nos habere remiſſionem peccatorum, idque ex ſimilitudine ſecundi Adæ ad primũ. Nam vt nemo naſcitur iniuſtus, niſi per primum Adam: ita decuit, neminem renaſci, niſi per ſecundum Adam. Quia ſicut terrenus Adam, pater eſt omnium hominum ſecundum carnalem generationem, ita cœleſtis Adam pater eſt omnium iuſtorum ſecundum ſpiritualem. Et innititur hoc argumentum Paulo, qui ad Romanos & Corinthios ſæpe primum Adam ad ſecundum confert. Et pulchre Auguſtinus: *Nemo ad mortem niſi per illum, nemo ad vitam niſi per iſtum.*

Porro ſimilitudinem hanc inter propagatio-

Digitized by Google

gationem ex primo Adam, & renascentiam, siue regenerationem ex secundo, facile intelliges, si aduertas renascentiam distingui à gratia, sicut calefactio distinguitur à calore. Siquidem vt per calefactionem calor producitur, & necessario calefactio terminatur ad calorem, neque posset esse calefactio, quin per eam produceretur calor: ita per regenerationem producitur gratia, & regeneratio necessario terminatur ad gratiam: neque posset esse regeneratio, quin per eam produceretur gratia, vel constitueretur saltem regeneratus gratus & acceptus Deo. Et sicut calefactio actiua quidem est actio transiens, passiua vero est acquisitio caloris, calor autem est qualitas & accidens permanens: ita regeneratio actiua, est actio transiēs: videl. collatio gratiæ: passiua vero, quę & renascētia dicitur, est acquisitio gratiæ: gratia autem, sicut postea clarius explicabitur, qualitas est & accidēs permanens.

Act. 7. c. 24

Neque tamen, quo ad omnia, intelligenda est hæc similitudo inter generationem ex primo Adam, & regenerationem ex secundo. Spiritalis quippe regenerationis terminus formalis, est gratia regenerato præstita, sicut & calefactionis est calor, & dealbationis est albedo. Generationis vero carnalis terminus formalis, non est propria generati iniustitia, sed natura duntaxat humana, nobis per generationem communicata. Quoniam vero ex communi lege consequitur hanc communicationem naturæ, propria iniustitia, sicut ex natura rei & communi lege consequitur regenerationem gratia, & quia sicut nemo contrahit propriam iniustitiam, nisi propagetur ab Adam, ita nemo iustificatur, nisi regeneretur per Christum: ideò inter se conferuntur generatio ex Adam, & regeneratio per Christum. Atque hæc quidem hactenus pro literali expositione huius capitis. Videamus, quæ in his potissimum maiori animaduersione sunt digna.

Spiritalis regenerationis terminus formalis, gratia.

CAPVT II.

De tribus præcipuis punctis, quæ possunt ex sententia Patrum colligi.

TRIA occurrunt præcipua in hac Patrum sententia notanda, quæ expositione non indigent, sed confirmatione & corroboratione. Primum est, neminem iustificari, nisi propter Christum. Et hoc iterum infra diffinitur, cum & meritoria causa nostræ iustificationis, Christus asseritur, & neminem posse esse iustum, expresse dicitur, nisi cui merita passionis ipsius communicantur: & anathema indicitur ei, qui dixerit, homines sine Christi iustitia iustificari. Et in hac Patrum diffinitione confirmanda & illustranda, totum pene hunc librum expédemus. Secundum in hoc capite notandum, est propter Christum dici iustificari omnes iustos, quia merita ipsius illis communicātur. Non enim alia via est, qua per principem dicatur Petrus reconciliatus regi, nisi quia gratiam & merita principis communicat rex Petro. Et communicare dicitur rex merita sui principis Petro, quia communia illa ipsi facit, & vt eum sibi reconciliet, perinde vult ei prodesse & amplius, quam si propria Petri essent. Qua de re commodius & fusius circa cap. 7. & 16. disputabimus. Tertium, quod ex hoc capite potest colligi, est huiusmodi: Peccatum originale non est solum peccatum Adæ, filijs eius imputatum, sicut quidam, alioqui pij & doctissimi, authores hoc tempore voluerunt defendere, sed est propria omnium filiorum ipsius iniustitia, ex ipsius peccato consequens & contracta. Et hoc quidem iam in hac synodo, in decreto de peccato originali, diffinitum fuerat. Quia vero non ex professo Patres de isto hic egerunt, satis erit id firmare hoc argumento: Quod reus quidem potest quis esse duntaxat ob delictum alterius, tamen peccator nequit esse aliquis, nisi à propria culpa. Nos vero Adæ delicto mortui fuimus spiritualiter, & constituti peccatores, sicut diserte docet Paulus ad Romanos. Et alias non dicerentur paruuli baptizari in remissionem peccatorum, sed tantum, vt non imputetur sibi peccatum Adæ. Quod manifeste est contra diffinita canon. 4. quintæ sessionis huius Concilij, & contra cano. 2. Concilij Mileuitani. Ostendamus igitur, his intermissis, Christo ex asse & solide debere acceptam referri omnem nostram iustificationem, & hanc Chri-

Lib. 7. & can. 10.

Quomodo iustificamur propter eum.

Peccatum originale non est solum peccatum Adæ. Alb. Pig. & Amb. Cathar.

Christi gloriam lucidissimis testimonijs comprehendimus. Nam hoc vnum, proprium est huius loci. Differemus usque ad septimum librum exacte explicare modum, quo omnium bonorum sit causa.

CAPVT III.

Neminem vnquam iustificari potuisse, nisi per Christi iustitiam.

EST Deus nimius, vt sic dixerim, suorum omnium amator, & cum omnia iustissimis suis ponderibus libret & statuat, tamen quo nos ad sui amorem prouocet, multis argumentis amare sese nos ostendit quodam modo sine modo. Præsertim vero & maxime filium suum vnigenitum, non tantum vt Deum, sed etiam vt hominē amat. E hunc amorem nobis ostendit, quod non solum incomparabilibus gratiarum donis eum exornauit, verum ob ipsius gratiam & iustitiam innumerabilia generi humano singulis pene momentis impartitur beneficia, & post lapsum Adæ neminem nostrum ad suam gratiam, nisi propter illius iustitiam, admitur.

Christi iustitia duplex.

Porro pro eodem, in proposito, accipio iustitiam, & merita Christi. Neque enim de iustitia illa Christi modo agimus, quæ immēsa est plenitudo gratiarum & donorum, quæ ipsius animam, sicut quidā perfectissimi & fulgentissimi habitus, à sua conceptione perpetuo exornarunt. Sed iustitiam Christi nunc dicimus, singularia illa & omnino eximia ipsius merita, quibus dum totam legem & vniuersa patris mandata, tota vita sua mortali, & præsertim suæ passionis tempore exactissime impleuit, & nos patri suo perfecte reconciliauit, & gratiam & gloriam, & quæ ad hæc necessaria sunt, omnibus abundanter meruit, & pro nostris omnibus debitis & peccatis plenissime satisfecit. Et per hanc Christi iustitiam dicimus iustificatos esse, quicunque post peccatum Adæ iustificantur.

Propter Christum iustificati omnes iusti post lapsum Adæ.

Et hoc fundamentum eorum, quæ de Christi iustitia postea tractabimus, sic intellectum, apertissime docet vtriusque testamenti pagina. Et illud velut certam & indubitatam fidei, immo vt totius nostræ fidei & religionis basim, Ecclesia toto orbe dispersa semper tradidit, & tradit suis fidelibus, & summorum Pontificum diffinitiones, & sanctorum Patrum concordes vbique sententiæ firmarunt. Ipse quippe Christus de se testatur: *Venit filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur. Ego veni, vt vitam habeant. Nemo venit ad patrem, nisi per me.* Ex quibus verbis sic colligit Cyrillus: *Cum nemo veniat ad patrem, nisi per Christum, vt ipse ait, ianua & via reconciliationis hominum ad patrem, filius factus est, & gratiam vna cum patre ipse distribuit.* Et in illa verba; *Qui non intrat per ostium, &c. Ostendit*, inquit, *quod neque sapientia, neque obseruatio legis, neque bona vita quicquam valet nisi per eum, per quem solum datur aditus & accessus in salutem.* Hisque accinit Paulus, clarissimus nimirum Christi iustitiæ & gratiæ assertor: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Et alibi. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, hoc est, benignitate Dei in Christo, vel gratia & beneficijs Christi. Vt enim ipsa gloria est patris, ita & beneficia eius in nos, gloria sunt Dei, quia eximie suam nobis bonitatem commēdant, & in eis, & per ea eximie ille glorificatur & magnificatur.

Christi testimonia.

Luc. 19
Ioan. 10. 14
Cyril. 9. in Ioan. c. 42.
7. c. 1
Apostolorum testimonia.
1. Tim. 1
Rom. 3

Et vt nomine gloriæ Dei, gratiam Dei & Christi in nos intelligeremus statim adiecit Paulus: *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo IESV.* Et quo apertius & confirmatius hoc esset, continenter addidit, *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionē iustitiæ suæ.* Et ne propitiationem illius ad sola peccata præsentia vel futura pertingere quis existimaret, mox subiunxit, *Propter remissionem præcedentium delictorum.* Quod & Ioannes aliquanto manifestius fecit his verbis: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mūdi.* Et alibi ideo agnum, qui abstulit peccata mundi, occisum dixit ab origine mundi quia ex tunc eius mors multis figuris adumbrata fuit, & sanctis Patribus declarata, & in tantum accepta & grata patri cœlesti vt ob ipsius eximium meritum sibi præsentissimum, condonauerit peccata protoparentibus nostris, & postea temporis succes-

Gloria Dei.
1. Ioan. 2
Ioan. 1
Christus occisus ab origine mundi.

su omnibus, qui ante ipsius aduentum fuerunt iustificati.

Clarissime etiam hanc veritatem docuit idem Apostolus Paulus, cum iustificatos nos dicit in sanguine Christi, cum peccatores essemus: & per mortem ipsius reconciliatos Deo, cum inimici ipsius essemus: & reconciliatos quidem, non à solo peccato, quod ex Adam contrahimus, sed & ab omnibus alijs delictis. Ideoque tandem ibi subdidit, quod apertissimum est: Igitur *sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Et alias: *Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum.* Et subdit: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & non reputans illis delicta ipsorum.* Et mox: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Et alio in loco: *Factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio,* vt, quemadmodum scriptum est, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hoc est enim in Domino sene gloriari, nostram ei tribuere iustitiam, sanctificationem, & redemptionem, & ipsius meritis cognoscere, nos esse iustificatos. Pro omnibus quidem mortuus est Christus, sicut idem alias dicit, vt & qui viuũt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Et ad Colossenses scribit: In ipso nos habere redemptionem, & remissionem peccatorum, & in ipso complacuisse patri cœlesti omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, & per sanguinem crucis eius pacificasse, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et in ea concione, quam ad Antiochenos de salutis summa habuit: *Notum*, inquit, *sit vobis, viri fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.* Et ad Corinthios scribit, hunc vnum esse fundamentum totius structuræ nostræ spiritalis, quæ certe à iustificatione incipit. Et ad Hebr. lucidissime, & grauissime ostendit istam veritatem adumbratam fuisse, ac velut delineatam in vniuerso veteris illius tabernaculi ministerio. Ideo omnia in sanguine secundum legem mundata esse dicit, quoniam sanguis Christi emundaturus erat conscientiam nostram, & sine ipsius effusione, nullius delicti futura erat remissio, nulla diluenda macula, nullum auferendum peccatum, neque aliquis eripiendus erat à captiuitate diaboli. Propterea necessarium fuisse ostendit, vt sacerdotes easdem sæpe offerrent hostias, quia impossibile erat sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: & necesse erat, alicui Dei cultui intendere, vt mitigaretur ira Dei, donec veniret sanctus sanctorum, qui saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, & vna suipsius oblatione multorum exhausit peccata, & destitutis peccatis, sanctificauit genus humanum, nostrorumq; omnium sacrificiorum factus est consummatio & perfectio.

2. Cor. 5

1. Cor. 1.

Hier. 9

Act. 13

Et his concinit Ioannes, dicens: *Sanguis IESV Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Sed disertissime & constantissime illam veritatem statim post aduentum Spiritussancti annunciauit vertex ille & culmen Apostolorum Petrus: *Hic est lapis* dicebat Iudæis de Christo, *qui reprobatus est à vobis ædificantibus, & factus est in caput anguli: & non est in aliquo alio salus. Neque enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et quoniam ad omnes spectabat hæc veritas, statim post lapsum Adæ, eam nouerunt protoparentes nostri, vt supra docuimus. Eamque ab eis receptam, ipsius posteri cõtinua successione, velut per manus, alijs tradiderunt. Et postea Iob Gentiles eandem docuit, cum dixit, *Scio quod redemptor meus viuit.*

1. Ioan. 1

Act. 4

Lib. 3. c. 8

Testimonia prophetarum.

Iob 19

Et prophetæ omnes mirifico consensu illam in populo Israelitico propagarunt. Vnde Esaias, velut Euangelista quidam, *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostræ super eũ & liuore eius sanati sumus: Omnes nos quasi oues errauimus, & vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Et statim eadem replicat nomine patris cœlestis. Et alibi ipsum datum nobis asserit, vt aperiret oculos cæcorum, & educeret de conclusione vinctum, & de domo carceris sedentes in tene-

Esa. 53

tenebris. Et apud Zachariam Deus Pater: *Exulta filia Sion, iubila filia Hierusalem, Ecce rex tuus venit tibi iustus & Saluator.* Et conuersus mox ad eundem, subdit: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu.*

Zach. 9.

Et cum frequentissime scriptura eum appellet Saluatorem mundi, & pro nobis omnibus vbique asserat esse mortuum, & mediatorem inter nos & Deum constitutum, qui seipsum dederit in precium & redemptionem pro libertate & salute nostra neque verisimile sit, ipsum pro nobis mortuum, nisi mors illius necessaria fuisset nobis, argumentum apertum est, mortem illius fuisse vitam nostram, & neminem potuisse, nisi meritis illius, iustificari. Et sicut optime Paulus argumentatur, si ex lege vel natura esset hæreditas, non esset ex promissione. Et si lex vel natura potuisset iustificare, ex illa esset iustitia, & Christus gratis mortuus esset: neq; à gratia exciderent, qui in eis iustificarentur.

Merito igitur patres hoc loco asserunt, sicut per Adæ veteris delictum omnes morimur, ita per noui & cœlestis Adæ meritũ & iustitiam iustificari, quicunque redimus in gratiam cum Deo. Et hoc ipsum iam olim velut certum Ecclesia diffiniuit, cum in Nicen. Symbolo, quod vbique solenniter in Ecclesia cantatur, *Propter nos homines, & propter nostram salutem* filium Dei de cœlis descendisse, & hominem factum, & crucifixum, & mortuum fuisse constantissime prædicat. Si enim propter nostram salutem hæc ille fuit perpessus, & nos ergo saluamur & iustificamur merito passionis illius. Et eandem veritatem manifestè diffiniuit Innocentius huius nominis primus, in rescripto ad quoddam Concilium Carthaginense suo tempore celebratum, & in epistola quadam ad Mileuitanum Concilium: Et approbauit & confirmauit ipsius vtramque diffinitionem Cœlestinus, huius nominis primus, in cap. 4. & 7. suæ primæ epistolæ decretalis. Eorumque verba potest quis legere, vel in primo tomo Conciliorum, vel certè paulo post principium 6. [illegible] nostri opusculi de iustificatione.

Consensus ecclesiæ. Concil. Nicen. consi.

Et admirabili consensu omnes Doctores Ecclesiastici hanc doctrinam tradiderunt, & ita passim suis in scriptis ea occurrit, vt superuacaneum prorsus existimarim, aliqua eorum verba hic subscribere. Neque crediderim, vllum fuisse Scholasticum Doctorem Catholicum, qui asseruerit, sic bona opera propter suam bonitatem esse accepta Deo, & mereri remissionem peccatorum, & esse propitiationem & precium, propter quod Deus nobis reconciliatur, & vincere terrores peccati & mortis, & pacare conscientiam, vt non egeant misericordia & propitiatore Christo. Immò vere omnes Catholicos Doctores existimo semper tenuisse quidquid eiusmodi habent opera nostra, siue ante iustificationem, siue post, habere ex misericordia diuina, & quatenus innituntur meritis Christi. Et falsò Philippus Melanchthon in Apolog. Confessionis Augustanæ, sæpè imponit huius oppositum Scholasticis Doctoribus. Pergamus ad alia.

Calumnia Melanchthonis in schol.

CAPVT IV.

Quod iustitiæ augmentum, & perseuerantia in ea, & consecutio beatitudinis nulli contingat, nisi propter merita Christi.

NON solum oportet pro certo & indubitato totius nostræ fidei & religionis fundamento tenere, neminem vnquam post Adæ peccatum potuisse de lege iustificari, nisi ob merita Christi, verum & illud necesse est, omnes fideles pro constanti minimeque dubio sibi persuadeant nullum vnquam mortalium potuisse proficere in iustitia accepta, aut in ea perseuerare, & beatitudinem obtinere, nisi ob eadem merita Christi. Itaque non solam primam iustificationem ex asse solide illi post Deum tribuere & imputare debemus, verum & iustificationem secundam, hoc est, augmentum in iustitia, & ipsam perseuerantiam & consecutionem beatitudinis: & breuiter, quæcunq; incrementa gratiarũ vel donorum ex Dei benignitate fuerimus assecuti. Ob illius enim gratiam & merita apud

Propter Christum defluunt ad nos beneficia omnia spiritualia.

apud patrem suum ea omnia à Deo in nos defluunt, & eorum simus ab eo participes.

Et hæc tum ipsæ sacræ literæ manifeste nos docent, tum ipsa mater nostra Ecclesia & vniuersi sancti Doctores ab ipsis vsque Apostolis. Et videtur hæc esse fides, quam pene cum lacte ipso à Matribus nostris sugimus. Et de consensu quidem Doctorum nemo, qui legerit eorum monumenta, dubitare poterit. Vbique in eis aperta occurrunt pro hac veritate testimonia. Traditio autem Ecclesiæ vel illo argumento poterit nobis constare, quod ipsa omnes pene orationes, quibus aliqua dona spiritalia à Deo petit, claudit ac velut obsignat his verbis, *Per Dominum nostrum IESVM Christum*. Quod & quidem facit Ecclesia, admonita & freta illis verbis Christi: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Et ex Paulo idemipsum potuit ediscere, qui per Christum admonet nos hostiam laudis offerre Deo, & pro Hebræis Deum precatur vt aptentur in omni bono, & faciant ipsius voluntatem per IESVM Christum.

Cur clauduntur orationes ecclesiæ verbo illo, per Christum.

Ioan. 16

Verumenimuero consuetudinibus Ecclesiasticis ad confirmationem huius veritatis nihil indigemus. Vel vnus Paulus veritatem hanc stabilire sufficit in epistol. ad Ephesios, vbi ostendisset nos conuiuificatos & conresuscitatos, & eo prouectos à patre per Christum, vt consideamus in cœlestibus, ne ignoraremus, omnem profectum spiritalem & omnia gratiarum incrementa ei esse proprie tribuenda, subdidit: *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & prophetarum ipso summo angulari lapide Christo IESV. In quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*. Et aliquanto post addit generaliter: *Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus*. Quibus verbis ostendit, Christum causam esse meritoriam & efficientem omnium donorum, quæ nos participamus à Deo. Dicens *Dedit dona hominibus*: indicauit eum, efficientem eorum causam. Vnde & paucis diebus post ascensionem suam misit super discipulos Spiritum sanctum sub specie linguarum ignearum, & eodem viuifico dono, & alijs non paucis nunquã cessat irrorare, & enutrire, & communiter suam Ecclesiam. Dicens vero, illa nobis donari secundum mensuram donationis Christi, monstrauit, eum esse causam meritoriam ipsorum, & eatenus nobis illa applicari, quatenus ille meruit, & voluit à nobis participari. Idem est etenim, dari nobis illa secundum mensuram donationis ipsius: quod, communicari ea nobis iuxta merita & voluntatem ipsius, & sicut ille meruit & voluit applicari nobis.

Et ne ista quispiam referret ad solas gratias gratis datas, de quibus statim subdit, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, &c.* quanquam eadem prorsus ratio erat de gratia gratum faciente, & de illis: tamẽ ne de illis tantũ locutus videretur, subdidit statim: *Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominũ, in astutia ad circũuentionem erroris: Veritatẽ autem faciẽtes crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem, in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate*. Quibus verbis non video quid apertius dici potuerit, vt indicaretur, & in illo crescere & proficere omnes, qui in aliqua gratia in Ecclesia proficerent, & ab illo velut à radice dimanare, & originem trahere omnia nostra augmenta, seu incrementa spiritalia. Et non solum de quouis profectu spiritali, verum & de perseuerantia in gratia, & de consecutione beatitudinis hoc testatissimum fecit his verbis: *Si vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes in vita regnabũt per vnum Iesum Christum*. Iniquum enim, vt plus possit iniquitas, quam gratia: plus Adam terrenus, quam Adam cœlestis. Et si Adam terrenus vno delicto suo, eoque non grauissimo, mortis inducere potuit regnum, & filios suos etiã

Rom. 5

pœnis

pœnis æternis & condemnationi æternæ subijcere: multo magis profecto Adam cœlestis, plurimis & eximijs meritis suis, regnum vitæ comparauerit filijs suis, præsertim cum ille vnus fuerit quiuis, nulla sanctitatis præcellentia, quod sciamus, tum, cũ omnes perdidit, insignis: hic vero vnus sit IESVS Christus, saluator vtique omnium, & omnium gratiarum oleo à patre vnctus, insignitusque præ omnibus participibus suis. Et si qualisqualis delicti Adæ participatio damnationi æternæ satis est: multo magis abundantia gratiæ donationis & iustitiæ per Christum accepta, ad vitam & beatitudinem æternam sufficiet. Vnde & constanter statim addit Paulus: *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per vnum Iesum Christum.* Quibus verbis aperte regnum gratiæ per iustitiam vsque ad perducendum nos ad vitam æternam attributum est Christo. Sed & aliquanto luculentius hæc eadem in epistola

Heb. 5 ad Hebræos: *Et quidem* ait, *cum esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiã: & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Et iterum: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari* Et rursus, *Saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum* Et alias: *Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Et rursus: *Vna oblatione consummauit in semp ternum sanctificatos.* Et paulo post: *Habentes itaq; fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.*

Possumus etiam & hæc & quæ in proximo capite tradidimus, confirmare ex testimonijs Dauidis in psalmo 71. quem necesse est secundum communem Doctorum expositionem, ad literam de Christo exponere. Nam primo quidem ei iustificationem nostram attribuit his verbis: *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei: Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet: Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.* Quia iusti videlicet & amici, & filij Dei, cœperunt per ipsius redemptionem dici, qui antea peccatores, inimici & abominabiles Deo erant.

Deinde vt ostenderet & ipsi quoque adscribendam perseuerantiam iustitiæ, & beatitudinem, & incrementa omnia sanctorum spiritalia, adiunxit: *Erit firmamentum in terra in summis montium, & superextolletur super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ,* in verbis illis. *Erit firmamentum in terra in summis montium:* indicauit, ipsi esse adscribendam perseuerantiam & firmitatem, non solum imbecillium, & eorum qui parum in virtute profecerunt, sed & illorum, qui vitæ sanctitate & præclaris bonorum operum meritis sic cæteris præstant, vt editissimi montes humilibus vallibus. Si enim horum sanctitas & firmitas, qui sibi magis videri possunt sufficere, ei tribuenda est, quid de aliorum sanctitate & firmitate est credendum? In illis vero, *Florebunt de ciuitate,* ostendit, meritis & auxilio Christi iustificatos, ipsius opere & gratia in virtutibus profecturos ac donis spiritalibus & ab illo oportere agnoscere se habere, quod proficiant ac floreant, gradientes de virtute in virtutem.

Sed quod ipsam beatitudinem, quam adepti, supra omnes montes terræ attolluntur, & in cœlis collocantur, Christo deberi expressit, cum dixit: *Superextolletur super Libanum fructus eius.* Quid est enim aliud, Psal. 71 extolli super Libanum. qui altissimus mõs est, quam attoli in cœlum, & ad sedes sanctorum editissimas deferri? Idem etiam significatum ab eodem propheta, intellexit Augustinus in illis verbis: *Fiat manus tua super filium dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi & non discedimus à te.* Iste certe, ait, non est Adam primus, in quo discessimus ab eo, sed Adam nouissimus, super quem fit manus eius, vt non discedamus ab eo. Aug. de bon. perseu. c. 7 Psal. 79

ab eo. Et quoniam à Christo omnis iustitia nostra proficiscitur, tũ prima, tum secũda, & consummatio totius iustitiæ, hoc est, beatitudo, Paulus dicit eum factum esse nobis à Deo iustitiam, sanctificationem, & redemptionem, & illius fuisse figuram Melchisedech, qui interpretatur rex iustitiæ. Et Hieremias non contentus appellare eum iustum, appellat eum iustitiam nostram. *Ecce*, inquit, *dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Vltima hæc verba Septuaginta transtulerunt, *Dominus iustitia nostra.* Et sic etiam apertissime habet Hebraica litera. Quia vero ad beatitudinem vsq; meritum Christi habebat pertingere, Daniel non contentus dicere consummandam esse præuaricationem Christi tempore, & finem acceptarum peccatum, & delendam esse iniquitatem, addidit etiam adducendam iustitiam sempiternam. Vnde Hieronymus tractans illa verba Christi, *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, &c.* ponderans quæ statim subduntur, *Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti*, sic scribit: *Vides ergo, quod in consortium substantiæ eius assumimur, non naturæ esse sed gratia: & ideo nos diligit, quia filium dilexit pater, & membra diliguntur, scilicet in corpore. Quotquot enim receperunt Christum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Hæc Hieronym.

Hiere. 23

Hieron. 2 cont. Iouin.

Ioan. 17

Ioan. 1

CAPVT V.

Christus ratio omnium beneficiorum spiritalium, quæ hominibus collata sunt post lapsum Adæ.

SVNT & præter hæc, alia præcellentia Dei in nos beneficia, quæ nobis propter Christum benignissime ille impartitur, de quibus, ne si tacuerimus, ingrati videamur bonorum omnium nostrorum authori & consummatori, commodum erit seorsum aliqua differere. Nam & auxilia specialia impartitur ad opera saltem præcellentia, per quæ & iustitiam acquirimus & insigniter in ea proficimus, & graues vincimus, tentationes, & in gratia perseueramus vsq; ad mortem. Quod luculenter probauimus in quæstionibus finalibus opusculi de iustificatione. Cõdonat etiam nobis Deus peccata venialia, quæ permanente in nobis iustitia & gratia sua, passim admittimus. Adhæc, spiritum prophetiæ & gratiam miraculorum persæpe sanctis suis communicat, secreta scripturarum & recondita sapientiæ suæ arcana, misericorditer nobis plerunq; nota facit. Idem opera nostra & passiones, quæ alias exigui ac pene nullius valoris essent, sufficientes facit ad consequendum ipsius gratiam & gloriam. Verum hæc & alia quæcunque & qualiacunque Dei dona, neq; nos participamus, neque participauit vnquam post lapsum Adæ quispiam mortalium, nisi ob merita & iustitiam Saluatoris nostri. Quare Bernardus mare quoddam dicit esse Christum, quod origo sit omnium fontium, omniumq; riuulorum & fluminum. Et elegãter & pientissime docet inde esse carnis cõtinentiam, cordis industriam voluntatis rectitudinem, thesauros & sermones sapientiæ & scientiæ, eloquij nitorem, morum venustatem, deniq; omnia dona, quæ ex Dei benignitate participamus.

Bernard. ser. 13 super Cant.

Christus origo fontium.

Quanquam autem hæc ex testimonijs præcitatis colligi haud difficile possunt, tamen & nouis alijs testimonijs & argumentis non grauabimur perspicua facere. *Benedictus Deus*, ait Paulus, *& pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem omnium peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam nos sorte vocati sumus secundum*

Eph. 1

propo-

propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo. In quo & vos cum audistis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

Aug. de bono perseuer. c. 7

Et vtitur hoc testimonio August. vsque ad illa verba, *Qui operatur omnia.* Et ex eo probat, per Christum nos habere hanc gratiam, vt & ad Deum accedamus, & à Deo non recedamus. Et pro eo quod nos legimus, *In quo & nos sorte vocati sumus*: ipse legit, *In quo & nos sortem consecuti sumus.* Et hanc gratiam, sortem eam intelligit. Sed aliquanto accuratius expendamus hæc Pauli verba. Nam si bene & pro dignitate ponderentur, abunde omnia, quæ volumus, & manifeste comprobabunt. Primo quidem in his Paulus, *Omni benedictione spirituali*, quæ ad cœlestia conducat, asserit Deum nos benedixisse, & eam omnem attribuit Christo. Tantundem est, *in ipso*: ac *per ipsum*, iuxta phrasim Hebraicã, similéq; est de, *in quo*, & *per quem.* Cum igitur omnia dona spiritalia, à patre luminum ad nos per benedictionem ipsius descendant: vel hinc constare poterit, omnia ea adscribenda esse Christo. Quod & nobis vterq; princeps apostolorum, Paulus videlicet & Petrus manifeste exposuerunt, cum Christum esse semen illud præclarum & benedictum manifestarunt, in quo Deus Abrahæ, Isaac, & Iacob pollicitus fuit, cunctas se tribus terræ benedicturum. Neque enim hæc verba ad vnam benedictionem, qua iustificamur, coarctanda sunt, sed extendenda potius ad omnem benedictionem, qua Deus nobis confert beneficium aliquod spiritale. Sed & illud in citatis verbis Pauli diligenter animaduertendum est, vt non dubitemus Christum esse rationem omnium beneficiorum spiritalium, quæ homini post lapsum Adæ sunt exhibita. Ascribit quidem Paulus in eis ipsi Christo electionem & prædestinationem sanctorum, gratificationem & redemptionem nostram, & remissionem omnium peccatorum nostrorum, instaurationem eorum, quæ in cœlo & in terra sunt, vocationem & adscriptionem eorum, qui ante sperauerunt in Christo, auditionem Euangelij, & tandem credentium signationem per spiritum promissionis sanctum. Nullum igitur est beneficium spiritale Dei in nos, quod non & meritis Christi adsignare, & imputare debeamus. His enim vel omnia aliquo modo complectuntur, vel certe de alijs maior ratio non est, quam de istis. Contra hanc tam perspicuam inuictissimæ veritatis tubam, quis homo sobriæ vigilantisq; fidei, voces vllas admittat humanas?

In ipso, & per ipsum, idem.

CAPVT VI.

De tribus beneficijs, ad iustificationem collatis nobis propter Christum.

NON contentus ero in genere ista probasse, nisi & peculiariter ea confirmem de tribus ex commemoratis beneficijs, quæ magis ad nostram iustificationem spectant, nempe de efficacia nostrarum dispositionum ad consequendum gratiam & gloriam, de remissione venialium peccatorum, ac de auxilijs specialibus, nobis benigne communicatis ad aliqua præcellentia opera. Et de efficacia nostrarum dispositionum, vel operationum ad consequendum gratiam & gloriam, facilime hoc possumus suadere. Vnde nostra opera, quæ imperfecta valde sunt, tantum habeant valorem, vt per illa, tam eximia & tam præcellentia beneficia assequamur, nisi Deus benignissime eum valorem impertiatur? Vnde vero ipse tantum illa extulisset, nisi ob merita filij sui? Per quem reconciliare nos statuit, per eum & istam efficaciam operibus nostris dedit. Neque alias verum esset, nos iustificari propter Christum. Pientissime nimirum Bernardus ad Christum Iesum sic loquitur: *De te Domine suppleo, quod minus habeo in me.* Idemq; agnoscunt vbique & confitentur omnes sancti, tribuentes Christo defectuum omnium nostrorum supplementum apud patrem. Et par est vt nobis persuadeamus, omnem nobilitatem & perfectionem nostrorum operum ad

Efficacia dispositionum nostrarum ad gratiam, est à Christo.

Bernard. in serm. 1. de Epiphan.

G 2 dona

dona supernaturalia assequenda, ab eo esse, qui ad hoc assumpsit naturam nostram, vt nos ac nostra omnia nobilitaret, perficeret, & grata Deo faceret. De remissione autem peccatorum venialium idem probare possum. Nam ad exprimendum virtutem sanguinis Christi Apostolus dicit, sine sanguinis effusione non fuisse factam remissionem peccati alicuius in veteri lege, & impossibile fuisse, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata, atq; adeo vna Christi hostia & oblatione placari potuisse Deum. Et à passione illius habent omnia sacramenta & sacramentalia Ecclesiæ, virtutem ad remittendum peccata.

Remittuntur venialia propter Christum.

Similisq; est ratio de quibuscunq; alijs, ratione quorum Deus nobis ea benigne donat. Ipse quippe Christus vnus est mediator pro nobis, & propitiatio omnium delictorum nostrorum. De auxilijs etiam specialibus communicatis nobis ad credendum, sperandum, diligendum, & pœnitendum, & ad alia eximia & difficilia opera possumus idem firmare, quia Paulus, dum de iustificatione nostra per fidem, ad Ephesios disserit, clare docet, & fidem, & iustificationē nobis contingere per Christum Iesum *Ipsius inquit, sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis* Et paulo ante præmisit: *Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo.* Eadem autem ratio est de fide & de alijs operibus, ad quæ Deus gratia sua & fauore speciali nos adiuuat, vt conuiuificemur, & conresuscitemur à peccatis, & ius consedendi in cœlestibus acquiramus.

Auxilia specialia ad opera eximia, dantur propter Christum.

Ephe. 2.

Consentaneum quippe est, vt per eum habeamus auxilia cooperantia nostræ iustificationi, per quem vnum Deo reconciliati sumus, & iustificati. Vnde & Paulus auxilia ad vincendum tentationes, ei imputat, dicens: *In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Atque hinc consueuimus omnes, idque exemplis & scripturis Sanctorum edocemur, gratias Christo agere de omnibus donis Dei, quæ vel in nobis, vel in alijs credimus aut experimur, illiusque merita ad ea omnia dona & beneficia impetrandum, patri cœlesti repræsentamus, concludentes nostras orationes his verbis, Per Christum Dominum nostrum: ac per sui aduentus & vitæ mysteria, eum iugiter, vt nostri misereatur, obsecrantes. Et cum miracula in principio primitiuæ Ecclesiæ facta fuerint in nomine Christi, satis indicatum est, & illa, & alia opera superantia vires naturę, non fieri à Deo, nisi ob merita illius.

Heb. 2.

CAPVT VII.

Enodantur argumenta, quibus probatur, auxilia specialia ad iustificationem, non semper conferri propter Christum.

POSSVNT tamen contra hæc fieri aliquot apparentia argumēta. Et ea commodum erit nunc diluere, ne aliquibus possint imponere. Hæc enim aut alia similia fortassis mouerunt virum quendam bene doctum, vt in quadam Synodali congregatione assereret, ista auxilia nō dari nobis ob merita Christi, sed duntaxat ob misericordiam & benignitatem Dei. Ac primo quidem potest quispiam sic, quæ diximus, impugnare: Auxilium Dei generale nō communicatur nobis ob merita Christi vt in confesso est apud omnes. Nam debitum est ordini, & suaui dispositioni, & administrationi mundi, & superfluo applicata essent merita Christi ad illud obtinendum. Par aut ratio videtur de speciali, cum & illud similiter videatur debitum suaui hominum dispositioni, vel saltem à Deo ex æquo communicetur cum generali, omnibus eo vti volentibus. Alioqui enim intermissio eorum operum, quæ speciale auxilium requirunt, nulli esset imputabilis. Quod manifeste est contra Scripturam. Sed grandis est distantia inter naturalia & gratuita. Et generale auxilium computatur inter naturalia, speciale inter gratuita. Quare cum per peccatum perdiderit homo gratuita omnia, non autem omnia naturalia, ad generalia auxilia habenda non

1. Obiectio.

Respon.

sic opus est nobis meritis Christi, vt ad specialia. Sed dices: Seclusis meritis Christi, immo etiam si filius Dei non incarnaretur habuissent omnes, qui non resisterent gratiæ Dei, auxilia specialia necessaria ad implendum omnia Dei mandata. Nam alias vel non esset necessarium auxilium Dei speciale ad ea seruandum, vel homo non esset ad ea obligatus, vel certe peccaret in eo, quod vitare non posset. Quorum quiduis dicatur, absurdum est, & vt tale, abijciendum. Veruntamen etiam si seclusis meritis Christi daturus Deus fuisset Adæ, vel alijs eius posteris, auxilia necessaria ad consequendum ipsius gratiam, non ideo consequens est, vt dicamus modo non dari ea propter merita Christi. Si Adam non peccasset, salui fuissent sine meritis Christi multi electi, qui modo saluantur per merita Christi. Quia quæ tunc sola sua benignitate fecisset Deus, modo vult facere ob merita sui filij, vt in omnibus illum laudemus & glorificemus, & ei nos debere agnoscamus, quæcunque dona spiritalia participamus: Deinde: Quid Deus facturus fuisset, si filius eius non esset incarnandus, quis nouerit? Potuit quidē absq; iniustitia hominem damnare, vel statim post suum peccatum, vel non multo post, sicut damnauit & angelos. Potuit & sine remedio sufficienti ad suam salutem & reparationem eum relinquere. Et si quidem subtraxisset obligationem ad illa, aut in eorum transgressione, vel intermissione peccasset homo, quia voluntate & culpa in eam se proiecisset, impossibilitatem: sed ea peccata non fuissent ad nouam aliquam pœnam imputata.

2. Obiectio. (margin, beside "cialia. Sed dices")
2. Respon. (margin, beside "eo, quod vitare")
2. Respon. (margin, beside "ticipamus")

Obijcientur tandem auxilia multa specialia, communicata infidelibus ad præclara quædam opera, quæ nonnunquam in eis miramur. Quæ, concedendum non est eos potuisse sine fauore Dei speciali, minimeque videtur ad eos pertigisse virtus meritorum Christi. Sunt enim extra corpus ipsius, quod est Ecclesia, & ad eum non videntur spectare. Longe tamen errant, qui hæc obijciunt, neque latitudinem charitatis Christi, neque viscera misericordiæ, quibus iustificauit nos oriens ex alto assequuntur. Dedit ille nimirum animam suam in redemptionē pro omnibus, & *omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, & suæ passionis fructum participare. Sicut pro ipsis suis crucifixoribus orauit, ita iugiter extendit manus suas ad populum non credentem, & contradicentem sibi. Nec est, qui se abscondat à calore suæ misericordiæ. In plateis exaltat vocem suam, & doctrinam quasi antelucanum illuminat omnibus, & enarrat illam vsque ad longinquum. Per illum, vt ex Paulo docuimus, audiunt, qui non ponunt obicem, prædicatum sibi Euangelium, & ipsius meritis & precibus mitigatur sæpe ira Dei aduersus infideles, ac longanimiter Deus eos expectat, vt faciant pœnitentiam, & à multis grauioribus criminibus, in quæ alias prolaberentur, custodit.

Obiect. 3. (margin)
Responsio. (margin, beside "dentur spectare")
1. Tim. 2. (margin)
Prosunt & infidelibus merita. (margin)

CAPVT VIII.

De dependentia gratiæ gratum facientis à Christi meritis.

ADEO verum est, omnia beneficia spiritalia, quæ à Deo accepimus, cōferri nobis propter Christum, vt & beneficia, permanentia censenda sint pendere à meritis ipsius & gratia siue acceptione sua apud patrem, non solum in fieri, hoc est in acquisitione sua & communicatione, sed etiam in esse & conseruatione sua. Et peculiariter hoc asseri debet de gratia seu iustitia, quæ ex dono Dei permanet & perseuerat in iustis. Sicut riuuli pendent à fonte à quo manant, domus à fundamento cui innititur, lumen vel radius potius solis à sole: ita procul dubio pendet iustitia nostra à iustitia Christi.

Dependet gratia à meritis Christi in esse & conseruatione. (margin)

Neque habet aliquid decoris aut fulgoris coram Deo nostra gratia, neque nos ei gratos efficit, nisi quatenus iustitiæ Christi innititur, & illius lucidissimis & fulgentissimis meritis irradiatur & illustratur, & participatio quædam est plenitudinis eorum. Omnia enim beneficia diuina ad nos à patre cœlesti defluunt, vt monstrauimus, ob merita Christi. Itaque cum

Probatur. (margin)

non sola gratiæ vel iustitiæ infusio beneficium sit diuinum, sed etiam illius conseruatio & perseuerantia in nobis, eademque sit ratio de quocunque Dei dono permanente, eorum omnium in nobis permansio tribuenda est meritis Christi. Vnde & Christus, non tantum iustificatio & sanctificatio nostra, sed iustitia & sanctitas nostra dicitur ab Apostolo. Vt intelligamus videlicet, non tantum ei nos debere, quod iustificemur & fiamus iusti, sed etiã quod simus iusti, & Deo placeamus. Et hoc docere nos potest analogia illa, qua sæpe vtitur Paulus, cum iustos appellat membra corporis Christi. Nam membra corporis humani pendent à capite perpetua quadam & iugi dependentia. Et viuificus influxus spirituum vitalium à capite, vel à corde, qui facit membra humani corporis viua, pẽdet ab eis, vel certe ab altero eorum, in fieri & conseruari. Eoq; ipso desinerent viuere membra nostri coporis quo aliquo obstaculo vel impedimento impediretur, aut interrumperetur ille influxus. Quam ob rem & gratia, quæ nos viuificat, & membra facit viua corporis Christi, pendebit à Christo, qui est cor & caput Ecclesiæ in acquisitione sua & conseruatione. Vt tamen ista & clariora sint & firmiora, nonnullis ea argumentis impugnabimus.

Probat. 2.

CAPVT IX.

De argumentis contra dependentiam gratiæ à meritis Christi.

Obiect. 1.

PRIMO quidem obijci nobis potest: Merita Christi in rerum natura non sunt. Transierunt enim, vt transeunt cunctæ viatorum operationes. Gratia enim gratum faciens, qualitas est absoluta, & cæteris destructis, permanebit in rerum natura, si modo maneat anima cui inhæret.

Respon.

Sed merita Christi, licet in re iam transierint, tamen manent, & semper manebunt in diuina acceptione. Et gratia nostra pendet à iustitia Christi, vt gratia est, & habentem facit gratum. tametsi non ita pendeat vt qualitas est absoluta.

Obiect. 2.

Secundo instabit aliquis: Quia ex natura sua, vel saltem ex lege communi habet gratia gratos facere eos, qui illam habent, neq; ad id videtur irradiatione meritorum Christi egere. Valde tamen probabile est, & maxime rationi consentaneum, Deum, qui suauiter omnia disponit, & naturam, & proprietatem cuique rei impartitur iuxta finem, ad quem eam destinat, talem naturam dedisse gratiæ nostræ, vt sicut Deus neminem habet acceptum, nisi in ordine ad Christum: ita neque gratia nos faciat ei acceptos, nisi dependenter à meritis ipsius.

Respons. 1 Gratia facit acceptos in ordine ad Christum.

Respons. 2.

Et gratia quidem si maneret in homine, seclusis meritis Christi, faceret eum Deo acceptum, tamen manere non potest, nisi propter ipsa.

Obiectio 3.

Tertio argumentari quis potest: Gratia communicata alicui peccatori ob merita alicuius iusti, tantum pendet in sua acquisitione à meritis illius, non autem in sua conseruatione. Potest siquidem manere in Dei gratia, qui iustificatus fuerit ad preces alicuius, etiam si ille labatur in peccatum, cuius precibus fuit iustificatus. Sicut & plerumque manet in gratia regis, qui admissus est ob merita alterius ad illius gratiam, tametsi excidat à gratia regis qui eum fecit regi esse gratum. Et iniuria videtur Petro (exempli gratia) fieri, si excideret à gratia regis, & beneficijs iam acceptis ob gratiam Ioannis, ea ratione expoliaretur, quia Ioannes in regem peccaret. Cum igitur firmiora sint beneficia diuina, & minus à Deo retractentur quam humana, non pendebit gratia nostra à meritis Christi in sua conseruatione: sed si per impossibile Christus excideret à gratia diuina, adhuc nos in Dei gratia permanebimus, ex quo semel ad eam fuerimus admissi.

Respon.

Non pendet tamen iustitia & gratia nostra à iustitia & gratia, quam modo Christus habet apud patrem, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Summa quidem illa est, & præexcellentissima, ac nobis permultum commoda, non est tamen ea, cuius causa iustificamur.

Iustitia, à qua pendet nostra iustitia, sicut & in sua acquisitione, ita & in sua conseruatione est iustitia, quam in hac vita mortali

A qua iustitia Christi dependeat iustitia nostra.

tali Christus impleuit, hoc est, singularia merita, quæ in hac vita habuit factus obediens patri pro nobis vsq; ad mortem crucis. Et nisi hæc iustitia, & hæc merita viuerent in acceptione patris, actum esset prorsus de nobis, & de nostra iustitia. Et quantum ad hoc, idem est de meritis cuiuscunque alterius, ratione quorum Deus alios iustificat: & de meritis, quorum causa rex aliquos reciperet ad suam gratiam. Nisi & ea quoque viuerent, & integra permanerent in oculis regis, exciderent à gratia ipsius, qui propter illa admissi essent ad eius gratiam. Atque hæc satis sunt, vt intelligamus & iustificationem & omnia beneficia spiritalia nobis à DEO exhibita propter Christum nobis conferri.

CAPVT X.

Quomodo verum sit, Christum mortuum esse pro omnibus, tametsi non omnibus prosit ipsius mors.

SVPEREST ad plenam intelligentiam huius capituli, vt & illud dubiũ, quod plerosque angit, diluamus. Cur, inquiunt, pro omnibus Christus dicitur esse mortuus si non omnibus profuit ipsius mors? Nunquid frustrari potuit oblatio Christi, aut mortuus dici potest pro illis, pro quibus non ipse obtulit suam mortem? Neque frustrari potuit oblatio Christi, neque à patre non exaudiri filius, saltem de lege. Nam in eo sibi semper complacet, & complacuit. Itaque neque pro illis obtulit suam passionem, qui nunquam participauerunt ipsius merita, neque pro eis qui iustificati non sunt, vt iustificarentur, patrem orauit. *Non pro mundo*, inquit, *rogo, sed pro eis, quos dedisti mihi.* Dicitur autem mortuus esse pro omnibus, quia mors illius sufficiens fuit ad satisfaciendum pro omnibus omnium delictis, & pro innumerabilibus alijs, si essent & ad perducendum omnes homines ad Dei gratiam. Sufficeret enim Baptismus ad iustificationem omnium paruulorum descendentium ab Adam, etiam si propagatio eorum duratura esset in infinitum. Et nemo est, qui, si velit ad gratiam Dei venire, & suæ iustificationi operam sedulam exhibere, non vel ob merita Christi habere possit auxilia omnia necessaria ad eius assecutionem. Et sic obtulit Christus suam mortem patri cœlesti pro omnibus, & vt omnibus prodesset, orauit. Voluit quippe, & petijt atque obtinuit, vt sufficiat ad reconciliandum omnes Deo, & satisfaciendum pro omnibus.

Bona quæst.

Respons.

Ioan. 17.

Ad quorum omnium intelligentiam, commodissima est illa peruulgata scholasticorum distinctio, quæ & diffinitione huius capituli confirmata est. Nã & mortuum, aiunt, Christum esse pro omnibus quo ad sufficientiam: sed quo ad efficientiam vel efficaciam, solum pro illis, quibus meritum suæ passionis communicatur. Et forta¦sis nemo fuit vnquam aut erit, cui non aliquem fructum attulerit mors, quam ille misericordissime pro omnium commodo & salute suscepit. Sed his principijs, ac velut certissimis omnium dicendorum fundamentis præiactis, tempus appetit, vt ad explicandam ipsam iustificationis gratiam transcamus.

Nemo expers fructus passionis Christi.

[illegible]

[illegible]

A N

non sola gratiæ vel iustitiæ infusio beneficium sit diuinum, sed etiam illius conseruatio & perseuerantia in nobis, eademque sit ratio de quocunque Dei dono permanente, eorum omnium in nobis permansio tribuenda est meritis Christi. Vnde & Christus, non tantum iustificatio & sanctificatio nostra, sed iustitia & sanctitas nostra dicitur ab Apostolo. Vt intelligamus videlicet, non tantum ei nos debere, quod iustificemur & fiamus iusti, sed etiã quod simus iusti, & Deo placeamus. Et hoc docere nos potest analogia illa, qua sæpe vtitur Paulus, cum iustos appellat membra corporis Christi. Nam membra corporis humani pendent à capite perpetua quadam & iugi dependentia. Et viuificus influxus spirituum vitalium à capite, vel à corde, qui facit membra humaui corporis viua, pẽdet ab eis, vel certe ab altero eorum, in fieri & conseruati. Eoq; ipso desinerent viuere membra nostri coporis quo aliquo obstaculo vel impedimento impediretur, aut interrumperetur ille influxus. Quam ob rem & gratia, quæ nos viuificat, & membra facit viua corporis Christi, pendebit à Christo, qui est cor & caput Ecclesiæ in acquisitione sua & conseruatione. Vt tamen ista & clariora sint & firmiora, nonnullis ea argumentis impugnabimus.

Probat. 2.

CAPVT IX.

De argumentis contra dependentiam gratiæ à meritis Christi.

Obiect. 1.

PRIMO quidem obijci nobis potest: Merita Christi in rerum natura non sunt. Transierunt enim, vt transeunt cunctæ viatorum operationes. Gratia enim gratum faciens, qualitas est absoluta, & cæteris destructis, permanebit in rerum natura, si modo maneat anima cui inhæret.

Respon.

Sed merita Christi, licet in re iam transierint, tamen manent, & semper manebunt in diuina acceptione. Et gratia nostra pendet à iustitia Christi, vt gratia est, & habentem facit gratum, tametsi non ita pendeat vt qualitas est absoluta.

Obiect. 2.

Secundo instabit aliquis: Quia ex natura sua, vel saltem ex lege communi habet gratia gratos facere eos, qui illam habent, neq; ad id videtur irradiatione meritorum Christi egere. Valde tamen probabile est, & maxime rationi consentaneum, Deum, qui suauiter omnia disponit, & naturam, & proprietatem cuique rei impartitur iuxta finem, ad quem eam destinat, talem naturam dedisse gratiæ nostræ, vt sicut Deus neminem habet acceptum, nisi in ordine ad Christum: ita neque gratia nos faciat ei acceptos, nisi dependenter à meritis ipsius.

Respons. 1 Gratia facit acceptos in ordine ad Christum.

Et gratia quidem si maneret in homine, seclusis meritis Christi, faceret eum Deo acceptum, tamen manere non potest, nisi propter ipsa.

Respons. 2.

Tertio argumentari quis potest: Gratia communicata alicui peccatori ob merita alicuius iusti, tantum pendet in sua acquisitione à meritis illius, non autem in sua conseruatione. Potest siquidem manere in Dei gratia, qui iustificatus fuerit ad preces alicuius, etiam si ille labatur in peccatum, cuius precibus fuit iustificatus. Sicut & plerumque manet in gratia regis, qui admissus est ob merita alterius ad illius gratiam, tametsi excidat à gratia regis qui eum fecit regi esse gratum. Et iniuria videtur Petro (exempli gratia) fieri, si excideret à gratia regis, & beneficijs iam acceptis ob gratiam Ioannis, ea ratione expoliaretur, quia Ioannes in regem peccaret. Cum igitur firmiora sint beneficia diuina, & minus à Deo retractentur quam humana, non pendebit gratia nostra à meritis Christi in sua conseruatione: sed si per impossibile Christus excideret à gratia diuina, adhuc nos in Dei gratia permanebimus, ex quo semel ad eam fuerimus admissi.

Obiectio 3.

Non pendet tamen iustitia & gratia nostra à iustitia & gratia, quam modo Christus habet apud patrem, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Summa quidem illa est, & præcellentissima, ac nobis permultum commoda, non est tamen ea, cuius causa iustificamur.

Respon.

Iustitia, à qua pendet nostra iustitia, sicut & in sua acquisitione, ita & in sua conseruatione est iustitia, quam in hac vita mortali

A qua iustitia Christi dependeat iustitia nostra.

tali Chriſtus impleuit, hoc eſt, ſingularia merita, quæ in hac vita habuit factus obediens patri pro nobis vſq; ad mortem crucis. Et niſi hæc iuſtitia, & hæc merita viuerent in acceptione patris, actum eſſet prorſus de nobis, & de noſtra iuſtitia. Et quantum ad hoc, idem eſt de meritis cuiuſcunque alterius, ratione quorum Deus alios iuſtificat: & de meritis, quorum cauſa rex aliquos reciperet ad ſuam gratiam. Niſi & ea quoque viuerent, & integra permanerent in oculis regis, exciderent à gratia ipſius, qui propter illa admiſſi eſſent ad eius gratiam. Atque hæc ſatis ſunt, vt intelligamus & iuſtificationem & omnia beneficia ſpiritalia nobis à DEO exhibita propter Chriſtum nobis conferri.

CAPVT X.

Quomodo verum ſit, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, tametſi non omnibus proſit ipſius mors.

SVPEREST ad plenam intelligentiam huius capituli, vt & illud dubiũ, quod pleroſque angit, diluamus. Cur, inquiunt, pro omnibus Chriſtus dicitur eſſe mortuus

Bona quæſt. ſi non omnibus profuit ipſius mors? Nunquid fruſtrari potuit oblatio Chriſti, aut mortuus dici poteſt pro illis, pro quibus

Reſponſ. non ipſe obtulit ſuam mortem? Neque fruſtrari potuit oblatio Chriſti, neque à patre non exaudiri filius, ſaltem de lege. Nam in eo ſibi ſemper complacet, & complacuit. Itaque neque pro illis obtulit ſuam paſſionem, qui nunquam participauerunt ipſius merita, neque pro eis qui iuſtificati non ſunt, vt iuſtificarentur, patrem orauit. *Non pro mundo*, inquit, *rogo*, *ſed pro eis*, *quos dediſti mihi*. Ioan. 17.

Dicitur autem mortuus eſſe pro omnibus, quia mors illius ſufficiens fuit ad ſatisfaciendum pro omnibus omnium delictis, & pro innumerabilibus aliis, ſi eſſent & ad perducendum omnes homines ad Dei gratiam. Sufficeret enim Baptiſmus ad iuſtificationem omnium paruulorum deſcendentium ab Adam, etiam ſi propagatio eorum duratura eſſet in infinitum. Et nemo eſt, qui, ſi velit ad gratiam Dei venire, & ſuæ iuſtificationi operam ſedulam exhibere, non vel ob merita Chriſti habere poſſit auxilia omnia neceſſaria ad eius aſſecutionem. Et ſic obtulit Chriſtus ſuam mortem patri cœleſti pro omnibus, & vt omnibus prodeſſet, orauit. Voluit quippe, & petiit atque obtinuit, vt ſufficiat ad reconciliandum omnes Deo, & ſatisfaciendum pro omnibus.

Ad quorum omnium intelligentiam, commodiſſima eſt illa peruulgata ſcholaſticorum diſtinctio, quæ & diffinitione huius capituli confirmata eſt. Nã & mortuum, aiunt, Chriſtum eſſe pro omnibus quoad ſufficientiam: ſed quo ad efficientiam vel efficaciam, ſolum pro illis, quibus meritum ſuæ paſſionis communicatur. Et Nemo expers fructus paſſionis Chriſti.
fortaſſis nemo fuit vnquam aut erit, cui non aliquem fructum attulerit mors, quam ille miſericordiſſime pro omnium commodo & ſalute ſuſcepit. Sed his principiis, ac velut certiſſimis omnium dicendorum fundamentis præiactis, tempus appetit, vt ad explicandam ipſam iuſtificationis gratiam transeamus.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE DESCRIPTIONE IVSTIFICATIONIS, ET NECESSITATE BAPTISMI, LIB. QVINTVS IN CAP. IV. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

POST nostræ imbecillitatis & miseriæ, remedijque pro ipsis à Deo nobis concessi professionem, iustificationis gratiam, quam nobis suo aduentu Christus IESVS Dominus noster obtinuit, per quàm commodè explicant Patres. Et nos cœptum carpentes iter, quintum hinc incipiemus librum in expositionem eorum, quæ de ipsa tradidêre in Cap. 4. Quod hoc habet exordium.

INSINVATVR DESCRIPTIO IVSTIFICATIONIS IMPII, ET MODVS EIVS IN STATV GRATIÆ.

Caput Quartum.

QVIBVS verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam IESVM CHRISTVM Saluatorem nostrum. Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ioan. 3

CAPVT I.

Breuis quædam Cap. IV. Declaratio.

EX VERBIS proximo capite citatis, quibus Paulus dicit, iustos effectos esse à patre cœlesti dignos in partem sortis sanctorum in lumine, & ereptos de potestate tenebrarum, & translatos in regnum filij dilectionis suæ: collegerunt primo Patres in hoc capite descriptionem iustificationis impij, & secundo necessitatem Baptismi tradiderunt. Et potest eorum sententia his duabus conclusionibus comprehendi.
1. Concl. Prima: Iustificatio impij, est translatio ab statu in quo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei.
2. Concl. Secunda: Hæc translatio post Euangelium promulgatum fieri non potest sine lauacro regenerationis, aut eius voto. Et pro harum expositione & confirmatione, primo quidem, quæ ad iustificationem impij spectāt, enucleabimus: deinde vero, & pauca quædam circa necessitatem baptismi attingemus. Atque vt completa sit hæc doctrina, connectemus sub priore huius libri parte, expositionem eorum, quæ pro pleniori iustificationis impij cognitione, infra capite 7. adiecta sunt à Patribus. Ita fiet, vt in huius capitis commentarijs omnia spectantia ad explicationem ipsius iustificationis, simul in vnum habeamus, & in explanatione septimi ea dūtaxat tractemus quæ pertinent ad declarationem causarum iustificationis.

Porro sancta synodus sapientissime hoc loco, iustificationis gratiam ab ipsius descriptione explicare incipit. *Omnis enim*, teste Ci-

1. Offic. ste Cicerone, *quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, à definitione debet proficisci, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.* Et in descriptione iustificationis hoc loco tradita, expressa est essentia iustificationis, quæ consistit in quadam translatione & mutatione reali, qua transfertur peccator ab statu culpæ in statum gratiæ. Quæ tamen & quanta bona ipsa iustificatio complectatur expositum est inferius cap. 7. Et descriptio hæc non ad omnem iustificationẽ impij se extẽdit, sed solũ ad primã omnium iustificationẽ. Cum. n. iustificatur impius, qui iã semel iustificatus, iustificationẽ suã perdidit, nõ transfertur in filiũ Dei ab eo statu, in quo nascitur homo filius primi Adæ, sed ab eo potius statu, in quem se ipsum sponte sua præcipitauit, efficiens se filium & captiuum diaboli. Neque ab re ad primam duntaxat iustificationem hæc restricta est descriptio. De ea quippe sola ante alia hic agendum erat. Et Paulus in verbis, vnde hæc descriptio colligitur, de ea sola agebat. Ad Colossenses namq; recens conuersos, ea scribebat. Et ideo insinuasse dicitur huiusmodi descriptionem, quia qui digni efficiuntur in partẽ sortis sanctorum, transferri dicuntur in regnum filij dilectionis paternæ, hoc est, iuxta phrasim Hebraicã, in regnum filij patri suo dilectissimi. Non est autem dictum, iustificationem impij, translationem esse ex filio primi Adæ in filium Dei: sed dictum est, iustificationem esse translationem ab statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ: quia non opponũtur in se, filius primi Adæ & filius Dei. Nam beatissima virgo, quæ nunquam fuit impia: & iusti, qui sunt in gratia: & Christus ipse, qui neque fuit, neque potuit esse extra gratiam Dei, filij primi Adæ, vere dicuntur. Et cum Adam per pœnitentiam redierit in gratiam Dei, vt ex libro Sapientiæ aperte colligitur, absurdum profecto esset, solos eos filios Adæ vocare, qui fuissent & perseuerassent in peccato.

Essentia iustificationis.

Adam per pœnitentiam in gratiam Dei reuersus.

Hac igitur de causa non est dictum, iustificationem impij, esse translationem ex filio Adæ in filium Dei: sed esse translationem ab statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ. Est autem status iste vere oppositus statui gratiæ & filiorum Dei: quia est status inimicitiæ cum Deo, in quo Deo sumus exosi, & Deus est iratus aduersum nos: & in quo deformati, immundi, & filij iræ nati, serui peccati, & sub potestati diaboli & mortis constituti perseueramus. Vocamur autem in hoc statu nominatim filij primi Adæ, non natura, sic enim & Christus, & beatissima virgo, & omnes homines iusti, filij sunt Adæ, sed imitatione & similitudine, quia hæc omnia mala verius ei conuenerunt, cum mandatum Dei transgressus est: & quatenus ea nos participamus, filij ipsius infelici & infami elogio appellamur. Et ita filij diaboli nominantur, qui illum imitantur. *Vos ex patre diabolo estis*, dixit Christus ad quosdam, & velut explicans causam, statim adiecit: *Et desideria patris vestri vultis facere.*

Filii diaboli.

Ioan. 8.

CAPVT II.

Expositio quorundam verborum Cap. septimi, spectantium ad descriptionem iustificationis.

ANIMVS est, vt diximus, in hoc libro explanare, quæ cap. 7. adiecta sunt à Patribus ad maiorem explicationem descriptionis iustificationis. Ideoque subijciam hic ante omnia partem illius capitis huc spectantem, & eam adnotatiunculis quibusdam & dubiolis edisseram. Verba Patrum hæc sunt:

Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Et post aliquantulum additur: *Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & caritatem.*

Ex his vero licet colligere, nostram iustificationem quatuor DEI eximia beneficia

4. complectitur iustificatio

complecti, nempe, remissionem peccatorum, sanctificationem, renouationem interioris hominis, adoptionemque in filios Dei, & hæredes vitæ æternæ. Hæc enim est eximia Dei nostri in nos benignitas & humanitas, vt non contentus remittere peccata, præcellentibus etiam exornet beneficijs eos, quibus peccata condonat, gratia scilicet & donis. Et gratiam quidem impartitur, vt eos sibi reconciliet, & amicos & caros efficiat: dona vero, vt eos ad mandata sua implendum promptos & alacres efficiat. Et hæc quidem omnia iustificatione nostra complecti, ex ipsis scripturarum fontibus mox luculenter docebimus.

Non est tamen satis hic explicatũ quid nomine sanctificationis intelligatur, neq; qua ille re fiat: immo neque satis expressum est, an ea distinctum quid sit à renouatione interioris hominis. Quantum vero assequi possum ex vsu scripturarum, & Doctorum Ecclesiasticorum, nomine sanctificationis intelligenda hoc loco est vel ablutio à maculis peccatorum, vel reconciliatio cum Deo, & reditus cum illo in gratiam. Et hoc secundum, magis videtur nomine sanctificationis designari. Nisi enim actio, qua Deo cari & amici efficimur, nomine sanctificationis intelligatur, non est, cur Patres ex illis verbis, quibus dicitur iustificatio non esse sola peccatorum remissio, sed sanctificatio & renouatio, statim inferrent, in iustificatione hominem fieri ex iniusto iustum, ex inimico amicum. Potest quippe Deus remittere peccata, & renouare interiorem hominem, quin sit renouatum, & à suorum peccatorum reatu liberatum, amicum suum faceret.

Sanctificatio.

Cur autem reconciliatio hæc, & acceptatio ad amorem Diuinum, sanctificatio dicitur? Quia abluuntur per illam sordes spiritales filiarum Sion, & animæ nostræ per eam mundantur, & à prophanis separantur, & Deo consecrantur, vt dicantur & sint peculiaria spiritus Sancti templa. Et hæc consecratio ad videndum Deum disponit, & præparat. In his autem potissimũ significationibus vsurpatur nomen sanctificationis in scripturis. Qua vero re Deus sic sanctificat animas nostras? Vtique infusione gratiæ. Nam dona & virtutes, ad renouandum nos præcipue videntur concedi. Per ea nanque reformantur prauæ inclinationes, contractæ vel consecutæ ex peccato. Et gratiam videtur Paulus lumen vocasse, cum dixit, iustos effectos esse dignos in partem sortis sanctorum in lumine. Ideo vero vtrique beneficio iustificationis, sanctificationi videlicet & renouationi, susceptio gratiæ & donorum adiuncta est, quia vtrumque gratia fit, ac donis ac virtutibus. Abluit siquidem gratia maculas peccatorum, & renouat, & nouas creaturas in Domino facit: eos, quibus illa infunditur, & dona ac virtutes suo modo etiam nos mundant, & Deo videndo nos præparant. Vt quid tamen tacitæ sunt virtutes, & gratiæ tantum & donorum facta est mentio? Nomine donorum comprehensæ sunt virtutes infusæ. Dona quippe sunt Dei, & quidem præstantissima. Et noluerunt Patres præiudicare opinioni Scoti & sequacium ipsius, qui credunt, dona Spiritus sancti non distingui à virtutibus infusis. Quare ergo distinxerunt Patres gratiam à donis, cum Scotus & ipsius sectatores, & communiter etiam Nominales, gratiam eandem esse dicant caritati? Nullum præiudicium factum est huic opinioni. Sunt enim ex sententia omnium Catholicorum fides & spes infusæ, dona Dei à gratia distincta.

Dubium 1. Respon. Dubium 2. Respon. Gratia lumen. Dubium 3. Respon. d.34.3. Dubium 4. Respon.

Non est autem hic facta caritatis mentio sub nomine caritatis, sed sub nomine gratiæ: quia licet caritas & gratia, vna & eadem qualitas sit, sanctificamur tamen magis per illam, quatenus gratia est, & nos gratos Deo facit, quam quatenus caritas est, & nos Dei amatores efficit.

Iustificamur magis per caritatem, quatenus gratia est, quam quatenus caritas.

Qua ratione tandem adiectum est verbum, *Voluntariam*? An non sanctificantur paruuli in baptismo per susceptionem gratiæ & donorum? Sufficit quidem ad sanctificationem qualiscunque Dei gratiæ & donorum susceptio, sed hic de sola sanctificatione adultorum agitur. Et vt significaretur, neminem adultorum absque propria voluntate sanctificari, adiectum est verbum,

Dubium 5. Respon.

bum,

bum, voluntariam. Voluerunt etiam Patres hoc loco stabilire veritatem fidei aduersus dogma Lutheri, asserentis etiam nolentes & reluctantes adultos iustificari. Docueruntque hoc verbo, adeò verum esse, neminem adultorum iustificari, nisi volentem, vt ipsa etiam susceptio donorum iustificantium, quæ totaliter sunt à Deo, nemini, nisi præuia voluntate, contingat. Itaque cum multa Deus beneficia homini absque eius voluntate, immo repugnante ipsius voluntate, elargitur, beneficium iustificationis nemini, nisi præuio ipsius assensu & voluntate, impartitur.

Et hæc quidem satis esse possunt pro explicatione literali eorum, quæ Patres tradidere circa descriptionem iustificationis. Verum altius ista repetenda sunt, vt & nomen & rem iustificationis, & beneficia, quæ in se continet, plenius agnoscamus.

CAPVT III.

De significatione huius nominis iustificatio, & triplici acceptione eius.

QVONIAM secundum doctrinam Philosophicam, omnia multiplicia prius diuidenda sunt, quam diffinienda; & qui suo quidquid ordine explicare cupit, statuere ante omnia debet certã aliquam, quantum fieri poterit, significationem & acceptionem nominis rei, de qua agit: de nomine ipso iustificationis, & multiplici ipsius acceptione, pauca quædam præmittemus.

Quid significet nomen, iustificatio, ipsa nominis etymologia docere satis nos potest. Trahit enim iustificatio originem à verbo, *iustificare*. Iustificare autem, quia ex iustum & facio, componitur, aperte significat iustum facere, sicut sanctificare sanctum facere, & rectificare rectum facere. Et iustificari, passiue idem est, quod iustum fieri: & sanctificari, sanctum fieri: & rectificari, rectum fieri. Itaque iustificatio nihil aliud est, quam iusti effectio. Et tot modis opus est iustificationem accipi, quot modis accipiũtur iustificare & iustificari. Tres autem præcipuas & magis frequentes huius verbi iustificare, acceptiones, apud scripturas & sanctos Doctores legi: & totidem consequens est esse huius nominis, iustificatio.

Definitio quid nominis iustificationis

Tres acceptiones iustificationis.

Aliquando iustificari idem est, quod aliquem pronunciari & ostendi iustum & innoxium. Et in hac significatione frequenter vsurpatur à iurisconsultis, & pro vocabulo habetur forensi. Idemque est, aliquem in foro iustificari: quod, absolui à criminibus, de quibus accusabatur, innocentemque & iustum à suo iudice diffiniri & pronunciari. Et sic vsus est Saluator noster hoc vocabulo, cum apud Matthæum dicit: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Nam cum statim dixisset, reddituros rationem omnes homines in die iudicij de omni verbo ocioso, quod locuti fuerint, istis verbis, quæ mox subiecit, hoc voluit profecto significare, vnumquenq; iuxta verba sua pronunciandũ vel iustum, vel reum: & ex consequenti, vel absoluendum esse, vel damnandum in die iudicij. Et in hunc sensum Pharisæis auaris improperauit, quod se iustificarent coram hominibus, hoc est, iustos ostenderent, pronunciarent, & iactarent. Et quendam legisperitum Lucas dicit, cum vellet iustificare seipsum, hoc est, ostendere se iustum, rogasse Christum, quis esset suus proximus. Cumque Paulus dicit, eũ, qui mortuus est, peccato, per Baptismum iustificatum esse à peccato, hoc nimirum nos docuit, liberatum esse & absolutum prorsus à peccato, quicunq; in Christo Iesu baptizatus est. Et apertissime Dauid accepit in hac significatione, cum dixit: *Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate.* Vtque in eo sensu hoc vocabulo se vsum apertius faceret, subiunxit: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Notabat enim his verbis iudices, qui cum diuites facilime absoluerent, & liberarent à criminibus eis intentatis, tamen pauperes, à quibus nullum quæstum expectabant, diu patiebantur in carceribus & compedibus esse, neque eos iustos & innocentes pronunciabant, & cito expediebant. Et in eundem sensum scripsit Salomon: *Qui iustificat impium, & qui condemnat iu-*

Prima acceptio iustificationis.

Matth. 12

Psal. 81

Prou. 17

nat iu-

nat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Et Esaias, Væ prænunciat illis, qui iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo. Iustificare impium pro muneribus, & iustitiam iusti ab eo auferre, eos vtique intellexit, qui impium ob munera ab eo susceptа, iustum & innocentem pronunciabant, & iustum ab eis calumniose accusatum, velut reum & nocentem condemnabant. De quibus statim dixerat: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Neque alium in sensum dixit Iob: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Idem est etenim, si iustificare me voluero: ac si apertius diceret, Si me voluero pronunciare & asserere iustum. Vnde & continenter addidit: *Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Et alibi: *Nunquid iustificari potest homo compositus Deo?* Solus namque Deus iustificabitur, & nullus poterit vere pronunciari iustus, si conferatur ipsius iustitia ad diuinam. Et ideo in Euangelio publicani & peccatores dicuntur Deum iustificasse, quia dum ad prædicationem Ioannis conuersi sunt, & illius baptismo baptizati sunt, Deum multipliciter ostenderunt iustum. Primo enim, vt dicit Ambrosius, in hoc declararunt Deum non ad indignos, sed vel ad innocentes, vel ad iustos munera sua transferre. Secundo in hoc aperuerunt, iustum esse Deum, tum in suis præceptis, tum in pœnis, quas à peccatoribus obstinatis reposcit, & merito agendam esse pœnitentiam de eorum transgressione. Tertio recipientes prædicationem Ioannis, hoc ipso probabant illum esse iustum & veracem, qui iuxta pollicita sua talem & tam sanctum virum ante se miserat. Et sicut bene dicit Eusebius Emissenus, ipsa confessio peccatorum nostrorum, ipsa fides, ipsa spes in Deum, ostendunt & prædicant non solum Dei misericordiam, sed & Dei iustitiam. In hunc etiam sensum iustificata dicitur sapientia ab omnibus filijs suis, quia absoluta est, & iusta pronunciata & ostensa, iudicio omnium filiorum suorum, id est, omnium electorum. Omnes quippe se ei sponte subdentes recipit, & omnes perfidos abijcit, nihilque ab ea prætermissum est, quod ad iustificationem nostram pertineat. Et sic Hierusalem dicitur iustificasse sorores suas Samariam & Sodomam, quia magnitudine suorum scelerum ostendit eas iustas, si quidem ad eam conferantur.

Iustificare impium pro muneribus.

Iob 9.

Iob 4.

Iustificatus Deus 4. ab eis, qui receperunt Ioann.

Præter hanc iustificationis acceptionem, secundo iustificare accipitur in scriptura & apud sacros authores, pro eodem, quod est, vere & reipsa facere iustum: sicut rectificare, pro eodem, rectum facere: & purificare seu mundificare, pro eodem, quod, facere purum aut mundum. Et sic in scriptura dicitur Deus iustificare peccatores, quia illos iustos facit: & peccatores dicuntur iustificari, cum iusti fiunt. Et in hac significatione vtuntur vt plurimum verbo iustificandi, Doctores, cum agunt de iustificatione. Et sic Paulus manifeste vtitur hoc verbo, cum de Deo dicit: *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit.* Et paulo post: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat?* Et cum dixit Corinthijs, eos esse iustificatos in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri, profecto tantundem voluit dicere, ac si dixisset eos effectos esse iustos, & per Christum, & per spiritum sanctum. Et est ista acceptio magis cognata & affinis etymologiæ huius nominis iam expressæ. Et quia quod sumus, dicimur: & qui nos pronunciant iustos, faciunt & iustos in conspectu aliorum, hinc natam priorem huius vocabuli acceptionē crediderim, vt iustificare idem sit, quod, ostendere & pronunciare iustum, seu, quod idem est, à reatibus alicui obiectis eum absoluere. Et frequentia ista sunt in alijs similibus verbis. Sanctificare quippe dicimus, quod sanctum vel facimus, vel pronunciamus: & magnificare, quod dicimus vel facimus magnum.

Secunda iustificationis acceptio.

Rom. 8.

Præter has acceptiones, quæ magis consuetæ sunt inuenio tertio acceptum in scripturis verbum iustificari, pro eodem, quod proficere seu crescere in iustitia. Et sic Ioannes accepit in Apocalypsi cum dixit: *Qui iustus est, iustificetur adhuc & qui sanctus est, sanctificetur.*

Tertia acceptio iustificationis.

Apoc. 22.

stificetur adhuc. Quid est aliud, *iustificetur adhuc*, quam, fiat iustior, fiat sanctior, etiam postquam iustificatus est, detq; operam, vt promoueat in sanctitate & iustitia? Et alibi scriptum est: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*, hoc est, ne verearis vsque ad mortem pijs & iustis operibus studere: daque operam, non obstante quocunque periculo & incommodo, proficere de virtute in virtutem, & de die in diem magis secundum interiorem hominem renouari. Et sic ditari dicitur non is tantum qui ex paupere diues fit, sed qui ex diuite ditior fit. Quo sensu & infra monstrabimus Iacobum dixisse, iustificatum esse Abraham ex operib. dum obtulit filium suum. Atque hinc natum videtur, vt qui proficit in iustitia vere dicatur iustificari: quia qui proficit in iustitia, aliquo in gradu fit iustus, in quo ante non erat: & aliquem nouum gradum iustitiæ acquirit, quem ante non habebat, vt merito ratione illius non solum possit dici fieri iustior, sed proprie iustificari. Itaque & prima & tertia acceptio iustificandi, ortum habent à secunda, quæ vt communior & solennior, sic & genuina magis est. Et si in hac tertia significatione inueniatur alicubi vsurpatum actiuum, iustificare, idem erit sic iustificare, quod, augere alicuius iustitiam, & eum efficere iustiorem.

Eccl. 18

Cum autem iustificare & iustificari, in quauis istarum acceptionum distinctas habeant, sicut actiuum & passiuum, significationes, nomen iustificatio vtrāq; complectitur, & nunc actiue, nunc passiue accipitur: sicut dealbatio, & calefactio, & similia, nunc actiuè, nunc passiuè accipiuntur, & nunc actionem, nunc passionem significant. Actiue capitur iustificatio, cum dicitur esse proprium opus Dei. Passiuè accipitur, cum dicitur esse mutatio quædam dexteræ excelsi, qua quis de iniusto fit iustus, vel de iusto iustior. Et iustificatio quidem actiue, si volumus habere aliquam ipsius diffinitionem quid nominis, qua omnes simul acceptiones complectatur, est actio, qua Deus vel aliquis alius, pronunciat aliquem seu facit iustum vel iustiorem. Passiue vero iustificatio, est passio seu mutatio, qua aliquis pronunciatur vel fit iustus, aut iustior. Quamuis autem correlatiuorum eadem sit disciplina, & impossibile sit, vnum correlatiuum explicari, quin explicetur & alterum, in proposito tamen magis de iustificatione passiue agemus, quam de iustificatione actiuè. Nam de iustificatione actiue tractare, ad septimum librum magis pertinet.

CAPVT IV.

De multiplici iustitia, à qua potest dici quis iustus, & quæ sit proprie iustitia, qua homo iustificatur, & à qua simpliciter appellatur iustus.

VERVM quia iustificari, iuxta nominis Etymologiā, idē est, vt diximus, quod fieri iustum: iustus autem à iustitia quis dicitur, vt exacte intelligamus, de qua iustificatione in proposito sit sermo: multiplicitatem iustitiæ aperire operæ precium erit: & quæ sit iustitia, explicare, qua iustificari quempiam nunc dicimus, & simpliciter iustum appellari. Et quidem cum varie accipiatur iustitia, & apud scripturam, & apud Ecclesiasticos & Latinos authores, & nunc quidem pro integritate & fide vsurpetur, nunc prò gratia & amicitia, nunc pro eleemosyna: in proposito generaliter iustitiam accipimus pro exhibitione vel redditione alicuius debiti, & eos iustos appellamus, qui reddunt quod cuiq; debent.

Quia vero & alia alijs debemus, & diuersimode reddi possunt, & redduntur, multiplicem inuenio apud Doctores iustitiam. Est quædam iustitia interna, alia externa. Est iustitia Mosaica siue legalis, & iustitia Christiana & Euangelica. Est iustitia fidei, & iustitia operum. Est iustitia Pharisaica, hypocritica, simulata: & est iustitia verax, syncera & simplex. Est iustitia philosophica seu moralis, & est iustitia Theologica siue supernaturalis. Et iustitia moralis duplex est, legalis siue vniuersalis, & particularis. Et particularis in politicā & œconomicā diuiditur. Et tā philosophica quā Theologica, aut actualis potest esse, aut

Nouem diuisiones iustitiæ.

habitualis iuxta ſententiam communem Doctorum Theologorum, aut acquiſita, aut infuſa.

Iuſtitia externa.

Eſt autem iuſtitia externa, cæremonialis quædam & accurata exteriorum præceptorum obſeruantia. Cui exacte obſeruandæ & explendæ, quia vigilanter & attente ſtudebant Phariſæi & hypocritæ, & ſtudent ſemper quicunque non vere, ſed ſimulate ſunt iuſti, ſeque alijs vt iuſtos venditare ſunt ſoliti, eadem & Phariſaica, & hypocritica, & ſimulata, & operum exteriorum iuſtitia dicitur.

Iuſtitia interna.

Interna vero iuſtitia appellatur, quædam ſolicita exhibitio fidei, ſpei, caritatis, pietatis & religionis, aliorumque animi interiorum affectuum, qui nobis partim in Deum, partim in proximum præcepti ſunt.

Iuſtitia Moſaica.

Iuſtitiam Moſaicam ſiue legalem dicimus obſeruantiam præceptorum legis datæ Iſraelitico populo per Moyſen.

Iuſtitia Chriſtiana.

Iuſtitiam vero Euangelicam, ſiue Chriſtianam vocamus, obſeruantiam præceptorum Euangelicorum, quæ nobis data ſunt per Chriſtum. Et quia in lege Euangelica multa data ſunt præcepta de fide, quia multa ſunt credenda, pauca vero data ſunt præcepta de ope[illegible]s, præſertim exterioribus, contra vero factum fuit in lege Moyſi: ideo iuſtitia legalis, dicitur ab aliquibus iuſtitia operum: iuſtitia autem Euangelica, iuſtitia fidei.

Iuſtitia moralis.

Iuſtitia moralis vocatur iuſtitia quædam, qua quis bene ſe habet & iuſte, ſecundum præcepta moralia & naturalia.

Iuſtitia legalis.

Et legalis ſiue vniuerſalis, ad omnium virtutum opera, quæ legibus præcepta ſunt, ſe extendit. Eſt enim quædã adæquatio & conformitas morum ad legem.

Iuſtitia particularis.

Particularis autem proprie ſpectat, vt ius ſuum vnicuique tribuat. Et ſi quidem ciuibus tribuatur quod illis debetur, iuſtitia iſta, Politica peculiariter appellatur:

Iuſtitia politica. Iuſtitia œconomica.

ſi vero domeſticis tribuat, quod illis debet, iuſtitia Oeconomica dicitur.

Iuſtitia theologica.

Theologica vero iuſtitia, non tantum ſecundum præcepta moralia & naturalia, mores noſtros componit, ſed & ſecundum præcepta & præſcripta ſupernaturalia, iuſtos nos in noſipſos, & in proximos, & in Deum, & denique in omnes facit & amicos & gratos, & amicos DEI, & acceptos ad vitam æternam, & hæredes ipſius conſtituit. Nam vt Theologia, qua parte practica eſt, & nos & proximos & Deum ipſũ in primis reſpicit, & quæ in nos & proximos & in Deum ſeruare oportet, vt conſequamur veram & beatam vitam, exacte docet:

Iuſtitia theologica.

ita Theologica iuſtitia dici poteſt rectitudo ſufficiens ad conſequendũ beatitudinem, vel obſeruantia præceptorum, quæ Theologia ipſa docet & tradit. Et de hac vna iuſtitia, ſiue ea actualis ſit, ſiue habitualis, ſiue qualitas creata, ſiue tantum fauor & acceptatio DEI, & aſſiſtentia ipſius ſpecialis, Theologi Scholaſtici, Doctores ſancti, & ipſæ ſcripturæ loquuntur, cum aliquem iuſtificari, vel iuſtum eſſe, & proficere in iuſtitia aſſeuerant. Et de ea vna iuſtitia, intermiſſis reliquis, in præſenti agemus.

Quoniam vero Doctores Scholaſtici eã in actum & habitum partiuntur, & habitum in acquiſitum diuidunt & infuſum, vt illi intelligantur, neque nos iſta lateant, quæ conferre poſſunt ad pleraque digna intellectu clarius intelligenda, adijciam iam dictis & iſta:

Iuſtitia actualis.

Quando iſta præcepta vel moralia, vel Theologica, vel naturalia, vel ſupernaturalia, actu præſtamus, vt per ea opera vel acquiramus amicitiam diuinam, & acceptionem & ius ad vitam æternam, vel in iſtis proficiamus, ipſa eorum executio, iuſtitia actualis vocatur.

Iuſtitia habitualis.

Quando vero in nobis eſt aliqua qualitas permanens, quæ nos promptos faciat & expeditos ad ea exequenda, ea qualitas iuſtitia habitualis appellatur.

Iuſtitia habitualis acquiſita.

Et habitualis iuſtitia acquiſita, ſiue ea moralis tantum ſit, ſiue Theologica, eſt habitus ſiue conſuetudo bonis operibus comparata, inclinans nos & pronos ſeu procliues efficiens ad ſimiliũ bonorum operum exercitia his, ex quibus genita eſt.

Iuſtitia habitualis infuſa.

Infuſa vero, dicitur habitus à Deo infuſus, quo nos ſibi gratos, & in ipſius oculis iuſtos facit, & ad ea, quæ ſibi placent, facilius & lætius exequenda, virtutem & facilitatem tribuat. Et quoniam, qui hæc habet, præcepta omnia ſeruat, neque aliquid quod alicui debeat, præterit &

erga

erga omnes æquus & rectus est, solos eos Theologus appellat iustos, qui hanc iustitiam habent.

Iustitia Theologica Dei est, Christi, ac nostra.

Quia vero iustitiam Theologicam, quidquid illa sit, Deus Optimus Maxim. donat nobis propter merita Christi & in gratiam ipsius, ea iustitia Dei, & Christi & nostra dicitur: Dei, quia meritis ipsius communicata: nostra, quia nobis inhæret. Et quia ea nulli vnquam adulto contigit, nisi per fidem & per merita Christi, eadem & iustitia Christiana, & Euangelica dicitur, & iustitia fidei dici posset. Et secundum hanc vnam simpliciter iustificantur, & ab ea iusti sunt & appellantur, quicunq; iusti dicuntur. Deque ea vna nobis erit in toto hoc tractatu agendum.

Iustitia Dei, Christiana, Euangelica, Fidei.

CAPVT V.

De illis quæ in se complectitur iustificatio nostra.

EXPRESSIMVS vtcunque, quæ sit iustitia, de qua in præsentia tractamus: & quid nomen iustificatio significet, & quam multiplex sit, siue actiue, siue passiue accipiatur. Sed nondum, quid in re iustificatio nostra sit, quæque iuxta diffinitionem Patrum complectatur, & comprehendat, attigimus. Hoc igitur, dabimus nunc diligentem operam, vt perspicuum & apertum omnibus faciamus. Sed vt pressius & exactius, quid ipsa sit iustificatio, intelligamus: prius quæ in se concludit, exponemus & confirmabimus. Et quidem, quo magis magisque mecum expendo bona cuiuscunque iustificati, quæ quidem & multa & eximia sunt, ad quatuor, in summa à Patribus expressa, quæ facilime memoria teneri poterunt, ea omnia non incommode reduci posse intelligo. Primum est reconciliatio cum Deo. Secundum est remissio peccatorum quoad culpam, & quoad pœnam vel partem ipsius. Tertium est renouatio interioris hominis. Quartum, ius & acceptatio ad gloriam æternam.

Quatuor complectitur iustificatio.

Sicut per peccata inimici fimus Deo, & iram illius & reatum ad pœnas graues incurrimus, & bona interioris hominis pene omnia deperdimus, & ius ad gloriam amittimus: ita cum iustificamur, redimus in gratiam Dei, liberamur à reatu pœnæ æternæ, renouamur secundum interiorem hominem, & acceptamur ad vitam æternam hæredesque ipsius constituimur. Reparat enim pene omnia mala, quæ per peccatum incurrimus, vel irritat potius, & quassat iustificatio, & reuocat, secumque adducit omnia bona, quæ per peccatum perdidimus. Neque leuia aut parui momenti bona ista sunt, quæ in se complectitur iustificatio, sed magna, & omnino præstantissima. Eaque si pro meritis existimarent & perpenderent apud se iusti, difficilime trahi possent in peccatum. Et vel eorum consideratio, & spes illa assequendi, emollire deberet & inflectere omnes peccatores ad pœnitentiam. Vnde & Christus Episcopum Ephesi vna memoria status, à quo ceciderat, per Ioannem Apostolum ad pœnitentiam hortatur, dicens: *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam.* Apoc. 2. Sed vt melius beneficia ista, & eorum dignitatem & valorem agnoscamus, neque intactam videamur præterire rei, de qua agimus, magnitudinem, libet singula istorum bonorum singulatim & seorsum explicare, & ipsis scripturarum sacrarum oraculis, ne ficta aut commentitia existimentur, ea omnia probare.

CAPVT VI.

De primo bono iustificationis.

Primum bonum iustificationis.

EST itaque primum bonum iustificationis, reconciliatio cum Deo. Habet hoc omne lethale peccatum, vt odibiles & Deo exosos omnes peccatores constituat. *Odio*, inquit Salomon, *sunt Deo & impius, & impietas eius.* Sap. 14. Et alibi: *Abominatio Domini est omnis illusor.* Prou. 3. *Et odisti*, ait regius Psaltes Deo, *omnes operantes iniquitatem.* Psal. 5. Et Ecclesiasticus inquit: *Altissimus odio habet peccatores.* Eccl. 12. Et sicut alias scriptura testatur, iniquitates sunt, quæ inter nos & ipsum Deum diuidunt, quæque nos separant & elongant ab ipso. Esa. 59. Longe etenim Dominus ab impijs, & cum sit sum-

habitualis iuxta sententiam communem Doctorum Theologorum, aut acquisita, aut infusa.

Iustitia externa.

Est autem iustitia externa, cæremonialis quædam & accurata exteriorum præceptorum obseruantia. Cui exacte obseruandæ & explendæ, quia vigilanter & attente studebant Pharisæi & hypocritæ, & student semper quicunque non vere, sed simulate sunt iusti, seque alijs vt iustos venditare sunt soliti, eadem & Pharisaica, & hypocritica, & simulata, & operum exteriorum iustitia dicitur.

Iustitia interna.

Interna vero iustitia appellatur, quædam solicita exhibitio fidei, spei, caritatis, pietatis & religionis, aliorumque animi interiorum affectuum, qui nobis partim in Deum, partim in proximum præcepti sunt.

Iustitia Mosaica.

Iustitiam Mosaicam siue legalem dicimus obseruantiam præceptorum legis datæ Israelitico populo per Moysen.

Iustitia Christiana.

Iustitiam vero Euangelicam, siue Christianam vocamus, obseruantiam præceptorum Euangelicorum, quæ nobis data sunt per Christum. Et quia in lege Euangelica multa data sunt præcepta de fide, quia multa sunt credenda, pauca vero data sunt præcepta de operibus, præsertim exterioribus, contra vero factum fuit in lege Moysi: ideo iustitia legalis, dicitur ab aliquibus iustitia operum: iustitia autem Euangelica, iustitia fidei.

Iustitia moralis.

Iustitia moralis vocatur iustitia quædam, qua quis bene se habet & iuste, secundum præcepta moralia & naturalia.

Iustitia legalis.

Et legalis siue vniuersalis, ad omnium virtutum opera, quæ legibus præcepta sunt, se extendit. Est enim quædã adæquatio & conformitas morum ad legem.

Iustitia particularis.

Particularis autem proprie spectat, vt ius suum vnicuique tribuat. Et si quidem ciuibus tribuatur quod illis debetur, iustitia ista, Politica peculiariter appellatur:

Iustitia politica.

Iustitia œconomica.

si vero domesticis tribuat, quod illis debet, iustitia Oeconomica dicitur.

Iustitia theologica.

Theologica vero iustitia, non tantum secundum præcepta moralia & naturalia, mores nostros componit, sed & secundum præcepta & præscripta supernaturalia, iustos nos in nosipsos, & in proximos, & in Deum, & denique in omnes facit & amicos & gratos, & amicos DEI, & acceptos ad vitam æternam, & hæredes ipsius constituit. Nam vt Theologia, qua parte practica est, & nos & proximos & Deum ipsũ in primis respicit, & quæ in nos & proximos & in Deum seruare oportet, vt consequamur veram & beatam vitam, exacte docet: ita Theologica iustitia dici potest rectitudo sufficiens ad consequendũ beatitudinem, vel obseruantia præceptorum, quæ Theologia ipsa docet & tradit.

Iustitia theologica.

Et de hac vna iustitia, siue ea actualis sit, siue habitualis, siue qualitas creata, siue tantum fauor & acceptatio DEI, & assistentia ipsius specialis, Theologi Scholastici, Doctores sancti, & ipsæ scripturæ loquuntur, cum aliquem iustificari, vel iustum esse, & proficere in iustitia asseuerant. Et de ea vna iustitia, intermissis reliquis, in præsenti agemus.

Quoniam vero Doctores Scholastici eã in actum & habitum partiuntur, & habitum in acquisitum diuidunt & infusum, vt illi intelligantur, neque nos ista lateant, quæ conferre possunt ad pleraque digna intellectu clarius intelligenda, adijciam iam dictis & ista:

Iustitia actualis.

Quando ista præcepta vel moralia, vel Theologica, vel naturalia, vel supernaturalia, actu præstamus, vt per ea opera vel acquiramus amicitiam diuinam, & acceptionem & ius ad vitam æternam, vel in istis proficiamus, ipsa eorum executio, iustitia actualis vocatur.

Iustitia habitualis.

Quando vero in nobis est aliqua qualitas permanens, quæ nos promptos faciat & expeditos ad ea exequenda, ea qualitas iustitia habitualis appellatur.

Iustitia habitualis acquisita.

Et habitualis iustitia acquisita, siue ea moralis tantum sit, siue Theologica, est habitus siue consuetudo bonis operibus comparata, inclinans nos & pronos seu procliues efficiens ad similiũ bonorum operum exercitia his, ex quibus genita est.

Iustitia habitualis infusa.

Infusa vero, dicitur habitus à Deo infusus, quo nos sibi gratos, & in ipsius oculis iustos facit, & ad ea, quæ sibi placent, facilius & lætius exequenda, virtutem & facilitatem tribuat. Et quoniam, qui hæc habet, præcepta omnia seruat, neque aliquid quod alicui debeat, præterit & erga

erga omnes æquus & rectus est, solos eos Theologus appellat iustos, qui hanc iustitiam habent.

Iustitia Theologica Dei est, Christi, ac nostra.

Quia vero iustitiam Theologicam, quidquid illa sit, Deus Optimus Maxim. donat nobis propter merita Christi & in gratiam ipsius, ea iustitia Dei, & Christi & nostra dicitur: Dei, quia meritis ipsius communicata: nostra, quia nobis inhæret. Et quia ea nulli vnquam adulto contigit, nisi per fidem & per merita Christi, eadem & iustitia Christiana, & Euangelica dicitur, & iustitia fidei dici posset. Et secundum hanc vnam simpliciter iustificantur, & ab ea iusti sunt & appellantur, quicunq; iusti dicuntur. Deque ea vna nobis erit in toto hoc tractatu agendum.

Iustitia Dei, Christiana, Euangelica, Fidei.

CAPVT V.

De illis quæ in se complectitur iustificatio nostra.

EXPRESSIMVS vtcunque, quæ sit iustitia, de qua in præsentia tractamus: & quid nomen iustificatio significet, & quam multiplex sit, siue actiue, siue passiue accipiatur. Sed nondum, quid in re iustificatio nostra sit, quæque iuxta diffinitionem Patrum complectatur, & comprehendat, attigimus. Hoc igitur, dabimus nunc diligentem operam, vt perspicuum & apertum omnibus faciamus. Sed vt pressius & exactius, quid ipsa sit iustificatio, intelligamus: prius quæ in se concludit, exponemus & confirmabimus. Et quidem, quo magis magisque mecum expendo bona cuiuscunque iustificati, quæ quidem & multa & eximia sunt, ad quatuor, in summa à Patribus expressa, quæ facilime memoria teneri poterunt, ea omnia non incommode reduci posse intelligo. Primum est reconciliatio cum Deo. Secundum est remissio peccatorum quoad culpam, & quoad pœnam vel partem ipsius. Tertium est renouatio interioris hominis. Quartum, ius & acceptatio ad gloriam æternam.

Quatuor complectitur iustificatio.

Sicut per peccata inimici simus Deo, & iram illius & reatum ad pœnas graues incurrimus, & bona interioris hominis pene omnia deperdimus, & ius ad gloriam amittimus: ita cum iustificamur, redimus in gratiam Dei, liberamur à reatu pœnæ æternæ, renouamur secundum interiorem hominem, & acceptamur ad vitam æternam hæredesque ipsius constituimur. Reparat enim pene omnia mala, quæ per peccatum incurrimus, vel irritat potius, & quassat iustificatio, & reuocat, secumque adducit omnia bona, quæ per peccatum perdidimus. Neque leuia aut parui momenti bona ista sunt, quæ in se complectitur iustificatio, sed magna, & omnino præstantissima. Eaque si pro meritis existimarent & perpenderent apud se iusti, difficilime trahi possent in peccatum. Et vel eorum consideratio, & spes illa assequendi, emollire deberet & inflectere omnes peccatores ad pœnitentiam. Vnde & Christus Episcopum Ephesi vna memoria status, à quo ceciderat, per Ioannem Apostolum ad pœnitentiam hortatur, dicens: *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam.* Sed vt melius beneficia ista, & eorum dignitatem & valorem agnoscamus, neque intactam videamur præterire rei, de qua agimus, magnitudinem, libet singula istorum bonorum singulatim & seorsum explicare, & ipsis scripturarum sacrarum oraculis, ne ficta aut commentitia existimentur, ea omnia probare.

Apo. 2.

CAPVT VI.

De primo bono iustificationis.

EST itaque primum bonum iustificationis, reconciliatio cum Deo. Habet hoc omne lethale peccatum, vt odibiles & Deo exosos omnes peccatores constituat. *Odio*, inquit Salomon, *sunt Deo & impius, & impietas eius.* Et alibi: *Abominatio Domini est omnis illusor. Et odisti*, ait regius Psaltes Deo, *omnes operantes iniquitatem.* Et Ecclesiasticus inquit: *Altissimus odio habet peccatores.* Et sicut alias scriptura testatur, iniquitates sunt, quæ inter nos & ipsum Deum diuidunt, quæque nos separant & elongant ab ipso. Longe etenim Dominus ab impijs, & cum sit sum-

Primum bonum iustificationis.

Sap. 14.

Prou. 3.

Psal. 5.

Eccl. 12.

Esa. 59.

sit summa sanctitas, & iustitia perfectissima, respicere ad iniquitatem non potest: sed indicibili prosequitur odio omnes peccatores, & auertit & abscondit oculos suos ab eis, neque eorum fœditatem & deformitatem videre sustinet. Et quanquam pro suæ misericordiæ immensitate iram suam & odium in ipsos mirum in modum hic attemperat, & patienter & longanimiter eorum impietatem ad tempus fert, & cum iratus fuerit, misericordiæ suæ recordatur, vt velut grauate & cum dolore de illis videatur vltionem sumere, tamen tandem obstinatos & pertinaces irremediabilibus addicit, pro suis demeritis, pœnis, & lætatur disperdens eos. Hoc autem tantum & tam graue malum, quodque in primis & super omnia lugendum est in peccatis, aufert primo iustificatio. Reconciliantur enim Deo peccatores, cum ab eo iustificantur. Et hoc beneficium Paulus expressit, dicens: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Et alibi: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quantum autem & quam incomparabile sit istud beneficium, non solum ex malo, cui opponitur, quod grauissimum est omnium malorum, & ex bonis, quæ ex eo sequuntur, quæ statim aperiemus, manifestum esse potest: sed ex seipso, si bene aduertamus, facile possumus perspicere. Quis non magni facit, in gratia esse sui domini, sui parētis, sui prælati, sui ducis, sui principis, sui regis? Quid sunt autem omnes prælati & principes, si ad regem & Dominum dominantium, & ad illum patrem misericordiarum optimum, sapientissimum, & potentissimum, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra, conferantur? Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Crescit vero hoc beneficium non parum ex eo, quod ingratis & immeritis & omnino indignis confertur. Nam quanto minus meretur aliquod beneficium, qui illud recipit, tanto probatur benignitas & liberalitas illud conferentis esse maior. Auget & illud hoc beneficium quod non solum redeunt peccatores, cum iustificantur, in gratiam cum Deo, sed in eam gratiam redeunt quæ proprie filiorum & amicorum est. Recipit sic benigne Deus peccatores reuertentes ad se, & ita viscera misericordiæ suæ illis aperit, vt & filiorum & amicorum suorum nomine mox honorificet, neque dedignetur filios & amicos appellare, qui paulo ante, ipso contempto, patrem alium sibi elegerant, & fœdus cum ipsius inimico pepigerant. *Vos*, ait, *amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* In quæ verba pulchre Gregorius: *O quanta est misericordia cōditoris nostri. Serui digni non sumus, & amici vocamur. Quanta est dignitas hominum, esse amicos Dei?*

Rom. 5
2. Cor. 5
Ioan. 15
Greg. ho. 27. in Euan.

CAPVT VII.

De secundo beneficio iustificationis.

Beneficium 2. iustificationis.

SECVNDVM beneficium, quod in se claudit iustificatio nostra, est remissio peccati quoad pœnam totam debitam peccato, vel saltem quoad pœnam æternam. Sequitur enim quodcunque peccatum mortale reatus ad pœnas damni & sensus æternas, vt infra docebimus ex scripturis. Non est enim inane, neque parum formidandum odium Dei. Neminem odit sine magno ipsius damno. Et primo quidem, quia peccatores auertentes se à Deo, propter inobedientiam & ingratitudinem suam, atque immunditiam & turpitudinem secutam ex peccato, indigni sunt, qui ad Dei conspectum & pulcherrimam & mundissimam ciuitatem Hierusalem admittantur: miserando ac perpetuo exilio damnant, reique fiunt carendi in æternum & visione Dei, & societate sanctorum. Deinde vero, quia creaturas peperā amarunt, vt torqueantur à creaturis, & pugnet orbis terrarum contra insensatos, ad perpetua & nunquam terminanda Gehennalis ignis tormenta obligantur, quibus comparata quæcunque hic nos affligunt, picta potius sunt, quam viua, tormenta. Et hæc sequetur vermis ille, qui non morietur, sed damnatorum omnium conscientias crudelissime semper excarnificabit. Hisque malis accedet societas omnium malorum, & totius

Lib. 14

tius nequitiæ mundi, & habitatio supra quam dici potest, pessima, vbi nullus ordo, nulla lætitia, nulla pax, nulla quies, sed sempiternus luctus, sempiternus horror, sempiternus dentium stridor, sempiterna iurgia, sempiternæ maledictiones & blasphemiæ. Ab his autem omnibus teterrimis & grauissimis malis, liberat hoc secundum beneficiũ iustificationis. Quos enim in suam gratiam recipit Deus, ab horum omnium reatu eripit. Vnde & Paulus saluos esse ab ira per Christum, pronunciat omnes Deo reconciliatos. Et par profecto non erat, neque omnino, saltem secundum legem Dei, fieri poterat, vt alicui tantorum malorum, quæque Deus in solos peccatores & sibi inimicos parauit, obnoxius esset, qui iustificatur à suis peccatis, & in gratiam ipsius redit. Atque ideo, mox vt aliquem Deus iustificat, & sibi reconciliat, vel ei omnem pœnam debitam pro peccatis condonat, vt in baptismo, vel certe à reatu pœnæ æternæ absoluit, licet propter debilitatem & imperfectionem pœnitentiæ, quæ ad ipsum plerunque redeunt peccatores, reos illos relinquat, & obnoxios aliquibus pœnis temporalibus, vel hic, vel in Purgatorio ab eis exoluendis.

Matth. 8. 13. 22. 24. 25.

CAPVT VIII.

De tertio bono Iustificationis.

Beneficium iustificationis.

TERTIVM beneficium annexum iustificationi, est renouatio interioris hominis. Deturpant animam peccata, maculant, sordidant, fragilem & tardam ad bonum, instabilem & procliuem ad malum; debilem ad resistendum tentationibus efficiunt, & eam languere vsq; ad mortem faciunt, ne currat per viam mandatorum Dei, ne alacris sit, ne hilaris, ne læta, ne quiescat, ne somnum dulcem vnquam capiat, sed iugiter flamma suorum vitiorũ exæstuet, ardeat, & sibiipsi displiceat. Vnde & à sanctis doctoribus nunc lepræ, nunc paralysi, nunc hydropisi comparantur. Et libertatem etiam spiritus peccata auferunt, & dæmoni, & mundo, & carni & sibiipsis, hoc est, ipsis nostris prauis affectibus nos subijciunt, & duri vinculis & compedibus misellas nostras animas constrictas, in seruitutem plusquam ferream & Ægyptiacam, contradunt. Hebetant & aciem nostrorum sensuum, ne audiamus voces & inspirationes Dei: ne videamus mala, quę nobis imminẽt: ne trahamur post Dominum odore fragrantissimorum exemplorum, quæ nobis sancti præbuerunt ne gustemus, quam suauis est Dominus: ne sentiamus flagella, quibus excitamur ad pœnitentiam. Expoliant insuper nos peccata diuitijs spiritualibus donorum & virtutum, expoliant honore, decore & bona fama, nudos nos, pauperes, viles, abiectos, infames, & steriles bonis operibus constituunt. Aurum tollunt sapientiæ colorem optimum caritatis exterminant; lapides preciosos virtutum dispergunt, aut certe obnubilant & obscurant. Pacem conscientiæ & lætitiam expellunt, calorẽ & feruorem spiritus eliminant, & horrendos nos reddunt, & fœtidos in conspectu Dei & sanctorum suorum. Et tandem impletur illud, quod olim lugebat Hieremias: *Filij Sion incliti, amicti auro primo, reputantur in vasa testea. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in vijs: & qui nutriebantur in croceis, amplexantur stercora. Candidiores niue nitidiores lacte, & rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.* Cumque tot & tam grauia mala nobis concilient peccata, quando nos Deus iustificat, non cõtentus est pro sua incõparabili benignitate & humanitate, nobis peccata remittere, & ad suam gratiã tot malis obnoxios recipere, nisi etiam misertus incommodorum quæ nobis attulerunt peccata, interiorem nostrum hominem renouet & reformet. Simul igitur cum iustificatione nostra languores & vulnera nostra sanat, sordes abluit, vincula peccatorum tollit, dominum prauorũ affectuum disrumpit, & seruitute & captiuitate dæmonis liberat. Horrorem & fœtorem peccati adimit, vitia fugat, fomitem mitigat, vitam & libertatem reddit, decorem ac diuitias

Damna ex peccatis.

Peccata quantum homini noceant, & quomodo statim pellantur.

Iustificatus quomodo mutetur.

Thren. 4.

Renouationis interioris bona.

 diuitias

uitias gratiæ & virtutum restituit. Pacem ac lætitiam conscientiæ reddit, collapsas animæ vires reparat & communit, debilitatem sensus exacuit & corroborat, pronos in bonum facit, tardos & difficiles ad malum, fortesque & constantes ad resistendũ tentationibus, fœcundos bonis operibus. Fidem & spem viuificat, caritatem accendit, prudentiam, sapientiam, & scientiam largitur, religionem & pietatem tribuit, iustitiam præbet, fortitudinem affert, temperantiam & humilitatem impartitur. Denique sic omnia interiora innouat, vt merito Paulus baptizatos omnes, renouatos dixerit, nouamque creaturam appellarit. Et eadem causa iustificationem per baptismum, natiuitatem Christus vocauit, & Ioannes & Iacobus generationẽ, & ipse Paulus regenerationem. Qui & ipsi Christi resurrectioni eam comparauit. Et Dauid olim sub nomine creationis & renouationis omnem iustificationem expressit. Neq; qualiscunq; est ista renouatio interioris hominis, quæ fit in iustificatione nostra, sed ita iustificatos omnes pulchros, nitidos, diuites, fortes, constantes, sapientes, nobiles & omnibus virtutibus ornatos facit, vt si omnem pulchritudinem corpoream, omnes diuitias terrestres, omnem gratiam naturalem, omnes honores mundanos, omnem sapiẽtiam & nobilitatem & gloriam huius seculi, imò etiam omnes virtutes studio & diligentia humana partas, ad pulchritudinem & diuitias, sapientiam & gloriam, quã iusti hac renouatione assequuntur, conferamus, sicut flores agri marcescant, quantumcunque præcellentia sint ac magnifica, suumque nitorem & splendorem perdant, & præ nimio iustificati hominis decore & fulgore obnubilentur & obscurentur. Sicut enim cœlum terram, spiritus corpus, æternitas tempus, sic vita gratiæ vitam antecellit naturalem, pulchritudo animæ pulchritudinem corporis, diuitiæ interiores diuitias exteriores, libertas spiritus innatam libertatem voluntatis: & fortitudo & fœcunditas spiritalis, fortitudinẽ & fœcunditatem virium naturalium. Nam fortitudo, & fœcunditas, & pulchritudo, & vita corporis, & diuitiæ exteriores, limitatæ & temporariæ, & oculis duntaxat corporeis appetibiles sunt, & ad ea concursus generalis satis est. Ad vitam autem, decorem, fortitudinem, libertatem, fœcunditatem, & diuitias spirituales concursu speciali & supernaturali Dei opus est, & infinita est suo modo eorum virtus. Ad æternitatem enim parant & perducunt, & non in oculis duntaxat hominum, sed & in oculis spirituum, & ipsius Dei, nitida & pulchra, & speciosa, & preciosa adeo sunt vt & cor illius vulnerent, & ad nostri amorem inflectant, & quod dictu quoque admirabile est, nutui & voluntati iustorum subijciant. Obediuit namq; Dominus Iosuæ dum ad vocem ipsius solem & lunam stare fecit. Et ad Moysen dicit, *Dimitte me vt irascatur furor meus.* Atque hinc Paulus confidenter dicebat: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et rursum: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Et mox certum se subdidit, quod nulla creatura possit eum separare a caritate Dei.* Et hinc quoque nata sunt illa axiomata inter Theologos: Minima gratia sufficit ad resistendum omnibus tentationibus: Minimum opus bonorum iustorum, valorem habet vitæ æternæ apud Deum. Quæ supernaturalia sunt, præstantioris sunt & præcellentioris ordinis, quam naturalia, : & spiritualia, quam corporalia: & infusa, quam acquisita. Et vbi hæc non sufficerent, quæ quidem sufficientissima sunt, vel illud vnum abunde potest omnia ista confirmare, quod hac renouatione assequimur esse quoddam diuini ordinis, ratione cuius ita perficimur, & supra nos tollimur, vt sicut Petrus explicuit, Diuinæ simus consortes naturæ, & sicut Ioannes asseruit, filij DEI nominemur & simus, vereque participatione quadam a Doctoribus sanctis Dij appellemur. Neque dissimulandum est hic vnum, ex quo & istud beneficium vehementer videtur augeri. Cum potuisset DEVS ista omnia absque aliquibus habitibus infusis per peculiarem tantummodo suam assistẽtiam & cooperationem [illegible] in nobis perficere, quo-

Pulchritudo iustorum.

Exod. 32.

Philip. 4

Rom. 8.

quo iustificati perfectiores essent, & in se haberent, vnde facilius & promptius præstare & exequi possent, quæ ipsi placent, infundit eis omnibus præcellentes virtutes & præcellentia dona. Neq; his contenta est largitas & munificentia diuina. Recedente Deo, per peccatum incipiunt in animabus nostris commorari viperæ, colubri, serpētes, dracones, & venenosa alia & pestilentissima animalia. Fiunt siquidem, ob peccata, animæ nostræ habitationes & domus dæmonum, sicut expressit Christus in Euangelio, & Cyrillus 10. super Ioan. cap. 5. Atq; his teterrimis & alijs similibus pestibus dæmones comparantur in scripturis.

Illapsus gratuitus. Cum vero iustificamur, effugatis omnib. ipsis & procul pulsis, illabitur animabus nostris illapsu quodam intimo & omnino admirabili tota Trinitas, & ita se nobis venit & coniungit, & mansionem in nobis facit, templaque nos sua constituit, vt & nos in ipsa, & ipsa in nobis longe aliter & multo intimius & præcellentius sit, quam in cæteris creaturis. Et hoc communiter tuentur Scholastici Doctores post Magistrum. Distinguūt etenim inter communicationem Spiritus sancti & communicationem donorum ipsius. Et asserunt, iustis non tantum conferri in sua iustificatione dona spiritus, sed & ipsum Spiritum sanctum. Et ante illos hæc docuerunt, vt diligenter notaui, Athanasius in epistol. ad Serapionem, Ambros. de Spiritu sancto, Augu. 15. de Trinit. & 19. de verbis Domini, Leo in sermone quodam de Pentecoste, Grego. in hom. 30. super Euangelia. Et Augustinus contendit, Spiritum sanctum dictum esse dona, & à Dauide, & ab Apostolo, quia cum ipsum sit donum commune membris Christi, ab eo multa dona, quę sunt quibusque propria diuiduntur. Et hanc eximiam & præcellentem gratiam, quæ nobis fit, dum iustificatione nostra renouamur, expressit Christus, cum dixit: *Si quis diligit me sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. 14 Confirmauit & sæpe eandem Paulus: *Nescitis*, inquit *quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* 1. Cor. 3 Et rursus: *An nescitis, quia membra vestra templum est spiritus sancti, quē habetis à Deo, & non estis vestri?* 1. Cor. 6 Et alibi: *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Rom. 8 Et iterum: *Vos enim estis templum Dei viui.* 2. Cor. 6 Et de eadem Ioannes. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4 Qui a vero posset Deus absque ista gratuita & intima sua præsentia iustificare, & renouare interiorem nostrum spiritum, & à collatione reliquorum donorum & virtutum eam seiungere: posset & hic illapsus totius Trinitatis gratuitus, seorsum ab alijs, quæ in se claudit nostra iustificatio, computari. Non est autem hoc visum conuenire, quia per hunc illapsum præcipue renouamur, & ab eo crediderim prouenire quæcunque iusti habent spiritalia dona, aut certe ad illum ordinari. Affert quippe Spiritus sanctus secum sua dona, & templa sua ipse mundat & decorat, quasque sibi desponsat animas, his velut iocalibus & muneribus exornat, vel saltem, vt habitaculum ibi habeat non indecorum, neque omnino se indignum, cum statuit eo venire, prius natura his illas ornamentis decorat. Non enim nisi mundatam & congrue ornatam domum inhabitare dignatur spiritus sanctus.

Spiritus sanctus datur, non solum dona eius, cum iustificatur homo.

Vnde August. dicit? *Vt habitet Spiritus S. nonne vbi vult spirat, & caritas Dei, sine qua nemo bene viuit, diffunditur in cordibus nostris?* Aug. epist. 105. Porro neminem visitat sine magno commodo ipsius, & vbicunque recipitur, vberem facit hospitij sui mercedem. Neque ociose & sine fructu manet. Cum viuus ignis sit, intellectum illuminat, affectum inflammat, memoriam commonefacit, & ad orationis, & alia fidei & pietatis & reliquarum virtutum opera, iugiter quis inhabitat, hortatur, excitat, extimulat, adiuuat.

Vtilitas illapsus gratuiti.

Et hanc vtilitatem mansionis Spiritus sancti explicuit Apostolus, cum alibi, tum vero disertissime ad Romanos: *Si spiritu*, ait, *facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Rom. 8 Et paulo post: *Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus,* Ibid.

sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus, quoniam secundum Deum postulat pro sanctis.

Et ad hoc beneficiũ crediderim & illud aliud posse reduci, quod & pro distincto fortassis posset computari, nempe omnes qui iustificantur, viua effici membra Christi. Est nempe hæc peculiaris & non infima gratia omnium iustorum hominum, quod membra sint viua Christi. *Et vos estis corpus Christi*, ait Paulus, *& membra de membro*. Et ni fallor, hæc gratia non est pro eadem habenda cum ea, quæ iustis fit, dum merito Christi iustificantur: Sed separabilis est ab illa, & incrementum illius. Posset quidem Deus iustificare nos merito Christi, & non efficere membra ipsius viua. Verum qui nostræ humanitatis dignatus est fieri particeps, tantopere amat & diligit nos, cum sumus grati suis beneficijs, & suæ redemptionis fructu gaudere volumus, vt velut coniuncta & insita sibi membra habeat nos, & vt talia nutriat, foueat, diligat.

1. Cor. 12

Gratiæ membrorum Christi.

Et habet ista gratia nouas, peculiares, & prægrandes prærogatiuas, quæque multum conferant ad interioris hominis renouationem. Solicitam enim Christus habet curam omnium iustorum suorum, & multo maiorem, quam nos corporis nostri, & velut caput in membra iugiter in eis virtutem influit, quæ ipsos renouet, & magis ac magis perficiat, & de virtute in virtutem in dies singulos proficere faciat Et hac ratione opera iustorum, & magis meritoria, & magis satisfactoria esse crediderim, quam alioqui essent, etiam cæteris omnibus paribus. Placent namque suo modo opera bona iustorum hominũ patri cœlesti propter istam eorum vnionem & connexionem ad Christum, sicut opera Christi, & ab eo velut suiipsius filij quodammodo censentur & acceptantur. Sicut enim Paulus dicit, *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus: ita iusti dicere possunt, Mereor ego, iam non ego, meretur vero in me Christus. Satisfacio ego, iam non ego, satisfacit vero in me Christus.* Et alioqui nihil in re responderet huic tam frequenti metaphoræ & in scripturis, & in doctoribus sanctis, neque ex ea excitari debuissent iusti ad seruandum & tuendum suam iustificationem, & agendum pro ea iuges gratias, sed duntaxat ex hoc, quod sunt in gratia merito Christi. Et re vera si ita esset, neque vere incorporaremur Christo spiritualiter per fidem, neque cum iustificamur vere, vt prædicant scripturæ & tota Ecclesia, efficeremur spiritaliter viua membra ipsius, neque ipse esset proprie nostrum caput spiritale.

Galat. 2

CAPVT IX.

De quarto beneficio iustificationis.

4. Beneficium iustificationis.

QVARTVM beneficium, quod in se continet nostri iustificatio, vel sextum potius, si cui magis placeat seiungere ab alijs illapsum gratuitum, & vnionem viuificam cum Christo, est acceptatio vel ius ad vitam æternam. Propensissimus namque Deus noster ad misericordiam, ad beneficentiam, ad benignitatem, sicut omnes peccatores reos esse voluit æternarum pœnarum, ita omnes iustos ius voluit habere æternæ vitæ & gaudiorum æternorum. Et cum potuisset remittere libere hominibus peccata, immo & iustos facere illos, & in amorem suum recipere, quin ad visionem sui & fruitionem acceptare: noluit remittere peccata, quin iustificatos amaret: noluit amare, quin amicos faceret & filios, & ex consequenti vitæ æternæ hæredes.

Et hæc est spes, quæ exhilarare debet omnes iustos, & in omnibus suis angustijs & tribulationibus vehementer eos consolari. Quantumcunque enim viles, abiecti, & despecti sint mundo, quantumcunque grauibus angustijs, ægritudinibus, laboribus, penurijs, persecutionibus, passionibus, & tentationibus obnoxij, tamẽ grati sunt, & cari Deo, amicique & filij ipsius, & ius habent certissimum & non impedibile, vt cum hac vita defuncti fuerint, angelorum intersint choris, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistant, præsentem Dei vultum cernant, & incircunscriptum lumen videntes, nullo mortis aut alicuius alterius

Greg. hom. 17. in Euan.

terius mali metu soliciti, incorruptionis & felicitatis perpetuæ munere lætentur.

Et hoc tantum ius consequi iustificationem nostram, aperuerunt nobis Ioannes & Paulus. Ioannes declarauit, datam nobis potestatem per fidem, v. fiamus filij Dei. Paulus vero subinfert: *Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et alibi ait: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimit ite æternum gloriæ pondus operatur.* Et mox subdit: *Scimus quon am si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactum, sed æternam in cœlis.* Et in Euangelio sub nomine vitæ æternæ, sæpe nobis eandem gratiam Christus expresserat. Est forsan Deus noster, vt aliqui, tepide & parum amantes, quos amant, parce atque inuide honorantes, quos sciunt dignos honore? Longe ista sunt à diuina bonitate & caritate. Omnes profecto iustificatos ad præmia æterna & incomparabilia amat; omnes sui participes, & sibi arctissime familiares vult facere: nihil illis inuidet, nihil eis subtrahit: se totum & videndum, & fruendum ipsis cum tota sua curia benignissime & amantissime impartiri gestit.

Rom. 8

2. Cor. 4

2. Cor. 5

Potest scripturarum studiosus non obscure ista omnia adumbrata perspicere in illis, quæ olim Deus per Moysen promisit Israelitico populo, si quidē seruaret mandata ipsius. Et quia ista tam grandia & tam magnifica beneficia in se claudit iustificatio, merito Augustinus in illa verba Ioann. *Et maiora horum faciet*, iustificationis opus creationi cœli & terræ antefert. Et nisi ita esset, non ei tantis laboribus nostra iustificatio extitisset, non pro ea tantos sudores & angustias tolerasset, non sanguinem pro ea effudisset proprium, qui vno verbo mundum hunc condidit: neque nos deberemus ei maiores gratias pro redemptione & reparatione nostra, quam pro creatione.

Ioan. 14

CAPVT X.

Peccati incommoda, & bona iustificationis, expressa in parabola filij prodigi.

VT tenacius ista omnia beneficia iustificationis, quæ statim explicuimus, memorijs nostris hæreant, & apertius possint ab omnibus intelligi: libet ea, ceu in tabula aliqua descripta & depicta, in parabola filij prodigi monstrare. Mirificè namque in illa, ea omnia nobis Christus expressit, ac velut digito demonstrauit. Cum ille dicitur, relicto patre peregè profectus esse in regionem longinquam, ibique dissipasse substantiam cum meretricibus, & coactus egestate & fame, miserabili se seruituti addixisse, vt pasceret porcos, neque ea seruitute obtinere potuisse sibi vel siliquas, quas porci pascebant, quibusque ipse maximè saturari cupiebat, miseria vtique peccatoris nobis delineata est.

In recessu filij à patre, ex voluntate & petitione ipsius filij, agnosce discessum liberum & voluntarium peccatoris à patre cœlesti, & separationem illius ab eo, qui neminem deserit, nisi prius ipse deseratur. In profectione in regionem longinquam, quæque maxima diuexata est fame, cognosce reatum multarum miseriarum, & potissimum perpetuæ carentiæ visionis Dei in terra horroris & vastæ solitudinis, vbi diues epulo neque aquam potuit habere, qua refrigeraret linguam suam. In dissipatione substantiæ, egestate, seruitute, fame, deturpatio interioris homini, & mala, quæ eam sequuntur, nobis significantur. Vbi verò in se reuersus filius hic prodigus, & miseriæ in qua erat, contemplatione, & abundantiæ domus paternæ recordatione permotus, deliberasse describitur ad patrem redire, & illius misericordiam implorasse: quid aliud, quam conuersio peccatoris redeuntis ad Deum, nostris oculis subijcitur?

Reuersio in se.

Sed quæ statim post hæc subduntur, graphicè profecto docent, quemadmodum Deus peccatores ad eum reuertentes iustificet, & quæ illis beneficia elargiatur. *Vidit*, inquit, *illum pater ipsius, cum adhuc longe esset.* Vidit oculis misericordiæ. Vidit aspectu

Visio patris. Psal. 118 illo, quem petebat Dauid, dicens: *Adspice in me, & miserere mei.* Vidit quem nihil fallere potest, quique solicitudinem filiorum suorum, etiam cum ab eo errant, non prorsus abijcit. Vidit in se reuersum, & surgere, & ad ipsum reuerti deliberantem. Neque enim ille in se reuerti, & tam sancta vota concipere potuisset, nisi eum ille adspexisset, qui intuitu suo Petrum ad amaram suæ negationis pœnitentiam excitauit. Sed vidit adhuc longè agentem, quia non sufficiunt conatus omnes nostri, vt nos iustificent, & Deo reconcilient. Verum quod deest nobis, ipse benignissimè supplet. Subditur: *Et misericordia motus est.* Ab ipsius misericordia, & non à iustitia, profluit nostra iustificatio. Sustinere non potuit pater misericordiarum tantam sui filij amaritudinem: *Et accurrens, cecidit super collum eius. Accurrens*, dicit: quia non est lenta, neque tarda diuina misericordia ad subueniendum compunctis corde. Mox vt tacti dolore de peccatis nostris, eum inuocamus, exaudit: & sinum suæ misericordiæ aperit, vt recipiat confugientes ad se, & redeat in gratiam nobiscum, & reconciliet nos sibi. Et in signum reconciliationis, reclinat se super collum nostrum, & vt perfectam intelligas reconciliationem, quæ & à reatu æternæ pœnæ liberet, & amicitiam ipsius restituat, & adoptionem in filium largiatur, adijcitur: *Et osculatus est eum.* Osculum signum pacis est. Osculum signum amoris. Osculum sponsis, cognatis, amicissimis & filijs impartitur. Osculum petijt sanctus Patriarcha Isaac à Iacob in signum amoris paterni. Osculum petijt sponsa ab sponso in Canticis, in signum amoris ardentis, quo in eum afficiebatur. Et reuertentem hic ad se filium pater misericordissimus osculatur, in signum perfectæ reconciliationis cum ipso, & condonationis omnium delictorum, & absolutionis à reatu æternæ pœnæ. Et vt renouet perditum & deformatum filium, & miseranda nuditate & egestate & fame pressum. Cito, inquit, *proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius, & addacite vitulum saginatum, & occidite.* In vestimentis & ornamentis, dona interiora indicantur, quibus Deus interiorem hominem reformat. Stola prima, quæ totum hominem tegit, charitas est, quæ operit multitudinem peccatorum, & vestis nuptialis à Doctoribus appellatur. Annulus quem sponsi solent dare sponsis, fides est, qua Deo desponsamur, iuxta illud, *Desponsabo te mihi in fide.* Calceamenta, quæ pedes tegunt, & ad percurrendum viam præmuniunt, spem significant, per quam ambulamus in via mandatorum. Et in his velut præcipuis, reliqua sunt dona comprehensa, quibus Deus renouat iustos. Quod autem adduci vult vitulum saginatum & occidi, incorporationem adumbrat, qua pater cœlestis iustos vnire vult suo filio, omnibus gratijs & donis sine mensura refertissimo, & pro nobis in cruce occiso, & ipsius mortis fructu gaudere. Quoniam vero non renouat Deus iustos in hac vita, nisi vt transferat in alteram vitam, & in illa eos perficiat, vt omnia se restituere illis commonstret, quæ perdiderant per peccatum, & vt ius ad beatam vitam illis misericorditer communicatum, apertius faciat, honorat mox nomine filij & lætabundus ad epulas & gaudium blandissime & mollissime, & affectu plusquam paterno familiares suos hortatur, dicens: *Manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Et mox omnes ibi manentes, cœperunt gaudere. Gaudium enim est in cœlis super cuiusuis peccatoris iustificatione. In misericordiæ igitur affectu, in accursu ad subueniendum, in reclinatione super collum & osculo, reconciliatio Dei cum peccatore & condonatio delictorum ipsius designatur. In indumentis & ornamentis renouatio interioris hominis exprimitur. In mactatione vituli saginati, incorporatio in Christum, & fructus passionis ipsius ostenditur. In nomine filij, & in epulis & gaudio, hæreditas vitæ æternæ, & ius ad sempiterna gaudia indicatur.

Marginal notes: Paterna misericordia. — Reclinatio. — Osculum. — Vestimenta. — Stola prima. — Annulus. — Osee 2. Calceamenta. — Vitulus. — Filii nomen. — Epulum.

C A-

CAPVT XI.

Quid in reipsa iustificatio.

EX dictis facile est colligere, quid sit in reipsa iustificatio. Sed quo aperriora sint omnia, distinguenda est duplex iustificatio, à Doctoribus posita. Intermittunt enim Doctores primam acceptionem iustificationis supra positam, tanquam parum necessariam proposito. Et cum quis iustificatur secundo modo, hoc est, ex iniusto fit iustus, illam iustificationē vocant primam. Cum autem quis iustificatur tertio modo, hoc est, ex iusto fit iustior, eam iustificationem, vocant secundam. Et iustificatio quidem prima passiue capta, sic potest apte & breuissime definiri, seu describi; Iustificatio prima, est mutatio quædam supernaturalis, qua quis ex iniusto fit iustus. Iustificatio verò prima actiue capta, est actio quædam est admirabilis & supernaturalis, qua Deus aliquem ex iniusto facit iustum. Fieri autem ex iniusto iustum dicimus, vt ex præcedentibus patet, cum quis ex inuiso & ingrato Deo, fit ei carus & amabilis, ex inimico amicus, ex impio pius, ex prauo & peccatore rectus & sanctus, ex immundo & inquinato mundus & purus, ex seruo peccati & filio dæmonis, & reo æternarum pœnarum, seruus iustitiæ, filius Dei, hæres regni cœlorum. Iustificatio vero secunda, passiue accepta, sic breuiter potest definiri, est mutatio supernaturalis, qua quis ex iusto fit iustior. Hoc est, qua quis ex grato Deo & amico, fit gratior & amicior ipsi, & ex recto, pio, mundo & sancto, & accepto ad vitam æternam, fit rectior, mundior, sanctior, & magis pius & acceptus ad maiorem gloriam. Actiue autem accepta, iustificatio, est operatio, qua ista in nobis Deus perficit. Siue autem hoc fiat per augmentum gratiæ & virtutum, siue etiam sine illo per voluntatem Dei, & peculiariorem, & maiorem, & intimiorem illapsum Spiritus sancti, nihil refert ad propositum diffinitionum, & obscurare illas posset verius, quam perspicuas facere. Ac propterea his contenti pro expositione descriptionis, iustificationis, ad explanandam necessitatem baptismi, quam patres in secunda parte huius 4. cap. tradiderunt, transibimus.

Duplex iustificatio. Prima & secunda.

Definitio quid rei iustificationis primæ.

Definitio quid rei iustificationis secundæ.

Iustificatio actiue.

CAPVT XII.

Baptismus non solum necessarius, sed etiam præceptus.

QVIA primum remedium exterius iustificationi nostræ à Deo prouisum, & sicut communiter dici solet, prima tabula post naufragium, misero homini derelicta, baptismus est: prudenter sancta synodus, post expressam descriptionem iustificationis, mox ad eam necessarium esse exposuit baptismum in re vel voto. Et ex hac diffinitione tria digna notatu possumus colligere. Primum est, baptismum omnibus esse non solum necessarium, sed etiam præceptum. Secundum est, iustificari posse adultos, immo etiam saluari absq; baptismate in re, si quidem votum illud suscipiendi habeatur. Tertium est, non posse tamen paruulos iustificari sine baptismo in re vel martyrio. Quoniam vero tria hæc non parum fuerunt hoc tempore controuersa, placet de eis aliquanta seorsum differere, & sententiam Patrum firmissimis argumentis munire. Et quidem primum horum, nempe, Baptismum non solum esse necessarium, sed esse etiam in præcepto, sic, vt quibus idoneè est prædicatus, si non baptizentur, cum possint, non ob alia tantummodo condemnentur peccata, sed etiam quia non baptizantur, his possumus argumentis docere. Primo: Nisi baptisma esset in præcepto, saluari possent sine illo, & sine illius voto, qui ante susceptum baptismum iustificati essent, siue sanctificati fuissent in vtero suarum matrum, siue iustificati essent per sacramentum circuncisionis, aut per aliquem bonum motum in Deum. Nemo quippe acquisitam iustificationis gratiam perdit, nisi ob transgressionem vel omissionem alicuius præcepti. Et nemo excluditur à regno cœlorum, nisi propter peccatum. Itaque si non est in præcepto, ex consequenti dicendus est neque esse omnibus necessarius. Illa etiam verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit*, &c, apertissime

Tria notanda de bapt.

Baptismus est in præcepto.

Arg. 1.

Item.

ſime hoc idem oſtendunt. Vbicunq; namque ſcriptura ſimilem pœnam comminatur, Doctores omnes intelligunt ſubeſſe
Arg. 2. præceptum. Et alias neq; pœnitentia actualis, neque ſacramentum confeſſionis erit in præcepto, immo nulla prorſus erit via probandi aliquod eſſe præceptum, vel prohibitum. Qua ratione enim quis dixerit, baptiſmum non eſſe in præcepto, non obſtantibus iſtis verbis: dicet & alius, neque pœnitentiam eſſe in præcepto, etiamſi
Luc. 13 Chriſtus dixerit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*, & confeſſionem non eſſe neceſſariam, etiamſi Chriſtus dixerit,
Ioan. 20 *Quorum retinueritis, retenta erunt*: & opera
Gal. 5 carnis non eſſe prohibita, etiamſi Paulus
Arg. 3 de illis abſolute dixerit: *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non aſſequentur*. Quod ſi ex
Gen. 17 illis verbis Geneſis, *Anima cuius præputij caro circunciſa non fuerit, peribit de populo ſuo*: optime colligitur, ex præcepto Domini fuiſſe circunſionem conferendam tam paruulis, quam adultis, cum non minus generaliter & indiſtincte, neque ſub minori pœna indicatur omni ſexui & ætati baptiſmus in his verbis, etiam illa debent cenſeri eſſe præceptum Domini. Et hoc argumento vtitur Innocentius tertius in cap. Maiores, de baptiſmo & eius effectu, vt probet, baptiſmum eſſe & paruulis & adultis conferendum.
Arg. 4. Ad hæc, pœna mortis temporalis adiecta legibus veteris teſtamenti, indicabat, vt communiter dicunt Doctores, eas eſſe præceptiuas, & obligare ſub mortali. Et idem modo communiter ſentiunt Doctores de legibus ciuilibus. Idem etiam omnes intelligimus in præceptis Eccleſiaſticis, quando eis adijcitur pœna excommunicationis ipſo facto, vel latæ ſententiæ. Ergo pœna mortis æternæ, & excluſio à regno cœlorum, adiecta his verbis, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*: multo magis indicabit, baptiſmum eſſe in præ-
Arg. 5. cepto. Præterea, Si dixiſſet Chriſtus, Si vis ad vitam ingredi, ſuſcipe baptiſmum: hoc ſatis eſſet, vt intelligeremus, baptiſmum eſſe in præcepto. Et alias inualide omnes, & hæc etiam ſancta ſynodus inferius probaret neceſſitatem mandatorum ex illis verbis, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Ergo cum apertius ſignificetur iſtis verbis,
Matth. 19 *Niſi quis renatus fuerit, &c.* neceſſitas baptiſmi quam illis, Si vis ad vitam ingredi, baptizare: etiam hæc cenſenda ſunt indicere
Arg. 6. præceptum. Inſuper, Iſta verba aperte indicant neceſſitatem baptiſmi ad conſequendum regnum cœlorum, Ergo etiam neceſſitatem præcepti, Omne enim quod eſt neceſſarium ad conſequendum ſalutem & vitam æternam, neceſſarium etiam eſt neceſſitate præcepti. Et alias præcepta Domini non ſufficerent ad perducendum nos ad beatitudinem. Quod eſt contra illud, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Etſi id, quod eſt neceſſarium ad euadendum mortem corporalem, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti: & qui illud non ſibi applicaret, cum commode poſſet, cenſeretur homicida ſui, & nouo peccato peccare: quanto magis hoc eſt credendum de illis, quæ neceſſaria ſunt nobis ad euadendum mortem æternam, & aſſequendum vitam ſempiternam? Non magis, neq; tantopere commendata nobis eſt à Deo ſalus corporalis ac ſpiritalis, neque magis tenemur ad tuendum & quærendum ſalutem corporalem quam ſpiritalem. Quod ſi vt paulo ante diximus, non poteſt neceſſarius eſſe omnibus baptiſmus ad conſequendum regnum cœlorum, niſi etiam ſit in præcepto, cum ex his verbis clarum ſit, neceſſarium eſſe omnibus baptiſmum ad conſequendum regnum cœlorum, neque in hoc vel minimus ſit tergiuerſandi locus: conſtabit vtique ex eiſdem, eſſe illum omnibus in præcepto.

Sunt quidem iſta argumenta (meo iudicio) adeo fortia & firma ad probandum, iſta verba Euangelica præceptum inducere, vt non dubitem, vel hoc vno argumento potuiſſe patres diffinire aperte & incunctanter, baptiſmum eſſe in præcepto. Et vel hoc vnum ſatis eſſe potuit, vt inquiſitores hæreticæ prauitatis merito in noſtra Hiſpania coegerint quendam virum alioqui doctum, retractare, quod publice aſſeruerat & prædicauerat, nempe, Baptiſmum neceſſarium eſſe omnibus, ſed nemini

mini esse in præcepto, neque quemquam damnari, quia non fuerit baptizatus, sed duntaxat propter alia peccata. Et quamquam ex hac Patrũ diffinitione satis idoneè confutari potest hic error, tamen ex superabundanti possumus contra illum inducere canonem quintum de Baptismo, in septima sessione huius Synodi promulgatum, qui sic habet: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Quibus verbis satis indicarũt Patres, Baptismum esse in præcepto. Liber enim erit, si non sit in præcepto. Neq; obstat, quod statim adiecêre, hoc est, non necessarium ad salutem. Nam ista minime adiecta sunt, vt sub disputatione relinqueretur, an baptismus liber esset, an potius in præcepto. Sed addita sunt, quoniam satis est, Baptismum esse necessarium, vt credatur baptismus non esse liber, sed in præcepto. Et vel inde hocipsum confirmare possumus, quia non minus tenetur quisque sibi in spiritalibus, quam alijs. Pastores vero & prælati Ecclesiæ, tenentur baptizare paruulos non baptizatos, in articulo mortis constitutos. Et patet hoc ex Pelagio Papa ad Gaudentium. Et Basil. expresse dicit, præceptum Domini fuisse illa verba, *Baptizantes eos, &c.* Parentes etiam tenentur curare, vt filij sui baptizentur. Immo quilibet, qui posset, ad hoc obligatur, vbi alias paruulus moriturus esset sine baptismo. Vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo. Et sicut qui videret paruulum fame pereuntem, teneretur, sub mortali, eum pascere, iuxta illud Ambrosij: *Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti*; ita reus esset vitæ illius spiritalis, qui non eum baptizaret in tali causa. *Vetus sententia est,* dicit Hiero. *homicidam esse eum, qui, cum possit hominem de morte liberare non liberet.* Et tandem, Correctio fraterna est in præcepto, vt omnes fatentur, quando illa est necessaria proximo. Idemque est de consilio, & de doctrina & alijs necessarijs ad salutem ipsius spiritalem. Non minus autem quilibet tenetur se diligere in spiritalibus, quam proximum. Cũ ergo baptismus necessarius sit ad consequendum vitam æternam, vt perspicuum

Argum. 7.

C. Multi de consi. d. 4.

Basil. lib. 1. de Bapt.

Hom. 3. in Pelag.

Arg. 8.

est ex illis verbis, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* iure naturali & ex præcepto caritatis, quam nobis debemus, teneremur dare operam, vt illum susciperemus, etiam si ex iure diuinô positiuo tantum esset necessarius, & nô præceptus. Quare merito Aug. de Cornelio ita scribit: *Si iam Spiritu S. accepto Cornelius baptizari noluisset contemptu tanti sacramenti reus fieret.* Et statim ex verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* colligit, etiam bonis catechumenis deesse baptismum ad regnũ cœlorum. Et Bernardus in epistola 77. aperte dicit, vnum & præcipuum ex præceptis, esse præceptum Baptismi. Et Hugo 2. de sacramentis parte 6. c. 5. & san. Thom. & communiter scholastici, vt certum tradunt esse præceptum. Atq; hinc possumus inferre contra Magistrum d. 2. 4. omnes baptizatos solo baptismate Ioannis, obligatos fuisse ad suscipiendum Christi Baptismum, siue crediderint tunc in sancta Trinitate, siue non. Et eadem est ratio de omnibus sanctificatis, atque etiam de beatissima Virgine, vt alias, Deo dante indubitatum faciemus.

De consec. d. 4. Non dubito.

S. Thom. 3. p. q. 68. art. 1. in 4. d. 4.

CAPVT XIII.

De tempore, quo baptismus cœpit esse in præcepto.

CVM tamen dicimus, omnibus fuisse necessarium & in præcepto baptismum, intelligendum hoc est cum ea limitatione, quæ adiecta est huic conclusioni, videlicet, post Euangelium promulgatum. Nulla quippe lex positiua ante suam promulgationem quenquam obligat. Et cum ista limitatione tradit hoc, vbi supra, Bernhar. his verbis: *Porro in maiori ætate quisquis post vulgatum vbique baptismi remedium renuit iam baptizari, originali maculæ addit & ex proprio crimen superbiæ, duplicem secum portans iustissimæ damnationis causam, si sic de corpore exire contigerit.* Hæc Bernard. Dubitari tamen hic merito potest, de qua promulgatione intelligenda est hæc conclusio, de publica & solenni, an etiam de priuata. & si de solenni, an de solenni in toto orbe, an de solenni in vnaquaque ciuitate. Et qui[illegible]em ante solen

1. P[illegible] [illegible]

nem promulgationem huius præcepti, factam in die Pentecostes, non videtur quisquam fuisse obligatus ad suscipiendum baptismum. Et ita pro constanti & certo tradunt Doctores Scholastici in 4. d. 3. vel 4. Absurdum quippe est, vt quod sciri non poterat, antequam audiretur, prius exigeretur, quam notum fieret. Dicebat quidam tempore Bernard. ab eo tempore præceptum baptismi necessarium fuisse, & obligasse omnes, quo Christus dixit, *Nisi quis renatus fuerit*. Sed eum optime redarguit vbi supra Bernardus. Si enim ita fuisset, ferisset iudex, antequam minatus esset: & nocuisset vehementer hoc præceptum mundo, atque illum implesset peccatoribus & condemnatis, prorsusque infelicissima fuissent illa tempora, quia sine baptismo saluari non poterant, & tamen eum suscipere nemo penè valebat, quia omnes ferme illum ignorabant. Itaque necesse est illa verba, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & illa, *Oportet vos nasci denuo*, ad tempus solennis promulgationis sub præcepto, referre. Neque videntur Apostoli sic solenniter baptismum promulgasse ante diem ascensionis Dominicæ, quo iussi sunt ire per vniuersum mundum, & baptizare omnes gentes. A die vero Pentecostes, quo solenniter cœpit prædicari baptismus vt necessarius ad salutem, cœpit quoque esse in præcepto. Et ex eo die tenebantur eum suscipere omnes ciuitates, omnia oppida, omnes vici, vbicunque sic solenniter & ea authoritate prædicabatur, vt audientes tenerentur adhibere fidem prædicantibus, & omnibus illis necessarius fuit in re vel in voto. Illis autem, apud quos non sic solenniter innotescebat, non erat interim in præcepto, secundum Doctorem Subtilem. Ex quo consequens est, sicut & ipse infert, non simul omnibus fuisse in præcepto, sed prius quibusdam, & posterius alijs, perinde ac progressu temporis in vno loco, & posterius in alio prædicabatur & propagabatur lex Euangelica. Et videtur valde probabilis hæc sententia ante solennem promulgationem factam in toto orbe. Lex quippe lata ab Imperatore pro omnibus suis regnis, non censeretur obligare quodcunq; regnum ei subditum, quia solenniter esset promulgata in vno. Non enim obligat ante solennem promulgationem. Et non videtur solenniter esse promulgata in omnibus regnis, quia sit promulgata in vno.

2. Proposit.

3. Proposit. Scot. in 4. d. 3. q. 4. & 2.

Post solennem tamen promulgationem baptismi in toto orbe; quamuis quæstio sit de nomine, non videtur tamen negādum, quin omnibus sit in præcepto, licet illi excusentur per ignorantiam inuincibilem, quibus nondum est solennitate debita promulgatus & prædicatus. Et ipse Doctor Subtilis generaliter alibi dicit, omnes teneri ad baptismum post vniuersalem promulgationem. Quare quod paulo ante ex eo citauimus, intelligendum est ante solennem promulgationem in toto orbe.

4. Proposit.

Scot. d. 1. q. 2. & d. 4. q. 6. 4.

Et ne quispiam dubitet, probari potest nunc omnibus esse in præcepto, etiam illis quibus nondum innotuit. Primo, Omnibus est modò necessarius in re, vel in voto vt supra ex verbis Christi, & ex ista Patrum diffinitione collegimus. Secundo, Tenentur omnes dare operam modò, vt sciant hoc præceptum: neque excusantur, sicut ante solennem promulgationem qui non conantur illud scire. Tertio, Excusari dicimus per ignorantiam inuincibilem, qui non baptizantur, quia nondum audierunt se ad id esse adstrictos. Excusatione vero non indiget, nisi qui prætermittit id, ad quod tenetur. Quarto, Alias nullo tempore, nisi prope finem mundi, obligaret omnes præceptum baptismi. Non enim ante id temporis prædicabitur Euangelium regni in vniuerso orbe, vt colligunt Doctores ex illis verbis Christi apud Mathæum: *Et prædicabitur Euangelium hoc regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Quinto, Præcepta, & ciuilia & Ecclesiastica, obligant omnes subditos, etiam illos, quibus non innotuerunt quique ea ignorant inculpabiliter postquā sunt solenniter promulgata in terris illis, quibus indicuntur. Et alias nunquam ignorantia inuincibilis quenquam excusabit à transgressione eius, ad quod tenetur.

Quinque rationes.

Math. 24

Et solennem quidem baptismi promulgatio-

gatio-

gationem toto in orbe factam intelligimus cum in præcipuis orbis ciuitatibus & prouincijs, ab Apostolis & eorum discipulis annunciatus, & idoneis testimonijs confirmatus fuit. Et ea facta est anno ab aduentu Spiritus sancti vigesimo, aut ad summum trigesimo, vt asserit Chrysostomus. Atque hæc sufficiunt ad necessitatem baptismi confirmandam.

Homil. 76. in Matth.

CAPVT XIV.

Adultis nonnunquam sufficere ad salutem votum baptismi.

CVM Patres in hoc capite dixerunt, translationem ab statu peccati in statum gratiæ, fieri non posse sine lauacro regenerationis aut eius voto, satis his verbis, aut eius voto, innuerunt non esse necessariam ad salutem susceptionem baptismi in re, sed satis esse susceptionem baptismi in voto, quãdo non contẽptus religionis, sed articulus necessitatis excludit susceptionem in re. Quia vero quidam de hoc subdubitare visi sunt, & illud submurmurabant in Concilio, in Euangelio nihil scriptum esse de voto, sed tantum de re baptismi, diffinitionem istam Concilij consonam esse scripturæ & traditioni vniuersalis Ecclesiæ & sanctorum, his possumus approbare.

Ambros. de Valentiniano scribit: *Quem regeneraturus eram, amisi. Verumtamen ipse gratiam, quam poposcit, non amisit.* Idem docuit ex authoritate Cyprian. Augustinus de vnico baptismo lib. 4. contra Donatistas, & sæpe alias. Et in quendam qui asseruit, neminem posse saluari sine baptismo. Idem & validis argumentis comprobant, epistola 77. Bernardus, & Hugo 2 de sacr. per b. c. 7. Et hoc in distinctione 4. Magister pro indubitato asseuerat. Et sequuntur Scholastici Theologi. Idem diffiniuit ex authoritate Ambrosij & Augustini Innocentius III. C. Apostolicam de presbyt. non baptiz. Et textus ipse Euangelicus hoc nobis satis insinuauit. Tametsi enim dixerit Christus, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* non adiecit tamen, Qui vero non fuerit baptizatus, condemnabitur: sed tantũ addidit, *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quo verborum temperamento insinuatum est nobis, subesse posse aliquam necessitatem, qua intermissio baptismi nihil officiat saluti. Vnde & Paulus: *Corde*, ait, *creditur ad iustitiam*, vt ostendat solam fidem & conuersionem in Deum, posse sufficere, vbi baptismum, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

Aug. 8. de ciuit. & super Leuit. quæst. 84.

Marc. vlt.

Rom. 10

Sed cum Deus neminem obligauerit ad impossibile, quamuis in Euangelio nihil esset expressum de voto baptismi, lumen ipsum naturale satis nos docet, quod vbi baptismus ipse non est possibilis, vel iure differtur, nihil impediet nostram iustificationem defectus illius. Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod habet, accepta est, vt ait Paulus, non secundum id, quod non habet. Hoc est, Non exigit Deus, vt acceptet voluntatem nostram, id quod non habemus, aut non possumus: sed vbi voluntas prompta est, Deus vnumquemque iuxta modum sui affectus & facultatem acceptat. Affectum pensat magis, quam effectum: & correspicit se in eum conuertentis, neque opus requirit, quod præstari non potest. Voluntas pro facto reputatur, ait, vbi supra, Bernardus, vbi factum necessitas excludit. Et si hoc in malis indubitatum est, multo magis certum debet esse in bonis apud Deum, qui summa caritas & summa misericordia est. Quod ne quispiam timeret, ex aliquo tali defectu vel Baptismi, vel aliarum rerum, quæ sunt in præcepto, impediendam esse suam iustificationem, iam olim per Ezechielem prophetam nobis prænunciauit: *Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit.* Et Dauid eandem Dei misericordiam nobis explicuit illis verbis: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Noluit clementissimus Deus ex alia re mundi iustificationem nostram pendere, quam ab eo & nobis. Et si olim in lege naturæ & Mosaica nulla erat ritus, nulla cæremonia sic necessaria, vt defectus illius impedire

Ezech. 18. & 33.

Psal. 31

posset iustificationem hominum, vbi ea propter articulum necessitatis intermitteretur: quando minus est hoc credendum de tempore legis gratiæ, in quo Deus multo beneficentior in nos est, & interiora magis requirit & acceptat, quam exteriora? Non enim qui in manifesto Iudæus est, teste Paulo, neque quæ in manifesto in carne est circuncisio, sed qui in abscondito Iudæus est: & circuncisio cordis in spiritu, non in litera.

Porro si votum baptismi sufficere non posset ad salutem, nunquam Ecclesia auderet catechumenis postulantibus baptismum, & iam idoneis ad eum recipiendum, differre illum in statuta vsque tempora. Possunt enim occurrere multa, & occurrunt passim in vita, quæ illius susceptionem impediunt. Neque intelligendum est, necessarium esse ad iustificationem baptisma in re, vel in voto formali. Nam sic necessarium non est, neque ad iustificationem, neque ad beatitudinem. Iustificari etenim quis potest, immo etiam saluari prius, quam nouerit necessarium esse ad salutem baptisma. Satisque est ad salutem baptisma in voto vel formali, vel virtuali. Sicut autem formale habetur, quotiescunque distincte quis vult baptizari ita votum virtuale est vel martyrium pro Christi fide, vel dilectio Dei super omnia aut propositum seruandi omnia mandata diuina. Virtute enim continent baptismum, siue quia virtutem ipsius habent, sicut martyrium: siue quia ad illum suscipiendum inducerent, si suscipi posset commode, vt dilectio Dei super omnia, & propositum seruandi omnia mandata. Itaque nihil derogat hæc Patrum diffinitio priuilegio martyrij, neque paruulorum, neque adultorum.

CAPVT XV.

De argumentis pro necessitate baptismi.

Obiectio. OBIICIT tamen contra hæc possunt verba cap. 74. lib. de Eccles. dogmatibus: Nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere, excepto martyrio, vbi tota baptismi sacramenta complentur. Sunt qui pie ista interpretantur in hunc sensum, vt non negetur, sine baptismo & martyrio posse quempiam saluari, sed hoc duntaxat asseratur, neminem absque illis statim in cœlum euolare. Sed cum simpliciter pronuncietur, nullum talem vitam æternam habere, neque addatur mox, neque statim, aut aliquid quod huic piæ interpretationi ansam præbeat: mallem dicere, in hoc sicut in nonnullis alijs, manifeste errasse Gennadium, qui author est illius libri, vt & sanctus Tho. in Quodlibetis docet, quamuis sæpe falso inscribatur Augustino. Respon. S. Thomæ.

Quare igitur Cornelio, antequam quidpiam nouisset de fide Christi, dicitur ab angelo: *Mitte in Ioppem, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua?* Si his, quæ Petrus prædicat, saluatur ipse & domus ipsius, nondum ergo, sicut apparenter argumentatur Chrysostomus, habuerat suis operibus salutem, sed tunc iustificatus est, cum Petrus ei fidem Christi tradidit, & eum baptizauit. Habuit quidem Cornelius gratiam, & vere iustificatus est antequam baptizaretur, sicut expresse asserit Augustinus in expositione inchoata super epistolam ad Roman. & super Leuiticũ, immo vere antequam quidpiam audisset de baptismo. Dum enim Petrus annunciaret illi & ipsius domesticis Christum, neque quicquam de baptismo attigisset, quod quidem ex textu eluceat, cecidit spiritus sanctus super eum & omnes qui ei concioni intererant, & eandem gratiam dedit illis Deus, sicut dicit Petrus, quam & his qui crediderant, iam dederat. Neque solum habuit gratiam ante euangelizatum sibi baptismum, verum habuit illam antequam Petrus ei Christum annunciauerit, & priusquam ad eum venerit. Et sic etiam videtur Augustinus sensisse. 2. Obiect. Act. 11. Chrysostom. hom. de fide & lege natural. & Sp. S. Responsio. Iustificatus Cornelius ante fidem Christi. Aug. in Leuit. q. 8. 4.

Et id satis persuaderi potest, quia dicitur ab Scriptura religiosus & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. Et angelus dixit ad eum: *Orationes tuæ & eleemo-* Act. 10. Act. 10.

eleemosyna tua ascenderunt in memoriam in conspectu Dei Et Petrus vbi vidit religionem illius, & probauit obedientiam, & audiuit, quæ ei dixisset angelus, hinc orationem ad illum auspicatus est: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Quibus verbis satis indicabat, acceptũ fuisse Deo Cornelium, & ex consequenti iustificatum, antequam quidquam ab eo audisset, & satis esse timere Deum, & operari iustitiam, vt quicunq; gratiam inueniat coram Deo.

Et cum nemini facienti quod in se est, Deus neget suam gratiam, neque negauerit profecto Cornelio, quem ex prædictis testimonijs satis constat fecisse totum quod in se fuit, ad consecutionem gratiæ diuinæ: neque negabit alicui, qui vere & ex corde se ad eum conuerterit, & omnia ipsius mãdata proposuerit obseruare, etiam si nihil nouerit de Baptismo. Et angelus Cornelium saluum futurum cum domo sua, dixit, per ea, quæ auditurus esset à Petro, nõ quod ante ea audita, & opere completa, gratus Deo futurus non esset, quid enim absurdius? sed quia illa, quę à Petro auditurus erat, talia nouerat, vt salutem ei, totiq; domui ipsius præstare possent, ac vere allatura essent, necessariaq; essent ad salutem. Vnde etiam scire possumus, perseueraturum Cornelium fuisse in gratia iustificationis iam accepta, si non ei accessisset gratia fidei Christi, & Baptismi?

CAPVT XVI.

Mortuos in ætate infantili, saluari non posse sine baptismo aut martyrio.

CVM autem Concilium asseruit, necessarium esse ad iustificationem baptismum in re vel in voto: satis insinuatum est damnari paruulos, si moriantur sine baptismo, siue in vteris matrum, siue etiam extra vterum. Nam ipsi neque votum formale baptismi habere possunt, neque virtuale. Et quamquam hic de iustificatione impij habetur sermo, & impij non dicuntur paruuli, quæ enim possit esse impietas in eo, qui nondum rationis est capax? descriptio tamen iustificationis hic posita, æque conuenit paruulis, vt adultis peccatoribus. Et generaliter & absque vlla restrictione conclusio ista posita est: Translatio ab statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, fieri non potest post promulgatum Euangelium sine lauacro regenerationis, aut eius voto. Neque vacat suo pondere, quod hæc conclusio statim firmatur ex verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c.* Quæ verba generalia sunt, & omnes comprehendunt, & paruulos, & adultos, & de paruulis etiam exposita sunt à Patribus in hoc eodem Concilio in decreto de peccato originali. Ac perinde ea intellexit Innocentius III. & ex eis collegit, & paruulis & adultis conferendum esse sacrum baptisma. Ioan. 3. Can. 4.

Verumenimuero Vuiclefus, referente Vualdensi, de hac doctrina dubitauit. Et tempore Concilij Constantiensis Gerson, his vero temporibus Caietanus, pium putauerunt credere, saluari paruulos decedentes sine baptismo, si quidem vel parentes eorum pro ipsis orent, vel aliquas benedictiones eis adhibeant, cum adhibere nequeunt baptismum. Et nominatim Caietanus dicit, sub correctione tamen, baptismum in voto parentum cum aliquo exteriori signo, quale esset benedictio, seu oblatio ipsius cum inuocatione Trinitatis, sufficere posse paruulis periclitantibus in vteris maternis. Neque desunt viri & docti & catholici, qui eorum sententias pio quodam affectu tueantur, parum quidem attendentes, quid scriptura sacra & Ecclesia catholica de his iam statuerint. Ideoque & nos, ne latius serpat hic error, sententiam Patrum firmissimis communiemus argumentis. Com. 3. par. S. Thom. q. 68. arg. 2. & 11.

Et primo quidem Christus ipse manifeste docuit, saluari non posse secundum legem communem paruulos, nisi suscipiant baptisma. Ait enim: *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu sancto, &c.* certe Christus regenerationem ex aqua hic requirit. Et cum aquam Spiritui sancto coniungit, regene- Arg. 1. Ioan. 3.

 ratio-

rationem ex Spiritu sancto nemini ostendit conuenire concedi, nisi re vel voto regeneretur ex aqua. Certe Christus generatim & in vniuersum loquitur, neq; quemquam excipit, sed paruulis & adultis legem statuit communem, & qua ratione ab ea paruuli exciperentur, excipi possent adulti. Quod si adultos, vt manifestum est, nullo modo licet excipere, neque licebit & paruulos. Vtrosuis enim quis excipiat, cogetur concedere, aliquem non renatum ex aqua & Spiritu sancto, posse secundum legem communem videre regnū Dei. Quod clare contradicit & aperte repugnat verbis Christi.

Argum. 2. Accedit his, quod cum baptismus loco circuncisionis substitutus sit à Christo, vt communiter tradunt Ecclesiastici Doctores, verisimile non est, ad solos adultos referenda esse hæc verba Christi, cum ad paruulos clarissime referantur verba illa explicantia necessitatem circuncisionis, *Anima cuius præputij caro &c.* Bis etiam & conclusa, & diffinita est hæc doctrina in Concilio Florentino. Quo magis miror Caietanum, qui illud legerat, contrarium huius, quod modò stabilimus, tenuisse.

Gen. 17
3. argum. ex Conc. Flor.

Sed ne quispiam de eo, quod dicimus, dubitet, ipsa verba Concilij hic subscribam: In instructione data Armenis de sacramentis, sic legimus: *Cum propter hominem mors introierit in vniuersos, nisi ex aqua & spiritu sancto renascamur, non possumus, vt inquit veritas, in regnum cœlorum introire.* In diffinitione etiam de libris Canonicis, adhuc apertius: *Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subueniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur à diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur, admonet non esse per 40. aut 80. dies, seu aliud tempus iuxta quorundam obseruantiam, sacrum baptisma differendum, sed quam primum fieri potest debet conferri, ita tamen, quod mortis imminente periculo, mox sine vlla dilatione baptizentur etiam per laicos.*

Ioan. 3

Etiam olim hoc diffinierant Concilia Episcopalia approbata à Sede Apostolica, vt refert Augustinus. Sunt autem verba Innocentij & Zozimi Papæ, quæ refert Augustinus, ista: *Mortis transmissæ ab Adam chirographo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.* Et vt agnoscas, quanto in precio fuerint Augustino diffinitiones Sedis Apostolicæ, illis positis ita subdit: *In his verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua atque fundata, certa & clara est Catholica fides, vt nefas sit de illa dubitare.* Et libro 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. refert hæc verba Innocentij in epistola rescripta Concilio Carthaginensi & Mileuitano: *Illud vero, quod eos fraternitas vestra asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ premijs etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est.*

Aug. epist. ad Optatum.

Baptisma paruulis necessarium.

Et subscribens his verbis Augustinus, addit præuaricatorem esse Ecclesiæ Romanæ, quicunque ab illa sententia deuiat. Et libro 3. contra Iulian. cap. 1. & 12. commemorat, Pelagium timore suæ damnationis damnasse eos, qui dicunt, infantes, etiam si non baptizentur, habere vitā æternam, & asseuerat Ecclesiastici iudicij; hoc est, Palæstini Concilij, condemnationem non potuisse aliter euadere. Inducunt & quidam Innocentium III. Et quidem licet ille tantum diffinierit, paruulos non habere verum baptismum, qui propter aquæ penuriam & absentiam sacerdotis, à quibusdam simplicibus saliuæ liniebantur aspersione, cum essent in articulo mortis constituti: tamen cum ea diffinitione respondeat quærentibus, an eiusmodi paruuli habendi sint pro Christianis: liquet profecto, constantissimum fuisse non solum Innocentio, sed etiam alijs eo tempore, neque Christianos, neque saluos fore censendos paruulos, qui decedebant sine baptismo. Leo etiam huius nominis I. inter cæteros errores Pelagianorum & Cælestianorum, hunc quoque computat, Paruulos, sine baptismo decedentes, sine cunctatione ad regnum cœlorum, vel ad vitam æternam venire.

Innocent. 3. c. Non vt apponeres de Bapt. & eius effect.

Leo epist. 84

Argum. 4. Præter has Sedis Apostolicæ & conciliorum sacrorum diffinitiones, comprobare & idem possumus ex consensu totius Ecclesiæ Catholicæ. Nunquam enim illa ad se spectare credidit paruulos decedentes sine baptismo, nunquam pro eis aliquas

quas preces, vel laudes, aut gratiarũ actiones fudit, nũquam admisit ad ecclesiast. cã. sepulturam, & semper putauit necessarium esse paruulis baptismum, ne perirent. Neque recepisset infantes ad baptismum, vt, teste Dionysio, ex institutione Apostolorum recepit, nisi periclitarentur de salute, qui discederent sine baptismo. Religiosius namque alias erat expectare tempus, quo ipsi vterentur ratione, vt sua se sponte & arbitrio subijcerent legi, quam solenniter profitentur in baptismo.

Dionys. Eccl. Hierar.

5. Argum.

Potest etiam hic perpetuus Ecclesiæ cõsensus constare ex testimonijs sanctorum Doctorum, quæ hic subiecimus. Augustin. in epist. 105. de Pelagianis dicit: Ipsi quoq; authoritate Euangelica territi, vel potius Christianorum populorum concordia, fidei conspiratione pertracti, sine vlla excusatione concedunt, quod nullus paruulus nisi renatus aqua & spiritu, intrat in regnũ cœlorum. Licet ergo paruulis sine baptismo decedentibus vitam promitterent æternam, nequaquam tamen promittebant cœlestem. Itaque Caietanus & qui eum sequuntur, audaciores hac in parte sunt, & peius errant, quã Pelagiani. Et alibi: Quisquis dixerit quod in Christo viuificabũtur paruuli qui sine sacramenti eius participatione de hac vita exeunt, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam. Vbi propterea cum paruulis baptizandis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari non posse.

Et alias ex sententia Cypriani ostendit hoc ab initio creditum esse & intellectum in Ecclesia, exitiabile esse & mortiferum paruulis, sine salutari sacramento baptismi exire de hac vita, & firmum certumque & illis, & alijs Episcopis fuisse, animas infantium saluti æternæ perituras, si hanc vitam sine baptismi consecutione finirent, & certam eos laturos esse exitium, si cum sint in articulo mortis, differatur eis baptismus. Et capit. 30. ex illis verbis Christi, *Qui non habet filium, non habet vitam*, sic colligit: *Non igitur regnum cœlorum, sed neq; vitam paruuli habebunt, quam nisi per baptismum eius habere non possunt*. Et allegans illud Apostoli, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, sic subdit: *Sine ergo regeneratione saluos in æternum posse paruulos fieri, quis audeat affirmare?* Et constare dicit testimonijs diuina luce clarissimis, diuina veritate certissimis, non solum in regnum Dei non baptizatos paruulos intrare non posse, sed neque vitam æternam posse habere.

Tit. 3.

Et vt intelligas peculiariter illum hæc eadem tradidisse de paruulis in vtero matrum morientibus, ex illis verbis, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* sic infert, *Oportet ergo nasci, priusquam quis renascatur*. Ad finem etiam 6. libri Hypognosticon, expressissime dicit, paruulum fraudandum gratia saluatoris, qui in parentum manibus moritur sine baptismo, cũ deferretur ad eum. Idemq; epistola 105. affirmat. Et hanc eandem doctrinam, vt certam & indubitatam, tradit 6. contra Iulium Pelagianum cap. 10. & primo de peccatorum meritis & remissione, cap. 23. & 27. & lib. 3. cap. 4. & in libris contra duas epistolas Pelagianorum, & in epistola ad Renatum de origine animæ, & de bono perseuerantiæ cap. 12. & in alijs plerisque locis. Si Vincentium Donatistam ferre ille non potuit, quod hos paruulos assereret saluandos, sed non ante iudicium si Pelagium hæreticum credidit, quod assereret, eos habituros quidem vitam æternam, sed non regnum cœlorum: quod iudicium putamus eum laturum fuisse, si nũc viueret, contra eos, qui etiam regnum cœlorum non verentur statim his paruulis concedere post discessum ex hac vita, præsertim cum in eis agnoscat vulnus peccati originalis, quod Pelagiani negabant?

Si ab Augustini sententia cum debita modestia & reuerentia quis decedat, non continno obiurgandus, aut abijciendus est. Ipse sibi Augustinus tantam authoritatem deferri recusauit. Verum vbi ille aliquid tanquam certum & indubitatum Ecclesiæ Catholicæ dogma tradit, ab eo discedere, ferendum non est. Non enim verisimile est, eum ignorasse, quid Ecclesia catholica constanter teneret, aut incerta pro certis tradidisse. Docuit & hæc eadem

Grego-

Gregorius 15. Moralium cap. 22. & in lib. 7. Registri, epistol. 53. ita scribit: *Illud incertum non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta.* Et ibidem hoc probant, quia non alia ratione dicit Christus, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* nisi quia qui mundatus aqua baptismatis non fuerit, mundus non est. Isidorus etiam, vt & renarrauit Gratianus, regenerari secundum Christum non posse affirmat, quem generatio non præcessit. Et quamuis de baptismo ibi tantum agat, tamen cum omnis primo iustificatus regeneretur secundum Christum, qui negauit regenerationem eiusmodi competere nondum genito, negauit & iustificationem.

Isid. lib. 1. sent. c. Qui in materno. de consec. d. 4.

Et hos eximios Doctores secuti sunt Magister, sanctus Thomas, diuus Bonauentura, Richardus de Media Villa. Et addit Bonauentura expresse, paruulum, qui dum defertur ad Baptismum, casu aliquo moritur, sine illo non consecuturum beatitudinem. Et Richardus etiam paruulis intra vterum matris mortuis, nihil profuisse fidem parentum, distincte affirmat. Thom. Vualdensis lib. de sacramentis, hoc certum esse, & ex fide tenendum probat, & Hugonem de sancto Victore, in hanc sententiam allegat. Eckius in centurijs laudat quidem opinionem Gersonis, & proclamatam eam refert in Concilio Constantiensi, neque tamen damnatam. *Et quis scit,* inquit, *si forte exaudiat Deus? immo quis non sperare valeat, quod orationem humilium & sperantium in se exaudiat?* Veruntamen in Enchiridio, titulo de baptismo puerorum, contra errores Zuinglij ter asserit, pueros mortuos sine baptismo, damnari de lege communi. Denique omnes scholastici, quos mihi contigit legere, exceptis Caietano & Gersone, stant pro hac sententia.

Mag. d. 4. 4. Tho. 3. par. q. 68. ar. 2.

Rich. dist. 4. Tho. Vualden. c. 99.

Ne vero authoritatibus duntaxat pugnemus, ostendamus & idipsum validissimis alijs argumentis. Ac primum sit hoc: Paruuli decedentes sine baptismo, nõ possunt assequi gratiam per viam sacramenti. Baptismus enim, vt diffinitum est, ianua omnium sacramentorum est: & omnia sacramenta veteris legis, & legis naturæ, iam cessarunt, & non sunt modo plura quàm septem. Neq; possunt assequi ex merito offerentium eos, aut benedicentium illos, aut orantium pro ipsis. Nullus siquidem purus homo potest mereri alteri primam gratiam immediate, hoc est, sine aliquo bono motu, opere, aut affectu ipsius. Alias amens existens in mortali, posset reconciliari DEO sine vlla pœnitentia sua. Quod est contra c. Maiores, & contra illud Christi *Nisi pœnitentiam egeritis, &c.* Et si quis posset paruulo mereri primam gratiam immediate, posset etiam mereri augmentum illius, & ita paruulus non baptizatus, posset habere maiorem gratiam quam baptizatus. Nulla igitur est via, qua isti paruuli possint saluari, si sine baptismo decedant; quia neque per viam sacramenti, neque per viã meriti. Deinde: Si paruuli non baptizati saluari possent, communis esset hæc gratia paruulis fidelium & infideliũ, sicut & modo est gratia baptismi. Quia par est ratio de vtrisque, & idem vtrorumque peccatum, neque peius illi de Deo sunt meriti, quam nostri, neque maius impedimentum gratiæ apponunt, & ita illis vt nostris adhiberi possunt & sacramenta, & oblationes, & benedictiones, & pro vtrisque ex æquo possunt esse efficaces orationes iustorum. Quod si propter hæc argumenta concedatur, posse saluari paruuli infidelium, extra Ecclesiam esset salus, contra c. Firmiter. de summa Trin. & fid. cath. & contra c. Vnam sanctam. de maioritate & obedientia. Nam & illi censentur ab Ecclesia, esse extra ipsam sicut & ipsorum parentes. Et quod rogo, priuilegium est sanctificatorum in vtero, si tam multi paruuli propter preces, oblationes, & benedictiones parentum, ex communi lege in vteris matrum iustificãtur? Si potest etiam hac via subuenire periclitantibus paruulis, cur non etiam eadem via iustificari poterunt, quando non periclitantur? Certe periculum aut mors eorum, neque sacramentum potest efficere, quod non est sacramentum: neque efficaciam orationibus præbere, quam ipsæ non habent. Cum igitur semper orent parentes boni pro paruulis suis, & vbi illi negligentes sint,

Argum. 6. Cap. Veniens de presbyt. non baptis.

cap. Maiores de Bapt. & eius effe.

Luc. 13

Argum. 7.

Argum. 8.

tet sint, Ecclesia nunquam cesset orare pro omnibus, quibus suæ orationes prodesse possunt, nullus periret ex his paruulis immo & ante baptismum iustificarentur, neq; vnquam primam gratiam per illum perciperent.

rgum. 9. Illud insuper deterrere omnes deberet à sententia Caietani, quod nunquam Ecclesia visa est illo benedictionum & precum remedio, quod ipse adinuenit, sed ritus est nouus, quem ipse sibi ex suo capite confinxit, neque nouus duntaxat, sed periculosus, & speciem habens sacrileg j. Vt sacramentum namque videtur vsurpari, quod nunquam à Deo aut ab Ecclesia ad sanctificandum institutum est. Præterea,

Argum 10. Nulla lege firmatum est vel per eum ritum vel per solas parentum aut Ecclesiæ orationes, huiusmodi paruulos saluari Meritum quippe ex congruo, non semper habet effectum. Ergo neque hac via assequuntur, quod volunt; videlicet, paruulos de lege communi saluari.

Contra hæsitantes de condemnatione puerorum decedentium sine baptis. Neque mihi placet, quod quidam dicunt, ex lege communi non posse hos paruulos saluari, sed ideo incertos nos esse debere de eorum condemnatione, neq; præcipitare sententiam, quia potest Deus eos saluare præter legem ob pias preces & affectum parentum, vel aliorum iustorum pro eis orantium Siquidem & contra hanc pietatem, ac velut mediam sententiam, apertum est argumentum, quia de vnaquaq; re iudicandum est secundum legem communem, quidquid præter legem à DEO fieri possit. Et sicut pro certo credimus, hæreticum mortuum in sua hæresi, condemnatum esse, & male perisse, etiam si præter legem & miraculose possit à Deo saluari: ita proculdubio, cum nobis non constet, Deum præter legem sanctificasse aliquem ex his paruulis, credendi sunt & perire, si moriantur sine baptismo. Quod si cessante periculo, tamdiu extra gratiam Dei esse creduntur, quandiu non suscipiunt baptismum, neque est qui censeat, sanos & incolumes pueros iustificari ante baptismum, quamuis pro eis aut super eos orationes vel cæremoniæ fiant: neque dubitandum est, eos perire, si moriantur sine baptismo, cum eadem de vtroque sit lex: & perinde contra legem communem sit eos saluari, cum ante baptismum moriuntur: ac eos iustificari ante baptismum susceptum, cum sani sunt & incolumes.

Obijciet tamen aliquis, quod teste Augustino & consentiente tota Ecclesia, iustificari possunt paruuli, si moriantur pro Christo. Obiectio 1.

Sed eorum martyrium, votum virtuale baptismi dici potest, vt supra disseruimus. Et regulæ generales non derogant specialibus priuilegijs. Speciale autem hoc est priuilegium, & gratia peculiaris martyrij, vt etiam ætatem infantilem possit iustificare. Neque par est, illi cuiusquam mortalis preces exæquare. Respon.

Quid ergo? Relinquemus sine remedio paruulos, qui sic concipiūtur, vt intra maternum vterum moriantur, & quibus non potest subueniri aqua baptismali? Si hoc dicamus, potentius fuerit contra totum Pauli dicursum ad Roman. peccatum Adæ ad inficiendum totam ipsius posteritatem quam gratia Christi ad subueniendum: & mitior fuerit lex Mosaica, quam lex gratiæ. Siquidem peccatum Adæ ad omnes suos posteros peruenit, & in lege Mosaica subueniri potuit cuicunq; paruulo quocunq; die post natiuitatem periclitanti, eo modo quo & puellis subueniebatur. At nunc in lege gratiæ nullum est remedium, quo subueniri possit paruulo, qui non potest baptizari Obiectio 2.

Absit tamen, vt quēquam nunc destitutum omni remedio credamus. Possūt paruuli siue in vteris maternis periclitantes, siue alibi vbi eis conferri nequit baptismus, per sanguinis baptismum saluari. Et hactenus valere apud Deum possunt parētum preces & aliorum iustorum, vt qui secundum naturalem cursum morituri erant sine baptismo, siue intra vterum matrum, exeant in hanc lucem, & superuiuant quousque gratiam baptismi participent. Responsio.

Et in hunc finem religiosissimum esset admonere parentes, vt pro filijs adhuc in vteris maternis inclusis iugiter orent, & sanctis & pijs viris, amicisque spiritualibus idipsum obnixè commendent. Nullam e-

nim Deus sanxit legem, vt moriantur aliqui sine baptismo intra matrem suarum vterum. Quin potius & hoc antecellit lex Euangelica legem veterem, quod sacramentum habet, quo possit periclitanti paruulo, certè & facilimè subueniri, quacunque die & hora, vel secundum minimam sui corporis particulam egressus fuerit in hanc vitam.

Stat igitur firma & inconcussa sententia Patrum, quod nemo iustificari possit sine baptismo in re vel in voto. Quare ad exponenda alia festinabimus, quæ Patres in capit. 5. & 6. necessaria ad iustificationem adultorum explicarunt.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE PRAEPARATIONE ADVLTORVM AD IVSTIFICATIONEM, LIB. SEXTVS IN V. ET VI. CAP. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

MAGNAM exigunt diuina sacramenta reuerentiam, vt non in iudicium contrectentur. *Mundamini,* inquit, *qui fertis vasa Domini.* (Esa. 52.) Ideo Oza morte subita percussus est à Domino, quia affectu tametsi pio, tamen immundus cum esset, non veritus est arcam Domini tenere, quæ minabatur ruinam. Et cum Christus suos admonuit, ne sanctum porrigerent canibus, aut margaritas ante porcos mitterent, hoc ipso docuit non canes esse debere, neque porcos, sed mundissimos & mansuetissimos agnos, qui sancta Dei suscepturi essent sacramenta, longè omnibus margaritis potiora. Atque ideò sancta Synodus non sat habuit, fidelibus tradere viam ad iustificationem necessariam, videlicet baptismum, sed & ea docuit, quæ ex parte Dei, & ex parte nostra necessaria sunt, vt & dignè ab adultis suscipiantur sacramenta, & siue * per eum, siue aliâs iustificationis gratiam obtineant. (* Vel per ea.) Et quia de his disserit 5. & 6. cap. in vtriusque expositionem & confirmationem, sextum lib. de præparatione adultorum ad iustificationem elucubrauimus, eumq; Dei benignitate freti, à compendiaria eorum declaratione exordiemur. Sed vtrunque ante omnia præmittemus.

DE NECESSITATE PRÆPARATIONIS AD JUSTIFICATIONEM IN ADVLTIS, ET VNDE SIT.

Caput Quintum.

D*ECLARAT præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis, à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse; hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atq; adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neq; homo ipse ni-*

ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abiicere potest, neq; tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Vnde in sacris literis cum dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, *libertatis nostræ admonemur Cum respondemus,* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, *Dei nos gratia præueniri confitemur.* Zach. 1 Thren. 5

MODVS PRÆPARATIONIS.

Caput Sextum.

DISPONVNTVR autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt, atq; illud inprimis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumq; tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Deniq; dum proponunt suscipere baptismum inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, *quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et,* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Et,* Timor Domini expellit peccatum. *Et,* Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine IESV Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. *Et,* Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare, quæcunque mandaui vobis. *Denique,* Præparate corda vestra Domino. Heb. 11 Matth. 9 Eccl. 1 Actor. 2 Matth. vlt. 1. Reg. 7

CAPVT I.

De erroribus damnatis in V. & VI. Cap. & summa quadam eorum.

IN his capitulis traditur à Patribus doctrina, ex diametro opposita errori Lutheranorum, negantium omnem dispositionem & præparationem ad gratiam. Exosum enim habent dispositionis & præparationis nomen, quia vt ex eorum assertionibus, colloquijs, & apologijs constat, inde existimant extenuari gratiam Christi: & præparationes omnes ad gratiam, quæ quidem eam antecedunt, damnant. Vnde & Lutherus in art. 6. suarum assertionum ad Leonem, ita scribit: Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorũ grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem, & in art. 6. Liberum, inquit, arbitrium post peccatum, res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Quomodo igitur, inquies, secundum illum iustificamur? Nolentes & reluctantes Deum, ait, ad se conuertere, quos vult. Et Philippus in Apologia confessionis Augustanæ, terrores illos, quibus perterrefiunt peccatores & à Deo, & à prædicatoribus verbi Dei, vt confugiant ad fidem, peccata dicit esse, antequam vincantur per fidem. Et Bucerus in illo libro, quo nititur controuersias componere, generalius dicit, peccata esse omnia opera præparationis, etiam contritionem ipsam

psam, antequam adsit fides, hoc est, antequam adsit gratia. Sed quid ipsi dicant vel sentiant, contemnamus.

Mirandum non est, si præparationis nomen abhorreant, & præparationes omnes damnent, qui non modo non se rite præparant ad gratiam, sed & ei semper resistunt & obluctantur, & se volentibus ad eam præparare, impedimento sunt. Persequamur potius, vt cœpimus, partes nostras: & quid patres nostri diffiniant, auidissimis & & attentissimis auribus audiamus. Quo vero doctrina hæc peccatoribus vel in primis necessaria, apertior omnibus esse possit, quinque statuemus conclusiones, quibus summa quædam vtriusque capituli haberi poterit.

Conclus. 1. Prima conclusio: Duo concurrunt & necessaria sunt, vt adulti, ad suam iustificationem se præparent: libertas ipsorum, & gratia diuina. Confirmata est hæc conclusio ad finem cap. 5. his planissimis & diuinis verbis: Vnde in sacris literis, cum dicitur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur: Cum respondemus, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*, Dei nos gratia præueniri confitemur. Et in hac conclusione triplicem refellerunt Patres errorem. Primus est Manichæorum, Priscillianistarum, Vuicleffistarum, & Lutheranorum negantium libertatem nostram. Secundus est Lutheranorum, negantium necessitatem nostræ dispositionis & præparationis ad iustificationem. Tertius est Pelagianorum & Cœlestianorum, negantium necessitatem gratiæ ad præparandū nos ad nostram iustificationē.

Zach. 1. Thren. vlt.

Conclus. 2. Secunda conclusio: Non ex æquo concurrunt ad præparationem nostram libertas nostra & gratia diuina, sed priorem & potiorem partem sibi vendicat gratia diuina. Hæc conclusio satis innuitur illis verbis, quæ habentur in principio huius capitis, quibus dicitur, iustificationis exordium à Dei gratia præueniente sumendum esse. Neque minus illis, quæ ad finem cap. legimus, Cum respondemus, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*, Dei nos gratia præueniri confitemur.

Conclus. 3. Tertia conclusio: Gratia diuina præueniens, communicatur peccatoribus absq; vllis eorum meritis. Hæc conclusio ex illis verbis colligenda est, quibus asseruntur peccatores, nullis eorum existentibus meritis, vocari. Sed vt explicetur, quæ sit ista gratia, qua à Deo præuenimur & adiuuamur, vt iustificemur, & quemadmodum illa nobiscum, & nos cum illa nostram iustificationem operemur, colligi potest ex illis quæ mox subijciuntur. Quarta conclusio huiusmodi: Peccatores à Deo auersi per peccata, per Dei excitantem & adiuuantem gratiam, libere eidem gratiæ assentiendo & cooperando, disponuntur ad suam iustificationem, neque possent etiam gratia diuina præuenti, sine ipsius adiutorio se ad veram iustitiam mouere. In hac conclusione, quod peccatores dicuntur à Deo per peccata auersi, cōmune est & frequentissimum in scripturis. Auertunt enim se peccatores à Deo, conuertendo se ad ea, quæ Deus illis prohibuit, & Deus quoque se ab eis auertit, neque oculis suæ misericordiæ vult eos respicere. Et hac ratione, ipsa quoque peccata, auersiones dicuntur sæpe in scripturis. Porro his quatuor conclusionibus, ad 5. cap. spectantibus, exposita est à Patribus præparatio adultorum in genere ad suam iustificationem. Explicatumque est, duabus in genere rebus eos præparari, gratia nimirum diuina, & libertate sua: & declarata sunt vtriusque partis munera. Quia vero non satis hoc est ad instructionem fidelium, mox in 6. cap. de dispositionibus & præparationibus nostris in specie agitur. Et vt intelligamus, quæ sint peculiaria opera, quibus per gratiam Dei & libertatem nostram ad iustificationem paramur, colligemus ex eo quintam huiusmodi generalem conclusionem.

Concl. 4.

Concl. 5. Sex sunt opera, quibus adulti ad iustitiam disponuntur, fides, timor, spes dilectio Dei, pœnitentia, votum baptismi & nouæ vitæ, siue obseruationis mandatorum Dei. De horum quolibet aliqua particulatim traduntur à sancta Synodo, & nos de ipsis & de qualibet harum conclusionum singulatim suo ordine aliqua dicemus, vt constet,

ster, totam hanc doctrinam à Christo esse & Apostolis: & perpetuo creditam à tota Ecclesia Catholica.

CAPVT II.

Cooperationem nostræ libertatis necessariam esse ad nostram iustificationem.

NE segnes simus, & in illis, quæ saluti nostræ necessaria sunt, nobisipsis deficiamus, illud in primis intelligere & nosse oportet, inter alia eximia beneficia, à Deo nobis collata, & hoc quoque nos ab eo accepisse, vt nostræ potestati subsit nostra ipsorum iustificatio. Et quoniam nostræ illam Deus subiecit facultati, neminem ex adultis iustificat, quin & ipse suæ cooperetur iustificationi. Atque ideo sancta Synodus meritò expressit in 5. cap. necessariam esse nostræ libertatis cooperationem ad nostram iustificationem. Et optimum est Synodi argumentum pro hoc. Non enim requireret Deus in sacris literis, vt nos ad ipsum conuertamur, si non subesset nostræ potestati nostra conuersio. Quis namque m ab aliquo requirat, quod ipse præstare non potest?

Neque in solo testimonio Zachariæ inducto à Patribus, nostram à nobis exigit Deus conuersionem. Frequentissimum
Ioel 2 hoc est in scriptura: *Conuertimini, inquit, ad*
Esa. 31 *me in toto corde vestro: Conuertimini sicut in pro-*
Esa. 45 *fundum recesseratis: Conuertimini ad me, & salui*
Hier. 3. 15 *eritis: Conuertimini filij reuertentes. Si conuerteris,*
conuertam te: Conuertimini, & agite pœniten-
Ezech. 18. 33 *tiam: Conuertimini à vijs vestris pessimis: Conuer-*
Osee 14. *tere Israel ad Dominum Deum tuum.* Et apertissimum est illud testimonium Salomonis,
Prouerb. 16 *Hominis est animam præparare.* Et alibi Deus dicit, se stare ad ostium animæ nostræ, & pulsare. Et aliâs tenerrimè & blandissimè
Cant. 5 postulat ingressum ad nos, dicens: *Aperi mihi soror mea, &c.* Nemini quippe vult vim inferre, neque obsequia vlla habet grata, nisi voluntaria. Et cum effringere posset obices ferreos nostri pectoris, & nostras ad se potenter compellere rebelles voluntates, tamen ne libertati gratuitò concessæ præiudicet, neminem ad se trahit, nisi volentem.

Peruulgata sunt illa verba Augustini: *Qui* August.
prædestinauit te sine te, non saluabit te sine te. Et Psal. 14
pulcherrimè Chrysost. homil. 9. super Ioan. ita scribit: *Deus neminem cogit, sed suadet, vt recte faciamus: & quicunque ipsi assentitur, & allicit, & trahit. Propterea cum veniret in mundum, alij eum receperunt, alij elegerunt. Nullum seruorum* [illegible]
Deus vult inuitum, nullum coactum, sed eos tantum qui sponte sua ipsum optant, ipsum amplectuntur, & gratiam se Dei & virtutis habere intelligunt. Homines enim, vtpote quibus necessario seruorum opera & seruitio opus est, improbos & dicto non audientes seruos possessionis iure coercent. Deus autem cum sibiipsi sufficiat, & nullius indigeat, nostra duntaxat salutis gratia omnia operatur, nosque ipsos nostri arbitrij & iuris esse libere permittit. Quod si nolentes ad seruiendum traheret, non secus eis deberet, ac si nullum præstitissent seruitium. Hæc Chrysost. Et nisi nostræ libertatis cooperatio necessaria esset ad nostram iustificationem,
non dixisset Paulus, *Cum metu & tremore ve-* Phil. 2
stram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.
Quoniam, vt sapienter [illegible] Augustin. August. de grat. & lib. arb. c. 9.
tantundem hæc sunt, ac si apertius dictum esset: Quamuis Deus sit, qui voluntatem nostram mouet, & vos nihilominus debetis per liberum arbitrium cooperari. Hæc Augustinus.

Et ideo operationis diuinæ meminit Paulus, vt vel ex hoc stimulos adijceret ad cooperandum Deo, & meritò indicaret timendum esse non operanti suam salutem, quando ex benignitate diuina nihil deest nobis, neq; ad incipiendum, neque ad perficiendum. *Quis hominum est vel Iudæorum, vel*
gentilium, ait Chrysost. *quem non sufficienter* Chrys. hom. 54. in Matth.
spiritalibus & corporalibus sensibus adornauit? cui Prou. 1.
non dedit scientiam boni & mali? cui non dedit posse fugere malum, & apprehendere bonum, si vult? Sicut enim nullus est homo, cui aliquid corporis membrorum minus sit ad vsum corporalem, sic non est, cui minus sit aliquid sensus aut potentiæ ad intelligentiam boni & mali, & ad omne opus bonum faciendum, quodcunque voluerit. Hæc ille.

Quod si non esset requisita nostræ libertatis cooperatio ad nostram iustificationem, non quereretur Deus, quod vocauit

& renuimus: extendit manus suas, neque fuit qui adspiceret. Nulli etiam peccatori probro daretur sua obstinatio in peccato neq; obstinatis peccatoribus diceret Paulus:

[Rom. 2]

An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longaminitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.

[Greg. lib. 11. super Ezech.]

Vsusque est hoc testimonio Pauli Gregorius, vt ostenderet, & crescere & augeri culpam ex perseuerantia in peccato.

Et ex his liquet, toto cœlo errare eos qui cum fateantur nos ad alia habere liberum arbitrium, negant tamen nostræ subesse potestati, quæ ad iustificationem nostram spectant. Constat etiam ex his, meritissimo in Canone 4. indictum esse anathema negantibus nos nostræ iustificationi cooperari, neque dissentire posse DEO excitanti, & vocanti nos ad pœnitentiam, & asserentibus mere passiue nos habere, & nihil omnino agere in nostra cõuersione. Si enim passiue tantum nos haberemus in his actibus, quibus ad Deum conuertimur, non essent in nostra potestate, neque ob eos laude aliqua aut præmio digni essemus, sicut supra dilucidum iam fecimus.

[Lib. 2. c. 6]

CAPVT III.

De necessitate diuinæ gratiæ, vt præparemur ad iustificationem.

NON est autem sufficiens liberum nostrum arbitriũ ad dispositiones, quæ ex parte nostra requisitæ sunt ad nostram iustificationem. Diuinæ profecto gratiæ fauore & adiutorio egemus, vt opera adeo præcellentia faciamus. Et efficacissima hoc ratione stabiliunt Patres in 5. cap. ex eo quod sacræ literæ docent, nos à Deo postulare nostram iustificationem. Non enim hoc facerent, si per solas nostræ libertatis vires hoc possemus, neque Dei indigeremus adiutorio. Quandoquidem ab illis precari non solemus, quæ per solos nosipsos præstare possumus. *Quid stultius,* ait pulchre Augustinus, *quam orare vt possis, quod in potestate habes vt facias?* Et hoc argumento vsi sunt Patres in quodam Concilio Carthaginensi contra Pelagium & Cœlestium, vt docerent necessariam esse gratiam Dei ad nostram iustificationem. Eodemq; argumento sæpe vsus fuit Augustinus post Cyprianum ad idem confirmandum, & Innocentius huius nominis I. approbauit idem argumentum in epistola ad Concilium quoddam Mileuitanum. Quorum testimonia legere poterit, qui voluerit, in nostro opusculo de iustificatione, q. 8.

[Aug. de natur. & grat.]

[Aug. 2. de pecc. merit. & remiss. & de perf. iust. & de grat. & lib. arbit. ca. 14. & de correct. & gratia c. 1.]

Et à Deo petendam esse nostram conuersionem præter testimonium ex Threnis à Patribus inductum, docere nos possunt hæc testimonia, & similia passim occurrentia in scripturis: *Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Deus virtutum, conuerte nos, conuerte nos Deus salutaris noster.* Et propter hoc August. de contritione cordis, cap. 8. per lethale peccatum in abyssum irremediabilem & sine fundo, nos incidere affirmat, quia nisi Deus iuuet, surgere inde nemo potest. Et Gre. 16 Moral. cap 11. ita scribit: *Si saluari quisque hic munditia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, procul dubio erratur.* Et hoc probat ex verbis Moysi: *Nullus apud te per se innocens est.* Et Bern. serm. 81. in Cantica: *Surgere,* inquit, *anima per se iam non potest quæ per se cadere potuit.* Et alibi: *Difficilis prorsus res, & solis humanæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati iugum a ceruicibus excutere, quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati: neque vult tam liberari, nisi in manu forti.* Et Beda in illa verba, *Fac es quinquaginta ansulas in ora sagi vnius:* ita ait, *Donum pœnitentiæ non, nisi Spiritu sancto largiente, conceditur: donum veniæ pœnitentibus non nisi eadem Spiritu sancti gratia administrante, tribuitur.* Et in hoc propositum seruire possũt omnia, quibus in citato libello probauimus, ad fidem, dilectionem DEI super omnia, pœnitentiam, necessarium esse Dei auxilium speciale. Et ex eis poterit constare non iniuria Patres in can. 3. indixisse anathema asserentibus sine præueniente Spiritus sancti inspiratione & adiutorio, posse hominem credere, sperare, diligere, & pœni-

[Hier. 17]
[Psal. 31. 79. 84.]
[Exod. 14]
[Bernard. ser. de triplici. nostra.]
[Exod. 26]
[q. 8. 9. 10. & 11.]

pœnitere, ficut oportet, vtiustificetur: & eam doctrinam à Christo & Apostolis habuisse & retinuisse semper Ecclesiam Catholicam, quamuis nonnulli scholastici contrarium huius canonis docuerint siue quia ignorarunt testimonia ibi à nobis inducta, siue quia ea non pro dignitate expenderunt. Neque oportet hic tergiuersari. Necessitas siquidem gratiæ diuinæ ad præparandum nos ad nostram iustificationem, iam olim stabilita est ab Ecclesia Catholica. Damnatique sunt Pelagius & Cœlestius, eam negantes, ab Innocentio primo in epist. ad quoddam Concilium Carthaginense, & à Cœlestino primo in epist. decretal. canon. 1. & à Concilio Mileuitã. can. 4 & à Concilio Arausicano II. canone 4. 5. 6. 8. & 25. Et eorum errorem apertis testimonijs Scripturæ & sanctorum, & irrefragabilibus argumentis, vbi supra, reiecimus, quæ superuacaneum visum est hic repetere.

CAPVT IV.

Dispositiones ad iustificationem, magis esse tribuendas gratiæ diuinæ, quam nobis.

NEQVE solum oportet concedere, necessarium esse nobis diuinæ gratiæ adiutorium, vt ad iustificationem præparemur: sed & illud constanter asserendum est, quod ex cap. 5. in 2. conclusione collegimus, & prius & principalius Deum ipsas efficere, quam nosipsos, & ei præcipuè esse adscribendas Et hanc doctrinam vt certam amplectuntur omnes Scholastici Doctores, quos legerim, post Magistrum in 2. d. 27. c. 4. Quam etiam disertè tradidêre antiqui Doctores. Augustinus: *In omni opere sancto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij, id est, operatur Deus, cooperatur homo.* Chrysostomus: *Deus semper in beneficijs priores partes sibi vendicat.* Gregorius: *Si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectò inueniet, quem remuneret innocentem.* Et statim. *Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiscum.* Et hoc probat ex

Aug. 3. Hyp.

Chrys. hom. ... Ioan. Greg. 16. Moral. c. 12.

Paulo his verbis: *Quia diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit.* Paulus ait: *Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Et quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adiungit: *Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui.* Et mox: *Munditia itaque manuum suarum innocens saluatur, quia hic præuenitur dono, vt innocens fiat: cum ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur.* Isidorus: *A Deo nobis omnia bona, gratia præueniente, donantur.* 1 Cor. 15 Isidor. de summo bon. lib. 2. c. 5.

Et confirmari potest hæc sententia Patrum nostrorum, quia præparationem ad iustificationem, principalius tribuit Scriptura Deo, quam nobis. Sæpius enim vocat præparationes nostras opera Dei, quã opera nostra. Et frequentius docet, ad illas obtinendum, humiliter postulare auxilium Dei speciale, & pro illis adeptis Deo gratias agere, & sæpe gloriam operum nostrorum nobis interdicit, docetq; non nobis, sed Deo potius omnia bona nostra tribuere, vt patebit ex testimonijs capite proximo citandis. Item, Quandocunque ad aliquem effectum concurrunt causa vniuersalis & particularis, prius & principalius est ille effectus à causa vniuersali, quam à particulari. Plus enim influit in effectum causa vniuersalis, quam particularis, vt etiam philosophi fatentur. Causa quippe vniuersalis mouet ad agendum causam particularem, & facit suo influxu & applicatione, vt illa operetur. Non habet autem hanc vim causa particularis in vniuersalem. Et hac ratione ex consensu omnium philosophorum in operibus, quæ Deus facit nobiscum concursu suo generali, priorem & potiorem partem sibi ipse vendicat. Quare & idem multo magis asserendum est de operibus, quæ facit concursu suo speciali. Nam hæc propria opera Dei appellantur. Quod nisi ita esset, non esset omnino certum, omnes peccatores præueniri à Deo ad suam conuersionem, neque fuissent citra omne dubium recepta, quæ communiter de gratia præueniente inferius ab omnibus Catholicis concessa monstrabimus. In dispositionibus etiam ad iustificationem, primum locum tenet vocatio diuina. Hæc autem Argum. 1. Argum. 2. Argum. 3. Argum. 4.

autem vel ſolum eſt à Deo, qui ſtat ad oſtiũ conſcientiarum noſtrarum, & pulſat, vt ei aperiamus: vel certe multo prius & principalius ab illo eſt, quam à nobis, vt infra docebimus. Merito igitur tribuere debemus gratiæ diuinæ priores & potiores partes in præparationibus noſtris.

CAPVT V.

Reſpondetur hæreticorum obiectionibus contra neceſſitatem cooperationis noſtræ ad iuſtificationem.

NON ſatis eſt hæreticis noſtri temporis, ſi neceſſarium aſſeramus diuinæ gratiæ adiutorium, & primatum ei & principatum tribuamus, ſicut fecimus in noſtra præparatione ad iuſtificationẽ, niſi etiam, vt cap. 1. retulimus, libertatem noſtram ad eam rem conuellant, & quantum in ipſis fuerit, oſtendant velut inanime & brutum animal nos habere in illis, quæ præuia ſunt noſtræ iuſtificationi, & coactos nolenteſque ad eam trahi, ac mere paſſiue nos habere circa ipſam. Ne vero tantum errorem cuiquam perſuadeant, commodum erit, antequam vlterius progrediamur, explicare argumenta, quibus ad hoc ſuadendum vtuntur. Non trahitur, inquiunt, ſed ducitur, qui volens fertur in aliquem locum. Trahimur enim nolentes, ducimur autem volentes. Et hoc intereſt inter trahi & duci. Sed Chriſtus dicit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum.* Non ergo volentes & aſſentientes ad Chriſtum venimus, ſed nolentes & reluctantes trahimur: neque neceſſaria eſt noſtræ voluntatis cooperatio, vt ad Chriſtum veniamus, & iuſtificemur.

Obiectio 1.

Ioan. 6

Sed hoc argumentum iam olim diluit Aug. Non enim ideo vſurpatum eſt verbum, traxerit, quia Deus quempiam vi trahat, aut nolentem cogat, ſed quia ex nolente facit volentem, & noſtram ipſe præuenit voluntatem. Et ne occaſio daretur ſuſpicandi, quod nos prius velimus, & diuinum concurſum præueniamus, non eſt vſurpatum verbum, duxerit. Et tantum abeſt diuus Auguſtinus ab eo dogmate, quod ei ex hoc libro imponit Lutherus in articulo 36. ca. 32. damnato à Leone, videlicet quod nolentes Deus conuertat & reluctantes, vt expreſſe ibidem dicat, non poſſe fieri, vt nolentes credant, ſed Deum facere in cordibus hominum, vt ex nolentibus volentes fiant. Et in Enchiridio. *Nolentem*, ait, *præuenit, vt velit.* Neque ſemper verbum, trahere, violentiam indicat apud Latinos. Trahimur enim plerunque in ſententias aliorum non demonſtrationibus, ſed perſuaſionibus probabilibus. Et Maro proprietatis obſeruantiſſimus, *Trahit*, inquit, *ſua quenque voluptas.* Et ita intellexit verbum traxerit, Diuus pater Cyrillus: *Gratia*, inquit, *cognitionem ſui haberi oſtendit, cum dicat, neminem ad ſe venire poſſe, qui patris monitionibus non trahatur.* Et vt iam olim aduerſaretur Lutherano dogmati, ſubdit: *Non enim cum dicit, neminem poſſe ad ſe venire niſi pater traxerit eum, vi quadam cogi trahique credentes putandum eſt. ſed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta.* Et ſtatim probat Chriſtum ipſum ſic explicuiſſe verbum. *traxerit:* quia mox ſubiunxit, *Omnis qui audiuit à patre & didicit. venit ad me. Vbi auditus*, ait *diſciplina, doctrinaq́; adeſt, ibi fides non vi. ſed perſuaſione oritur. Patrocinio igitur Dei patris, quod ex caritate dignis præſtatur, non vi, Chriſtum fideles agnoſcũt.* Hæc Cyrillus. Et Chryſ. perinde exponit verbum, trahere: *Deus enim*, inquit, *nolentes non cogit, ſed volentes trahit. Nam ſi ipſe vult, nos autem non volumus, ad noſtram ſalutem nihil proficiunt. quæ alioqui efficacia ſunt: non quia infirma ſit eius voluntas, ſed quia cogere neminem vult:* Hæc ille. Secundo obijci nobis poſſunt multa loca ſcripturæ, quibus iuſtificatio noſtra ſic vni Deo adſcribitur, vt excludi videatur cuiuſque alterius in eam rem cooperatio, idque non minus quam in redemptionem & glorificationem, in quarum gloriæ participationem, certo ſcimus nullum neque angelum, neque hominem à Deo admitti.

Reſponſio.

Maro in Bucolog. 2.

Cyr. 4. in Ioan. c. 4. c. 6.

Obiectio 2.

Et loca quidem ſcripturæ, quibus hoc videtur fieri, duplici in ordine cõtemplor. Quandoque enim ſic videtur Deo noſtra opera ſcriptura imputare, vt & noſtram cooperationem expreſſe videatur excludere: quan-

quandoque vero Deum solum eorum inducit authorem, ac proinde nostram cooperationem videtur excludere, licet hoc expresse & aperte non faciat. Primi ordinis
Ioan. 15 sunt illa: *Non vos me elegistis sed ego elegi vos. Non*
Rom. 9 *est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Gra-*
Ephes. 2 *tia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei*
Osee 13 *enim donum est. Perditio tua Israel ex te, tantum in me auxilium tuum.* Secundi vero ordinis
Psal. 83 sunt illa: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.*
1. Cor. 4 *Quid habes, quod non accepisti? Gratia Dei sum,*
1. Cor. 15 *id quod sum. Non sumus sufficientes cogitare ali-*
2. Cor. 3 *quid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra*
Ioan. 6 *ex Deo est. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui*
Philip. 1 *misit me, traxerit eum. Vobis donatũ est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro*
Philip. 2 *illo patiamini. Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Qui cœpit in vo-*
Philip. 1 Actor. 11 *bis opus bonum, perficiet. Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Timorem meum dabo in cor eo-*
Ezech. 36 *rum: Et auferam cor lapideum de carne vestra, &*
Coloss. 2 *dabo vobis cor carneum. Gratias agentes Deo & patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Et quasi solus Deus sit causa conuersionis
Psalm. 50 nostræ, Dauid orat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*
Ibidem. Et statim: *Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Et sexcenta alia huiusmodi passim occurrunt in scripturis.
Responsio. Quamuis tamen aliqua opera spectantia ad iustificationem nostram, à solo Deo sine
Proposit. 1. nostro concursu fiant, non ideo tamen & idem licet colligere de omnibus operibus ad eam requisitis.

Triplicia enim sunt opera Dei, concurrentia ad nostram iustificationem: & magnum inter hoc & illa discrimen est. Primi generis opera sunt illa, quæ antecedunt etiam tempore nostram iustificationem, & sic Deo sunt propria, vt nullam in eis partem libertas nostra habeat, scilicet, neque consensum, neque cooperationem. Et talia sunt prædestinatio seu electio, vocatio, pulsare ad ostium, & aliquando admonitio & inspiratio. Secundi generis opera, sunt productiones qualitatum supernaturalium, gratiæ scilicet & virtutum, quibus completur nostra iustificatio, & formaliter iustificamur. Et quia ad producendum tam præcellentes qualitates natura nostra pertingere non potest, habet se homo respectu earum passiue, sicut aer respectu luminis, cum illuminatur à sole. Sunt tamen inter hæc opera, quibus incipitur & perficitur nostra iustificatio, alia media opera tertij generis, quæ Deus in nobis non exercet, nisi nos assensum præbeamus. Cuius generis sunt, fides, spes, dilectio, pœnitentia, & omnia breuiter opera, concurrentia ad nostram iustificationem, quæ affectum liberum cordis nostri designant. Et hæc sola sunt, ad quæ nos dicimus cooperationem nostram requisitam, quia videmus scripturam hæc à nobis requirere, cum neque primi generis opera, neque secundi, à nobis immediate exigat. Et cum alia, operationes Dei duntaxat significent, hæc ex vi suæ significationis, opera nostra designant.

Quamquam autem iustificatio nostra per infusa dona & virtutes à Deo solo fit, Proposit. 2.
& solius Dei munera sunt, gratia & virtutes infusæ, non est tamen asserendum, iustificationem nostram à Deo fieri, nobis neque consentientibus, neque cooperantibus. Deus enim hæc munera non elargitur, nisi ope sua dispositis, & vocationi suæ sanctæ libenter obtemperantibus. Et in hoc decipiuntur & offendunt quidam, qui cum videant, nos mere passiue nos habere respectu gratiæ & virtutum, quibus iustificamur: inde consequens esse putant, vi iustificari asseramur sine assensione & cooperatione nostra, neque vident fieri posse, sicut & re vera fit, vt nihil quidem operemur ad productionem gratiæ, libere tamen consentiamus illius receptioni, & illis cooperemur actibus, qui præuij sunt ipsius infusioni & receptioni. Porro ex testimo- Proposit. 3.
nijs secundi ordinis, statim citatis, quibus Deus solus inducitur author nostræ iustificationis, non recte colligunt, nos nihil operari in nostra iustificatione. Hoc enim perinde esset, ac si quis velit, efficientiam omnium causarum secundarum tollere, quia omnia opera quæ fiunt in mundo, scriptura Deo attribuit. Quod quidem diligenter cauit scriptura, cum in Genesi aliqua

qua dicit producta à creaturis, quæ ibidem & à Deo producta asseuerat. Et ne in tantum errorem quis incideret, ipsa eadem scriptura, quæ Deo soli quibusdam in locis nostram conuersionem imputat, in alijs, etiam nobis, tacito Deo, adscribit. *Clamamus, Deus virtutum, conuerte nos.* Et ipse contra reclamat, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Precatur Dauid, *Domine labia mea aperies.* Et alio in Psalmo nomine Dei dicit: *Aperi os tuum & ego implebo illud.* Postulat sponsa à Deo in Canticis, *Trahe me post te.* At ipse vicissim, vt ad eum veniamus, in Euangelio nos admonet, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.*

Psal. 79. Zach. 1. Psal. 50. Psal. 80. Cant. 1. Matth. 11.

Sicut igitur ex his, quibus nostri arbitrij concursus exigitur, perperam excludebant Pelagiani necessitatem diuinæ gratiæ, ita & Lutherani non recte excludunt efficientiam nostram ex illis, quibus Deus inducitur author nostrorum bonorum operum. Et testimonia primi ordinis, quæ DEO soli nostram iustificationem ascribere videntur, exclusa nostra cooperatione, vel ad ea opera referenda sunt, quæ à DEO solo fieri diximus: vel propterea Deo soli nostram iustificationem tribuere exponenda sunt, quia Deus, vt iam explicuimus, prior & principalior operum nostrorum causa est. Inde enim proficiscitur, vt quia primo mouenti tribuendæ sunt actiones, quæ ab eo essentialiter pendent, verissime dictum sit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.*

Proposit. 4.

Et quamuis nos Deum eligamus in Deum & Dominum nostrum, & ad consequendam ipsius misericordiam, ipse noster concursus & assensus requisitus sit, quia tamen hoc non possumus, nisi ipso præstante, & præeligente nos, & prius miserente, verissime dicitur, non nos Deum eligere, & Dei esse miserentis nostram salutem, non nostri, & tantummodo in illo esse auxilium nostrum, & fidem non esse ex nobis, quasi ex nobis. Et sic solemus communiter pacem ciuitatis vni primo authori tribuere, & non alijs, qui cum ipso quidem, sed post ipsum ad eam pacificandam concurrerunt. Et Cyprian. hunc morem scripturæ imitatus, recte admonet in nullo nobis gloriandum, quia nostrum nihil est.

Sed si ita est, inquies, possemus & nostram nobis iustificationem imputare, perinde ac gratiæ diuinæ: & æqua lance nobis tribuere, quæ vni Deo sacra eloquia vbique constanter vendicant. Et sicut ipse ait, *Sine me nihil potestis facere:* & alibi, *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum:* & alias, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam:* ita & nos possemus vicissim dicere Domino, Sine nobis nihil potes in nobis facere: & nemo potest trahi à patre ad Christum, nisi velit: & frustra Deus vigilat ad custodiendum nos, nisi nos custodiamus. Hoc autem absurdissimũ esse, & procul ab ore & mentibus Christianorum relegandum, ex se & ex scripturis satis liquet. Estque hoc argumentum Augustini: Ait enim: *Si propterea dictum est, Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quia ex vtroque fit, id est, voluntate hominis & misericordia Dei: cur non è contrario dicitur, Non miserentis est Dei, sed hominis volentis, quia id misericordia Dei sola non implet? Quod tamen,* addit, *nullus Christianus dicere auderet.*

Obiectio 3. Ioan. 15. Ioan. 6. Psal. 126. Aug. in Enchir. c. 3.

Verum hæc neque in totum abijcienda, neque in totum recipienda sunt. Quia Deus secundum ordinariam & præscriptam legem, neminem ex adultis absque ipsius cooperatione iustificabit, sicut vere dicimus neminem venire ad Christum, nisi patre eum trahente, & neminem conuerti sine auxilio gratiæ diuinæ: ita & vere quoque possumus dicere, neminem venire neque trahi ad Christum, nisi ipso consentiente: & neminem in Deum conuerti, nisi sponte & voluntate sua: & nisi velimus nos nostrã salutem operari, frustra Deum nos custodire, frustra & ad se trahere conari, frustra & pro nobis mortuum esse. Quia tamen quidquid ei placuerit, potest in nobis sine nobis efficere, & iustificare nos posset præter legem absque nostro concursu, nos autem sine auxilio gratiæ ipsius hoc assequi non possumus, nequaquam nobis aut debemus, aut valemus illa vsurpare. Sine nobis nihil Deus potest efficere. nemo potest trahi ad Christum, nisi sponte sua.

Respons.

te sua. Non potest cuiusquam peccatoris misereri Deus, nisi velit ipse peccator. Et multo minus illa, Non est Dei miserentis, sed hominis volentis: Non est sufficientia nostra ex Deo, sed ex nobis. Omnia enim ista omnipotentiæ diuinæ derogant, & nos supra nostra merita extollunt, & diuinam in nos gratiam extenuant, principatuique ipsius supra libertatem nostram, multum detrahunt. Poteritq; de his videri August. q. 2. lib. 1. ad Simplicianum. Quarto obiji-ci potest nobis canon 4. Concilij Arausicani, qui sic habet: *Deus vt à peccato purgemur, voluntatem nostram non expectat.* Verum hoc ad gratiam præuenientem referendum est, non ad iustificantem. Ideo enim dictum est, Deum voluntatem nostrã non expectare: quia vt iustificemur, ipse nos præuenit vt velimus, & assentiamus, & cooperemur suæ vocationi. Sed si ad iustificationem nostram & Deus pariter, & nos concurrimus, cur Augustinus dicit, Viuimus recte, si totum Deo demus, non illi ex parte, & nobis ex parte? At vero Augu. Pelagianis hæc obijcit, qui dicebant, saltem initiũ salutis nostræ esse à nobis, nempe fidem. Quo contra ille contendebat, & initium & progressum, & profectum iustitiæ nostræ, Deo esse tribuendum. Ipse est enim, teste Apostolo, qui operatur in nobis & velle & perficere. Magis tamen vrgere videntur illa verba August. Deus quod operando incipit, cooperando perficit: ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ex his videtur, Deus iuxta ipsum saltem sine nobis exordiri beneficium salutis nostræ, & quo ad præparationem primam, ad nostram iustificationem non requiri nostræ libertatis cooperatio. Et apertius hoc potest colligi ex his quæ statim subdit: Vt ergo velimus sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum operatur. Hæc August. At vero expositio istorum, à distinctione gratiæ operantis & cooperantis pendet: & si hæc nomina ad gratiam habitualem transferantur, apertum est, quo inter se dissiparentur operans & cooperans gratia. Siquidem gratia gratum

[Margin: Obiect. 4. — Responsio. — Obiect. 5. — Aug. de bono perseuer. — Responsio. — Philip. 2. — Obiect. 6. Aug. lib. de gratia, & libero arb. c. 17]

faciens, operans dici potest, vt facit nos formaliter Deo gratos: cooperans vero, vt nobiscum ad opera bona concurrit. Dei autem adiutorium quando operans gratia dicatur, & quando cooperans, ambiguum est. Quidam Dei adiutorium ad actus interiores, operantem gratiam dicunt: ad actus vero exteriores, cooperantem. Verum hi parum aduertunt verba Augustini. Qui, vt statim citauimus, Deum ait nobiscum operari, cum sic volumus, vt faciamus. Nimium etiam derogant voluntati nostræ, sic has gratias discernentes. Tollunt quippe ei efficientiam suorum actuum. Alius diuinum adiutorium ad intentionem finis operantem gratiam vocat: ad electiones autem, cooperantem. Et ideo putat Augustinum dixisse, Deum in nobis sine nobis operari, quæ sunt à gratia operante: nobiscum vero facere, quæ sunt à cooperante: quia intentio Deo tribuenda est, electio autem & opera inde sequentia, voluntati. Ad hæc namque voluntas se per seipsam mouet, sed ad intentionem, ab extrinseco, hoc est, à Deo ipso mouetur. Quoniam, cùm voluntate alicui malo hæremus, non potest voluntas nostra, vt August. insinuat, moueri in bonum, nisi ab alio moueatur. Omne enim quod mouetur, ab alio mouetur, teste philosopho. Derogat tamen & hæc sententia libertati nostræ voluntatis. Cur enim & ipsa, seclusis omnibus alijs, dimouere se nequeat à malo cui inhæret? Cur non & ipsa præstituere sibi possit finem, in quem tendat, ex quo iam ab intellectu per Dei gratiam, quo se ferre debeat, illustrata est? Profecto intentio ita potest esse aliquando à voluntate, & sic iure ei tribui, ac electio. Neque semper intentio finis boni diuellit voluntatem à peccato, sed nonnunquam etiam timor malorum imminentium, & horror, & turpitudo peccati, vel infamia inde secuta. Et durum omnino videtur, sic distinguere gratiam operantem à cooperante, vt operans, tantum sit respectu finis: cooperans autem, respectu mediorum. Nam in intentionibus & in electionibus oportet rationem inuenire gratiæ operantis & cooperantis.

[Margin: Opinio I. — Impugna. — Aug. de lib. arb. c. 2 — Physic. 7 — Impugna.]

rantis. Cumque intentio finis libere à nobis, vt fatetur, proficiscatur, à gratia illa erit cooperante, secundum August. Siquidem ille ea duntaxat à gratia operante esse cócedit, quæ in nobis sine nobis operatur. Et quidem vel ipsa verbi, cooperandi, significatio admonere nos potest, vt credamus Augustinum à gratia cooperante ea dimanare credidisse, quæ Deus in nobis nobiscum operatur.

Vera distinct. gratiæ operantis, & cooperantis.

Diceremigitur breuius & facilius, gratiam operantem esse adiutorium, quo Deus facit, vt interius vel exterius, siue circa finem, siue circa media, bene operemur: cooperantem autem, esse concursum ipsum Dei specialem ad bonas operationes. Et ideo Augustinus asseruit, à Deo esse sine nobis, quæ sunt à gratia operante, quia ipse solus facit. vt ea faciamus, siue aliquibus bonis inspirationibus, quas in nobis per se solum producit; siue alio ignoto nobis modo, applicando & inflectendo voluntatem ad operandum. Nam & hoc solo adiutorio posse aliquando peccatores fideles subito in Deum conuerti, paulo post nitemur comprobare. Sed cum August. cap. 7. expresse affirmet, Deum nobiscum operari, cum sic volumus, vt faciamus: manifestum est, eum nostræ libertatis cooperationem nunquam negasse. Explicemus itaque, si possimus, quemadmodum & Diuina gratia, & nostra libertate ad iustificationem præparemur. Nam vtriusque cooperationem, & præcipue gratiæ diuinæ, necessariam in eam rem esse, dubium non est.

CAPVT VI.

Quid sit gratia præueniens, & quotuplex.

VT intelligamus, quemadmodum à Deo ad iustitiam præparemur, ab explicatione gratiæ præuenientis, & multiplicitatis ipsius, exordium videtur sumendum. Et quidem viri aliqui docti, perinde philosophantur de huiusmodi gratijs spiritalibus, ac si essent aliquæ qualitates in nobis permanentes, per quas possimus vere resurgere à peccato. Sed hoc fictitium & commentitium est, neque fundamentum vllum habet in scripturis, neque in sacris Doctoribus, immo aduersatur vtrisque. Quia sacræ literæ & Doctores sancti docent, necesse esse humiliter implorare auxilium diuinum, & de eo nobis impenso gratias agere. Non esset autem hoc necessarium, si essent auxilia diuina dona in nobis permanentia, & iam ante orationes nostras nobis collata. Fieret etiam ad præparationes ad iustitiam, tanta gratia à Deo peccatoribus obduratis & impœnitentibus, quanta pœnitentibus. Quod quidem minime conuenit cum recta scripturarum & sanctorum authorum doctrina. Est igitur gratia præueniens nostram iustificationem, vt in genere prius hoc explicemus, omne illud, quo misericorditer trahimur peccatores ad iustitiam. Per gratiam quippe præuenientem, adiuuamur ad præcedentia iustificationem: per subsequentem, ad opera eam sequentia: per operantem & cooperantem, ad opera ipsi iustificationi coniuncta. *Præuenit*, inquit Augustinus, *vt sanemur: subsequitur, vt sanati vegetemur. Præuenit, vt vocemur: subsequitur, vt glorificemur.* Et alibi: *Ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* In specie verò, gratia præueniens est concursus ipse specialis, quo Deus peccatores præparat & disponit ad suam gratiam. Sed & gratia præueniens, possunt dici omnia illa, quibus Deus nos vocat & trahit ad se. Et ita sancta Synodus gratiam præuenientem videtur accepisse in principio capitis 5. Ait enim, iustificationis exordium in adultis sumendum esse à Dei per Christum Iesum præueniente gratia, hoc est, ab eius vocatione. Et merito inspirationem, qua à Deo vocamur, gratiam præuenientem appellauit. Siquidem beneficia gratuito exhibita frequēter dicuntur gratia in Scriptura, & in communi consuetudine, & apud Latinissimos authores. Et inspirationes, quibus Deus nos ad se vocat, primum locum tenent inter beneficia, quibus nos disponit ad nostram iustificationem.

Gratia præueniens in genere.

Gratia præueniens in specie.

Itaque cum Deus ad se nos paulatim trahat, nunc bonis cogitationibus, vel mortis

aut

aut grauis ægritudinis instantis, vel iudicij diuini, vel Gehennæ imminentis: nunc recordatione gratiæ, à qua excidimus, vel gloriæ, quam perdidimus: nūc admonitione ipsius ingratitudinis nostræ, seu turpitudinis nostrorum peccatorum: nunc spe regni cœlorum, vel timore pœnarum: nūc afflictionibus, tribulationibus, obiurgationibus: nunc amicabilibus suasionibus, & blandis exhortationibus: omnia ista gratiæ præuenientis nomine possunt appellari. Et omnes huiusmodi bonæ cogitationes, & pulsationes diuinæ, vocationis nomine comprehensæ sunt à Patribus, eoque nomine communiter appellantur. Siue autem gratia præueniens, dicatur concursus ipse, quo Deus præuenit nos: siue inspirationes & impulsus, quibus extimulamur ad pœnitentiam: illud serio & magna attentione aduertendum est, duplicem asseruisse Patres in sacra gratiam, qua disponimur ad iustificationem, excitantem scilicet & adiuuantem. Excitat namque Deus vocatione sua sancta & illuminatione, vt surgamus à peccato. Neque contentus excitare, quadam nobis ignota suæ virtutis applicatione, & nostræ voluntatis mirifica inclinatione & inflexione benigne nos adiuuat, vt consentiamus & obediamus vocationi suæ. Et concursus ipse Dei, vel ipse actus, quo vocamur & excitamur, vt euigilemus à somno peccati, gratia est excitans. Concursus vero diuinus, quo adiuuamur ad actus, quibus acquiescimus diuinæ vocationi, quales sunt, fides, spes, dilectio Dei, pœnitentia, gratia vocatur adiuuans. Et de vtraque istarum gratiarum, seorsum pauca videbimus.

CAPVT VII.

Posse peccatores per solam gratiam adiuuantem resurgere, sed vt plurimum, etiam excitantem requiri.

CONCVRRIT quidem communiter Deus ad præparandum peccatores ad suam ipsorum iustificationem, & per gratiam excitantem, & per adiuuantem. Et vtriusque exemplum videmus in conuersione Pauli. Nam & primo obiurgatione illa. *Saule Saule, quid me persequeris*, & luce, quæ circunfulsit eum de cœlo, & in terram prostrauit, excitatus est vt ad Christum conuerteretur. Secundo vero & misericorditer adiutus est, vt vocationi suæ obediret, & diceret: *Domine, quid me vis facere?* Et causa propter quam vtriusque gratiæ adiutorio vt plurimum indigemus, ex ipsa natura nostra est. Vt enim experientia nos docet, nonnisi ex nouis occasionibus incipimus nolle, quæ antea volueramus. Tanta vero est nostræ libertatis & adiuuantis Dei gratiæ potestas, vt in eo qui ex malitia manet in peccato, neque ignoratione tenetur aliquorum, quibus retrahitur à perseuerātia, sola gratia adiuuans sufficere possit, vt perfecte se præparet ad suam iustificationem. Si enim possumus subito odisse, quos amamus, & amare, quos odimus, nulla noua suborta occasione, sed duntaxat ex libito nostræ voluntatis, cur non peccatores, neque vocati, neque excitati à Deo nouis aliquibus inspirationibus, possint subito per ipsius gratiam adiuuantem, dolere de peccatis, in quibus ante sibi complacebant, & proponere illa emendare, eaque vna gratia ad Deum conuerti? Profecto hoc, Deo nos adiuuante, facilius videtur, quam illud. Et nisi hoc dicamus, nullus erit modus, quo possimus tueri, Deum non tantum præparare, sed & facere, vt & illi peccatores se ad iustitiam præparent, qui absque vlla tunc immissa diuina excitatione, subito quandoque vel suscipiunt fidem, vel faciunt suorum peccatorum pœnitentiam. Quod si necessaria esset semper præuia vocatio diuina ad conuersionem peccatoris, & absque excitantis gratiæ adiutorio, nullus posset à peccato resurgere, nunquam immediate subesset potestati alicuius peccatoris conuersio sua in Deum. Vocatio quippe diuina, vt mox differemus, aut excitantis gratiæ adiutorium, non immediate subest potestati nostræ, vt auxilium speciale, quo adiuuamur ad fidem, spem, caritatem, pœnitentiam, & alias dispositiones ad iustitiam. Quod quidem sic in nostra potestate est, ac-

Actor. 9

generale. Ideo vero patres hic asserunt, iustificationis exordium à Dei vocatione sumendum esse, & peccatores excitante & adiuuante Dei gratia conuerti, atque vtramque esse necessariam, in cap. 3. firmarunt, quia hæc est communis & protrita via conuersionis & pœnitentiæ peccatorum, & in illis, qui non essent vel fide iam illuminati, vel certe aliqua excitante gratia præuenti, omnino videtur vtraque gratia esse necessaria. Neque nos solam adiuuantem posse sufficere contendimus in alijs, quam in fidelibus, vel in eis qui iam aliquando beneficio gratiæ excitantis ad fidem aut conuersionem suam extimulati sunt.

CAPVT VIII.

Opera excitantis gratiæ à Deo solo in nobis fieri, & certe libertati nostræ non subiacere, sicut opera gratiæ adiuuantis.

VERVM illud diligenti examinatione dignum est, an excitantis gratiæ opera, quæ à Deo in nobis fiunt, nostræ quoque libertati subsint, & à nobis ex parte sint, siue opera intellectus sint, vt vocationes, illustrationes, & inspirationes, siue appetitus, vt spes, dolor, timor, alijque impulsus, quibus ad Deum trahimur. Et nobis Proposit. 1. quidem certum videtur, posse Deum vel se solo, vel nostræ animæ potentijs omnes actus causare, quibus nos ad iustificationem nostram excitat. Quidquid potest cum causa secunda, potest vtique se solo. Supplere valet ille omnem causæ secundæ actiuitatem, quippe qui omnem creaturarum efficientiam eminentissimè in se continet. Neque recipiendæ sunt opiniones Caie. comm. 2. 1. Aliaco. quorundam Scholasticorum, qui contra communem Philosophorum & Theologorum sententiam asseruerunt, intellectus nostros intelligere non posse, nisi per cognitiones ab ipsis ex parte productas. Quia cum eiusdem omninò naturæ & speciei possit esse notitia Petri à Deo totaliter producta à Deo & à Michaele, cur non posset Michael ita benè per illam intelligere, ac per eam, quam ipse cum Deo produceret? Certè cum ex doctrina Philippi, intelligere sit quoddam pati, & eodem modo vnam atque alteram intellectus Michaelis in se recipiat, poterit ex æquo per vtramque intelligere.

Non est tamen omnino certum, vtrum Proposit. 2. horum modorum Deus seruet in vocatione peccatorum. Et fortassis nunc vno, nũc altero nos vocat. Verum tandem, pensatis Proposit. 3. omnibus, probabilius videtur, à Deo totaliter, vel per seipsum, vel per angelos suos, & semper sine nobis produci vocationes, illuminationes, inspirationes, seu bonos affectus, quibus Deus nos per se vocat, & excitat ad pœnitentiam. Quod in Con. 2. A- Can. 20 rausicano videtur diffinitum. Ita enim in eo lego: Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Maxime autem videntur hæc dici propter vocationes, illuminationes, & inspirationes diuinas. Nam hæc ipsa nomina videntur innuere & significare, eiusmodi omnia à Deo solo nobis immitti, & gratuito communicari. Idem & innuit Gennadius, lib. de Eccles. dogm. cum dicit: *Initium salutis nostræ, Deo miserante, habemus: Vt acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est.*

Sed & aperte hoc potest colligi ex verbis Christi ad angelum Laodiceæ: *Ecce sto ad* Apo. 3 *ostium, & pulso: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.* Cum enim his verbis clare explicuerit Christus, se habere instar pulsantis ad ostium, cum vocat ad se peccatores, & pulsatio totaliter fit à pulsante, neq; sit libertas in Domino domus nisi ad audiendum, vel obturandum aures aut ad aperiendum ianuam, vel non aperiendum: erit & vocatio peccatorum totaliter à Deo, neq; libertas eorum se extendet, nisi ad hoc, vt possint attente audire vocem Domini, & aperire ei ianuam suæ voluntatis, consentiendo & obsequendo suæ ipsorum vocationi.

Vnde & quidam mox vt vocantur, dicunt cum Psalmista: *Audiam quid loquatur in* Psalm. 84 *me Dominus Deus meus.* Alij cum Paulo: *Domine* Actor. 9 *quid me vis facere?* Alij obturant aures suas instar

instar aspidis surdæ, vt non exaudiant vocem incantantis sapienter, sed *secundum duritiam suam & pœnitens cor, thesaurizant sibi irā in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Esaias etiam cum dicit: *Dominus aperuit mihi aurem ego autem non contradico, retrorsum non abij:* Deo soli apertionem auris tribuit, sibi autem non cōtradicere, neq; retrorsum abire. Deniq; vbicunq; harum illuminationum, vocationum, aut inspirationum meminit scriptura, eas soli Deo imputat. Et propterea illud saltem tanquam certum hic habendum est, nullam in huiusmodi siue excitationibus, siue impulsibus partem habere libertatem nostram. Sunt enim repentini motus, instar naturalium coruscationum prævolantes, & anteuertentes omnem nostræ libertatis consensum. Et sicut motus naturales, quibus tentamur & inflectimur in malum, in potestate nostra non sunt, neq; in illis aliqua culpa est, nisi iudicio & libera voluntate foueantur: sic neq; huiusmodi vocationes diuinæ, aut inspirationes in potestate nostra sunt, neq; laudem ob illas meremur nisi cum libere illas in nobis nutrimus, & eis acquiescimus. Et in hoc latissima est & manifesta differentia inter excitantem, & adiuuantem gratiam. Sunt etenim & ex parte à nobis, & nostræ libertati semper subiacent, quæ per gratiam adiuuantem Deus in nobis facit, vt credere, sperare, diligere, pœnitere. Neque credit quisquam, neq; sperat, neq; diligit, neq; à suis peccatis per Dei gratiā auertitur, quin hæc omnia libere operetur. Præiudicare Deus non vult prærogatiuæ libertatis nostræ. Et in hoc potius suam nobis potentiā, sapientiam, & bonitatem magis commendat, quod ad hæc sic adiuuat, vt & nos quoq; ipsi cooperantes, aliqua simus laude digni in nostra iustificatione. Et hoc excitantis & adiuuantis gratiæ discrimen insinuarunt Patres, cum vtriusq; opera commemorantes, nunquam in toto hoc decreto affirmarunt libere nos habere, nisi in assentiendo & cooperando nostræ vocationi, & quod idem est in mouendo nos ad iustitiam postquam à Deo sumus gratuito vocati.

Rom. 2

Esa. 50

Proposit. 4.

CAPVT IX.

De duabus alijs gratiæ excitantis & adiuuantis differentijs.

EST & duplex alia, hoc loco non dissimulanda, inter has gratias distantia. Primo enim excitantis gratiæ adiutoria sæpe propter libertatem nostram frustramus. *Vocaui,* inquit, *& renuistis.* Verum adiuuans gratia semper habet effectum immediatum ad quem datur. Si Deus adiuuat nos ad credendum, credimus: si ad diligendum, diligimus: si ad pœnitendum, pœnitemus. Sed si ad hæc vocat, aut excitat, frequenter illis caremus. Quia enim Deus suauissime omnia administrat, & vnamquamque rem pro modulo suæ naturæ ad suas operationes mouet, permittit nobis, vt suis vocationibus & excitationibus resistamus. Et licet concursus diuinus semper sit efficax, neque frustrari possit, vt tamen priuilegio libertatis nostræ nihil deroget, concedit etiam vt & adiuuantem suam gratiam quadantenus frustremus, dum vltimatas dispositiones ad iustitiam intermittimus, ad quas habendas ordinatur auxilium gratiæ adiuuantis ad alias dispositiones ipsis præuias. Habitis namque per gratiam adiuuātem fide & spe, pœnitentiam & caritatem negligimus, ad quas illæ ordinabantur. Secunda, inter excitantem & adiuuantem gratiam differentia, eaque magis præcipua est. Non omnes, quibus Deus excitante gratia magis fauet, melius in ipsum conuertuntur: omnes tamen illi melius & feruentius conuertuntur, quibus Deus magis fauet gratia adiuuante. Et non omnes, quibus Deus magis fauit sua excitante, melius esse conuersos, ex scripturis manifestum est. Nabuchodonosor mitius à Deo punitus est, quam Pharao: & tamen ad minora flagella deposuit suam amentiam. Pharao vero neque maioribus flagellis diuulsus est à sua duritia. Bethsaidæ & Corozaim dixit Christus: *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Et Scribis & Pharisæis: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt*

Proposit. 1.

Matth. 11.

runt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quam Ionas hic. Ex quibus patet, maiora auxilia præuenientis gratiæ communicata fuisse Bethsaidæ & Corozaim, quam Tyro & Sidoni: & Scribis & Pharisæis, quam Niniuitis: & tamen neque Bethsaidam & Corozaim, neque Scribas & Pharisæos plus, sed minus omnino profecisse.

Quod verò illi melius semper conuertantur, quibus Deus benignius impartitur gratiæ adiuuantis auxilium, ratio naturalis ostendit. Mouere enim & moueri, correlatiua sunt. Neque fieri potest, immò neque intelligi, vt Petrum & Paulum vehementius mouerit Deus ad pœnitentiam gratia ista secundi generis, quin & ipsi ardentius & perfectius fuerint conuersionem suam operati. Et in naturalibus hoc videmus. Nam quo celerius Deus primum orbem cœlestem mouet, quam infimum, eo & primus orbis celerius mouetur. Atque hæc satis fuerint, vt intelligamus, quemadmodum Deus se habeat in dispositionibus nostris ad iustificationem.

CAPVT X.

Gratiam præuenientem iustificationem, nullatenus mereri possumus.

Gratiæ præuenientis nulla merita. NE verò, dum cooperationem nostram ad iustificationem necessariam defendimus, plus libertati nostræ quam par sit, tribuere, & in Pelagianorum partes inclinare arguamur, gratiam præuenientem communicari nobis à Deo absque vllis meritis nostris, vt Patres in 5. cap. tradiderunt authoritate Pauli, & Sedis Apostolicæ, Concilijque Arausicani, & sacrorum Doctorum, ac Theologica ratione comprobabimus: *Liberauit nos Deus*, inquit Paulus, (2. Tim. 1) *& vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.* Vides vt vocationem nostram & liberationem operibus nostris abrogat, & vni gratiæ Dei adscribit? Et alibi ait: (Ephes. 2) *Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.*

Hic rursus conuiuificatio nostra tribuitur nimiæ caritati diuinæ, & diuitijs misericordiæ ipsius in nos. Quæ quidem longe dissona sunt meritis gratiæ præuenientis iustificationem. Quod bonum meritum habere possit mortuus, vt viuificetur? Vnde & Dauid, agnoscens se non posse præuenientem hanc gratiam mereri, *Deus meus,* (Psalm. 58) inquit, *misericordia eius præueniet me.* Quod est dictum: Non ego Deum meum præueniam, sed ipse præueniet me, idque non meo merito, sed sua misericordia. Sæpe etiam Paulus nos iustificatos dicit gratis, & non ex operibus. Et alias: *Si gratia ex operibus, iam gratia non est gratia.* (Ephes. 2) Quamuis autem ista ad gratiam gratum facientē communiter referantur, tamen de gratia etiam gratis data, qua vocamur & trahimur ad amicitiam diuinam, sunt intelligenda. Non enim gratis aut ex gratia iustificaremur, si ipsa gratia præueniens nos, daretur ex meritis. Quin vero ab hac gratia magis videtur Paulus exclusisse omnia merita, quam à gratia gratum faciente. Cœlestinus primus in quadam epistola. *Non dubitemus,* inquit, *à Dei gratia omnia hominis merita præueniri.*

In Concilio Arausicano 2. can. 17. ita legimus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium sed per spiritum sanctum qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.* Et can. 25. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat vt & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus.* Hæc ibi. Et can. 6. asserit, dicentem, misericordiam Dei conferri sine gratia Dei, credentibus, volentibus, conantibus, quærentibus, petentibus, & non vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, diuinitus nobis concedi, resistere Apostolo dicenti: *Quid habes, quod non accepisti?* Et, *gratia Dei sum, id quod sum.* (1. Cor. 4. 15)

Diuus August. ex professo hanc veritatem, vt certam & indubitatam tradit in multis locis, sed peculiariter eam confirmat in 3 Hypog. ex multis testimonijs scripturæ.

pturæ. Et inter cætera ita dicit: *Non ergo homo, voluntate sua adhuc in vitio liberi arbit. claudicante, præuenit Deum, vt cognoscat & quærat eam gratiam, tanquam pro meritis accepturus, sed præcedit, vt iam dixi, misericordiss ma gratia sua, hominis ignorantis & nondum se quærentis, voluntatem liberi arbitrij, vt eum se sciat & quærere faciat.*

Obijcit & ibidem sic sibi in persona hæreticorum: *Cur non Deus omnes præuenit, vt in eum credere possint, si non vnusquisq; pro sua voluntate, qua inquirit eum, accipit gratiam, sed voluntatem nostram præuenit ipsius gratia?* Et vt hanc obiectionem diluat, non recurrit ad vlla merita, neque dicit causam esse, quod quidam mereantur aliquo modo suis bonis operibus hanc gratiam, non autem alij: sed recurrit ad hoc vnum, quod Deus nemini quicquam debet. Et cum induxisset pro eadem veritate illa verba Apostoli, *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, &c.* ita subdit: *Quid ad hæc respondebis hæretice? Quid inimice gratiæ Dei, adhuc contra gratiam, tanto magistro gentium teste, quod nullis hominum meritis detur, cogitabis opponere?* Et in 4. contra Iulianum Pelagianum, & in de prædestinatione sanctorum, & in Enchiridio ita mere gratis, & nullis antecedentibus meritis dicit nos vocari, ac mere gratis, & absque vllis meritis præcedentibus humanitatem suam sibi filius Dei vniuit, & quosdam paruulos venire facit ad baptismum & non omnes. Et ad Sixtum presbyterum sic scribit: *Quid est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia?*

Tit. 3 | Epist. 105 | Isid. de summo bono lib. 2. c. 5

Isidorus etiam idem tradit his verbis: *Hominis meritum superna gratia non vt veniat, inuenit: sed postquam venerit, facit: atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum, quod remuneret, quæ solum inuenerat quod puniret.* Et Bernar. in Cant. ca, cum ostenderet idem dixisse sponsam his verbis: *Dilectus meus mihi, & ego illi* quod & Psalmista prius dixerat illis verbis: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi:* subdit tamen in commendationem sponsæ, *Ceterum sponsa rectius locuta est, & non prætendens meritum, sed præmittens beneficiũ, & se præuentam dilecti gratia confitens. Recte omnino Nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et paulo inferius fatuam appellat synagogam, quia contemnens iustitiam Dei, suam voluit statuere. *Et ob hoc*, inquit, *misera repudiata est, & iam non est sponsa, sed Ecclesia, cui dicitur: Desponsaui te mihi in fide, Desponsaui te mihi in iudicio & iustitia, Desponsaui te mihi in misericordia, & miserationibus. Neque tu me elegisti, sed ego elegi te: neque vt te eligerem, tua inueni merita, sed præueni.* Et statim in hac desponsatione dicit, non interuenisse meritum Ecclesiæ, sed placitum diuinum: & quæ vere sponsa est, agnoscere ista, & vtramque gratiam, & præuenientem, & subsequentem, confiteri. Accedit ad hæc, quod nulla lex est statuta, secundum quam Deus aliquos peccatores vocare & præuenire debeat. Et ipsi peccatores sunt indigni tanta gratia. Et gratia diuina, vt supra monuimus priores partes tenet in nostris præparationibus, quam libertas nostra. Quare nulla est via, qua nos gratiam præuenientem possimus mereri.

Bern. ser. 67. | Psal. 39 | Cant. 2 | Rom. 11 | Osea 2

CAPVT XI.

Satisfit argumentis pro meritis gratiæ præuenientis.

DICET aliquis forte: Concludunt argumenta facta, nulla esse merita simpliciter respectu gratiæ præuenientis. Potest tamen cum hoc stare, vt aliqua sint ipsius merita ex congruo: Siquidem & nonnulli, qui gratiam gratum facientem dari peccatoribus absque meritis, fatentur concedunt eam dari ob merita ex congruo. Et quanquam manifestum, est non posse quemquam gratiam gratis datam præuenientem ipsum, mereri per actus eam consequentes, quia priora mereri non possumus per posteriora: neque intelligi potest, per fidem mereri quempiam vocationem aut tractum, quo trahitur ad fidem: verum cum his potest stare, vt alijs bonis operibus eam mereatur. Et sic Cornelius per bona opera, quæ fecerat ante, quàm quicquam audiret de Christo, videtur meruisse, vt traheretur ad fidem Christi. Vnde & angelus exauditas dixit à Deo orationes ipsius & eleemo-

leemosynas, cum ei præcepit accersere Petrum, vt disceret fidem Christi.

Sicut enim facienti, quod in se est, cum gratia gratis data, Deus non denegat gratiam gratumfacientem: ita facienti, quod in se est per vires naturales, Deus non denegat gratiam gratis datam, qua eum excitet & adiuuet ad faciendum necessaria ad suam iustificationem. Itaque si probabile est, mereri posse peccatores ex congruo gratiam gratumfacientem per opera facta cum gratia gratis data, non minus erit probabile, mereri eos posse gratias gratis datas, per opera bona facta ex viribus naturalibus. Præterea: Ita congruum est, DEVM vocare & trahere ad fidem infidelem, declinantem à malo, & vacantem operibus bonis misericordiæ & iustitiæ, præsertim si in nullo transgrediatur legem naturalem, sicut congruum est, Deum adducere ad suam gratiam, & reconciliare sibi fidelem suorum peccatorum pœnitentem.

Insuper: Licèt Deus aliquando forte, vt commendet nobis magis misericordiam suam, trahat aliquos ad suam gratiam, dum nulla bona opera, sed potius multa mala merita in eis inueniuntur, tamen omnes infideles, qui habent bona opera, & declinant à malo, communiter trahit ad fidem, & fideles plerosque peccatores, vacantes bonis aliquibus operibus misericordiæ & religionis, trahit ad pœnitentiam. Vnde & Cyrillus admonet, eos ex Iudæis suscepisse Christum, qui bonis moribus erant: eos verò qui erant improbi, malitia sua excæcatos fuisse, neque ad tantum bonum peruenisse. *Cognitio (inquit) veri non datur impuris. neque in sordido vasculo pretiosa immittuntur vnguenta.* Et firmari potest hæc doctrina Cyrilli ex verbis Christi: *Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit.*

Cyril. 4. in. Ioan. c. 21.

Responsio.

Sed enim hæc aut similia argumenta probare quidem valent, peccatores posse bonis suis operibus prouocare & inclinare diuinam bonitatem & benignitatem, vt eos ad fidem, & si iam habent fidem, ad gratiam suam trahat. Condecet hoc diuinam bonitatem: & perinde à Deo fieri, experientia ipsa videtur docere. Quare omnes peccatores admonendi sunt bonis semper operibus incumbere, nullaque alia ratione certius obtinere posse, vt ad Dei gratiam misericorditer trahantur. Et maxime sanè diuinam largitatem inuitant ad præueniendum eos sua gratia ad vltimas dispositiones ad iustitiam opera illa, in quibus bene vtuntur alijs gratijs specialibus prius ipsis communicatis. Nam quæ bona opera per solas vires naturales possunt facere, leuissima sunt, ac nullius pene precij.

Verum nullis argumentis satis approbari potest, aut hæc, aut illa opera, aliquo modo esse gratiæ præuenientis iustificationem meritoria: quia ad meritum de condigno, requiritur vt & opus sit dignum tali præmio, & lex sit statuta de ipsius consecutione: ad meritum vero ex congruo, saltem alterum horum necessarium est. In operibus autem factis à peccatoribus, neutrum reperitur respectu gratiæ præuenientis. Et saltem respectu gratiæ diuinæ adiuuantis ad fidem, hoc necesse est tueri. Fides namque est initium vitæ spiritalis, & ab illa incipiunt bona merita, sicut docet Aug. Et de illa dicit expresse Apostolus: *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Quod si fidem haberemus ex meritis, salus per fidem ex nobis esset, & ex operibus nostris.

August. 1. Retract. Ephes. 2.

Hilarius etiam illa verba Psalmi: *Domine, quid est homo quia innotuisti ei, &c.* manifestè omnia fidei merita negat his verbis: *Non differenter in 8. q. Psalmo proclamat Spiritus sanctus: Quid est homo quod memores eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Confessio ista pulcherrima est, vt indignum se homo tanto munere ipse testetur. Et cum se indignum confitetur, gratiam eius, qui sibi hæc largiatur, extollit. Quid enim meritum homini est, vt ei se cognoscibilem Deus præstet, & incognoscibilis naturæ cognitioni nostræ sese ipsa submittat?* Hæc Hilarius. Quia vero de his latius disputaui in opusculo de iustificatione, quæst. 7 hæc sat sit in præsenti monuisse.

Psal. 143

CAPVT XII.

De quatuor diffinitis à sancta synodo de fide, qua disponimur ad iustitiam.

POSSVMVS ex illis, quæ hactenus disseruimus, intelligere, qualis est in genere præparatio adultorum ad suam iustificationem, & quæ ad illam, & ex parte Dei & ex parte nostra, necessaria sunt. Tractemus ergo & in specie, & singulatim de sex illis dispositionibus, quarum meminere Patres in 7. cap. & ea quæ de ipsis tradidere, enucleemus & firmemus.

Adnotatio pro toto c. 6. decreti necessaria.

Vnum hoc tamen pro omnibus illis ante omnia monuerim: Non ita Patres harum sex dispositionum hoc loco meminerunt, vt asserere voluerint, eas omnes necessarias esse, & neminem vel vna earum deficiente iustificari. Neque eo animo eas, ordine statim expresso, numerarunt, vt eum ordinem semper seruari à Deo, aut à nobis crediderint in præparando nos ad gratiam. Nouerant nunc ordinem hunc, nunc illum à Deo seruari, & nunc pluribus nunc paucioribus dispositionibus trahi peccatores, & venire ad gratiam Dei. Cum hic ille sapientissimus, & studiosissimus nostræ salutis artifex, pro vniuscuiusque complexione, natura, modo & affectu, varia quoque aptat & adhibet pharmaca ad sanandum nostras ægritudines spirituales.

Atque aliqui ita subito & prompte, & perfecte diuinæ vocationi respondent, vt prius in gratiam DEI veniant, quam vllo Dei timore fuerint concussi. Quod & manifeste nobis Christus expressit in parabola filij prodigi. Non enim timore concussum sed spe veniæ excitatum, commemorat ad patrem misericordiarum redijsse. Alij etiã non prius spem veniæ concipiunt, quam remissionem peccatorum assequantur. Et quosdam fortassis ante pœnitentiam, propter feruentem dilectionem vel orationem recipit DEVS ad suam gratiam.

Propterea vero hæ sex dispositiones hic sunt expressæ, & is potius, quem videmus, quam alius, ordo est expositus, quia istæ sunt potissime dispositiones nostræ, & vt plurimum impij & infideles hac via & ordine veniunt ad iustitiam. & vbi alia peculiaris causa non interuenitet, hoc quoque ordine à nobis trahendi ad eam sunt & inducendi. Quæ omnia apertiora fient, cum de singulis speciatim agemus. Prudentissime vero à fide explanare incipiunt dispositiones, quibus ad iustitiam præparam. r. Vterim Cyrillus inquit in Ioan. cap. 9 *Ianua & via in vitam, fides est, & recursus quidam atque reductio à corruptione ad immortalitatem.*

Cyril. 4. de fide diffinita.

Quatuor autem de illa hic tradunt. Primo explicant, à diuina illam esse gratia excitante, & adiuuante nos ad credendum. Et concinentes sibi per omnia, ana hema indicunt canon. 3. asserenti, nos posse sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere sicut oporter. Quare nullus posthac debet esse locus opinionibus quorundam scholasticorum qui asseruerunt ad actum fidei sufficere posse vires nostras naturales. Quia vero ista tum quidem superioribus capitibus, tum vero copiosissime in opusculo nostro de iustificatione, consona esse doctrinæ Christi & Apostoli & totius Ecclesiæ, luculentum fecimus, ab eis confirmandis hic supersedebo. Secundo asserunt, fidem ex auditu concipi. Sic enim voluerunt stabilire, fidem à diuino pendere auxilio, vt tamen non ignoraremus etiam humanam doctrinam ad eam requisitam.

Primum.

Ad fidem non sufficiunt vires naturæ.

q 9. 10. & 12.

Tertio affirmat, libere nos in Deum moueri per fidem. Vt intelligamus videlicet, liberam esse fidem nostram, neque per illam quicquã credere, nisi quia reuelatum est à Deo. Diuina est enim, sicut pulchre dicit Leo, authoritas cui credimus: diuina est doctrina, quam sequimur. Atque hac potissimum ratione fides Theologica à fide humana distinguitur, quod per hanc hominibus, per illam Deo vni credimus. Ideo enim credimus, quæcunque credimus, quia à Deo reuelata esse non dubitamus. Vnde & fides nostra infallibilis est, sicut & Deus ipse. Quarto, aperiunt Patres, qualis sit ex parte sui obiecti, siue materiæ, circa quam versatur, fides, qua ad iustitiam præparamur, hoc est, quid per eam credimus. Aiuntque nos per eam credere, vera

Leo serm. de natiu. Dom.

esse, quæ diuinitus reuelata sunt & promissa, atque illud inprimis, à Deo iustificari hominem impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo IESV. Itaque vt Scholasticorum verbis hæc tradamus, sicut veritas prima vel reuelatio diuina obiectum est formale fidei, & ratio propter quam credimus, ita veritates quæcunque diuinitus reuelatæ, & promissiones nobis factæ, obiectum sunt materiale fidei nostræ. Verum age probemus, hanc totam doctrinam & Christi esse, & Apostolorum, & totius Ecclesiæ.

CAPVT XIII.

Ad fidem necessaria est doctrina hominum, non autem fides humana.

QVOD fides ex auditu concipiatur, sicut secundo loco hic tradidit sancta Synodus, Paulus dilucide tradit. De Iudæis enim & gentilibus, & de omnibus, in vniuersum hominibus sic scribit: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Et ex illis verbis Esaiæ, *Domine, quis credidit auditui nostro?* statim colligit, *Ergo fides ex auditu. auditus autem per verbum Christi.* Cornelio etiam præcepit angelus, vt accerseret Petrum, vt ab eo disceret fidem Christi. Et Christus ipse doctrinam suam, & per se & per Apostolos suos orbi tradidit, neque ipsius fidem ante eius prædicationem exegit. Et ad hoc Doctores constituit in Ecclesia, & vsque in finem mundi seruabit, vt semper sint, à quibus audiri & edisci possint mysteria fidei. Vnde & articulus resurrectionis, neque ab Apostolis prius fuit creditus, quam eum Christus reuelauit partim per se, partim per angelos, partim per suscitatos mortuos.

Rom. 10

Esa. 53.

Et cum fides nostra de supernaturalibus sit mysterijs, perspicuum est, à nobis illam haberi non posse, nisi aliorum reuelatione innotescant. Assentiri ignotis non possumus. Neque paruulus etiam fidem habens infusam per baptismum, alicui nostræ fidei mysterio, si nutriatur in nemore, fidem adhibebit, priusquam illi ab aliquo angelo, vel homine, vel à Deo ipso illud proponatur. Alioqui & omnibus nostræ fidei mysterijs ex æquo crederet, cuius contrarium & in nobis experimur. Neque satis est, vtcunque nobis proponi mysteria fidei, vt continuo illis credamus. Proponantur sic opus est, vt euidens fit vel saltem nimium probabile, ea esse merito credenda. Alias non est possibile, vel saltem non erit laudabile ea firmitate illis credere, qua oportet nos eis assentiri.

Quamuis autem aliqui per reuelationem à Deo, vel per se, vel per angelos ipsis factam, citra hominum instructionem crediderint, non sunt ad auditum spiritalem verba Patrum referenda. Traditur hic via communis percipiendæ fidei, quam dubium nõ est, per instructionem esse hominis. Et Paulus in verbis citatis, ad quæ Patres in suis alluserunt, aperte de auditione per sensum corporeum loquitur, & instructionem hominum necessariam ad fidem docet. *Quomodo*, inquit, *audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Sicut scriptum est: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Et statim: *Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quæ omnia de prædicatione exteriori & sensibili manifestum est dici, non de spiritali & inuisibili. Rom. 10 Esa. 52 Nahum. 1 Psal. 18

Neque tamen ex his quispiam recte colligat, fidem acquisitam seu humanam mysteriorum nostræ fidei necessariam esse, vt credamus sicut oportet. Requisitum quidem est, vt credamus, proponi nobis credenda. Et vt plurimum actualem fidem mysteriorum nostræ fidei, antecedit actus fidei humanæ, quo ipsis credimus propter authoritatem humanam, vel quo credimus veraces esse, qui ea nobis proponunt, aut ea merito credenda esse, aut denique vera esse testimonia vel argumenta pro illis inducta: sed cum his stat, aliquos firmiter credere incipere mysterijs fidei nostræ, mox vt eis fuerint proposita. Motiua igitur humana, & authentica propositio credendorum, necessaria sunt ad credendum mysterijs fidei nostræ: fides tamen Christiana & Theologica, præcedere potest omnem huma-

humanam & acquisitam fidem, & actualem & habitualem, respectu eorundem mysteriorum.

CAPVT XIV.

Fidem liberam esse, & omnium subesse potestati.

Fides libera.

CVM Patres tertio loco asseruerunt, per fidem libere nos moueri in Deum Luthero aduersati sunt, dicenti, coactos nos trahi ad fidem: & acceptata est communis Scholasticorum sententia, asserentium contra Olcoth, actum fidei liberum esse. Nam quãuis fides actus sit intellectus, & intellectus potentia sit naturalis, & non libera, tamen quia ad fidem requiritur pius voluntatis affectus, participatione quadam fides libera est.

Et hinc est illa peruulgata Augustini sententia: *Cætera potest homo nolens. credere non nisi volens.* Et alibi ait: *Audiamus Dominum dicentem Petro, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: ne sic existimemus, fidē nostram esse in libero arbitrio, vt diuino non indigeat adiutorio. Audiamus & Euangelistam, dicentem: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et Hugo de S. Victore: *Credere voluntatis est, & fides credere volenti deesse non potest. Et nisi fides libera esset, nullum esset meritum nostrum in credendo.* Quod est contra diffinita in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3 vt patet ex vltimis verbis cap. Firmiter. de summa Trinit. & fide Catholica. Nulla etiam esset laus fidei, si libera non esset: & iniusta essent præconia fidei, quæ in Paulo & Iacobo, & in tota scriptura legimus. Quin neque culpabiles essent, qui non credunt Euangelio. Quorum omnium contraria quis nesciat, perpetuo docuisse & tenuisse Ecclesiam Catholicam? Falso idem Christus dixisset, nullam excusationem habere de peccato suo eos, qui illi non credebant, & ab spiritu sancto mundum arguendum esse de peccato, quia non credidit in ipsum, & tolerabilius fore terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam ciuitati, quæ non reciperet prædicationem Apostolorum.

Augustin. serm. 5. in Ioan. 4 Luc. 22

Ioan. 1

Hug. 2. de sac. part. 6. cap. 7

Si non subest potestati nostræ vt credamus, quorsum & frequenter queritur in veteri testamento de populo suo, quod ei non ex corde crederet, etiam visis prodigiosissimis & stupendis miraculis, & acceptis eximijs ab eo beneficijs, si illi non poterant credere? *Vsquequo non credent mihi*, ait ad Mosen. Et vt Paulus ex Esaia commemorat, ad Israel dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.*

Num. 14

Rom. 10

Neque opus est pluribus hic pugnare scripturarum testimonijs. Nemo est fidelium, qui non experiatur ita libere se credere, & in potestate sua habere, vt non credat, ac in potestate sua habeat, facere vel non facere alia, quæ manifesto experimur nostræ subesse potestati: *Argumentum est fides non apparentium*, sicut dicit Paulus. Et nulla ratio naturalis conuincit intellectus nostros, vt supernaturalibus & occultissimis mysterijs credamus. Sponte igitur nostra subijciamus illos oportet, & captiuemus in obsequium fidei. Obiectionem Lutheri ex verbis Christi, *Nemo potest venire ad me, &c.* supra cap. 5. luculenter dissolui.

Heb. 11

Explicemus igitur, cur Ioannes dicit de Iudæis: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum.* Si fides libera est, & cuiusuis nostrum subest potestati, quomodo ille asseuerat Iudæos nō potuisse credere? Hunc nodum erudite admodum dissoluit Cyrillus in hæc verba: Sed quare non poterant credere? adhibenda est responsio, quia nolebant. Sicut enim quod Deus negare seipsum non potest, laus est voluntatis diuinæ: ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. Hoc autem loquendi genus, & in communi vsu obseruatur, vt cum quis dicit, Non possum amare illum, aut obliuisci illatæ iniuriæ, aut veniam dare offensioni in me factæ. In quibus omnibus non omnino designatur impossibilitas, sed difficilis, ad id animi inflexio, propter vehementem ad oppositum inflexionem, & propensionem, atque procliuitatem. Et paulo inferius in eum sensum ait nos dicere de homine diutius vitijs assueto: Non potest ad bonum conuerti, & consuetudine diu-

Obiectio. Ioan. 12

Responsio.

N 3

Hier. 13 ne diuturna contractam malitiam relinquere, iuxta illud scilicet Hieremiæ: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, &c.* Et potestatem pro voluntate frequenter poni in scripturis probat, quia Christus dicit: *Qui potest capere, capiat.* Et alibi, *Non potest mundus odisse vos.* Sensus autem priorum verborum est: *Qui vult capere, capiat.* Neminem præcepto ad rem tam arduam adstringo, sed in arbitrio cuiusque eam vel nquo. Posteriorum vero, homines nolle odio prosequi eos, qui secularia sectantur desideria.

Potestas, pro voluntate. Matth. 19

Ioan. 7

Augustinus idem & Chrysostomus in hæc verba Ioannis, *Propterea non poterant credere:* deo aiunt, Euangelistam dixisse, Iudæos non potuisse credere, quia nolebant. Et Chrysostomus peculiariter ob id dicit, Euangelistam maluisse vti verbo, non poterant, vt intelligeremus, fuisse impossibile mentiri prophetam, qui eorum incredulitatem prædixerat. Nihil est igitur in scripturis, quod fidem nostram nostræ abroget potestati.

CAPVT XV.

Quæ fides in iustificandis necessaria.

VEHEMENTER fuit hoc tempore controuersum quæ esset fides & qualis, cui sacræ literæ nostram iustificationem attribuunt. Et ideo sancta Synodus, vt huic controuersiæ finem imponeret, quarto loco adiecit, sicut cap. 12. monuimus, fide qua paramur ad iustificationem, nos credere, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, & redemptionem quæ est in Christo Iesu. Quibus verbis primo obuiam iuit sancta Synodus errori Lutheranorum, contendentium, fidem qua iustificamur, esse fidem, qua certo credimus nobis esse remissa peccata propter Christum. Et meritissimo in cano. 14. hanc doctrinam firmauit, & anathema indixit asserentibus hac fide homines iustificari. Commentum quippe hoc est absurdissimum & portentosissimum, ab arrogantissimo eorum capite, præter authoritatem scripturæ, Ecclesiæ, & sacrorum Doctorum, confictum, neque vnquam ante hæc tempora auditum in Ecclesia, & vt alias ostendi, sibiipsi repugnans & contrarium.

Secundo, vero in his explicuere Patres, fidem disponentem ad iustitiam, neque habitualem esse, neque formatam. Verbum namque, credentes, actu dicit credendi, qui & informis & formatus esse potest. Et ante iustificationem neque fides habitualis nobis infunditur, neque formata est. Itaque neutra aliquo modo dispositio esse ad iustitiam potest. Tertio & in his verbis significata est nobis via communis, qua homines per fidem disponuntur ad iustitiam. Hæc autem est, credere vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt, & peculiariter non contingere alicui iustificationem, nisi ex gratia Dei, & vnius mediatoris Iesu Christi.

Neque sine causa fidei huius articuli meminere hic Patres. Hæc quippe est fides, quæ maximè erigere potest nos in spem nostræ iustificationis, ac proinde & in eam perducere. Atque huic, vt plurimum & præcipuè, tribuunt sacræ literæ & sancti Doctores nostram iustificationem. Quod quidem latissimè docet Augustinus epist. 157 & nos ex testimonijs Scripturæ & alijs ipsius Augustini locis, id plus perspicuum fecimus in opusculo de iustificatione, q. 1. Sic tamen fide mediatoris asserendi sunt iustificari homines, vt tamen neque huius, neque alicuius alterius articuli fides explicita, requisita existimetur ad iustitiam. Potest namque ad id explicita fides aliorum articulorum, siue speculabilium, siue moralium, sufficere.

Vnde & Paulus in testimonio à Patribus statim inducto, solum requirit ad placendum Deo, credere illum esse, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et Noe & Abrahæ & alijs sanctis Patribus fidem diuersissimarum veritatum impu[t]atam docet ad iustitiam. Cornelius etiam exauditus à Deo est, & iustificatus, antequam audiret aliquid de Christo. Et nisi citra hanc fidem explicitam iustificari homines potuissent, plerosque de communi lege impossibile fuisset gratiam iustificationis assequi, nisi mul-

mu'ta prius milliaria confecissent, vt venirẽ ad Doctores, ex quibus discere possent hanc veritatem. Et hoc est, quod Theologi in 3. Sent. dist. 23. communiter docent, cum aiunt, ad iustitiam sufficere fidem explicitam, vel implicitam vnius mediatoris. Atque hanc omnes illi habuisse censendi sunt, qui Deum crediderunt veracem esse in omnibus verbis & promissis suis, & benigne exhibiturum omnia necessaria ad salutem. Neque Patres maius aliquid requisiere in verbis, quæ nunc exponimus, sed viam communem aperuerunt, qua & nos & alios disponere debemus ad iustitiam.

CAPVT XVI.

De vtilitate & necessitate fidei, vt disponamur ad iustitiam.

POSSVNT quæ hactenus de fide tradidimus, firma & dilucida facere, quæ de illa statuta sunt hoc loco à Patribus. Verũ illud exactius & aliquanto diligentius disquirendum superest, an fides necessaria sit dispositio ad nostram iustificationem. Et quidem, fidem esse dispositionem ad iustitiam, ex sacris literis, & ex prædicatione & doctrina Ecclesiæ tam promptum & perspicuum est, vt disputatione non egeat. Maxime namque & in primis & Christus & Apostoli, & vniuersa per orbem Ecclesia, fidem Euangelij semper exegit ab illis, quos ad iustitiam promouere voluit. Et disertissime Paulus ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, ad Hebræos, & pene vbique iustificationem nostram attribuit fidei. Augustinus etiam de natura & gratia cap. 69. admonet, ante omnia excitandos esse infideles ad fidem, si volumus eorum animos ad recte viuendum accendere. Et quis locus potest esse doctrinæ Christianæ non iacto prius fundamento fidei? Sed an præter fidem fuerint aliqui iustificati, aut possint esse, hoc opus, hic labor est. Et quãquam de hoc nihil satis hic expresserint Patres, tamen proximo statim capite videntur partem negatiuam statuisse. Instrumentalis, aiunt, causa nostræ iustificationis, est sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei sine qua nulli vnquam contigit iustificatio. Et in octauo capite aliquanto asseuerantius & manifestius. Fides, inquiunt, est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire.

Et stabiliri potest hæc doctrina ex testimonio Pauli, quod hoc loco citatum est à Patribus, vt docerent, fidem esse dispositionem ad iustitiam. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est & inquirentibus se remunerator sit. Et quæ statim idẽ Apostolus præmiserat, ita videntur rem totam istam explicare, vt nullus possit esse disceptationi alicui locus. *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo.* Quin vero Christus ipse hanc veritatem videtur nos docuisse. Ait quippe: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ioan. 3
Et rursus: *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. vlt.
Extant etiam multa sanctorum Doctorum testimonia, quæ hanc veritatem videntur confirmare. Gregorius in illa verba Psal. 50. *Exultabit lingua mea iustitiam tuam: Si iusti vita*, inquit, *fides est: consequens est, eandem fidem esse iustitiam, sine qua quisque iustus esse non potest.* Bernardus in illa verba, *Recti diligunt te: Neque opera*, dicit, *quamuis recta, rectum cor efficere sufficiunt sine fide. Quis enim rectum dicat hominem, non placentem Deo? Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Bern. Cant. 1.
Et Aug. 1. contra. 2. epist. Pelag. cap. 21. & de gratia & lib. arbit. cap. 3. & epist. 89. & 157. non solum fidem, sed fidem Christi vel vnius mediatoris, necessariam sæpe tradit ad salutem & iustificationem. Ac primo contra Iulianum Pelagianum, in eandem sententiam citat sanctum Irenæum Episcopũ Lugdunensem. Et Chrysost. hom. 40. in Matthæum expresse ait: *Non iustificatur aliquis, nisi per fidem Christi, maxime post aduentum ipsius.* Deniq; pro his stare videntur omnia illa testimonia, quibus Doctores aliqui antiqui asseuerant, fidem esse fundamentum & initium vitæ spiritualis: Quorum aliqua ex Origene, Ambrosio, Augustino infra lib. 8. citabimus.

C A-

CAPVT XVII.

De sex probabilibus circa fidem necessariam ad iustitiam.

VT tamen exactius sciamus, quæ & qualis fides ad salutem & iustitiam sit modo & fuerit olim necessaria, altius nobis ista video esse repetenda. Cumque sæpe mecum, & quidem multis annis de hac quæstione cogitauerim, & cum viris doctissimis de illa frequenter contulerim, hucusq; duntaxat profeci, vt sex probabilissima esse credam, sub iudicio tamen sapientiorum.

Primum: Haberi potest fidei Christi ignorantia inuincibilis. Secundum: Fides explicita Christi in præcepto est omnibus, sed iustificari possunt etiamnum adulti, immo & saluari citra illam. Tertium: Idem ipsum concedendum esset de illis, si qui fuerint, qui ignorantiam inuincibilem fidei vnius Dei habuerunt, & vel prorsus eum ignorauerunt, vel tantum per demõstrationẽ ex lumine naturali, aut opinione quadam, aut fide humana ex relatu aliorũ eum nouerũt. Quartum: Semper fuit fides & est modo communiter necessaria ad iustificationem. Quintum: Nulli vnquam contigit iustificatio sine fide. Sextum: Iustificantur aliqui modo absque fide Christi explicita, sed nemo saluatur præter illam. Itaque fides Dei semper necessaria fuit ad iustitiam, sed fides Christi in præcepto quidem est omnibus, & nemo saluatur absq; illa, tamen & iustificari, & saluari queunt homines sine ipsa explicita. Verum hæc singulatim approbemus.

CAPVT XVIII.

Fidei Christi haberi posse ignorantiam inuincibilem.

Thom. 22. q. 10 art. 1

NOBILES quidem ante nos authores tradidere, fidei Christi haberi posse ignorantiam inuincibilem: nempe sanctus Thomas, sanctus Bonauentura, Armachanus. Et verisimile est, eam habuisse Indos Occidentales, nostra hac tempestate, industria & opera nostrorum Hispanorum, repertos. Nulla quippe apud eos inueniũtur satis apparentia vestigia, vt credamus illuc ante hæc tempora peruenisse Euangelium. Et siue peruenerit, siue non, perinde profecto est de illis sentiendum, ac si nunquam eo peruenisset. Nam apud eos nunc nulla prorsus opinio Christi erat, non maior sane, quam si nunquam fuisset ibi prædicatus. Enimuero manifesta ratio suadet, & eos & quoscunque alios similes, ignorare Christi fidem inculpabiliter. Non enim potest culpæ obnoxium esse, quod inuitabile est. Ignorantia vero fidei Christi, ineuitabilis est illis, quibus Christus prædicatus non est. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædicante?* ait Paulus. Et quæ alia est ignorantia inuincibilis, quàm ea, quam vincere non possumus, faciendo omnia, quæ ad eam vincendum solent & debent probi homines efficere?

Ignorari potest inculpabiliter fides Christi.

Rom. 10

Quicunq; igitur fuerint, aut etiam modo sint, ad quos non peruenit Euangelium, cum nulla via humanã consequi potuerint fidem Christi, tamdiu inculpabilem illius ignorantiam habere, vel habuisse existimãdi sunt, quamdiu caruerint Doctoribus, ex quibus eam potuerint discere. Et hoc est, quod de Iudæis Christus aiebat: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Nam vt ipse contextus indicat, & Augustinus ibi exponit, aperte ista dixit de peccato infidelitatis, cui nullus est obnoxius priusquam credenda sic ei fuerint annunciata, vt merito debeat eis assentiri. Qua ratione & mox, vt planiora cuncta essent, subiecit: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et Augustin. alicubi sic scribit: *Si non fuit à quo quis disceret, neq; ad eum aliquo modo rumor doctrinæ peruenerit, tunc non aliquo vitio ignorat, & immunis est à condemnatione.* Itaque qui nihil audierint de Christo, damnabuntur quidem, si alia peccata cõmiserint contra legem naturalem, sed non damnabuntur ex eo, quod fidem Christi non habuerunt, etiam si propter eorum mala merita Deus eis subtraxerit pluuiam doctri-

Ioan. 15

In q. Noui Testamenti.

doctrinæ Euangelicæ. Quia vt vincatur ea ignorantia, non obligant Deus ad præcepta legis naturalis, sed duntaxat ad audiendum, & non obturandum aures Euangelio, cum eis fuerit annunciatum.

Vnde & alias omnes ignorantias communiter docét scholastici tractatores, non culpabiles, quia Deus aliquos ob sua peccata permittat ipsis laborare, neq; quia possent vinci cessando ab omnibus peccatis, sed propterea quod vinci possent facile, vel audiendo, vel inquirendo, aut deniq; adhibendo eam diligentiam, quam homines probi, vt sciant, quæ ad se spectant, solent præstare. Neque enim sunt confundenda præcepta, neque dandum est Hadriano, necessa iam esse conuersionem in Deum, vt inuincibilis sit ignorátia. Tam peccatores quá iusti, multis possunt laborare ignorantijs absq; culpa. Neque est vnde probetur tam graue præceptum. Et merito ipse in Quodlib. lib. 4. refellit opin. Gulielmi Parisiens. & Altisidorens. in 3. part. summæ, & Hug. 2. de sac. par. 6. ca 5. & Gersonis in lectione 4. de vita spiritali, asserentium non dari ignorantiam inuincibilem iuris diuini, neque Deum permissurum, vt aliquis absque culpa sua decipiatur in aliqua veritate fidei. Nusquam Deus etiam iustis tale priuilegium concessit. Et nescio sane, an hi Doctores præcellentes, ita rigide & generaliter doctrinam istam defenderint. Nam ignorantiam puræ negationis manifestum est de multis veritatibus fidei à plerisque haberi sine culpa, & par est ratio de ignorantia, quam vocant, prauæ dispositionis.

CAPVT XIX.

Iustificari & saluari posse etiamnum homines absque fide Christi explicita.

ATQVE hinc persuaderi potest, non solum iustificari posse homines, sed & saluari sine fide Christi explicita. Siquidem licet omnes Christus adstrinxerit ad credendum Euangelio, cum præcepit Apostolus, vt illud per vniuersum mundum nunciaretur, & eos qui eis non crediderint, damnandos esse pronunciarit, tamen cum haberi possit ignorantia inuincibilis Euangelij, nullum hac ex parte impedimentum erit, quo minus qui alia præcepta naturalia seruauerint, & iustificentur, & saluentur.

Iustificari possunt homines & saluari sine fide Christi explicita

Posse autem homines absque fide Christi iustificari, vel vnus Cornelius nos docere potest, quem supra ostendimus iustificatum fuisse, cum angelus ei dixit, exauditas esse à Deo & orationes, & eleemosynas illius: & quia non habebat fidem Christi, iussit vt accerseret Petrum. Quod si in primitiua Ecclesia, statuto iam & firmato, immo etiam ex parte euulgato præcepto credendi, iustificari potuerunt, & iustificati sunt, & salui facti permulti homines absque fide Christi explicita, cur non & nunc idem ipsum eis contingere posse fateamur, qui similem ipsis habuerint ignorantiam?

Eadem nimirum fides est hoc & illo tempore, idem Euangelium, eadem lex, & eadem prorsus ratio de vtrisque. Neque promulgatio Euangelij, duriorem fecit legem Christi, aut difficiliorem nostram iustificationem. Acceptor personarum non est Christus. Et maxime consentaneum est vt quam indulgentiam concessit huic orbi nostro, vt sine fide illius explicita iustificari & saluari possent homines ante promulgationem Euangelij, eandem & orbi nunc reperto concedat, & neminem à sua gratia & beatitudine repellat, quia careat fide Christi, si per eum non stetit quo minus illam habuerit.

Fecit quidem promulgatio Euangelij vt difficilior sit & rarior ignorantia Christi inuincibilis, & vt grauius sit peccatum, non assentiri doctrinæ Christi, quam fuisset ante tantam & tam solennem promulgationem. Sed cur putemus illos, ad quos nō peruenit, neque peruenire potuit hæc promulgatio, magis nunc esse per illam exclusos à gratia Dei & beatitudine, quam fuerint, qui simili laborarunt ignorantia tempore primitiuæ Ecclesiæ?

Equidem vehementer miror, aliquot scholasticos authores partim in 3. d. 25. partim alibi, in eam incidisse sententiam, vt

crederent iustificari non posse homines sine fide Christi explicita, nequaquam autem saluari, cum neque Ecclesia, neq; scriptura, neq; (quod sciam) Doctor aliquis antiquus hanc maiorem seueritatem aut rigorem pro hoc tempore, quam pro illo doceat. Nonne omnis qui est in hac vita, mori potest, & si moriatur in gratia, saluabitur?

Scio frequentissime solere in scholis responderi huic argumento, mori non posse de lege qui iustificatus fuerit sine fide Christi explicita, nisi vel admittat nouum peccatum mortale, vel perueniat ad fidem Christi. Sed vbi est, rogo, ista lex? Vbi Deus hoc sanciuit? Vnde hoc approbare possumus, ne nostro illud ex capite comminisci videamur? Cur prohibemus in cœlum intrare, quos Deus nusquam prohibuit? Cur eis immortalitatem quodammodo pollicemur, quos Deus vbique obnoxios mortis periculo esse statuit? Priuilegium hoc, vt mori quis non possit, nisi peccet mortaliter, non huius est status, sed innocentiæ. Et plura Deum nunc requirere, vt iustis det beatitudinem, quam vt peccatores admittat in suam gratiam, profectò nō est verisimile.

Obiect. 1. Extra Ecclesiam igitur, dices, erit salus, contra cap. Firmiter. de summ. Trin. & fide Cathol.
Respon. Absit. Intra Ecclesiam est omnis iustificatus.
Obiect. 2. Sed cur Christus non credentes Euangelio, à salute repulit, & Athanasius in Symbo'o damnandos asserit, qui fidei Catholicæ non crediderint?
Respon. Quia nimirum, vt circumiacentia indicant, de illis loquuntur, qui in infidelitate sua permanent, cum eis Euangelica fides prædicatur. Vnde & Baptista, vt ostenderet, non in ignorantes, sed in dissentientes, condemnationis sententiam esse prolatam, aperte
Ioan. 3. dixit: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*
Obiect. 3. Quid vero Petrus ait, non esse in aliquo alio à Christo salutē, neque aliud nomen esse sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri?
Respon. Ostendere voluit præceptum credendi Christo, omnibus datum esse, & necesse esse, vt omnes ipsius fidei iugo colla sub-

[illegible] quin [illegible] ut & iustificantur [illegible] iustificantur sine illa.

CAPVT XX.

Sine actu fidei iustificari possent, qui eam inuincibiliter ignorarent.

VERVM illud magis viget. Si enim possunt nunc homines & iustificari, & saluari sine fide Christi explicita, potuerint olim, & nunc quoq; poterunt gratiam & gloriam consequi, qui & aliorum quorumuis articulorum fidei, immo & qui Dei ipsius ignorantiam inuincibilem habuerint. Par siquidem de omnibus est ratio, si par eorum, & similis ignorantia contigerit, neq; minus fides Christi, quam fides Dei omnibus est nūc ad iustitiā necessaria. Ego vero & id quoque vel isto argumento concesserim, & simpliciter absq; aliquo actu fidei iustificari posse adultos crediderim, si quidem talis ignorantia omnium credendorum contingat. Facere namq; potest, quod est in se, vt iustificetur, qui tametsi fide careat, tamen legem naturalem, quātum sibi nota est, proponit seruare, & de admissis contra ipsam dolet, quatenus vitiosa sunt & rectæ rationi dissona. Possæt iustificari absque actu fidei, qui credenda ignoraret inuincibiliter.

Neq; si qui tales essent, probare possem, quod sanctus Thomas absolute asseruit, pœnitentiam non posse illos reconciliare Deo. Argum. 1. S. Thom. 1. 2. q. 1. 13 4 art. Repellere quippe à iustitia eum, qui facit, quod in se est, vt eam assequatur, prorsus contra Dei est misericordiā. Quod si iustificari non posset, qui vel DEI fide inculpabiliter careret, & vel Deum omnino ignoraret, vel tantum opinionem quādam vel certe euidentiam per lumen naturale de ipso haberet, nec posset quiuis viator quouis in tempore vitæ huius secundū legem communem assequi Dei gratiam. Eritq; aliquod & non omnino breue tempus, in quo quidquid viator faciat, manebit extra gratiam Dei, & si moriatur, condemnabitur. Argum. 2. Etenim si Deus miraculose fidem ignorantibus non reuelet, cum fides per auditum ingeneretur, neque credere possit.

possit quisquam sine prædicante, sicut ex Paulo iam ostendimus, non modicum tempus requisitum est, vt fidem & vnius Dei queat adipisci, qui in terris est longe dissitus ab eis, qui eum possint docere.

Dices forsan: Deus facientibus, quod in se est, largietur statim fidem, & illuminabit eos, ne errent, aut ignorent necessaria ad salutem. Nemini quippe Deus deest in huiusmodi absque culpa sua. Sed vnde hoc, inquam, tibi constat, cum Paulus dicat,

Rom. 10

Quomodo audient sine prædicante? Etsi Deus ei, qui facit quod in se est, miraculose dat fidem, cur non & simul largiatur gratiam, cum & ad eam idoneè sit dispositus? Cur differat? cur expectet? Quæ legis violatio cogit præstolari & inspirationem fidei ad iustitiam? Neque quærimus, quid miraculose Deus sit facturus, sed quid secundum legem communem.

Argum. 1.

Porro cuiusmodi esse legem diuinam, vt secundum eam iustificari permulti nequeant citra miraculum, derogat suauissimæ Dei prouidentiæ, & incomparabili ipsius misericordiæ, & eximijs Christi meritis, & manifeste est contra rationem viæ. Pronior est Deus ad miserendum, quam ad puniendum.

Argum. 4.

Et putabimus esse iustos, secundum communem legem, iustificationem suam toto tempore huius viæ perdere, & non posse iniustos citra miraculum eam acquirere.

Argum. 5.

Si, vt infra ostendemus contra Lutherum, neque impossibilia à nobis quisquam exigit, neque potest iure exigere: quomodo Deum, qui ditissimus est in misericordia, tam durum, tam rigidum, tam inhumanum credamus, vt quæ exhibere non possumus ad nostram iustificationem, requirat? An non idem est requirere illa, quæ licet possibilia sint, tamen quo exiguntur tempore, præstari nequeunt, & requirere simpliciter impossibilia?

Matt 19.

Si vis, inquit, *ad vitam ... serua mandata*. Et iterum: *Iugũ meum suaue est, & onus meum leue*. Et quemquam à vita & amicitia sua repellet, qui facit totum quod in se est, vt ei reconcilietur? ... legum est, auferri peccatum. ... lis est, vt etiamsi nullum ipsius mandatum violet, tenuisset tamen peccatorum per eam obtinere non possit?

Argum. 6

Equidem si cognitio, quam habere non possumus via humana, necessaria est ad iustificationem, requiret, quod quidem & dictu est absurdissimum, lex diuina à nobis, vt prophetæ essemus. Nam prophetas perspicuum est esse oportere, vt sciamus, quæ captum nostrum exuperant.

Argum. 7.

In alijs certe præceptis diuinis nullus similis inuenitur rigor. Si opere præstari nequeunt, satis est votum illa implendi, etiam implicitum. Neque quisquam aut gratia Dei, aut vita æterna carebit, quia illa non impleuerit, si modo paratus fuerit facere, & fecerit omnia, quæ sibi nosse potuit esse facienda. Hoc in baptismi præcepto supra libr. 5 ostendimus. Hoc in pœnitentia inferius lib. 13. ostẽdemus. Et nullum omnino est neq; grande, neque paruum præceptum, in quo non idem communiter tueantur Doctores. Cur vnum præceptum credendi, rigidius cæteris facimus? Cur durius, quam cætera, interpretamur? Cur exigimus, aut necessaria putamus, quæ Deus benignissimus nunquam exegit?

Diluuntur obiectiones duæ.

Maxime omnium necessaria est fides. Fateor. Sed præceptum credendi, nullo rigore maiori est nobis traditum, quam cætera. Principium omnis boni est fides. At tanto clementius & suauius præceptum fidei interpretari conuenit. Difficiliora quippe omni in re principia. Et suscepta fide, faciliora & procliuiora sunt reliqua. Quodque omnibus impositum est, & doctis & idiotis, & barbaris & politicis mitius & benignius est accipiendum.

CAPVT XXI.

Fidem vnius Dei, communiter & esse & fuisse omnibus necessariam, & nullum absque illa iustificatum.

NEQVE fidem vnius Dei communiter & esse, & fuisse necessariam, negamus, sed tantum, quid sentiendum esset, si quos eum ignorare contingeret, hactenus tradidimus. Et fidem vnius Dei semper fuisse necessariam, vel hinc satis poteramus

persuaderi. Vix quippe poterit aliquis seruare legem naturalem, aut de illius præuaricatione dolere, qui vnum mundi Dominum, & gubernatorem, ac legislatorem ignorauerit. Et quamuis ista lumine naturali possint nota esse, tamen magno temporis discursu & præcellentibus ingenijs indigent, vt cognoscãtur. Quare ne deesset orbi tam necessaria ad salutem notitia, requisita semper fuit doctrina Theologica, vt partim ex illa, partim etiã ex lumine naturali intelligerent homines, ac omnino persuaderentur Deum esse. Fuitque semper adeo supra merita nostra, prouida maiestas diuina circa ista, vt verisimile non sit quenquam absque culpa ignorare potuisse Deum esse. Atque ideo prouidentia & inspiratione diuina factum arbitror, vt omnes Patres, qui interfuerunt Concilio, nulla habita, vel certe modica, hac de re discussione, tanquam rei indubitatæ consenserint, ac diffinierint, nulli prorsus absque fide iustificationem contigisse.

Nullus habuit Dei ignorantiam inculpabilem.

Diceret fortasse aliquis, verba Patrum de fide infusa posse intelligi, aut legem tantum & viam communem ab eis esse expositam. Et verba illa, sine fide impossibile est placere Deo: ita posse accipi, vt non necessitatem fidei simpliciter, sed tantum necessitatem præcepti credendi significent, sicut illa, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c.* aut certe fidem pro quacunque Dei cognitione, & ab ipsis, & à Paulo esse acceptam.

Expositio verborum quæ de fidei necessitate Patres statuerunt. Ioan. 3.

Sed nobis nulla istarum euasionum, immo tergiuersationum, placet. Si propositum Patrum, & circunstantia omnia bene expendamus, apertissime videbimus, fidem actualem, proprie ab eis diffinitam, semper necessariam fuisse ad iustificationem. Et id quidem, vt nostra fert opinio, propterea secuti Paulum ac Doctores, quos citauimus, verissime asseruerũt, quia ante omnia ad veram iustitiam nobis necessarium est, vt captiuemus intellectus nostros in obsequium vnius Dei & legislatoris nostri, & ita omni tempore & loco suæ diuinitatis opinionem propagauit Deus in orbe, vt nullus ea fide absque culpa caruerit.

Neque mentes aliquorum philosophorum, quantacunque fuerint cognitione diuinitatis, per luminis naturalis demonstrationes ita subiectos legi naturali fuisse, est credendum, ac ad veram iustitiam opus fuit, nisi eo animo fuerint, vt etiam cessantibus illis demonstrationibus, crederent Deum esse. Quod si vel lege stante, inuincibiliter ignorari potuisset Deus, vel vera iustitia absque ista mentis subiectione contingere, neque dubitassent vtique Patres, quin iustificari absque fide valuissent, qui in cæteris facerent, quod in se est.

CAPVT XXII.

Iustificari aliquos etiamnum absque fide explicita, sed neminem sine ipsa saluari.

QVONIAM vero non sic sparsa fuit per totum orbem votis opinio mediatoris, potuerunt, vt iam diximus, absque ipsius fide explicita iustificari & saluari, & qui in lege naturali vixerunt, & qui sub tempore primitiuæ Ecclesiæ fuerunt, ac denique omnes, ad quos promulgatio Euangelij non peruenit: Et de illis, qui vixerunt sub sola lege naturali, nemini hoc debet esse ambiguum. Ideo enim & sub sola lege naturali vixisse affirmantur, quia neque credere erant adstricti, nisi quæ innotescere poterant ex lumine naturali. Vnde & Paulus non alia asseruit necessaria fuisse credere, vt accederetur ad Deum, quam ea, quæ lumine naturali docuerat Rom. manifesta fuisse philosophis Gentilibus. Neque Patres absque fide Christi diffinierunt, neminem iustificari potuisse, sed tantummodo absque fide. Et verissimum quidem videtur, iustificari etiamnum permultos, antequam habeant fidem Christi explicitam, & exempli gratia eos, qui legem naturalem, cũ veniunt ad vsum rationis, proponunt seruare.

Sed enim cum post coruscationem Euangelij & ipsius propagationem in orbe, nullam sectam aut nationem nouerimus, immo neque aliquem hominem immu[illegible] aliquo contra lu[illegible] vel fidem Christi tota

anni

animi deuotione complexus fuerit, vel breui ad eam peruenerit, argumentum equidem nobis est non leue, neminem saluari absque fide seu Christi seu Euangelij explicita. Et spectare videtur hoc ad prouidentiam diuinam, vt seruantes legem naturalem, pertrahat ad fidem Christi. Et quidem tam clara, & tam illustris prædicatio Euangelij, per totum hunc nostrum orbem facta est, vt nullos, qui nomen Christi audierint, probabile sit fidem Christi inuincibiliter ignorare. Verisimilimumque est damnari, damnatosque fuisse omnes qui mortui sunt sine illa, & multo magis, qui cum ipsius dissensu. Et vel hac ratione constare potest, merito damnatam esse illorum hæresim, quos optime reprobat Cardinalis Turrecrematanus in summa de Eccl. quia asseruerunt, vnumquenque posse saluari in sua secta. Nulla sane est secta, quæ non aliquid tueatur & sectetur contra legem naturalem. Et si hoc non ita esset, quæ eximia Dei misericordia est, & studium patris cœlestis propagandi gloriam sui filij, breui traherentur, qui illam sequuntur, ad nostram fidem. Et hoc nobis Deus ostendit, cum & Cornelium, & plerosque alios, qui seruauerant legem naturalem, adduxit ad fidem Christi. Atque hoc modo pie interpretari possumus authores, qui negarūt, posse saluari homines sine fide Christi explicita. Dicemus siquidem id illos asseruisse, non quia legi alicui id obuiaret, si fieret, sed quia verisimile est, nunquam id contingere. Atque hæc de fidei necessitate ad iustificationem, dixisse sufficiat. Videamus, quæ Patres de timore in cap. 6. subnectunt.

CAPVT XXIII.

Confirmantur duo diffinita à patribus de timore.

Timor. SECVNDA dispositio ad iustitiam, cuius Patres meminere in 6. ca. timor est diuinæ iustitiæ. Et de illo duo statuuntur: Alterum est, hunc timorem inde in nobis proficisci, quod nos intelligimus esse peccatores. Alterum est, eo timore vtiliter nos concuti. Et quod causa timendi diuinam iustitiam, sit, intelligere nos esse peccatores, manifestum est, neque id quispiam negauerit. Nihil esset vtique, cur Dei iustitiam timeremus, si quidem innocentes essemus, & id nobis certo constaret. Innocentes Deus non punit, neque affligit, nisi ad eorum meritum & profectum. *Nunquid perdes iustum cum impio?* dixit Abraham Domino. *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: Nequaquam facies iudicium hoc.* Gen. 18.

Merito autem timenda est Dei iustitia peccatoribus. Nullum malum Deus impunitum relinquit. Vlciscitur in hostes suos, & irascitur inimicis suis, & illius iræ nemo resistere potest. Nihil illum latere valet. Neque vilis precibus vel muneribus à iusto deflecti. Nullo impediente, & animam & corpus gehennalibus potest flāmis addicere. Quod vero diuinæ iustitiæ timore vtiliter concutiantur peccatores, id nobis controuersum est cum Luthero. Is namq; adeo non credidit, Gehennæ metu vtiliter concuti peccatores, vt & peccatum eum esse asseruerit & peccatores peiores facere. Et hic est articulus 6. de quo damnatus est à Leone 10. vt patet in bulla condemnationis ipsius. Cui errori vt expressius aduersaretur sancta hæc Synodus, anathema indixit can. 8. cuicunque eum asserenti.

Probatur autem vtilitas huius timoris hoc loco à Patribus, ex verbis Ecclesiastici: *Timor Domini expellit peccatum.* Et sapienter nimirum testimonium hoc inducitur in approbationem timoris, quo disponimur ad iustitiam. Subnecti ur enim statim: *Nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Quia licet timor, vt diximus, non sit necessaria dispositio ad iustitiam, tamen qui contrariam ei dispositionem habet, & iustitiam & iram Dei contemnit, nunquam poterit iustificari. Timor vero diuinæ iustitiæ, vocatur hic timor gehennæ vel aliarum pœnarum, quas Deus iustissime irrogat peccatoribus perseuerantibus in peccatis suis. Et hunc timorem communiter vocant Scholastici seruilem, eoque distinguunt à filiali seu casti- Eccl. 1. Distinctio timoris...

sto timore, quod seruilis est fuga pœnarum, quæ sunt præscriptæ peccantibus, sicut filialis seu castus, fuga est offensionis Dei, quatenus pater noster est, & sponsus animarum nostrarum. Cauemus quidem per vtrumque, & vitamus peccata, & vtriusque effectus est deuiatio peccatorum. Per seruilem tamen, sicut serui vitamus peccata horrore duntaxat pœnarum & verberum, quas solent timere serui: per filialem vero seu castum, declinamus peccata, vt liberi & fideles & obsequentes filij, horrore videlicet offensæ Dei, quem vt patrem reueremur & colimus.

Antiqua est distinctio timoris in filialem & seruilem.

Neq; noua est hæc distinctio. Aug super Ioan. ita distinguit hos duos timores, & Glossa in illa verba Apostoli, *Non accepistis spiritum seruitutis*, vtrumque dicit fieri ab Spiritu sancto. Verumenimuero timorem diuinæ iustitiæ esse vtilem, & illa nos posse docere, quæ idem Ecclesiasticus paulo ante citata verba præmittit, *Initium sapientiæ est timor Domini.* Nam quamuis hæc de timore filiali vel casto polliceat secundum S. Thomam vtcunque intelligi, quia vt primus effectus sapientiæ, st timor Dei filialis, maxime tamen videntur ad timorem seruilem pertinere. Subdit namque Ecclesiasticus: *Radix sapientiæ est timere Deum.* Et alibi ait: *Timor Dei initium dilectionis.* Non est autem radix neque origo dilectionis, timor filialis, sed à sapientia procedit, & consummatio est & perfectio ipsius, & vt S. Tho. & communis opinio contra Durandum tuetur crescit crescente caritate, ac de illo proprie dicitur: *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia.* Et alibi: *Omnis sapientia timor Dei.* Apud Esaiam etiam iuxta translationē LXX. legimus: *A timore tuo, Domine, concepimus & parturiuimus & peperimus spiritum salutis.* Quis autem alius timor est, à quo concipiamus & parturiamus Spiritum salutis, quam timor diuinæ iustitiæ? Nec longe ab hoc sensu abest translatio communis, quæ virtuti Hebraicæ per omnia respondet. Nam à facie Domini concipit & parturit suam iustificationem, qui illam à timore diuinæ iustitiæ auspicatur. Vnde & diuus Hieron. in idem recidere dicit vtramq; expositionem.

Argum. 1. pro doctrina Patrum 2. 2. q. 19. art. 6. — Eccles. 1 — S. Tho. 2. 2. q. 19. art. 10 — Iob 28 — Argum. 2. — Esa. 26 — Hiero. in com. Esaiæ.

Et verba quæ præcedunt, satis indicant bene redditum sensum à LXX. Præcedunt enim hæc: *Domine, in angustia requisierunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus.* Ex quibus videntur sequentia statim, *A facie tua Domine concepimus &c.* de conceptione per timorem, à facie & præsentia Domini acceptum, esse intelligenda. Vnde & Hieron. ibidem: *Sicut ad partum mulier appropinquans, dolore cogitur exclamare, sic nos angustia requirimus te, & à facie fortitudinis tuæ concepimus, & parturiuimus, & peperimus non carnis liberos sed spiritus.* Hæc ille. Et si dolores parturientis, quantumcunque eam discrucient, mali non censentur, quia viam edendo fœtui aperiunt, neq; terrores siue timores iustitiæ diuinæ, qui viam pœnitentiæ perstruunt, damnari debent, sed probari & laudari, & tanto magis, quanto eorum maior est fructus.

Et hoc ipsum luculenter firmari potest exemplo & authoritate Christi & Apostolorum & consuetudine totius Ecclesiæ. Enimuero prædicatio Euangelij, à pœnitentia & incussione metus gehennæ cœpit. Viriliter concutiebat, & perterrefaciebat peccatores ad pœnitentiam Ioan. Baptista, cum Pharisæis & Sadducæis venientibus ad baptismum suum, dicebat: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ &c.* Et statim: *Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

Argum. 3. — Matth. 3

Idem Christus factitauit, cum dixit quibusdam peccatoribus: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo supra quos cecidit turris Siloe, & occidit eos.* Et rursus discipulis suis: *Ostendam vobis, quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in Gehennam* Et alibi: *Esto consentiens aduersario tuo cito dum es cum eo in via, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Et sub lege veteri. Nathan propheta, ingentium afflictionum comminatione,

Luc. 13 — Matth. 5

tione, Dauidem regem ad pœnitentiam homicidij & adulterij cohortatus est. Et adeo non displicuit Deo pœnitentia ex earum timore subsecuta, vt dicente ipso, *Peccaui*, statim subiunxerit Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te.* Et ipse Regius Propheta hoc timore prudenter extimulabat peccatores ad pœnitentiam,

Psal. 7 dicens: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum: Et in eo parauit vasa mortis.* Et vicinos Iudææ, & eos qui longè erant ab illa, eadem via ad pœnitentiam inducere nitebatur Esaias, cum

Esa. 33 dicebat: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et quamplurimis veteris testamenti historijs constat, hostium incusso pauore & pœnarum comminationibus, alijsque flagellis Deum cohibuisse populum Israeliticum, durum & inconstantem, à vijs suis malis, & in suam obedientiam reuocasse. Quod & David explicuit, dicens:

Psal. 77. 106 *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur.* Et iterum: *Clamauerunt ad Dominum cum*

Ion. 3 *tribularentur.* Neque aliam ob causam Niniuitis terribile subuersionis iudicium ex præcepto diuino Ionas Propheta denunciauit, quam vt terrore illo eos disponeret ad pœnitentiam. Et hos præcellentes Prophetas, vel Deum potius in illis, imitatus magnificus ille Euangelij præco, fideles omnes à peccatis deterret, & ad pœnitentiam accendit formidabili illa admonitione: Voluntarie peccantibus vobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui

Rom. 12 dixit, *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Et ite-

Heb. 10 rum: *Quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Et aubi idem Apostolus terribiliter inclamat: *Terra sæpe venientem supra se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Et cum Heb. 6 paulo ante ista admonuit, eos qui ad perfectionem ferrentur, non oportere rursus iacere fundamentum à timore iudicij æterni, satis indicauit, sicut & ante nos præclari authores adnotarunt, eo timore excitatos fuisse catechumenos in primitiua Ecclesia, vt conuerterentur in Deum. Et idem Paulus hac via Felicem ad fidem trahere nitebatur, cum coram illo de iustitia, castitate, & iudicio futuro disputabat.

Et ab eo & cæteris Apostolis & Prophetis, atque inprimis ab ipso Christo didicit Ecclesia hoc, quod vbique videmus à Doctoribus ipsius factitari, vt quoscunque peccatores, siue fideles, siue infideles, nunc spe promissorum præmiorum, nunc imminentium suppliciorum timoribus ad gratiam Dei pertrahere satagant. Adde Argum. 4. quod natura insitum est omnibus hominibus, immò etiam omnibus animalibus, horrere & fugere pœnas, & earum metu auelli ab illis, quæ malè placebant. Naturales verò inclinationes, bonæ sunt, eæ præsertim, quæ etiam naturæ integræ conueniunt. Cum ergò damnas ô Luthere omnem Gehennæ timorem, & peiores nos per eum fieri contendis, ipsam naturam profectò nostram, immò authorem illius, cum Manichæo condemnas. Nam si mali sunt huiusmodi timores, mala est natura, quæ naturaliter ea timet, & timenda esse docet: & malus erit, qui eiusmodi prauam & peruersam naturam nobis est largitus. Argum. 5. Consilium etiam diuinum, & omnium sapientium legislatorum, vel non aduertere vel negligere & damnare videntur, qui timorem Gehennæ & aliarum pœnarum condemnant. Vt enim sæpè legimus apud Cur supplicia inferni constituta. Chrysost. & cæteros Patres, non eo potissimum supplicia inferni Deus parauit, vt perditos homines & dæmones cruciaret, sed eo potius fine, vt inferni timore à delictis omnes arceret, & in peccata lapsos, ad pœnitentiam reuocaret. Eademque intentio-

ne ci-

ne ciuiles pœnæ à prudentibus legislatoribus constitutæ sunt. Quod si mali sunt huiusmodi timores, mala est pœnitentia eo timore suscepta, malæ omnes eiusmodi pœnarum comminationes, malæ omnes promissiones liberationis vel euasionis à malis pœnalibus, neque minus omnes castigationes malorum eo fine factæ, vt timore earum pœnarum, vel spe eas euadendi corrigantur. Mala namque sunt omnia, quæ alios inducunt ad peccatum. Hoc autem si concedatur, quid aliud erit, quam Prophetas, Apostolos, & sapientes legislatores, immò Christum & Deum ipsum iniquitatis accusare? Nam his artibus & vijs vtilissimis sæpe vsi sunt, vt peccatores ad pœnitentiam pertraherent. Et in sacris literis, & in alijs sanctis libris, vt eisdem vtamur, non semel admonemur. Et quo iure, obsecro, est prohibitus timor Gehennæ? Quam habet repugnantiam ad rectam rationem? Nonne gehenna de se fugienda & timenda est? Si igitur obiectum est proportionatum timori, & nulla extrinseca circumstantia vitiatur, cur timor eiusmodi censeatur malus?

Argum. 6.

Estq; optimum ad hæc omnia confirmāda argumentum, quo vsi sunt Patres ad indicendum anathema dicentibus, gehennæ metum peccatum esse, aut peccatores peiores facere. Experientia siquidem videmus, hoc timore plerosq; peccatores ad pœnitentiam trahi, & illos & iustos eodem timore se à multis peccatis cohibere. Et in hunc sensum debent exponi illa verba canonis: *Si quis dixerit Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit*. Clauditur namq; in relatiuo, per quem, sicut & frequentissime alias apud Græcos & Latinos authores, causa, propter quam merito damnentur, qui eum timorem damnant. Et idē est dicere, per quem ad misericordiam Dei, &c. ac si apertius diceretur, cum per ipsum & doleamus de peccatis, & ab eis abstineamus. Possunt alij verba ista, Per quem ad misericordiam Dei, &c. sic interpretari, vt, per quem, sit limitatio condemnationis factæ à Synodo: Quasi noluerit Synodus damnare omnes, dicentes gehennæ metū peccatum esse, sed eos duntaxat, qui metum illum damnarent, per quem ad misericordiam Dei confugimus dolentes de peccatis, aut ab eis abstinentes. Sed ego simplicius arbitror exponere ista in sensum priorem. Intentio enim Synodi fuit, damnare errorem Lutheri, & verbis illius ex directo aduersari. Neque in huiusmodi diffinitionibus spectari solet, quid per accidens contingere possit. Possunt quippe etiam sanctissima opera ab extrinseco vitiari. Sed ea simpliciter asserentibus esse peccata, simpliciter etiam esset indicendum anathema. Vtcumque tamen de his sit, patet iam ex dictis, verissimum esse, & doctrinæ Christi & Apostolorum & Prophetarum, & ipsi lumini naturali consonum, vtilem esse neq; vituperabilem timorem diuinæ iustitiæ.

Confir. 7.

Can. 8. expositio.

CAPVT XXIV.

Ex consensu Doctorum firmatur vtilitas timoris diuinæ iustitiæ.

VT firmum sit & indubitatum, hanc doctrinam perpetuo tenuisse vniuersam Ecclesiam, adiungam aliquot sanctorum testimonia, qui timorem diuinæ iustitiæ & gehennæ, quæ peccatoribus est parata, bonum & vtilem ad assequendum iustitiam docuerunt. Cyprianus: *Ad omnia te facere paratum, timor Dei & fides debent*. Et lib. 3. ad Quirin. can. 20. fundamentum & firmamentum spei & fidei, timorem esse probat ex his testimonijs. *Initium sapientiæ timor Domini, Initium sapientiæ metuere Dominum, Beatus est homo, qui veretur omnia per metum.* Et *super quem alium respiciam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Ambro. ser. 15. super Psalm. 118. vt permaneat spiritus Dei in nobis, carnes animæ, id est, carnales cogitationes, docet oportere cruci affigere clauis timoris Domini & iudiciorum eius. Et subdit: *Ille Christo dignus est, qui habet Christi timorem, vt crucifigat carnale peccatum hunc timorem sequitur caritas.* Hæc ille. In quibus palam indicat, timorem iudiciorū Dei in

Cypr. 5. de mortalitate.

Psalm 110

Eccl. 1 Prou. 28

Dei in peccatore, esse bonum timorem & per eum induci caritatem, & expelli peccatum. Et in principio officiorum clare dicit, timorem initium esse sapientiæ, & effectorem beatitudinis. August. tract. 9. in primam Ioan. cum docerет, verba illa Ioan. *Timor non est in caritate*, non esse intelligenda de inchoata caritate, sed de ea, de qua statim subdit idem Ioan. *Perfecta caritas foras mittit timorem*, sic tandem subijcit: *Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat caritati: cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Quantum enim illa crescit, tantum ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas minor timor: minor caritas maior timor. Si autem nullus est timor, non est, qua intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum, quãdo aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret caritatem.* Hæc Augustinus.

Et cum hæc non possint intelligi de timore casto seu filiali, qui crescit crescente caritate, necesse erit fateri de timore diuinæ iustitiæ ea intellexisse, ac proinde eum timorem bonum censuisse. Non enim via esset ad caritatem, neque caritatem introduceret, si peccatum esset. Et q. 2. lib. 1. ad Simplicianum, illa verba Psalmistæ. *Iustus manus suas lauet in sanguine peccatoris:* sic exponit, id est, mundetur ab operibus malis per timorem Dei, cum videt supplicia peccatoram. Basil. in Psal. 33. copiose docet, timorem horrendi iudicij Saluatoris, deducere ad sanctitatem, & quodam quasi freno à prauis concupiscentijs animam cohibere, & de eo dixisse Dauidem: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Greg. hom. 34. in Euangel. *Praua mens si non prius per timorem euertitur, ab assuetis vitijs non emundatur. Euersa ergo domo, inuenitur drachma quia dum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris.* Et 28. Mor. c. 10. primam soliditatis causam post fidem, timorem futuri iudicij affirmat, & eum diuinitus peccatori iam credenti infundi, vt bonæ vitæ surgat ædificium. Bernard. lib. de præcep. & dispens. sic scribit *Bonus quidẽ obedientiæ gradus est, si iuxta Magistri nostri sententiam, propter metum gehennæ, siue propter professionem sanctam, quam professus est, quispiam obedierit. Melior tamen, cum ex Dei amore obeditur.* Richardus de S. Victore, in Beniamin minore, c. 8. & 9. timoré pœnæ statutæ pro peccatis, dicit esse initium sapientiæ, & primam virtutum prolem, & sine ea cæteras haberi non posse. Et vtilitatem timoris explicat, quia quanto quis vehementius metuit pœnam quam meruit: tanto acerbius plangit culpam, quam fecit. Et illud, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies:* exponit de corde humiliato per timorem, & contrito per dolorem.

Psal. 57

Magister d. 14. 4. aperte dicit, *Pœnitentia virtus timore concipitur.* Et ei per omnia consentiunt vniuersi Scholastici, quos mihi contigit legere, exceptis Gregorio Ariminensi. in 2. d. 26. & Hadriano Quodlib. 4. q. 2. sine argumentis. Qui tametsi alia ratione, quam Lutherus, tamen in hoc quoque grauiter, vt ille, hallucinati sunt, asserentes, ea opera esse culpabilia, quæ quis ob solum metum pœnarum faceret. Danda vero eis venia est, quia absque pertinacia id asseruerunt, ignorantes, aut certe parum aduertentes, consentire mirifice in contraria doctrina & scripturas & sacros Doctores. Quod quidem & ante nos doctissime probarunt sanctus Episcopus Roffens. in art. 6. contra Lutherum, Iacobus Latomus in opere, quod pro assertione Vniuersitatis Louaniens. contra eundem scripsit, & Reuerendus Pater ac Magister meus frater Alphonsus de Castro, in summa aduersus omnes hæreses, in verbo, Cõtritio, & in verbo, Timor. Et ante hos, 50. annis paulo plus vel minus, frater Stephanus Builifer tractatum de timore seruili scripsit contra quendam, qui eo tempore eadem docuit, quæ de hoc timore Lutherus.

CAPVT XXV.

Cur Patres vsi sunt hoc loquendi genere, quo & Protestantes, asserentes Diuinæ iustitiæ timore peccatores vtiliter concuti.

NEQVE mirari quis debet, si Patres hoc in loco, dicentes timore diuinæ iustitiæ vtiliter concuti peccatores, eo modo locuti fuerint, quo & protestãtes in Cõfessione Augustana. Non vt eos imitarentur, hoc factum est: sed ea potius ratione, hac forma loquendi vsi sunt, quia sancti Doctores inuenti sunt, longe ante illos sic locuti. Augustinus de catechizan. rudibus cap. 5. sic loquitur catechumenis: *De ipsa etiam seueritate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, caritas ædificanda est, vt ab eo, quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, eiusq; in se dilectioni, etiamsi impune posset, tamen displicere vereatur. Rarißime quippe accidit, immo vero nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.* Gregorius: *Admonendi sunt, qui flagella metuunt, vt si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant: neq; in hoc suppliciorum timore permaneant, sed in amoris gratiam nutrimento caritatis excrescant.* Bernar. epistol 107. *Sic ad ortum solis iustitiæ sacramentum absconditum à seculis, de prædestinatis & beatificandis, emergere quodammodo incipit ex abysso æternitatis, dum quisq; vocatus per timorem, iustificatus per amorem, præsumit se quoq; esse de numero beatorum, sciens nimirum, quia quos iustificauit illos & magnificauit. Quid enim? Audit se vocari, cum timore concutitur: sentit & iustificari, cum amore perfunditur, & de magnificatione diffidet? Initiatur, prouehitur, & de sola consummatione desperabit? Nempe, si initium sapientiæ timor est Domini in quo dicta est esse nostra vocatio, quid nisi prouectus in sapientia est amor Dei, is duntaxat, qui interim ex fide est, ex quo & nostra est iustificatio? Quid item nisi consummatio in sapientia est, ipsa, quam in finem speramus, de diuina illa & deifica visione glorificatio? Sic abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum suarum, cum in terrore iudiciorum suorum immensa illa æternitas, & æterna immensitas, cuius sapientiæ non est numerus, cor hominis prauum & inscrutabile, mira sua bonitate & potentia educit in admirabile lumen suum.* Hactenus Bernardus.

[Margin: 1. Par. pastor. admo. 14.]

[Margin: Eccles. 1.]

[Margin: Psalm. 41]

CAPVT XXVI.

Dissoluuntur obiectiones hæreticorum, contra vtilitatem & bonitatem timoris pœnarum.

SED si hæc ita se habent, cur Ioannes absolute asseuerat, *Timor non est in caritate?* Si vtiliter timore diuinæ iustitiæ peccatores concutiuntur ad pœnitentiam, cur non etiam vtiliter concutientur illo iusti, ne extendant manus suas ad iniquitatem? Si vtilis est, & non malus huiusmodi timor, cur non eum admittat secum caritas? Respondet August. non de omni caritate hoc dici, sed duntaxat de perfecta. Et vt hoc explicaret, adiecisse putat statim Ioannem. *Sed perfecta caritas foras mittit timorem.* Et hanc expositionem communiter sequuntur Scholastici Doctores, qui & pro eodem accipiunt perfectam caritatem, & caritatem perfectorum. Neque abs re. Sequitur enim statim: *Qui autem timet, non est perfectus in caritate.*

[Margin: Obiect. 1. 1. Ioan. 4]

[Margin: August. vbi sup. a. Respon.]

Sed dum aliquando attentius hæc verba Ioannis expendo, & ad alia loca eiusdem epistolæ confero, non possum in totum probare hanc expositionem. Ioannes enim absque vlla restrictione absolute, & generaliter dicit, Timor non est in caritate. Et quamcunque caritatem, quæ in nullo violat dilectionem Deo & fratribus debitam, perfectam vocat. *Si diligamus inuicem, Deus*, inquit, *in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est.* Et rursus: *Qui seruat verbum eius, vere in hoc caritas Dei perfecta est.*

[Margin: 1. Ioan. 2.]

Dicerem ergo libentius, Ioannis verba esse intelligenda de timore mundano, hoc est, de timore, quo timemus laboriosa & grauia, quæ pro Christo oporteret contemnere. Hic est enim timor, qui in caritate non est, sed ab ea procul abijcitur. Hic est timor, qui pœnam habet, & non solum anxietate plenus est, sed à Deo seuere punietur. Hunc decebat Ioannem à cordibus fidelium expellere satagere, quippe qui ca-

[Margin: De timore mundano loquitur Ioan. cum eum separat à caritate.]

[illegible] exhortabatur, quæ omnia dura & [illegible]nia, propter Christum leuia facit.

[illegible] hoc timore exposuit hæc verba Io[illegible], Tertullianus non longe à fine libri [illegible] in persecutione. Et pro illis verbis, [illegible] *timor pœnam habet*: ita legit, *Quia ti[illegible] supplicamentum habet vtique ignis stagni. [illegible] autem timet, non est perfectus in [illegible] Dei scilicet. Porro quis fugiet persecutio[illegible], nisi qui timebit? Quis timebit, nisi qui non [illegible]*? Hæc ille. Ambrosius etiam huic [illegible] verba Ioannis sic aptat: *Maior caritas [illegible] fidem spemq́; complectitur. Hanc caritatem habe[illegible] nihil timet, quia caritas timorem excludit foras. Et ideo ablegato & exuto timore, omnia suffert, omnia sustinet. Qui ergo per caritatem omnia [illegible] non potest timere martyrium.* Et ipse Augustinus in illa verba Ioannis, *Et vos testimonium perhibebitis*: de hoc timore mundano exponit hæc verba, *Timor nō est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem.* Hunc timorem, seruilem appellat, & per eum dicit Petrum à fœmina seruitutis, compulsum esse Christum negare.

Augu. in [illegible] tracta. Ioan. 15

Vt quid tamen Aug. dicit, & inter regulas iuris recipitur, Qui timore facit præceptum, aliter, quam debet, facit? Si bonus est timor hic, non vitiabit impletionem præcepti, neque qui timebit, aliter quam debet, faciet. Timore dicitur implere, qui alias non impleret, nisi sibi immineret pœna, quam timet. Et qui sic præceptum exequitur, aliter, quam debet, facit. Vitiosa, & præcepti præuaricatrix, est hæc voluntas: Nollem implere, nisi immineret pœna. Nunquid vero & vitiosus erit tum timor pœnarum? Multi sane Catholici Doctores tradiderunt, tunc quidem vitiosum esse timorem seruilem. Sed ego eorum sententiæ subscribere non possum. Nam ex obiecto bonus est, vt diximus. Et nulla apparet circunstantia ex qua vitietur. Non enim huius malæ voluntatis causa est, sed facit potius, vt tandem impleatur præceptum. Et impletio ipsa tunc posset esse non mala, quia non vitiatur, neque à timore, neque ab affectu non implendi alias præceptum. Non ergo qui timore implet præceptum, aliter, quam debet facit: neq; in timore Gehennæ

Obiect. 2.

Respons. 1.

Timor pœnarum [illegible] neque in eo, qui alias transgrederetur præceptum, malus est.

neque in ipsa præcepti impletione, sed in eo duntaxat affectu, quo nollet alias implere. Et hic duntaxat culpandus est, & ad eum referenda sunt, quæ Doctores dicunt cum aiunt in sic affectis & seruiliter timentibus, libertatem spiritus non esse.

Vnde & Diuus Gregorius cum dixisset, *Ignorat mens gratiam libertatis quam ligat seruitus timoris*: vt explicaret, qui sint ea seruitute compediti, & propter quem affectum libertate spiritus careant, subiecit: *Qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, vt audacter illicita committat. Vnde luce clarius constat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos desiderio peccatur.* Hæc Greg. Et summo quidem iure hos solos ligatos seruitute timoris asseruit. Nam qui, etiam cessantibus pœnis, ab illicitis se contineret, non omnino seruit pœnis.

Greg. 3. part. pasto. admo. 14.

Possemus etiam dicere, aliter facere, quā debet quicunq; timore implet præceptum quia licet non peccet neq; in timore, neq; in executione præcepti, neq; in aliquo alio affectu, tamen non implet sicut deberet. Ex amore siquidem, & non ex timore, debemus omnes præcepta nobis imposita perficere. *Bona propter semetipsa amanda sunt*, ait Gregor. *& non pœnis compellentibus exequenda.* Neque verbum, *debet*, sonat per requirit præceptum: Debemus enimuero semper laudare Deum, & omnia quæ facimus, in ipsius gloriam referre: neque tamen ad hæc ita stricte sumus obligati, vt omnis horum eiusmodi intermissio nobis imputetur in peccatum. Et bonos filios, solemus dicere, multa debere sponte sua in obsequiū suorum parentum facere. Verum instat Hadrianus ex eo, quod philosophus Eth. 3. inter quinque modos apparentis fortitudinis, & non veræ, secundum asserit esse eorum, qui metu pœnarum subeunt pericula. Quod si honor, diuitiæ, & voluptas non sunt apti neque decentes fines virtutū neque erit ait, vitatio pœnæ. Atque hac ratione putat confici, non quidem esse mala omnia opera, quæ spe vel timore inducti facimus, sed ea, quæ ob vitandas pœnas operamur, & in quibus ipsa pœnarum euitatio

Respon. 2.

Greg. ibid.

Obiect. 3

tatio ex parte obiecti ſe tenet, & non tantum ex parte cauſæ efficientis. Quodque Augu. ait, *Qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debet facit*: ad facientem ſic ex timore limitat, vt timor non ſit tantum cauſa efficiens impletionis præcepti, ſed etiam finalis. Eademque cauſa timorem hunc pœnarum damnauit Greg. Ariminen. quia putauit ad bonitatem actus requiri, quod ſit propter Deum.

Reſpon. Aliud tamen eſt, quod ad perfectionem actuum noſtrorum neceſſarium eſt, & vt illi ſint laudabiles: aliud, quod ad eorum bonitatem ſufficit. Fortis non eſt, neq; perfectus, addo etiam, neq; dignus laude, qui metu duntaxat pœnarum pericula ſubit, aut præcepta implet. Veruntamen ſicut ex omnium conſenſu bonum eſt, quæ neceſſaria ſunt vitæ tuendæ, operari, vt comedere & bibere, cum opus eſt: ita bonum eſt, mortem, ægritudinem, & incommoda alia naturalia fugere, horrere, timere, & pro virili deuitare. Et quæ facimus, vt ea mala deuitemus, bona ſunt, & finem habent bonum, quantum ſatis eſt ad bonitatem moralem. Neque relatio in Deum, ad bonitatem moralem requiſita eſt, ſed ſufficit virtualis. Eamque habent omnia opera, quibus aut proſequimur bona, aut fugimus mala nobis proportionata. Tranſeamus igitur ad ea, quæ de ſpe ſubnectuntur.

CAPVT XXVII.

De tribus inſinuatis à Patribus de ſpe.

TERTIA diſpoſitio, commemorata hoc loco à ſancta Synodo, ſpes eſt. Et ſapienter illa timori ſubiecta eſt. Concuſſos enim ſuppliciorum timore peccatores, ſpe conuenit, ne animum deſpondeant, confortare. Vnde & Eccleſiaſticus: *Metuentes Dominum, ſuſtinete miſericordiam eius, & ne deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum credite illi: & non euacuabitur merces veſtra. Qui timetis Dominũ, ſperate in illum. & in oblectationem veniet vobis miſericordia.* Et Regius Pſaltes verumque coniunxit, cum dixit: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Cum autem ſancta Synodus peccatores, ait, à diuinæ iuſtitiæ timore, ad conſiderandum Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem erigi, fidentes DEVM ſibi propter Chriſtum propitium fore: tria mihi videre videor, nobis eſſe non omnino obſcure inſinuata. Primum eſt, cauſam ſpei noſtræ eſſe conſiderationem diuinæ miſericordiæ. Secundum eſt, non vtcumque ab ea conſideratione cauſari ſpem, ſed erigendo animos noſtros. Tertium eſt, ea conſideratione ſic erigi animos noſtros in ſpem, vt fidamus eum nobis fore propitium propter Chriſtum.

Eccleſ. 2.

Pſalm. 32.

Conſiderationem vero diuinæ miſericordiæ, cauſam eſſe noſtræ ſpei, manifeſtum eſt. Vnde namque aliunde ſperet homo, qui filius iræ natus, tam multis poſtea deliquit, & iram in ſe Dei, & indignationem promeruit? Certe ſpei remiſſionis peccatorum noſtrorum, hæc potiſſima, & fortaſſis vna cauſa eſt, quod illum & ex ſcriptura, & ex lumine naturali pium ſcimus eſſe ac benignum, & diuitem in miſericordia, ac præſtabilem ſuper malitia. Vnde & Baſilius de humili Dei ſeruo ſic ſcribit: *Cum reputauerit ſecum ſua opera praua, timet quidem ſupplicium, & formidat pœnas. Vt autem ne abſorbeatur præ mœrore, bona ſpe præditus eſt, ad miſerationes & benignitatem Dei reſpiciens.* Hac vero diuinæ miſericordiæ conſideratione erigi animos noſtros in ſpem, quomodo Auguſtinus loquitur in de catechizandis rudibus, ex eo poſſumus approbare quod vt ira, terrores, comminationes, timores animum deijciunt, ſic clementia, miſericordia, & promiſſio beneficiorum eum attollunt & ſubleuant. Et quemadmodum timor deprimit, humiliat, proſternit, & triſtitiæ cauſa eſt, ita ſpei alacritas deiectos animos in altum ſubuehit, roborat, confortat, & exhilarat. *Spe*, inquit Paulus, *gaudentes*. Et rurſus. *Quæ vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum.* Atque hinc fiducia propitiationis diuinæ proficiſcitur. Quamuis enim ſæpe inter ſe confundantur, & vna pro altera ponatur, nonnihil tamen inter ſe diſtinguuntur. Spes, ſicut clari authores tradunt, deſiderium eſt boni, quod credimus nos aſſecuturos. Fiducia ſpem conſequitur,

Baſil. in Pſalm. 32.

Rom. 12.

1. Tim. 5

Seſſ. 6.

Caiet. in 2. 2. q. 18. art. 1

quitur, & vicinior est consecutioni boni
Thom. 1. 2. q. 40. art. 2. ad 2. sperati: atque vt sanctus Thomas erudite tradit, motus quidam est appetitus, consequens ex persuasione de illo consequendo. Vnde & Paulus domos nos dicit esse Christi, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Et omnibus iu-
Iob 11. stis dicitur: *Cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer, & habebis fiduciam proposita tibi spe.*

CAPVT XXVIII.

De vtilitate & necessitate spei ad obtinendam remissionem peccatorum.

Spes dispositio ad gratiam. CHRISTVS Seruator noster: luculenter nos edocuit, spem esse dispositionem ad iustificationem. Nam vt paralyticum idoneum faceret, qui acciperet remissionem peccatorum, quam ei misericorditer est impartitus, præmisit: *Confide fili.* Et cum illius animum ad ea verba spe iam erectum sentiret, statim subiecit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Et concinit Christo clarissima illa Euangelij tuba, dicens: *Spe*
Rom. 8 *salui facti sumus.* Atque idem olim nobis Dominus expresserat illis Dauid eis verbis:
Psal. 90 *Quoniam in me sperauit liberabo eum.* Et filium prodigum spes nimirum ad pœnitentiam induxit. Plena sunt illa verba spei, quæ in se reuersus dixit, quibusque se ad pœnitentiam erexit & accendit: *Quanti mercenarij in*
Luc. 15 *domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, &c.* Et promissiones regni cœlorum ac remissionis peccatorum, quibus & Christus, & Ioannes Baptista, & Apostoli, & vniuersa per orbem Ecclesia peccatores cohortatur ad pœnitentiam, eo profecto spectant, vt spe tanti præmij prostratos & deiectos eorum animos sublevent, & attollant. Spes promissa beneficia respiciens, & maxime potest non omnino male natos, aut pertinaces homines, ad conuersionem in Deum prouocare. Sed an sit necessaria dispositio ad gratiam, & conuertantem commodissima, perfecto non satis constat.

Propositio 1. Verum tandem pensatis omnibus, pœnitentiam quidem sufficere posse credo demum ad consequendam remissionem peccatorum: si quidem illam contingeret verá esse absque spe & absque desperatione. Sed cõmuniter nunquam est vera, neq; aliquis se conuertit in Deum ex corde, nisi actu vel virtute speret, Deum sibi fore ob eam conuersionem propitium. Et ideo sancta Synodus in cano. 3. eam videtur necessariam statuisse. Nam cum diffinit, neminem posse absque Spiritus sancti numine sperare sicut oportet, vt iustificationis gratiam assequatur, satis indicat spe ad eam rem opus esse. Et habemus pro hac Synodi sententia sanctos Patres & Doctores, qui simpliciter & absolute tradunt, spem esse necessariam dispositionem ad iustitiam. Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 1. *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.* Chrysostomus homilia de fide & lege & Spiritu sancto: *Necessarium est vt præcedat vitam nostram spes in Christum, quæ postea pascenda est bonis operibus.* Bern. ser. 3. de Annunciatione: *Sola nimirum spes apud te miserationis locum obtinet, neque oleum misericordiæ, nisi in vasa fiduciæ ponis.* Et infra: *Dicat quisque in pauore suo: Va[illegible] ad portas inferi, vt iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc vera hominis fiducia à se deficientis, & innitentis Domino suo: Hæc, inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, propheta attestante. Quoniam beneplacitum* Psal. 146.
est Domino super timentes eum & in eis, qui sperant super misericordia eius. Hucusque Bernardus.

Lumen etiam naturale necessitatem spei palam nobis demonstrat. Vt enim teste Paulo, & qui arant, & qui triturant, in spe hoc faciunt fructus percipiendi, neque quispiam eos labores vnquam subiret, nisi spe fructus vel prœmij alicuius inuitatus: ita profecto nemo pœnitentiæ amaritudini se subderet, & Dei misericordiam implorarет, nisi ea via speraret se posse illum sibi reconciliare, aut certe mala euadere, quibus se addixit per peccata. Transeamus igitur ad illa, quæ de dilectione Dei continuo subnectuntur.

CAPVT XXIX.

Dilectio Dei ad iustitiam disponit, & illam antecedit.

QVARTO loco connumerarunt Patres inter dispositiones ad iustitiam dile-

dilectionem Dei, vt fontis omnis iustitiæ, & eam causam esse asseuerarunt odij, & detestationis peccatorum *Illumq́, inquiũt, tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem.* Sapientissime vero post timorem & spem, dilectionem Dei commemorarunt. Ita enim Spiritu sancto inspirante Ecclesiasticus, vbi timentes Deum ad spem hortatus est, subiunxit: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.*

Ecclesi. 2

Spes, amoris causa.

Et natura sic comparatum est, vt spes dilectionem generet, & eos contineriter diligamus, quos in nos benignos fore confidimus. Ideo autem dilectionis Dei duntaxat meminere sub ea ratione, qua per eam Deum diligimus, vt omnis iustitiæ fontem quia vt plurimum ita contingit, vt qui se per dilectionem Dei ad iustitiam disponũt eum vt fontem omnis iustitiæ diligant: & sic in illum amore ferantur, vt in eum, à quo vno se iustificari posse intelligunt, & iustificandos confidunt. Sed posse [illegible] iustitiam disponere dilectio Dei sub alijs etiam rationibus, nempe sub ratione iusti vel misericordis, vel remuneratoris, aut denique sub ratione summi boni, & omnium amore dignissimi. Et sub quacunque omnium istarum rationum, causare potest detestationem peccatorum. Siquidem [illegible] iuscunque dilectio, causa esse valet doloris de offensa ipsius. Porro sancta Synodus non statuit hoc loco, an dilectio Dei, quæ disponit ad iustitiam, sit dilectio Dei [illegible] omnia. Temperatum prorsus est à [illegible] super omnia: tantumq́ [illegible], [illegible] lectione Dei disponi peccatores ad iustitiam. Et in can. 3. tantum adiectum est, ad diligendum Deum, sicut oportet ad assequendum iustificationis gratiam, opus esse præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque ipsius adiutorio. Qua ex diffinitione colligi non potest, dilectionem Dei super omnia, antecedere iustificationis gratiam. Potest quippe dici, & minorem illa sufficere ad obtinendum gratiam, & solum inde colligitur, ad quamcunq; sufficientem opus esse auxilio Spiritus sancti speciali. Quia tamen & dilectionem Dei super omnia, communiter credunt Scholastici Doctores disponere ad iustitiam, & verissimum id apparet, atque ad eam potissimum videntur sua verba retulisse Patres, adnitar & illam etiam dispositionem esse ad iustitiam, probare. Et quidem dilectionem Dei, esse dispositionem ad iustitiam, doctrina est Christi, & Apostolorum, & sanctorum Ecclesiæ Doctorum. Cum Magdalenæ Christus dixit, *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ostendit profecto, dilectione Dei se illam disposuisse ad iustitiam. Non enim eius dilectio alio modo, quã vt dispositio, causa potuit esse remissionis peccatorum. Et cum alias discipulis suis dixit, *Qui diligit me, diligetur a patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum:* & paulo post. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, aperte indicauit, dilectionem sui, esse causam, vt à patre & ab ipso diligamur & vt ad nos veniant, & mansionem apud nos faciant per gratiam, & vt tandem se nobis manifestent.

Dilectio Dei dispositio ad iustitiam.

Luc. 7

Ioan. 14

Quod Paulus nobis significauit illis verbis: [illegible] IESV neq; circumcisio aliquid valet [illegible] *sed fides quæ per caritatem operatur* [illegible] quæ non per caritatem operatur, valuisset [illegible] apud Christum [illegible] fuit, quia [illegible] tum viuificat hominem, cum ei adiungitur dilectio. Nam [illegible] et viuificare peccatorem fides sine [illegible], & dilectio dispositio ad iustitiam non esset, valeret aliquid apud Christum etiam illa fides, quæ non operatur per caritatem.

Galat. 5. 6

Vnde August. epist. 106. *Fides quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Et 21. de ciuit. Dei, c. 26. *Tunc itaq; victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat.* Et alibi absurdum existimat, vt sine amore Dei quis consequatur veniam suorum peccatorum. Et in libro de vera & falsa pœnitentia, si tamen ipsius est, apertè dicit, sine caritate non esse in nobis veram pœnitentiam.

Bernar-

[illegible] Bernardus etiam in illa verba Canticorum, *Recti diligunt te*, aperte dicit, fidem etiam rectam non facere hominem rectum, nisi operetur ex dilectione: & rectum esse non posse, qui Deum non diligit. Adiecit & his calculum suum Innocentius 3. c. *Maiores de Baptismo & eius effectu*. absolute affirmans, non nisi per caritatem, & in caritate crimina dimitti. Quod si per caritatem, & in caritate crimina dimittuntur, est ergo & dilectio Dei, dispositio ad obtinendum remissionem peccatorum. Et si pœnitentia, & propositum seruandi mandata diuina, dispositiones sunt ad iustitiam, vt paulo interius probabimus, erit & dilectio Dei: Quandoquidem & hæc, dilectio quædam Dei sunt, aut certe non sunt sine illa.

[illegible] dis- [illegible] est [illegible]

Atque ex his firmare possumus, dilectionem Dei super omnia, dispositionem esse ad iustitiam assequendam. Cum enim permultæ dilectiones Dei possint esse, ac vere sint in peccatoribus, quæ non sufficiunt ad perducendum eos ad iustitiam: non est credendum, minoribus dilectionibus attribui remissionem peccatorum. Et cui alij dilectioni imputat Christus remissionem multorum peccatorum Magdalenæ? Equidem dilectio multa, dilectio est Dei super omnia: neque dilexisse illa multum nisi dilexisset Deum super omnia. Et dilectio est super omnia, quæ causa esse potest obseruantiæ sermonum Christi, & aduentus patris & filij ad nos. Quare necesse est, verba Christi statim citata, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, de huiusmodi dilectione interpretari, & eam fateri dispositionem esse ad iustitiam, & ex consequenti gratiam gratum facientem antecedere. Ac proinde verissime Doctor Subtilis, ad dilectionem Dei super omnia, dicit, sufficere vires nostras naturales sine aliquo prorsus habitu supernaturali. Non enim gratiam specialis auxilij negauit requisitam esse ad dilectionem Dei super omnia, sed duntaxat contendit, ad eam saltem in statu naturæ institutæ, non esse necessarium aliquem habitum supernaturalem. Et hoc in opusculo de iustificatione q. 10. luculenter docuimus.

Vehementerque deceptus est, & manifeste ostendit se parum versatum in doctrina illius, recentissimus quidam Thomista, qui ausus est docere, nunquam Scotum meminisse gratiæ specialis auxilij. Nam in q. vnica di. 44. primi, litera E expresse meminit gratiæ præuenientis; & docet quemlibet peccatorē posse de lege saluari, quia Deus eum potest sua gratia præuenire. Et in 4. d. 22. in fine. 2. art. dicit, perfectioribus, cum in peccata cadunt, Deum citius dare gratiam ad resurgendum, quam alijs: & velocius eos resurgere à peccatis propter Dei benignitatem, merita ipsorum præterita ad hoc aliquo modo acceptantem, & inspirantem ipsis pœnitentiam. Et statim in 3. art. subdit, necessariam esse præseruationem diuinam ad cauendum peccata. Nisi vero dilectio Dei super omnia, antecedere posset saltem natura gratiam gratum facientem, perplexus esset peccator, si tempore, quo est in peccato mortali, occurrat præceptum diligendi Deum super omnia. Quia implere illud non poterit, nisi ante omnem bonum ipsius motum, Deus gratiam ipsi gratum facientem benigne largiatur. Quod quidem Deus secundum legem communem nunquam faciet. Requirit namq; conuersionem nostram in ipsum, vt ipse se conuertat in nos, gratiam gratum facientem infundendo. Sed videamus, quibus argumentis contendant quidam, dilectionem Dei super omnia, sequi, & nullatenus antecedere nostram iustificationem. Quoniam & eorum enodatio magis confirmabit propositum nostrum.

CAPVT XXX.

Soluuntur argumenta contendentium, dilectionem Dei super omnia, non disponere ad iustitiam, sed eam consequi.

MELANCHTHON in Apologia Confessionis Augustanæ sic nobis obijcit: Non potest Deus diligi super omnia, nisi prius credamus eum nobis esse placatum. Placatus vero non est peccatoribus ante infusionem gratiæ. Quanta vero hæc est &c Obiectio 4. Responsio.

eſt & theologiæ, & philoſophiæ ignorantia? Quis adeo deſipiat, vt neget, ad amorem Dei ſuper omnia, ſufficere poſſe eam cognitionem & fidem, quam de Deo habet quicunque fidelis, etiamſi eum maximè ſibi iratum credat? Agnoſcit nimirum fidelis, Deum eſſe ſummum bonum, authoremque & fontem omnis boni. Agnoſcit creatorem, ſeruatorem, redemptoremque ſuum, neque poſſe, niſi ipſius miſericordia habere quicquam boni. Agnoſcit maximè miſericordem, & præſtabilem ſuper malitia, neque obliuiſcentem vnquam ſuæ miſericordiæ. Agnoſcit ſe ab eo inuitari, allici, extimulati, erigi, adiuuari, vt à peccatis ſuis fugat, & ad eum conuertatur. Agnoſcit maximè conuenire, vt eum ſummè, vehementiſſimè, & præ omnibus diligat: & hac via poſſe, ſi velit, illum ſibi placatum & propitium facere.

At hæc cuius non voluntatem ad amorem Dei ſuper omnia poſſint inflectere? Minora certè his, nonnunquam eo nos pertrahunt, vt creaturas Deo anteponamus. Neque vna iræ aut indignationis diuinæ perſuaſio impedire poteſt voluntatem noſtram, quo minus amet, ſi velit, eum in quo tot & tantæ rationes concurrunt amoris. Si ſatis eſt, vt iudicem aliquem pro dignitate amemus, iuſtum illum & bonum & beneficum in nos credere, etiamſi ob delicta noſtra iratum illum nobis eſſe ſentiamus: quomodo non ſatis erunt ad amandum Deum ſuper omnia, tam multa egregia & eximia, cuicunque fideli peccatori de Deo credita & perſuaſa, quantumcunque illum ſibi ſentiat iratum? Quid ergo,

Obiect. 2. inquiet aliquis, ſibi vult Paulus, cum dicit caritatem Dei diffundi in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis? Si eſt dilectio Dei ſuper omnia, in nobis ante gratiam gratum facientem, erit & ante illapſum gratificum, & non per Spiritum ſanctum illa nobis diffunderetur, ſed cauſa potius erit, vt nobis ille donetur. Quod quidem aduerſatur Gregorio, dicenti: *Qui*

Greg. ho. 30. in Euang. *ergo mente integra Deum deſiderat, profectò iam habet quem amat. Poſſetne quiſquam Deum diligere, ſi eum quem diligit, non haberet?* Auguſtinus etiam tractatu 75. in Ioannem, in eundem ſenſum dicit: *Quomodo diligimus vt ſpiritum ſanctum accipiamus, quem niſi habeamus, diligere non valemus?*

Verum hæc facile eſt diluere. Multa bo- Reſpon.
na nobis communicat & impartitur Spiritus ſanctus ante ſuum illapſum gratificum. Et dum ad dilectionem Dei adiuuat, iam aliquo modo eum intra nos habemus nobis cooperantem, & noſtram infirmitatem adiuuantem. Gratiam vero gratis datam, ad huiuſmodi dilectionem, neceſſariam non negamus. Quin eam neceſſariam eſſe, copioſe oſtendimus in opuſculo de iuſtificatione, q. 10. Bona voluntas, qua diligitur Deus, in homine non poteſt eſſe, ait Auguſtinus, niſi in quo operatur & velle.

Adhuc tamen vrgeri poſſumus, quia Io- Obiectio 1.
annes dicit, *In hoc eſt caritas, non quaſi nos dile-* 1. Ioan. 4
xerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Si enim dilectio ipſius noſtram antecedit, prius igitur ipſe nos iuſtificat, quam nos eum diligamus, quia non diligit non iuſtificatos. At enim Ioannes non hæc dicit de Reſpon. 1.
dilectione, qua nos Deus iuſtificat, ſed de dilectione, qua Pater miſericordiarũ ante omnia noſtra merita, & ante omnem dilectionem noſtram nos ita amauit, vt filium ſuum, ad nos redimendum mittere decreuerit. Vnde & ſtatim adiunxit: *Et miſit filium* Reſpon. 2.
ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.

Et prior quidem eſt dilectio, qua Deus adiuuare nos vult ad ſe diligendum, quàm dilectio noſtra: prior etiam eſt dilectione noſtra, dilectio, qua ab æterno voluit Deus iuſtificare, quemcunque iuſtificat: ſed prior eſt dilectio noſtra, quam illa Dei æterna dilectio habeat actum in nobis ſibi reſpondentem, hoc eſt, iuſtificationem noſtram. Quemadmodum cum Deus auget nobis gratiam propter dilectionem noſtram in ipſum, aut tandem largitur beatitudinem, quia nos eum diligimus, prior quidem dilectio, qua Deus nobis voluit augere gratiam, & conferre beatitudinem, & prius ad ſe ſic diligendum nos iuuat, ſed prior eſt noſtra dilectio augmento gratiæ & collatione beatitudinis, ita prorſus cum nos iuſtificat, quia nos eum diligimus, prior eſt

nostra dilectio iustificatione nostra, licet non sit prior voluntate iustificandi nos, neque prior auxilio Dei communicato nobis ad ipsum diligendum. Verum illud superest inquiramus, an dilectio Dei connumeranda veniat inter dispositiones necessarias ad iustificationem.

CAPVT XXXI.

Iustificari possunt homines absq; dilectione Dei super omnia, non tamen absq; dilectione Dei.

DILECTIONEM Dei, necessariam esse ad nostram iustificationem, apud omnes Theologicos tractatores, quos legerim, receptissimum est. Et id quidem testimonia Pauli, Augustini, & Bernardi statim citata, manifeste efflagitant. Quodque fidem & præclarissimas alias virtutes Paulus asserit nihil esse, & nihil nos posse iuuare sine caritate, potissimum videtur ad eam retulisse, qua parte sub se dilectionem Dei comprehendit. Nam ex ea duntaxat parte caritas maior est cæteris virtutibus, & longo illas interuallo antecellit. Et cum Deus sæpe in scriptura conuersionem nostram in ipsum à nobis exigit, vt se vicissim ad nos conuertat, aperte dilectionem sui à nobis requirit. Amore quippe nos in eum conuertimus, & in ipsum tendimus.

Argum. 1.

Argum. 2.

Confirmataque est doctrina ista à Patribus, cum in can. 3 statuerunt, necessarium esse Spiritus sancti auxilium, vt diligamus Deum sicut oportet, vt iustificationis gratia nobis conferatur. Siquidem hæc verba aperte docent, necesse esse diligere Deum, vt iustificationis gratia nobis conferatur. Et qui Deum agnoscunt nostris peccatis offendi, nunquam certe ad ipsius gratiam peruenient, nisi & de ipsis doleant, quatenus offensæ illius fuerunt, & amore in ipsum redeant, à quo se male per ea auerterunt. Non tamen perinde certum est, & incõtrouersum, qualis & quanta debeat esse hæc dilectio Dei, quam necessariam esse affirmamus ad iustificationem nostram. Sed cum diuinæ in nos miserationis viscera attentius mecum perpendo, tuto & indubitanter affirmare nos posse crediderim, eam Dei dilectionem, ad gratiam necessariam esse, & sufficere, quæ satis est, vt de lethalibus eius offensis doleamus, & mandata ipsius seruare proponamus. Et vbi tantum in aliquo affectum in Deum deprehenderimus, illum hac ex parte ad gratiam idoneè se præparasse, minime hæsitemus. Neque sanctos Doctores maius aliquid video requisisse.

Et ne sine authoritate re in tanta loquamur, possumus hoc colligere ex verbis Christi: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c.* Hæc verba palam indicant, illam dilectionem Christi satis esse, vt diligamur à patre cœlesti, & in ipsius gratia simus, quæ satis est, vt sermonem illius seruemus. Et quidem talis omnis dilectio, vt ipse existimo, actu vel virtute est dilectio Dei super omnia: quia qui omnia ipsius mandata seruare proponit, nimirum Deum super omnia, & illum omnibus antefert. Sed verbum hoc, *Super omnia*, in Doctoribus antiquis non lego, cum exigunt amorem Dei ad iustificationem. Et siue sit ea dilectio, dilectio Dei super omnia, siue non, parum refert, modo sciamus hoc quod planissimum est, quodque omnibus possumus secure tradere, sufficere ad iustitiam, diligere Deum sic, vt de ipsius offensis doleamus, & mandata illius velimus seruare. Quare ad exponendum ea, quæ de alijs dispositionibus traduntur, operæ precium erit migrare.

Ioan. 14

CAPVT XXXII.

De pœnitentiæ necessitate ad suscipiendum sacrum baptisma.

QVINTA ad iustitiam dispositio, præscripta hoc loco à sancta Synodo, pœnitentia est. Et illius quoque Ecclesiasticus meminit post timorem, spem, & dilectionem. *Qui timet Dominum*, inquit, *præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas, dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei.* Duo vero diffinita de pœnitentia, hic video à Patribus. Primum

mum

mum est, pœnitentiam esse odium & detestationem peccatorum propter Deum. Qua in re aduersantur errori Lutheri damnato à Leone X. sub verbis illis: *Optima pœnitentia, noua vita*. Secundum est, oportere pœnitentiam agi ante baptismum. Et quia de primo istorum infra libro 13. commodius videbimus, hoc duntaxat secundum Argum. 1. contenti erimus in præsenti firmare. Optime vero id probatur à Patribus ex testimonio Assert. 2 Actorum Apostolorum, *Pœnitentiam agite*. Et Petrus enim, & alij Apostoli prædicantes baptismum, prædicabant & non baptizatis etiam pœnitentiam, atque vtrunque requirebant, vt acciperetur remissio peccatorum, & baptismo pœnitentiam præmittebant. Quin potius ad pœnitentiam principalius & frequentius, & magis ex professo exhortabantur. Sequebanturque in hoc magistrum omnium Christum, & Ioannem, qui à pœnitentia suas auspicati sunt prædicationes. Et Ecclesia ab eis edocta, hanc perpetuo seruauit consuetudinem. Quod & ex ipsis patere potest catechismis. Idemque summo consensu tradunt Doctores Ecclesiastici.

Augustinus de catechizandis rudibus, catechumenos sic alloquitur: *Ergo interim nunc, si qui forte assunt ex eo numero, qui baptizari disponunt. Credimus enim eos adesse tanto ad verbum studiosius, quanto ad indulgentiam vicinius hos primum paucis alloquimur, vt erigant mentes in spem: ament fieri, quod non sunt: oderint, quod fuerint: Nouum hominem, nasci turi, iam in voto concipiant. Quidquid de vita præterita remordebat quidquid angebat conscientiam, quidquid omnino vel magnum, vel paruum, vel dicendum, vel non dicendum, non dubitent posse dimitti, ne forte quod nulli Dei miseratio dimittere, contra se teneat humana dubitatio.* Hæc ibi. Et ad Vincentium de pœnit. d. 1. Neminem. ita scribit: *Neminem putes ab errore ad veritatem, & à quocunque seu magno, seu paruo peccato, ad correctionem sine pœnitentia posse transire*, Idemq; refert Gratianus ex eodem in epist. ad Felicianum. Et in lib. de vtil. pœnitentiæ cap. 1. ita inquit, *Neq; ad baptismum, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo pœnitentiam de vita pristina. Nemo enim eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet.* Basilius accedentes ad baptismum, monendos esse asseuerat, vt peccata relinquant, Dominum sequantur, & crucem suam tollant, atque ab omni peccato abstineant, & vt digne suscipiant, necesse esse vt odio habeant & abominentur iniustitiam. Subscribit Bern. his verbis: *Initium reuertendi ad Deum, pœnitentia est, quam sine dubio spiritus operatur, non noster, sed Dei.* Et cum iam cœpisset prædicari baptismus Christi, quando ipse dixit, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis:* vel his verbis satis indicabat, etiam ad suscipiendum suum baptismum, necessariam esse pœnitentiam. Non est enim verisimile, illos omnes tunc baptizatos fuisse baptismo Christi, cum hæc ad eos loquebatur. Quod si in amicitijs humanis Argum. 4. reconciliandis, vt lumen naturale & ipsa experientia docet, necessaria est in primis pœnitentia illatæ iniuriæ vel damni, in eo qui intulit: quomodo credamus posse eum in gratiam Dei redire, quem patratæ in ipsum culpæ non pœnitet? His que accedit, Argum. 5. quod quamdiu non displicent, quæ male placuerunt, actu vel virtute manet eorum complacentia. Deus autem non ad gratiam, sed ad supplicium potius imputat accessum ad baptismum, & ad quodcunque aliud sacramentum, cum complacentia lethalium peccatorum: Quia hoc est vere obicem effectui sacramentorum ponere. Neque Deus se conuertit ad nos, Argum. 6. communicando nobis suam gratiam, nisi nos in eum conuertamur. Sicut sol auersos à se oculos nunquam lumine suo directe perfundet, nisi in eum conuertantur. Insuper. Ad quid Baptismus institutus est, Argum. 7. nisi vt nouam in illo profitentes vitam, commoriamur peccatis, regeneremur spiritu, efficiamur noui homines, atque adeo viua membra Christi? Nonne hoc luculenter Paulus edisseruit, cum ad Romanos & ad Galatas scribit, peccata non perimi nisi displicentia, & nouos homines, aut viua Christi membra dici non posse, quibus non displicent prius admissa? Nulla siquidem est participatio iustitiæ cum iniquitate. Et pœnitentiæ præceptum, quod Argum. 8. ado-

Basil. l. 1. de bapt. c. 8.

Bern. serm. 1. 55.

Argum. 3.

ad omnes peccatores ſe extendit vt inferius lib. 13. probabimus, maximè videtur tẽpore illo militare & obligare, quo vel baptiſma recipiendum eſt, vel quodcunque aliud ſacramentum. Itaque ex Chriſto, Apoſtolis, & conſenſu Eccleſiæ Catholicæ, & ex ipſa ratione & inſtitutione baptiſmi, atque ex lumine naturali conſtat, pœnitentiam, ſicut diffinierunt Patres, etiam ante baptiſmum agi debere.

CAPVT XXXIII.

De ſexta diſpoſitione ad iuſtitiam per propoſitum ſeruandi mandata.

ASSERVNTVR tandem diſponi peccatores ad iuſtificationem per propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, inchoandi nouam vitam, & ſeruandi diuina mandata. Et propoſitum quidem ſeruandi diuina mandata, includit propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, & inchoandi nouam vitam. Inchoatur enim noua vita obſeruatione diuinorum mandatorum, & ſuſceptio baptiſmi in præcepto eſt. Commode tamen iſta diſtincta ſunt, vt apertius ſit, quemadmodum impij diſponi debent ad iuſtitiam. Nam in illis, quibus baptiſmus ſufficienter promulgatus eſt, propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, explicitum & diſtinctum ſit oportet. Et qui baptiſmum proponunt ſuſcipere, nouam vitam debent animo concipere: Quia baptiſmus profeſſio quædam eſt religionis Chriſtianæ, & qui eum ſuſcipiunt, nouæ ſe vitæ conſecrãt & nomina ſua ea ſuſceptione dant.

Propoſitum bapt. & nouæ vitæ, diſpoſitio eſt neceſſaria ad iuſtitiam.

Et quamuis omnes homines ex æquo ad præcepta decalogi obligemur, tamen aliqua ſunt peculiaria præcepta, religionis noſtræ propria, ad quæ ſoli baptizati ſunt adſtricti. Eiſque ſe ſubijciunt, qui ſacro baptiſmate initiantur. Porro ſuſceptionis baptiſmi votum, diſpoſitionem eſſe ad iuſtitiam, & commodiſſimam & neceſſariam Petrus oſtendit. Rogantibus quippe Iudæis ab Apoſtolis, quid facerent ad conſequendum remiſſionem peccatorum, pœnitentiam ille & baptiſmum in nomine Chriſti conſulit. Et hoc ipſum Chriſtus Nicodemum iam docuerat, cum admonuit, oportere naſci denuo, & introire in regnũ Dei non poſſe, qui non eſſet renatus ex aqua & Spiritu ſancto. Cumque omnes in Chriſto baptizati, teſte Paulo, Chriſtum induerint, & ipſa ſuſceptio baptiſmi, inchoatio ſit nouæ vitæ: erit etiam propoſitum inchoandi nouam vitam, diſpoſitio neceſſaria, vt impij renouentur in Domino per gratiam.

Votum ſeruandi mandata neceſſaria diſpoſitio ad iuſtitiam.

De propoſito vero ſeruandi mandata diuina, idem probatur à Patribus ad finem huius cap. 6. quia Chriſtus, dum præcepit Apoſtolis, vt prædicarent omnibus baptiſmum, & omnes baptizarent. adiecit etiam, vt docerent ſeruare, quæcunq; mandauit illis. Et huc tendunt multa loca ſcripturæ, quibus DEVS requirit à peccatoribus, vt ſe ad illum conuertant, vt ipſe conuertat ſe ad eos. Sicut enim auertimur à peccatis noſtris per pœnitentiam, ita cõuertimur ad Deum per propoſitum ſeruãdi mandata illius.

Sane apud Ezechielem inter diſpoſitiones ad gratiam, hoc quoque propoſitum videtur, ſicut & pœnitentia, computari. Ait enim Propheta Dei nomine: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur.* Et paulo poſt: *Cum auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.* Hæc autem verba, *Cuſtodierit præcepta mea & fecerit iudicium & iuſtitiam*: non aliud requirunt ab impio vt iuſtificetur quam propoſitum efficax ſeruandi omnia mandata diuina, & obſeruationem eorum, ad quæ tum, cum eum pœnitet ſuorum peccatorum, adſtrictus eſt. Alioqui iuſtificari nemo poſſet per pœnitentiam, niſi obſeruatis etiam alijs præceptis diuinis, ad quæ eo tempore adſtrictus non eſt. Quod quis non videat, quam abſurdum & ſtultum ſit?

Ezech. 18

Ne tamen quiſpiam ſic hallucinetur, prouidentiſſime ibi cauit ſcriptura. Inter præcepta ſiquidem neceſſaria, vt quis iuſtus ſit, vel vt impius iuſtificetur, neque paulo ante citata verba, neque inferius,

cum pene eadem repetuntur, computantur alia(quam præcepta negatiua, quæ semper & pro omni tempore obligant, & præceptum illud affirmatiuum, ad quod omnes habentes substantiam huius mundi, perpetuo adstricti sunt, panem suum esurienti dare, & nudum operire vestimento. Et paulo post citata verba hoc aliquanto dilucidius factum est, cum ait: *Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israel?* Certe cor nouum & spiritum nouum habet, qui cum prius in transgressione mandatorum diuinorum, suæ immemor salutis permanserit, iam nouo spiritu concepto, tota animi deuotione libenter, prompte, & constanter proponit illa seruare.

Atque vt nemini esset ambiguum, hoc esse, cor nouum nobis facere, & spiritum nouum, cum per eundem Prophetam dixisset Dominus, *Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum in medio vestri*: adiectum est continuo, *Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* Et hoc est, quod Christus à muliere adultera exigebat.
Ioã.8. Non enim, sicut bene expendit Magister, dixit ei: Vade, & ne amplius pecces: sed, *Vade, & iam amplius noli peccare.* Neq; Petrus, cum exhortatus est Iudæos ad pœnitentiam, hanc prætermisit dispositionem. Il-
Act. 2. lis quippe verbis, *Saluamini à generatione ista praua*: vel, sicut Aug. aliquanto apertius legit, *Eripite vos à seculo hoc prauo*: docuit, vt & ille colligit, damnare opera mortua, quæ nequiter faciunt huius seculi dilectores: & ea, proponere in posterũ, pro virili sua deuitare. Cumq; ad baptismum idoneè recipiendum, vt iam docuimus: necessaria sit pœnitentia, & ea perfecta non sit, nisi actu vel virtute coniunctum habeat propositum seruandi mandata, erit igitur & hoc propositum saltem virtualiter ad iustificationem necessarium.

Atque huic doctrinæ suffragantur Doctores, qui communiter sequuntur & approbant, & in hunc sensum interpretantur protritam illam diffinitionem Gregorij, Pœnitentia est, præterita mala plangere, & plangenda, iterum non committere. Quia vero & hoc propositum seruandi mandata diuina, dilectio Dei super omnia videtur, aut certe non esse sine illa: commodum erit hic videre, an dilectio Dei super omnia, tanti sit apud Deum valoris & precij, vt vel sola, supposita fide, sufficere possit ad iustificationem nostram.

CAPVT XXXIV.

Dilectio Dei super omnia, à peccato originali mundat, & iustificare potest eum, qui per ignorantiam obnoxius esset mortali.

ENIMVERO dilectionem Dei super omnia, quæcunque illa sit, iustificare posse peccatorem soli peccato originali obnoxium dubium nemini esse debet. Pœnitentia opus non est, vt deleamus culpam quam aliena duntaxat voluntate contraximus. Erit ergo satis ad eam remouendam voluntas seruandi mandata. Si potuit inobedientia protoparentis nostri, culpæ nos & iræ diuinæ subijcere, multo magis poterit DEO clementissimo nos reconciliare prompta nostra seruiendi illi in omnibus obedientia. Neque aliud datum est ab eo remedium, quo possint homines, mox vt veniunt ad vsum rationis statum iustorum & gratiam apud ipsum adipisci, quam si proponant viam mandatorum DEI tota vita tenere, & quantum sibi innotuerit fore necessarium, à malo declinare, & bonum virtutis vbique & semper excolere. *Conuertimini*, inquit, *ad me, & ego conuertar ad vos.* Zach. 1

Proposit. 1. Dilectio Dei tollit originale.

Cum igitur toto se corde in Deum conuertant, qui principium vitæ rationalis tam pio proposito auspicantur, eo ipso proculdubio iustitiam & gratiam Dei assequentur. Et non tantum potest dilectio Dei super omnia, iustificare hominem solius peccati originalis reum. Potest profecto, vt pie crediderim, & eum iustificare, qui ob ignorantiam aliquam, aut obliuionem humanam lethali alicui peccato subiacet. Et sicut sanctus Thomas 3. part. q. 85. a. 1. distincte concedit, sufficere hanc dile- Proposit. 2

ctio-

ctionem ad remissionem peccati, cuius quis oblitus esset post diligentem inquisitionem, atque ideo nec illius haberet pœnitentiam: ita crediderim sufficere posse ad remissionem illius peccati, quod quis per ignorantiam admisisset, atque ideo neque de illo doleret. Et quamuis dispar sit quidem ratio, quia oblitus sui peccati post diligentem inquisitionem, ignorare illud videtur inculpabiliter, & moraliter non posse illud scire: qui vero per ignorantiam peccauit, nisi illa ignorantia fiat inuincibilis, posset humano more illud nosse, & ad illud cognoscendum, & faciendum ipsius pœnitentiam adstrictus est, tamen & vtriusque peccati videtur hæc dilectio pœnitētia virtualis, & vtroq; in casu supplere posse vices pœnitentiæ: quia qui illam habet, tam huius quam illius peccati pœnitentiam ageret, si ea cognosceret.

Et vt hac via deleri potest peccatum ignoratum inuincibiliter, ita videtur & posse aliquando fieri eadem via inuincibilis ignorantia, quæ alioqui esset vincibilis, & incipere posset non imputari negligentia sciendi illud, ob cuius ignorantiam peccauit. Si enim diligens inquisitio ad recordandum peccati, quod à memoria excidit & propositum inquirendi diligenter, quæ scitu necessaria sunt, potest facere vel obliuionem, vel ignorantiam alicuius peccati inculpabilem, ita vt ex tunc haberi queat remissio illius peccati per solam istam dilectionem absque pœnitentia: cur non & vtrumque possit simul hæc dilectio, cum virtute in se contineat & inquisitione illam, & propositum illud diligentius inquirendi? Profecto nisi hac via iustificari valeant, qui præter suam conscientiam alicui sunt obnoxij peccato, non quocunq; vitæ momento venire possent ad gratiam, sicut possibile ipsis communiter tradunt Doctores, quia ignorantiæ nequeunt vinci subito. Quare tanto eis tempore impossibilis erit iustificatio, quantum fuerit necessarium ad vincendum, quibus subiacent, ignorantias. At enim dolor, inquies, in generali, quo quis nollet se vllum peccatum commisisse, sufficiet ad omnia ista, sicut & ad delendum peccata, quorum sumus obliti. Obiectio 1.

Sed cur non tantundem possit hæc tanta & tam perfecta in Deum dilectio, præsertim cum annexum habeat actu vel virtute propositū dolendi de quocunq; peccato, quod ei constaret? Vbi manifestius est priuilegium pro eo dolore, quam pro dilectione Dei super omnia? Si hic dolor non est necessarius ad delendum peccata oblita post diligentem inquisitionem, cur erit necessarius ante illam? Et si sufficere potest ante illam, cur non sufficiat & ante eandem dilectio Dei super omnia, quæ sua quidem ex ratione multo magis quam dolor habet facere obliuionem aut ignorantiam inculpabilem, quia est propositum seruandi mandata? Accedit ad hoc, quod eum dolorem necesse est esse valde imperfectum, cum nullius nos peccati reos esse agnoscamus, neque apud homines maioris esset momenti, quam propositum dolendi, quod dilectio Dei in se claudit. Ergo hæretici, instabis, & infideles, si nullum aliud admiserint peccatum quam hæresis, vel infidelitatis, erunt persæpe in gratia. Habent quippe ipsi & non raro huiusmodi dilectionem. *Testimonium perhibeo illis*, dicit de Iudæis Paulus, *quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam*. Et Christus de illis, qui persecuturi erant Apostolos, dixit: *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Respons. Obiect. 2. Rom. 10. Ioan. 16.

Veruntamen & hoc argumentum, de dolore etiam peccatorum in generali fieri potest: Quandoquidem & is quoque sæpe est in hæreticis & infidelibus. Et sicut communiter dicitur, eorum dolorem, aut pœnitentiam neque satis veram esse, neque efficacem, & ideo minime sufficere ad ipsos Deo reconciliandos, quia non est eiusmodi, vt pertingat ad omne ipsorum peccatum: nam si pertingeret, deponerent eorum pertinaciam circa hæresim vel infidelitatem: ita & nos possumus dicere, neque veram esse in eis dilectionem Dei super omnia, neque satis efficacem, atque ideo non eos reconciliare. Quod si quis dixerit, dolorem de peccatis in generali, Respons.

ſufficere ad iuſtificationem, niſi apponatur obex, ſicut apponitur ab hæreticis & infidelibus, & huius ſignum eſſe, quod vbi illi ceſſarent à ſua hæreſi vel infidelitate, per ſolum illum dolorem acquirerent gratiam, quanquam hoc ſatis ambiguum eſt, tamen ſimiliter poſſet dici noſtra dilectio ſufficere, ſed ei apponi impedimentum in hæreticis & infidelibus.

Dilectio Dei ſuper omnia, non eſt in peccatoribus. Sed ego nunquam conceſſerim, veram dilectionem Dei ſuper omnia, in ipſis eſſe. Nam ſi eſſet, valedicerent vtique ſuæ perfidiæ, & inquirerent, quæ ad ſuam ſalutem neceſſaria ſunt, Mentiri nequit ſumma ve-

Ioan. 14 ritas, quæ dixit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Et rurſus: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* Quibus verbis certos nos fecit, non eſſe veram dilectioné ſui in eis, qui perſeuerant in tranſgreſſione vel minimi ipſius mandati. Et luculentum hoc fecit Paulus illis verbis:

1. Cor. 8 *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.* Nam cognitum Deo, more ſcripturarum, ſæpe vocat probatum & gratum. Quomodo etiam quis tueri poſſit dilectionem Dei ſtare cum peccato mortali, cum omnis qui in illo eſt, Deum infra ſe formaliter vel virtualiter diligat, & aliqua creatura fruatur, vt communiter tradunt Doctores in primo, d. 1.? Quamuis itaque ſufficere poſſit dilectio Dei ad reducendum à peccatis ignotis ad gratiam, nunquam tamen neque illa, neque dolor in generali hoc poterit, niſi remouendo voluntatem ab eorum complacentia, & faciendo eorum ignorantiam inculpabilem.

Obiect. 3. Sed volunt, dices, plerunque multi peccatores, immo etiam hæretici & infideles, placere Deo in omnibus, & in nullo diſplicere, & adhuc tamen permanent in ſuis peccatis. Quando igitur, aut quomodo per hanc dilectionem fiet eis inculpabilis ſua ignorantia? Quid & nos faciemus amplius, vt hac via deſinant nobis imputari, ſi qui-

Reſpon. bus laboramus ignorantijs? Verum eſt, & hæreticos & infideles velle perſæpe Deo in omnibus placere, & in nullo diſplicere, ſi ſermonem referamus ad ea, in quibus ipſi credunt ſe placere aut diſplicere. Sed dilectio Dei ſuper omnia, auguſtior eſt & potentior, maioriſque prorſus ambitus Extendit ſe ad omnia præcepta diuina, & omnia Dei mandata complectitur, & omnia exequitur: nihil præterit, nihil detrectat, nihil negligit eorum, quæ præſcripta nobis ſunt. Quam ſe late Deus porrigit iubendo, tam vaſta & ampla illa eſt, ac prompta & expedita ad obediendum. Qui illam habet, in omnibus ad quæ tenetur, vere & ex animo vult placere, & in nullo eorum, quæ prohibita ſunt, diſplicere. Ac proinde vel ſeruat omnia, vel certe facit, vt ea, qua alicuius eorum tenetur, ignorantia ſit in ipſo inuincibilis, & ſibi non imputetur: Neque fieri vllo pacto poteſt, ait Origen. ſuper illa verba Pauli, *Qui diligit proximum, legem impleuit,* vt qui ex toto corde, & ex totis viſceri- Rom. 13

bus diligit Chriſtum, faciat aliquid, quod non placeat Chriſto. Et ex profeſſo contendit, voluiſſe Paulum ibi docere nos, eum totam legé implere, qui diligit Chriſtum. *Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni* Rom. 10

credenti. & Aug ait: *Qui diligit Deum, conſequens* Aug. 8. de Trin. c. 7

eſt vt faciat quæ præcepit Deus: & in tantum diligit, in quantum facit. Neque alio ſane inter ſe differunt dilectio Dei, quæ ſufficit nonnunqam ad remiſſionem peccati commiſſi per ignorantiam & quæ eſt in hæreticis & infidelibus, neque tamen ſufficit ad eorum iuſtificationem, quam ex parte obiecti. Nam in hæreticis & infidelibus non pertingit ad placendum Deo, ſicut tenentur in depoſitione ſui erroris & pertinaciæ, & in aſſentiendo oppoſitis veritatibus. Cum autem ſufficit in eis, vel in alijs ignorantibus, pertingit profecto ad hoc, vt faciat eos vel vincere ſuos errores, vel certe deponere pertinaciam circa illos, & inquirere vel ſaltem proponere inquirere omnia, quæ neceſſe eſt eos ſcire. Et hanc differentiam ex parte obiecti, oportet omnes ponere inter dolorem de peccatis in generali, qui ſufficit ad iuſtificandum hæreticum recedentem à ſua perfidia, & dolorem ſimilem exiſtentem in eo, qui in illa perſeuerat. Nam ſi quoad omnia eſſent ſimiles, ſimilia etiam, immo eadem poſſent. Et vel inde comprobari poteſt hæc differentia, quia

qu'a si hæreticus meminisset suæ hæresis, quando habet hanc dilectionem, non doleret de illa. Qui autem per dilectionem Dei, suam obliuionem vel ignorantiam inculpabilem faceret, & consequeretur remissionem peccatorum, quorum conscius sibi non est, mox vt admoneretur, vel recordaretur eorum, doleret de ipsis, & nulla pertinacia alicui errori adhæreret. Quod quidem nunquam ea dilectio faceret, nisi ad ea quoque pertingeret, & animos ignorantium ab omni pertinacia & negligentia longe remoueret.

Vera Dei dilectio super omnia. Itaque si volumus, vt hic dilectionis Dei affectus, talis sit in nobis, qualis non est neque in hæreticis, neque in infidelibus, neque in his qui perseuerant in suo peccato: faciamus, vt ad omnes animorum nostrorum affectus se extendat, & omnes vires animæ nostræ, & omnia studia & vota nostra plenissime Deo subijciat. Nulla maneat in nobis proteruia, nulla obstinatio, nulla incredulitas, nulla negligentia, nulla tarditas, nullus torpor, nulla ignauia. Toti, & ex toto corde, & ex tota mente atque anima & viribus nostris dicamus Deo:

Psal. 34. 72. *Domine, quis similis tibi? Pars mea Deus. Extra te quid volui in cœlo aut in terra? Domine, quid me* Act. 9. *vis facere? Paratus sum, & non sum turbatus, vt cu-* Psal. 118. *stodiam mandata tua.* Et vbi soliciti voluntatis Dei, sic promptos & expeditos & alacres nos Deo, tota animi propensione & deuotione obtulerimus ad omnia & faciendum & patiendum, quæ ipse à nobis requirit, nihil excipiendo, nihil subtrahendo, nihil nobis reseruando: tum demum dilectionem habebimus quæ omnes ignorantias nostras vel vincat, vel inculpabiles faciat, & remissionem peccatorum nobis ignotorum obtineat.

CAPVT XXXV.

Dilectio Dei super omnia, sufficit ad remissionem peccati mortalis non ignorati, si eius sit tamen virtualis pœnitentia, non alias.

MAIOR vero, & implexa magis quæstio est, an dilectio Dei super omnia, & eum quoque Deo reconciliare valeat, qui sciens & volens admisit aliquod peccatum mortale, neque ipsius actu habet aliquam pœnitentiam. Et de hoc bipartita fuit hactenus Scholasticorum sententia.

Sanctus Thom. 3. part. q. 86. art. 2. expresse asserit, impossibile esse, vt peccatum tale sine pœnitētia remittatur. Et idipsum q. 87. art. 1. confirmat, excipiens sola peccata obli'a post diligentem inquisitionem. Et idem tenet Maioris in 4. d. 14. q. 1. Scotus tamen in 4. d. 14. q. 1. Gregor. Ariminens. in 1. d. 17. Hadrianus Quodlibeto 7. q. 4. & Caietanus in Com. 3. part. q. 83. art. 1. affirmant, per feruentem aliquem actum dilectionis Dei super omnia, posse peccatum mortale dimitti sine actu pœnitentiæ.

Et perspicuum quidem est, neq; huiusmodi dilectionem, neque alium aliquem actum, quantumcunque eximium & præcellentem, iustificare posse perseuerantem actu vel virtute in complacentia alicuius peccati mortalis? Quoniam Deus, cum sit summe bonus, odio habet omnem iniquitatem, & neminem perseuerantem in peccato iustificat, sed auersionem à nostris peccatis, & conuersionem ad se requirit, vt se ipse conuertat ad nos. Proposit. 11.

Itaque si dilectio Dei super omnia, vel alius aliquis actus transferre potest aliquē à peccato mortali ad gratiam, necesse est, vt saltem virtualis sit displicentia ipsius peccati. Quamobrem cum illa Dei dilectio, quam maxima pars fidelium peccatorum habet dum ei vult omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, misericordiam, & gloriam supra omnes, non sit peccatorum displicentia: manifestū quoque est, eam ad gratiam non sufficere. Idemque omnino sentiendum videtur de dilectione illa, qua quis vellet in posterum Deo placere in omnibus, & in nullo displicere. Quoniam hæc satis non est, vt displicere censeantur peccata semel admissa. Sæpe namque videmus, gaudentes de offensa alicui illata, velle in posterum ab illius se offensione continere. Proposit. 12. Proposit. 13.

Ideoque Leo X. meritissimo damnauit illam

illam Lutheri assertionem, *Optima pœnitentia noua vita*: quia huius adagij approbatione, inuehere fidelibus nitebatur hanc pestiferam doctrinam, quod satis esset ad pœnitentiam, proponere in posterum seruare diuina mandata. A quo errore longe Scholastici citati abfuerunt. Non enim tam imperfectam Dei dilectionem, tanto priuilegio donatã credidisse putandi sunt, præsertim cum eam, palam dixerint, pœnitentiam esse virtualem. Quod illi quidem dilectioni non conuenit, quæ tantum respicit futurum tempus, & duntaxat est affectus deinceps placendi Deo.

Et Hadrianus profecto diserte explicuit, dilectionem, cui hanc tantam ad iustificandum prærogatiuam tribuebat, eiusmodi esse, vt non solum impletiua sit omnium mandatorum, sed & in Deum nos transformet, & sic vnum cum illo spiritum faciat, vt supra omnia illum amemus, nihil nisi in ordine ad ipsum, neque in cœlo, ne- Propofit. 4. que in terra diligamus. Quod si talis sit, vt & præteritum & futurum respiciat, & per eam sic velimus & seruare & seruasse in omnibus mandata diuina, vt cum illa non stet complacentia alicuius peccati mortalis, immo ex ea, si meminerimus, continuo sequatur omnium lethalium peccatorum pœnitentia, sufficere quidem poterit sine alia pœnitentia ad iustificationem. Quin & ei potius quam pœnitentiæ, tribuenda est remissio peccatorum nostrorum, si v- Argum. 1. Luc. 7 tramque simul habeamus. De Magdalena Christus dixit: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et quamquam dilectioni potuit, sicut & fidei, iustificationem ipsius imputasse, quia causa est pœnitentiæ sicut fides dilectionis: tamen nunquam ille vni dilectioni, tacita in totum pœnitentia, remissionem peccatorum adscripsisset, nisi dilectio ipsius, tantæ fuerit virtutis, & precij apud ipsum, aut certe potiores partes in iustificatione ipsius tenuerit.

Greg. hom. 33. in Euang. Agnouit hanc virtutem amoris diuini Gregorius, qui tractans hæc verba, scribit: *Quid fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem: & quid culpam, nisi rubiginem? Vnde nunc dicitur, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: ac si aperte diceretur: Incẽdit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tãto namq́; amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur.* Hæc Gregor.

Et si bene expendamus verba illa, *Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: & illa, *Si quis diligit me sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: clare intelligimus, per dilectionem Christi assequi nos posse, vt diligamur à patre cœlesti, & vt ipse & filius ad nos veniant, & in nobis maneant per gratiam. Argum. 2. Ioan. 14

Enimuero non hic tantum impletionem omnium mandatorũ Christus commendauit: neque bene quidam hinc colligunt, dilectionem Dei, vocari in scriptura impletionem mandatorum. Neque enim Christus confudit vocabula, vel à communi sua significatione vnquam alienauit. Neq; exponebat idem per idem, cum aiebat: *Si quis diligit me sermonem meum seruabit*. Et iterum: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui dil git me*. Et rursus: *Si precepta seruaueritis, manebitis in dilectione mea*.

Eam igitur commendabat dilectionem, atq; adeo eam solam, dilectionem sui docebat esse existimandam, quæ faceret impleri mandata, & eorum obseruationem virtute in se contineret: & quæ eiusmodi esset dilectio, sufficere ad suam gratiam obtinendã ostendebat. Atq; hoc nimirum Argum. 3. exigunt, illa dulcissima verba, iam olim ad nostram consolationem per Salomonem pronunciata, *Ego diligentes me diligo*. Quod si Prou. 8 Argum. 4. apud homines non humanus haberetur, sed ingratus & peruicax, qui non solum non redamaret, sed & odio prosequeretur eum, qui ipsum amaret supra se & sua omnia: verisimile non est, Deum, qui nimius amator est hominum, ad suam gratiam non solum non admittere, sed & odio prosequi eum, à quo amatur super omnia. Odit namque omnes impios & iniquos.

Quare Bernardus confidenter dixit: *Nemo se amari diffidat, qui iam amat*. Bernard. ep. 107. *Libenter Dei*

amor

amor nostrum, quem preuenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amauit necdum amantes? Et Augustinus audacius in illa
Rom. 5 verba Pauli, *Iustificati gratis per gratiam ipsius: Si Deus*, inquit, *non reciperet confugientes ad se, esset in eo iniquitas.*

Argum. 5. Plurima etiam sunt in scriptura, & quidem apertissima loca, quibus Deus pollicetur, se conuertendum ad nos, si nos in illum conuertamur, & cor nouum & spiritum nouum nobis faciamus. Qua vero via nos ad eum verius conuertamur, aut fiducialius in ipsum confugiamus, & nouum nobis cor & spiritum nouum faciamus, quam amando ipsum supra nosipsos, & supra omnia? Nonne potest esse in nobis tantus aliquis affectus, vt nos ab omnibus alijs auferat & auertat, & in eum vnum transformet? Nunquid si tanto, fauente Deo, conuerteretur peccator in Deum amore, quanto eum amabant martyres in tormentis, aut etiam perpetuo beata Virgo, ne ille quidem amor satis esset, vt Deum in ipsum conuerteret? Nimium profecto durum Deum facimus, nimium rigidum, nimium inclementem, nimium obstinatum in odio peccatorum, si neq; tanto amore ad redamandum irritetur.

Argum. 6. Equidem in Pauli conuersione nihil aliud, vel certe nihil magis expressit scriptura, quam amorem nimium & promptissimum ad Deo seruiendum, ex quo impul-
Actor. 9 sus est, vt diceret toto corde: *Domine, quid*
Argum. 7. *me vis facere?* Ad hæc: *Qui diligit Deum super*
Ioan. 14 *omnia, implet vtique Dei præcepta. Qui enim habet mandata mea, & seruat ea, hic est, ait, qui di-*
15. *ligit me.* Et rursus: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Obseruatio autem præceptorum aditum patefacit ad vitam,
Matth. 19 iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Non igitur expers est gratiæ, qui vere diligit Deum super omnia.

Argum. 8. Finis præcepti, teste Paulo, caritas est. Et attingentem finem præceptorum omnium, extra statum salutis ponemus?
Argum. 9. Præceptum diligendi Deum ex toto corde præceptum est amicitiæ debitæ Deo: & qui implet illud, quantum humana fragilitas finit, extra gratiam Dei erit?

Præstantissima omnium virtutum est Argum. 10.
caritas, & vinculum perfectionis ac glutinum, quod nos Deo arctius & intimius potest iungere. Et perfectissimo ipsius actui abrogabimus quod tribuimus omnes pœnitentiæ? Quomodo maxima virtus est, si præstantissimus illius actus non maxime à Deo respicitur, vt nos iustificet, si non maxime nos Deo vnit & conciliat?

Sane Hieronymus potissimas partes ca- Hieron. in
ritati in omnibus tribuit. Et quæ alia, dicit, comm. c. 5. ad Galat.
inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi caritas, sine qua virtutes cæteræ non reputantur esse virtutes, & ex qua nascantur vniuersa, quę bona sunt? Siquidem & in lege, & in Euāgelio ipsa obtinet principatum. Et concinit August. in quodam sermon. de caritate his verbis: *Respice ad munera Ecclesiæ, & vniuersis excellentius caritatis munus agnosces. Causa est & mater omnium virtutum. Quæ si desit, frustra habentur cætera: si autem adsit, habentur omnia. Causa est meritorum bonorum, ex qua, quidquid est boni operis, viuit, salus morum, finis præceptorum, mors criminum, vita virtutum.*

Subscribit & his præstantibus Ecclesiæ Doctoribus Hugo in tractat. de laude caritatis: *Omnem*, inquit, *animæ languorem sanat, Omnium virtutum est origo, Via est hominis ad Deum, & via Dei ad nos.* Et ibidem affirmat, neque illum, neq; nos, nisi per ipsam, ad alterutrum venire posse, & per ipsam nos currere, & apprehendere Deum, & frui eo, illamque esse cursum, & peruentionem, & mansionem, & beatitudinem. Videamus vero, quibus argumentis quidam hanc prærogatiuam caritatis ad obtinendam iustitiam sine pœnitentia, eneruare & labefactare contendant.

CAPVT XXXVI.

Dissoluuntur argumenta contra efficaciam dilectionis Dei ad iustificationem.

PRIMO obijci nobis possunt verba Sal- Obiect. 1.
uatoris, *Nisi pœnitentiā habueritis, omnes similiter peribitis.* Secundo induci etiam pos- Obiect. 2.
sunt contra nos verba illa nostri decreti, quibus asseritur, vt paulo ante exposui-

R mus,

mus, pœnitentiam agi oportere ante baptismum. Omnia etiam, quæ in eorum corroborationem adduximus, videntur in nos stare, potissimum vero verba Augustini, *Nemo potest nouam vitam inchoare, quin eum pœniteat prioris.* Obiectio 3.

Obiect. 4. Et cum in canone III. statutum est, neminem absque Spiritus sancti fauore posse pœnitere sicut oportet, vt iustificationis gratia ei conferatur, innuisse videntur Patres, necessariam esse pœnitentiam ad iustificationem.

Respon. Hæc tamen omnia simul possunt exolui; quia sicut iam admonuimus, vera dilectio Dei super omnia, pœnitentia quædam est. Respicit namque etiam præteritum, & animum actu vel virtute reuocat ab illis, quæ male placuerunt. Et regulæ generales & communes neque derogant, neque præiudicant specialibus priuilegijs. Post adeptam vero gratiam per dilectionem Dei super omnia, fatemur necessariam esse pœnitentiam, & eam quidem agi oportere ante susceptionem baptismi, sicut post habitam gratiam per contritionem, necessarium est non baptizatis baptisma, & lapsis à gratia baptismali confessio. Non enim sic ista ad obtinendū gratiam præcepta sunt, vt ea obtenta, necessaria non sint. Si ita esset, neque circumcisio, neque baptismus fuisset in præcepto sanctificatis. Præcepta generaliter feruntur, neque perdunt suam vim, quia ob specialem aliquam causam desinant esse alicui necessaria.

Et vel hinc possunt pœnitentia, baptismus & confessio etiam post obtentam gratiam ostendi necessaria: quia neque ipsa gratia data fuisset, nisi propter votum eorum formale, vel virtuale. Et quemadmodum, cum in canon. 29. diffinierunt Patres, non posse lapsos à gratia baptismali, amissam iustitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ, non derogarunt virtuti contritionis, sed ostenderunt & iustificatis per eam, necessarium esse sacramentum pœnitentiæ, atque eos non immerito posse dici iustificari per sacramentum pœnitentiæ, quia per partem illius & in virtute illius iustificantur; ita prorsus, cum pœnitentiam statuerunt agendam esse ante baptismum, non derogarunt virtuti dilectionis Dei super omnia, sed viam communem ad iustificationem aperuerunt, & præceptum magis quam necessitatem pœnitentiæ ad obtinendam gratiam declararunt.

Et hoc etiam obiectioni vltimæ ex can. 3. responderi potest: Quoniam verbum, *oportet*, aliquando quidem necessitatem indicat, aliquando vero tantum præceptum. Neque ad veritatem canonis requiritur, vt necessaria sit pœnitentia ad iustificationem: sed satis est, numine spiritus sancti opus esse ad quamcunque pœnitentiam, per quam acquireretur iustificationis gratia. Porro Augustinus de inchoatione nouæ vitæ per susceptionem baptismi, loquitur.

Cur vero, inquies, ad obtinendum veniam peccatorum, frequens est in scriptura & in Ecclesia, exhortari peccatores ad pœnitentiam, & non ita ad dilectionem Dei super omnia? Ioannes certe, & Christus, & Apostoli post aduentum Spiritus sancti, à pœnitentia auspicati suas sunt prædicationes, neque ad dilectionem Dei, sed ad ipsam peccatores hortabantur, vt haberent remissionem peccatorum. Neque alia via nos adnitimur ad gratiam Dei reducere peccatores, licet eos videamus obstinate & pertinaciter suis peccatis hærere & difficilime ad eorum odium posse inflecti. Difficilior, quam pœnitentia, est dilectio Dei super omnia, quam asstruimus posse sufficere ad iustificationem, & prouectiores & exercitatiores in obsequio diuino requirit. Habet difficultatem quam pœnitentia, quoniam eam virtutem in se claudit, & vltra eam, aliquam etiam aliam. Plus nos à nobisipsis alienat, plus nos supra nosipsos tollit, Deo arctius nos vnit & coniungit, & multo magis ipsum & nobis & nostris omnibus præponit. Vnde & rariores multo sunt, qui formaliter Deum diligant supra omnia, quam qui habeant pœnitentiam. Est etiam via per pœnitentiam, apertissima & certissima apud omnes Catholicos: non ita, vt monuimus, via per dilectionem Dei super omnia. Vt recedant item peccatores à peccatis, & ea cautius postea deuitent, com- Obiect. 5. Respon. 1. Resp. 2. Resp. 3.

commodissima est amaritudo pœnitentiæ. Et habita dilectione Dei, necessaria est nihilominus pœnitentia.

Itaque prudentissime scriptura & Ecclesia his omnibus de causis, non à dilectione, sed à pœnitentia, vt à medio faciliori, certiori, & magis necessario, mederi peccatoribus auspicatur. Neque tamen in totum exhortari intermittunt peccatores ad dilectionem Dei super omnia, vt obtineat suorum peccatorum veniam. Siquidem cum hortantur ad pœnitentiam de præteritis peccatis, quatenus offensæ fuerunt Dei, & ad propositum seruandi mandata propter Deum, hoc ipso ad dilectionem Dei super omnia, hortantur. Nam hæc, vt iam diximus, virtute in se claudunt aliquam dilectionem Dei super omnia.

Obiect. 6. Dicet quispiam: Nunquam igitur per pœnitentiam obtinebitur remissio peccatorum, sed semper per dilectionem quæ

Respon. antecedit pœnitentiam. Verum hoc ex dictis non sequitur. Quia dilectio Dei requisita & præuia ad veram pœnitentiam, non tanta, neque tam perfecta est, atque ista dilectio, quam sufficere ad gratiam contendimus. Et potest quiuis fidelis cum minori, quam illa sit, dolere de peccatis, vt offensæ fuerunt Dei, & proponere illa semper vitare, & tunc per pœnitentiam primo habebitur remissio eorum.

Obiect. 7. Vrgent & aliqui: Dilectio Dei super omnia, non est extra gratiam. Quia qui sic diligit Deum, diligitur ab ipso, & tam perfectus actus non potest haberi sine caritate infusa: alioqui nulla esset eius necessitas, & saltem præceptum diligendi Deum ex toto corde, requirere videtur ad sui obser-

Respon. uationem, vt impleatur ex caritate. Aliud vero est, dilectionem DEI super omnia, non esse sine caritate infusa & aliud, ipsa esse posteriorem, & eius prioritatem requirere. Fatemur, dilectionem huiusmodi non esse sine caritate. Mox namque vt illa habetur, Deus, qui piger non est, sed promptissimus ad amandum, habentem illam redamat, & caritate infusa, etiam alijs præcellentibus donis exornat, vt facilius, libentius, & feruentius possit amari. Sed caritatem infusam præcedere hanc dilectionem, neque posse absque illa haberi cum Dei adiutorio speciali, hoc negamus. Dilectio Dei super omnia, non indiget præuia caritate.

Neq; probare possumus, quod sanctus Thomas 1. 2. q. 100. art. 10. concedit, ad implendum mandatum diligendi Deum, prærequiri caritatem infusam, quomodocunque enim quis diligat eum ex toto corde, facit, quod hoc præceptum omni rigore intellectum requirit. Neque alius modus caritatis includitur sub hoc præcepto, quam quod diligatur ex toto corde. Et absurdum videtur dicere, ad implendum hoc præceptum, necesse esse, vt qui in peccato sit, prius faciat pœnitentiam, neq; posse ab eo immediate impleri absque præuia pœnitentia, cum potius DEI amor præcedere debeat, vt fiat vera pœnitentia.

Dicet aliquis, posse quidem & ante habitam pœnitentiam impleri hoc præceptũ sed vt impleatur, dari à Deo caritatem, & ipsam dilectionem causari à caritate, & posteriorem ipsa esse. Scio hoc vltimum nobiles authores de contritione defendisse. Thom. 12. q. 112. art. 2. Henr. Quodl. 5. q. 25. Ma... in 4. d. 14. q. 1. Mihi tamen, vt cum venia eorum dixerim, inintelligibile apparet, dari à Deo caritatem propter dilectionem vel contritionem, & tamen caritatem esse dilectionis & contritionis causam, & ex consequenti, ipsis priorem. Sed si hoc dicatur, nihil equidem morabor. Sint per me omnia prorsus alba. Sequatur quisque quod placet, vbi liberum ei est per scripturam & Ecclesiam. Nos saltem iam inde habebimus, aliquos venire ad gratiam sine pœnitentia formali. Et cum Deus non det gratiam suã sine præuia dispositione, neque alia cum sit quam dilectio Dei, sufficiet, vt perpendimus, dilectio Dei vel sola, nonnunquam ad gratiam.

Instabit tandem aliquis: Volitio ferendi pro Christo martyrium, non sufficit ad iustificationem. Est etenim in multis fidelibus peccatoribus. Atq; hæc omnes alias videtur exuperare Christi dilectiones. *Maiorem quippe*, vt ipse ait, *caritatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Obiect. 8. Ioan. 15. Multum tamen interest inter opus & propositum. Multi mirabilia proponimus, & Respon.

R 2 cum

cum venitur ad opera, exigua præstamus. Enimuero Christus, qui hæc interualla optime nouerat, non tribuit primatum caritatis proposito moriendi pro amico, sed morti. Neq; dixit, Maiorem caritatem nemo habet, quam vt velit quis animam ponere pro amicis: sed, quam vt ponat. Probatio dilectionis, exhibitio est operis, ait Gregorius. Et opere nihil maius possumus amicis præstare, quā vita .. Quiduis aliud eis largiamur, quiduis pro ipsis toleremus, quantocunque illos affectu prosequamur, semper minorem caritatem in eos habebimus, quam qui pro eis mortem patiuntur. Neque Christus caritatem morientium pro amicis, caritati morientium, & alia etiam contemnentium pro ipsis, prætulit. Potest & amor & opus aliunde crescere, etiamsi ad mortis perpessionem peruenerit. Tantumque præposuit Christus caritatem morientium pro amicis, caritati, quæ eo non peruenit, vt vitam contemnat pro amicis. Nam & sic comparationes similes communiter intelligimus. Et manifestum est, virginem beatissimam maiorem habuisse caritatem in Deum, quam habuerint multi martyres. Et ex ipsis martyribus quidam fuerunt alijs feruentiores, & arctius & præcellentius Deum amauere. Et cui dubium sit, maiorem in Deum caritatem esse dilectionem Dei super omnia, quam voluntatem moriendi pro ipso? Sane dilectio Dei super omnia, compati secum non potest peccatum mortale saltem scitum & cognitum.

Voluntas autem moriendi pro Christo, & ferendi omnia tormenta pro fide, manifeste in multis fidelibus potest esse cum peccato mortali. Et si dilectionem Dei super omnia, comparemus voluntati moriendi, ne illum offendamus, manifestius etiam apparet excessus dilectionis Dei super omnia. Siquidem per ipsam præferimus eum vitæ, sanitati, famæ, honori, & bonis omnibus simpliciter mundi: Per voluntatem autem moriendi, ne eum offendamus, soli vitæ. Oportunum tamen hic erit consequenter tractare, an martyrium & voluntas moriendi, ne Deum vel paululum offendamus, sufficere possit ad iustitiam.

CAPVT XXXVII.

Martyrium sine pœnitentia ad iustificationem sufficit.

RARO quidem, ac fortasse nunquam contigit, vt ex peccatoribus sponte quis sua mortem pro Deo aut Christo tolerauerit, quin suorum eum peccatorum vel in genere pœnituerit. Qui se sibi negat, & tantam naturæ ipse suæ vltro pro Dei amore vim facit, multo magis profecto, quas in eum admisit, offensas oderit & damnabit. Sed si vel ob memoriæ nostræ fragilitatem, vel ob subitum aliquem tyrannorum & hostium Christi furorem Christianus peccator sic opprimeretur, vt ante omnem suorum peccatorum pœnitentiam, ex hac vita pro Christo interfectus migraret, martyrium ipsius ad iustitiam satis esset, & fortis illa ac constans mortis tolerātia, efficax haberetur ad gratiam dispositio. Con. 1.

Qui tribuit pœnitētiæ virtutem reconciliandi nos sibi, ipse non minus clare, neque minus generaliter martyrio eandem prærogatiuam concessit. *Omnis*, ait *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est*. Omnem dixit, vt & iustos & peccatores huius gloriæ participes esse posse intelligas. Omnis, ait Augustinus, teste Gratiano, hoc est, quantuscunque & quotiescunque peccator, & cuiuscunque ordinis. Ipse se omnium, qui eum confessi fuerint, non tantum remuneratorem, sed & encomiasten fore pollicetur & buccinatorem eorum virtutis, idque apud patrem suum cœlestem, & vt Lucas & Marcus expresserunt, etiam coram angelis Dei. Vtque mortem pro quacunq; fidei veritate, hoc priuilegium habere constaret, non dixit solum, teste Marco, *Qui confessus fuerit*: sed adiecit, *& verba mea*. Argum. 1. Matth. 10 De pœnit. di. 1. adduc.

Ad hæc: Martyrium, teste Cypriano de singularitate clericorum, tam baptisma appellatur, quam corona, quia baptizat & coronat. Si ergo baptismi intermissio neminem vnq; à mortuis pro Christo impedimen- Argum. 2.

dimento fuit, quominus coronam martyrum obtineret, vt vel ex sancta Emerentiana constare potest, quæ catechumena cum esset, suo in sanguine baptizata est, neque officiet profecto intermissio pœnitentiæ. Ita enim baptismus necessarius est ad salutem, sicut pœnitentia, neque est cur non possit habere martyrium vicem pœnitentiæ, sicut habet baptismi. In mari rubro via sine impedimento, canit Ecclesia. Et martyrio, teste eodem Cypriano in lib. de laude martyrij, totum necesse est cedat: martyrij inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, inæstimabilis titulus, triumphus, immensus: Delictorũ est finis, periculi terminus, dux salutis, ac domus vitæ. Nisi vicem pœnitentiæ haberet, non tam sæpe, vt ex Ecclesiasticis historijs, & ex Cyprian. ibidem constat, mœchi, sanguinarij, ebriosi, & omnium scelerum rei, reperta pugnæ occasione, meruissent ad martyrij palmam peruenire.

Et optimum quidem est huic proposito argumentum Hug. *Si saluus, qui propter Deum aquam suscepit: quare non magis, qui propter ipsum sanguinem fudit? Plus certe sanguinem dare, quam aquam suscipere.* Hæc ille. Et cum Christus dixerit, *Qui credit in me mortem non videbit in æternum:* & qui vitam exponit pro Christo, vere in eum credat, vere in eum speret, vere eum diligat, & iam in se habeat ipsam virtutem baptismi, cur dubitet quisquam & ipsius habiturum eum gratiam? Ritus etiam communis fidei Ecclesiæ, hoc incunctanter esse tenendum, nos admonet. Nulla quippe facta inquisitione circa mores aut vitam, omnes fideles, quos constat mortem vltro passos esse pro Christo, vt martyres celebrat, & cunctis fidelibus vtales, venerandos & honorandos tradit, neque exequias vllas aut suffragia pro eis, sicut pro allis mortuis, fieri patitur. Vnde & Innocen. III. *Cum Martha. de celeb. Miss.* diffinuit, iniuriam facere martyri, qui orat pro martyre. Item grauius quid est, & ex suo genere etiam perfectius & laudabilius, voluntarie oppetere mortem pro Deo, quam pœnitentia peccatorum. Quomodo igitur verisimile sit, Deum non acceptare ad remissionem peccatorum martyrium, qui tantula nostra persæpe, ad nos sibi reconciliandum, contentus est pœnitentia? Certe apud homines non omnino agrestes & intractabiles, mors pro ipsorum gloria sponte tolerata, iure obtinere potest veniam omnium, quæ in eos forte patratæ fuerint offensæ.

Hug. 2. de sacr. part. 6. c. 7.

Argum. 3.

Neque solum qui mortem pro aliquibus patiuntur, sed & qui vitæ periculo & discrimini pro eorum honore se exponunt, digni censentur qui, condonatis omnibus prioribus offensis, ad amicitias ipsorum admittantur. Quanto ergo magis & idipsum credendum est apud Deum clementissimum & humanissimum, obtinere posse martyrium, pro ipsius fide & honore susceptum? Ego quidem sic in martyrij gloriam animatus sum, sic ipsius laudibus studeo, & tota animi propensione vbique faueo, & fauisse omnes sanctos Doctores animaduerto, vt non solum remissionem peccatorum obtinere posse martyrium crediderim, si repentinus aliquis casus locum adimat pœnitentiæ, sed etiam vbi locus sit pœnitentiæ, & memoria occurrat peccatorum.

Concil. 2.

Itaque si studio vnius martyrij & effundendi sanguinem pro Christo, nolit fidelis cogitare aliquid de suis peccatis, neque eorum pœnitentiam aliquam assumere, sed totus vacet morti, quæ subeunda sibi est, atque imminere & præsens esse iam cernitur, idque vnum curare velit, quomodo libenter, alacriter, fortiter, & magnanimiter pro fide vsque ad mortem certet, & is quoque per martyrij gratiam, & quidem gloriosissime saluabitur. Nam martyrium, de se sufficiens est remedium ad salutem. Et sicut in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 74. legimus, in eo tota baptismi sacramenta complentur, & peccata non tantum dimittuntur, sed etiam extinguuntur. Et, qui duo nouit media sufficientia ad aliquem finem, prætermisso vno, potest altero contentus esse. Cumque Christus generaliter, & absque vlla exceptione dixerit, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, &c.* trepidare sane videntur, vbi nullus est ti- Matth. 10

mor, qui tum ſolum putant martyrium ad ſalutem poſſe ſufficere, cum locus non eſt pœnitentiæ, neque occurrit memoria peccatorum. Quaſi vero aut debilitas noſtræ memoriæ, aut inopinata ſæuitia inimicorum, efficaciam poſſit & virtutem martyrio tribuere, vel augere.

Et poſſunt iſta firmari ex illis, quæ ſupra induximus, vt hanc eandem virtutem, dilectioni Dei ſuper omnia, aſſereremus. Et
Ioan. 15 enim qui dixit, *Maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis,* ipſis his verbis communes fecit martyrio omnes prærogatiuas caritatis. Quamobrem quæ pro illius gloria ſtatim reſpondimus, eadem & hic pro martyrij gloria dicta, velim, cenſeantur. Nam & eadem pene contra vtranque afferri poſſunt, & eodem omnino modo explicari habent. Sed quædam peculiaria, quæ contra iſtam virtutem quam martyrio tribuimus, induci poſſunt, commodum erit ſeorſum diluere.

CAPVT XXXVIII.

Reſpondetur argumentis contra prærogatiuam martyrij ad obtinendum iuſtitiam.

Obiect. 1. PRIMO argumentantur quidam: Non ſufficit ad iuſtificationem peccatoris voluntas quantumcunq; feruens & efficax moriendi pro Chriſto. Siquidem & hæc eſſe poteſt, & eſt in multis Chriſtianis perſeuerantibus in ſuis peccatis. Neque igitur ſufficiet mors. Nam actus exterior, vt communior & probabilior habet Theologorum opinio, nihil addit ad bonitatem interioris. Et apud Deum voluntas facti vicem habet in eo, quod ſi opportunitas eſſet, eam mandaret executioni.

Reſponſ. Grande tamen, vt diximus, interſtitium eſt inter opus & operis votum. Neq; raro fieri videmus, vt qui eximia facere & perpeti pro Dei gloria, deſiderare ſe aiebant, ac vere deſiderabant, oblata opportunitate, neque minima præſtent, ſed ipſa operum illorum difficultate & periculo victi ac perterriti, turpiter ſuccumbant. Et ideo Chriſtus non hoc tantum iuſtificationis noſtræ priuilegium, voluntati martyrij, ſed duntaxat martyrio conceſſit: neque dixit, Omnis qui voluerit me confiteri: ſed, *Omnis qui confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum, &c.* Et quamuis actus bonus exterior de per ſe, bonitatem interioris non augeat, tamen habere poteſt aliqua priuilegia quæ non habet interior. Datio eleemoſynæ ſufficit ad obtinendum aliquam indulgentiam, quam impetrare non poteſt voluntas dandi. Suſceptio ſacramentorum, ſatis eſt ad conſequendum aliquam gratiam, quam non aſſequitur voluntas ſuſcipiendi. Et martyrium ipſum aureola remuneratur, qua non potitur voluntas illius perferendi. Nihil ergo abſonum, ſi & apud Deum hanc quoque inter alias gratias habere credatur, vt vel ſolum iuſtificare poſſit peccatores, quos iuſtificare nequit ſola illius voluntas. Neque ſine cauſa Deus tantopere martyrium à voluntate & deſiderio ipſius diſiunxit, & eximia hac gloria illud præ alijs exterioribus operibus inſigniuit. Exteriorum actuum ſunt aliqua priuilegia, quibus carent interiores.

Apud homines & hæc ſunt perinde diſcreta, & longiſſimo interuallo admonente, ipſa noſtra natura ſeiuncta. Et voluntas quidem moriendi pro Chriſtiamo, pœnitentia virtualis omnium peccatorum dici non poteſt. Quandoquidem & in perſeuerantibus in peccato inuenitur, & complacentiam in eis valet admittere. Martyrium vero pro Chriſto, nunquam compatitur, neque moraliter profecto poteſt eam compati. Tantæ eſt virtutis & laudis, præſentiues morti pro Dei gloria vel fide obijcere, vt is affectus, ſi occurrerent peccata memoriæ, dolorem de ipſis mox efficeret, vel certe complacentiam in ipſis non admitteret. Quomodo hæreat affectu peccatis, qui vitam pro Dei honore contemnit? Qui ſe ſibi pro illo abnegat, quãdo in eius offenſa, ſciens & volens, permanebit? Martyrium pœnitentia virtualis.

Habet neſcio quam energiam & virtutem, tanto nos periculo, immo detrimento & damno pro eo vltro exponere, vt nullam queat neque actu, neque virtute admittere voluntatem perſeuerandi in ipſius inimicitia. Et vel ex hoc poſſet confirmari propo-

propositum totum nostrum. quoniam vere, præsente morte, sic in Deum affici, pœnitentia quædam est virtualis. Et pœnitentia omnis, vel formalis, vel virtualis, ad remissionem peccatoris satis est.

Obiectio 2.

Secundo potest nobis obijci, quia hæretici & schismatici, etiamsi pro Christo constantissime patiuntur, remissionem suæ hæresis vel schismatis non habebunt.

Cyprian. de simplic. Praelat.

Et hoc Cyprian. diserte tradit in hæc verba: *Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista neq; sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit.* Et paulo inferius: *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiectis bestijs, animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Hæc ille.

Eadem prorsus docet August. ca. 9 lib. 1. contra Donatistas, & in lib. de patientia, ca. 26. & 27. & in sermo. 50. de verbis Domini. Neque opus est hac in re testimonijs sanctorum. Ipsum electionis vas Paulus, inter elogia caritatis hoc quoque adiecit:

1. Cor. 13.

Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Magna vero est distantia inter hæc, & alia peccata. Hæc extra Ecclesiam nos faciunt,

Respons. 1.

quod non faciunt alia peccata etiam grauia. Extra Ecclesiam autem neque martyrium, neque alius aliquis actus tantum aliquod priuilegium habent. Nam Ecclesiæ ista sunt donata, quæ vnica est Christi spōsa, & extra illam, sicut Cyprian. & August. docent, veri sacrificij locus non est. Adhæc:

Respons. 2.

Qui hæresi vel schismati obnoxij sunt, tanta, vt experimur, sunt pertinacia, vt neque si mors sit illis iamiam oppetenda, ab eis actu vel virtute diuellātur. Et ideo illi non prodest martyrium etiam pro Christi nomine, vel pro aliqua fidei caritate susceptum, quia semper in suis peccatis perseuerant. Quod si actu vel virtute ab eis discederent, absque vlla pœnitentia vel solum martyrium posset illos ad iustitiam perducere. Est enim martyrium, teste Aug.

Elogia martyrii.

ser. 49. de sanctis, indulgentia criminum, virtutum caput, occasio iustitiæ, passionis Dominicæ imitatio, & ad regnum cœlorum statim cum exultatione transfert, neque mors est, sed hæreditas vitæ. Sed si sufficit martyrium in vigilante, quare non sufficiet, inquies, etiam in dormiente peccatore, qui dum vigilaret, voluit absolute mori pro fide Christi? Nam voluntatem actualem ad martyrium non requiri, vel Innocentum martyrium potest comprobare.

Obiectio.

Respons.

Quia tamen Inno. 3. expresse diffiniuit, non posse peccatum mortale absque actu peccatoris dimitti, & in peccatore, qui dormiens interficitur, complacentia in peccato vsque ad mortem perseuerat, neque via est, qua in eo pœnitentiam ponamus virtualem: non crediderim, quidquid alij probabile senserint, posse in eo sufficere martyrium ad remissionem peccati mortalis. Originalis sane, quod aliena voluntate contrahitur, potest & martyrium absq; vlla patientis voluntate, remissionem obtinere. Sed mortale deleri non potest absq; propria eius, qui illud admisit, vel formali, vel virtuali pœnitentia.

Maiores de bapt. & eius sent.

Obiect. 4.

Et quando tandem, petes, remissionem peccati obtinet martyrium, cum martyrium non sit ante mortem? Nunquid habebit aliquis gratiam in termino, quam nunquam habuit in via? Sed hunc nodum omnes habemus dissoluere in paruulis.

Responsi.

Neq; enim dubitamus posse eos per martyrium consequi remissionem peccati originalis. Quin constanter omnes cum Aug. & clarissimis alijs Doctoribus, immo cum tota Ecclesia contra Armachanum tuemur, iustificatos fuisse omnes paruulos, qui pro Christo ab Herode occisi sunt, etiamsi qui forte fuerint inter illos nondum sacramento circuncisionis, aut alio aliquo remedio à peccato originali mundati. Pēsatis autem omnibus, ne ponamus aliquos saluari, qui in hac vita semper fuerunt extra Dei gratiam, probabilius in vtrisque apparet, Deum qui omnia nouit antequā fiant tunc largiri gratiam, quæ danda est

Gratia datur martyribus, quando vulnera habent lethalia.

ratio-

Digitized by Google

ratione martyrij, quando lethalia sunt vulnera infixa, ex quibus naturaliter necesse sit mori.

CAPVT XXXIX.

Oratio, commodissima est dispositio ad iustitiam, sed non necessaria, vt iustificationis gratiam possit nonnunquam impetrare.

PRÆTER eas dispositiones, quarum hic meminere Patres, est etiam oratio vtilissima dispositio ad obtinendam iustitiam. Quæ ideo hic, sicut & martyrium, silentio prætερita est, quod vtraq; fidelium magis sit, neque ad impij iustificationem, de qua vna hic agebatur, spectare videatur sed ad eam potius, quæ conuenit lapsis à gratia baptismali. Vt tamen completus sit hic tractatus de præparatione adultorum, & quoniam ea posset ad primam iustificationem impij concurrere, pauca quædam & de illa hoc loco adijciemus.

Proposit. 1. Et quidem orationem vtilem esse cuicunque peccatori ad assequendam iustitiam, vt tenet Hadrianus Quodlibet. 8. conclus. 2. vel exemplum Publicani laudati à Christo, docere abunde nos potest. Descendit enim iustificatus à templo, cum humiliter postulauit veniam sui peccati, dicens: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Vnde & August. super Ioan. dicit: Si Deus non exaudierit peccatores, frustra publicanus diceret: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et pius latro, qui Christi meruit esse comes in passione, oratione sua veniam obtinuit peccatorum. Vbi sensit Christi sanctitatem & diuinitatem, conuersus in eum, orauit: *Domine, memento mei, &c.* Ac mox benignissimum illud Christi responsum meruit, *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23

Et quoniam talem esse dispositionem Niniuitæ, vel ipso lumine naturali admoniti, intellexerunt, ex ore regis & principum eius hoc edictum inter cætera exijt, cũ subuersionem eorum Ionas prædixit, vt clamarent omnes ad Dominum in fortitudine. Neque necessaria tamen est hæc dispositio ad iustitiam, neque in infideli, neque in fideli. Et vehementer hallucinabatur quidam episcopus, sanctitate & doctrina venerandus, qui dum hæc tractarentur in Concilio, contrarium huius nitebatur suadere. Nam pœnitentia secundum omnes sufficit ad salutem, ad eam vero oratio non requiritur, sed satis omnino est auersio à peccatis, & conuersio in Deum per amorem & propositum non peccandi. Neque Petrus, neq; cæteri Apostoli amplius aliquid à Iudæis requirebant, vt obtinerent remissionem peccatorum, quam baptismum & pœnitentiam. Et Dauid sola confessione sui peccati, veniam meruit, vt inferius latissime suo in loco demonstrabimus. Orationis virtus. Proposit. 2.

Vnum vero aliud grauius & diligentiori inquisitione dignum hic est, an sufficere possit oratio ad obtinendum remissionem peccatorum. Et quando in peccatore affectus esset peccandi, aut perseuerandi in peccato, neque actu vel virtute ab admissis offensis animum reuocaret: manifestum est, orationem pro venia peccatorum inutilem & inanem esse. *Si iniquitatem adspexi in corde meo*, ait Psalmista, *non exaudiet Dominus.* Sed si iam actu displicent, quæ male placuerunt, adhuc tamen imperfecte & quantum satis non est ad gratiam, vel si quis ideo non dolet de suis peccatis, quia illa memoria exciderunt, aut alia aliqua ratione ea ignorat inculpabiliter, posset superueniens oratio impetrare veniam peccatorum. Proposit. 3. Psal. 65 Proposit. 4.

Immo si commissa peccata actu non displiceant, sed virtute dũtaxat, & subito aliquo mortis periculo quispiam præuentus, conuersus toto corde ad Dominum, feruenter clamet: *Domine miserere mei:* tantum esse virtutem orationis persuasus sum, & tantum de incomparabili Dei misericordia præsumo, vt & tunc vel solam orationem credam posse satis esse ad remissionem peccatorũ. Et dico, virtute displicere peccata illi, qui ita esset affectus, vt de illis doleret, si vel eorum meminisset, vel locum haberet pœnitentiæ. Vix sane crediderim posse ita feruidam orationem contingere absque pœnitentiæ actu. Ipsa namque cordis com- Proposit. 5.

dis compunctio est, quæ sic cogit exclamare, & implorare Dei misericordiam.

Argum. 1. Sed si id contingat, orationem habere virtutem hanc, ostendisse nobis videtur Matth. 7 Christus, cum dixit: *Petite, & dabitur vobis: Quærite, & inuenietis: Pulsate, & aperietur vobis.* Et ne iustis tantum hæc dici putaremus, continuo subiecit: *Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur.* Et hoc Chrysost. in Matthæum aliquanto dilucidius fecit his verbis: *Omnis qui petit, accipit: siue iustus sit siue peccator.* Et ipse Christus, vt & ad petitionem iustificationis, & remissionis peccatorum, hæc intelligeremus referri, testante Luca, mox addidit: *Si ergo* Luc. 11 *vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Vtque istius orationis Argum. 2. virtus nobis manifestior esset, in parabola illius, qui debebat decem millia talēta, regem Matth. 18 commemorauit dixisse: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me.*

Argum. 3. Atque ex his edoctus est Ioannes, quod postea vniuersæ Ecclesiæ tradidit, dicens: Et hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Quid autem magis secundum voluntatē eius possumus petere, quam nostram iustificatio-1. Tim. 2 nem? *Omnes vult saluare & neminem vult perire.* 1. Thess. 4 *Et voluntas ipsius*, sicut ait Paulus, *sanctificatio nostra est.* Ecclesiast. item hanc potentiam Eccles. 21 orationis, nobis olim expresserat: *Fili*, ait, *peccasti: non adijcias iterum, sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Nunquam ille ad orationem hortatus esset, ea præsertim adiecta particula, Vt tibi dimittantur, nisi certus fuisset, orationem eius esse valoris & meriti apud Deum, vt & veniam queat peccatorum impetrare.

Argum. 4. Et qui omnes ad se confugientes benigne recipit, quomodo credatur despicere eos, qui subitis mortis periculis præuenti, ad vnius ipsius clementiā pia & humili ora-Zach. 1 tione confugiunt? Ipse sane dixit, *Conuertimini ad me; & ego conuertar ad vos.* Neque dubitari potest, quin & conuersio ad ipsum, sit feruens & deuota suæ misericordiæ im-Argum. 5. ploratio. Si apud homines clementes & benignos hanc vim habeat humilis petitio remissionis offensæ sibi illatæ, multo magis profecto & apud Deum, cuius miserationum non est numerus, hanc gratiam oratio habere est censenda. Et si homines, vt iniurias sibi irrogatas condonent, magis humilem petitionem veniæ, aut certe non minus quam earum pœnitentiam respiciunt, & eam petitionem veniæ pœnitentiæ loco habent, neque amplius requirunt, non est cur credamus expertem esse huius virtutis apud Deum orationem humilem, qua nostrorum peccatorum remissionem petimus.

Sed quid est, inquies, quod beatus ille cæcus Euangelicus ait: *Scimus quia peccatores* Ioan. 9 *Deus non exaudit?* Cæci nondum illuminati, dicit Augustinus, fuisse hæc verba. Et de perseuerantibus in peccatis ille loquebatur, non de actu vel virtute illorum pœnitentibus: & de illis ea verba esse intelligenda, docte admodum probat Cyrill. ex Cyrill. 6. in Esa. 1. & Threnor. 3. Verissimumque est, Ioan. c. 10 Deum nō exaudire peccatores, vt testimonium eorum sanctitati per miracula exhibeat. Quare cum miracula illa eximia, de quibus cæcus & Pharisæi tum agebant, in testimonium diuinitatis & sanctitatis Christi fierent, optime cæcus potuit & exinde sanctitatem Christi tueri, quod peccatores Deus non exaudit.

CAPVT XL.

Non omnia opera facta extra gratiam Dei, sunt peccata.

IAM vero ex hactenus dictis manifestū cuiuis esse potest, longissime deuiasse à veritate catholica & Lutherum & Philippum, & Bucerum, qui vt in primo cap. huius libri retulimus, omnia opera facta in peccato, vitiosa & culpæ obnoxia asseuerant. Si omnia ea opera peccata essent, nul- Argum. 1. la profecto ex ipsis, ad gratiam disponerent. Auerterent potius à gratia, quam ad eam nos præpararēt. Et fides certe, & spes, & timor, quæ manifestum est persæpe in- Argum. 2. ueniri in peccato, & gratiam præuenire, si peccata essent, cum sunt in peccatoribus,

Digitized by Google

illis laudibus minime digna essent, quas ab scriptura & sanctis Doctoribus eis tribui docuimus. Non commendat scriptura peccata, non laudat, non palpat, sed obiurgat, carpit, reprehendit. Neque hortaretur tota Ecclesia etiam perseuerantes in peccato, vt per eam vel similia bona opera, se præparent homines ad gratiam, si non esset certum, hæc omnia procul à culpa esse.

Argum 3.

Sed mirandum non est, si Lutherus omnia opera peccatorum damnet, cum & idem ausus fuerit, vt in libro 11, videbimus, peccata asseuerare, omnia opera iustorum. Neque soli Philippus & Bucerus secuti Lutherum, damnarunt omnia opera peccatorum. Idem faciunt vniuersi Protestantes. In Apologia enim confessionis Augustanæ sic lego: Falsum est & hoc, & contumeliosum in Christum, quod non peccent homines facientes præcepta Dei sine gratia. Et paulo inferius: Vere peccant homines etiam cum honesta opera faciunt sine spiritu Sancto, quia faciunt ea impio corde, iuxta illud: *Quidquid non est ex fide peccatum est.* Et ex verbis primo cap. huius libri citatis, & ex his quæ subnectunt, satis indicant, se de gratia, qua iustificamur, hæc dicere, & non de sola gratia auxilij specialis. Sed hoc cum Protestantibus hic expostulare velim: Nonne vos compulsi iam argumentis vobis obiectis, conceditis terrores pauoresque conscientiarum necessarios esse, vt e[-] me si homines à suis peccatis, ad diuinam misericordiam confugiant? Si necessarij sunt, quomodo peccata esse asseritis? Nunquid necessaria sunt peccata ad obtinendam gratiam iustificationis?

Rom. 14.

Argum. 4.

Ad hæc: In confessione Augustana & in reliquis colloquijs, & eas nobis fatentur etiam post lapsum, libertatis vires suppetere, vt valeamus, sicut Augustinus dicit, agros colere, plantare vineas, conuersari cum amicis, & consequi naturalem quandam iustitiam, quam appellant rationis, quæ posita est in vsu rerum secundum rationem, neque ignota fuit philosophis. Et Philippus in Apologia, neque hesperum, neque Luciferum ea pulchriorem, cum Aristotele asseuerat. Quin & eã à Deo ornari corporalibus præmijs asserit, licet non sit meritum iustificationis.

Argum. 5.

Aug. 3. hyp.

Aristot. 5. Ethic.

Quid igitur & illa, quæ ducente ratione facimus, quæque vestris & omnium laudibus digna ducitis, & à Deo præmiari contenditis, peccata erunt? Et vitio dabitis honorem parentum, subuentionem pauperum, administrationem iustitiæ, & obedientiam subditorum, denique ipsum Dei cultum & fidem & spem in ipsum, si fieri ista contingat in peccato? Quid potest esse in naturam nostram, immo in Deum authorem naturæ & orbis iudicẽ, contumeliosius? *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*, ait Deo Abacuc. Et vos non pudet, Deo tantam impietatem tribuere, vt peccata remuneret, quæ vbique auersatur & prohibet? Abac. 1

Quid vero bonum est, si & ea, quæ sunt consona rationi, peccata sunt? Necesse est, quæ facimus, aut consona esse rationi, aut dissona, aut certe, vt multum demus, medium locum inter vtraque tenere. Si ergo & quæ consona sunt rationi, peccata sunt, nihil potest ab homine fieri, quod non malum & peccatum sit. Multo enim magis peccata erunt, quę consona non sunt rationi, sed vel dissona, vel indifferentia. Quod si ita est, mala vtique natura nostra erit, & figmentum non Dei, cuius perfecta sunt opera, sed cacodæmonis potius, vel alicuius mali principij. Omnia siquidem, quæ perfecti suo in genere sunt, & bene aliquid iuxta virtutem & naturam suam possunt operari. Argum. 6.

Et manifesta sane est contradictio, asserere, peccare homines facientes præcepta sine Dei gratia. Deus dicit, *Ego sum Dominus. Custodiant præcepta mea, vt non subiaceant peccato.* Et vos dicitis, etiam facientes præcepta, peccare? Qui peccãt, non faciunt quidem præcepta, sed ea transgrediuntur. Qui seruant præcepta, non peccant. Peccatum, authore Ambrosio, cœlestium est inobedientia mandatorum, & iuxta Augustinum, dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Argum. 7. Leuit. 22

Quid etiam aut magis impie, aut magis absurde dici potest, quam quod Lutherus Argum. 8

non

non veritus est, vt iam citauimus, asserere, liberum arbitrium, dum facit quod in se est, peccare mortaliter? Quam legem prævaricatur, qui facit, quod in se est? Qui potest, non dico, mortale, sed vel minimum peccatum esse, facere quod quis potest, vt Deo obediat, & legem, cui adstrictus est, seruet? Peccatum mortale dirimit vtique gratiam Dei. Si ergo & qui faciunt, quod in se est, peccant mortaliter: nullus erit, neq; esse poterit in hac vita in gratia Dei. Tu itaq; tibi testimonio es, quod sis extra illam, dignus nimirum, qui ad eam nunquam peruenias, cum adnitentes ad eam venire, quantum in te est, impedias.

Argum. 9. Sed qui ita infesti sunt omnibus peccatoribus, vt nihil ab eis boni fieri posse existiment, dent, quod præceptum prætereant, qui in peccato cum sint, præcepta seruant, honorantes pro mediocritate sua parentes, alentes filios & familiam, dantes eleemosynam pauperi, reddentes, vnicuiq; quod debent, audientes diuina officia, cum tenentur: aut si dare, vt certum est, non possunt, cum hæc omnia sint verissimæ obseruationes præceptorum, vt & ipsi consentiunt, agnoscant, longissimè se & à veritate, & à seipsis esse, cum peccare eos aiunt, qui hæc faciunt. Merito profectò sancta nostra Synodus canone 7. asserentibus ista, indixit anathema his verbis: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, &c. anathema sit.* Can. 7

Argum. 10. Et quamuis res ipsa satis perspicua sit, neque testimonijs vllis videatur egere, ad pleniorem tamen confirmationem adijciam pro ista diffinitione testimonia Christi, Apostolorum, & Doctorum Ecclesiæ. Docuit quidem magister omnium Christus veritatem istam, sponsam suam Ecclesiam, idque non semel aut bis, sed sæpe. Eleemosynam factam bona intentione, omnibus absque vlla prorsus exceptione remunerandam pollicetur. *Quicunq;*, inquit, *potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Remittere offensas nobis illatas, & diligere inimicos, & bene mereri de ipsis vtile esse exprimit ad consequendum remissionem peccatorum nostrorum. *Si dimiseritis*, ait, *hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra.* Matth. 10

Non enim, sicut bene in hæc verba notauit Chrysostomus, prius Deus dimittit nobis, & postea nos debitoribus nostris, sed vult Deus, vt prius dimittamus, & postea petamus dimissionem. Vnde & alibi ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis.* Scribas etiam ac Pharisæos, quod decimarent mentham & anethum & cyminum, non improbat, sed ait: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Tametsi namque hypocritæ illi erant, ac fortassis, vt Chrysostomus in hæc verba dicit, etiam minimarum illarum rerum decimas ostentandæ religionis gratia offerebant, tamen hæc bene poterant fieri ab illis, qui essent in peccato, & quæ grauiora sunt legis, intermitterent. Et dum pleraque alia facta à peccatoribus commemorauit, neque tamen reprehendit, hoc ipso bona quidem illa in suo genere fuisse ostendit, quamuis non sufficientia ad iustitiam, quæ omnium mandatorum obseruationem requirit. Luc. 6 Matth. 23

Et imitatus suum magistrum Paulus, Corinthijs, inter quos sciebat esse plerosq; peccatores, nulla facta inter eos & iustos distinctione scribit: *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti.* Et aliquanto post: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quibus verbis demonstrat, hæc quidem bona esse opera, sed ad vitam æternam minimè sufficere, nisi caritati sint coniuncta. Nam si hæc quoque mala opera sunt, & non potius illis, quæ iam expresserat, longe anteferenda: quorsum attinebat ea attingere, cum eorum commemoratione necessitatem caritatis nihil faceret manifestiorem.

Petrus etiam commemoratis aliquibus bonis operibus, quorum studium seruare possit iustos in gratia, vt ea & in iustis & in peccatoribus procul esse à peccato ostenderet.

2. Pet. 1. deret, generaliter ſubdit: *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.*

Habemus & teſtimonium angelorum pro hac veritate. Nã & Cornelio dixit angelus, exauditas fuiſſe ipſius eleemoſynas & orationes in conſpectu Dei, vt adduceretur ad fidem Chriſti, & ſaluus fieret cum omni domo ſua. Non autem exaudit Dominus opera aut orationes malas. Et in veteri teſtamento legimus obſtetricibus Pharaonis ædificaſſe Deum domos, quia timuerunt Deum, neq; ad præceptum Pharaonis auſæ ſunt pueros Hebræorum interficere: neque tamen habemus, vnde illas probemus in gratia Dei tum fuiſſe: quinimo veriſimile eſt, vt alios Ægyptios, peccato idolatriç obnoxias nihilo ſecius fuiſſe.

Auguſt. de ſpi. & lit. c. 28. Agnouerunt item hanc doctrinam Doctores Eccleſiæ. Auguſtinus: *Nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillime vita cuiuslibet peßimi hominis inuenitur.* Et in lib. de patientia, cap. 26. dicit, nullo modo eſſe culpandam, ſed potius laudandam patientiam, qua ſchiſmaticus timore Gehennarum, & ignis æterni, mala aliqua tolerat, aut etiam mortem, ne neget Chriſtum. Et cap. 27. & 28. patientia hanc & fidem, qua credit ille ſupplicio æterno ſe fore puniendum, ſi neget, bonas eſſe, & inter dona Dei computandas, affirmat.

Hieronymus in illa verba Pauli ad Galat. 5. *Sed fides quæ per caritatem operatur.* Quomodo, iuxta Apoſtolum Iacobum, fides abſque operibus mortua eſt, ſic abſq; fide, quamuis bona opera, mortua computantur. Vides vt non ſolum abſque gratia, ſed etiam abſque fide crediderit Hieronymus, poſſe inueniri bona opera, quamuis mortua, id eſt, ad vitam æternam inutilia. Et idem alibi ſic ſcribit, referente Gratiano, de pœn. d. 3. Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quemquã aliqua, quæ iuſta ſunt, non eſt tam iniuſtus Deus, vt propter mala multa obliuiſcatur paucorum bonorum.

Ibid. Quid. [illegible] Chryſoſt. hanc putat eſſe cauſam, propter quam aliqua proſpera ſuccedunt malis & aliqua aduerſa bonis. Eſt, inquit, & alia ratio, quia non poteſt vel malus in omnibus malus eſſe, ſed habet aliqua bona: neque bonus in omnibus eſſe bonus, ſed habet aliqua peccata. Gregorius ideo exiſtimat Abraham dixiſſe diuiti epuloni, Recepiſti bona in vita tua, quia habuit aliquod bonum, quod in præſenti ſeculo erat remunerandum. Greg. ho. 40 in 4.

Scholaſtici Doctores conſonantiſſime hanc doctrinam, vt certam tradunt, & opera facta in peccato mortali, docent prodeſſe non ſolum ad faciendum nos promptiores ad bonum, & tardiores ad malum, & ad diſponendum nos, & perducendum ad Dei gratiam, & vitandum peccata, ac proinde & ad tolerabilius extremi iudicij ſupplicium ſubeundum, ſed etiam ad impetrandum à Deo bona aliqua temporalia. Et Scotiſtæ, & aliqui ex Nominalibus, addũt ea vtilia eſſe ad remiſſionem peccatorum venialium, & ad ſatisfaciendum pro peccatis mortalibus iam dimiſſis.

CAPVT XLI.

Reſponſio ad argumenta damnantium omnia opera peccatorum.

OPERÆ PRECIVM tamen erit videre, quibus argumentis tantum hunc errorem nitantur ſuadere. Huius, inquiunt, vbi ſupra, noſtræ ſententiæ teſtimonia habemus non ſolum in ſcripturis, ſed etiam ex Patribus. Nam Auguſtinus copioſe diſputat contra Pelagianos, gratiam non dari propter merita noſtra. Et de natura & gratia, inquit, ſi poſſibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoſcendum quomodo viuere debeat, & ad bene viuendum ſufficit ſibi, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis: Cur non etiam ego, addit Melanchthon, hic exclamem? immo exclamabo, & iſtos increpabo dolore Chriſtiano: Euacuati eſtis à Chriſto, qui à natura iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Obiect. 1.

Duplicite rtamen in hoc argumento, & quidem turpiſſime, labuntur. Primo: Opera bona præcedentia gratiam iuſtificantem poſſunt eſſe à gratia auxilij ſpecialis, neque à ſolis viribus naturalibus proficiſcuntur. Reſpon.

Deum-

Deinde collectio ista nulla est. Præcedunt gratiam aliqua opera bona, ergo illa datur secundum merita. Bonitas moralis tanta non est, vt sit meritoria iustificationis. Neque aliquis ex nostris concessit vnquam, absolute gratiam dari secundum merita, aut rationem aliquam iustitiæ in operibus nostris constituit respectu iustificationis.

Obiect. Sed vniuersa (instant) opera nostra inficit & commaculat concupiscentia originalis, cui obnoxij semper sumus, quamdiu hic viuimus, & multo magis, cum sumus in peccato.

Respon. Vnde vero, precor, quæ à natura nobis inest concupiscentia, neq; iam imputatur in peccatum, inficere posset opera, quæ non oriuntur ex ea, sed ex intentione boni & honesti? Certe nullum opus ex genere suo bonum, inficitur etiam à peccato mortali ei coniuncto, nisi fiat ex intentione illius, sicut contingeret, cum quis intentione fallendi daret eleemosynam, vel studeret.

Obiect. 3. Ioan. 7 Matt. 7 Ioan. 15 Cur tamen, dices, Christus dixit, *Quod natum est ex carne, caro est?* Et iterum: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Et rursus: *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic neque vos, nisi in me manseritis.* Si peccatores, qui arbores malæ sunt, & carnales, neque in Christo manent, facere aliqua bona opera possunt: poterit, quod natum est ex carne, caro non esse: & arbor mala, & præcisus à Christo palmes, ferre valebunt fructum bonum.

Respon. Possunt quidem hæc testimonia facilè retorqueri in hæreticos. Sed id commodius libro vndecimo faciemus. Nolo hic litem lite resoluere. Esto itaque, caro sit, quod natum est ex carne, neque spiritualium nomine censeantur opera, nisi quæ fiunt per inhabitantis spiritus auxilium, inde quidem non recte colligis, ea esse mala. Caro namque mala non est, quamuis eam longe antecellat spiritus. Et licet bona meritoria facta à iustis, præcellentiora sint, & superioris ordinis, quam bona facta à peccatoribus: non inde tamen consequitur, mala esse, quæcunq; fiunt à peccatoribus. Est caro medium inter spiritum & malum: & bona, facta à peccatoribus, media quædam bona sunt inter bona meritoria iustorum, & peccata. Et propterea hæc media bona, fructuum nomine indigna Christus censuit, quia ad vitam æternam nihil prosunt.

Obiectio 4. Tit. 1 Quid rursus, inquies, Paulus ait: *Omnia munda mundis*, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum? Si operantur peccatores aliqua bona, erit & in eis aliquid mundum.

Respon. Ipse tamen Paulus se aperuit, cum statim addidit: *Sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia.* Vnde Chrysostomus ibi: *Sed nunquid inquinata sunt omnia? Absit, non hoc ille dixit. Mala tantum voluntas immunda est, non alia quæ sunt Dei opera.*

Deniq; obijcitur, omnium opera infidelium saltem esse peccata, quia Paulus dicit: *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Et Augustinus libro quarto contra Iulianum, cap. 3. & in Psalmum 32. & 3. Hypognosticon, & cap. 10. de prædestinatione Sanctorum, expresse dicit, in infidelibus nulla esse bona opera. Et idem Chrysostomus asserit in sermone de fide & lege & Spiritu sancto. Sunt qui hunc errorem Gregor. Ariminensi inurere velint.

Respon. 1. Sed si bene expendantur, quæ ille in solutione argumentorum q. 1. d. 26. 2. asseruit, perspicuum erit, de solis illis infidelibus id eum sensisse, qui neque DEVM nossent esse vllum. Et in eam opinionem incidit, qui testimonijs quibusdam Augustini male intellectis persuasus est, ad bonitatem moralem necessariam esse relationem in Deum.

Sed illius opinio summo quidem iure explosa est ab scholis, & prævalidis in eum argumentis ostensum est, & eos quoque infideles bona aliqua posse operari. Quia & disponi possunt ad gratiam, ad quam nemo venit per peccata, & ad implendā bonis operibus præcepta legis naturalis obligantur: neque peccant, aut inducunt ad peccata, qui illos hortantur ad ea seruanda, neque præstat eis dormire, quam illorum obseruationi vacare. Et quod Paulus ait, *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* aut contrarie debet intelligi in hūc sensum

Digitized by Google

vt omne illud peccatum ſit, quod ex infidelitate procedit, & ſic ſanctus Thomas exponit 22. quæſt. 10. artic. 4. aut certe, vt præclari authores ediſſerunt, & circuniacentia videntur poſtulare, fides ibi capitur pro conſcientia. Senſuſq́; eſt: Omne quod eſt contra conſcientiam, peccatum eſt: ſiue vt communiter dicitur, ædificat ad Gehennam.

Auguſtinus vero & Chryſoſtomus & alij ſancti, cum dicunt, nullum eſſe bonum extra fidem, illud ſolum bonum appellant, quod vel meritorium eſt beatitudinis, vel ad veram pietatem & iuſtitiam conducit. Et ita Auguſtinum locutum de bono, multis ipſius teſtimonijs ad finem q. 12. opuſculi de iuſtificatione, manifeſtum fecimus. Idemque liquere poteſt ex libro de perfectione iuſtitiæ, vbi concedit Cœleſtio, poſſe hominem per vires liberi arbitrij velle nubere, & in eo non peccare.

Et Chryſoſtomus in loco citato concedit, in Cornelio fuiſſe aliqua bona opera ante fidem Chriſti, etiamſi ante eam, contendat, non fuiſſe illum iuſtificatum. Et cum homilia 29. in Matth. dicit, veritatem confiteri, & iuſtitiam facere, proprium opus eſſe ſanctorum, atque eis dumtaxat competere, iuſtitiam vocat plenam obſeruationem mandatorum, quæ nulli peccatorum contingit. Nulla itaque culpa accedit diſpoſitionibus ad gratiam à Patribus expoſitis, neque ex hoc quod fiant abſque fide, neque peccatum etiam infidelitatis, ſiquidem in eo non perſiſtatur, impedimento erit, quo minus illæ ad gratiam nos præparent.

CAPVT XLII.

Non eo peccant grauius peccatores, quo ſe feruentius ad gratiam diſponunt, ſed eo potius maiorem gratiam aſſequuntur.

Concluſio. ERRANT igitur vehementer hæretici quidam noſtri temporis, qui aſſeuerant, eo peccatores magis peccare, quo flagrantius ſe ad gratiam diſponunt. Nam ſi aliqua opera fiunt à peccatoribus, quæ omni culpa vacent, illa maximè talia ſunt, quibus ſe ipſi ad gratiam præparant, & bona tanto meliora ſunt, quanto maiori ſtudio & affectu fiunt. Vnde ſancta Synodus can. 7. iuſtiſſimè anathema indixit aſſerentibus, peccatores tanto grauius peccare, quanto vehementius nituntur ſe ad gratiam diſponere.

Neque opus eſt, vt hanc Patrum ſententiam teſtimonijs aliquibus Scripturarum comprobemus. Tota Scriptura pro illa pugnat. Vbi non & Chriſtus, & Apoſtoli, & Prophetæ peccatores exhortantur ad pœnitentiam? Vbi non, vt ſe ad Deum conuertant? Vbi non, vt in eum credant, & ſperent, vt eum timeant, & ament, & mandata illius ſeruent? Quid autem hæc ſunt alia, quàm diſpoſitiones ad gratiam? Hic eſt omnis fructus, ait Eſaias, vt auferatur peccatum. Quomodo vero auferatur peccatum, niſi nos diſponamus ad gratiam? Neminem, teſte Chryſoſtomo homil. 14. in Matthæum, ad regnũ ſuum recipit, niſi ipſe voluerit: neque operatur in aliquo voluntates ſuas, niſi ipſe cõſenſerit. Et quæ iſta amentia eſt? Mitto ſcripturas. Quis ita deleret inſanus? Nunquid ambire amicitiam Dei, peccatum eſt? Et cuius ergo ambire amicitiam liceat, ſi DEI non licet? Si laude dignum eſt conceſſam gratiam tueri, & tanto quiſque ſanctior eſt, & amplioribus dignus gloria habetur, quanto maiorem ſollicitudinem, operam, & diligentiam gratiæ ſeruandæ adhibet: erit & ſanctum, Dei quærere & curare habere gratiam: & tanto melius & ſanctius peccator quiſque operabitur, quanto ſtudioſius & magis obnixe operam ſuam ibi collocauerit. Quo item præcepto prohibitum vnquam fuit hoc? Quæ circũſtantia dici aut fingi poteſt, quæ vitiet, aut aggrauet rei vſque adeo neceſſariæ ſolicitudinem omnem noſtram, & curam, & diligentiam adhibere? Profectò eiuſmodi ſunt pleræque hæreſes noſtræ tempeſtatis, vt nonniſi ſtipitibus & truncis, & ab omni ratione alienis ſuaderi queant. Quis poteſt eſſe ſanctior conatus? Quod religioſius ſtudium, quàm ſumma vi & ope niti & ſatagere, vt redeamus in gra-

Argum. 1. Argum. 2. Argum. 3.

gratiam cum Deo? Quis zelator, aut prædicator Euangelij non eo præcipuè spectat, vt peccatores excitet & extimulet ad disponendum se feruenter ad Dei gratiam?

Reuincitur alter error Lutheri.
Argum. 1.

Eisdemq; pene argumentis reuinci potest, quod in capitulo primo huius libri ex Luthero retulimus, Contritionem, quæ paratur per collectionem & discussionem & detestationem peccatorum, facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, &c. Quid peccabat Ezechias, recogitando annos suos in amaritudine animæ suæ? Quid Dauid, ponderando grauitatem, multitudinem & turpitudinem suorum peccatorum? Nonne & hac via inuenit misericordiam apud Deum, & omnibus seculis admirandum exemplum pœnitentiæ sese exhibuit?

Argum. 2.
Hier. 2

Certe ad considerandum grauitatem nostrorum peccatorum exhortatur Deus per Hieremiam dicens: *Scito & vide, quam malum est dereliquisse te Dominum Deum tuum, & timorem eius non esse apud te.* Et ad considerandum à quanta gloria excidisset, exhortatus est præpositum angelum Ephesi Deus per Ioannem, dicens: *Memor itaque esto, vnde excideris, & age pœnitentiā.* Et quoties vel Christus, vel Apostoli, vel Prophetæ æternam condemnationem comminati sunt peccatoribus perseuerantibus in suis peccatis, toties ad considerandas impendentes ipsis pœnas eos induxerunt. Neq; nisi impientissime potest quis dicere, hoc fuisse peccatum. Fuisset vero, si induxisset homines ad peccata sua aggrauandum.

Apoc. 2
Argum. 3.

Melior dispositio impetrat maiorem gratiam.

Adeo vero falsum est, eum grauius peccare, qui vehementius nititur se disponere ad gratiam: vt contra verissimum sit, eo maiorem & augustiorem gratiam peccatores obtinere, & tanto plenius & præcellentius à Deo iustificari, quanto se illi melius & feruentius ad gratiam disposuerint. Atque hanc veritatem diffiniuit hæc sancta Synodus in 7. ca. his verbis: *Demum vnica formalis causa nostræ s. iustificationis, est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ & non modo reputamur, sed vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem.*

In his verbis, *secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem*, non tantum confirmata est veritas de necessitate dispositionis nostræ, & cooperationis ad iustitiam, quam in principio huius libri contra hæreticos huius nostræ tempestatis firmauimus, sed & damnatus est error Martini Lutheri, asserentis, vt infra libr. 10. docebimus, omnes iustos æquales esse in gratia & gloria: & confirmata est communis scholasticorum opinio, affirmantium peccatores non resurgere ad æqualem gratiam, sed ad maiorem & maiorem, pro modo & mensura suę contritionis. Et si verum esset, vt antiqui Theologi tradunt, non totam gratiam deperditam reparari per quamuis pœnitentiam, consequenter ad diffinita hic à Patribus, deberet dici, tanto plus ipsius gratiæ reparari, quanto se peccatores perfectius in Deum conuerterint. Neque suo ex capite ista diffiniuit sancta Synodus. Tradiderunt & hæc nobis concorditer Patres nostri. Cyprianus de gratia diuina sic ait: *Manat iugiter, exuberat affluenter: nostrum tantum sitiat pectus, & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratia inundantis haurimus.* Hieronymus cum vellet suadere contra Iouinianum ex verbis illis Pauli, *Vnicuique data est gratia iuxta mensuram gratiæ Christi:* non æqualia esse iustorum merita, neque ex æquo cōmunicari omnibus gratiam: ita subdit, *Non quod mensura Christi diuersa sit, sed tantum gratiæ eius infunditur, quantum haurire valemus.* Hæc Hieronymus. Quid est, quantum haurire valemus, nisi quantum bonis conatibus & dispositionibus nos disponimus, & vt eam participemus & assequamur, laboramus? Tanto enim quisque plus illius particeps efficitur, quanto plus adnititur & contendit eam participare.

Argum. 2.
Cypr. epist. 2. lib. 2.
Hier. 2. cont. Iouin.

Augustinus tractans illa verba; *De plenitudine eius omnes accepimus:* ita scribit, *Ex eius itaque plenitudine accepimus pro modulo nostro, tanquam particulas nostras, sicut Deus partitus est mensuram fidei.* Et tractatu 74. super Ioannem,

August. lib. de gratia, & lib. arb. c. 9.

nem, declarat illa verba Ioannis Baptistæ, *Non ad mensuram dat Deus spiritum* de solo filio Dei esse intelligenda. Et addit, *Cæteris autem ad mensuram, datur, & datus additur, donec vnicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur.* Et hoc probat ex verbis Apostoli: *Et vnicuique, sicut Deus partitus est mensuram fidei.*

Argum. 2. Et qui sic tradidit talenta seruis suis, vt vni daret quinq;, alij vero duo, alij autem vnum, & vnicuique secundum propriam virtutem: satis indicauit, se ita gratiam distribuere seruis suis, vt vni det maiorem, & alij minorem, perinde ac se quisq; ie ad eam recipiendam disposuerit. Nam talentum, cum quo iubemur negotiari, & merita regni cœlorum acquirere gratia est: & nunquam Deus tam inæqualiter diuisisset talenta, nisi ad gratiam se vnus melius, quam alter, disponeret. Non enim spectat Deus in gratiæ communicatione virtutem futuram, sed præsentem. Alioqui nullum dedisset talentum ei, qui illud abscondit in terra. Vnde & Chrysost. super hæc verba, Non inuidens alijs plus dedit, alijs minus, sed considerans diuersitatem fidei eorum. Neque quasi acceptor personarum, fecit differentiam gratiarum. Quodque non personas adspexerit, sed virtutem, statim probat, quia remunerauit laborem seruorum iuxta vniuscuiusque meritum.

Argum. 3. Et vel hoc argumentum indubitatam istam Patrum sententiam deberet omnibus efficere: quia, vt infra certissimis vtriusque paginæ testimonijs docebimus, libr. 10. & ex ista parabola constat, tanto Deus cumulatiora beatitudinis præmia suis sanctis largietur, quanto illi se ad eam habendam melius & perfectius per bona opera præparauerint. Sicut autem bona merita ad beatitudinem disponunt, ita bonæ dispositiones ad gratiam. Neque est cur magis in beatitudine, quam in gratia largiendo, credatur Deus seruare proportionem præmij ad laborem, quam iustitia distributiua videtur requirere.

Argum. 4. Quod si propter suauissimam sapientiæ diuinæ administrationem hoc perpetuo à Deo seruari etiam in rebus naturalibus videmus, vt melioribus dispositionibus meliores quoque succedant formæ, & in moralibus tanto homines ad maiorem gratiam eos qui illos offenderunt, recipiant, quanto ad eos humilius & feruentius redierint & maiori affectu veniam suæ offensæ postulauerint: & Deus sine dubio, qui æquissimus est omnium iudex & Dominus, melioribus non tantum meritis, sed dispositionibus, pleniora & augustiora gratiæ & gloriæ præmia largietur. Et hoc postulat Topica illa Aristotelis sententia, mentibus nostris à natura inserta: Sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maxime ad maxime. Quam vero ex nostris omnibus dispositionibus Deus maxime respiciat, vt nos iustificet, non omnino certum est. Profecto, vt in opusculo de iustificatione q. 3. luculenter probauimus contra Melanchthonem, non magis respicit fidem quam dispositiones alias, sed multo magis sui dilectionem. Tenet quippe caritas in omnibus primatum. Et August. ipsam cunctis vbique præfert in tractatibus, in sermonibus, in Psalmos sic dicens. Ipsam habeto, & cuncta habebis: quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potueris. Extinguit dilecta, & ab ea pendent vniuersa. Sola est quæ & vincit omnia, & sine qua nihil prosunt omnia, & quæ vbicunque fuerit, trahit ad se omnia. Hæc omnium arx est virtutum, hæc promissio regni, hæc præmium summum est sanctorum. Caritas oleo comparatur. Quomodo oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus, ita caritas omnibus virtutibus sublimior comprobatur. In omnibus scripturis supereminentissimam viam & supereminentissimum locum caritas obtinet. Docet & Ambr. hunc principatum caritatis supra fidem & spem. Quid tamen opus est Doctorum testimonio? Ipse Paulus maiorem fide & spe dicit caritatem. Et cur non potentissima sit ad iustificandum, quę omnium virtutum maxima est, Deoque gratissima, & ipsarum forma, vita, decus, & regina? Post illa tamen fortassis pœnitentia magis respicitur à Deo. Quoniam licet fides, spes & oratio, ad præstantiores spe-

Aug. tract. 83. in Ioan. tract. 1. Serm. 39. de temp. 50. de ver. do.

53. de temp. 50. in Psal. 103. Ambr. epist. 74. 1. Cor. 13

ctent virtutes, tamen pœnitentiæ propriũ & peculiare esse videtur, nos Deo reconciliare, & nullum aliud remedium sine alia, actu vel virtute, hoc potest, ipsa vero vel sola absque præsentia aliarũ virtutum hoc posset. Sed hæc exacte scire, non perinde nostra refert. Deus optime omnia computauerit & æstimauerit, ac dignum cuique virtuti præmium largietur. Illud vnum ad nos spectat, vt promptissime & feruentissime fide, timore, spe, caritate, oratione, pœnitentia, & proposito seruandi mandata, nos in eum totos conuertamus, certi tanto nos abundantius gratiæ iustificationis fore participes, quanto nos tantæ ipsius munificentiæ melius & perfectius per Christi gratiam aptabimus. Cui sit gloria & laus ab omni creatura, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE CAVSIS IVSTIFICATIONIS LIB. SEPTIMVS IN CAP. VII. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

PROGREDITVR sancta Synodus quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Et cum pulcherrima de gratia iustificationis, & de præparatione ad ipsam, tradiderit: nunc grauissima, & omni animaduersione digna, de ipsa iustificatione & de causis eius, filios suos edocet. Quoniam verò quæ de iustificatione ipsa hîc adiecit, iam libro quinto cum his, quæ eadem de re tradita erant, in quarto capite copiosè exposuimus, ea præcipuè hîc persequemur, quæ ad causas iustificationis spectant. Eoque nomine librum hunc septimum de causis iustificationis prænotabimus. Atque eum, Deo Opt. Max. totius iustitiæ fonte & authore confisi, ab ipsa S. Synodi diffinitione inchoabimus.

QVID SIT JUSTIFICATIO JMPII, ET QVÆ EIVS CAVSÆ.

Caput Septimum.

HANC dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt: Finalis quidem gloria Dei & Christi, ac vita æterna. Efficiens verò, misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & vngens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Meritoria autem, dilectissimus vnigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit. Instrumentalis item, sacramentum baptismi quod est sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio. Demum vnica formalis causa, est iusti-

T

iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisq; suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Christi IESV Domini nostri communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atq; ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neq; vnit perfectè cum Christo, neq; corporis eius viuum membrum efficit. Qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & ociosam esse, & in Christo IESV neq; circumcisionem aliquid valere, neq; præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Vnde & statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Itaq; veram & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam, pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam, iubentur statim renati conseruare, vt eam perferant ante tribunal Domini nostri IESV Christi, & habeant vitam æternam.*

Matth. 19

CAPVT I.

De decem nostræ iustificationis causis, reducibilibus ad quatuor.

VT apertiora & magis perspicua sint, quæ Patres hoc loco de causis nostræ iustificationis tradidere, de multiplici causa nostræ iustificationis paucula quædam ante omnia differemus, atque in eis summam quandam & compendium totius huius libri, ob oculos lectori ponemus. Porro ex Philosophis, qui præstantissimi habentur, quatuor duntaxat genera causarum statuere, finalem, efficientem, formalem, & materialem. Atque ad hæc reduci facile possunt, quæ recentiores nonnulli, causa maioris explicationis, aliquando adijciunt. Et quod illi in genere de omnium causis docuere, hoc nos de nostræ iustificationis causis intelligere debemus. Enimuero Finalis causa nostræ iustificationis, vltimata quidem, Deus ipse est: non vltimata vero, Christi gloria & nostra vita æterna. Formalis vero, gratia ipsius, vel acceptatio passiua, qua iusti nominamur & sumus. Materialis sine (vt alij vocant) subiectiua, anima nostra, vel nosipsi. Efficiens autem, non vna, sed multiplex est. Concurrunt enim ad nostram iustificationem efficiendam permulta; nempe Deus, Christus, sacramenta, sacerdos, nosipsi, actus nostri. Et in istis inuenire licet, omnia genera causarum, quæ neoterici Philosophi recensent. Nam ea omnia sub efficiente computari possunt, & ad eam reducuntur.

Causæ iustificationis.

Finalis.

Formalis.

Materialis.

Septuplex causa efficiens.

Efficiens causa principalis, Deus est. Efficiens minus principalis, seu instrumentalis, Christus & sacramenta. Præparatoria, nosipsi, & qui nos ad ea exhortantur & inflammant, quæ à nobis requiruntur, vt iustificemur. Meritoria causa & exemplaris, Christus est: Dispositiua, actus nostri: Ministerialis, sacerdotes, qui administrant nobis sacramenta. Itaque si libeat, decem causas nostræ iustificationis [illegible] computare, facile patet, quemadmodum [illegible] sint reduci ad quatuor illa præcip[illegible] & genera causarum, quorum [illegible] meminisse videntur antiq[illegible] Philosophi. Exponamus igitur [illegible] Synodus circa hæc decreuit.

Efficiens principalis.

Minus principalis.

Præparatoria.

Meritoria.

Dispositiua.

Ministerialis.

C A-

CAPVT II.

De quinque præcipue hic diffinitis à Concilio.

Primum diffinitum

QVINQVE præcipua video, à Patribus esse in hoc capite diffinita, præter illa, quæ ad explicationem iustificationis spectant, iam exposuimus. Primo, quidem stabilitur quintuplex causa nostræ iustificationis. Et finalis asseritur esse gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens, Deus ipse: meritoria, Christus: instrumentalis, baptismus: formalis, vnica iustitia nobis infusa. Et non sine causa contenti fuere Patres causam finalem, efficientem, meritoriam, instrumentalem, & formalem nostræ iustificationis hoc loco duntaxat exponere. Sunt hæ quidem præcipuæ causæ iustificationis, & de illis præsertim hoc tempore certatum est, atque authoritate Concilij oportebat his concertationibus & controuersijs finem aliquando imponi. Nam quod causa materialis, seu subiectiua nostræ iustificationis, nosipsi simus, qui iustificamur vel animæ nostræ, nullum vnquam dubium fuit. Et scholis relinquendum erat, an iustitiam ipsam, qua formaliter iustificamur, animæ nostræ per se suscipiant, an potius per voluntatem, aut alias ipsarum potentias. Christum etiam esse causam exemplarem nostræ iustificationis, & sacerdotes, qui ministrant nobis sacramenta, causam esse ministerialem, nos vero ipsos, & eos, qui nos ad pœnitentiam & bona opera exhortantur, esse causas præparatorias, nemo est qui ambigat. Et ministerialis ad instrumentalem reducitur: exemplaris vero, meritoriaque & præparatoria & dispositiua, ad efficientem, vt iam explicuimus. De dispositiua item, quæ quidem actus sunt nostri, satis in proximo capite dictum fuerat, & in hoc eodem capitulo, vt vltimo cap. lib. 6. docuimus, ea ipsius mentio statim fit, quæ sufficiat ad elidendum errorem eorum, qui putant præparationes nostras nullo modo esse causas gratiæ. Ideo autem neque efficiens causa nostræ iustificationis, neque instrumentalis dictus est Christus, sed duntaxat meritoria, quia non satis certum est, an quatenus homo aliter effecerit nostram iustificationem, quam merendo illam, & satisfaciendo.

Cur s. tantum causarum iustificationis meminerit S. Synod.

Quare Christus non sit dictus causa efficiens, neque instrumentalis.

Sed causa instrumentalis, solus baptismus est dictus, non quod huiusmodi efficientia soli baptismo peculiaris sit. Habent eam omnia nouæ legis sacramenta, licet vnum alio maioris gratiæ productiuum sit. Propterea tamen solius baptismi hic est mentio facta, quia ianua ille est omnium sacramentorum, & principium exterius & visibile nostræ iustificationis. Sacramentumque fidei perquam commode est appellatum. Nam per baptismum incipimus esse membra & partes Ecclesiæ, quæ est congregatio fidelium: & virtute illius primo datur hominibus fides, & in eo primo fit professio fidei, immo ipse, professio quædam fidei est. Adulti venientes ad fidē ibi primo nomen suum fidei dant, & se ad eam obseruandam adstringunt. Paruuli vero fidem per verba gestantium profitentur, sicut Augustinus dicit ad Bonifacium, epist. 23. & capite 19. lib 1. de peccatorum meritis & remiss. Vnde & capite 27. subdit: *Quis nesciat, credere esse infantibus baptizari?* Qua re tam paruuli, quam adulti, vbi baptismum susceperint, cogi possunt ad obseruationem fidei: & siquidem ab ea recesserint, vt hæretici & apostatæ, puniri. Idq́; diffiniuit Innocentius 3. in Concil. Latera. cap. 70. & confirmauit hæc sancta Synodus sessione 7. can. 14. de baptismo.

Quare solus baptismus causa instrumentalis est dictus.

Didicerunt vero Patres sic baptismum appellare ex August. lib. 1. contra Donatist. cap. 8. Qui & epist. 23. *Quid est, paruulos habere fidem, nisi fidei sacramentum?* Et in quadam Niceni Concilij præfatione legimus, Dominicum fidei signaculum appellatum à quodam seniore Episcopo, qui in conspectu totius illius sacri Concilij, admirabili ac plane diuina virtute philosophū quendam ad fidem conuertit, & vt sacramentum baptismatis susciperet, mox persuasit. Et Ambrosius super illa verba Pauli, *Sed sanctificati estis, &c.* vocat baptismum fundamentum Euangelicæ veritatis. Secundo diffinitum est à Patribus, & capite octauo

C. Maiores, de baptism. & eius effectu.

1. Cor. 6

2. Diffinitum.

ſtatim reperitur, iuſtificationem nulli ſine fide contigiſſe. Quod quia in ſexto & octauo libro fuſiſſime proſequuti ſumus, hic intactum præteribimus.

3. Tertio diffinitum eſt, non æqualem eſſe omnium iuſtorum iuſtitiam, ſed quoſdam eſſe alijs præcellentiores & iuſtiores. Et hanc inæqualitatem partim ex diuina voluntate, partim ex noſtra proficiſci, explicuere illis verbis, *Secundum menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.* Verum hæc luculenter in proximi libri capite vltimo firmauimus. Quarto

4. diffinitum eſt, in ipſa iuſtificatione ſimul cum remiſſione peccatorum, accipere hominem fidem, ſpem, & caritatem. Ex quo inſinuari videtur, vt poſtea docebimus, virtutes has connexas eſſe, quoad infuſionem.

5. Quinto diffinitum eſt, Fidem ſine operibus mortuam eſſe & ocioſam. Sicut enim ocioſus eſt, qui nihil operatur: ita fides ocioſa eſt, cum nullos ex ſe gignit bonorum operum fructus. Et ſicut mortuum corpus cenſetur, quod anima eſt deſtitutum, quæ vita ipſius eſt: ita fides & cæteræ virtutes mortuæ cenſentur, cum à caritate ſeiunctæ ſunt, qua forma eſt & vita ipſarum.

In his autem, & quæ ſequuntur vſq; ad finem capituli, aperte damnatur error præcipuus hæreticorum noſtri temporis, qui fuit olim Eunomij & aliorum hæreticorum, qui teſte Auguſtino etiam tempore Apoſtolorum docuerunt, ſolam fidem ſine operibus ſufficere ad iuſtitiam acquirendam & ſeruandam. Qua de re latiſſime egimus in opuſculo de iuſtificatione, & infra libro nono q. 2. nonnihil adijciemus. Neque mirari quis debet, Patres hoc loco veritatem fidei ex ritu baptiſmi ſeruato ab Eccleſia oſtendiſſe. Olim idem factitauerunt Patres in Concilio Mileuitano, cum ex forma baptiſmatis paruulorum, probarunt contra Pelagium, paruulos ex Adam trahere originale peccatum.

Auguſt. de fide & operib. c. 14. & hæreſi 54.

Can. 2.

Et Auguſtinus ex antiquitus tradito & retento Eccleſiæ ritu, exorcizandi videlicet paruulos in baptiſmate, eos à diabolo per eum liberari confirmat. Nam vtique, vt idem in epiſt. 89. aſſeuerat, in diaboli poteſtate eſſe non poſſunt, niſi ob originalis obligationem peccati, à quo immunes eſſe nequeunt, niſi ab eius reatu per Chriſti baptiſmum eripiantur & reſoluantur. Cumq; illa quæ verbotenus Apoſtolos tradidiſſe Eccleſiæ conſtat, non minoris ſint authoritatis, quam ea quæ ſcripto ipſam docuerunt, ita potuit efficax argumentum ſumi ex illis, ac ex ipſis eorum ſcriptis: quia perpetuus Eccleſiæ ritus docet, illa ab eis emanaſſe. Si quis autem cupiat ſcire, an omnis fides peccatoris ocioſa debeat cenſeri, & an ſola fides iuſtorum per caritatem operetur, legat propoſitionem 2. q. 1. opuſculi noſtri de iuſtificatione.

Aug. epiſt. 104.

Quæſt. 1.

CAPVT III.

De duobus alijs, quæ probabiliter videri poſſunt diffinita in poſtremis huius capitis verbis.

DVo etiam alia notanda videntur Patres diffiniſſe circa finem huius capitis. In illis quippe verbis, *Itaque veram & Chriſtianam iuſtitiam accipientes, &c.* diffinitum videtur, non eſſe Chriſtianam iuſtitiam, vnam aliquam virtutem, ſed potius has, fidem, ſpem, caritatem. Itaque ſicut Benedictus 12. in quadam extrauagante, quæ incipit, *Benedictus DEVS*, diffiniuit beatitudinem eſſe viſionem DEI & fruitionem, & non eſſe ſolam viſionem, neq; ſolam fruitionem: ita hic videntur Patres diffiniſſe iuſtitiam Chriſtianam non eſſe ſolam fidem, neq; ſolam ſpem, neq; ſolam caritatem, ſed omnes tres ſimul.

Chriſtiana iuſtitia, fides, ſpes, caritas.

Et hanc fuiſſe ſanctorum Patrum ſententiam, poteſt ex ſubiectis teſtimonijs conſtare. Ambroſius epiſt. 74. tract. 13. in Ioan. *Tria ſunt maxime in viro Chriſtiano, fides, ſpes, caritas.* Auguſtinus: *Quæ eſt virginitas mentis? Integra fides, ſolida ſpes, ſyncera caritas.* Et in ſermone 29. de verbis Domini, eleganter exponit has tres virtutes, nobis eſſe deſignatas in tribus panibus, quos inſtanter & feruenter à Deo petere docuit Chriſtus,

ftus, vt eum habeamus conuiuam nobis in hac via, & in pane, pisce, & ouo, quæ adiecit, patrem misericordiarum elargiri suis filijs. Et hæc postulare videtur ratio Theologica. Quippe iustus non est, nisi qui recte credit, recte sperat, recte amat. Et qui recte & secundum quod oportet, credit, sperat, & diligit, is demum apud DEVM & homines iustus est & habetur. Neque de Christiana iustitia magnifice & pro dignitate sentit, qui ad eam hoc tantum putat spectare, quod nos liberat à reatu peccatorum, & amicos Dei, & hæredes regni cœlorum constituit. Latius sese illa tendit & porrigit, neque his, quamquam magnis illis quidem & illustribus, officijs contenta est. Renouat, vt supra tradidimus, animos nostros, & intellectum & affectum nostrum perfecte DEO subijcit, & facultatem ad bene & sancte operandum concedit.

Hæc autem omnes hæ tres virtutes facile præstabunt, nulla tamen earum seiuncta præsertim ab alijs, præstare vlo pacto potest. Neque debet quemquam mouere si legat in Augustino, Gregorio, aut alijs Doctoribus, Christianam iustitiam esse fidem vel caritatem. De prima vel potissima parte iustitiæ Christianæ, ea verba sunt intelligenda. Sic etenim & ipsi nonnunquam dicunt, beatitudinem esse visionem Dei: alias vero, fruitionem Dei siue amorem beatificum.

Diluitur tacita obiectio.

Et si de iustitia sit sermo, quæ non inchoatiue tantum, sed formaliter nos iustificat, nonnunquam concesserim, quod qui iam magister doctissimus & valde religiosus & pius sæpe concedit Lutheranis, Christianam iustitiam esse fidem, modo addant, per caritatem operantem. Fides namque etiam operans per caritatem, non est gratia, vt recte ille disputat contra Melanchthonem & alios: neque formaliter nos iustificat, nisi forte sicut spes, & quævis alia virtus dici potest nos iustificare, quia facit habiles & potentes ad operandum iusta.

Fides non est Christiana iustitia.

Christiana vero iustitia non hoc modo duntaxat debet iustificare, sed & formaliter constituendo gratos & amicos Deo, & condonando peccata, & nouos nos homines constituendo. In illis autem verbis, *Eam seu primam stolam pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit*, non est sane difficile intellectu, Adam habuisse gratiam ante lapsum. Possunt hæc ad iustitiam originalem referri. *Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Et à diuina in nos beneuolentia & benignitate alienum non est vt pro minori dono in Adam deperdito, maius aliquod nobis meritis sui filij largiatur. Rom. 5

Videtur vero his verbis diffinitum esse, 1.
aliquod vel aliqua dona fuisse in Adam, quæ eum iustum facerent ante, quam sua inobedientia nobis & sibi ea perdidisset. Et quidem opinio asserentium Adam creatũ in gratia, vel certe habuisse gratiam ante lapsum, videtur his verbis magis consona, & alijs quibus sessione quinta, canone primo & secundo, tradidit hoc côcilium Adã in sanctitate & iustitia creatum, & eam sibi & nobis perdidisse. Quam sententiam constanter tradit Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 15. & lib. 2. c. 3. & in fine lib. 9. Et Aug. sæpè eandem sententiam innuit, præsertim libr. de correp. & gratia, c. 10. & 11.

Adam habuit gratiam ante lapsum

Quod si Adam ante lapsum non habuisset gratiam gratum facientem pro se, & sua posteritate, nunquam natura nostra habuisset in eo ius regni cœlorum, & ex consequenti, neque Adam sua inobedientia illud pro se & nobis perdidisset, neque propter peccatum Adæ excluderentur à regno cœlorum paruuli, qui moriuntur in peccato originali, neque in eis esset pœna magis illa exclusio, quàm in illis, qui decederent in puris naturalibus. Quæ quidem videntur repugnare Paulo dicenti, *Iudicium quidem ex vno in condemnationem.* Et mox: *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Condemnatio enim potissimum significat & præ se fert expulsionem à regno. Rom. 5

Verum hæc sufficere possunt ad expositionem aliquam sententiæ Patrum, & confirmationem eorum, quæ obiter ab eis sunt tradita. Redeamus vnde digressi sumus, ac singulas quasque nostræ iustificationis cau-

ſas ſeorſum & ſingulatim exponamus, & quæ in eis præcipua ſunt dubia & difficilia, pro exiguitate noſtra enodemus.

CAPVT IV.

Solum Deum eſſe cauſam efficientem principalem noſtræ iuſtificationis.

Solus Deus cauſa eſt principalis iuſtificationis.

VT à certioribus & minus dubijs, & à potiſſima cauſa noſtræ iuſtificationis, quę ſint ipſius cauſæ, exponere incipiamus: illud nobis in primis perſuadeamus par eſt, Deum ſolum eſſe cauſam efficientẽ principalem noſtræ iuſtificationis, eique vni eam ex aſſe tribuendam. Ipſe enim prima eſt & præcipua omnium cauſarum, ipſe primum omnium actionũ principium, ipſe fontalis cauſa & origo primaria totius boni. Ei innituntur, quæcunque ſunt cauſæ in vniuerſo, ab eo omnes illæ pendent in eſſe & in operatione ſua: neque ſubſiſtere aliqua earum poſſet, neque aliquam vim aut efficientiam habere, niſi ipſe eas omnes manu teneret, & virtutis ſuæ & potentiæ quodammodo participes faceret.

Maximeque hoc verum eſt de cauſis, quæ benignitate ipſius attolluntur & exaltantur ad opera ſupernaturalia, & vires naturæ excedentia, quale eſt noſtra iuſtificatio. Quamobrem ſacræ literæ diſerte & aperte Deo illam tribuunt & vindicant.

Rom. 8

Quos vocauit, inquit Paulus de Deo, *hos & iuſtificauit*. Et rurſus: *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat?* Et Pſalmiſta dicit:

Pſal. 83

Iob 14

Gratiam & gloriam dabit Dominus. Et Iob: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Et per Eſaiam ait:

Eſa. 43

Oſea 13

Non eſt abſque me ſaluator. Et per Oſeam: *Saluator non eſt præter me*. Et his oraculis edocti & freti videntur, qui, referente Marco, di-

Marc. 2

xere: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

Cur adiungitur nomini Saluatoris nomen Dei.

Et ne quiſquam putaret vel Chriſto, vel alicui alij conuenire hoc nomen, niſi ratione Diuinitatis, aut benigna ipſius communicatione, vt plurimum video adiungi in ſcripturis nomini Saluatoris, nomẽ Dei.

Iob 19

Pſal. 61

Eccl. 51

Iob dicit: *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum*. Dauid: *Ipſe Deus meus, & Saluator meus*. Eccleſ. *Collaudabo Deũ Saluatorem meum*. Eſai. *Ecce Deus Saluator meus*. Michæ. *Exſpectabo Deum Saluatorem meum*. Paulus: *Apparuit gratia Dei & Saluatoris noſtri*. Et iterum: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei*. Et alibi: *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundum imperium Dei Saluatoris noſtri*. Et rurſus: *Hoc eſt bonum & acceptum coram Saluatore noſtro Deo*.

Eſa. 12

Mich. 7

Tit. 2. & 3

1. Tim 1

Et præter ſcripturas manifeſta eſt ratio, quæ poſſit conuincere, Deum ſolum eſſe præcipuum authorem iuſtificationis noſtræ. Quis enim alius ab ipſo, offenſam in eum commiſſam, condonare queat? Quis peccatores ab eo auerſos, in ipſius gratiam reducere, & eos illi valeat, præter ipſum, reconciliare? Quis niſi ipſe, vel ex ipſius gratia renouare poſſit interiorem hominem, ea præſertim renouatione, quæ eſt per illapſum ſpecialem totius Trinitatis, & viuificam coniũctionem cum Chriſto, & donorum diuini ordinis communicationem? Quis niſi dono & ope ipſius, & à reatu pœnæ æternæ abſoluere, & à ſeruitute peccati liberare, & captiuitate dæmonis, cui non eſt poteſtas, quæ comparetur ſuper terram, eripere? Denique: Quis adoptet in filium Dei, & conſortes faciat diuinæ naturæ, & hæredes vitæ æternæ conſtituat, niſi Deus ipſe?

Excedunt profecto iſta vires omnium creaturarum naturales, neque ſatis intelligeret, quantum & quam eximium opus ſit iuſtificatio, qui eius aliam cauſam efficientem principalem, quam Deum ipſum, ſibi perſuaderet. Si nemo poteſt, niſi rex, vel ipſius authoritate & gratia fungentes, regis condonare offenſam, aut inimicos ipſius ei reconciliare, aut adoptare ei aliquos in filios, & hæredes ipſius regni conſtituere; quanto minus eſt hoc credendum de remiſſione offenſarum Dei, de reconciliatione cum ipſo, de reditu in gratiam ipſius, de adoptione in filium Dei, denique de iure & hæreditate regni cœlorum? Ita quidem hoc apertum eſt & ex ſcripturis, & ex lumine ipſo naturali, vt quantumcunque in rebus perſæpe manifeſtis delirauerint, qui fidei filum & ductum ſecuti non ſunt, tamen Deum eſſe cauſam præcipuam noſtræ iuſtificationis, omnes, quibus illa innotuit,

con-

constantissime & vno omnino ore semper asseuerariut.

CAPVT V.

Solum Deum causam esse finalem vltimatam nostræ iustificationis.

NEQVE minus certum est, Deum solum esse causam finalē vltimatam nostræ iustificationis. Habent omnia, quæ à Deo fiunt, hanc præcellentem & admirabilem naturam, vt commendare suum factorem desiderent, & sicut ab illo fluunt, ita & in illum tendant, & illum suo modo appetant, ipsiusque gloriam & manifestare, & illustrare percupiant. *Ipse est Alpha & Omega*, hoc est, principium & finis omnium creaturarum. *Et vt omnia per eum, ita & omnia sunt propter eum, & ipsius gloriæ seruiunt: & quæ inuisibilia sunt illius, visibilia & nobis nota faciunt.* Eamque ob causam Ecclesiasticus dicit: *Gloria Domini plenum est opus eius.* Omnia enim opera Dei, & sicut ait Psalmista, omnia ossa nostra dicunt: *Domine, quis similis tibi?* Nec solum ex ordine quodam naturali rebus omnibus diuinitus indito, Deus est omnium earum vltimatus finis, est etiam ex ipsa sui ipsius relatione & ordinatione. Omnia siquidem propter seipsum, teste Ecclesiastico, operatus est Dominus. Et Dionysius dicit, omnia in se Deum conuertere, vt pote omnium causam. Atque hoc Deus facit, non quia bonorum nostrorum, aut vllius glorificationis nostræ indigeat. Nihil ei addi potest; neque minui, nihil accrescere, aut decrescere. Sed hoc facit, vt creaturas suas nobilitet. Magna quippe gloria earum est, vt & ex natura sua, & ex voluntate & relatione diuina, in Deum & in ipsius gloriam ordinentur.

Apoc. 1

Rom. 11

Eccles. 42.

Psal. 34

Dionys. cap. 4. de diuin. nominib.

Peculiariter vero ipsum, & ipsius gloriam, finem esse nostræ iustificationis, possumus probare. Prædestinauit enim electos, sicut Paulus asserit, *in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*, vel sicut apertius Græce legitur, *in seipsum.* Quod & statim Paulus exposuit, subdens, *in laudem gloriæ gratiæ suæ in qua gratificauit nos in dilecto suo.* Et paulo post: *In quo etiam nos forte vocati sumus, prædestinati secundū propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo.*

Ephes. 1.

CAPVT VI.

Christum multipliciter esse præcipuam secundum Deum causam nostræ iustificationis.

QVANQVAM autem solus Deus, principalis causa est & primaria nostræ iustificationis, cum nihil suis creaturis inuideat, sed omnia quorum eas conueniat esse participes, benignissime illis communicet, quo & in hoc opera manuū suarum nobilitaret, & supra se attolleret, & amabiliora nobis faceret, voluit nonnullas creaturas, & ei ad hoc clarissimum opus nostræ iustificationis, suo quodam modo cooperari. Et inprimis in hoc elegit, & hac gratia & prærogatiua honorauit humanitatem Christi: voluitque eam esse, sicut Damascenus dicit, organum quoddam coniunctum diuinitatis ad opus nostræ redemptionis. Vnde & in scripturis nunc brachium Domini, nunc dextera, nunc manus absolute nominatur.

Damasc. in 3. orthod. fid. c. 15.

Neque vno tantummodo voluit Deus Christi humanitatem, vel Christum potius, quatenus homo est, nostræ iustificationis causam esse, sed multipliciter & diuersimode. Est enim, vt Patres hoc capite diffinierunt, causa ipsius meritoria: & præter hoc, etiam causa ipsius efficiens, seu instrumentalis: præparatoria item, & ministerialis, actandē & exemplaris, & finalis. Et quod fuerit præparatoria & ministerialis, nullam habet difficultatem. Fuit namq; sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & nonnullos peccatores sua authoritate & ministerio absoluit multo efficacius & præcellentius, quam alij sacerdotes. Et verba illius, & opera, & passiones, ac denique tota ipsius vita, eximia quædam & præcellens fuit præparatio nostri ad gratiam iustificationis. Quemadmodum vero alijs etiam quatuor modis causa ipsius fuerit, non est omnibus satis perspicuum, neque desunt aliqua

aliqua in ipsis dubia, quæ explicatione & enodatione indigeāt. Et propterea de ipsis singulatim suo ordine deinceps agemus.

CAPVT VII.

Christum fuisse causam meritoriam nostræ iustificationis.

QVOD primo de Christo statuerunt Patres in hoc capitulo, est nimirum, ipsum esse causam meritoriam nostræ iustificationis. Et hoc quidem in confesso video esse apud omnes Catholicos, neque scio ab aliquo hæretico vnquam negatum. Causa vero, propter quam ita constanter id asseritur, non obscura est. Precioso ille sanguine suo pro nobis plenissime patri cœlesti satisfecit, & dum exactissime mandata omnia ipsius in hac vita seruauit, ea omnia voluit nobis ad iustificationem nostram prodesse.

Quo factum est, vt præcellentibus suis operibus, & perpetua totius vitæ suæ grandium dolorum & laborum tolerantia, ac beneficentissima sua in nos voluntate, non solum pro nostris debitis cumulatissime satisfecerit, sed & nos Deo reconciliauerit, & iustificationem nostram meruerit. Intuitu quidem Christi reconciliauit nos sibi Deus, vt copiose lib. 4. docuimus, non solum quia ob gratiam ipsius nos admisit in suam gratiam, sed quia vere ille hoc promeruit. Non enim propter Christum sumus in gratiam cœlestis patris admissi, sicut intuitu fratrum aut amicorum nostrorum possunt aliqui in nostram gratiam esse admissi, tametsi neque fratres, neque amici hoc sint promeriti, sed nostram reconciliationem iuste Christus suis meritis obtinuit, & fuit illa præcellentiæ ipsorum debita.

Et cum Patres asseruerunt, Christum causam esse meritoriam nostræ iustificationis, hoc voluerunt cunctis fidelibus constare, non vtcunque intuitu Christi nos iustificari, sed propter merita ipsius. Vnde & ca. 3. eos asseruerunt duntaxat iustificari, quibus merita Christi communicantur. Et nisi hoc modo nos DEVS iustificaret propter Christum, non diceret scriptura, vt supra lib. 4. quam plurimis testimonijs ostendimus, Christum nos iustificasse & sanctificasse. Nam vtique neque amicus meus posset dici fecisse, quicquid ego intuitu quidem ipsius, sed præter eius meritum fecissem. Porro cum dicimus, Christum non tantum satisfecisse pro nostris peccatis, sed & nostram iustificationem meruisse: satis insinuamus, potuisse patri cœlesti exolui quidquid debebamus, quin ab eo iustificaremur. Potest quippe DEVS de potentia sua absoluta, sicut & quilibet nostrum remittere offensas in se patratas: neque tamen offendentem, ad amicitiam & perpetuam familiaritatem admittere.

Ne tamen vnum absque altero fieret, Christus singularibus suis meritis impetrauit. Ideo vero peculiariter profitemur, eum meruisse iustificationem nostram, quia suis præcellentibus operibus & feruentissimis orationibus tria impetrauit, & paruulis, & adultis necessaria ad eorum iustificationem. Meruit siquidem primo ipsam iustificationem, qua & in gratiam redimus cum DEO, & peccata nobis remittuntur, & spiritu renouamur, & in filios Dei & hæredes vitæ æternæ adoptamur. Meruit secundo duo ipsam iustificationem antecedentia. Nam & sacramentis impetrauit virtutem iustificandi, & opera, quæ requiruntur ad iustificationem adultorum, sufficientia in eam fecit. Et meritis ipsius fit tertio, vt adulti habeant auxilia necessaria ad ea opera, & vt baptizent, vel baptizari faciant infantes. Et quod hæc omnia propter Christum fiant, lib 4. satis monstrauimus. Nisi autem ob merita Christi hæc nobis contingerent, & eiusmodi sufficientiam, quam expressimus, haberent: non omnino iustificari diceremur ex meritis Christi, sed tantum ex lege & gratia Dei, qui pro sua immensa misericordia, hæc nobis remedia salutis, gratis statuerit, cum nos nihil tale potuissemus viribus aut meritis nostris acquirere. Sed cum extra controuersiam sit, Christum satisfecisse pro nobis, & nostrā iustificationem meruisse, non est tamen apud omnes citra ambiguitatem receptum, an ex

Tria nobis Christus meruit spectantia ad iustificationem.

an ex condigno & de iustitia satisfecerit pro nobis, & nostram iustificationem meruerit. Quare ad id explicandum progrediemur.

CAPVT VIII.

Quod Christus ex condigno satisfecerit pro nobis, & nostram iustificationem meruerit.

Christus meruit ex iustitia iustificationem, & satisfecit pro nobis ad condignum.

DVBITENT vero de hoc, qui volent: mihi certe indubitatum est, eritque semper, quod docent in 3. Sententiarum communiter Scholastici Doctores contra Durandum, satisfecisse Christum pro nobis ad condignum, & meruisse iustificationem nostram ex condigno & ex rigore iustitiæ. Dedit enim plus, quam debebamus, pro peccatis nostris: quia melior fuit vita ipsius, & maius multo bonum, quam mala fuerunt peccata nostra. Nam vita ipsius, vita Dei erat, & hominis infinite grati Deo.

Argum. 1.

Et petiuit ille iustificationem nostram & omnia ad eam necessaria, dum reuerentissime & feruentissime postulauit remissionem peccatorum nostrorum, sanctificationemq; & consummationem, & beatitudinem nostram, & vt vnum essemus per amorem cum ipso, & cum patre cœlesti. Et dignissimus ipse erat, qui à patre exaudiretur, quia innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis, & vnice ab eo dilectus. Dignissima etiam erant his præmijs obsequia, quæ ipse patri pro eis impetrandis exhibuit. Vnde & Paulus exauditum eum dicit pro sua pietate & reuerentia, cum in diebus carnis suæ præces & supplicationes pro nobis patri offerret, & authorem eum appellat salutis nostræ, & sanctificare nos asserit, & per passionem consummatum, constanter affirmat factũ esse obtemperantibus sibi causam salutis æternæ, & per proprium sanguinem æternam redemptionem inuenisse, atque vna sui corporis oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos, per velamenq; carnis suæ initiasse nobis viam nouam & viuentem in ipsum cœlum, in quod præcursor pro nobis introiuit.

Et Esaias hoc futurum esse præmium meritorum mortis, orationis, & laborum ipsius, olim prædixerat his verbis: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Esa. 53. Luc. 22. Marc. 15.

Argum. 2.

Equidem aut nullus potest satisfacere pro culpa alterius ex condigno, vel quidpiam mereri apud alium de condigno, aut Christus sua morte satisfecit pro nobis, & iustificationem nostram meruit de condigno. Nullum enim obsequium tam iuste potest mereri aliquod præmium, quam iuste merebatur mors illius nostram iustificationem. Et nulla potest satisfactio magis condigna esse & æquiualens alicui debito, quam passio Christi fuit æquiualens omnibus debitis nostris. Quippe vita illius multo maioris virtutis & valoris, & maiori præmio digna fuit, quam fuerit liberatio à pœnis, quas debebamus pro peccatis, & quam sit nostra omnium iustificatio. Et magis placuit Deo oblatio, qua se Christus ei obtulit in cruce, quam displicuerant peccata nostra. Nam seipsum Deus obtulit pro nobis. Per incarnationem enim inuenta est via, qua homo posset offerre filium ipsum Dei, patri cœlesti. Hac autem oblatione, quid esse aut dici, aut cogitari potest vel maius, vel augustius, vel ipsi patri cœlesti carius, aut magis acceptum? Profecto propter hoc Psalmista copiosam dicit fuisse apud Deum nostram redemptionem. Argum. 3.

Quod si tantum ex congruo meruisset Christus nostram iustificationem, & satisfecisset pro nobis, non sane copiosa illa fuisset, sed pauper & imperfecta, atque in multis diminuta. Et quid necesse fuit Dei filium incarnari, & pro nobis pati, si neq; ipse pro nobis satisfecit ad condignum? An non fuisset satis ad satisfactionem & redemptionem nostram, ex congruo pura creatura? Argum. 4.

Argum. 5. Possent etiam hæc confirmari omnibus argumentis, quibus in nostro opusculo de iustificatione q. 5. probauimus, iustos mereri gloriam ex condigno. Dignior enim fuit Christus, & digniora multo ipsius opera omnibus præmijs, quæ nobis meruit, quam iusti sint digni gloria. Et ita ea Deus erat Christo pollicitus, & ex lege saltem ei debebantur, neq; poterant negari, ac gloria debetur iustis ex promissione diuina, & multo magis.

Argum. 6. Rom. 5. Sed & Paulus à nobis stat, cum ait: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam*, nempe Christi, *in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Si peccatum Adæ, vt in confesso est apud omnes Catholicos, ex iniustitia fecit omnes suos posteros peccatores, & condemnationis perpetuæ reos, obtinuerit nobis iustitia & obedientia Christi, ex iustitia & ex condigno nostram iustificationem. Alioqui nulla similitudo, neque proportio fuisset inter delictum Adę & iustitiam Christi, & incommodè illa inter se Paulus contulisset. Sed apertius & validius est, quod statim ab eodem subnectitur:

Ibid. *Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Et paulo post: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Quid his potest clarius aut efficacius pro nobis requiri? Diserte nimirum his verbis asseritur, potentior multo fuisse iustitia Christi ad iustificandum, quam peccatum Adę ad condemnandum: & plenius Christus satisfecisse pro nobis, quā nos rei eramus & obnoxij per peccatum Adę. Non enim alias abūdasset gratia supra delictum ipsius Adæ, neq; ad plures, neq; ad plurium delictorum remissionē, se gratia Christi extendisset, neque magis ad vitam & regnum Christi perduceret, quam delictum Adæ ad mortem & condemnationem. Si ergo Adam ex iustitia subiecit nos morti & peccato, & Christus multo magis ex iustitia nos iustificauit. Etsi pleniorē ille exhibuit pro nobis satisfactionem, quam nostra exigebant delicta, non tantum ad condignum, sed & supra condignum pro nobis ille satisfecit.

CAPVT IX.

Satisfit argumentis contra satisfactionem & meritum Christi ex condigno.

QVONIAM tamen non infirmis neque prorsus contemnēdis argumentis conantur quidam suadere, Christum non satisfecisse pro delictis nostris ad condignum, neque proprie ex condigno iustificationem nostram meruisse: commodum erit, ea prius diluere, quam ad vlteriora procedamus. Ac primo quidem sic pro se argumentatur Durandus.

Non potuit Christus vt homo, reddere æquiualens beneficijs sibi à Deo collatis. 1. Arg. Dur. Deo enim, parentibus, & magistris æquiualens reddi non potest, secundum Philosophum. Et beneficia diuina, ipsa gratiarum actione & relatione crescunt, & maiora fiunt, quia ab eo accipimus, vt ei gratias agamus, & pro virili nostra referamus. Satisfactio autem ad condignum, est redditio æquiualentis alias indebiti. Qui non potest reddere æquiualens ijs, quæ accepit, multo minus poterit ad condignum satisfacere pro alijs. Nam satisfactio ad condignum, redditio est æquiualentis alias indebiti. Quid etiam potuit Christus offerre patri cœlesti pro nobis, quod non esset summo iure ipsius, quodque non et arctissime deberet? Dominus omnium est pater cœlestis, & Christus vt homo seipsum, vitamque suā strictissime ei debebat, tantoque strictius, quanto maiora multo & plura bene-

beneficia à Deo acceperat, quam reliqui omnes. Multa vero intersunt inter satisfactionem pro culpa, & satisfactionem pro beneficijs acceptis, seu gratiarũ actionem vel relationem. Et hoc ante nos prudenter admonuerunt sanctus Tho. in 3 d.20. q.1. ar.2. & Capreolus ibidem. Satisfacere quidem posset regi pro Petro Andreas, quamuis nequeat ei reddere gratias pares beneficijs acceptis. Quoniam potest multo minus esse Petri debitum, quam sint beneficia, quæ Andreas acceperit à rege. Atque eadem ratione, quia multo minora erant, quæ nos Deo pro peccatis nostris debebamus, quam quæ Christus in sua humanitate à Deo accepit, quamuis reddere ille non potuerit paria beneficijs à se acceptis, potuerit quidem pro nobis etiam ad æqualitatem satisfacere.

Respon. 1.

Latum discrimen inter satisfactionem pro culpa & pro beneficijs.

Ad hæc: Satisfactio pro culpa, ipsa redditione vel perpessione eius, quod debetur, resoluitur: verum debitum gratias agendi, vel referendi Deo pro beneficijs acceptis, ipsa gratiarum actione & relatione excrescit, quia ipsa gratiarum actio seu relatio, beneficium nouum est. Dein: Potest esse creatura, quæ nihil debeat pro culpa, non autem quæ nihil Deo debeat pro beneficijs ab eo acceptis. Quanto enim innocentior, præcellentior, aut maioribus Dei donis insignita, tanto ei plus obærata est & deuincta. Itaque quamuis Christus neque agere potuerit patri suo, neque referre pares gratias beneficijs à se acceptis, neque nos quidem possimus satisfacere beneficijs nobis collatis: poterat tamen & ipse, & nos possumus ipsius satisfactioni innixi, pro nostris delictis Deo satisfacere ad condignum.

Respon. 2. Neque vt Christus satis fecisse censeatur ad condignum pro nobis, opus est, vt nos perduxerit ad statum, in quo nihil deberemus Deo: sed satis est, vt reparauerit nos ad æqualem statum rei, à quo excideramus. Et tanto melius & copiosius pro nobis satisfecerit, quanto nos plurium beneficiorum debitores constituerit. Et ad condignam pro nostris delictis satisfactionem nihil opus erat, vt offerret Christus Deo, quæ non erant ipsius Dei. Fieri enim hoc non poterat. Nam absolutum ille & plenissimum habet rerum omnium dominium. Sufficiebat autem, vt tolleraret mortem, quam non debebat pro suis peccatis, & vt vitam illis laboribus & doloribus afflictam, quorum ipse minime erat debitor, offerret patri pro nobis, quatenus quæ erant ipsius per vniuersale omnium dominium, essent etiam ipsius per voluntariam oblationem factam ei pro nostris peccatis.

Possemus etiam adijcere, vt plenius huic argumento satisfaciamus, & præcellentia satisfactionis Christi magis innotescat, non solum ad condignum satisfecisse pro nostris peccatis Christum, dum se obtulit, vitamque suam patri in Cruce, sed & æquiualens reddidisse beneficijs omnibus, & sibi, & nobis à Deo collatis. Fuit etenim oblatio sua in cruce infinitæ sufficientiæ, non solum ad satisfaciendum pro peccatis, sed etiam ad gratias agendum & referendum Deo pro se & pro nobis. Quod namque tunc obtulit Deo, infiniti valoris fuit. Obtulit quippe seipsum, vitamque suam, & quicquid ipse erat, & quicquid in ipso erat, quod offerri posset à Christo secundum humanitatem suam. Et vbi non nisi vitam humanam obtulisset, quia illa erat vita Dei, & vita hominis, infinite quodammodo à Deo dilecti, infiniti precij & valoris erat. Et quod Aristoteles dicit, Deo, parentibus, & magistris reddi non posse æquiualens, intelligendum est de personis finitis. Non enim meruit ille agnoscere, aliquam personam humanam posse esse, quæ valeret & Deo tantum reddere, quantum ab ipso acceperat, quæque in ipsa relatione gratiæ, vel nullum beneficium acciperet, vel certe ipsa relatione etiam pro ipso, & pro alijs omnibus plenissime satisfaceret. Respon. 3.

Secundo potest aliquis contendere, Christum non satisfecisse pro nobis patri suo ad condignum, quia non tenebatur pater cœlestis acceptare satisfactionem sui filij pro nobis, immo poterat eam non acceptare. Nihil enim ad extra necessario amat seu acceptat, sed omnia contingenter iuxta beneplacitum voluntatis suæ. Sed hoc Obiect. 2.

Responsio. hoc argumentum infirmo nititur fundamento: Non requiritur ad satisfactionem condignam pro aliquo debito vel offensa, vt eam teneatur acceptare, cui illa exhibetur, sed satis prorsus est, si illa æqualis sit debito, & maiorem satisfactionem iure exigere non possit is, cui ea debetur. Si Petrus debeat centum aureos ducales Ioanni, & Petrus eos ei reddat, satisfaciet profecto ipsi ad condignum, siue Ioannes eam teneatur aut velit satisfactionem acceptare, siue non. Sufficit enim, Petrum reddere quantum debet, & Ioannem non posse plus ab eo exigere. Atque ideo, cum Christus, dum exhibuit patri cœlesti vitam suam pro nobis, tantum, immo certe plus ei reddiderit, quam nos debebamus, satisfecerit nimirum pro nobis ad condignum. Et impertinens omnino est, neque ad propositum nostrum quicquam refert, an obligatus fuerit pater cœlestis satisfactionem ipsius acceptare, & an potuerit illam non acceptare, necne. Quicquid circa hæc dicatur, stabit firmum & immobile, Christum satisfecisse pro nobis ad condignum, hoc est, ad iustum & ad æqualitatem, ita vt iure à nobis nihil valeat amplius exigi.

Satisfactio condigna.

Obiectio 3. Sed dices: Non potuit Christus pro nobis satisfacere, nisi supposita aliqua liberalitate & beneficentia diuina, nempe quod humanitas ipsius Deo esset grata. Requiritur enim, vt quis ad condignum satisfaciat Deo, vt sit acceptus ei secundum eam naturam, secundum quam debet satisfacere. Et siue humanitas Christi fuerit grata per gratiam gratum facientem, siue etiam absque illa, potuerit ei esse grata propter vnionem hypostaticam ad verbum, eguit illa absque dubio gratia aliqua & benignitate diuina, vt esset ei grata. Nam Deus nullam creaturam necessariò amat, & non poterat nisi ex benignitate diuina fieri, vt vel infunderetur ei gratia, vel vniretur ea hypostaticè verbo, vt à Deo amaretur.

Cum igitur nemini satisfieri possit ad condignum pro eis, quæ ipsi quomodocunque debentur, nisi possit ei satisfieri etiam seclusa omni liberalitate ipsius, neque potuerit Christus patri ad condignum satisfacere. Quandoquidem satisfacere ei non potuit, nisi supposita liberalitate ipsius. Et alias etiam creatura pura potuisset patri satisfacere pro nobis ad condignum. Potuisset siquidem satisfacere, vbi gratiam ei Deus dedisset summam, & legem benignè sanxisset, secundum quam ipsius mors esset pro redemptione humani generis accepta sibi ad idem præmium, ad quod fuit acceptata mors Christi.

Non minuit tamen de condignitate satisfactionis liberalitas, quæ nihil minuit de debito, sed eum qui debet, potentem facit ad exoluendum totum debitum. Vere gener Petri satisfacere dicetur ad condignum Petro, si ei soluat mille scuta quæ ei debebat, tametsi eos non habuisset, nisi benignè Petrus tradidisset in vxorem, suam filiã, & pro dote ei assignasset bis mille, vnde ille potuisset resoluere debitum mille scutorum. Quare licet homo non poterit Deo reddere quantum ei debeat pro peccatis, nisi Deus suum filium benignissime nobis dedisset, & naturæ nostræ coniunxisset, non inde consequitur, vt non ei potuerit ad condignum satisfacere. Ea enim gratia diuina supposita, homo potuit etiam amplius reddere, quam deberet, ac vere reddidit. Respons. Deinde: Esto, magna gratia fuerit facta humanitati Christi per hoc, quod Deus eam summe amauerit, & sibi in vnitate suppositi eam vniuerit, tamen filio Dei, qui verius & magis proprie pro nobis satisfecit, quam sua humanitas, sicut nulla gratia facta est per hoc, quod vnita ei fuerit nostra humanitas, ita nulla etiam gratia facta est per hoc, quod eius humanitas Deo accepta fuerit. Debebatur namq; hoc ipsi, & debetur, vt quæcunque natura ei fuerit coniuncta, eo ipso Deo sit grata. Potuit igitur Christus, vere pro nobis satisfacere ad condignum absque vlla in se facta liberalitate. Et in hoc satisfactio illius eximie superauit omnem satisfactionem, quæ exhiberi potuisset à pura creatura, supposita aliqua gratia & largitate diuina. Tandē obijcietur: Si Christi humanitas peccasset, non potuisset ad condignum pro se satisfacere. Ergo neque nunc potuit pro nobis

Respons. 2.

Obiect. 4.

satisfa-

Respons. se satisfacere. Verum consecutio ista nihil valet. Potest iustus plus alijs prodesse, quã peccator sibi. Et quamquam humanitas Christi quandiu fuerit vnita Verbo, peccare nullo modo potest, vt antiquiores & grauiores Theologi post Augustinum defendunt, si tamen extitisset in rerum natura, antequam verbo vniretur, & ex infirmitate aliqua peccasset, qui potuit satisfacere, & vere satisfecit pro alijs ad condignum, potuisset vtique & idipsum multo magis pro suaipsius humanitate, si sibi eam dignatus fuisset coniungere. Nulla itaque causa relinquitur, vt dubitare quispiam debeat, quin Christus satisfecerit pro nobis ad condignum, & iustificationem nostram meruerit ex condigno.

CAPVT X.

De varijs Scholasticorum opinionibus circa iustificatiuam Christi virtutem.

CVM extra controuersiam sit, Christum secundum suam humanitatem, causam esse nostræ iustificationis, quia & plenissime satisfecit, pro peccatis nostris, & iustissime illam meruit: disquiri tamen merito potest, an etiam secundum eandem humanitatem fuerit & sit causa efficiens eiusdem iustificationis alia aliqua ratione, ita videlicet, vt etiam seclusis suis eximijs meritis, vere ei cõuenerit, efficere nostram iustificationem, & cum patre ad eam effectiue concurrere. Quod quidem si verum sit, multis ille & magnis interuallis & quod Græci dicunt, *dis dia pasôn*, antecelluerit eos qui causa sunt iustificationis aliorum, quia illam merentur ex congruo. Non enim tantum illos ipse vicerit, quia ex se & ex condiguo ille meruit, quod illi tantum ex congruo & ex gratia ipsius: sed & in hoc superabit, quod cum patre cœlesti effectiue operatus fuerit nostram iustificationem. Et quidem apud omnes certum est, humanitatem Christi neque fuisse, neque esse potuisse causam principalem efficientem nostræ iustificationis, immo nec respectu ipsius valuisse habere aliquam efficientiam, nisi ex dono & concessione Dei. Idque supra diffuse monstrauimus cap. 4. Illud tamen ambiguum est inter Doctores, an ex Dei concessione subleuata fuerit Christi humanitas, & supra suam naturam ad hoc exaltata, vt instrumentaliter saltem coeffecerit cum Deo nostram iustificationem. Qua de re duæ sunt celebres opiniones inter Doctores Scholasticos. Quidam humanitatem Christi, seu Christum vt hominem, asserunt nullam efficientiam aliam habuisse respectu nostræ iustificationis, nisi quia illã meruit & impetrauit. Et hanc opinionem omnes illi, iudicio nostro, [illegible] rentur, qui asserunt gratiam à solo [illegible] creari, neque vllam creaturam [illegible] quo modo concurrere cum Deo ad ipsius creationem, cuius opinionis aperte sunt Henricus Gandensis Quodlib. 5. quæst. 23. & Doctor noster Subtilis in 2. d. 37. & in 4. d. 1. q. 1. Duplex opinio [illegible]

Alij vero magnificentius aliquid cogitantes de humanitate, quam Deus sic dilexit & exaltauit, vt eam sibi in vnitatem suppositi vniuerit, dicunt eam fuisse causam instrumentalem nostræ iustificationis, & non tantum meritoriam. Et huius opinionis aperte sunt sanctus Thomas, 1. 2. q. 112. art. 1. & Cardinalis Caietanus, com. 3. partis q. 14. art. 2. & alij viri doctissimi, sectatores Doctoris Angelici. Varie tamen, & non vno duntaxat modo hæc opinio à suis authoribus defenditur. Quidam sic eam tuentur, vt dicant humanitatem Christi non concurrere ad productionem gratiæ gratum facientis: sed ideo dici eam concurrere instrumẽtaliter ad iustificationem nostram, quoniam Deus hominibus, quos iustificat, infundit gratiam, quia Christus passus est pro illis. Alij vero, vt Caietanus vbi supra, vere & proprie defendunt, Christum secundum suam humanitatem instrumentaliter concurrere ad nostram iustificationem, & attingere ipsam productionem gratiæ. Videamus quæ opinionum istarum probabilior sit, & certa ab incertis, & probabiliora à minus probabilibus distinguamus.

CAPVT XI.

Christum, secundum suam humanitatem, esse & fuisse causam efficientem instrumentalem nostræ iustificationis, aut certè ministerialem.

Proposit. 1.

AC primo quidem illud ab omnibus Catholicis recipi video, & certum esse nihil ambigo, Christum secundum suam humanitatem potuisse iustificare quēcunque hominem voluisset, & iustificasse paralyticum, Magdalenam, & latronem, eo modo saltem, quo sacerdotes nouæ legis absoluunt à peccatis pœnitentes, & vere ministerialiter iustificare possunt immediate per sacramenta. Fuit enim Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & pleniorem habuit & multo augustiorem potestatem absoluendi à peccatis, quam omnes sacerdotes nouæ legis. Dedit nimirum ei pater cœlestis singulari prærogatiua clauem Dauid, vt cui ipse aperiret, nemo posset claudere: & cui clauderet, nemo posset aperire. Et sacerdotes nouæ legis ab eo participant suam potestatem. Et quam illi habent limitatam potestatem, ipse illimitatam & in omni plenitudine habuit. Et hæc est potestas excellentiæ, quam communiter docent Theologi in eo fuisse. Ac ratione huius potestatis, in multis exuperauit omnes sacerdotes nouæ legis. Potuit ipse sine sacramentis, & cum sacramentis, sine dispositionibus debitis, & cum illis iustificare perfecte, & absoluere ab omni culpa, & ab omni pœna quos voluisset, & ad quamcunque distantiam. Sed sacerdotes gratiam conferre sine sacramentis non possunt, & per solum baptismum condonare valent totam pœnam pro peccatis debitam. Neque frustra habuit Christus hanc tantam & tam admirandam potestatem. Vsus est & illa, cum iustificauit sine vllo sacramento paralyticum, Magdalenam, & latronem suæ comitem passionis, atque eos ab omni culpa & pœna plenissime absoluit. Et quod eis præstitit, potuit absque dubio & quibuscunque voluisset, præstare. Neque impediri poterat vlla terrarum distantia. Omnia nuda sunt & aperta oculis eius, etiam secundum humanitatem, ad omnes se illius extendebat potestas, & omnia ei tradiderat cœlestis pater in manus. Itaque si sacerdotes nouæ legis sunt verè causæ instrumentales gratiæ & eorum character potestas est, ex qua ipsi possunt iustificare, multo magis hoc habuerit Christus secundum suam humanitatem. Sed parum hoc est, si prærogatiuas spectes, quibus Deus sanctissimam suam humanitatem exornauit. Adijciam ergo his probabile etiam esse, Christum quatenus homo est, habuisse vim & potestatem instrumentaliter iustificandi omnes homines. Et hoc nobis ille ostendit, cum dixit paralytico cuidam: *Confide fili, Remittuntur tibi peccata tua.* Nam cum quidam de scribis Iudæorum dixissent intra se, vt refert Matthæus, *Hic blasphemat*: videns Iesus cogitationes eorum, dixit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et vt ostenderet, non se vsurpasse potestatem, quam non habebat, sed potius illis verbis functum se fuisse authoritate sibi concessa, subiecit: *Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula? Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Et vt testatissima esset hæc potestas & virtus Christi, confestim, sicut refert Lucas, surgens ille coram omnibus, tulit lectum, in quo iacebat, & abijt in domum suam, magnificans Deum.

Potestas excellentiæ Christi.

Concessit Christus aliquibus plenissimam indulgentiam.

Proposit. 2.

Argument.

Matth. 9.

Si Christus vt homo non habuisset potestatem remittendi peccata, & ex consequenti etiam iustificandi, nunquam dixisset: Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. neque ad confirmationem eius potestatis sanasset paralyticum. Indicabat enim illis verbis & eo facto, eam potestatem se habere, etiam quatenus homo erat, neque blasphemare se, etiamsi, vt illi intellexerant, secundum quod homo, sibi eam vindicaret potestatem. Et quod hoc voluerit Christus illo tanto miraculo confirmare, satis nobis demonstrant verba, quæ subiecit Matthæus statim: *Videntes autem turba, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit* Ibid. *potesta-*

Argum. 2. *potestatem talem hominibus.* Deinde: Ipse disertè dixit post resurrectionem suam Apostolis suis, datam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra. Ergo ab eo saltem tempore potestatem habuit iustificandi. Non enim, vt & Glos. Ordinaria bene admonet, hæc de se dicebat secundum diuinitatem. Nam secundum eam nihil ei poterat nouum concedi. In illis autem verbis manifeste nouam aliquam gratiam sibi factam significabat. Item, habuit Christus potestatem ad faciendum miracula, & sicut docent celebres authores, extendebat se illa ad omnes actiones miraculosas ordinabiles ad finem incarnationis, qui fuit instaurare omnia. Atque, vt hæc potestas nota esset nobis, ex potestate fecit vel omnia, vel certe plurima miracula ex his, quæ patrauit, fuitque ipsius humanitas instrumentum, & sicut Damascenus dicit, organum diuinitatis, ad ea perficiendum, Vnde & Cyrillus, propter hoc dicit, non tantum verbo & imperio eum fuisse vsum in exuscitandis mortuis, sed etiam tactu sui corporis, vt vel sic ostenderet efficacem propriam carnem ad præstandum remedia. Et si sancti homines, non tantum merito & precibus faciunt miracula, sed plerunque etiam ex potestate, sicut Gregorius tradit in Dialogis, quanto magis hoc est, credendum de Christo? Equidem illi non est datus spiritus ad mensuram. Neque solam gratiam miraculorum, sed omnes alias gratias, omnia dona, omnes virtutes, quæ beatis conuenire possunt, habuit ille cumulatissime & perfectissime. Quod si ad alia inferiora, quæque ad nostram iustificationem ordinabantur, tantam ille habuit & tam efficacem potestatem, multo magis & ad ipsam iustificationem habuerit. Quare & ipse Christus perinde ostendebat, se hanc habere potestatem, sicut & potestatem ad alia miracula, neque minus admirabantur homines de illo, quod dimitteret peccata, quam quod faceret alia miracula. Vnde & apud Lucam aiunt quidam de illo. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Præterea: In Christo secundum humanitatem fuit gratia capitis, neque tantum vt peculiaris persona habuit summam gratiam, sed etiam vt caput totius Ecclesiæ. Si ergo quia caput est nostrum, secundum scientiam, illuminare nos potest, ac vere illuminat & docet, cum similiter sit caput secundum gratiam, & communicare nobis poterit gratiam & communicatam augere. Vere siquidem Ioann. ait: *De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia*, quoniam ab eo, sicut à capite, defluunt ad nos omnes riuuli & incrementa gratiarum. Insuper: sacramenta nouæ legis sunt veræ causæ gratiæ. Continent namque & efficiunt gratiam, sicut diffinitum est in concilio Florentino sub Eugenio 4. & in hoc Concilio, sessione 7. Et hanc sententiam tuetur maxima & optima pars Scholasticorum post Augustinum, Hugonem, & Magistrum sententiarum. Quod si sacramentis non deest ista tanta & tam eximia virtus, quomodo deesse credatur ei, qui etiam secundum quod homo, vim regeneratiuam contulit aquis, teste Beda? Ipse quidem omnia sacramẽta secundum suam humanitatem instituit, & efficacia illa fecit ad gratiam. Ab eo, sicut à fonte quodam viuifico, vberrimo & salutifero, deriuatur & manat iugiter omnis virtus sacramentorum. Neque vlla est creaturarum, quæ virtutem aliquam ad iustitiam habeat, quam non liceat in illo inuenire plenius, perfectius & eminentius. Oratio fidei saluat infirmum in extrema vnctione, sicut testatur Iacobus. Et caruerint hac virtute orationes Christi, quæ efficaciores multo & potentiores sunt, quam oratio totius Ecclesiæ, quæ omnem quam habet, virtutem ab eis sumit & participat? Paulus dicit Timotheo: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij.* Et credemus, manus illas Christi sanctissimas, inefficaces ad conferrendum gratiam? Sacerdotes nouæ legis, verissime habent potestatem remittẽdi peccata per sacramentum confessionis. Neque aliter possunt, nisi valde violenter exponi testimonia Euangelica, quæ pro ista potestate sunt, vt postea libr. 13. docebimus. Et sanctus sanctorum & gloria sacerdotum omnium, vnctus à patre

Marginalia (left): Argum. 3. Tho. 3. p. q. 13. art. 2. Caiet. ibid. Dur. in 3. dist. 14. q. 5. art. 3. — Dam. lib. 3. Ort. fi. c. 15. Cyril. 4. in Ioan. c. 14. — Greg. 2. dial. c. 30. — Luc. 7. — Argum. 4.

Marginalia (right): Ioan. 1 — Argum. 5. — Aug. in Psal. 77. Hug. in summa sentent. tract. 4. c. 1. Mag. 14. d. 1. — 1. Tim. 4.

patre supra omnes participes suos selectissimo & omnino admirando oleo lætitiæ, expers fuerit huius potestatis?

Argum. 6. Exaltãda profecto est humanitas Christi, præsertim à nobis, quantum maxime potest. Omnia credenda sunt ei concessa à Deo, quæ ornatiorem & illustriorem ipsam possunt facere. Maior illa est omni laude, & exaltatam supra omnia, & dilectam à Deo nouimus. Cum igitur potestas ista vehementer illam ornet & illustret, & in ea absque vllo incommodo, vt statim videbimus, poni possit, nullatenus credere debemus tantum ei & tam insigne ornamentum à Deo negatum, qui ei alia & maiora & præstantiora benignissime concessit.

Argum. 7. Atque hæc nobis satis innuunt scripturæ, cum Christum authorem & causam salutis nostræ, & sanctificatorem nostrum appellant. Non enim illis titulis ornarent eos, qui solum meritorie vel satisfactorie obtinerent salutem aliorum.

Argum. 8. Cyril. epist. 10. Sed omnem tandem hanc litem dirimere nobis videntur verba Cyrilli in epistola ad Nestorium, quæ approbata fuit à Concilio Ephesino primo. Ibi enim aperte asseritur caro Christi viuificatrix esse, non quidem ex natura sua, sed ex vnione ipsius ad verbum. Sunt autem verba Concilij ista: Ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & precioli sanguinis Christi omnium redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod absit, neque vt viri sanctificati, & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed vere viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam.

Et in his, quæ statim addit, manifeste indicat, viuificatricem se carnem Christi appellasse, propter virtutem, quam habebat ad iustificandum animas nostras. Vnde in 4. lib. in Io. c. 12. sic scribit: Dedit pro vita omnium, corpus suum Dominus, & per illud rursus vitam nobis immittit. Et ibidem, & c. 14. & 15. ostendit hoc carni Christi conuenisse ex coniunctione admirabili ad verbum Dei, quod in ipsa habitabat. Ac tandem c. 23. subdit: Si mel, cum naturaliter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur: nonne stultum erit, viuificam verbi naturam non dedisse homini, in quo habitat, viuificandi virtutem? Et mox vni Christi humanitati hanc prærogatiuam asserit. Facitque hoc idem Augustin. super illa verba Ioann. *Super quem videris spiritum descendentem.* Et quia Augustin. proprium Christo fuisse dicit, vt baptizaret interius, Magister in 4. d. 5. tradit, eum solum iustificasse interius, eamque potestatem potuisse quidem alijs communicare, sed vni tamen sibi seruasse. Aug. tract. 5. in Ioan.

CAPVT XII.

Respondetur argumentis duobus contra iustificatiuam Christi virtutem.

NON satis est tamen, hanc Christi prærogatiuam pro tenuitate nostra firmasse, nisi etiam ea argumenta enodemus, quæ contra illam fieri possunt. Curabimus igitur hoc ipsum, & tãto accuratius, quanto eis enodatis probabiliorem videndam speramus nostram sententiam, vel hoc nomine, quod ea magis attestetur laudi & gloriæ Christi.

Primo quidem obijci nobis possunt multa scripturæ & sanctorum testimonia, quæ reconciliationem, sanctificationem, gratificationem, viuificationem, & iustificationem, nostram tribuunt vni Deo. Argum. 1. Quoniam vero scripturarum oracula supra satis multa citauimus, hic sola sacrorum Doctorum testimonia, quæ nobis in speciem videntur aduersari, subijciemus. Lib. 6. c. 5. de conf. di. 2. c. Spiritus sanct. Ambrosius, vt renarrat Gratianus, Spiritum sanctum dicit latenter in sacramentis operari, & effectus sacramentorum fieri à sola virtute diuina. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto. Et alibi ita scribit. In baptismo inuocatur Trinitas, vt inuisibiliter ibi operetur per se, i. sine alio, sicut visibiliter per ministrum. August. super Ioan. Aug. sup. Ioan. tract. 5. Solus Deus est Doctor, solus Deus baptizat interius. Hieron. & Chrysost. verba illa Christi ad Paralyticum, *Remittuntur tibi peccata tua*, ad authoritatem & potestatem diuinam referunt, & in illis Christum, aiũt, ostendisse se Deum & æqualem patri. Hieron. & Chrysost. in Matth. 9.

Verum

Respon. Verum ista dicunt sancti Doctores, & vtriusque testamenti scripturæ, quoniam solus Deus est causa principalis iustificationis nostræ, neq; humanitas Christi vel instrumentalem habet vim ad eam perficiendum, nisi ex concessione diuinitatis, & vt organum ipsius coniúctum. Sicut enim cum dicimus, solum summum Pontificem posse in aliquibus casibus dispensare, non excludimus his verbis eos, qui ex ipsius concessione hoc possunt, vt pœnitentiarius maior & vicarius ipsius, & similes: ita qui dicunt, solum Deum posse iustificare, neq; sacramenta, neq; sacerdotes Christi excludunt, & multo minus ipsius humanitatem.

Leo in epist. 10. c. 5. Et sicut dum distinguunt sancti Doctores, & nominatim Leo huius nominis primus, opera diuinitatis in Christo, ab operibus humanitatis, & diuinitati tribuit miracula, humanitati vero, quæ infirmitati nostræ attestabantur, non negat humanitatem concurrisse ad ea opera ex virtute diuinitatis: sed duntaxat asserit, illa non potuisse fieri ab humanitate Christi ex propria virtute, quemadmodum & alia: ita Hieronymus & Chrysostomus tribuentes diuinæ potestati remissionem peccatorum paralytici, negant quidem, eam fuisse factam ab humanitate Christi, ex virtute propria, non autem virtute & concessione diuinitatis.

Et Hieronymum quidem ita esse exponendum, manifestum est, quia etiam diuinitatis potentiæ ibi tribuit, quod videret Christus cogitationes scribarum. Quod tamen nullus ex Catholicis, quod sciam, abrogauit Christi humanitati. Atque ista ratione vere putat Cyrillus potuisse Christum dicere, *Caro non potest quicquam*, tametsi viuificatricem carnem suam paulo ante asseruerat, quia neque caro ipsius per se & ex natura sua viuificare poterat. Quid enim maius, ait, natura Deitatis haberet?

Obiect. 2. Secundo induci contra nos potest ipsa præcellentia gratiæ, qua iustificamur. Ordinis quippe est supernaturalis, & diuini, & participatio quædam diuinæ naturæ, & per eam Deiformes efficimur, Deo chari, Dei filij, hæredes regni cœlorum, & sicut dicit Petrus, diuinæ consortes naturæ, ac proinde & supra omnem naturalem dignitatem creaturarum constituimur. Vnde fit vt minima anima cum gratia, preciosior sit & pulchrior in oculis Dei, perfectissimo Seraphim, si quidem solam ipsius perfectionem naturalem spectemus. Itaque cum tantopere præcellat gratia, qua iustificamur, neq; effectus possit excedere suã causam, non videtur ea posse ab alio, quam à Deo, communicari. Si solus ignis, vel aliquid eo superius, potest res aliquas in naturam ignis vertere, vel igneę naturæ participes facere: quomodo alius quam Deus, possit aliquem naturæ diuinæ participem & consortem facere, &, vt sic dicamus, Deificare? Accedit ad hæc, quod gratia quemadmodum postea monstrabimus, qualitas est spiritalis, & humanitas Christi quid corporeum. Spiritalia autem suo genere distant à corporeis, & ipsa exuperant, neque possunt in eis eminenter contineri, sicut effectus in causa. Ad iustificationem etiam vel consequens est, vel præuius, vel certe necessarius Spiritus sancti gratificus illapsus, qui creaturæ potestati subesse non potest. Quamobrem non videtur quoquam modo posse conuenire humanitati Christi, vt ipsam gratiæ productionem attingat. Debet enim similitudo aut proportio aliqua esse inter causam & effectum vel saltem effectus in causa eminenter contineri, neque exuperare illam. Et qui dat formam, sicut Philosophi dicunt, dat consequentia ad formam: & qui potest in aliquem effectum, potest in omnia ad ipsum necessaria. Possuntque ista omnia aliquanto magis explicari: Quia si Deus iustificaret iustos sine alicuius qualitatis infusione, & gratia non esset qualitas, sed duntaxat acceptatio passiua, qua quis carus esset & acceptus Deo ad vitam æternam, humanitas Christi nullam haberet vim iustificandi, neq; habere posset, vt videtur. Consequeretur namque gratia ex amore diuino, in quem nullam potest habere efficientiam creatura. Cum igitur nũc non minus sit iustificare aliquem, quam

tunc esset, neq; tunc poterit Christi humanitas quemquam effectiue iustificare. Verum hæc omnia duntaxat probant, nullam creaturam, præsertim corpoream, posse esse causam principalem tanti & tam præcellentis effectus, quantus est iustificatio. Neque ostendunt, quin Deus, qui ignem inferni facit vere agere in spiritum, & cruciare dæmones, & animas rationales, possit etiam pro sua benignitate & singulari amore in creaturas, eas supra seipsas ad effectum præcellentiorem & amabiliorem extollere, & vti aliqua ex ipsis vt organo & instrumento ad productionem gratiæ, vt etiam sic constet magis, quantum nos ille amet, & nostræ dignitati & honori per omnia velit consulere. Et quamuis nulla creatura possit esse causa amoris diuini, tamen bene potest esse aliqua causa acceptationis passiuæ, quæ ex illo consequitur. Sicut enim potest esse causa donorum consequentiũ ex amore diuino, quatenus à nobis participantur, ita & potest esse causa acceptationis passiuæ consecutæ ex amore diuino, quatenus à nobis ille participatur, & ad nos terminatur. Et quemadmodum, quando Ioannes meretur Petro iustificationem suam, ideo dicitur eam mereri, quia in causa est, vt Petrus gratus & acceptus sit Deo, non quod amoris diuini in Petrum, quatenus in Deo est, causa vlla sit, sed quia causa est ipsius, quatenus ad Petrum terminatur: ita si iustificaremur per solam acceptionem passiuam, adhuc humanitas Christi instrumentaliter posset nos facere Deo gratos & acceptos, quia causa esse posset amoris diuini, quatenus ad nos terminatur.

Respon.

CAPVT XIII.

De Argumento alio difficili, contra iustificandi virtutem in Christo assertam.

1. Obiect. TERTIO contra eandem Christi iustificatiuam virtutem argumentari quis potest: Quod nulla creatura potest creare, & gratia non est producibilis, nisi per creationem. Et quod nulla creatura possit creare, quod quidem axioma fuit commune apud Doctores antiquos, probatur: Omne instrumentum habet aliquam operationem propriam præuiam operationi participatę à principali agẽte cui deseruit. Quod autem creatur, producitur ex nihilo, & nullo subiecto præsupposito. Quare circa illud non poterit instrumentum aliquod habere aliquam propriam operationem, & ex consequenti neque Deo deseruire ad creationem. Quod vero gratia non sit producibilis, nisi per creationem, vel hinc suaderi potest. Supernaturalis quippe est, & diuini prorsus ordinis, neque naturaliter produci potest, sed præstantiorem aliquam & maiorem Dei concursum requirit, quam accedentia, quæ naturaliter producuntur in subiectis sibi proportionatis, neque educibilis est de potẽtia alicuius creaturæ. Et quamuis producatur in subiecto, hoc non impedit quo minus dicatur creari. Alioqui neque anima rationalis crearetur, quæ non producitur à Deo extra corpus, sed ab eo creando infunditur corpori, & infundendo creatur. Hoc argumentum frequens est in schola, & varie dissoluitur à Doctoribus Scholasticis. Quidam victi isto argumẽto, dicunt humanitatem Christi esse causam instrumentalem iustificationis nostræ, non quidem, quia ipsa attingat eam, sed quia ista causalis est vera, Deus iustificat nos, quia Christus passus est.

6. Tho. 1. p. q. 45. art. 5. Sco. in 4. d. 1. q. 1.

Respon. 1.

Impugnatio. Sed ad veritatem istius causalis satis esset, Christum fuisse causam meritoriam nostræ iustificationis. Et nisi aliquid amplius dicatur, hoc non satis est ad ostendendum, eum fuisse causam efficientem nostræ iustificationis: nam efficiens, aliquid maius dicit, quam meritoria, vel satisfactoria. Alij dicunt, attingere quidem humanitatem Christi iustificationem nostrã, quia causa est; vt Deus gratiam infundat homini, sed non attingere productionem gratiæ. Et exemplo docent fieri posse, vt humanitas Christi sit causa iustificationis nostræ, licet non sit causa gratiæ, quia homo generat hominem, & connectit animam rationalem corpori, licet non producat animam, quæ à solo Deo creatur.

Resp. 2.

Impugnatio. Sed ego satis non assequor, quomodo aliquid

quid possit aliqua duo inter se coniungere, nisi habeat super vtrumque potestatem. Itaque si vere humanitas Christi attingit coniunctionem gratiæ cum homine, cùm ipsa coniunctione producatur gratia, immo & coniunctio ipsa sit ipsius productio, quia non producitur nisi in subiecto, cur non & pari ratione dicatur, attingere productionem gratiæ? Ideoq; alij constantius & consequentius dicunt humanitatem Christi, causam esse iustificationis nostræ & gratiæ qua iustificamur. Vt tamen euadant argumentum factum, aiunt, gratiam neq; creari, neq; fieri proprie, sed nos creari per illam, quia ex nihilo & sine meritis nostris, ex inimicis simus amici. Quod autem gratia non creetur, probant: Creari, est proprie subsistentium. Gratia autem non subsistit, sed accidens est, inhærens subiecto, in quo est. Item gratia pendet à subiecto in quo est, neq; potest esse sine eo, & secundum plerosq; authores anima rationalis est susceptiuũ ipsius naturale. Quod creatur vero, non pendet, nisi à suo efficiente, pro momento suæ creationis. Si enim eo momento à subiecto pẽderet, educi videretur de potentia illius.

Respons. 1.

Thom. 1. par. q. 45. art. 4. 1. 2. q. 11. art. 2 ad 2. 2. con gent. c. 21. Caiet. 1. 2. q. 112.

Gratia secundum aliquos non creatur.

Argum. 1.

Adde, quod cum tollitur ab aliquo gratia, non videtur ea annihilari. Deus siquidem nihil annihilat, sed diligit omnia, quæ sunt. Cuius vero corruptio non est annihilatio, neque productio est proprie creatio.

Argum. 2.

Alienũ vero à ratione est, vt nobiles sentiunt authores, asserere, formam adeo præcellentem non produci à Deo per creationem, eo saltem modo, quo creatio potest conuenire accidentibus. Quare simplicius & liberius nos respondeamus cum nonnullis recentioribus Scholasticis, creaturam posse esse per potentiam diuinam instrumentum creationis, & eam potestatem esse communicatam Christi humanitati. Quod quidem & ad id consequitur, quod probabile credit Magister Sententiarum, dum humanitati Christi communicatam esse dicit omnipotẽtiam respectu aliorum à se. Quæ & nobis sententia vel hoc nomine probabilior apparet, quod magis perfecto exaltat humanam illam naturam, quam Christus beneficentissima & omnino admirabili dispensatione pro salute omnium sibi vniuit. Quod si necessarium esset, eam exercere aliquam propriam & præuiam operationem, vt Deus ipsa vteretur ad productionem gratiæ, cum gratia producatur in subiecto, posset quidem ex hac parte Deo deseruire ad productionem illius, causando in nobis dispositiones ad eam requisitas, vt dolorem de peccatis, propositum seruandi mandata, & similia. Sed productio istarum dispositionum, non esset operatio naturalis humanitatis Christi, & ad hæc faciendum perinde opus esset, eam à Deo supra naturam suam extolli, sicut & ad productionem gratiæ, & absque illis poterat humanitas Christi iustificare, quos voluisset. Quare qui existimant, necessarium, eam habere aliquam naturalem operationem propriam præuiam productioni gratiæ, vt ad eam efficiendam Deo vt instrumentum deseruiat, præuiam hanc propriam humanitatis Christi operationem, ad iustificationem nostram, & ad alia miracula fuisse dicunt orationem, qua semper vel manifeste, vel occulte vtebatur in omnibus actionibus miraculosis, quas faciebat, aut certe voluntatem, qua volebat eas fieri. Ea namque oratione, vel voluntate deferebatur, inquiunt, imperium diuinum ad creaturam, circa quam debebat fieri miraculum, & contactu saltem virtuali iungebatur humanitas Christi illi creaturæ, vt posset Deo in miraculosa illa operatione deseruire, sicut &, cum Deus vtitur aqua baptismali velut instrumento ad productionem gratiæ in baptizato, aqua habet operationem propriam præuiam productioni gratiæ. Prius enim tangere intelligitur baptizatum, quam Deus illa vtatur ad productionem gratiæ. Verum ego quo magis magisque de hac recogito, quamuis humanitate Christi crediderim nunquam Deum fuisse vsum ad operationem aliquam miraculosam, quin præcesserit aliqua operatio propria ipsius, vt oratio, vel voluntas, quia nunquam Deus ea vsus est, nisi vt instrumento voluntario & libe-

Sco. 1. q. Prolog. & sui.

Argum. 3.

Hent. Gan. quo. 5 q 2.

Sco. in 2. dis. 17.

Creatura potest esse instrumentum Dei ad creationem.

Mag. in 3. d. 14.

Caiet. tom 3 par q. 13. art. 2. post.

Tho. ibi. q. 12 art. 2.

Potuit Christi humanitas instrumentum esse Dei in iustificatione sine aliqua operatione sua præuia.

Digitized by Google

libero, tamen dubitare non possum, quin potuerit etiam illa vti absque vlla operatione propria ipsius. Non sunt quidem omnibus actionibus omnia instrumenta idonea, sed alia his, alia illis magis congruunt: verum de ratione instrumenti non est, vt verissime dicit Doctor Subtilis, quod sit actiuum, sed potest quodcunque agens principale vti aliquo instrumento ad aliquam operationem, quin instrumentum ipsum habeat aliquam operationem propriam præuiam operationi participatæ à principali agente. Licet enim quando faber lignarius serra scindit lignum, vt faciat sedem, præuium quidem sit, serra scindit lignum ad faciendum sedem, magisque serræ sit proprium, scindere lignum, quam facere sedem, tamen ne hoc quidem proprium est serræ vt scindat lignum, sed id habet à principali agente: & si aliquis ea vtatur duntaxat ad scindendum, nulla erit operatio propria ipsius quæ antecedat scissionem ipsam ligni, quæ est operatio participata à principali agente, & ad quam etiam serra ei seruit vt instrumentum. Dein: Operationes propriæ & præuiæ, non dant aliquam efficientiam instrumento respectu actionis supernaturalis, ad quam Deus illo vtitur, & si quam darent, Deus eam posset supplere. Nam potest quicquid facit per causam secundam, per se solum etiam efficere. Neque assequor profecto, quam maiorem commoditatem oratio vel voluntas humanitatis Christi in ipsa efficiat, vt per eas aptior illa & commodior censeatur ad deseruiendum Deo ad opera miraculosa. Vt mereretur quidem, & impetraret ea, poterat oratio illius siue voluntas multum valere, ac fortassis erat necessaria, sed vt instrumentum illa esset, quo Deus vteretur in eorum executione, cur credantur tales operationes necessariæ? Et fictitia sane videtur esse delatio illa imperij diuini, quæ ponitur prærequiri ad actionem miraculosam, in quam Deus sua humanitate vtitur vt instrumento. Contactus etiam per voluntatem aut orationem, metaphoricus est, neque necessarius ad operationes reales, præsertim ab omnipotente Deo exercendas.

Ratio 1.

Sco. in 4. d. 1. q. 4.

Argum. 2.

CAPVT XIV.

Explicantur quædam dubia, occurrentia circa virtutem iustificandi quam Christi humanitati tribuimus.

QVÆRI tamen hic potest, & merito, an necessarius fuerit aliquis contactus realis & physicus inter Christi humanitatem & peccatores, vt Deus sua humanitate vteretur vt instrumento, ad eos iustificandum. Dubium 1

In vtranque partem posset meo iudicio de hoc disputari. Sed sicut sol potest agere, vbi non est per se, sed per suum instrumentum, videlicet per lumen: ita proculdubio, humanitas Christi potuit instrumentaliter iustificare eos, ad quos suis tantum actionibus realibus pertingeret, nempe eos qui illius vocem audirent. Vel hic contactus inter agens & passum, satis est ad quancunque actionem. Præter hæc tamen probabile crediderim, eam potuisse iustificare ad quancunque distantiam eos, quibus cum nec per aliquam suam actionem realem iungebatur. Neque absurdum videri debet, si omnipotentissimus Deus vtatur aliqua creatura ad efficiendum aliquid, vbi non sit illa, neque per se, neque per suum effectum. Nobiles authores de tendunt, posse hoc fieri per virtutem naturalem, idque tam in actionibus realibus, quam in intentionalibus. Et cum media actio, qua humanitas Christi iungeretur Petro realiter, non tribueret aliquam efficientiam ad producendum in eo gratiam, si illa posita, Deus ea potest vti vt instrumento ad iustificandum Petrum, cur non & idem valeat ea semota? Porro quemadmodum humanitas Christi, Deo cooperata est ad resuscitationem eorum, quos ille à mortuis suscitauit, cum tamen vox eius naturaliter peruenire non potuerit ad loca, vbi detinebantur eorum animæ, & Deo deseruiuit ad obtenebrandum solem in cruce, nulla naturali ipsius operatione præuia, qua pertingeret ad eum obscurādum: ita neq; opus profecto fuit, vt aliqua actione reali pertingeret ad omnes, quos voluisset iustificare. Quin vero sicut ad omnipoten-

Respon. Proposit. 1

Proposit. 2

Potuit Christus homo iustificare quantumlibet distantes.

tentem spectat, posse quodcunque factibile, & ad quamcunque distantiam, producere, ita nimirum eximium illud, atque adeo coniunctum diuinæ omnipotentiæ instrumétum verisimillimum est, sic à Deo supra suam naturam exaltatum, vt ad quæcunque, & ad quamcunque distantiam, & absque vlla operatione præuia possit Deo deseruire, neque illis coarctetur limitibus aut regulis, quibus cæteræ creaturæ.

Dub. 2. Sed nunquid habuit Christi humanitas potestatem vtendi, cum vellet, ista virtute? Si ea potuit vti, cum voluit, non instrumenti tantum rationem habuisse videretur, sed etiam principalis agentis, neq; tantum instrumentalis, sed & principalis causa fuisse iustificationis nostræ. Instrumenta non seipsis vtuntur, cum volunt, sed principalia agentia eis vtuntur, cum placet.

Responsio. Ambiguum tamen non est, posse Christi humanitatem & potuisse vti ista virtute sua pro voto & voluntate sua. Nam & sacerdotes pro libito possunt sua vti potestate sacerdotali, quam habent. Neque agenti libero communicauit Deus aliquam potestatem supernaturalem quam non & ipsius subjiceret libertati. Etsi illa non potuisset vti Christus, cum voluisset, neque proprie diceretur Christi humanitas habuisse virtutem iustificandi. Ea enim proprie habere dicimur, quibus vti possumus cum volumus. Et in potestate sibi data in alia miracula, hoc idem explicant, Euangelistæ, cum eum docent voluntate sua & sponte illa fecisse. Quod nisi hac potestate humanitas Christi potuisset vti, cum voluisset, in nullo, quo ad hoc, excessisset illa cæteras creaturas. Quippe Deus illis pro voluntate sua semper vti potest ad nostram iustificationem.

Subiecta fuit potestas iustificandi libertati Christi.

Dub. 3. Quid autem est hæc virtus iustificandi, quam in Christo tam constanter defendimus?

Responsio. Non fuit profecto hæc virtus, aliqua qualitas inhærens, quæ Christi humanitatem idoneum fecerit organum diuinitatis ad nostram iustificationem. Nulla potest esse qualitas tantæ dignitatis & virtutis, quæ natura sua faciat aliquam creaturam efficacem causam gratiæ. Deique solius proprium videtur, natura sua aliquem iustificare, sicut & beatificare. Etsi natura sua non id haberet illa qualitas efficere, frustra illa in eum finem poneretur.

Proposit. 1. Virtus iustificandi non fuit qualitas.

Fuit igitur hæc virtus, peculiaris quædam Dei assistentia, lege vel promissione diuina firmata, qua sic diuinitas humanitati Christi adstitit, & nunc quidem assistit, vt eo ipso quo velit Deus, ea vtatur ad cuiuscunque iustificationem. Et in hoc similis est hæc virtus virtuti, quam habent sacramenta respectu nostræ iustificationis. Siquidem baptismalis aqua non dicitur ab Augustino, habere virtutem abluendi cor, quia habeat aliquam qualitatem sibi inhærentem, qua hoc possit: nulla talis potest esse, neque naturalis, neque supernaturalis, neq; corporalis, neq; spiritalis, neq; successiua, neque permanens, vt egregie probat Doctor Subtilis in 4. d. 1. q. 5. & sequuntur eum Theologi recentiores ibidem. Ideo vero dicitur efficax ad abluendum cor, quia vbi super illam dicuntur verba sacramentalia, diuina ei virtus ex lege communi sic assistit, vt illa vtatur ad abluendum cor. Quoniam autem Deus dona sua cuique rei impartitur, iuxta modum suæ naturæ, humanitati Christi, quæ libera & permanens est, virtutem istam sic perpetuo communicauit, vt ipsa ea pro voluntate sua semper vteretur, cum vellet: sacramentis vero, quæ naturales res sunt, & excepta Eucharistia, successiuæ, hanc virtutem duntaxat largitur, cum nos eis vtimur. Nunquam enim alias Deus per ipsa nos iustificat.

Christi humanitas ... assistentia Dei ... lis ... ma...

Proposit. 2.

Neque in sacerdotibus est aliqua talis virtus, ratione cuius Deus eis vtatur vt organis immediate deseruientibus nostræ iustificationi. Sed ideo illi virtutem dicuntur habere, & authoritatem ad soluendum & remittendum peccata, quia authoritatem habent, vt efficiant sacramenta, quibus Deus vtatur immediate ad nostram iustificationem. Non est tamen vsquequaque certum, quando Deus vsus fuerit & vtatur sua humanitate in iustificationem nostram. Posset quidem ille, vt iam explicuimus, ea etiam in cœlis existente, vti ad omnium iustificationem. Verum quem-

Non omnes iustificantur per Christi humanitatem efficienter.

admodum non in omnes actiones miraculosas vsus est aut vtitur sua humanitate, tametsi ei plenissimam potestatem in eas omnes concesserit, sed in eas duntaxat, quas scimus vel ex Euangelio, vel ex fide dignis historijs, per ipsius humanitatem effectas: ita quamuis ipsius humanitas habuerit potestatem illimitatam iustificãdi, quos voluisset, non tamen respectu omniũ ea vsus est ille potestate, sed respectu eorum duntaxat, quibus per se remisit peccata, nempe respectu paralytici, Magdalenæ, latronis, ac fortassis etiam respectu Pauli. Et cum non nisi ex magna causa soluat Deus legem communem agentium & instrumentorum naturaliũ, quæ non agunt, neque deseruiunt alicui actioni circa passum, cui non sunt coniuncta; verisimile est, nunc solum vti sua humanitate ad iustificationem eorum, qui iustificantur per sacramentum Eucharistiæ, & per se immediate nullos alios regulariter iustificare.

Iustificauit Christus Paulum per suam humanitatem, & iustificat digne recipientes Eucharistiam.

CAPVT XV.

De virtute, quam habuerunt operationes & passiones Christi secundum opinionem S. Thomæ.

SVPEREST tamen & circa hæc vnum aliud dubium, seorsum ab alijs examinandum, an etiam operationes & passiones Christi, causæ fuerint & sint efficientes nostræ iustificationis. Et quidem apud S. Thomam & ipsius sectatores celebre est & receptissimum, passionem, mortem, sepulturam, descensum ad inferos, resurrectionem & ascensionem Christi ad cœlos, & generaliter omnes ipsius actiones & passiones & quicquid circa corpus Christi vsque ad resurrectionem contigit, salutiferum nobis fuisse, & efficienter esse operatum nostram salutem.

Opinio S. Thom. de virtute operationum Christi.

Et quoniam celebris est & valde pia hæc opinio sancti Thomæ, placet eam antequam vlterius progrediamur, declarare & confirmare. Atq; vt melius possimus mentem ipsius colligere, ponam inprimis ob oculos lectori multa loca, in quibus hanc tuetur opinionem. In tertia igitur parte, quæstione 47. art. 6. expresse dicit, Deum quidem esse causam principalem nostræ salutis, instrumentalem autem, passionem Christi. Habet enim, ait, spiritalem virtutem ex diuinitate, cui erat coniuncta humanitas: & sicut medicina adhibita infirmo, instrumentaliter eum sanat, vt instrumentum naturæ infirmi, ita passio Christi adhibita nobis, & spiritali contactu coniuncta nobis per fidem vel fidei sacramenta, specialem efficaciam sortitur, vt sanet nos vt instrumentum Deitatis. Et ibidem generaliter hoc ipsum omnibus actionibus & passionibus CHRISTI humanitatis attribuit.

Et in responsione ad tertium, explicans hæc aliquanto magis, addit, passionem Christi relatam ad diuinitatem, efficienter causare salutem nostram: relatam vero ad voluntatem humanam Christi duntaxat per modum meriti: & secundum quod consideratur in carne, agere quidem per modum satisfactionis, in quantum per eam liberamur à reatu pœnæ: per modum autem redemptionis, inquantum per eam eripimur à seruitute culpæ: per modum vero sacrificij, in quantum per eam reconciliamur Deo. Et ibidem articulo quinto, quæstione 50. idem dicit de morte Christi id fieri, quod hic dixerat de passione.

Et de morte Christi in facto esse, id est, de corpore Christi mortuo, subdit, causasse illud efficienter nostram salutem, & salutiferum nobis fuisse ex virtute diuinitatis ei vnitæ, quicquid contigit circa carnem ipsius etiam anima separata. Et idem repetit ad secundum & ad tertium. Et in q. 51. art. 1. ad 2. asserit, mortem & sepulturam Christi efficienter esse operatam nostram salutem. Et in q. 52. art. 1. ad 2. dicit, passionem Christi fuisse velut causam vniuersalem humanæ salutis viuorum & mortuorum, & virtutem eius applicatam esse mortuis per virtutem descensus Christi ad inferos, viuis vero applicari per sacramenta configurantia nos ipsius passioni.

Et in art. 4. ad 2 ait, descensum Christi ad inferos, non fuisse satisfactorium, sicut sacrificium Missæ, operatum tamen circa

eos in

eos in virtute passionis Christi, quæ fuit satisfactoria. In quæst. etiam 53. art. 1. indicat necessarium fuisse, Christum resurgere propter complementum nostræ salutis. Et in respons. ad 3. addit, passionem Christi operatam esse nostram salutem proprie, quantum ad remotionem malorum: resurrectionem verò, quantum ad inchoationem & exemplar bonorum. Et in q. 56. art. 1. resurrectionem Christi, causam esse ait resurrectionis corporum nostrorum. Et in art. 2. causam esse resurrectionis animarum. Et ad 4. cum dixisset, & passionem & resurrectionem Christi causare iustificationem nostram, quoad remissionem culpæ & nouitatem vitæ: addit, Quoad exēplaritatem tamen, proprie passionem & mortem Christi causare remissionem culpæ: resurrectionem vero, causam esse nouitatis vitæ per gratiam. Et tandem in q. 57. art. 6. subdit, ascensionem Christi, causam esse efficientem salutis nostrę & ascensionis nostræ in cœlos.

CAPVT XVI.

Probatur opinio Sancti Thomæ.

INDVCTVS est autem sanctus Thomas ad tribuendum hanc virtutem iustificādi nos, operationibus & passionibus Christi, partim ex testimonijs scripturæ, partim ex verbis sanctorum Doctorum, partim ex pietate, qua meditari solitus erat actiones & passiones Christi, vt vtilissimas nobis & saluberrimas. Exaltare ille voluit, quantum potuit, quidquid in carne filius Dei pro salute nostra vel egit, vel pertulit. Neque iniuria sic animatus fuit. Sic visum est sapientissimo omnium artifici, vt quibus plurimum concessit dignitatis, eadem & vtilissima & commodissima nobis efficeret.

Thomæ Aquinatis laus.

Atque hinc factum est, vt sicut eximium illud & omnino stupendum incarnationis Dominicæ miraculum nobis saluberrimum fuit, ita & præcellentia omnia opera & passiones Christi, plurimam vtilitatem nobis attulerint, eaque omnia vehementer nos deceat omni amore, reuerentia, gratitudine, pietate, exosculari, & cōplecti. Atque hæc quidem omnia consequi videntur ad ea, quæ ex mente ipsius & aliorum Doctorum superius tradidimus de efficacia humanitatis Christi in iustificationem nostram. Quam enim humanitas Christi, ex coniunctione ad diuinitatem specialem virtutem & efficaciam consecuta est ad iustificandum nos, eandem eadem omnino ratione & ipsius actiones & passiones acquisiuisse sibi iure existimari queunt. Nam ea non aliter vsurus Dei vnigenitus fuit ad operandum nostram salutem, quam per ipsius operationes vel passiones.

Debet quippe instrumentum propriam aliquam habere operationem, vt deseruiat principali agēti in operationem ipsius perfectam. Et quidem passionem Christi, causam fuisse & esse efficientem iustificationis nostræ, suaderi potest. Sacramenta enim proprie sunt efficientes causæ gratiæ, vt supra probauimus. Ea vero totam suam efficaciam habent ex virtute passionis Christi. Ab omnibus etiam conceduntur proprijssime hæ propositiones: Passio Christi reconciliauit nos Deo, Passio Christi iustificauit nos, liberauit à seruitute peccati, effecit salutem nostram.

Passio Christi causa est efficiens iustificationis.

Argum. 1.

Hæc autem & similia veram & propriam efficientiam requirunt. De sepultura item idem probatur Hieronymus dicit: *Sepultura Christi resurgimus* Et Glossa, illa verba Esaiæ, *Dabit impios pro sepultura*: sic exponit, *Dabit gentes, quæ sine pietate erant, Deo & patri, quia mortuus & sepultus eos acquisiuit.*

Argum. 2. Sepultura Christi causa iustificationis.

Esa. 53.

De resurrectione vero apertum est argumentum ex illis verbis Pauli: Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et Petrus aperte dicit, Deum secundum misericordiam suam magnam regenerasse nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis: & Ecclesia in præfatione resurrectionis canit, Christum vitam nostram resurgendo reparasse. Et de resurrectione & ascensione idem possumus insimul probare, quia hæ causales veræ sunt: *Quia Christus resurrexit, & nos resurgemus: Quia Chri-*

Resurrectio Christi causa iustificationis. 3.

Rom. 4.

1. Tet. 1 *Christus ascendit in cœlum, & nos ascendemus.* Deinde: Secundum Philosophum, primum in quolibet genere, est causa omniũ quæ sunt post ipsum. Et naturalis ordo rerum diuinitus institutus hoc habet, vt quælibet causa primo operetur in id, quod est sibi propinquius, & per illud operetur in alia magis remota: quemadmodum ignis primo calefacit aerem sibi propinquum, & per illum corpora distantia: & Deus iuxta Dionysium, primo illuminat substantias sibi propinquas, & per eas illuminat remotas. Quamobrem cum Christus per resurrectionem suam sit, quatenus homo, primogenitus ex mortuis, & per ascensionem suam, primus eorum, qui ex nobis in cœlum ascenderunt, Deus, qui humanitatem Christi suscitauit, & deduxit in cœlum, per resurrectionem ipsius causa erit nostræ resurrectionis, & per ascensionem suam causa nostræ ascensionis. Cumq; anima Christi fuerit à sua morte extra statum merendi & corpus ipsius per se nunquam potuerit mereri, si vulnus Christi lateris, & mors ipsius, & sepultura, & descensus ad inferos & resurrectio, & ascensio non fuissent efficienter operata nostram salutem, cum meritoria non fuerint, neque fuissent nobis salutifera aut vtilia. Quod cui non videatur absurdum?

Arist. 2. Metaph.

Dionys. 13. cal. Hie.

CAPVT XVII.

De varijs modis defendendi S. Thomæ opinionem.

VARIE tamen video piam istam sancti Thomæ sententiam ab ipsius sectatoribus explicari. Quidam ideo putant eum dixisse, passionem Christi causam esse remissionis nostrorum peccatorum, quia causalis ista vera est, Quia Christus passus est, nobis remittuntur peccata: & resurrectionem Christi, causam esse resurrectionis nostræ: quia ista causalis vera est, *Quia Christus resurrexit, nos resurgemus*: & ascensionem ipsius, causam esse ascensionis nostræ in cœlos: quia ista causalis vera est, *Quia Christus ascendit in cœlum, & nos ascendemus.* Statuit enim Deus neminem resuscitare, aut in cœlum deducere, nisi quia resurrexit Christus, & ascendit in cœlos: neque quempiam resuscitasset, aut deduxisset in cœlum, nisi Christus resurrexisset, & ascendisset. Vnde & ad hoc resuscitabit homines sanctos, & deducet in cœlos, vt Christus habeat similes aliquos in resurrectione & ascensione, qui ei corpore viuo & immortali, & eximijs gloriæ dotibus ornato, in cœlis assistant, & ad nutum deseruiant.

Expositio S. Thomæ.

Sed ista haudquaquam satis esse videntur pro his, quæ retulimus ex Angelico Doctore. Enimuero ad harum omnium causalium veritatem, nulla humanitatis Christi vera & propria efficientia ad hoc in nobis efficiendum necessaria est, satisque prorsus est eum & satisfecisse ad plenum pro nobis, & nobis hæc omnia sanctissimis suis & passionibus & operibus meruisse. Nam & vere dicimus Paulum iustificatum esse, quia orauit pro eo Stephanus: neque tamen oratio Stephani aliam habuit efficientiam respectu ipsius quam meritoriam.

Impugnatio.

Oratio Stephani meritoria iustificationis Pauli.

Et verissimum est, Petrum tantam perpetuo habiturum gloriam, quantam habet modo, quia tanta habuit merita in hac vita, quanta ea erant gloria condigna: neque tamen ipsius merita dicuntur causæ efficientes suæ gloriæ aliter, quam per viam meriti. Et si Deus statuisset iustificare homines propter susceptionem sacramentorum, & non alias, essent quidem sacramenta causæ sine quibus non, iustificationis nostræ: sed haudquaquam dicerentur propriæ causæ efficientes ipsius, nisi & aliquo modo in ipsam vel instrumentaliter attingerent.

Neque dixisset sanctus Thomas, actiones & passiones humanitatis Christi, habuisse quandam specialem & spiritalem virtutem ex diuinitate, cui erat vnita, si nihil maius prætendisset quam veritatẽ prædictarum causalium. Poterant quidem illæ causales esse veræ, etiamsi Christi humanitas caruisset tali virtute. Neque aliam efficientiam habuisset passio Christi relata ad diuinitatem, quam relata ad ipsius vel volunta-

luntatem, vel carnem. Cuius contrarium ex articulo 6. quæst. 48. 3. partis, supra allegauimus. Ideoque alij penitius intelligentes, & penetrantes sensum Diui Thomæ, asserunt, eum veram & propriam efficaciam ad iustificandum nos, actionibus & passionibus Christi tribuisse.

Caiet. com. 3. p. q. 56. art. 1

Expositio 2. Thomæ, & ea bipartita.

Quomodo autem illæ efficiant iustificationem nostram, dupliciter potest explicari: primo quidem, quia vere illam attingunt: secundo vero, quia per eas humanitas ipsius constituta est efficax & idoneum instrumentum nostræ iustificationis. Etsi hoc secundo modo eum exponamus, ex consequenti dicemus, propterea eum passioni Christi attribuisse efficientiam remissionis peccatorum, & resurrectioni Christi efficientiam resurrectionis nostræ, & ascensioni ipsius efficientiam ascensionis nostræ, quia cum humanitas Christi ex coniunctione sua ad diuinitatem, sit vniuersale quoddam Dei filij instrumentum ad miracula omnia facienda, quæ ad nostram iustificationem & glorificationem spectant, determinatur ad hoc, vel illud miraculum faciendum per hanc vel illam operationem, seu passionem aut conditionem ipsius.

Vnde & per passionem appropriata sibi videtur virtus seu efficacia ad remissionem nostrorum peccatorum: per resurrectionem, virtus ad cooperandum resurrectioni nostræ: & per ascensionem, efficacia ad cooperandum ascensioni nostræ in cœlum. Et hanc fuisse suam mentem S. Thom. indicauit, cum resurrectionem Christi probauit esse causam resurrectionis nostræ, quia Dei verbum primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter vnito, & per ipsum operatur resurrectionem in omnibus alijs. Et alibi cum dixisset, mortem Christi etiam in facto esse, operatam fuisse nostram salutem, declarat hoc ideo fuisse, quia corpus Christi etiam mortuum, fuit instrumentum diuinitatis sibi vnitæ ad operandum nostram salutem. Ex quibus videtur, non alia ratione efficientiam aliquam tribuisse humanis Christi operationibus, vel passionibus respectu nostræ iustificationis, nisi quia per humanitatem suam Dei filius nos iustificat propter actiones vel passiones, quæ in ipsa fuerunt. Sed hæc satis pro pietate, quam in Angelicum hunc Doctorem & à primis nostrorum studiorum annis gerimus. Videamus, quid & nos, pro nostra exiguitate, probabilius de his esse sentiamus.

S. Thom. 3. part. art. 1. q. 56. 1. Cor. 15. q. 50. art. 6.

CAPVT XVIII.

De virtute humanarum Christi operationum ad iustificandum.

PORRO quidquid Christus vel egit, vel passus est à conceptione sua vsque ad ascensionem, fuisse nobis salutiferum & multis nominibus vtile, certum & extra controuersiam est. Non enim sine magno commodo nostro inter nos manebat, & reditum ad patrem suum procrastinabat. Fuerunt omnia ipsius opera adeo sancta, perfecta, & omni ex parte absoluta, atque oraculis Prophetarum ita mirifice responderunt, vt in illis exemplar habeamus singulare omnium virtutum, certissima argumenta nostræ fidei, expositionem vtriusq; testamenti mirificam, deniq; vbertimam ac plenissimam doctrinam omnium pene, quæ necesse est nos scire.

Et de gestis quidem Christi ante mortem, passim occurrunt & in scriptura & in sanctorum monumentis testimonia, quæ nos hoc luculenter docent: sed & de illis, quæ à morte vsque ad ascensionem vel gessit, vel pertulit, magno consensu idem nobis tradunt sancti Doctores. Augustinus in sermone quodam Paschali: *Pascha Christi fratres carissimi, regnum est cœlorum, salus mundi occasus inferni, gloria supernorum, vita credentium, resurrectio mortuorum, testimonium miserationis diuinæ, precium redemptionis humanæ, contritio mortis abolita.* Et paulo post: *Dies resurrectionis Christi defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria.* Et in sermone alio de ascensione Dominica, *Resurrectio Domini spes nostra est. Ascensio Domini, glorificatio nostra est.* Et alibi generaliter: *Omnis Christi actio, nostra fuit instructio.* Et in epist. 106. refert, coactum fuisse Pelagium in quodam Concilio a-

lio anathematizare inter alia peruersa dogmata, & hoc quoque, quod neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat.

Et Cyp. li. 3. ep. 8. asserit, ideo octauo die fuisse pueros sub lege veteri circuncisos quia primus post sabbathum futurus erat dies, quo Dominus resurgeret, & nos viuificaret. Leo in sermone quodam de ascensione Domini: *Non ergo hi dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt ocioso transiere discursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna reuelata mysteria.* Cyrillus: *Ad omnem naturam humanam, resurrectionis Christi mysterium peruenire credimus, & in ipso primo totum humanum genus liberatum didicimus. Omnes enim resurgent propter eum, qui prius resurrexit, & omnes vt homo in se continebat. Et sicut in primo homine omnes mortui sumus, sic rursus in eo, qui primogenitus propter nos & mortuus est, omnes reuiuiscent.*

Leo serm. 1. de ascens.

Cyril. 4. in Ioan. c. 12.

Gregorius: *Ad hoc Dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla prabendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Vulnus etiam lateris, quod Christo iam mortuo illatum est, vsque adeo nobis fuisse vtile credunt Doctores, vt inde communiter credantur fluxisse sacramenta Ecclesiæ.* Et de baptismo, & de Eucharistia hoc distincte asserit Innoc. 3. c. Cum Marthæ. de celeb. miss. Et Augustinus inde ait, 2. de Gen. contra Manich. c. 24. & alias non semel, ædificatam Ecclesiam, sicut Eua formata est de latere Adæ dormientis. Latissimum tamen fuit discrimen inter opera & passiones Christi vsque ad mortem, & opera seu passiones à morte vsque ad resurrectionem, & à resurrectione vsque ad ascensionem. Vsque ad mortem omnia ea fuerunt nobis meritorie & satisfactorie causa nostræ iustificationis. Erat enim in statu merendi & satisfaciendi, & quidquid agebat vel patiebatur, liberum in eo erat & voluntarium, ac ex maximo Dei amore procedebat, & in nostra commoda ab eo ordinabatur. Proindeque non tantum gratiam, & omnia ad ipsam necessaria, sed & gloriam & resurrectionem & ascensionem nostram, pro fine tamen mundi nobis promeruit. Vnde & Augustinus: *Mors Christi, vtrique nostræ morti, animæ scilicet & corporis profuit.* Et Paulus: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quod idcirco dictum putat ibi Ambrosius, quia Christus omnibus, qui sunt ex eius corpore acquisiuit vitam, id est resurrectionem, sicut Adam per suum peccatum inuenit mortem. Quod si delictum Adæ vtrique nos morti subiecit, & à paradiso exclusit: multo magis obedientia Christi, quæ infinite, aut saltem summe grata fuit patri, liberationem ab vtraque morte, & ascensionem in cœlum, atque omnia quæ cadere potuerunt sub merito, nobis commeruit.

Gregor. 11. Mor. c. 6.

Proposit. 2.

August. 4. de Trin.

1. Cor. 15

Quæ vero à passione vsque ad resurrectionem ab eo gesta vel perpessa sunt, meritoria quidem non fuerunt, vt sanctus Thomas & alij Theologi communiter docent. Nam iam extra statum merendi erat anima, & corpus mortuum capax meriti esse nequit. Fuerunt tamen satisfactoria: quia fuerunt voluntaria omnia illa à voluntate, qua Christi anima & prius, & tum illa volebat pro salute nostra perpeti & facere, & status satisfaciendi, sicut patet in animabus Purgatorij, non tantum protenditur vsque ad mortem, sed etiam vsque ad beatitudinem, & quoad aliquid, vsque ad resurrectionem suam voluit esse Christus propter nos viator. Quoniam autem post resurrectionem neque in statu merendi, neque in statu satisfaciendi amplius fuit, nihil post eam gestum meritorie aut satisfactorie fuit causa iustificationis nostræ. Veruntamen non tantum exemplaris causa nostræ resurrectionis fuit resurrectio Christi, & ascensio ipsius, ascensionis nostræ, quod in proximo capite explicabimus: sed & habuerunt illæ nonnullam efficientiam, tametsi mediatam, respectu iustificationis, resurrectionis, & ascensionis nostræ. *Resurrexit*, ait Paulus, *propter iustificationem nostram* Et hoc ideo dicit, quia si Christus non resurrexisset, nulli vel certe paucissimi recepissent ipsius fidem. Vnde & idem: *Si Christus non resurrexit, inanis est predi-*

Tho. 3. part. q. 57. art. 6.

Proposit. 3.

Rom. 4.

1. Cor. 15

prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Et statim: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. adhuc enim estis in peccatis.*

Ioan. 16 Et ascensionem suam nobis necessariam Christus explicuit illis verbis: *Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Sane absq; aduentu Spiritus sancti, mundus conuersus non fuisset ad Christum. Sunt etiam resurrectio & ascensio Christi causa, quæ patrem cœlestem mouent ad resuscitandum nos & deferendum in cœlum. Vult enim pater cœlestis, vt vnigenitus suus consortes habeat suæ gloriæ etiam in corpore, qui ipsi iugiter assistant.

Quare Paulus incunctanter dicit: *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus*: & nos possumus, eum imitantes, addere: Si Christus ascendit, & nos ascẽdemus. Quod si Christus neq; resurrexisset, neque ascendisset in cœlum, quæ spes esse nobis potuit nostræ resurrectionis vel ascensionis? Nunquid Deus eam gratiã nobis faceret, quam negasset proprio filio?

Proposit. 4. Neque ista vero satis sunt, vt vel passio Christi, vel mors, vel aliæ ipsius actiones vel passiones, credantur fuisse instrumenta, per quæ Deus nos iustificet aliter, quam tanquam per merita vel satisfactiones pro peccatis nostris, quæ adhuc vigent, & retinent suum valorem, & precium in conspectu ipsius. Neq; resurrectio Christi causa erit instrumentalis, immediate attingens, resurrectionem nostram, neq; ascensio Christi nostræ ascensionis. Estque huius opinionis Diuus Bonauentura in 3. d. 19. quæst. 1. Quam & his possumus argumentis suadere:

Argum. 1. Quod non est in rerum natura, neque potest vere & proprie instrumentum esse alicuius actionis, neque principali agenti deseruire. Illæ autem operationes vel passiones Christi iam transierunt, neque vnquam amplius erunt. Vt aliquę operationes nostrę per viã meriti sint causæ alicuius beneficij nobis collati à rege, satis est, licet iam non sint, eatum meritum viuum esse, & permanere in conspectu regis. Vt sint autem instrumenta, per quæ rex conferat illud beneficium, necesse est vt actu existant. Et huius signum clarum est, quod cum, per, nota sit instrumenti, non dicitur rex nobis conferre aliquod beneficium per nostras operationes, sed propter nostras quidem operationes, per suæ tamen manus vel distributionem, vel syngrapham, aut sigillum.

Argum. 2. Deinde: Eodem modo iustificamur per passionem Christi, qui spectamus ad nouum testamentum, ac iustificati sunt sancti veteris testamenti. Sed respectu iustificationis eorum, non fuit passio Christi instrumentum, neque aliam efficientiam habuit quam meriti vel satisfactionis. Quippe ex benignitate diuina acceptata est ab origine mundi, vt meritum & satisfactio: & quod nondum est, sed certissime futurum est, potest hac ratione habere vim aliquam quatenus meritum vel satisfactio, iam aliquo modo vt præsens acceptatur, non potest autem habere propriam & veram efficaciam ad agendum. Nam agere, præsupponit esse.

Argum. 3. Insuper: Non vtitur Christus in iustificationem nostram omnibus actionibus & passionibus suis. Nam in vnam & eandem actionem nunquam vtitur agens principale pluribus instrumentis, quorum quodlibet sit sufficiens in eam actionem. Igitur cum quælibet actio vel passio Christi, immo & ipsius humanitas, sine illis sufficiens fuerit & idoneum instrumentum ad iustificandum nos: neque vtetur aliqua sua actione vel passione Christus, vt instrumento nostræ iustificationis. Qua ratione enim vna vteretur, vteretur & reliquis.

Argum. 4. Præterea: Nihil est necesse, vt vera sint testimonia scripturæ & sanctorum, aliam efficientiam salutis nostræ tribuere actionibus Christi & passionibus vsque ad resurrectionem suam, quam meritoriam vel satisfactoriam. Siquidem ea satis est vel sola, vt & illæ, & ipsa præsertim mors Christi, causa dicatur salutis nostræ & libertatis nostræ, & saluasse, & liberasse nos. Quemadmodum & Petrus suis precibus vel obsequijs apud regem, vel certe suis expensis redemisset Ioannem captiuum, & damnatum ad mortem, vere profecto ab omnibus dicetur causa libertatis & salutis illius, & saluasse & liberasse illum, etiamsi nul-

lam aliam efficientiam respectu illius habuisset, quam meritoriam vel satisfactoriam.

Et pro illis testimonijs, quibus videtur tribui efficientia aliqua resurrectionis nostræ, resurrectioni Christi, & ascensionis nostræ, ascensioni Christi, satis nimirum est, Deum ita disposuisse, vt nullum resuscitaret, aut deduceret in cœlum, nisi Christus resurrexisset, & ascendisset in cœlum. Si enim rex statuisset nulli aliquorum nobilium dare equum & arma, neq; permitteret quemquam egredi ad præliandum, nisi princeps ipsius filius egrederetur in prælium, & ipso exeunte, faceret multis eam potestatem, & eis omnibus equum & arma tribueret, vere diceretur egressus principis in prælium, causa esse egressionis nobilium, & collationis equorum & armorum, quæ eis essent à rege distributa: neque tamen id satis esset, vt in ista censeretur egressus principis ad præliandum, habere aliam causalitatem vel efficientiam, quam, causæ sine qua non, vel motiuæ potius voluntatis regis. Etsi rex statueret vinctos omnes liberare à carceribus, & magnis onerare muneribus, regrediente ad se principe & non alias, regressus principis ad regem, causa proprie diceretur liberationis vinctorum & collationis eorum munerum: non esset tamen aliter causa eorum, nisi quia motiua voluntatis regis ex pacto vel statuto ipsius.

Simile.

Atque his argumentis & exemplis possemus ostendere, neque illa etiam ratione tribuendam esse operationibus vel passionibus Christi efficientiam instrumentalem respectu iustificationis, resurrectionis, & ascensionis nostræ, quia per eas operationes vel passiones humanitas ipsius fuerit facta idoneum & efficax instrumentum ad ista. Si quidem ne hoc quidem satis est, vt illæ censeantur instrumenta proprie. Non enim instrumenta nostra dicuntur operationes, quibus faber ferrarius aptauit nobis gladium, quo temperamus calamum, licet illis factus sit * gladium idoneum nobis instrumentum. Deinde: Ante illas operationes habuit Christi humanitas virtutem ad hæc faciendum. Habuit quippe eam, vt etiam S. Tho. fatetur, ex coniunctione ipsius ad diuinitatem, quæ fuit facta in incarnatione. Et vbi passio Christi potuerit impetrare meritoriè hanc virtutem suæ humanitati, & hac ratione saltem potuerit dici fecisse passionem Christi suam humanitatem, efficax instrumentum in ista, qua tamen ratione idem possit dici de resurrectione & ascensione ipsius, profecto non video. Non enim fuerunt istæ operationes meritoriæ. Et quod efficitur per humanitatem Christi glorificatam, potuisset effici per eam non glorificatam, neque aliquid potuerunt in eam efficere, aut derelinquere, ratione cuius efficax sit nunc instrumentum in istos præcellentes effectus.

Argum. 1.

For. * gladius.

Argum. 2.

Neque satis est, vt Deus neminem statuerit resuscitare, aut in cœlum deferre ante resurrectionem & ascensionem Christi, vt istæ operationes dicantur fecisse humanitatem Christi efficacem ad similia in nobis efficienda. Alioqui & peccatum causa proprie fuerit attingens incarnationem, si teneamus, sicut tenet S. Thomas, filium Dei incarnandum non fuisse, si Adam non peccasset. Quid igitur? Nonne per aliquas operationes suas, humanitas Christi nostram salutem operata est? Si per nullas suas operationes hoc fecit, quomodo stat, quod supra constanter defendimus, efficacem causam instrumentalem eam fuisse nostræ iustificationis?

Diluitur tacita obiectio.

Obiectio.

Operata quidem illa est salutem nostram in medio terræ meritorie & satisfactorie, per omnia quæ gessit & pertulit vsque ad resurrectionem, sed efficienter, seu instrumentaliter proprie tantum per illas actiones, quibus significauit se condonare peccata hominibus, & quibus ipsos iustificandos realiter attigit. Sicut enim dedit sanitatem infirmis, illis solis operationibus, quibus expressit se velle eos sanare, & quibus tactu carnis suę salutiferę eos attigit, ita illis solis peccatores iustificauit, quibus expressit se eos iustificare, & quibus vel per baptismum, vel per aliquod aliud sacramentum eos attigit. Et quia morte sua illos videtur attigisse, qui ad vocem illam Christi,

Respon.

Pa-

Luc. 23 sti, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: & ad miracula, quæ tum facta sunt, conuersi sunt, forte & illos per ipsam efficienter iustificauit, & eadem ianuas cœli nobis aperuit, & non tantum meritorie & satisfactorie, sed etiam vere efficienter videtur reconciliasse humanum genus cum Deo. Quod si nunc omnis iustificatio fieret à Deo per operationes Christi, quatenus homo est, humanitas ipsius concurreret ad collationem sacramentorum, & largiretur dispositiones, quibus iustificamur, & istis solis operationibus & applicationi suæ humanitatis ad nos in susceptione Eucharistiæ, conueniret hæc tanta & tam eximia virtus. Ad eundemque modũ, si per Christum, vt homo est, resurrectio omnium fiet, erit humanitas ipsius causa resurrectionis nostræ, per coniunctionem, qua vt instrumentum diuinitatis, connectet animas hominum cum proprijs corporibus. Nam aliæ operationes suæ humanitatis, quæ iam transierunt, & desierunt esse, quomodo propriam rationem instrumenti habere possint in iustificatione, aut resurrectione nostra, non intelligo. Cumque facta resurrectione, gloriosa corpora sanctorum habitura sint propriam virtutem, vt possint conscendere in cœlum, nihil opus est dicere, humanitatẽ Christi, causam fore ascensionis eorum, vel sua aliqua operatione eos secum relaturam esse in cœlum.

CAPVT XIX.

Christus secundum humanitatem causa exemplaris iustificationis.

POTERVNT quæ iam diximus, satis esse, vt intelligamus, quam efficiẽtiam habuerit humanitas Christi respectu nostræ iustificationis. Verum qui eam supra omnes creaturas exaltauit, & admirabilibus prerogatiuis insigniuit, non contentus fuit, si meritoria & instrumentalis causa esset nostræ iustificationis. Hanc siquidem prærogatiuam etiam alijs creaturis, licet non cum tãta gloria, imparritus est. Voluit itaque, vt humanitas Christi causa esset exemplaris iustificationis omniũ hominum. Et huius laudis nullam aliam creaturam participem fecit.

Vocamus autem causam exemplarem alicuius effectus, causam illam, ad cuius exemplar & similitudinem fit ille effectus. Et generaliter omne illud, quod agens principale velut prototypum suarum operationum spectat, vel cui assimilare intendit quod facit, dicitur causa exemplaris earum operationum. Et hac ratione imagines, quas subinde respiciunt pictores, vt inde alias extrahãt & delineent, causæ dicuntur exemplares earum, quas denuo depingunt. Et essentia diuina, causa dicitur exemplaris, siue idea omnium creaturarum, quia in eam, quæ omnium ipsarum distinctissima & perfectissima similitudo est, Deus respiciens, mundum & omnia, quæ in ipso sunt, creat & creauit. Exemplaris causa.

Et quia Deus, teste Paulo, quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, vel hoc vno argumento possumus suadere, Christum, secundum suam humanitatem sanctissimam, & vnice à Deo dilectam, causam fuisse exemplarem nostræ iustificationis. Ei enim assimilare vult Deus omnes, quos iustificat. Et ipse est omnium prædestinatorum primus, & caput ac velut initium omnium eorum. Et vel hoc nomine possumus eum, vt homo est, primogenitum omnis creaturæ dicere. Nam de eo Paulus interpretatur verba illa Psalmistæ, *In capite libri scriptum est de me.* Quæ ad librum prædestinationis & præscientiæ diuinæ, non immerito communiter referuntur. Et de eodem quatenus homo est, alibi ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Christus secundum humanitatem causa est exemplaris iustificationis. Argum. 1. Hebr. 10. Psal. 39. Coloss. 1.

Quamobrem, sicut effectus omnes participatio quædam sunt suarũ causarum exemplarium, sic tota nostra iustitia, participatio quædam est plenitudinis iustitiæ Christi *De plenitudine enim eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* *Et ipse vnctus est à patre cœlesti oleo lætitiæ & exultationis præ consortibus & participibus suis*, sicut Paulus & Dauid testantur. Filiatio etiam naturalis, exemplar est filiationis adoptiuæ. Cum igitur iustifica- Argum. 2. Ioan. 1. Psal. 44. Hebr. 1. Argum. 3.

tio nostra, adoptatio quædam sit in Dei filios, causa illius exemplaris Christus erit, qui solus est filius patris naturalis. Item resurrectio Christi, causa dicitur esse exemplaris nostræ resurrectionis. Paulus enim apertè dicit: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Et alibi: *Sicut complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Beatitudo etiam Christi, causa est exemplaris nostræ beatitudinis. Idem enim Paulus dicit: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Argum. 4. S. 3. par. q. 56. art. 1. — Philip. 3 — Rom. 6 — Argum. 5. — Rom. 8

Argum. 6. Præterea, secundum principia Philosophica, primum in vnoquoque genere, metrum est & mensura omnium, quæ continentur in eo genere: & beatitudo animæ Christi, & gloria corporis sui, sine dubio primæ sunt & præstantissimæ omnium gratiarum & beatitudinum. Erunt igitur & causæ exemplares nostræ gratiæ, & nostræ gloriæ animæ & corporis, & earum metrum & mensura: & tanto aliquis gratior erit Deo, & beatior, quanto ipsius gratiæ & beatitudini fuerit vicinior & similior.

Obiectio. Verum obijciet aliquis, Deum solummodo spectare suam essentiam, vt faciat quidquid siue ad intra, siue ad extra operatur: atque ideo solam eam esse posse respectu Dei causam exemplarem, etiam respectu nostræ gratiæ & gloriæ. Si causa exemplaris illa sola est, quam respicit agens principale in operando, equidem nulla alia potest Deo esse causa exemplaris, quam sua essentia. Ideo tamen gratiam Christi dicimus causam esse exemplarem nostræ gratiæ, quia Deus dum nos iustificat, pertendit assimilare nos Christo in gratia. Quod quidem satis esse videtur ad causam exemplarem. Namque effectus perinde assimilatur formæ, cui ex intentione fit similis, ac formæ, quam respicit agens in agendo. Quod si tandem dicatur hoc non satis esse, vt sit iustitia Christi, respectu Dei, causa exemplaris ad iustificandum, erit saltem exemplaris respectu ipsius gratiæ.

Respon.

CAPVT XX.

Christi gloriam, causam esse finalem, non vltimatam tamen, nostræ iustificationis.

HABET insuper humanitas Christi aliam prærogatiuam ad hoc spectantem propositum, & dignissimam illam quidem, quæ silentio non prætereatur. Ea autem est, vt ipsius gloria & exaltatio, causa sit finalis nostræ iustificationis. Causa enim finalis alicuius operationis ea dicitur, cuius gratia eiusmodi operatio fit: siue, in quam ea operatio vel natura sua, vel ab agente principali ordinatur. Cum igitur in gloriam siue exaltationem humanitatis Christi, nostra iustificatio à Deo ordinetur, vt statim monstrabimus, erit illa proculdubio causa finalis nostræ iustificationis.

Gloria Christi causa est finalis iustificationis.

Sic tamen hoc est intelligendum, vt Deus quidem, siue ipsius gloria, vt iam diximus, causa sit finalis vltimata & potissima nostræ iustificationis: Christi autem humanitas, siue gloria ipsius, causa sit finalis extrinseca, & non vltimata, sed subordinata ei. Cum enim ipse sit finis vltimatus omnium, in hoc voluit pro sua singulari bonitate exaltare humanitatem, quam secum vniuit, & suæ gloriæ magnificentissime consortem fecit, vt & ipsa quoque finis esset non vltimatus nostræ iustificationis.

Itaque sicut per Christum secundum diuinitatem sunt omnia, iuxta illud Pauli, *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari:* ita per eundem Christum, secundum suam humanitatem, & propter ipsum est tota nostra iustificatio. Et quamuis hoc difficile creditu visum fuerit nonnullis viris doctissimis, qui causa Concilij conuenerunt Tridentum, verum hæc sententia & pluribus, & doctioribus probabilior visa est, & tandem communi patrum consensu, vt iam vidimus, in hoc capite est probata.

Hebr. 2

Et argumentum, quod mihi illam persuadet,

Argum. 1.

suadet, est hoc: Gloria & exaltatio humanitatis Christi, siue Christi quatenus homo est, consequitur ex iustificatione nostra, ex intentione Dei & nostra. Et iustificatio nostra ordinatur & à Deo, & à nobis, & ipsa natura sua in gloriam Christi, quatenus homo est. Ergo ipsa, causa est finalis, seu finis iustificationis nostræ Illud siquidem, vt diximus, causa est finalis cuiuscunque actionis, cuius gratia illa actio fit, vel in quam ea actio ordinatur vel suapte natura, vel saltem à principali agente. Quod autem exaltatio humanitatis Christi consequatur ex iustificatione nostra, & in eam suapte natura iustificatio nostra ordinetur, perspicuum est. Redundat enim nostra iustificatio in suam gloriam, & attestatur suæ gloriæ, eamque nobis magnifice commendat, sicut & vnumquodque electum opus redundat in gloriam sui factoris, & eum commendat, & illius gloriæ seruit, & suapte natura in eam ordinatur. Quis ambigat, tanto Christum gloriosiorem fore, quanto plures de potestate dæmonis eripuerit, & in maiorem honorem & gloriam suis præcellentibus meritis prouexerit? Tanto certe quisque vel Dux, vel Imperator gloriosior & illustrior habetur, quanto plures è suis, de captiuitate hostium redemerit, & plurium bonorum, maiorisque gloriæ participes eos fecerit? Neque obscurum est, Deum, vt glorificetur Christus, nos iustificare. In omnibus enim exornare & magnificare cupit pater cœlestis suum filium, etiam quatenus homo est, & pro nimio suo in eum amore, ab omnibus vult eum coli, adorari, & honorari. Quare & multo magis ipse iustificationem nostram in ipsius gloriam ordinabit, quam ipsa sit suapte natura ordinata. Quod quidem & Paulus videtur innuisse, si tamen verior sit, quæ communior est, lectio exemplarium Græcorum, cum dicit, patrem cœlestem benedixisse nos omni benedictione spiritali in cœlestibus, Christo. Quid est aliud nos benedixisse Christo, quam benedixisse nos in gloriam & laudem Christi? Hoc etiam innuunt illa verba paulo ante citata, *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Namque his verbis significari videtur Deus, cum prædestinauit multos conformes filio suo, id spectasse, quod erat gloriosissimum Christo, vt & ipse haberet multos fratres, & eorum ita esset primus, vt illi eum & venerarentur, & honorarent, & illustriorem cunctis facerent.

Quid sit alicuius causa finalis.

Rom. 8.

Quippe habuisse se pater cœlestis in his videtur sicut rex, qui vt honoret principem filium suum, multos alios nobiles, equites facit, & vestibus & armis, & nonnunquam titulis & priuilegijs exornat insignibus, vt comitentur & honorent magis suum filium, ac tanto ille gloriosior incedat, quanto nobilioribus & illustrioribus processerit comitatus asseclis. Atque exaltatio & glorificatio nominis Christi, vnum est, & non infimum ex præmijs, quæ pater cœlestis retribuere statuit singularibus meritis Christi. *Humiliauit semetipsum,* ait Apostolus de Christo, *factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Et ipse Christus de seipso secundum humanitatem dicit apud Ioannem: *Neq; enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.* Et vt pateret de seipso, quatenus homo est, ista dixisse, adiecit statim: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Et hæc est claritas seu gloria, qua se petijt, apud Ioannem, clarificari à patre, & quam ei præstiturum Spiritum sanctum aduentu suo, prædixit his verbis: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Dubium itaque esse non potest, quin pater cœlestis conuersionem mundi ad fidem, & totam iustificationem nostram ex proposito ordinet & referat in hoc, vt glorificetur Christus quatenus homo, quippe qui & illam meruit, & pro ea obtinenda mirifice laborauit. Quod nisi ita esset, nec esset præmium mortis Christi iustificatio nostra. Nullum enim aliud bonum ipsi accedit ex ea, nisi gloria & exaltatio nominis sui. Præmium autem esse suæ mortis nostram

Philip. 2.

Ioan. 5.

17.

16.

Esa. 53 ſtram iuſtificationem, aperte explicuit Eſaias, cum ait: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.*

Quamobrem & nos quidem vehementer decet, & mille nominibus debemus, ipſius gloriam & exaltationem in iuſtificatione noſtra & in omni profectu ſpiritali præcipue ſpectare. Quando enim ille per omnia quæſiuit noſtram gloriam, neque labori vlli, immo neque vitæ ſuæ, quo nos exaltaret & glorificaret, pepercit, & nos quoque viciſſim omnia in ſuam gloriam faciamus par eſt: & vel ideo iuſtificari, & inſigniter proficere in iuſtitia velimus, vt & ille magis inde & à nobis, & à cæteris magnificetur & exaltetur.

2. Cor. 5 *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, teſte paulo, *vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Et hoc fuiſſe ſemper votum & propoſitum ſuum, & ſanctorum omnium, aperte teſtatur idem Paulus in hæc verba: *Nemo noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. In hoc enim ille mortuus eſt & reſurrexit, vt mortuorum & viuorum dominetur.* Si hoc eſt, & eſſe debet fidelium ſeruorum votum, vt in omnibus Domini ſui gloriam & exaltationem quærant: iuſtum quidem eſt, vt & nos Chriſti ſanguine redempti, & maiori multo iure ipſius ſerui facti, quam vlli alij ſint ſerui dominorum ſuorum, ipſius gloriam & exaltationem vbique & in omnibus noſtris quæramus, ſitiamus, & totis præcordijs deſideremus. (Rom. 14)

Et cui ſecundum Deum iuſtius aut commodius optemus ſeruire omnia bona noſtra, quam cui omnia illa & ſolide, & ex aſſe debemus, cuique omnibus illis ſeruiendo, & nobis & ipſis maximam gloriam comparamus? Atque vt hoc diligentius & ſtudioſius faciamus, ipſa ratione capitis & membrorum admonemur. Decet membra vitam & gloriam ſui capitis pro ſua quodq; parte quærere. Vnde & manum videmus natura ſua ſe exponere, vel certe à nobis exponi naturaliter, vt defendatur caput. Si ciues bene inſtituti, gloriam ſui regis ſuæ anteferunt, ſi ſubditi prælatum ſibi anteponunt, ſi diſcipuli magiſtrum, ſi milites ducem: quanto æquius eſt, nos, qui ſub Chriſto rege, duce, magiſtro & paſtore viuimus & militamus ipſius gloriam vbique & in omnibus inprimis quærere & ſpectare? *Finis legis Chriſtus eſt*, teſte Paulo, *ad iuſtitiam omni credenti*: & omnes cæremoniæ, & omnes Prophetiæ veteris teſtamenti in hoc ordinabantur à Deo, vt prædicarent, ſignificarentque & commendarent nobis gloriam Chriſti multo ergo profecto iuſtius eſt, vt & nos, qui pluribus & maioribus nominibus ei ſumus deuincti, omnia noſtra bona in laudem illius referamus. Rom. 10

Sicut igitur finis intrinſecus iuſtificationis noſtræ, beatitudo eſt noſtra, extrinſecus vero vltimatus, eſt Deus & ipſius gloria: & ad hoc Deus nos iuſtificat, vt beati ſimus, & ipſius gloriæ perpetuo ſeruiamus ita extrinſecus finis noſtræ iuſtitiæ, non vltimatus tamen, Chriſtus eſt quatenus homo, & ipſius gloria & exaltatio: & ad hoc Deus nos iuſtificat, vt Chriſti gloria per noſtram iuſtificationem augeatur, creſcat, & maiora in dies incrementa laudis ſuſcipiat. Et quemadmodum non ſequitur, quidquam extrinſecum eſſe cauſam voluntatis diuinæ, quamuis beatitudo noſtra formalis & intrinſeca, dicatur cauſa finalis iuſtificationis noſtræ: ita neque diuinæ voluntatis cauſa extrinſeca, erit gloria & exaltatio nominis Chriſti, licet ea ſit cauſa finalis noſtræ iuſtificationis. Progrediamur igitur ad explicandum cauſam formalem, qua iuſtificamur. (Diluitur tacita obiectio.)

CAPVT XXI.

De nouis quorundam opinionibus, aſſerentium Chriſti iuſtitiam cauſam eſſe formalem noſtræ iuſtificationis.

TRACTATVRI de cauſa formali noſtræ iuſtificationis, illud in primis videbimus, num Chriſti iuſtitia vel Chriſtus ipſe, defendi poſſit ipſius eſſe cauſa formalis. Vocamus autem cauſam formalem, alicuius effectus vel denominationis formam, quæ eam denominationem tribuit, ſicut albedo cauſa eſt formalis, qua ſumus

sumus albi: & sapientia causa formalis, qua sumus sapientes. Albedo enim tribuit subiecto, in quo est, denominationem albi: & sapientia tribuit rei in qua est, denominationem sapientis. Itaque hoc nunc disquirimus, an sicut per albedinem sumus formaliter albi, & per sapientiam sapientes, & albedo denominat nos albos, & sapientia sapientes: ita & per iustitiam Christi simus formaliter iusti, & ea sit, quæ nos coram Deo faciat & denominet iustos.

Et de hoc noua quædam opinio, & quod quidem scire potuerim, nostris Patribus ignota, cœpit his temporibus ab aliquibus defendi, asserens nos iustificari per iustitiam Christi, velut per causam formalem & essentialem, & ab ea proprie & præcipue habere nos, quod simus iusti coram Deo.

Sed ne videantur absurde loqui, dicentes, nos iustificari formaliter & propriè per illud, quod in nobis non est, dicunt, non iustificari nos per iustitiam Christi, quatenus in ipso est, sed quatenus nobis imputatur ad meritum, & remissionem peccatorum, & renouationem mentis nostræ, & acceptationem ad vitam æternam.

Et potest exemplo hoc declarari ista opinio. Si Petrus sit inimicus regi ob crimina aliqua, quibus eum offendisset: & princeps ipsius filius ex mandato suo præclarum aliquod obsequium regi præstaret ad satisfaciendum pro Petri criminibus, & ob illud obsequium princeps à suo patre postularet, vt Petrum reconciliaret sibi, petitionique filij rex acquiesceret, Petrus diceretur esse acceptus & reconciliatus patri per iustitiam seu meritum illud principis, non quidem quatenus illud meritum erat quædam actio vel passio principis, sed quatenus à rege ob gratiam sui filij imputaretur Petro ad remissionem criminum suorum, & ad recipiendum eum in suam gratiam.

Cum nos igitur inimici essemus Deo propter peccata nostra, & reconciliati fuerimus ipsi per mortem, quam filius Dei ex mandato patris sui pro nobis subiuit in cruce, eaque morte iustitiam omnem impleuerit, & pro nobis copiosissime satisfecerit, per iustitiam Christi, sentiunt isti authores, nos iustificatos esse, & iustos esse formaliter, non quatenus illa in ipso fuit, sed quatenus à patre misericordiarum benigne nobis imputatur ad iustificationem nostram, & redemptionem à peccatis nostris, & reconciliationem cum Deo, perinde ac si nostra ipsorum esset, & nos ipsi pro nobis satisfecissemus.

Sed inter hos qui hanc tuentur opinionem, quidam sic eam tutati sunt, vt crederent, excepta fortassis fide, nullam prorsus esse aliam iustitiam, qua simus formaliter iusti: alij vero sic quidem receperunt istam opinionem, vt tamen præter eam assererent, & nobis inhærere aliam iustitiã creatam, quæ vel gratia, vel caritas est, qua formaliter dicimur iusti.

Et hinc nata est diuisio illa modò frequens in ore Theologorum, insolita tamen antiquis temporibus, de duplici iustitia, inhærente scilicet, & imputatiua. Primus vero, ex his quos scire potuerim, author huius opinionis, quod nos iustificemur formaliter per iustitiam Christi imputatam nobis, fuit Martinus Lutherus in commentarijs epistolæ ad Galatas ca. 2. vbi sic ait: Fides apprehendit Christum, qui est forma, quæ fidem ornat & informat, vt color parietem. Est ergo formalis nostra iustitia, non caritas informans, sed fides, & nebula cordis, hoc est, fiducia in rem, quam non videmus, hoc est, in Christum. Et paulo inferius subdit: Sicut Sophistæ dicunt, caritatem formare & imbuere fidem, sic nos dicimus, Christum informare & imbuere fidem, vel formam esse fidei. Ergo fide apprehensus, & in corde habitans Christus, est iustitia Christiana, propter quam nos Deus reputat iustos, & donat vitam æternam. Ex quibus verbis liquet, eum sensisse, vnum Christum esse nostram iustitiam formalem, & eum esse formam fidei, & præter eum nullam aliam esse in nobis iustitiam, excepta fortassis fide. Et in eum sensum videntur Protestantes in confessione Augustana, & Philippus in Apologia ipsius, defendere, nos iustificatos per iustitiam Christi. Passim enim irrident habitum

Diuisio noua iustitiæ in inhærentem, & imputatiuam.

Error Lutheri de iustitia imputatiua.

bitum iustitiæ inhærentis, quem Scholastici ponunt, & per iustitiam Christi fide apprehensam & imputatam nobis, asserunt nos iustificari. Et sequitur hanc sententiam nouus quidam author Margaritæ Theologicæ. Ponunt vero & hanc iustitiam imputatiuam, & alteram inhærentem, ad nostram iustificationem concurrere, Colonienses canonici, authores illius libelli vulgo vocati *Antididagma*. Nam capite illo, quo tractant de causis per quas iustificamur, vbi explicuissent per solum Deum nos iustificari, tanquam per causam efficientem & operantem, & per solum Christum tanquam per causam meritoriam, & per fidem & pœnitentiam, seu contritionem & alia gratiæ præuenientis, opera, tanquam per causas dispositiuas, præparatiuas, & susceptiuas, quibus partim præparamur & disponimur, partim iustificationem ipsam recipimus, addunt hæc verba: *Eodem modo iustificamur à Deo iustitia duplici, tanquam per causas formales & essentiales. Quarum vna prior est, consummata Christi iustitia; non quidem quemodo extra nos in ipso est, sed sicut & quando eadem nobis, dum tamen fide apprehenditur, ad iustitiam imputatur. Hæc tamen ipsa ita nobis imputata iustitia Christi præcipua est, & summa iustificationis nostræ causa, cui principaliter inniti & fidere debemus. Alter vero iustificamur formaliter per iustitiam inhærentem, quæ remissionem peccatorum simul cum renouatione Spiritus sancti, & diffusione caritatis in corda nostra secundum mensuram fidei vniuscuiusque nobis donatur, infunditur, & fit propria.* Hæc ibi. Et inclinasse videntur in hanc sententiam authores etiam libelli oblati à Cæsare Collocutoribus in Comitijs Ratisponensibus. Capite enim quinto inter cætera bona nobis communicata in iustificatione nostra, computant imputationem iustitiæ Christi, & fide catenus dicunt nos iustificari, id est, acceptari & reconciliari Deo, quatenus apprehendit misericordiam & iustitiam, quæ nobis imputatur propter Christum & eius meritum, non propter dignitatem seu perfectionem iustitiæ, nobis in Christo communicatæ: & fidelem animam ... non inniti iustitiæ sibi inhærenti, sed soli iustitiæ Christi nobis donatæ, sine qua nulla est omnino, neque esse potest iustitia & addunt, eos, quos suorum peccatorum vere pœnitet, semper fide certissima oportere statuere, se propter mediatorem Christum Deo placere, quia Christus est, propitiator & pontifex & interpellator pro nobis, quem pater donauit nobis, & omnia bona cum illo.

Licet igitur non vtantur verbo, formaliter, neq; dicant iustitiam Christi causam formalem nostræ iustificationis, sicut Colonienses, tamen eandem cum illis videntur secuti sententiam, quia præter iustitiam inhærentem, alteram iustitiam, nempe Christi, communicari nobis asseruerunt, qua præcipue simus iusti, cuique soli debeamus inniti.

Et hanc eandem opinionem quidam doctissimo illi hæreseos Lutheranæ impugnatori Alberto Pigio Campensi attribuunt. Neque omnino sine causa. Nam in secunda sua controuersia, quæ de fide est & iustificatione, cum explicuisset, nostram iustitiam multum deficere à regula diuinæ iustitiæ, etiam quatenus nostræ infirmitati attemperata est, neque nos vnquam exacte respondere rectitudini diuinæ legis, addit, nobis succurrisse Deum misericorditer per iustitiam Christi, eaque nos induisse, & nostram iniustitiam cooperuisse, & sub ea veluti sub vmbone & clypeo à sua, quam commerueramus, ira nos abscondisse ac protexisse, & iure amicitiæ, quæ communia bona amicorum facit, ita nobis Christo vnitis, insertis, & incorporatis, illius iustitiam impartitam esse, ac nostram fecisse, vt ea tecti ornatique, audacter & secure diuino nos sistamus tribunali & iudicio, iustique non solum appareamus, sed etiam simus. Nobis enim ei coniunctis, illius obedientia sic accepta fertur, ait, ac si nostra esset, ita vt ea ipsa etiam nos iusti habeamur. Et velut ille quondam Iacob, qui cum natiuitate primogenitus non esset, sub habitu fratris occultatus, atque eius vestem indutus, quæ odorem optimum spirabat, seipsum insinuauit patri, vt sub aliena persona benedictio-

nem

nem primogeniturae acciperet: ita & nos sub Christi primogeniti fratris nostri preciosa puritate delitescere, bonoreius odore fragrare, & eius perfectione vitia nostra sepeliri & obtegi, vt pientissimo patri nos gratamus, & iustitiae benedictionem ab eo assequamur. Ea namque vna, ait, est quae vt vera & perfecta, Dei sustinere conspectum potest, eamque vnam pro nobis sisti oportet tribunali diuini iudicij, & velut causae nostrae intercessorem eidem repraesentari. Ipsa enim subnixi, & hic obtinemus remissionem peccatorum, & ipsius puritate velanturnostrae sordes, & imperfectionum immunditiae, ne in iudicium Dei veniat. Vae enim hominum vitae, quantumcunque laudabili, vt bera & verissima voce pronunciat Augustinus, si remota misericordia iudicetur. Haec ibi. Aduertendum & illud, vt non omnino immerito videatur ei tribui ista opinio, eodem modo illum ibi velle, nos per Christi iustitiam constitutos esse iustos, ac sumus peccatores constituti per inobedientiam Adae. Quare cum ipse in prima controuersia tenuerit, peccatum originale nihil aliud esse quam inobedientiam Adae imputatam nobis: videtur hac comparatione innuere, nullam aliam se credere in nobis iustitiam quam iustitiam Christi imputatam nobis & communicatam. Auget item hanc suspicionem, quod post multa alia, quibus hanc eandem sententiam subindicat, tandem adijcit, se deregere omnibus Adae filijs propriam, quae ex suis operibus esset, coram Deo iustitiam, & docuisse, vna Dei in Christo niti nos posse iustitia, & vna illa iustos esse coram Deo, vacuos & destitutos propria: atque ideo hanc sententiam aliquanto se diligentius adstruxisse, ne Scholastici aliqui fortassis eam damnarent & abijcerent, si nudam eam legerent, & non perinde fultam & communitam.

CAPVT XXII.

Quod Christi iustitia neq; sit, neq; possit esse causa formalis nostrae iustificationis.

SED vtcunque sit de authoribus huius vel illius opinionis, nos antiquam & communem opinionem tuebimur, & quo intermissis nouitatibus, plenis votis omnes amplectantur antiquam doctrinam Ecclesiae, & nunc recens hic à Patribus, vt statim ostendemus, probatam, non iustificari peccatores per iustitiam Christi, velut per causam formalem suae iustificationis, & iustitiam Christi neque in se, neque vt communicatam nobis, & suo modo nostram factam esse causam formalem nostrae iustificationis, apertis argumentis docebimus. Primo: In omnibus iustis est iustitia formalis ipsis inhaerens, vt cap. 24. probabimus. Vnus autem effectus tantum est vnica causa formalis. Non sunt duae formae necessariae, vt nos simus sapientes. Vna hoc potest praestare & vere praestat sapientia. Non sunt duae formae necessariae, vt corpus quantum fiat album. Vna satis ad hoc est albedo. Et idem est videre in omnibus effectibus formalibus. Omnis enim forma, siue absoluta, siue respectiua, sufficit ad denominationem formalem concretiuam sibi respondentem. Albedo sufficit facere suum subiectum album, nigredo nigrum, dulcedo dulce, laetitia laetum, & sapientia sapientem, neque vlla potest exceptio huic regulae dari. Sufficiet itaque vel sola iustitia inhaerens ad faciendum homines iustos, & superfluum prorsus est, & ab omni Philosophia alienum, ad hoc ipsum ponere aliam aliquam iustitiam, videlicet, iustitiam imputatiuam Christi. Et hoc eodem argumento possemus probare, superfluam esse iustitiam inhaerentem, si quidem à iustitia Christi, vt sentiunt Colonienses, essemus formaliter iusti. Si enim iustitia Christi imputatiua hoc praestat nobis, vt simus iusti, necessaria non est alia iustitia, quae hoc ipsum efficiat, praesertim cum prius natura nobis iustitia Christi imputetur, quam communicetur iustitia inhaerens, vt postea ostendemus: Quare cum ipsi non negent iustitiam inhaerentem, vel hoc argumento debuissent moueri, ne crederent, iustificari quempiam per iustitiam Christi vt per causam formalem.

Iustitia Christi non est causa formalis iustificationis nostrae.

Argum. 1

Argum. 2. Secundo: Neque angeli, neq; protoparentes nostri ante lapsum fuerunt iusti iustitia Christi imputata eis, sed duntaxat iustitia inhærente. Neque hoc, quod sciam, vertit aliquis in dubium. Ergo etiam modo iustificati per Christum, non iustitia Christi imputata sibi, sed iustitia inhærente sunt iusti. Reparantur enim per Christum ad statum, à quo ceciderunt, & fiunt similes angelis Dei in cœlo.

Argum. 3. Tertio: Quod non inest alicui subiecto, neque potest ipsum formaliter denominare, præsertim denominatione absoluta. Non potest album me facere albedo, non sapientem sapientia, non bonum bonitas, nisi insint & mihi. Iustitiam vero Christi, etiam quatenus imputatur nobis, dilucidum est non inesse nobis.

Argum. 4. Quarto: Non dabitur, neque potest dari in naturalibus vna & eadem causa efficiens & formalis vnius & eiusdem effectus. Sed imputatiua iustitia Christi, vt verbis loquar eorum, quos impugno, causa est efficiens, propter quam nos sumus iusti. Per ipsius enim iustitiam & merita, vt per causam meritoriam & suo modo efficientem, iustificamur.

Argum. 5. Quinto: Multo magis essentialis & principalis causa est nostræ iustificationis, misericordia & caritas patris cœlestis, quam iustitia Christi. Et tamen nemo vnquam ita delirauit, vt diceret eam esse causam formalem nostræ iustificationis.

Argum. 6. Sexto: Cum Deus iustificat aliquem ob merita alicuius sancti, qui illius iustificationem postulat, sicut iustificauit Paulum, ex sententia Augustini, ob merita & preces Stephani, causa formalis sic iustificati, non est iustitia merentis vel impetrantis eam iustificationem, immo illa iustitia solum habet rationem causæ efficientis. Confirmare etiam omnia ista potest, quod sancti Doctores, vt proximo capite ex parte ostendemus, efficientem quidem causam nostræ iustificationis Christum dixerunt, nunquam autem formalem. Et sunt hæc quidem argumenta tam aperta, tam fortia, & tam consona lumini naturali, tamq; absurda, & ab omni Philosophica ratione aliena, visa est sanctæ Synodo noua opinio, quam impugnamus, vt nullis, quod scire potuerim, prolatis vel scripturæ, vel sanctorum testimonijs, vno animo & ore consenserint in sententiam antiquam & communem Patres nostri, neque dubitauerint hanc esse fidem, quam Spiritus sanctus per Christum Apostolos, & alios Doctores & Pastores tradiderit Ecclesiæ, & ipsa perpetuo, constanter & indubitanter tenuerit. Vtque omnes hac de re cessarent posthac contentiones, placuit communem Ecclesiæ fidem aperte & declarare his verbis: Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit. Et ne locus esset alicui prauæ interpretationi, mox adiecerunt, vnumquemque iustorum suam recipere iustitiam, & eam eis inhærere. Quæ, manifestum est, non posse Christi iustitiæ conuenire. Et tandem sub anathemate hoc idem statuerunt in canone 10. vbi sic legimus: *Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustificatos esse, anathema sit.* Canon. 10.

Aug. ser. 4. de sanctis.

CAPVT XXIII.

Respondetur argumentis probare nitentium, Christi iustitiam, esse causam formalem nostræ iustificationis.

NON tamen satis est, nostram, immo communem totius Ecclesiæ firmasse sententiam, nisi etiam & inania esse ostendamus argumenta, quibus innixi potuerunt, qui partes contrarias sectantur. Primo quidem obijci possunt nobis verba illa Pauli de Christo: *Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Necnon & illa Ioannis, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Vnde & omnes fideles pleno ore confitemur, eum vnum esse reconciliationem nostram. Et Bernardus in epistola quadam ad Innocentiū Papam, sic scribit: *Iustum me dixerim, sed illius iustitia. Quæ nam illa? Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Denique qui factus est nobis, inquit, iustitia a Deo patre. Quæ ergo mihi iustitia facta est, mea non est? Si* Obiectio 1. 1. Cor. 1. 1. Ioan. 2. Bernard. epist. 190. Rom. 10.

1. Cor. 1 *mea traducta culpa, cur nō & mea imultaiustitia?* Hæc Bernardus. Sed hæc obiectio ex imperitia Scripturarum procedit. Respon. Facti⁹ quidem dicitur Christus esse nostra iustitia, non quod ille sit nostra formalis iustitia, sed quia per illum iustificamur meritorie & efficienter. Nam ipse fecit iustitiam inter nos & Deum & author est & consummator nostræ iustitiæ, rectissimaque regula & amussis optima iustitiæ, ad quam collimare & aptare se debeant, qui vere ac serio volunt esse iusti. Quomodo Christus iustitia nostra. Quomodo & sapientia dicitur nobis esse Christus factus, quia in illo & per illum discimus & obtinemus veram sapientiam. Donat enim eam nobis ipse cum patre & Spiritu sancto, & in illo us vita tanquam in quodam vitæ & sapientiæ libro, vivoq; speculo, documenta veræ sapientiæ & pietatis licet legere. Christus sapientia nostra.

Ambr. in c. 1. epist. 1. ad Corinth. Vnde & Ambrosius in hæc verba, ideo Christum factum esse nobis à Deo sapientiam, iustitiam, sanctificationem, & redemptionem explicat, quia per ipsum vere sapientiam discimus, & sanctificati, hoc est ab opere carnis & idolorum immunditia purgati & iustificati, ac redempti sumus. Et paulo ante in illa verba, *Christum Dei virtutem & sapientiam: Christus*, inquit, *virtus Dei est quia per ipsum omnia fecit. Sapientia autem idcirco quia per ipsum cognitus Deus.*

Ephes. 2. Neque alio tropo ab eodem Paulo dicitur ipse Christus esse pax nostra, nisi quia omnia pacificauit, & in ipso, vt exponit Cyrillus, superiora inferioribus coniuncta sunt. Creaturam creatori reconciliauit, homines angelis, terram cœlo: & sicut statim ipse Paulus, vt explicaret tropum, adiecit, Iudæos & Gentiles inter se vnivit, faciens ex vtroque populo, Gentili & Iudaico, vnum, videlicet Christianum. Et eadem figura in collecta post communionem, feria tertia hebdomadæ Pentecostes: Spiritus sanctus dicitur ab Ecclesia remissio omniū peccatorum, quia per eum nobis illa conceditur. Christus pax nostra. Cyrill. 9. in Ioan. c. 14.

Frequensque est, sicut & in Philosophis & in sermone vulgari, ita & in scriptura prædicatio identica pro causali, ad exprimendum magis affectus. Moyses dixit suo populo de Deo: *Ipse est vita tua & longitudo dierum tuorum.* Dauid dicit Deo: *Tu es patientia mea.* Explicabantque hoc tropo, ipsum esse verissimā causam nostræ vitæ nostræq; patientiæ: neque nobis, sed illi imputanda huiusmodi omnia, ac per eum & propter eum, illa nos habere. Et Doctores sancti hoc sensu & tropo intelligunt, Christum dixisse Marthæ: *Ego sum resurrectio & vita.* Prædicatio identica pro causali. Deut. 30. Psal. 70.

Sed ex omnibus eorum testimonijs vnum tantum ex Cyrillo subijciam: *Dominus vero*, inquit, *vim suam vivificam & resuscitatiuā enucleatius, exprimens, dixit: Ego sum resurrectio & vita. Ac si diceret: Quare dubitas num fratrem posse resurgere cum ego qui sum resurrectio & vita, illum resurrecturum promittam? Per quem resurget, quando resurrecturi sunt & cæteri homines per eum potest & modo resurgere. Ipse ergo resurrectio & vita, quia per eum et nunc resurgimus a peccato, vt vivamus iustitiæ. Per eundem etiam resurrecturi sumus in consummatione seculi ad vitam immortalem.* Et statim virtutem in vtranque resurrectionem probat ex verbis ipsius apud Ioannem 5.c. Idemque copiose prosequitur lib. 10. cap. 13. ex analogia vitis ad palmites. Ex quibus probabilis potest fieri opinio Nicolai Lyrani, qui in hæc verba asserit, virtutem Christi vocantis mortuos ad iudicium, faciendam esse omnium resurrectionem. Cyrillus. Est Christo vero lib. 7. in Ioan. c. 32.

Neq; est simile de redemptione vel reconciliatione, & de iustitia. Nam redemptio siue reconciliatio nostra, cum sit quid extrinsecum, potest conuenire Christo formaliter: Quemadmodum & precium datum pro redemptione captiui, dicitur illius redemptio, & preces seu merita Petri, reconciliantis nos regi, possunt dici reconcilia io nostra. Sed iustitia nostra, est ex sua ratione aliquid nobis intrinsecum, & vere nobis inhærens. Et ideo non potest nisi figurate, neq; Deus neq; Christus, neq; aliqui Dei aut Christi actus, dici nostra iustitia formalis, sed oportet einsmodi omnes propositiones causaliter interpretari. Et Bernardum non alio sensu Christum dixisse iustitiam nostram, potest constare ex eo, quod ante verba citata & post illa, satis explicat se hoc duntaxat concedere, quod Christus formaliter est redemptio nostra. Expositio Bernardi, epist. 190.

iustitia nostra non sit innata, sed donata à Christo. *A primo*, inquit, *homine manauit delictum, à summo cœlo egreßio gratiæ. Vtrumque à parente, illud à primo, ista à summo.* Et mox ostendit, absurdum esse, Christum ostendisse iustitiam, & non dedisse: docuisse caritatem, & non infudisse. Vtque nullus reliquus sit tergiuersandi locus, audi, quid in serm. 22. in Cantic. scribit: *Quod erat angelis, factus est nobis. Quid? Sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conuersatione, qua habuit cum peccatoribus, redemptio in paßione, quam sustinuit pro ipsis.*

Quia tamen in communi sermone vtrique causæ, efficienti videlicet & formali, efficientiam respectu sui effectus tribuimus, & ita dicimus, albedinem facere album, seu albefacere, sicut ignem calefacere. Hieronymus in expositione illorum verborum, *Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè &c.* subdit: *Quomodo sapientia sapientes facit, & iustitia iustos, & sanctificatio sanctos, sic Christus pax, nos facit esse pacatos.* Et alibi Christum dicit esse omnes virtutes, quia omnes illas suo exẽplo docuit: Et in epist. 147. ad Amandum, nunc dicit non esse Christum omnia in omnibus, sed partem in singulis, & in quodam esse virginitatem, in alio zelum, in alio fortitudinem, &c. sed in fine mundi, futurum esse omnia in omnibus, quia sancti omnes, ex ipsius scilicet gratia & benignitate, omnes virtutes habebunt.

Hieron. in ca. 2. ad Eph.

Cumq; August. in epist. 89. dixisset *sicut ille homo*, videlicet Adam, *vitiauit posteritatem suam, ita iste Deus homo iustitia sua saluauit hæreditatem suam*: & ne quispiam hoc perperam intelligeret, mox adiecit: *Ille traijciendo carnis immunditiam, quod non poterat impius diabolus: iste donando spiritus gratiam, quod non poterat Abel iustus.* Hæc verba palam indicant, iustitia sua Christum nos saluare non formaliter, sed efficienter.

Aug. epist. 89. ad Hilar. quæst. 3.

Obiect. 2. Sed dices: Amor Dei potest esse causa formalis, qua Deo simus cari. Nam & ab amore Petri in me, ego sine vlla alia qualitate dicor & sum vere & formaliter ei carus. Et misericordia Petri soluentis pro me decem aureos ducale[illegible] causa formalis nostr[illegible] rem. Et solutio illa im[illegible] vt vere dicamur & si[illegible]

Grande tamen est inte[illegible] quæ obijciuntur, & denon[illegible] sti. Potest quidem Petrus carus [illegible] amore Dei, absque aliqua qualitate sibi inhærente. Et ita est carus hom[illegible] more, quo eum illi prosequu[illegible] notus ipsis à notitia, quam illi de eo habent & inuisus ab odio. Idemque in omnibus cæterisque alijs respectiuis denominationibus posset facile ostendi. Potest etiam Petrus vere dici satisfecisse suo creditori per actum misericordiæ Ioannis, soluentis pro ipso sua debita. Et genus humanum vere potest concedi soluisse patri cœlesti sua debita per iustitiam, quam Christus pro nobis expleuit in Cruce. Sed iusti denominatio multo plura, vt supra docuimus, in se includit: & denominatio absoluta est, non respectiua, & ideo requirit aliquid intrinsecum. Quod si ab amore Dei propter Christi iustitiam, diceremur Deo cari, & hoc satis esset vt essemus iusti, adhuc non essemus dicendi à Christi iustitia formaliter iusti, sed ab ipso amore Dei propter Christi iustitiam: & si id esset, faceret quidem illa efficienter nos Deo caros & iustos, non tamen formaliter.

Adijciunt & illud, qui tuentur partes oppositas, magis exaltari iustitiam Christi, & deprimi superbiam nostram, si dicamus, Christi iustitiam esse nostram iustitiam formalem. Obiect. 3.

Non exaltant Dei aut Christi iustitiam, nisi quæ vera sunt. Mendacijs nostris nihil eget commendatissima ipsa per se Dei & Christi iustitia. Superbia nostra non falsis, sed veris persuasionibus deprimenda est. Et quamuis Christi iustitia imputata nobis, esset nostra iustitia formalis, nescio quid ei laudis ex hoc accederet, aut cur nostra magis deprimeretur superbia. Satis ad commendationem Christi iustitiæ, quod ab illa integre & solide confitemur omnem nostram proficisci iustitiam. Satis ad deprimendam nostram superbiam, si agnosca- Respon.

mus

mus, vt par est, ei nos debere totam nostram iustitiam, neq; nisi ob eius merita potuisse vnquam iustificari, & pro nostris debitis pe. ipsius vnam iustitiam patri cœlesti satisfecisse.

Equidem si posset Christi iustitia esse nostra formalis iustitia, & vere esset, magis hoc magnificare nos posset & in superbiam erigere, quam deprimere. Annon præcellentior multo est iustitia Christi, quam nostr ? Cumq; iustitia Christi per quam iustificamur, non sit illa eximia iustitia, quæ in eo nunc est, sed præcellentia iustitiæ opera, quæ fecit cum illa iam transierint, neq; actu sint, quomodo ab ea iustitia possit quispiam intelligere nos formaliter iustificari ? Adeo profecto videtur mihi hoc absurdum & absonum, vt neq; ab ipsis, qui contrarium asseuerant, crediderim id posse intelligi, vt eorum verba sonant, sed contentionem esse prorsus inter nos & illos de nomine magis quam de re.

Et ea contentio inde forte exorta est, quod illi à via regia antiquorum Ecclesiæ Doctorum & recentiorum se separantes, nouiter, & præter vsum Philosophorum & Theologorum, & in aliam prorsus significationem, quam ipsi, voluerunt vti vocabulis istis, formalis iustitia, iustitia informans, forma informans, & similibus. Sed quid illi senserint, parum refert. Nos quod cœpimus, persequamur, & quæ sit nostræ iustificationis vera causa formalis, inquiramus.

CAPVT XXIV.

Causa formalis nostræ iustificationis, qualitas est inhærens iusto, sicut albedo albo.

MAGNA fuit iam ab aliquibus retro seculis inter nonnullos Doctores concertatio, quæ esset nostræ iustificationis causa formalis: & quibusdam quidem placuisse videtur, nullam esse iustitiá creatam [illegible] formaliter homo esset iustus, sic [illegible] homo albus: sed perinde [illegible]m, & amicum & gra[illegible] quo Deus illum amat, & ad gratiam suam & beatitudinem acceptat, ac Petrus est Ioanni amicus & gratus ab amore, quo Ioannes Petrum prosequitur. Ac plerique in hac sententia crediderunt Magistrum Sententiarum fuisse. Vnde & articulus primus, de quo Parrhisijs damnatus est, hic fuit. Caritas non est aliquid creatum in animo, sed ipse Spiritus sanctus. Et Thomas Vualden. præclarus hæreseos Vuicleffisticæ impugnator, dicit Pelagium catholicum in hoc fuisse, & sine causa damnatum: siquidem, vt opinatus est Vuicleffus, solum negauerit gratiam, quæ esset qualitas creata.

d. 17. libr. 1. Tit. 1. de sacramentalib. c. 1.

Alij vero, quorum vt communior, ita & probabilior semper visa est sententia, causam formalé nostræ iustificationis esse aiere esse aliquam qualitatem creatam, informantem animas iustorum, ac in eis permanentem perinde, ac permanet habitus, & eam supernaturalem esse, ac diuini prorsus ordinis. Et ab ea tradiderunt hominem esse iustum, & amicum Deo formaliter, sicut ab albedine homo est albus, & à sapientia sapiens, & à temperantia temperatus.

Et hæc opinio acceptata est ab Ecclesia in Concilio Viennensi, vt probabilior, & sanctis & recentioribus doctoribus magis consona. Atque eam summa concordia post Magistri tempora defenderunt Scholastici Doctores, neque solum vt probabilem, sed vt quidam eorum diserte tradiderunt, vt certam & indubitatam, & ab omnibus propter authoritatem scripturæ & sanctorum, amplectendam, vt veritatem fidei. Et sanctus Thomas, & Doctor Subtilis sic Magistrum interpretantur, vt non negauerit omnem habitum supernaturalem, sed præter Spiritum sanctum inhabitantem iustos, posuerit in eis esse aliquam qualitatem permanentem, & aliquod donum Dei creatum, ratione cuius ipse spiritus sanctus animas iustorum & paruulorum, & adultorum dici posset inhabitare. Et si bene perpendamus verba Magistri, liquidum sane erit, ad actus caritatis illum existimasse Spiritum sanctum nobiscum immediate per se, & absque vllo habitu concurrere, sed nunquam potest satis ex eo consta-

In Clement. lib. 1. tit. 1. de sum. Trin. & fide Cath.

Sco in 1 d. 14. Gab. ibidem.

Tho. in 2. q. 110 art. 3. Scot. in 1. d. 17. q. 1. art. 3. & in 2. d. 26.

In 1. d. 17. & 37. & in 2. d. 26.

constare, an etiam crediderit, per ipsum spiritum immediate & absque vllo habitu nos esse iustos, & Deo acceptos ad vitam æternam.

Porro sobrij fuisset ingenij, quicquid Magister ante diffinitionem Viennensis Concilij sensisset, ei adhærere sententiæ, quam tanta solennitate tantũ Concilium approbasset. Cum tamen insolentia quædam & superba ingenia, non se continerent ea Concilij censura, neque solum probabilem oppositam partem asseuerarent, sed & multo probabiliorem, quam sit hæc communis, & hanc communem, figmentum Scholasticorum putarent: ad imponendum finem huiusmodi controuersijs, visum est huic sanctæ Synodo, acceptare sententiam istam simpliciter, & absque vlla limitatione, immo & credenti & adhærenti oppositum, anathema indicere. Intellexit namque hanc fuisse communem Ecclesiæ fidem, tametsi non sub nomine habituum, neque potuisse à Catholicis Doctoribus, diuersissimorum temporum, summa concordia hanc sententiam tradi nisi esset ab Spiritu sancto, & digna quæ ab omnibus reciperetur. Eamque ob causam, primo quidem in hoc capite diserte asseruere Patres, singulos quosque iustorum, suam propriam recipere in sua iustificatione iustitiam. Quod ne intelligi quidem potest, si non sit aliquid creatum nostra iustitia. Et paulo post asseuerant inhærere iustis caritatem, diffusam in cordibus eorum per Spiritum sanctum, vt cum vt hæc inhærentiam proprium quid esse accidentium creatorum, non dubitaremus caritatem esse accidens quoddam creatum.

Adiecerunt etiam post hæc, in iustificatione cum remissione peccatorum, simul infusa accipere hominem hæc tria, fidem, spem, caritatem, vt intelligeremus has virtutes esse habitus infusos. Infusio siquidem habituum est, aut certe nonnisi rei creatæ. Et in his damnarunt obiter errorem Lutheri, negantis fidem esse habitũ aliquem in animo quiescentem. Et tandem, vt omnem dimouerent ambiguitatem, sic in Canone 11. statuerunt: *Si quis dixerit, homi-*

Fides habitus.

Canon. 11.

nem iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur, atque illis inhæret, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit. Quibus verbis perspicuum est, nullum plane locum relictum iam esse neque asserentibus nos esse iustos formaliter à sola iustitia Christi nobis imputata, neque contendentibus id esse tantum ab amore, quo Deus nos diligit.

Merito vero hæc diffinita esse à Patribus, & doctrinam hanc non nouam esse, sed antiquam, hæc possunt argumenta docere. Primo: Semper fuit in Ecclesia receptum vt iam supra ostendimus, Sacramenta nouæ legis continere & conferre gratiam, ac per ea iustificari omnes & paruulos, & adultos, qui ea absque obice aliquo receperint. Sed hæc vera esse non possunt, nisi gratia vel iustitia nostra sit aliquid creatum inhærens nobis, ad cuius productionem instrumentaliter attingere queant sacramenta. Nam neque iustitia Christi, neque imputatio ipsius, neque amor, quo Deus nos amat, sunt à sacramentis, aut contineri vel effici possunt ab ipsis.

Antiqua Ecclesiæ doctrina, quod iustitia seu gratia sit habitus.

Arg. 1. c. 11.

Secundo: Omnes iustificati, vere dicuntur & sunt iusti & merito tales crediti semper fuerunt in Ecclesia. Omnes enim eos appellat scriptura iustos, quantumcunque nullam sibi comparauerint iustitiam, sed contra pessimos habitus iniustitiæ & aliorũ vitiorum habuerint. Non autem dicitur quis iustus nisi in se habeat iustitiam. Neque Philosophus admitteret quempiam dici iustum, nisi haberet habitum iustitiæ, præsertim si prauos aliquos habitus, vel iustitiæ vel alijs virtutibus oppositos, diuturna malorum operum consuetudine firmatos in se habeat. Vt igitur qui diu grauibus peccatis assueuerunt & in eis inueterati sunt, mox vt à Deo per pœnitentiam iustificantur, vere possint dici iusti, sicut & ab scriptura & ab vniuersa Ecclesia Catholica dicuntur, necesse est credere statim eis à Deo infundi aliquam supernaturalem qualitatem, qua iusti formaliter efficiantur. Ipsa enim iustorum nuncupatio hoc requi-

requirit. Neque iniuriâ sancta Synodus potuit intelligere hunc semper fuisse sensum, immo fidem Ecclesiæ, cum constans & perpetuum fuerit apud omnes fideles, per baptismum vel pœnitentiam subito fieri & euadere iustos, etiam qui prius corruptissimis, inquinatissimis ac deprauatissimis fuerunt moribus. Quod quidem, nisi eis diuinitus concedatur iustitia, non modo fieri, sed ne intelligi quidem satis potest.

Argum. 3. Tertio: Iustificati quicunque habent fidem infusam, quæ habitus est permanens, reddens eos pronos & promptos ad credendum reuelatis à Deo. Nam si non infunderetur eis talis aliquis habitus, non erit ne ue in paruulis ante vsum rationis, neque in adultis dormientibus aliquid, vnde possint dici aut esse fideles. Ergo etiam habebunt iustitiam, vel gratiam, aut charitatem infusam sibi, à qua iusti & cari Deo, & amantes ipsum dici possint. Cur enim qui omnia disponit suauiter, daret adiutorium permanens ad credendum, & non ad amandum? Confirmant & plerique Scholastici, fidem infusam esse ponendam, ex illis verbis Pauli: *Sine fide impossibile est placere* Hebr. 11 *Deo*: Quia cum paruuli baptizati placeant Deo, & in eis non sit actus fidei, vt manifestum est, erit ergo in eis fidei habitus. Et corroborant hoc ex verbis Christi: *Qui non* Marc. vlt. *crediderit, condemnabitur.* Nam cum paruuli baptizati, non credant actu, si neque habitu crederent, condemnarentur, dum morerentur ante vsum rationis, & inefficax in eis esset baptismus.

Quamuis autem non desit, qui durum putet, sub secundo testimonio non esse paruulos comprehensos, & credere ibi existimet idem esse, ac Euangelium solenni aliqua professione suscipere, tamen Innocentius huius nominis III. ca. Maiores. de bapt. & eius effect. optima ratione statuit, de solis adultis esse intelligendum totum illud testimonium: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Non enim ad alios prima, ad alios secunda clausula est referenda. Neque verisimile est, vnum & idem credendi verbum, aliter & aliter in orationibus adeo coniunctis, esse acceptum. Et ex antecedentibus & consequentibus satis constat, hæc testimonia de solis adultis intelligi. Ideoque nos nullo eorum ad confirmandum rem istam vtemur. Verum illud apparens & efficax pro hac veritate testimonium est: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5 Ad omnes quippe iustos retulit Paulus hæc verba. Et nos ipsius imitatione incunctanter possumus affirmare, cuilibet iusto diffusam esse Dei charitatem in corde ipsius per Spiritum sanctum ei datum.

Cum ergo hæc, vt in aperto est, neque Argum 4. adultis dormientibus, neque paruulis baptizatis conuenire valeant, si intelligantur de actu charitatis, necesse erit, vt omnibus iustis vere & proprie conuenire & aptari possint, ponere aliquem habitum charitatis, qui diffundatur iustis in sua iustificatione per Spiritum sanctum eis benignè collatum. Et ita in hoc capite intellexerunt Patres nostri hunc locum Pauli, cum & charitatem diffusam per Spiritum sanctum, in iustificatione asseruerant inhærere & infundi iustis. Quæ verba nonnisi pro habitibus conueniunt omnibus iustis. Et firmare hæc omnia possumus ex Paulo ad Corinthios. Nam & nihil esse homines sine charitate, luculenter docet, & charitatem ait nunquam excidere, & nunc manere tria hæc, fidem, spem, charitatem.

Hæc autem non possunt in vniuersum vera esse, neque ita clare exponi de actu charitatis. Siquidem & iusti dormientes, immo etiam vigilantes, multum sunt & valent apud Deum, etiam sine actu charitatis. Et actus charitatis, quem habent iusti in via, definit passim esse, neque permanentiam habet, sed transit. Neque Doctoribus Ecclesiæ hæc doctrina fuit ignota, neque, vt iam ex dictis patet, quidquid quidam dicat, vsque ad tempora Magistri semper dubia. Tametsi enim Doctores antiqui non ita frequenter ac Scholastici, ipsius meminerint sub nomine habituum, contenti quippe fuerunt nominibus gratiæ, donorum & virtutum, quibus vtitur Scriptura, Sub quibus nominibus meminerint antiqui Docto. res iustitiæ infusæ.

ſub nomine tamen virtutum, gratiarum, donorum, & ornamentorum ſpiritalium ſæpe hæc eadem docuerunt.

Et hoc quidem conſtare hinc omnibus poteſt. Primo in Concilio Viennenſi conſona illis hæc ſententia aſſeritur. Secundo: Innocentius 3. in ca. Maiores. hanc ſententiam, vt communem, ſequitur. Tertio: Omnes Doctores Catholici aſſeruerunt, gratiam & virtutes nobis per ſacramenta Eccleſiæ præſtari. Quarto: Frequens eſt in illis, ornari animas noſtras in ſua iuſtificatione precioſis monilibus & ſpiritalibus ornamentis, & perſeuerantes in iuſtitia, gratiam & virtutes Spiritu S. inhabitante ſeruare, & per peccatum expoliari animas gratuitis Dei donis, & ſpeciem & pulchritudinem ſuam ſpiritalem amittere. Quinto: de virtutibus à Deo datis perinde loquuntur, ac Philoſophi de acquiſitis: neque ſecus illi nos tradunt per eas confirmari & promptos fieri & expeditos ad bonum, quam hi per virtutes morales, noſtro vſu & exercitio comparatas.

Colligitur ex cap. 18. & 19. lib. 2. de lib. arbit.

De moribus Eccl. Cat.

Hieron. in prolog. in Thren.

Auguſtin. virtutem infuſam ſic diffinit: *Virtus eſt bona qualitas mentis, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* Et alibi: *Charitas eſt perfecta virtus animi, quæ coniungit nos Deo, qua ipſum diligimus.* Hieron. cum multo plus lugendum eſſe lapſum animæ fidelis, quam ruinam templi Salomonis, oſtenderet, ita ſcribit: *Non auri & argenti metallo, ſed virtutibus anima radiabat. Habebat enim arcam intra ſe, & duo cherubim, id eſt, fidem Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſitam. Sed nunc nihil eorum apparet. Ablata ſunt hæc cuncta, nudata eſt domus Dei omnibus ornamentis ſuis, cunctiſq; quæ diuinitus conſecuta fuerat, expoliata muneribus, remanſit deformis ac turpis, perijt ab ea omne munimen, omniſq; cuſtodia.* Cyril. 2. in Io. c. 3. de Adam ſic loquitur. *Fuit in paradiſo, quouſq; gratiam creatoris, Spiritu ſancto inhabitante, ſeruauit.* Et lib. 1. c. 15. de eodem dixerat, gratia illum denudatum, ſpiraculum vitæ amiſiſſe, id eſt, ſpiritum eius, qui dicit: *Ego ſum vita.* Cypr. in epiſt. 8. lib. 3. dicit, baptizatis gratiam & Spiritum ſanctum dari. Et quamuis, vt Scotus in 3. diſtinct. 26. Gabriel in 1. diſtinct. 17. Almay. in Moral. 1. 6. de charitate, Caiet. comm. 2. 2. q. 171. art. 2. & alij nobiles authores ſentiunt, nulla ſit ratio naturalis, quæ conuincat huiuſmodi habitus nobis à Deo infundi, poſſet enim Deus quicquid per illos facit, ſuo diuino auxilio in nobis efficere, valde tamen congruit lumini naturali, Deum illos nobis impartiri. Diſponit quippe ſapientia diuina omnia ſuauiter, & cuilibet agenti naturali qualitates dat ſuæ naturæ congruentes, per quas perfecte & commodiſſime ſuas poſſit operationes exercere.

Ioan. 14.

Ratio naturalis ſuadet habitus infuſos.

Neque veriſimile eſt, negare illum hanc gratiam eis, quos admittit ad ſuam amicitiam, præſertim cum multis illi impediantur à debito virtutum exercitio, partim quidem ex prauis naturalibus inclinationibus, partim ex deprauatis habitibus, quos ſibi tempore, quo fuerunt in peccato, acquiſiuerunt. Cum itaque opus perfectum non ſit, ſicut Philoſophi & experientia docent, quouſque procedat ex habitu, maxime eſt profecto rationi naturali conſentaneum, Deum benigne perficere iuſtos omnes aliquibus donis ſeu virtutibus, quibus poſſint, cum velint, commode & perfecte, quod iuſtos decet, operari.

CAPVT XXV.

Gratiam & charitatem eſſe idem re, & ſola ratione diſtingui.

VERVNTAMEN, cum extra controuerſiam iam ſit, propter hanc Concilij diffinitionem, cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, eſſe aliquam qualitatem creatam, permanenter inhærentem nobis: ambigi non immerito poteſt, quæ ſit illa qualitas creata, quæ tantum in nobis bonum efficiat, vt nos iuſtos & amicos Dei formaliter efficiat, ſicut & albedo albos, & ſapientia ſapientes. Porro hanc qualitatem eſſe gratiam, quæ decor eſt animæ, in confeſſo eſt apud omnes Catholicos: ſed an hæc gratia diſtinctum quid ſit à charitate, an illi potius eadem, controuerſum fuit iam olim, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Eaque de re duæ celebres ſunt inter Scholaſticos Doctores ſententiæ. Sanctus Tho-

Thomas 12. q. 110. art. 3. & illius sequaces, Caiet. & Capreolus, & Thom. Argentin. in secundo, ac noster etiam Seraphicus Bonauentura in 2. d. 26. q. 5. & in 3. d. 27. artic. 1. qu. 3. & 4. gratiam tradidêre à charitate & cæteris virtutibus esse distinctam. Scotus vero in 2. d. 27. & suæ doctrinæ sectatores, & Richar. in 2. d. 26 q. 4 & Henricus Gandensis Quodli. 4. q. 10. & Durandus & Gabriel in 2. d. 26. & Marsilius in 2. quæst. 17. artic. 1. & Bassolis in 2. d. 28. & omnes, quos legerim, Nominales, gratiam affirmant non re, sed ratione duntaxat à charitate distingui.

Gratia non distinguitur re à charitate.

Argu. 1. ex communibus prærogatiuis gratiæ & charitatis.

Et hanc sententiam, multo esse priore probabiliorem, ex communibus vtriusque prærogatiuis, & ex præcellentia cuiuslibet earum suadere possumus. Enimuero si bene perpendamus, quæ vtrique earum & ab Scriptura, & à sanctis Doctoribus conceduntur, inueniemus eadem omnino eis tribui. Vt enim omnes fatentur, & ex communibus de ijs assertis, facilimum esset probare, vtraque iustificat, operit multitudinem peccatorum, saluat, sufficit ad salutem, placat Deum, acceptos nos ei facit, & inter filios regni & perditionis diuidit neque aliquis potest, destitutus vlla earum, saluari. Vtraque etiam, principium est & radix omnis meriti, & forma aliarum virtutum, & neutra in peccatoribus esse potest.

Officia charitatis & gratiæ.

Tantam vero in tot & tantis rebus conuenientiam quis credat eis conuenire, nisi prorsus eadem res sint, tametsi diuersis nominibus appellentur? Si charitas distinctum quid esset à gratia, cur non possent ab inuicem separari? Cur non & aliquid tribueretur vni, quod negaretur alteri? Cur non posset charitas esse informis, & in peccatoribus manere, sicut fides & spes, præsertim cum sicut fidei & spei, ita & charitatis plerique, immo omnes pene actus, qui possunt fieri in gratia, possint fieri in peccato? Quid etiam esset opus præsentia charitatis, vt haberetur actus meritorius? Annon vel sola gratia satis erit ad præstandum valorem & meritum bonis nostris operibus? Quod si hoc concedatur, falso nimirum dixerit Augustinus de charitate: *Ipsam habeto, & cuncta habebis: quia sine illa nihil proderit, quicquid habere potueris.* Falso & Gregorius: *Neq; habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.*

Aug. tract. 32. in Ioan.

Greg. hom. 27. in Euan.

Verum age, premamus magis hoc ipsum. Si aliquid esset proprium gratiæ, quod non conueniret charitati, esset maxime, facere nos gratos Deo, & acceptos ad beatitudinem. Sed hoc etiam facit charitas. Est namque amicitia inter nos & Deum. Et sicut amicitia in humanis est causa, propter quam mutuo se diligunt amici: ita & causa, propter quam Deus nos diligit, est, quia habemus charitatem. Ipse quippe dixit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.*

Ioan. 14.

Porro si charitas, vt certum est, facit nos Deo amicos, profecto faciet multo magis caros & gratos. Nam plus est, esse amicum, quam gratum: & amicus Deo esse non potest, qui non sit ei multum carus & gratus. *Ego*, inquit, *diligentes me, diligo.* Et possumus hoc exemplis etiam naturalibus declarare & roborare: Terram sane eadem grauitas grauem facit, & potentem ad descendendum deorsum. Ignem idem calor calidum facit, & potentem calefacere. Et generaliter eadem qualitas naturalis, quæ suo subiecto potentiam operandi tribuit, tribuit & esse accidentale ei respondens.

Prou. 8

Cur non ergo & in supernaturalibus ita philosophemur, vt charitatem, quæ tribuit nobis potentiam faciendi opera amici & grati Deo, nos formaliter ei amicos & gratos facere affirmemus? Si albedo facit albos, sapientia sapientes, fortitudo fortes, faciet nimirum charitas caros. Carum autem alicui existere, planum est, idem esse quod, gratum ei esse & acceptum. Neq; gratia ea ratione potest dici, facere nos gratos Deo, quia moueat Deum ad nos amandū, aut causa sit diuini in nos amoris: sed ideo dicitur nos facere gratos, quia Deus statuit & voluit, omnes eam habentes, gratos sibi & caros habere. Cum igitur & hoc ipsum statuerit de habētibus charitatem, & ea potius quam gratia, aliquo modo possit dici causa diuinæ in nos beneuolentiæ, vel

ex hac nimirum proprietate ipsius admonemur, vt eandem ipsam cum gratia credamus. Cur separemus coniuncta? Cur distinguamus vna? Cur pluralitatem sine necessitate ponamus? In humanis quidem amicitia vt a satis est, vt & diligamus amicos, & ab eis vicissim amari dicamur. Cur non igitur & inter nos & Deum vna charitas, sit suo modo vtriusque causa, cum præstantior sit amicitia omni humana? Ipsa etiam præcellentia charitatis, nos debet in hanc sententiam inflectere.

Argum. 2. à præcellentia charitatis.

Exaltare eam conuenit, quantum possumus, cum ab ea sit omne bonum nostrum, neque tolerabile est, vt illi detrahamus quod Deus ei dare potuit, & consentaneum valde est dedisse, quod inferioribus qualitatibus non negatum esse, est conspicuum. Inter charismata spiritalia in summo eam poni à Paulo, & fidei, spei, martyrio, & admirabilibus alijs supernæ gratiæ donis præferri, affirmat Bernardus. Et in donis Dei nullum esse maius charitate, Augustin. tradit. Et idem alibi: *Quale bonum est charitas ista fratres? Quid precio sius? quid luminosius? quid firmius? quid vtilius? quidve securius? Vniuersa inutiliter habet, qui vnum illud, quo vniuersis vtatur, non habet.*

Ber. ser. 29. in Cant. 1.

1. Cor. 12. & 13

Aug. 15. de Trin. c. 18. & ser. 50. & 18 de ver. Dom.

Quod si gratia re est à charitate distincta, & sicut Diuus Thomas putat, in essentia animæ, & charitas in voluntate: oportebit profecto, gratiam asserere multo esse perfectiorem charitate, quia susceptiuum, quod ab ea perficitur, quod est anima, perfectius est suis potentijs. Qua ratione ipse probat visionem beatificam perfectiorem fruitione, quia intellectus voluntate est perfectior & præstantior. Neque minus ipsa gratiæ dignitas monere nos debet, vt eam charitati eandem existimemus. Si enim re distincta ab ea asseratur, ponetur, sicut & ponitur, ab huius sententiæ authoribus ociosa, & nihil per se operans. Siquidem qua ratione vnius actus virtutis principium esset, esset & omnium, & ad vnum & eundem actum duæ sufficientes per se causæ concurrerent: Quod alienum est à Philosophia. Etsi nihil per se operatur gratia, ex consequenti neque nomen habitus,

Arg. 3. à dignitate gratiæ.

neque nomen virtutis merebitur: Quia habitus tantum est propter actus: Et virtus, sicut dicit Aristoteles, bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.

Ponere autem ita eneruem & languidam gratiam, quam Paulus dicit secum omnia esse operatam, quamque Augustinus sessori & moderatori equi adsimilat, quis non videat plane derogare dignitati & meritis gratiæ? Hisque omnibus accedit, quod Augustinus non semel dicit, charitatem esse Christianam iustitiam: In libr. de natura & gratia contra Pelagianos, cap. 42. *Charitas, ait, verissima, plenissima, & perfectissima iustitia est.* Et cap. 70. *Charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas prouecta, prouecta iustitia.* Et de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 12. & 13. charitate dicit nos sanctificari, eaque sola effici, vt à Deo non auertamur, sed ei potius quam huic mundo, conformemur.

Lib. 1. Hypognost.

Quod si charitas non est gratiæ eadem neque nos facit gratos & caros Deo, quomodo existimari potest Christiana esse iustitia, cum hoc esse potissimum ipsius munus, supra luculenter ostenderimus?

Greg. hom. 38. in Euangelia, charitatem docet esse vestem nuptialem, quæ nos speciosos Deo reddit. Bernard. sermon. 83. in Cantica, charitate dicit maritari animam verbo.

Vel ob id ergo, vt & hos præclaros authores, & præsertim Augustinum, & iustissima charitatis & gratiæ præconia tueamur, constanter defendemus identitatem earum. Non diffitemur tamen, gratiam à charitate ratione esse distinctam. Quoniam quatenus nos facit gratos Deo, gratia dicitur: quatenus vero faciles facit, promptos & expeditos ad eum diligendum, charitas appellatur.

Gratia distinguitur ratione à charitate.

CAPVT XXVI.

Soluuntur argumenta contra identitatem charitatis & gratiæ.

QVIDAM vero grauiter, vt sibi videntur, charitatem à gratia distingui, hoc argumento vrgent: Distincti effectus formales, distinctas causas requi-

Obiect. 1.

requirunt formales. Ideo namque fidem, spem, & caritatem, tres virtutes realiter distinctas asserimus, quia tres hi ab eis proficiscuntur effectus formales distincti, esse fideles, esse sperantes, esse diligentes. Cum igitur non minus inter se distinguantur, esse dilectos à Deo, & esse diligentes Deum, erunt inter se etiam distinctæ gratia & caritas, quæ eos in nobis efficiunt.

Responsio. Verum enim non tanta est distinctio inter hos effectus formales, esse dilectos à Deo, & esse diligentes Deum: quanta inter, esse fideles, & esse diligentes. Nam hi separabiles sunt in nobis de lege, non illi. Et illi, sicut superius & inferius, se habent, vt esse cognoscentem, & habere notitiam: isti autem prorsus sunt disparati. Quibus accedit, quod proprius caritatis effectus formalis non est, esse vtcunque diligentes Deum, sed esse amicos. Esse vero amicum, vt philosophi amicitiam diffiniunt, claudit in se vtrunq; horum effectuum formalium, nempe dilectum esse ab amico, & diligere amicum.

Obiect. 2. Argumentantur etiam secundo hunc in modum: Augetur gratia statim per quemcunq; actum meritorium quantumcunq; remissum, non autem augetur caritas, nisi per actus ei proprios, eosque se intensiores, aut certe feruentes & intensos. Hæc autem fieri non possent, nisi gratia & caritas distinctæ essent.

Responsio. Sed qui hæc nobis obijciunt, certe à suo magistro & duce diuo Thoma longe recedunt. Ille enim, quam opinionem defendit in 2. 2. q. 2. artic. 6. de augmento caritatis, defenderat in 1. 2. q. 114. artic. 8. ad 3. de augmento gratiæ, & vtramque constanter tenet, non augeri, nisi per actus ipsis intensiores & perfectiores. Esto tamen, augeatur gratia, quando non augetur caritas, videlicet per meritorios actus aliarum virtutum, hoc non euincit, eas esse distinctas realiter. Cum enim caritas ratione à gratia distinguatur, augeri potest, vt gratia est, etiam si non augeatur, vt est caritas, sicut si albedo sit quantitas & similitudo, iuxta opinionem Nominalium, augeri potest & intendi, vt albedo est, quin augeatur vt quantitas vel similitudo.

Obiect. 3. Tertio & illud in nos affertur, quod apud Græcos distinctis appellentur nominibus gratia & caritas. *Gratia* quippe χάρις dicitur, *caritas* autem ἀγάπη. At vero nouum non est, vt eadem res diuersis appelletur nominibus, præsertim si cùm vna sit re, sit tamen plures ratione, vt contingit in proposito. Attamen & illud hîc addam pro quibusdam, qui parum Latine norunt, & minus Græce. Non descendit, sicut plerique passim credunt, Latinum vocabulum caritas, à Græco nomine χάρις. Neque si descenderet, inde conficeretur, vtranque esse vnum & idem. Sciens à scientia descendit, & sapiens à sapientia. Et tamen sicut Cyrill. 9. in Ioan. cap. 24. dicit in homine aliud scientia, aliud homo susceptiuus scientiæ: longeque à recta ratione scribendi absunt, sicut & iam aliqui Græce & Latine doctissimi admonuerunt, qui hac de causa charitatem, cum adspiratione videlicet, scribunt. (Charitas sine adspiratione scribendum.) Charitas Latinum est vocabulum, & non tantum penuriam, sed amorem inter vtentes ratione significat, & primam syllabam perpetuo producit. Charis vero, quanquam a, apud illos aliâs anceps est, tamen primam semper corripit. Quod vel illud celebre & cum primis vtile ac iucundum epigramma docere nos potest, vbi ter prior syllaba corripitur:

ὠκεῖ αἱ χάριτες καὶ γλυκυρώτεραι, ἢν δὲ βραδύνῃς.
πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

CAPVT XXVII.

Verba huius capitis, & canonis 11. non aduersantur, sed fauent potius opinionibus Doctoris Subtilis.

ILLVD vero magis serio admonendum hoc loco est, nihil neque in Vienens. neque in isto Concilio præiudicasse Patres opinionibus Doctoris Subtilis, asserentis, gratiam esse eandem caritati, & dona non distingui à virtutibus Theologicis, & negantis virtutes morales infusas. Cum enim in Concil. Vienens. gratia informans & vir-

tutes, asseruntur infundi paruulis, gratia informans non contra caritatem, sed contra alias virtutes distinguitur, & charitas ipsa merito appellari potuit gratia informans, cum vere, vt diximus, etiã gratia sit.

Cum autem, vt cap. 2. huius libri exposuimus, sanctificari, & renouari interiorem hominem affirmarunt Patres per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, nomine donorum fidem & spem, quæ preciosa dona Dei sunt, intelligere possumus. Et quod charitatis & gratiæ simul meminerũt in can. 11. non sufficit profecto, vt inde colligamus eos asseruisse gratiam & charitatẽ realiter distingui. Nam & absq; vitio inutilis repetitionis, vtimur persæpe nominibus idem significantibus, præsertim cum idem significant rationibus diuersis.

Et ne hoc quisquam ex verbis huius canonis colligeret, diligenter cauerunt Patres ibidem Non enim, sicut perperam habent quædam exemplaria iam prælo excusa, Patres diffinierunt, homines non iustificari exclusa gratia & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundantur, atque illis inhæreat: sed pro diffundantur, & inhæreat, verbum ipsum Paulini textus, diffunditur, & inhæret, scripserunt. Quod & ex verbis huius capitis, respondentibus huic canoni, liquidum esse potest. Sic quippe habent: *dtamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.*

Tantum autem abest, quidquid quidam sentiant, vt Concilium his vel alijs verbis approbauerit opiniones sancti Thomæ & aliorum de distinctione gratiæ & charitatis, & de distinctione virtutum & donorum Spiritus sancti, & de infusione virtutum moralium cum Theologicis in iustificatione hominis, vt merito potius videri posset contrarias omnium istarum opinionum, cum doctore Subtili approbasse illis verbis: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque vnit perfecte cum Christo, neq; corporis eius viuum membrum efficit.* Cur enim de donis & virtutibus moralibus hic tacitum esset, vbi locus ipse postulabat explicari munificentiam Dei in eos, quos iustificat, si vere illa distincta sunt à fide, spe & charitate, atque ea tum accipimus, cum iustificamur?

Cur etiam sicut requisita est coniunctio spei & charitatis, vt fides vniret perfecte cum Christo, non etiam requisita est præsentia donorum & aliarum virtutum, si vere omnia ista simul ad vnionem cum Christo concurrunt? Tacuerunt etiam Patres de his donis, cum mox addiderunt, vitam æternam præstari non posse à fide sine spe & charitate. Verum illud nobis magis fauet, quod statim Christianam iustitiam, & stolam datam pro ea, quam perdidit Adam, dicere videntur fidem, spem, charitatem.

Si autem charitas non est gratia, aut si præter illam dantur gratia & dona Spiritus sancti, & virtutes morales in iustificatione, valde imperfecta est hæc doctrina. Spectant nimirum ad Christianam iustitiam dona Spiritus sancti, & virtutes morales infusæ, si quidem nobis hæc infundantur. Faciunt enim nos idoneos & potentes ad operandum iusta, sicut fides, spes, charitas. Quin si charitas non est idem cum gratia, falso dicitur Christiana iustitia esse fides, spes, charitas, aut certe magna negligentia Patrum fuerit, meminisse fidei, spei, & charitatis, & tacuisse de gratia. Maxime siquidem ad Christianam iustitiam pertinet id, quod & solum nos facit gratos Deo, & amicos ipsius, & filios, & hæredes regni cœlorum. Hæc autem propria sunt gratiæ, neque charitas ea potest efficere, nisi quatenus gratia est, vt etiam ipsi Thomistæ fatentur.

Diluitur tacita obiectio.

Dicet forte aliquis, fidem, spem, & charitatem, Christianam iustitiam à Patribus appellatas: quia iustitia, teste Aristotele, virtus est, qua quis aptus est & propensus ad ea facienda omnia, quæ iusta sunt. Hanc autem propensionem virtutes hę faciũt. Sed Patres non in hoc tantũ sensu de Christiana

na iustitia tractant, vt supra docuimus. Et ex principio cap. 4. & 7. potest satis constare, magis à Patribus agi in hoc decreto de iustitia, quatenus iustos, sanctos, liberosq; à peccatis, & amicos Deo nos facit, quam vt facit potentes ad operandum iusta. Licet enim vtrunque sub Christianæ iustitiæ nomine comprehenderint, & vtrunque ad eam necessarium existimauerint, magis tamen essentiale & principale in ea est, sicut & ratio ipsa docet, facere nos gratos Deo. Cumque in principio huius capitis, sanctificari & renouari interiorem hominem dixerint per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, & per illa hominem tradiderint ex iniusto fieri iustum, ex inimico amicum, nunquam hic de gratia & donis tacuissent, nisi sensissent ea sub fide, spe, & charitate comprehensa, præsertim cum meminerint remissionis peccatorum.

Lib.5.ca 4.

Fauent & Doctori Subtili vehementer Patres, cum in hoc capite dicunt, *tum merita passionis Christi impijs communicari, cum per Spiritum sanctum diffunditur charitas in cordibus eorum, atque ipsis inhæret.* Neque minus cùm in can. 11. commemoratis gratia & charitate, in singulari subditur, * ea diffundi, & inhærere iustificatorum cordibus. Cur enim intermisissent Patres hæc eadem de gratia dicere, nisi putassent censenda esse de gratia dicta, quæ de charitate, illi eadem, traderentur? Verum hæc satis fuerint ad expositionem horum verborum, & ne quis audeat asserere, Concilium damnasse opiniones Doctoris Subtilis, & approbasse opiniones sancti Thomæ. Videamus & illud, quod supra tractaturos nos esse sumus polliciti, an simul infundantur virtutes quas causam perfectam formalem nostræ iustificationis docuimus.

for. * eam

CAPVT XXVIII.

Virtutes infusas, connexas esse quo ad infusionem.

CVm in iustificatione impij simul cum remissione peccatorum accipere eum fidem, spem, & charitatem, definiuit sancta Synodus, non obscure, vt iam monuimus, insinuauit, has virtutes infusas connexas esse quo ad infusionem. Itaque si quis veniat ad fidem, & constanter velit credere omnibus dogmatibus fidei sibi traditis ab Ecclesia, neque tamen recedat ab omnibus peccatis lethalibus, etiam si ea fide acciperet baptismum, non reciperet fidem infusam; neque spem, sed duntaxat characterem baptismalem: easque postea cum charitate recipiet, cum se toto corde ad Deum conuerterit. Quæ doctrina communis est scholasticis Theologis. Docueruntq; eam concorditer sanctus Thomas, Scotus, & plerique alij graues, & non postremæ classis, Doctores.

S. Thom. 2. 2. q. 1. Scot. d.36.q.1. art.4.

Porro pro hac sententia sunt illa verba Cantici Moysi, *Dei perfecta sunt opera.* Necnon & illa communia, Deus quem sanat, perfecte sanat. Quæque in cap. 9. de vera & falsa pœnitentia legimus: Neminem sanauit, quem omnino non liberauerit. Si enim virtutem aliquam, fidem videlicet sine spe & charitate, nobis Deus communicaret, sanare videretur intellectum ab ægritudine spiritali infidelitatis, prælanguido manente affectu.

Deut. 32.

Ipseq; historiæ Euangelicæ decursus nos hæc luculenter docere potest. Neminem ille magnus medicus, qui de cœlo descendit, ab vno languore sanauit, quin sanauerit ab omnibus: Neminem pluribus dæmonibus obsessum, ab vno duntaxat eripuit. Septem dæmonia à quodam expulit, legionem ab alio, & eum qui surdus erat & cæcus & mutus, ab omnibus his incommodis simul eruit. Quosq; à morbo corporeo liberos fecit, eosdem, si peccato obnoxij erant, eodem temporis momento gratiæ & saluti spiritali reddidit. Quare & quibusdam dixit: *Mihi indignamini, quod totum hominem sanum feci in sabbato* *.

Ioan. 7. * x

Quòd si ab vno vel dæmonio vel morbo corporis neminem liberauit, quem non liberauerit etiam ab omnibus, neque corpori salutem præstitit, quin præstiterit, & animæ credendum profecto est, & tantundem eum facere in curãdis spiritalibus infirmitatibus, neq; largiri vnam virtutẽ sine alijs. Par quippe de vtrisq; ratio, & virtutes

medi-

medicamenta sunt, immo sanitas animarum. Neque pro dignitate de infusis virtutibus sentit, qui ex donis adeo præcellentibus & eximijs vel minimum putat Deũ illis largiri, qui ex proposito volunt perseuerare in peccato aliquo.

Vnde & Patres collegerunt, in iustificatione has virtutes simul infundi, ex eo, quod statim dictum fuerat, iustificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed sanctificationem etiam & renouationem interioris hominis, & adoptionem in filios Dei & hæredes vitæ æternæ, & neminem iustificari, nisi cui merita passionis Christi communicantur. Cui enim verisimile sit, ad participationem adeo præstantium virtutum communicari merita Christi, nisi membris ipsius viuis, vel qui iam fuerint membra ipsius viua?

Quamobrem & statim subdiderunt: *Nam fides nisi ad eam spes accedat & caritas, neque vnit perfecte cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* Et caute ac sapienter adiecta sunt illa verba, perfecte, & viuum. Nam fideles peccatores membra sunt Christi, ac per hoc ei coniuncta, quia sunt Ecclesiæ, quæ est congregatio fidelium, & sub Christo capite militat, vt diffinitum est in Concilio Constantiens. contra Vuiclefum. Quare & Paulus ad Corinthios, inter quos sciebat esse aliquos peccatores, generaliter

1. Cor. 12. scribit: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Quod vero fideles, qui sunt in peccato, neque viua Christi membra sint, neque perfecte ei coniuncta & vnita, absentia hoc facit charitatis, quæ vna glutinum bonum est & perfectum, quo Deo & proximis iungimur.

Elogia caritatis. Charitas, teste Cypriano, fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, spe & fide maior, &

Cyprian. de b. pt. parnul. opera & martyria præcedit. Et didicit hæc Cyprianus ex Paulo, qui & vinculum perfectionis eam appellat. Vitaque illa est fidelium, immo & fidei, & aliarum virtu-

Bern. ser. 2. de resur. tum. Vnde Bernardus: Vita corporis est anima, per quam mouetur, & sentit. Vita vero fidei, charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis. Quare & qui caritate carent, non membra Christi viua, sed sicut passim in sacris literis & apud Ecclesiasticos authores legimus, mortui summo iure censentur & appellantur.

CAPVT XXIX.

Sacramenta omnia noua legis, causam esse instrumentalem nostræ iustificationis.

CVM sancta Synodus instrumentalem causam nostræ iustificationis baptismum asseruit, idemipsum & de reliquis sacramentis, vt supra cap. 2. docuimus, pro constanti haberi voluit. Et hac diffinitione damnata sunt blasphema illa verba Lutheri: Hæretica est, sed vsitata sententia, sacramenta nouæ legis dare gratiã illis, qui non ponunt obicem. Quæ & ipsa iam ante aliquot annos damnata fuerunt à Leone decimo in primo artic. Bullæ condemnationis ipsius.

Quanquam vero liquere satis potest falsitas huius erroris ex citatis cap. 11 huius libri testimonijs, & ex illis, quibus inferius cap. 11. lib. 14. Deo dante, monstrabimus, sacerdotes vere absoluere, & authoritate clauium persæpe conferre primam gratiam peccatoribus in sacramento pœnitentiæ, tamen ad pleniorem confirmationem nostri, decreti, adijciam de baptismo, de quo vno hic nominatim egere patres, peculiaria aliquot argumenta, quæ illum ostendant causam esse nostræ iustificationis, & hanc doctrinam Christi & Apostolorum fuisse, & ab vniuersa Ecclesia perpetuo retentam & creditam.

Ac primo quidem CHRISTVS diserte docuit Nicodemum, hanc virtutem habituras aquas baptismales, cum ei dixit, oportere homines renasci ex aqua & Spiritu sancto. Nam cum aquam iunxit Spiritui sancto, quem certum est, causam esse efficientem nostræ renascentiæ spiritalis: ostendit nimirum & aquam suo quoq; modo cooperaturam eidem renascentiæ. Alioqui non satis commode eodem contextu & eadem præpositione Spiritui sancto fuisset coniuncta. Paulus etiam Christum asserit

asserit mundare suam Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ: Et alibi, saluos nos factos ex misericordia diuina per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.

Profecto si baptismus non esset causa instrumentalis nostræ iustificationis, neq; lauacrum esset regenerationis & renouationis, neq; illo Deus mundare traderetur suam Ecclesiam. Nam hæc verba efficientiam aliquam & cooperationem baptismi ad mundandum, regenerandum, & renouandum nos aperte significant. Vnde & Augustinus ex illis verbis, *Mundans eam lauacro aquæ* 1. de Nup. & concupisc. cap. 32. & serm. 14. de verbis Apostoli, colligit, per baptismum omnia mala mundari & sanari, & in 3. contra 2. epist. Pelag. cap. 3. idem colligit ex verbis illis. *Per lauacrum regenerationis, &c.*

Ephes. 5

Tit. 3

Rom. 6

Sed & illud aliquanto efficacius est: *Consepulti enim sumus cum illo*, hoc est, Christo, *per baptismum in mortem*. Per, quippe causam notat instrumentalem. Et in Actis Apostolorum, super Ephesios, qui tantum erant baptizati baptismo Ioannis, legimus descendisse Spiritum sanctum, mox vt Paulus eos baptizauit baptismo Christi, & imposuit eis manus.

Princeps etiam Apostolorum baptisma perinde affirmat nos saluos facere, ac olim octo animæ saluæ factæ sunt per arcam. Et in ipsis Ecclesiæ cunabulis hanc efficaciam baptismi ad remittenda peccata, & concedendam gratiam his verbis explicabat: *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.*

Actor. 2

Et iam olim hanc virtutem aquarum prædixerant Prophetæ: *Erit*, ait Zacharias, *fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris & menstruata.* Ezechiel: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Zach. 13

Ezech. 36

Et acceptauit perpetuo hanc doctrinam Ecclesia. In Concilij Niceni Symbolo profitetur Ecclesia se credere vnum baptisma in remissionem peccatorum. In Concilio Florentino sub Eugenio 4. expresse definitum est, Sacramenta nouæ legis & continere, & causare gratiam. Quod & confirmatum est in hoc Concilio, sessione 5. & 7. Et de baptismo peculiariter definitum est in Concilio Florentino, effectum eius esse remissionem peccatorum & pœnarum, quæ debentur pro peccatis.

In Concilio Lateranensi sub Innocen 3. vt habetur in cap. Firmiter. de summa Trinit. & fid. Cath. statutum est, baptismum à quocunq; in forma Ecclesię collatum, tam paruulis, quam adultis proficere ad salutem.

In Concilio Viennensi, vt habetur in Clement. de summa Trinitate & fid. Cath. sancitum est, absolute per baptisma applicari efficaciam mortis Christi omnibus baptizatis, & acceptata est, vt probabilior, & sanctis & recentioribus Doctoribus Theologis magis consona opinio, quæ asserebat, paruulis in baptismo dari gratiam informantem & virtutes. Et quod solum acceptauerint hanc sententiam, vt probabiliorem opinionem, non fuit, quia dubitauerint, paruulos iustificari in baptismo. Non hoc illis fuit ambiguum, qui absolute tradiderunt, eis per baptismum applicari efficaciam mortis Christi: sed incertum fortasse ipsis fuit, an hoc fieret per infusionem gratiæ & virtutum, aut certe, vt probabilius videtur, noluerunt tum rem magis premere, quia nihil grauiter ad id vrgebat.

In Concilio Mileuitano, vt certum traditum est, baptizari paruulos in remissionem peccatorum. In officijs Ecclesiasticis, Paschæ præsertim & Pentecostes, sæpe Ecclesia profitetur, remitti omnia peccata baptizatis. Vniuersaque Ecclesia constantissime semper tenuit, saluari paruulos, qui morerentur ante ætatem adultam, siquidem essent baptizati.

Can. 2

Atq; hac ratione ex Apostolorum institutione, vt constat ex Dionysio, baptismus paruulorum semper fuit in Ecclesia, ne perirent, si morerẽtur sine baptismo. Quare Cyprianus Fido, qui opinabatur, pueros non esse in secundo aut tertio die post natiuitatem baptizandos, objiciens sententiam totius cuiusdam Concilij Aphricani,

Dionys. cap. 7. de Eccles. Hierarch.

Cyprian. 3. epist. 8.

sic respondet: *Vniuersi iudicauimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam.*

Aug. lib. 10. de Genesi ad liter. c. 23.

Augustinus hanc consuetudinem matris Ecclesiæ, dicit Apostolicam esse traditionem. Neq; iniuria. Vt enim ipse verissime dicit 4. de baptismo contra Donatistas, ca. 24. quod vniuersa tenet Ecclesia, neq; in Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur. vt ca. 6. Illa consuetudo, quam homines sursum versus respicientes, non videbant à posterioribus institutam, recte ab Apostolis tradita creditur.

Consuetudo Apostolica.

Hieron. 3. in Pelagian.

Hieronymus etiam dicit, baptizari paruulos, vt eis in baptismate peccata dimittantur. Et vel hoc vnum argumentum de iustificatione paruulorum per baptismum, conuincere potest Lutherum, vt volens nolens fateatur baptismum habere vim iustificandi. Non enim est vnde ipsi consequantur gratiam, si non eam consequantur ex baptismo. Nam nullus homo potest alteri mereri primam gratiam immediatè, & contingere posset, vt & qui baptizat, & circumstantes omnes essent in peccato.

Paruuli non iustificantur fide propria.

Et quod ait Lutherus, & aliqui eius sequaces, etiam paruulos iustificari fide propria, quam concipiunt ex auditu verborum formæ baptismalis, portentosum adeo commentum est, vt superfluum sit illud impugnare. Quis, nisi planè velit cæcutire & delirare, credat ei, paruulos habere actum fidei, cum vsum rationis non habeant? Nondum erat hæc hæresis, & iam ei, inspirante Spiritu sancto, per Augustinum contradicebatur, qui in epist. 106. iustificatos dicit paruulos eius muneris merito, quod vtique cum profuit, nesciêrunt. Idemque asserit 3. de libero arbitrio, cap. 33. & in multis alijs locis. Et Bernardus in epist. 77. contra eandem sic scribit: *Sanè infantes, quia prohibente ætate habere non possunt fidem, hoc est, cordis ad Deum conuersionem, consequenter neq; salutem possunt habere, si absq; baptismi perceptione moriuntur.*

Pereunt paruuli decedentes sine baptismo.

Mirifico etiam consensu Doctores Ecclesiæ, vt certum & indubitatum tradidêre, per baptismum conferri baptizatis gratiam. Cyprianus in epistola paulo ante citata gratiam & Spiritum sanctum docet baptizatis dari, idque æqualiter, & nemini negandum esse baptismum, quia nemo est à gratia consequenda impediendus. Ambrosius de sacramentis libr. 1. cap. 3. multa quidem lectu dignissima de virtute & operatione aquæ baptismalis scribit. Et post multa subdit: *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quæ habet in se gratiam Christi.* Et omnia delicta in baptismo mori, 8. in Lucam, cap. 17. & 2 Timoth. 2 & in plerisque alijs locis asseuerat. Idemque Hieronymus, paulò post principium tertij in Pelagianos, vt certum & indubitatum tradit. Augustinus longe quidem sanctius & religiosius, quam Lutherus, de Sacramentorum virtute sentiebat, & magnificentius multo eam vbique commendat, neque extenuat vnquam aut despicit, sicut ille facit prætextu commendandi fidem. Quasi vero diminutio sint virtutis fidei, & non potius magna commendatio, ipsa præconia virtutis sacramentorum, quæ sola fide perficiuntur, & signacula sunt fidei, & fides secundum quendam modum ab August. & Hugone dicuntur. Non est tam inuida alienæ laudis fides, neque tam angustis pomœrijs coarctatur. Extendit vim suam ad opera nostra & ad sacramenta: & quidquid illis gratiæ & commendationis accedit, ad se putat verissime pertinere.

In cap. 6. ad Roman.

Aug. epist. 23. ad Bonifacium. Hug. lib. 1. de sac. part. 10. cap. 9.

Sed mittamus hæreticos. Videamus quid hic sanctus pater nobis de virtute sacramentorum tradat. In lib. 19. contra Faustum, c. 11. sic de nostris sacramentis loquitur. Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Et de baptismo peculiariter 2. contra Cresconium Gram, c. 13. Baptismus, ait, est sacramentum nouæ vitæ ac salutis æternæ. Et li. 1. Retract. cap. 7. & alias sæpissime. Lauacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorũ. Et tract. 5. in Epist. Ioannis: Ecce accipit sacramentum natiuitatis homo baptizatus.

sacra-

sacramentum habet, & magnum sacramentum, sanctum, diuinum, ineffabile. Considera quale, vt nouum hominem faciat, & dimissionem tribuat omnium peccatorum. Et tract. 80. in Ioannis Euangelium: Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?

Diluitur obiectio Lutheri.

Neque est quod glorietur Lutherus, & insultet nobis, quia addit cõtinuo, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.

Non negat hic Augustinus, quin incunctanter asserit, & aquam baptismi, & verba sacramentalia, cum simul iunguntur, habere vim abluendi cor, sed ostendit, hoc neque esse ex natura ipsius aquæ, neque ex natura verborum, sed ex virtute diuina, latenter in eis & per ea operante. Vnde & statim præmiserat: *Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Et post illa verba, non quia dicitur, sed quia creditur: mox addit, *Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.*

Et in serm. quodam de Epiphania, constantissime hanc virtutem aquæ baptismatis profitetur his verbis: *Aqua subtilis est, sed subtilior benedictione efficitur: quia vsque ad interiora animæ penetrat, & cœlesti rore perfundit, & occulte vias vitæ donat.* Et mox apertius, ad purificandam animam peruenire, & vniuersa conscientiæ latibula penetrare affirmat. Et 2 contra literas Petiliani: *Neque aqua nostra inquinamur, neque vestra mundamur, sed aqua baptismi.* Et in libro de Cataclysmo, c.3. catechumenos sic alloquitur: *Ecce dilectissimi, venturi estis ad fontem aquæ. Non dicatis in cordibus vestris, hoc est totum quod pro magno desiderabamus. Fons iste visibilis similitudo est æterni fontis. Renascemini ex aqua & Spiritu. Aqua illa non solum corporis sordes mundat, sed animam à peccatis liberat.* Atq; vt scirent, vnde esset ista tãta virtus aquæ, subdit: *Non omnis aqua mũdat, sanctificatur hæc per consecrationem. Tolle enim verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, virtus verbi per aquam mundauit nos, quia super aquas ambulauit, & dominatur cunctæ creaturæ suæ.* Et in 2. contra secundam Gaudentij Epistolam, c.4. *Hi qui nondum baptizati sunt, à peccatis omnibus lauacro regenerationis abluuntur.* Et 4. de baptismate contra Donatistas ca.2. *Aqua Ecclesiæ fidelis, & salutaris & sancta est ea bene vtentibus.* Et alias similia dicit Aug. Ex quibus omnibus dilucidum potest esse, agnouisse eum & docuisse virtutem istam sacramẽti baptismi, quam cõtra Lutherum nunc stabilimus, neque sola fide existimasse baptizatos iustificari. Magister etiam in 4.d.3 post Greg & Bedam eadem docet, ac per baptismum iustificari homines, mundari, & innouari depositione vitiorum & collatione virtutum, constanter asseuerat. Et sequuntur eum omnes in vniuersum Scholastici Doctores. Quamuis enim multum & anxie inter ipsos disputetur, an sacramenta attingant ad productionem gratiæ, & quidam quidem hoc concedant, alij vero id negent: tamen & qui hoc negant, fatentur ea posse dici instrumenta & signa efficacia gratiæ, & virtute eorum nos recipere gratiam, quia ad susceptionem eorum, & propter ea Deus ipse solus suscipiẽtibus largitur gratiam.

Cap. 2.

Eat igitur nunc Lutherus, & his firmissimis & grauissimis scripturæ, Ecclesiæ, & sanctorum testimonijs contemptis, clamet hæreticam esse sententiam, Sacramenta dare gratiam his, qui non ponunt obicem. Quibus vero fucis tantum errorem linierit, quibusque præstigijs eum orbi persuadere adnixus fuerit, non erit incõmodum agnoscere. Scriptura, dicit, iustificationem fidei attribuit, & non sacramentis. *Iustus,* inquit, *ex fide viuit.* Et rursus: *Corde creditur ad iustitiam.* Obiect. 1.

Si non fuisses ô Luthere ingratus sacramentis, quibus & renatus, & initiatus fuisti, si non contempsisses matrem Ecclesiam, quæ te genuit, & spreuisses gratiam, quæ in te fuit per impositionem manuum sacerdotalium: agnouisses profecto sic scripturam tribuere iustificationem fidei, vt tamen non abroget alijs. Non frustra fidei Christus coniunxit baptismum, dicens: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Salutem certe hominis ex sacramento & fide, seu conuersione cordis ad Deum, comple- Respon. Marc. vlt.

ri nobis significauit, sicut dicit Augu. 4. de baptismo contra Donatistas, ca. 25.

Obiect. 2. Cur vero, inquies, & in tract. 80. in Ioan. & de Cataclysmo, cap. 3. virtutem totam, qua sanctificamur & renouamur, tribuit Aug. fidei? Verbo certe fidei dicit ibi consecrari baptismum, vt mundare possit, & ab eo esse totam sacramenti virtutem. Et in quæst. 59. lib. quæstionum veteris & noui testamenti, apertius: *Donum cæleste non poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem, immutari credat.* Et in tertio de libero arbitrio, cap. 23. prodesse dicit paruulis fidem offerentium eos baptismo. *Et hoc commendat* (addit) *Ecclesiæ saluberrima authoritas, vt ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoq; beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari.* Bernardus etiam manifeste asserit, paruulos baptizatos saluari per alienam fidem, neq; ab eis alienum esse, quod de omnibus generaliter dicitur: *Fide mundans corda eorum.*

Bernard. epist. 77. — Act. 15.

Respon. Dum tamen hæc aut similia in sanctis Doctoribus legimus, animaduertamus bene omnia circumstantia: & perspicuum erit non eos abrogare iustificandi virtutem, sacramentis, sed docere, signa hæc visibilia non habere suapte natura tam eximiam virtutem, sed eam eis à Deo esse, & ab institutione diuina, ac per hoc etiam aliquo modo à fide. Et causa, propter quam virtus eorum tribuitur fidei, non est, quia fides virtutem aliquam præstet sacramentis, aut quod gratia per sacramenta accepta, partim fit à fide, & partim à sacramentis, vt quidam existimat.

Non pendet efficacia sacramentorum diuinorum à nostris actibus. Si per impossibile deficeret in omnibus fides, baptizatus paruulus cum intentione faciendi, quod Christus fieri instituit, iustificaretur per baptismum. Et tota gratia data paruulis in baptismo, virtute sacramenti confertur, atque, vt aiunt, ex opere operato. Nullus enim alteri meretur primam præsertim gratiam immediate, & absque actu aliquo ipsius. Ideo vero sancti Doctores tribuunt virtutem sacramentorum fidei, quia habent, virtutem suam ex institutione diuina, quæ creditur per fidem, neque Ecclesia eis vteretur ad sanctificandos homines, nisi crederet verbis Christi, & per fidem prædicationis Euangelij certa esset Deum contulisse & semper conferre hanc virtutem sacramentis.

Cur virtus sacramentorum tribuutur fidei

Propterea vero paruulos baptizatos, iustificari dicunt per fidem alienam, vt & Augustinus in loco citato explicat, quia per fidem offeruntur Ecclesiæ baptizandi, neq; parentes offerrent filios suos baptismo, aut sacerdotes eos baptizarent, nisi crederent, ea via posse eos peruenire ad Dei gratiam. Atque hæc satis sunt pro solutione omnium argumentorum Lutheri, immo & pro toto hoc libro. Siquidem argumenta, quæ à multis Catholicis afferuntur contra efficientiam istam gratiæ, quam sacramentis tribuimus, satis exolui possunt ex illis, quæ capite 12. huius libri disseruimus. Transeamus ergo ad expositionem capitis 8. nostri decreti.

Quomodo paruuli baptizati, fide aliena iustificantur.

AN-

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE GRATVITA PER FIDEM IVSTIFICATIONE LIB. OCTAVVS IN CAP. VIII. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

MVLTA quidem in epistolis Paulinis occurrunt subobscura & difficilia intellectu. Sed vt Augustinus credit, ad nulla magis, quàm ad ea, quæ ad iustificationem spectant, verba sua Princeps Apostolorum retulit, cum dixit, in eis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum destructionem & perditionem. Inter omnia vero, quæ ad iustificationem impiorum spectant, tria hæc potissimum & olim & hoc tempore non mediocres iniecêre eruditissimis viris difficultates, iustificari per fidem, iustificari gratis, iustificari sine operibus legis, vel simpliciter sine operibus, aut non ex nobis, neque ex operibus. Et horum trium praua intelligentia plerosque, & maximè hæreticos nostri temporis, in varios præcipitauit errores. Porrò Conciliorum sacrorum & Sedis Apostolicæ hoc inter alia munus esse dignoscitur, vt germanum & genuinum sensum Scripturarum fidelibus tradant, & quæcunque fuerint difficilia & ambigua in lege Dei, sua authoritate edisserant. Non enim minus diligit Deus Ecclesiam, neque minoribus, sed multo maioribus & augustioribus & gratijs & prærogatiuis eam ornauit, quàm olim Synagogam. Ex Deuter. autem constat, illud priuilegium habuisse sub lege Mosaica summum sacerdotem & sacerdotes Leuitici generis, vt infallibiliter explicare possent, quæcunque difficilia & ambigua in diuina lege occurrerent. Agnoscentes itaque Patres hanc in se authoritatem & gratiam, vt quacunque possent, iuuarent populum Christianum, non contenti veram & certam, quamque omnes sequi debeant, doctrinam de iustificatione tradere, hæc quoque verba Pauli, quæ difficilia hoc tempore visa sunt, quemadmodum intelligi debeant, sua nobis authoritate in cap. 8. statuunt. Et Spiritus sancti numine confisi, quo vno & dictatæ sunt, & rectè expositæ Scripturæ, explicationem & corroborationem sententiæ Patrum huic libr. 8. mandabimus, ab ipsa eorum diffinitione, quæ sic habet, exordium sumentes.

Aug. de fi. & op. c. 14.

Tria Pauli verba difficilia.

Munus Conciliorum.

QVOMODO INTELLIGATVR, IMPIVM PER FIDEM GRATIS IVSTIFICARI.

Caput Octauum.

CVM verò Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine

qua im-

qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Gratis autem iustificari ideò dicamur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus. Alioqui, *vt idem Apostolus inquit*, gratia iam non est gratia.

CAPVT I.

De peruersis interpretationibus quorundam Pauli verborum, & legitima eorum ex sententia Patrum expositione.

DISTORTE nimium explicuerunt nostræ tempestatis hæretici tria illa verba Paulo frequentia, iustificari per fidem, iustificari gratis, iustificari absque operibus. Et quicam ex eis, abusi illis sunt, vt suaderent opera non esse necessaria ad iustitiam, sed duntaxat solam fidem. Ideo dictum à Paulo existimant, nos iustificari per fidem & absque operibus, quia fides vna atque adeo sola, est tota nostra iustitia. Et gratis nos iustificari, ab eodem putant assertum, quia nulla, ex parte nostra, requiritur dispositio ad iustitiam.

Alij vero, qui non perinde grauiter decepti sunt, propterea credidere iustificari nos per fidem gratis & sine operibus Paulum asseruisse, quia licet alia requisita sint ad nostram iustitiam, fide tamen sola apprehenditur ea & obtinetur. Cur enim aiunt, Paulus fidei vni tam sæpe attribuisset iustificationem nostram, & operibus abrogasset, nisi voluisset significare, nobis fidem solam ad salutem sufficere, aut saltem ea sola apprehendi veram iustitiam? Et nonnulli Catholici, saltem eis dandum esse existimarunt, fidem priores & potiores partes in nostra iustificatione tenere. Ab his omnibus adulterinis & valde alienis expositionibus vindicatur Paulus hoc capite à Patribus. Ac primo quidem ea ratione asseritur dictum esse ab illo, iustificari nos per fidem, quia est humanæ fides salutis initium, fundamentum & radix, & sine ea impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Atque ista expositione docent longe à vero sensu Pauli fuisse, neque idoneo fundamento innixos esse, qui propter hæc verba vel non esse necessaria opera, vel fidem esse consummationem iustitiæ, vel ea vna apprehendi iustitiam, vel certe potissimas eam tenere partes in nostra iustificatione contendebant. Tantum namque his verbis conuinci potest, fidem esse necessariam dispositionem ad iustitiam, & ipsius initium & fundamentum & radicem. Secundo autem propterea Paulum dixisse nos iustificari gratis, exponit sancta Synodus, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides sit, siue opera ipsam iustificationis gratiam promeretur. Qua expositione docet, verbum, *gratis*: opponi verbo, *ex meritis*: neque per illud excludi necessitatem, aut virtutem nostrarum dispositionum ad obtinendum gratiam, sed commendari nobis diuinæ in nos misericordiæ gratuitam benignitatem, & ostendi imbecillitatem nostrarum virium, & exiguum omnium operum nostrorum ante gratiam Dei valorem: quippe quæ nunquam eo pertingere possunt, vt per ea mereamur iustificationem. Non explicuere tamen hi Patres verba alia Pauli, quæ tertio loco in præfatione huius libri connumerauimus, nempe, iustificari sine operibus legis: aut simpliciter, sine operibus, aut non ex nobis, neque ex operibus. Idq; forte ideo factum est quia idem videtur esse sensus horum verborum & illorum, quibus asserimur iustificari gratis. Quid est aliud, nos iustificari absque operibus, quam iustificari gratis? Et quid aliud. nos iustificari gratis, quam, iustificari absque operibus? Si igitur iustificari gratis, est iustificari sine meritis: iustificari absque operibus idem erit, quod iustificari absque meritis. Quod si non esset idem vtrorumque sensus, cum hæretici in suorum errorum stabilimentum non minus, sed magis potius vtantur his verbis, iustificari absque operibus, quam illis, iustificari per fidem, aut istis, iustificari gratis: nunquam Patres silentio

lentio

lentio eorum expositionem præterissent. Sed prouidentia Spiritus sancti ea præterita esse existimo, vt hinc colligamus, idem esse omnia ista, ac iustificari sine meritis nostris, & nobis minime tantum beneficium promerentibus.

CAPVT II.

Intellexit semper Ecclesia verba illa, iustificari per fidem, sicut exposuere patres.

Expendenda tamen est, & laudanda in primis modestia, quam inter exponendum hæc verba Pauli, seruarunt Patres. Non superbe sibi arrogarunt eorum explicationem, neque nouum aliquem sensum eorum tradidere, quin neque alias interpretationes ipsorum damnant: sed ita esse intelligenda affirmant, vt perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit. Et hæc verba, *iustificari per fidem*, sic esse perpetuo exposita ab Ecclesia Catholica, quemadmodum Patres explicuere, subiecta statim poterunt docere sanctorum Patrum testimonia.

Vt autem constet, merito Patres appellasse fidem principium & fundamentum & radicem nostræ iustificationis, non ea tantum hic commemorabimus, quibus sic docent Paulum exponendum, sed ea adiungemus, quibus fidem his prærogatiuis nobis commendarunt. Augustinus: *Ex fide autem ideo dicit Paulus iustificari hominem, nõ ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus iuste viuitur.* Et quosdam hæreticos sic redarguit: *Et dicitur à vobis: Fides est à nobis, cætera à Domino ad opera iustitiæ pertinentia, quasi ad ædificium non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum.* Et statim, in primis & maxime fidem petendam à Deo adiungit: Et in capitulo secundo de bono perseuerantiæ: *Quod initium verius Christiano, quam credere in Christum?* Et ex eo desumpta sunt illa, quibus hic Patres commendarunt nobis fidem, atque ipsius necessitatem explicarunt. Nam in sermone 38. de tempore, sic scribit: *Ad veram beatitudinem peruenire volentibus, primo omnium fides necessaria est, sicut Apostolica docet authoritas, dicens: Sine fide impossibile est placere Deo.* Constat ergo, neminem ad veram peruenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat: & Deo neminem posse placere, nisi per fidem. Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire. Quia sine ipsa neque in hoc sæculo quispiam assequitur iustificationis gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem beatæ visionis Domini nostri Iesu Christi. Et cap. 3. libri 4. contra Iulianum Pelagianum, rursus affirmat, sine fide impossibile esse placere Deo. Et de verbis Apostoli sermone 29. addit: *Initium bonæ vitæ, cui vita etiam æterna debetur, recta fides est.* In cap. etiam 2. de natura & gratia contra Pelagianos, constanter affirmat, nullo modo posse quenquam iustificari, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi. Et quia Apostolus de lege veteri dicit: *Si per legem iustitia, gratis Christus mortuus est*: addit ipse, *Quanto iustius de lege naturæ? Si per naturam iustitia, gratis Christus mortuus est.* Eademque his scribit in epistola 89. his verbis: *Lex data per Moysen, viuificare non potuit, neque liberare à lege peccati & mortis.* Ideo vsque ad legem peccatum dicit Apostolus fuisse, non quia deinceps in nemine fuerit, sed quia non poterat per literã legis auferri, quod solo poterat spiritu gratiæ.

Neque mirandum, quod Augustinus sæpissime tradat, fidem Christi necessariam esse ad salutem, & cap. 4. libri de natura & gratia, diserte asserat, per gratiam Christi non liberari, qui nondum illam audierunt. atque ibidem capite primo, & sæpe alias pro eodem accipiat, iustificari absque fide Christi, & iustificari absque Christo. Iustificari quidem sine operibus, & iustificari sine Christo, maximo interuallo inter se distant. Extra controuersiam fuit semper apud Catholicos, neminem mortalium post lapsum Adæ iustificari posse, nisi ex meritis Christi, vt luculentum fecimus libro quarto, & Cyrillus libro septimo in Ioannem, cap. 1. 3. & 4. & Hieronymus in Com-

Aug. c. 7. de præ. est. sancti.

Hebr. 11

Galat. 2

Litera legis inefficacia.

Epist. 89. quæst. 3.

Omnis salus per Christum.

Cõmentarijs 1. cap. epistolæ ad Ephesios, & Augustinus, & cæteri Doctores passim ed ſſerunt. At non itam confesso fuit, iustificari omnes per fidem Christi, saltem explicitam. Verum Augustinus satis explicat capite secundo de natura & gratia, propterea se pro eodem habuisse, quæ tam longis interstitijs seiuncta erant, quia neminem credidit absque fide passionis & resurrectionis implere potuisse legem. Vt enim ad nos pertingeret virtus Christi, & nos ipsius merita & gratiam participaremus, videtur necessariũ existimasse, vt ei fide coniungeremur. Atq; inde fortassis ita credidit, quia scriptura remissionem peccatorum per Christum donari tradit ijs, qui credunt in eum, & in Christo iustificari, cum fides eius nobis deputatur in iustitiam. Quod si fieri potuisset, vt legem quisquam seruaret ex gratia Christi, & merita ipsius participaret sine fide explicita, nunquam Augustinus negasset, quod nos libro sexto, cap. 19. & 20. defendimus, potuisse aliquos saluari non modo sine fide Christi, sed & sine fide Dei, si quidem absque illa naturalem legem seruarent. Vnde & ibidem subdit Augustinus: *Non tam iniustus est Deus, vt iustos fraudet mercede iustitiæ, si eis non est annunciatum sacramentum diuinitatis & humanitatis Christi. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt?* Et Cyrillus palam dicit: *Qui nihil audierunt, mitiorem forsan inuenient iudicem. quamuis, quoniam non requisiuerunt, relaturi rationem sunt.* Sed hæc satis ad expositionem Augustini pro pietate, quam ei omnes debemus. Pergamus ergo ad aliorum testimonia.

Non seruatur lex sine fide.

Saluari potuissent sine fide, qui sine illa legem seruassent.

Cyrill. 4. in Ioan. c. 11.

Origenes in hæc verba Pauli, *Arbitramur enim hominem iustificari per fidem: Vbi fides non est, quæ credentem iustificet, etiam si opera quis habeat ex lege, tamen quia non sunt ædificata supra fundamentum fidei, quamuis videantur esse bona, operatorem suum iustificare non possunt, si eis deest fides, quæ est signaculum eorum, qui iustificantur à Deo.* Hæc ibidem: Et homilia 3. in Leuiticum: *Certum est, quod remissionem peccatorum nullus accipiat, nisi detulerit integram, probam, & sanctam fidem.*

Orig. libr. 3. comm. epist. ad Rom.

Ambrosius in principio libri primi de sacramentis: *In Christiano viro prima est fides.* Et alibi: *Fundamentum iustitiæ est fides. Iustorum enim corda meditantur fidem & qui se iustus accusat, iustitiam supra fidem collocat. Nam tum iustitia eius apparet, si vera fateatur. Deniq; & Dominus per Esaiam, Ecce inquit, mitto lapidem in fundamentum Sion, id est, Christum in fundamentum Ecclesiæ. Fides enim omnium Christus.* Et mox: *Ideo & Paulus fundamentum posuit Christum, vt supra eum opera iustitiæ locaremus, quia fides fundamentum est. In operibus autem, aut malis iniquitas, aut bonis iustitia est.* Et rursus ait: *Fides, bonæ voluntatis & iustæ actionis genitrix est.* Et subdit, à Deo eam donari nullis meritis præcedentibus, vt principium possit esse meritorum. Idem etiam iustum ex fide viuere exponit, quia vita est ex fide: & iustitia Dei per fidem Iesu Christi, quia per eam agnoscimus donum aduentus Christi olim à Deo promissum.

Amb. libr. 1. offi. c. 29.

Esa. 28

1. de voca. Gentium, c. 8. & 9.

Et in illa verba Apostoli, *Firmum fundamentum Dei stat: Fundamentum, Dei fides est, quæ continet quæ promisit Deus.* Et statim: *Signaculum promissionis Dei fides nostra est, quæ firmat Dei verba.* Et alias: *Habet vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum. Habent & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur.* Et continuo: *Strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est, ac si vitioso fundamento pulchra culminum velis eleuare fastigia: quod quo plus extruxeris, plus corruit, quia sine munimento fidei bona opera non possunt manare. Infida statio in portu nauem perforat, & arenosum solum cito cedit, nec potest imposita ædificationis sustinere onera.* Et iterum: *Fides ante omnia commendare nos Deo debet.* Et alias: *Fides velut præuia caritatis, occupat animam, & præparat semitas ventura dilectioni.*

2. Tim. 2

Lib. 1. off. c. 2

2. de Cain & Abel cap. 2.

epist. 74.

Hieronymus in illa verba Pauli, *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius.* sic scribit: *Fiduciæ atq; accessus ad Deum principium atq; origo, fides in Christo est.* Et statim, quæ adiecit Paulus, *In interiori homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati:* ita exponit, *Habitatio ista quæ per exordium fidei fabricatur, radices & fundamentum in caritate habet.*

Ephes. 3

Cyrillus duplici ex causa putat Apostolos dixisse, *Et nos credimus & cognoscimus, quia tu es Christus filius Dei.* Primo quidem, quia non

Cyrill. 4. in Ioan. c. 2 9.

non leuiter inducti sunt ad credendum, sed multis signis facti certiores. Nisi enim ita confirmetur fides, cum radicem non habeat, facilè, ait, ex animo euolat. Secúdo vero, quia fidem cognitio sequitur, iuxta illud Esaiæ, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et mox subdit: *Nisi absque vlla dubitatione fidei ieceris fundamenta, non poteris paulatim cognitionem, quæ in Christo est, superædificare, ac in virum spiritalem euadere.* Atque ex verbis Esaiæ, *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem erectum, angularem, preciosum:* continuo infert, *Initium ac fundamentum in sanctificationem atq; iustitiam, Christus est per fidem, & non aliter. Hoc enim modo in nobis habitat.* Et 4. in Ioannem cap. 9. vt cap. 12. lib. 6. citauimus addit *Ianua & via in vitam, fides est.*

Esa. 7

Cap. 28

Basilius: *Liberamur a peccatorum condemnatione, credentes beneficio Dei per vnigenitum ipsius filium Dominum nostrum Iesum Christum.* Quæ verba & ea possunt confirmare, quæ de fide qua disponimur ad iustitiam, tradita esse à patribus, cap. 15 libro 6 docuimus.

Basil. libr. 1. de bapt. c. 1. Fides disponens ad iustitiam.

Chrysostomus in illa verba, *Fide translatus est Enoch: Vt transferretur, causa fuit, quod placuerat: Vt autem placeret Deo, causa erat fides. Nisi enim sciret, quia accepturus esset retributionem quomodo placuisset Deo? Sine fide enim impossibile est placere Deo. Et Dauid: Credere opus est, quia est, non vidisti.* [illegible] *non tantum de retributione,* [illegible] *quod sit Deus, labuntur* [illegible]

Chryso. hom. 22. in epi. ad Hebræos.

Hebr. 11

Theophylactus in illa verba ad Romanos 1. [illegible] ex fide viuit, eodem sensu scribit: *Deus nos non ex operibus, sed ex fide iustificauit.* Et addit, *Cum ea quibus à Deo donati sumus mortales nequeant cogitatione complecti, merito nobis est fides necessaria.* Et in illa verba, *Sine fide impossibile est placere Deo: Nam quo pacto laboriosum illud virtutis* [illegible] *aliquis, nisi futuram bonorum malo*[illegible] *remunerationem quis crediderit, & multiplicia sperauerit præmia.*

Theophyl. in cap. 1. ad Roman.

In cap. 11. ad Hebr.

Rufinus, siue quisquis alius fuerit author libelli, qui inscribitur, *In Symbolum Apostolorum expositio*, & circumfertur inter opera Cypriani: Credo, primo omnium ponitur, sicut & Paulus Apostolus ad Hebræos scribens, dicit: Credere enim primo accedentem oportet ad Dominum, quia est, & credentibus in se remunerator sit. Sed & Propheta dicit: Nisi credideritis, non intelligetis. Vt ergo intelligentiæ tibi aditus pateat, rectè primo omnium te credere profiteris, quia neque nauem quis ingreditur, & liquido ac profundo vitam committit elemento, nisi se prius credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque solis teporem, quibus terra confota, segetem multiplicata fruge producat ac ventis spirantibus nutriat. Nihil deniq; est, quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Quid ergo mirum, si accedentes ad Deum, credere nos primo omnium profitemur, cum sine hoc, neque ipsa exigi possit vita communis? Et subiectis exemplis in huius rei confirmationem, addit: Quod si hæc singula, nisi prius crediderit futura, nullus aggreditur, quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur?

Gregorius: Si fides non prima in corde nostro gignitur, rel qua quæque esse bona non possunt, etiamsi bona videantur. Scriptum quippe est: Sine fide impossibile est placere Deo. *Et alibi:* Nullus supernæ adoptionis gratiam habuit, nisi qui hanc per cognitionem vnigeniti accepit.

Gregor. 6. Mor. 33.

Hebr. 11. 25. Mor. 1.

Et Bernardus in sermone secundo de resurrectione Domini, affirmat fidem ex auditu esse, & ex visu confirmari, & impossibile esse, in operibus quantumuis bonis sine illa placere Deo. Et vsque adeo hoc verum esse credidit, vt propter hæc verba Pauli, *Sine fide impossibile est placere Deo,* in epi. 77. affirmet, etiam paruulos, qui baptizantur, saluari per fidem, non tamen suam, sed alienam. Atque in illis Christi verbis, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur:* innui nobis ait, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine illa sufficere nihil. Et sermone 37. in Cantica, sic percontatur: *Poterit ne spes esse salutis cum Dei ignorantia?* Et ipse sibi è vestigio respondet: *Ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare quem nescias, aut habere quem non amaueris.*

Hebr. 11

Serm. 66. in Cantica.

Marc. vlt.

Richardus in Prologo librorum de Trinitate, *sine fide impossibile esse placere Deo*, probat: *Nam vbi non est fides, non potest esse spes. Oportet enim accedentem ad Deum, &c. Alioqui qua spes esse poterit? Vbi autem non est spes, caritas esse non potest. Quis enim amet de quo nihil boni speret? Per fidem igitur promouemur ad spem, & per spem proficimus ad caritatem.* Et paulo post: *Fides totius boni initium est atq; fundamentum, & ab ea omne bonum, fundamentum sumit & firmamentum capit.* Hugo primo de sacramentis, parte 10. cap. 9. *Fides initium boni, & principium restaurationis.*

CAPVT III.

Explicatur magis & corroboratur expositio à Patribus data verbis his, Iustificari per fidem.

NEQVE iniuria hæc tanta & tam præcellentia Ecclesiæ lumina sic Paulum exposuerunt. Ipse Paulus in epistola ad Hebræos fidem dixit esse sperandarum rerum substantiam, hoc est, fundamentum, & quod significantius Græce dicitur, hypostasin. Et tam ipse, quam cæteri Apostoli prædicationibus suis hanc nobis expositionem tradiderunt, dum fidem ante omnia ab infidelibus exigebant, & fidei vt plurimum tribuebant miracula, quæ patrabant, atque huic fortissimo fundamento omne spiritale ædificium superstruebant. Et ita eos facere instituerat Christus, dicens: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Matth. 16

Vnde Augustinus de natura & gratia, cap. 68. sic admonet prædicatores infidelium: *Si volumus animos, ad recte viuendum frigidos & pigros, Christianis exhortationibus excitare, primitus exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant, & eius nomini subijciantur, sine quo salui esse non possunt.* Neque dubitarunt Patres, quin satis esset ad veritatem verborum Pauli, & ad excludendum omnem errorem, si dictum esset, Paulum ideo dixisse nos iustificari per fidem, quia fides causa est nostræ iustificationis. Profecto nihil amplius ad veritatem horum verborum exigitur. Satisque fuit, vt vero idem Paulus dixerit, *Spe salui facti sumus*, quod causa illa sit salutis nostræ. Rom. 8 Neque quisquam, quod sciam, ita insaniuit, vt ad veritatem eorum verborum requisiuerit, spem solam sufficere ad salutem, aut spe sola ea apprehendi, aut spem potissimas partes tenere in iustificatione.

Voluerunt tamen Patres asserere, ideo Paulum dixisse nos iustificari per fidem, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix, vt elideretur error Lutheri, dicentis in commentarijs epistolæ ad Galatas, eam esse iustitiam, qua formaliter iusti sumus: & explicaretur obiter, quemadmodum per eam iustificamur, & cur illi sæpius, quam alijs virtutibus, tribuerit Paulus & cæteri Apostoli nostram iustificationem. Iustum namque erat, frequentius memoriam fieri initij & fundamenti salutis nostræ, ab eis præsertim, qui Ecclesiam & ædificia spiritalia construere & ædificare tum incipiebāt. Et sicut sæpius tribuimus vitam nostram cordi, & vere dicimus ex corde vitam procedere, & per illud viuere vniuersa animalia: quia licet alia sint ad eorum vitam necessaria, tamen cor est vitæ initium & radix: ita iuste potuerunt illi iustificationem nostram fidei tribuere, ac passim asserere, homines per fidem & ex fide iustificari, cum illa origo sit & principium vitæ nostræ spiritalis, & primus virtutis motus, quo à Deo gratiæ recipiendæ adparamur. Nam principium & causa prima, vt est apud Philosophos, virtute continet suos effectus, & eos optimo iure sibi vendicat.

Neque ociose Patres tribus his elogijs initij, fundamenti, & radicis humanæ salutis, fidem hic ornarunt. Potest principiū esse, quod non sit fundamentum. Neque si quid principium & fundamentum sit, continuo & radix erit. At vero fides principium est, ex quo iustificari incipimus: Fundamentum est, cui innititur, & à quo pendet totum animarum nostrarum spiritale ædificium: Radix est admirandæ virtutis, ex qua pullulat & oritur quidquid in bonis operibus floridum est & frugiferum. Initium quidem & ostium est salutis, quia lumen est & sidus præfulgidū, quod viam salu-

salutis ostendit. Fundamentum est, quia nequit absque illa in altum assurgere, immo neq; consistere spiritalis virtutum & gratiarum fabrica, & ipsa omnia incrementa gratiarum, omniaque exercitia & labores militiæ nostræ sustentat. Radix est, quia parens est fœcunda virtutum, & feracissima omnium bonorum operum: & nisi nos nostra libertate & malitia, illius obuiaremus virtuti, ipsa secum omnia nobis bona afferret, & ad veram iustitiam, perduceret. Dum præmonstrat bonitatem Dei, in amorem ipsius accendit: dum reuelat futura bona, quæ speramus, in spem animos nostros erigit: dum turpitudinem, grauitatem, & reatum peccatorum retegit, in pœnitentiam eorum trahit: dum vtilitatem & suauitatem mandatorum Dei commonstrat, ad ea obeunda & opere complenda allicit & extimulat.

Vnde & prudenter quidam ducem illam vocat vitæ, reliqua vero opera, ipsius asseclas. Et Paulus hoc luculenter ostendit pulcherrimo illo iustorum catalogo, quos in epistola ad Hebræos præcellentibus & omnino admirandis operibus ostendit, per fidem claruisse. Idemque facit, dum docet, ideo iuxta prophetam Abacuc, Iustum ex fide viuere, quia per fidem promissionum diuinarum, longanimiter fert iustus mala, quæ patitur, & in obseruantia præceptorum diuinorum magnanimiter durat.

Et eleganter profecto, vt solet, has diuitias & virtutes fidei explicat Augustinus in hæc verba: *Nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quam est fides Catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines & viduas, & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æterna hereditate cum angelis sanctis communicat.* (Aug. serm. 2. de verb. apostoli.)

Quamuis autem hæc vna causa expressa sit hic à Patribus, propter quam Paulus dixerit, homines iustificari per fidem, non sunt tamen reijciendæ aut aspernandæ, si quæ forte aliæ inueniantur commodè causæ eiusdem assertionis, quæ quidem cum hac, quæ potissima est, possint stare. Sicut enim docente post Diuum Augustinum sancto Thoma, vnius & eiusdem loci plures possunt esse sensus literales, ita vnius & eiusdem dogmatis plures possunt assignari rationes & causæ. (Aug de Genes. ad liter. imperf. cap. 1. Tho. 1. p. q. 1. ar. 10.) Itaque locus adhuc est alijs quatuor causis, ob quas asseruimus in libello de iustificatione, Paulum frequentissime tribuisse fidei nostram iustificationem.

CAPVT IV.

Ex consensu Doctorum confirmatur, idem esse, iustificari gratis, vel absq; operibus, & iustificari sine meritis.

DIFFICILIVS tamen & operosius est, perpetuo Catholicæ Ecclesiæ consensu ostendere, sic esse exposita verba illa, gratis iustificari, vt idem sit, gratis iustificari: &, non promereri aliquo opere iustificationem. Et in hoc maior nobis concertatio est cum hæreticis. Quod enim non possunt ex verbis statim expositis conficere, sola nos fide iustificari, hoc ex his euincere conantur. Vnde & Melanchthon in locis communibus hac ratione tuetur, quod ipse, & qui suæ sunt factionis, passim asseuerant, sola nos fide iustificari, quia Paulus dicit, iustificari nos per fidem gratis. Quod si displicet, inquit, exclusiua *sola*, tollant etiam ex Paulo exclusiuas illas, *gratis*: &, *non ex operibus*. Vt igitur omnem ansam errandi hæreticis amputemus, & germinus Pauli sensus omnibus manifestus sit, commodum erit, quod Patres affirmant, fidelissimis & certissimis testibus monstrare.

Augustinus clarissimus gratiæ propugnator, in 6. libro Hypognosticon, his verbis, *Iustificari gratis, confutat Pelagianorum heresin, asserentium, gratiam secundum merita dari:* & post multa subdit, *Audi gratis: & tace, de meritis.* Idem super illum versum Psalmi, *In tua iustitia libera me & eripe me*, cum ostenderet, neminem in sua iustitia saluari posse, sed necesse esse, vt saluetur gratis, quærit: (Psalm. 30.)

Quis est qui saluatur gratis? Et ipse sibi respondet hoc modo: *In quo non inuenit saluator quod coronet, sed quod damnet: nō inuenit merita bonorum, sed inuenit merita suppliciorum.* Et paulo inferius declarans illa verba Apostoli, *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, ita inquit: *Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non praecesserunt, sed beneficia Dei te praeuenerunt.* Et cap. 4. de natura & gratia: *Hac igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod & gratia nominatur. Iustificati*, inquit, *gratis per sanguinem ipsius.* Rom. 7. Rom. 5.

Ex his luculenter patet, pro eodem illum accepisse, iustificari gratis, & iustificari absque meritis. Quod & ipsum confirmare possumus, quia Doctor hic præstantissimus, gratiæ iustificationis aduersari putat merita, & sæpe ex vno verbo gratiæ, triumphare se existimat de Pelagianis, asserentibus gratiam secundum merita dari. Quod nequaquam faceret, nisi idem existimasset esse, gratis vel ex gratia iustificari, & iustificari sine meritis. Sed aliquot ipsius testimonia de hoc proferamus.

In princip. lib. de prædestinatione sanctorum, ita scribit: *Gratia Dei nulla est, si secundum nostra merita datur*, Et capite 12. *Omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum vere esse gratiam, id est, non secundum merita nostra dari, euidentissime sacrorum eloquiorum testimonijs asseritur* In de gratia & libero arbitrio, cap. 5. *Laborant*, ait, *Pelagiani gratiam Dei secundum merita nostra dari, hoc est, gratiam non esse gratiam.* Et capite 21. *Non secūdum meritum hominum gratia datur. Alioquin gratia iam non est gratia, quia ideo gratia vocatur, quia gratis datur.* Et capite 22 *Non intelligunt se negare gratiam, qui dicunt eam secundum merita nostra dari.* In tract. 79 super Ioann. *Ex tenebris iusti electi sunt, non per suum meritum, sed per Dei gratiam.*

Epist. 105. In epistola quadam ad Paulinum, reddens causam illorum verborum Apostoli, Rom. 11. *Si ergo gratia, non ex operibus* ita scribit, *Operibus enim debitum redditur, gratia gratis datur, vnde & nuncupatur.* Et aliquanto post: *Cui meritis praeueniri gratia perhibetur, quae gratia non esset, si secundum meritum imputaretur?* Et sæpe idem explicat in illa epistola, & in sexcentis alijs locis.

Et tam Augustinus, quam alij omnes Doctores antiqui, quos legerim, Dei gratiam & misericordiam, merito opponunt. Et ne cuiquam durum videatur, quod hic Patres etiam fidem excluserunt à promerenda iustificatione, legat Augustinum in libr. 1. q. 2 ad Simplician. Nam ibi fidem ex professo asserit nō mereri iustificationem. Et sicut ibi docet, non debere quenquam de ipsis operibus misericordiæ gloriari & extolli, quod eis quasi suis Deum promeruerit, quando quidem vt haberet misericordiam, ille præstitit, qui misericordiam præstabit, cui misericors fuerit: ita etiam ibidem contendit, non debere quenquam de sua fide extolli, quasi ea promeruerit iustificationem. Nam & ipsa quoque donum Dei est, & nemo credit, nisi cui Deus sua benignitate impartitur mensuram fidei. In libro etiam de gratia Christi, præcipue admititur ostendere contra Pelagianos, neminem fidei suæ merito iustificari. Idque probat ex verbis, quibus Paulus asserit nos iustificatos gratis per gratiam ipsius Dei, & gratia saluos factos esse per fidem. Vide libr. 1. cap. 31.

Sed transeamus ad alios Doctores. Hieronymus ita verbum, *Pro nihilo*, exponit. Idem autem est, Gratis: & Pro nihilo. Eius verba in 2. libro contra Pelagianos, hæc sunt: *Pro nihilo saluos faciet eos, haud dubium quin iustos, qui non proprio merito, sed Dei saluantur clementia.* Vides vt idem reputat, *Pro nihilo*, ac si aperte diceretur, *Non proprio merito?*

Gregorius ex his verbis, *Iustificati gratis*, probat nos absque meritis iustificari. In illa verba, *Liberabit vos de manu Philistijm*, ita scribit: *O quam magni muneris est ista promissio, qua dicitur, Liberabit vos de manu Philistijm Nam ille solus liber huius manus extitit, qui peccatum nō fecit. Ab ea vtique omnes contra meritum liberamur.* Vnde & Paulus dicit, *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* 1. Reg. 7. Rom. 3.

Bernardi serm. 67. in Cant. *Nolo meritum, quod gratiam excludat. Horreo quicquid de meo est,*

est, vt sim meus: isi quod illud magis forsitan meum est quod me meum fecit. Gratia reddit me mihi iustificatum gratis, & liberatum à seruitute peccati. Hæc satis indicant, apud Bernard. idem fuisse iustificari gratis, & iustificari sine meritis.

CAPVT V.

Confirmatur magis, idem esse, iustificari gratis, & iustificari absq; meritis.

ET legitime à nostris Patribus expositum esse verbum, *Gratis*: per verbum, *Absq; meritis*: his possumus argumentis approbare. Primò: Apostolus dicit, *Si ex operibus, iam gratia non est gratia.* Igitur ex sententia Apostoli aperte sibi aduersantur, iustificari ex operibus, & iustificari ex gratia: & idem erit, iustificari ex gratia, & iustificari non ex operibus. Itaque cum idem sit, iustificari absque meritis, & iustificari non ex operibus: aduersabitur etiam, iustificari ex gratia seu gratis, iustificationi ex meritis. Tantum enim vnum vni opponitur, iuxta Aristotelem. Et hoc argumento vsi sunt Patres in hoc loco ad probandum expositionem totius Ecclesiæ. Et sæpe Diuus Augustinus vtitur eodem argumento & testimonio, vt probet neminem iustificari ex meritis.

Argum. 1.

Argum. 2.

Secundò: *Gratis*, apud Latinos, fieri aliquid, dicitur, vel quia fit absque debito, liberaliter prorsus & benigne, vel quia fit sine precio. Et quod gratis omnino fit, id & ex parte facientis, indebitum est, & ex parte eius, cui fit. Neque tamen necessarium est primum horum, vt aliquid fieri dicatur gratis. Administrare censentur prælati gratis sacramenta suis subditis, si hoc faciant sine precio, quamuis illa teneantur ipsis ministrare. Tantummodo requirit verbum, Gratis, vt quod gratis fieri dicitur, cum eius gratiam fit, minime debeatur. Quod tum contingit, cum ille indignus est beneficio quod accipit, neque precium aliquod ei gratiæ condignum obtulit. Cum igitur qui iustificarentur ex meritis, quantum esset ex parte ipsorum, ex debito ac velut pro precio iustificarentur, idem erit iustificari gratis, & iustificari absq; meritis. Quod autem iustificari ex meritis, ex debito ac velut pro precio iustificarentur, hoc pacto docere possumus: Si enim verissime dicit Paulus, *ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*: verissime nos eum imitati, dicere poterimus: Ei qui meretur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

Roman. 4.

Quare Augustinus vere dicit: *Quibus secundum meritum redditur gratia, non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et alibi: *Reliquiæ per electionem gratiæ, saluæ factæ sunt. Quæ vtique non est gratia, si eam vlla merita præcedunt: ne iam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum reddatur potius meritis, quam donetur.* Et erudite sic ille argumentatur: *Nam meritum mercedis est meritum, & merces meritis debetur.* Ac potuisset quidem verbum, *Gratis*, exponi per verbum, *Indebito*: & apertius (opinor) fuisset, si dictum sic esset. Gratis autem ideo iustificari dicimur, quia nulli operum nostrorum præcedenti iustificationem, neque ipsi fidei debetur iustificationis gratia. Neq; his verbis alius expressus esset sensus ab eo, qui modo expositus est. Ipse Apostolus per verbum, *Indebito*, videtur exposuisse verbum, *Gratis*, cum subdidit: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et omnia quidem eodem reciderent.

De prædest.

Rom. 11.

Commodius tamen visum est, illis verbis Paulum exponere, quæ & olim, & hoc tempore, controuersa erant. Ita enim fiebat, vt eliderentur, hac expositione Pelagianorum error de meritis gratiæ, & Catholici vindicarentur à calumnia hæreticorum nostri temporis, asserentium nos conuenire in meritis gratiæ cum Pelagianis. Et sic exponendo Paulum, constituebatur & præscribebatur scholæ & Doctoribus certus modus loquendi de meritis iustificationis. Itaq; posthac sic nostra necesse est verba temperemus, vt nullus dicat absolute & simpliciter, vel fide, vel spe, vel dilectione, vel pœnitentia, vel martyrio, vel oratione, vel alio quouis sancto opere, promereri peccatores gratiam iustificationis.

CAPVT VI.

Doctores antiqui, agentes cum Catholicis, persæpe asseruerunt, peccatores mereri suam Iustificationem.

QVANQVAM autem Doctores antiqui semper contra Pelagianos statuerunt, gratiam iustificationis non dari secundum merita, ijdem tamen agentes cum Catholicis, nonnunquam asseruerunt fide, eleemosyna, pœnitentia, oratione, & alijs bonis operibus ex dono Dei habitis, mereri peccatores suam iustificationem. Et præter ea, quæ ex Cypriano, Ambrosio, Augustino, Gregorio, pro his citauimus in opusculo de iustificatione, docere nos hæc possunt subiecta hic testimonia.

Origenes hom. 3. in Leuit. Ex illis verbis Dauidis, Dixi, *pronunciabo aduersum me iniustitiam meam*, sic colligit: *Vide ergo quia pronunctare peccatum, remissionem peccati meretur.* Et vt agnoscas efficientiam nostræ in nos iustificationis, addit statim *Si ipsi nostri simus accusatores, proficit nobis ad salutem.*

Tertullianus 4. in Marcionem, peccatricem mulierem iustificatam dicit per pœnitentiam ex fide, & ea pœnitentia veniam meruisse. Ambrosius: *Neq, promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* Et addit: Operationibus iustis Deo satis fieri, & misericordiæ meritis peccata purgari. Et confessionem latronis boni, meruisse remissionem peccatorum his verbis affirmat: *In cruce latro confitens, non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum, & factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrij.* Et de filio prodigo: *Tam cito veniam meretur vt venienti, & adhuc longe posito occurrat pater,* Et super illa verba Pauli, *Spe salui facti sumus,* meritum salutis, spei tribuit, dicens *Sperando quod promisit nobis Deus in Christo, nobis meritum fecimus vt liberemur.* Hieronymus in 2. aduersus Pelagianos: Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Saluatoris.

Ambr. serm. de eleemos.

Libr. 2. de pœnit. ca. 3.

Augustinus, renarrante Gratiano, de pœnit. d. 1. Sicut primi homines, Dauidem dicit confessione peccati veniam meruisse. Et in libro de pœnitentiæ medicina, cap. 15. pœnitentiam eiusdem prophetæ, meritum & causam, qua Deum placauerit, asseuerat in hæc verba: *Non frustra Dauid de tam immani & abrupto profundo sceleris pœnitens, clamauit ad Dominum, dicens: Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Quo tandem merito, nisi quia item dicit, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum ante me est semper? Quid autem obtulit Domino, vnde illum propitiaret sibi? Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium, Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.*

Aug. lib. 1. de pecc. mer. c. 14. Est homil. 50. in 50.

Psalm. 50.

In epistola etiam 89. de superbo diuite, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, ita scribit: *Si pauperis vlcerosi qui ante ianuam eius contemptus iacebat, misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam.* Atque in illa verba Psalmistæ, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: Niniuitæ pœnitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt.*

Epi. 89. ad Hilar. q. 4. in Psal. 50.

Gregor. insuper sic de Niniuitis scribit: *Dum Niniuitæ velut pro difficili reconciliatione graui pœnitentia se deijciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt.* Et vt monstraret verbo merendi, aliquam se efficientiam pœnitentiæ eorum concessisse, statim adiunxit: *Et cum propheta Ioelis voce acri se Deo populus lamento prostraret, egit profecto, vt qui videbatur adplacandum difficilis, eius iram leuigaret. Nam statim in eo scriptum est: Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo.*

Greg. libr. 1. in Reg. c. 4.

Ioel. 2.

Hesychius etiam, referente Gratiano de pœnitentia, d. 3. c. Inter hæc hircum, veram pœnitentiam veniæ meritoriam docet his verbis: *Sicut vera pœnitentia veniam promeretur, ita simulata Deum irritat.* Eandem etiam laudem tribuit castitati Beda, dum exponit mystice, quomodo vectes tabernaculi laminis aureis vestirentur, dicens: *Ramus oliuæ per columbam illatus in arcam, eos significat, qui foris quidem, hoc est inter hæreticos baptizati fuere: sed quia vnguentum charitatis habent, per gratiam sancti Spiritus in vnitatem Catholicam merentur introduci.* Et passim alia testimonia,

nia licet legere apud sanctos. Ex quibus videtur satis constare posse, non perinde fuisse exosum veteribus vocabulum hoc meriti, etiam respectu iustificationis, vt autumant quidam.

CAPVT VII.

Fidem, secundum Augustin. mereri aliquo modo iustificationem, neq; id vnquam ab eo retractatum.

QVIA vero peculiariter de fide controuertitur, an eam saltem nostræ iustificationis meritoriam dixerint antiqui, & præsertim Augustinus, addam his aliqua, ex quibus, cum his quæ in opusculo de iustificatione q. 6. citaui, perspicuum erit, Augustinum semper asseruisse, neque vnquã retractasse, quod fides aliquo modo mereatur iustificationem. In primo de Trinitate d. 10. tractans illa verba Ioannis, *Ipse pater amat vos*: sic ille scribit, *Quo merito, nisi fidei, qua credimus, antequam id quod promittitur, videamus?* In libro 83. quæstionum q. 68. *Merces cognitionis meritis redditur, credendo autem meritum comparatur. Ipsa autem gratia, quæ datur per fidem, nullis nostris meritis praecedentibus data est. Quod est enim meritum peccatoris & impij? Christus autem pro peccatoribus & impijs mortuus est, vt ad credendum non merito, sed gratia vocaremur: credendo autem, etiam meritum collocaremus. Peccatores igitur credere iubentur, vt à peccatis credendo purgẽtur.* In epistola 105. cum apertissime dixisset, percipiendæ gratiæ iustificationis merita nulla præcedere, ne per hoc fidei merito & prærogatiuæ detrahi quicquam videretur, subdit: *Sed neq; ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neq; enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui se humiliat, exaltabitur.*

Fides meretur aliquo modo iustificationem.

An non hinc patet, Augustinum sensisse, aliquod inesse meritum fidei respectu iustificationis, & subodoratum eum fuisse meritum ex congruo? Nonne hic de remissione peccatorum ait, quæ antecedit opera facta in gratia? Cum igitur eam dicat non esse sine aliquo merito, si fides illam impetrat, manifestum est, eum de fide ante iustificationem locutum esse, & eam asseruisse aliquo modo esse remissionis peccatorum meritoriam. Et vim profecto facit textui Euangelico, qui ideo putat asseri descendisse iustificatum publicanum merito suæ fidei, quia descendit, vbi fecit opus iustitiæ.

Publicanus verè iustificatus ob humilitatem.

Apertum est, ideo dici descendisse iustificatum, quia descendit de iniusto factus iustus, propter humilitatem suam videlicet & fidem. Nam alioqui non recte subintulisset Christus ex factis publicani & pharisæi, & ex eis, quæ illis contigerant, sententiam illam verissimam: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Et si Augustinus de fide formata loqueretur, asseruisset simpliciter eam esse meritoriam: neque sic parce & temperate dixisset, non esse remissionem peccatorum sine aliquo merito, si fides eam impetrat. Vnde & statim, vt omne pelleret dubium, subiecit: Restat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantic. Canticor. *Venies & pertransies ab initio fidei*, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, neque vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunq; sunt merita: sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus. Quia sicut in eadem epistola legitur, *Deus vnicuique partitur mensuram fidei.* Ex quibus colligi potest, eum non negasse fidem mereri iustificationem, sed hoc tantum voluisse constabilire, fidem donum Dei esse. Quia si quis eam viribus solis liberi arbitrij tribueret, gratia diceretur reddi secundum merita simpliciter, vt prætendebat Pelagius. Et alias non dixisset, à fide incipere bona quæcunque sunt merita. Respondet quidam ad hæc & ad alia multa similia, quæ vbi supra, induximus, à fide quidem incipere merita secundum Augustinum, non inclusiue tamen, sed exclusiue. Non enim illa meritum est, sed facit, vt incipiant merita, quia docet vnde auxilium petamus ad merita. Sed hoc modo eti-

Responsio cuiusdam.

do etiam ab ſcriptura poſſent dici incipere merita, quia illa docet, vnde petenda ſint merita. Et cur excluſiue dicantur à fide incipere merita, ſi ante gratiam nulla ſunt prorſus merita? An non illa ſæpe habetur ante gratiam, & cum ipſa & per ipſam multa ſæpe fiunt bona opera à fideli peccatore, quæ ſecundum ipſius ſententiam, nullam habent rationem meriti? Verum age, liceat ſic reſpondere ad ea, quibus dicitur fides inchoare merita. Quid dici poteſt ad ea, quæ ibidem paulo poſt ſubnectuntur? Quærimus, ait, meritum miſericordiæ neque inuenimus: quia nullum eſt, ne gratia euacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem præceſſiſſe, in qua eſſet meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem, vt acciperet fidem? Quid enim habet, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quaſi non acceperit? An non hic agnoſcis Auguſtinum tantum negare, fidem eſſe meritum gratiæ eo in ſenſu, quo aſſerebatur meritoria eſſe à Pelagio, videlicet, vt meritoria eſſet gratiæ, non vt donum peculiare Dei, ſed vt opus ſolius liberi arbitrij? Qua ratione paulo poſt orationem inter munera Dei computatam docet, ne orationis merita putentur præcedere gratiam. Atque vt oſtenderet fidem non dari cuiquam ex merito, probat fidem dari non orantibus. Quia niſi data eſſet, orare non

Roman. 10. poſſent. *Quomodo enim inuocabunt*, dicit Paulus, *in quem non crediderunt?* Sed vt omnis ceſſet controuerſia, audi quid ad Paulinum Epi. 106. ſcribat: Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus, immo vere gratiſſime confitemur. Hanc enim fidem, volumus, habeant, qua impetrent caritatem, quæ ſola vere bene operatur, iſti fratres noſtri, qui multum de ſuis operibus gloriantur. Caritas autem vſque adeo donum Dei eſt, vt Deus dicatur. Qui ergo habent fidem, qua impetrent iuſtificationem, per Dei gratiam peruenerunt ad legẽ iuſtitiæ. Et ſtatim addit, Fide nos impetrare dilectionem, vt eum qui nos prior dilexit, vt in eum crederemus per eius gratiam diligamus. Et ideo exiſtimat, iuſtitiam apprehenſam à gentibus, vocatam iuſtitiam ex fide à Paulo, quia fidem eam obtinuerunt. Et perinde prorſus putat eſſe, ſi dicamus, Fide mereri iuſtificationem, ac ſi dicamus Fide impetrari: neque ſcrupuloſior eſt in vno, quam in altero verbo.

Et quoniam ibidem aperte fatetur, donum Dei eſſe fidem. patet, longe eum tum fuiſſe ab eo errore, quem olim tenuerat, nempe fidei initium eſſe à nobis. Itaque credendum non eſt, retractatam ab eo hanc propoſitionem, Fides meretur iuſtificationem: cum retractauit hanc, Fidei initium eſt à nobis. Neque, vt cum venia S. Thomæ dixerim, ad eundem ſenſum vtraque pertinet. Poteſt enim defendi, fidem mereri iuſtificationem, non quidem tanquam opus noſtrum, ſed tanquam opus Dei, & per gratiam ipſius habita. Et tantum poſſet cæteris retractata cum altera, ſi quidem eum in ſenſum illam tradidiſſet Auguſtinus, quod fides velut opus noſtrũ, meritum ſit iuſtificationis. Quod quidem longiſſime à ſe fuiſſe, expreſſit in omnibus locis, in quibus illam legi apud ipſum. Sed hæc ſatis, vt non obſcure videamus Auguſtinum agnouiſſe in peccatoribus aliquod meritum, & præſertim fidei reſpectu iuſtificationis. 1. 2. q. art. 5.

CAPVT VIII.

Peccatores mereri poſſunt ex congruo gratiam iuſtificantem.

ATQVE ex his colligere poſſumus, poſſe peccatores fide, ſpe, dilectione, eleemoſyna, pœnitentia, martyrio, & alijs bonis operibus mereri ex congruo gratiam iuſtificationis. Si enim tot & tam graues authores ſimpliciter & abſolute aſſeruerunt, peccatores bonis ſuis motibus in Deum, mereri apud ipſum iuſtificari, & hoc diuinæ bonitati maxime eſt congruum: non eſt, cur verendum ſit nobis, affirmare eos ex congruo poſſe mereri ſuam iuſtificationem.

Certe ſancti Doctores concedentes hoc peccatoribus, non de merito ex condigno loque-

loquebantur. Longissime illi à Pelagio distabant. Et minimum meritum, ad quod eorum verba referri queunt, meritum est ex congruo. Etsi quam difficultatem, aut contrarietatem ad gratiam ingerere, aut insinuare videtur verbum, *Meritum*: eam omnem emollit & temperat, immo in totum aufert adiecta particula, *Ex congruo*. Ad meritum quidem ex condigno, & dignitas requiritur operantis, & lex statuta de concessione præmij sibi respondentis. Sed ad meritum ex congruo, alterutrum horum satis est. Nam nomine meriti ex congruo, tantum intelligimus actionem aliquam liberam, cui congruum sit & par, respondere aliquod præmium.

Distinctio meriti ex condigno & ex congruo.

Et quia hæc congruentia contingere potest, vel propter dignitatem operis seu operantis, vel propter legem à Deo statutã de concessione alicuius præmij, duplex quoque creditur esse meritum ex congruo respectu iustificationis. Merentur primo ex congruo iusti conuersionem peccatorum, pro quibus orant, quia amici sunt Dei, neq; indigni, vt eorum orationes exaudiantur, quamuis nulla certa sit lex de hoc præscripta. Peccatores vero secundo modo, si se in Deum conuertant, mereri possunt suam iustificationem ex congruo: quia licet digni tanto beneficio non sint, tamen lex est à Deo de hoc statuta. Aperte quippe per Ezechielem ait: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et alibi sæpe: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

Duplex meritum ex congruo.

Ezech. 33

Zach. 1

Porro hæc sententia, quod peccatores mereri possint ex congruo suam iustificationem, communior nunc est in Scholis theologorum. Et eam tuentur sanctus Bonauen. in 4.d.15.q.5. & Doctor Subtilis in primo, distinct. 17.q.1.& in quarto distinct. 14.quæst.2.& in multis alijs locis: & sequũtur eos theologi recentiores, Gabriel, Maioris, Almaynus in 2.& in 4. & Hadrianus quodlibet.7.q.4 Et eandem tenuit sanctus Thom. in 2.d.27. art.4.ad 4. Nosque illam pro tenuitate nostri ingenij, multis atque adeo non leuibus argumentis probabilem fecimus quæst. VII. Opusculi de iustificatione. Et sanctus episcopus Roffensis in articulo primo contra Lutherum, adeo non abhorrebat ab hac sententia, vt & ideo putet à Paulo dictum, nos iustificari per fidem, quia fides meretur gratiam, qua sola iustificamur.

Quia tamen doctissimos quosdam & pientissimos viros adhuc video in ea sententia persistere, vt credant Patres antiquos solum agnouisse meritum de condigno, & eo propendeant, vt Ecclesia hoc meritum, quod aiunt, congrui repellat, vt recens inuentum, ex quo magna his retro annis ab Aquilone conflata sunt odia in Ecclesia Dei, adnitar & aliquanto accuratius hanc eandem sententiam firmare, & omnia quæ nobis obijci possunt, pro virili nostra diluere.

Mereri possunt peccatores ex congruo suam iustificationem.

Ac primo quidem homines demiror, alioqui doctissimos, & diui Thomæ studiosissimos, qui non vident aperte contradicere & sancto Thomæ & ipsismet ea, quibus maxime nituntur expugnare meritum congrui. Recens, aiunt, inuẽtum est, neque Patres nouerunt, nisi meritum condigni, extareque non potest ratio meriti, vbi non subest ratio debiti & iustitiæ. At vero S. Tho 3.parte, quæst.2.art.11. aperte fatetur, sanctos Patres suis orationibus meruisse ex congruo incarnationem filij Dei. Et prima secundæ, quæst. 114 art.4. asserit, iustum quemuis posse alteri mereri ex congruo primam gratiam. Et ante illum Amb. in illa verba, *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua*, disertè idem tradit his verbis: *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te homo, collega non valeat, cum apud Deum seruus, & interueniendi meritum, & ius habeat deprecandi?* Hæc Ambros. Neque ipsi quidem hæc negant, aut recens inuentum affirmãt. Atqui in aperto est, nullam in his subesse rationem debiti & iustitiæ. Non enim sunt tanta beneficia debita, neque merita sanctorum tanta gratia condigna. Quin neque statuta aliqua à Deo lex est, qua debeat semper & infallibiliter concedere, quod iusti petunt. Magna quidem virtus est orationis iustorum, & multum sane

Argum. 1.

Non est recens inuentum meritum ex congruo.

Ambr. in c. Luc. 5

Iacob. 5 sane prodesse possunt orationes eorũ peccatoribus. *Orate*, ait Iacobus, *pro inuicem, vt*
1. Ioan. 5 *saluemini*. Et Ioan. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita.* Sed ne legem aliquam de hoc esse putemus, & ne quispiam sibi iniuriam fieri pu-
Hier. 7. 11. 14. 15. tet, si non exaudiatur, olim per suos Prophetas explicuit, tantam esse aliquorum peccatorum nonnunquã malitiam, vt etiam neque sanctissimos viros pro eis orantes exaudiret. Et in hoc multum antecellunt dispositiones, quibus se præparant peccatores ad gratiam, merita iustorum respectu conuersionis peccatorum, & aliquanto magis ratione meriti participant. Omni peccatori facienti quod in se est, Deus dat gratiam. Multi vero iusti persæpe orant, & quidem ardentissime pro conuersione peccatorum, quam non impetrant.

Argum. 2. Adhæc: Qui omne abrogant meritum peccatoribus respectu suæ iustificationis, non diffitentur de homine diu viuente in peccato, consueuisse nos dicere, meruisse eum postea iustificari propter aliqua bona opera, quæ fecerat in peccato: neque eum modum loquendi reprehendunt, immo forsan Patres eo modo locutos nonnunquam de merito asseuerant. Cur ergo reprehenduntur, qui temperantes, ac velut exponentes dicta sanctorum, non simpliciter dicunt, peccatores per ea opera meruisse iustificari, sed duntaxat meruisse ex congruo? Si Doctores sacri non horruerunt sic vsurpare vocabulum meriti, vbi cum Catholicis agebant, qui sanum eorum sensum non ignorabant, cur horreant aut repelli velint ab Ecclesia modum loquendi, qui eorum verba explicat, & sic temperat, vt nemo illis calumniari possit, quod cum Pelagianis sentiant? Si fatentur sanctos Patres sic vsurpasse nomen meriti, & manifestum est, tunc eos non significasse meritum aliquod ex condigno, cur dicunt huiusmodi solum meritum eos agnouisse? Verum quidem est, neq; id me fugit vsurpari nonnunquam nomen meriti, vbi nulla est ratio meriti neq; ex congruo, neq; de cõdigno. Solemus enim dicere, felices esse homines, qui hanc gratiam inter cæteras animã-tia apud Deum meruerint, vt soli arbitrij libertate insigniretur. Et Cypr. dicit, hoc ipso de opere nostro ad diuinam misericordiam infantes plus mereri, quod in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt, quam deprecantur. Verum vbi aliquid nos obtinere dicunt nostris proprijs actionibus liberis, cur non eos credamus, & illas censuisse, & dixisse aliquo modo eius præmij meritorias: Præ- Cypr. in 3. epist. 8.
terea: Meritum & præmium relatiue dicuntur, neque potest esse præmium cui non respondeat meritum: neque meritum, cui non respondeat præmium. Iustificatio vero peccatoris, præmium aliquod est suæ conuersionis ad Deum. *Conuertimini inquit, ad me, & ego conuertar ad vos.* Deinde: Vbi est aliqua ratio debiti in aliquo beneficio, erit & aliqua ratio meriti in opere, propter quod datur illud beneficium. In beneficio autem iustificationis est vtique aliqua ratio debiti. Debetur enim aliquo modo iustificatio ex lege Dei peccatori se in eum conuertenti. Vnde & Ioann. ait: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra.* Nunquam sine meminisset hic Ioann. fidei & iustitiæ diuinæ, aut eis imputasset, quod remitteret Deus peccata illis, qui ea confitentur, nisi agnouisset aliquam subesse hic rationẽ debiti, & Deum hoc debere legi & promissioni suæ. Argum. 3. Zach. 1. Argum. 4. 1. Ioan. 1

Argum. 5. Et cur quenquam offendat verbum, Meritum ex congruo, non adipiscor. Equidem neq; gratuitæ iustificationi repugnat, neque dissonat. Si enim vim ipsam nominis spectes, neque iustitiam, neque debitum simpliciter aut necessitatem requirit, sed tantum congruitatem quandam notat. Et cum dicimus aliquod opus meritorium esse ex congruo alicuius præmij, solum significamus eiusmodi opus illud esse, vt ex congruo ei reddi debeat tale præmium. Nũquid igitur negare possumus, cõgruum esse, Deum recipere peccatores confugientes ad se, & conuersionem eorum sua gratia remunerare? Nonne hoc eximiam eius bonitatem, & diuitias suæ misericordiæ condecet? Nonne congruum est, vt seruet suas leges, vt impleat promissa sua,

sua, vt creaturam non despiciat, quam fragilem & imbecillam ad virtutem creauit?

Dices forte: Meritum ex congruo, ex se habere debet congruitatem, & tale oportet sit opus, vt & propter illud congruum sit reddi præmium sibi respondens. Congruitas autem, quæ est, vt iustificentur peccatores, dum se conuertunt in Deum, tantum est ex parte Dei. Nam Anselmus ait: *Cum punis malos, iustum est, quia illorum meritis congruit. Cum parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis congruit, sed quia tuæ voluntati & bonitati condecens est.* (Anselm. in Prosologio cap. 10)

Sed si tantum est hic congruitas ex parte Dei, cur Deus eos solos peccatores iustificat, qui se in eum conuertunt? Cur exiguntur ad nostram iustificationem nostra opera, & non qualiacunque sed certa duntaxat, & præscripta in eam gratiam acceptantur? Esto, de se nostra opera nullam talem congruitatem haberent, nonne ex lege Dei, & vt innituntur meritis Christi, & vt cum gratiæ illius adiutorio fiunt, aliquam congruitatem participabunt? Tantū peccatum mortale inficiet bona opera vniuersa, vt non tantum dignitatem, sed & congruitatem eis auferat, etiam respectu præmii sibi ex lege Dei debiti; Itane viles, & nullius omnino precij videntur fides, spes, dilectio Dei, pœnitentia, atque ipsa mors suscepta pro Christo, vt neque ex parte earum putetur congruum esse, vt Deus his operibus præcellentibus, ab eo misericorditer donatos iustificet? Neque Anselmus hanc congruitatē his virtutibus abrogauit, sed ideo dixit, meritis peccatorum non congruere quod Deus eis parcat, quia neque ista bona opera, quibus in Deum conuertuntur, meritoria sunt simpliciter suæ iustificationis, sicut peccata meritoria sunt punitionis & condemnationis ipsorum.

Argum. 6. Vtcunque tamen hæc se habeant, annon verissimum est, habere rationē meriti alicuius præmij, quidquid causa est illud obtinendi? Certe causa præmij est meritum. Neq; modus est vllus inter homines, quo impetrare ab aliquo possimus bonis nostris operibus & obsequijs, quæ nobis non debentur, nisi per viam meriti. Et aliquo modo apud omnes censetur, quicquid aliquis bonis suis operibus assecutus fuerit, & quidquid ei propter illa datur, hoc ipsum & propter merita ipsius donari existimatur. Cum igitur dispositiones & præparationes nostræ ad gratiam, causæ sint aliquo modo propter quas Deus nobis suam gratiam elargiatur, erunt & illæ quoque aliquo modo ipsius meritoriæ.

Quia tamen nonnulli ex Catholicis & hæreticis, dum pergunt tollere hæc merita ex congruo, non verentur nos reprehendere, quod asserentes merita ex congruo, nonnihil in eis meditemur causæ respectu gratię, & inde reddi posse causam existimemus, ob quam vnus potius quam alius iustificetur: admirar hic obiter monstrare, necesse esse, vt omnes Catholici fateantur, dispositiones requisitas ad iustificationē, causas esse propter quas Deus peccatores iustificet. Ex quo & firmius & dilucidius fiet, posse eas, vt contendimus, merita nōnulla iustificationis censeri.

CAPVT IX.

Dispositiones ad iustificationem, causæ sunt ipsius aliquo modo.

EQVIDEM si non esset causa iustificationis nostræ fides nostra, neque diceremur à Paulo iustificati ex fide, neque per fidem. *Ex*, vtique &, *Per*, causam notant. Et cur dixisset Christus Magdalenæ, cur etiam hæmorrhoissæ, fides tua te saluam fecit? Cur & sancti, quod sæpe est legere apud illos, fidem sanare, iustificare, liberare, purificare, si nulla est fidei in ista virtus seu efficientia? Si spes nullam efficientiam haberet respectu salutis nostræ, non diceret Paulus, *Spe salui facti sumus.* Neque per Prophetam Deus diceret, *Quoniam in me sperauit, liberabo eum: Protegam eum quoniam cognouit nomen meum.* (Fides causa iustificationis.) (Spes causa iustificationis. Rom. 8. Psal. 90)

Dilectio etiam aperte asseritur causa remissionis peccatorum, cum dicitur: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nam, *Quoniam*, nota est causalitatis. Et intolerabilis est expositio Melanchthonis in Apologia confessionis Augustanæ, quod (Luc. 7) (Dilectio causa iustificationis.)

 dile-

dilectio ibi posita sit pro fide, effectus videlicet pro causa per synecdoches figuram. Non enim Christus in statim præcedentibus quæsiuerat, vter duorum debitorum plus crederet fœneratori, sed vter plus diligeret. Neque satis consequenter ex ea parabola intulisset, Remissa sunt ei peccata multa, quoniam credidit multum.

Quod autem conuersus ad Magdalenam, subieci: statim, *Fides tua te saluam fecit.* non hoc fecit, vt indicaret dilectionem se accepisse pro fide. Non sic vnquam confudit Christus vocabula, aut à proprio significatu alienauit. Sed fontem indicare voluit, & radicem flagrantissimę caritatis, quę illius oculos in tantum imbrem lachrymarum adegit, atque vtrique virtuti nostram iustificationem imputari posse, & laudem efficientiæ ipsius deberi. Et ideo dixit, *Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et mox: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: vt dilectionis sui & patris in nos, & illapsus vtriusque, & sanctificationis nostræ per gratiam, causam esse demonstraret nostram in se dilectionem. (Ioan. 14.)

(Pœnitentia causa iustificationis.) De pœnitentia etiam aperta sunt testimonia scripturæ, ex quibus conuinci possit, eam esse causam, propter quam Deus iustificet peccatores. Salomon dissimulare dicit Deum peccata hominum propter pœnitentiam. Ezechiel: *Cum auerterit se impius*, inquit, *ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam ipse animam suam viuificabit.* Si peccator animam suam viuificat per pœnitentiam suam, habet ergo aliquam efficientiam pœnitentia illius ad ipsius viuificationem. Et qui dixit, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: & rursus, *Conuertimini, & viuetis*: profecto indicauit, conuersionem nostram in ipsum, causam esse vitæ nostræ spiritalis, & conuersionis ipsius in nos. (Ezech. 18.) (Zach. 1.) (Hier. 15.)

Quod si peccata causæ sunt iræ & indignationis Dei aduersum nos, erit & pœnitentia causa reconciliationis & placationis ipsius. Nam perinde Deus per Hieremiam de vtrisque loquitur, dicens: *Repente loquar aduersum gentem & aduersus regnum, vt eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus illam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et subito loquar de gente & regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum vt facerem ei.* (Hier. 18)

Nonne etiam ob pœnitentiam Achab temperauit Deus rigorem sententiæ aduersus eum iam prolatæ, & Heliæ hoc ipsum expressit his verbis: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Et quid necesse est, commemorare mille alia testimonia scripturæ passim omnibus obuia, in quibus ob pœnitentiam eleemosynam, misericordiam, pietatem, orationem, martyrium, & remissionem iniuriarum nostrarum, Deus non tantum declarat, sed & pollicetur in gratiam se suam recepturum peccatores? Enimuero non apertius promittitur illis, cum fiunt in gratia, vita æterna, quam remissionem peccatorum, cum fiunt à pœnitentibus. (3. Reg. 21)

Quare si facta in gratia, causæ sunt nonnullæ assecutionis vitæ æternę facta in peccato, & à Deo acceptata ad condemnationem peccatorum, causæ quoque habendæ sunt nostræ iustificationis. Neque video sane quam ob rem Philippus in Apologia coarctet ea testimonia ad augmẽtum gratiæ, quod apud Deum merentur, cum fiunt post acceptam gratiam. Generaliter & illimitate scriptura loquitur. Et si causæ augmenti gratiæ existimãtur, quia Deus illud est pollicitus facientibus ipsa post acceptam gratiam, cur non & facta à peccatoribus, causæ eorum iustificationis censeantur, cum perinde eam illis Deus, velut in præmium suæ conuersionis ad ipsum, sit pollicitus?

Porro fidem neque ipse, neque alius factionis ipsius, si secum consentiret, negare deberet habere aliquam efficientiam ad gratiam: quando quidem ea fide, aiunt, nos iustificari, & ea vna apprehendi miseri-

ricordiam Dei. Quomodo enim illam apprehendat, si neque vt opus est Spiritus sancti, & passioni Christi innititur, causa est aliquo modo, aut meritum tanti beneficij? Quod si ipsa hoc habet priuilegium, vt meritoria sit aliquo modo nostræ iustificationis, vel aliquam saltem efficientiam habeat in ipsam, similem saltem, si non parem, habebunt virtutem opera eisdem condecorata elogijs in scripturis, & similiter requisita à peccatoribus ad suam iustificationem.

Sed tandem huiusmodi controuersiam dirimere Patres videntur in huius decreti Canone nono. Quippe diffiniunt ibi, non solà fide impium iustificari, sed & aliud requiri, quod ad iustificationis gratiã consequendam cooperetur. Cooperationis autem nomen, efficientiam aliquam & causalitatem designat. Itaque vtcunque sit de verbo meriti, de quo quæstio est tota de nomine & non de re, non video posse à quoquam catholico verti in dubium, quin causæ sint suo modo nostræ iustificationis omnes dispositiones, per quas venimus in Dei gratiam, siue illæ sint ex solis viribus nostris naturalibus, siue etiam ex auxilio Dei speciali.

CAPVT X.

Conciliantur sancti Doctores secum, & verba decreti cum ipsis, & cum meritis ex congruo.

Obiectio. SI tamen sancti Doctores absolute asseruerunt, posse peccatores bonis operibus promereri suam iustificationem & nos illa cum multis Doctoribus Catholicis causas, atque adeo merita ipsa affirmamus quomodo Patres nostri asseruerunt perpetuo Ecclesiam Catholicam verba illa, Gratis iustificari, sic intellexisse, vt neque fides, neque alia opera iustificationem præcedentia, iustificationis gratiam promereantur? Quomodo possunt, gratis iustificari, & iustificari absque meritis, eadem censeri, cum alterum, nempe iustificari gratis eos qui iustificantur, semper indubitatum fuerit Catholicis, alterum vero, nempe iustificari absque meritis, multis seculis controuersum, & citra fidei iniuriam, à plerisque negatum?

Respon. Verum omnia optime stant, & verum vero, vt in prouerbio est, consonat. Neq; Patres antiqui à se dissentiunt, cum aiunt peccatores bonis suis operibus promereri iustificationem, & constanter negant Pelagio, gratiam Dei secundum merita dari. Neq; qui merita iustificationis ex congruo defendimus, Pelagio consentimus. Neq; Patres hæc statuentes, sibijpsis aduersati sunt, qui sæpe asseruerunt, se velle permittere scholæ disputationem istam de meritis ex congruo, & neutri opinioni præiudicium aliquot facere. Ratio autem conciliandi omnia ista, sumenda est ex varijs meriti acceptionibus. Quandoq; enim stricte & in rigore hoc verbũ capitur, & meritum appellatur actio libera, cui debetur ex iustitia præmium aliquod seu merces. Alias vero meritum large dicitur, actio libera acceptata ad aliquod præmium, vel ex debito, vel ex pacto, seu conditione vel conuentione, aut simpliciter ex gratia: & generaliter quodcunque opus, quod impetrat apud aliquem mercedem aliquam vel præmium & causa est collationis ipsius. Duplex acceptio meriti.

Primo modo negarũt Catholici omnes gratiam ex meritis reddi, & damnarunt vbiq; opinionem Pelagij, asserentis gratiã secundum merita dari: & verbum, gratis, docuerunt aduersari meritis. Et ita hic Patres asseuerant, neq; fidem, neq; aliqua opera bona præcedentia iustificationem, promereri ipsam iustificationis gratiam. Nullus enim peccator iustificatur ex debito, nullus ex rigore iustitiæ, nullus ex condignitate suorum operum: sed omnes, qui iustificantur, gratis à Deo iustificantur, & ex gratia & misericordia, & absque meritis & condignitate suorum operum. Et nisi ita accepisset sancta Synodus verbum promereri: non recte exposuisset verbum, gratis, neque recte probasset suam expositionem ex testimonio Apostoli: *Si ex operibus, iam gratia non est gratia.* Rom. 11. Nam aliter acceptum meritum, nequaquam aduersatur gratiæ. Gratuiti namque rationi, solum repugnat

ratio debiti. Sic item accepere sancti Doctores meritum, vbicunque contra Pelagianos disputarunt, gratiam non dari secundum merita.

Et quanquam hoc satis constare potest ex testimonijs paulo ante citatis, tamen quo res dilucidior sit adiungam & alia testimonia.

Cum igitur in libro de prædestinatione & gratia cap. 8. non dari ex meritis gratiam confirmaret Augustin. ex verbis Deuteronomij: *Scias hodie, quia non propter iustitias tuas* Deut. 9 *dat tibi Deus terram istam bonam*, vt ostenderet satis probari, gratiam non dari ex meritis, quia non datur ex debito: *Quis hic*, ait, *secundum debitum præcedentium meritorum, mercedem redditam dicat? Quis non gratuitam fateatur indebitam?*

Et libro 4. contra duas epist. Pelagianorum, c. 6. ita loquitur: *Sic volunt Pelagiani intelligi*, Esai. 1 *quod dictum est, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, tanquam in ipsa præcedente voluntate sit consequentis meritum gratiæ, ac sic gratia iam non sit gratia, quæ non est gratuita, cum redditur debita.* Et libro de gratia Christi, c. 23. docet, sibijpsis aduersari, qui dicunt, Gratiam secundum merita dari, quia si est gratia, non dabitur ex debito. *Quomodo*, ait, *est gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia, si ex debito redditur?* Vides, vt semper debitum intelligat, quod redditur secundum merita.

Idem potest colligi ex Ambrosio, *Vilesceret*, Ambr. 1. de vocat gent. c. 1. dicit, *redemptio sanguinis Christi, neq; misericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis sed merces esset operantis.* Patet hic mercedem appellari, quæ debita est meritis, & iustificationi per gratiam, solum aduersariam censeri iustificationem ex debito. Quod vero meritum non claudit in sua ratione debitum, neque repugnabit gratiæ, neque iustificatio ex eo, iustificationi ex gratia.

Sed apertiora sunt pro his verba Hilarij can. 20. in Matt. *Merces quidem*, ait, *ex dono nulla est, quia debetur ex opere, sed gratuitam Deus omnibus ex fidei iustificatione donauit.* Et in illa verba, *Clamaui in toto corde meo*: ex modestia Psal. 118 Dauid, qui non statim ausus est sibi persuadere, clamorem suum in salutem proficere: reprehendit eos, qui salutem tanquam debitum postulant: & veluti Deo necesse sit eam præstare primis à Deo precibus eandem expostulant.

Et de meritis in hac significatione, intelligenda sunt verba August. libro primo ad Quæst. 2. Simplicianum, cum dicit, merita post iustificationem gratię prouenire. Quod enim dixit Apostolus, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori*, sic expo- Rom. 9 nit: *Non electione meritorum, quæ post iustificationem gratia proueniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi ne quis ex operibus extollatur.*

Sic etiam Hieronymus libro primo dialogorum aduersus Pelagianos, meritum opponit misericordiæ, his verbis: Tunc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur: & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia, dicente sancta scriptura: *Iustus in principio est* Prou. 18 *accusator sui.* Et in alio loco: *Dic tu peccata tua* Esa. 43 *vt iustificeris. Conclusit enim Deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur.* Et aliquanto post, Rom 11 exaggerat verba beatissimæ virginis: *Ecce* Luc. 1 *enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Animaduerte, inquit, quod beatam se esse dicat non proprio merito atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia. Et in secundo libro contra eosdem, ex illis verbis, *Existimamus fide iustificari hominem sine operibus legis*: ita colligit, Manifeste ostendit non in hominis merito, sed in Dei gratia esse iustitiam, qui sine operibus, credentium suscepit fidem. Et manifestissime Bern. serm. 67. in Can. ita accepit meritum, cum dicit: *Non est quo gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Deest gratiæ, quidquid meritis deputas.* Et in sequentibus palam indicauit, se non negare meritum, quod gratiæ non aduersatur.

Neque tantum verbum, meritum hoc in rigore frequenter accipitur à sanctis Doctoribus & à Latinis, sed & in Paulo sæpe est videre sic esse aceptum verbum, *Ex operibus*: & quod amplius est, etiam operari. Dicit alicubi: *Si ex operibus, iam gratia non est* Rom. 11 *gratia.*

Ti[illegible] [illegible] iterum: *non ex operibus, quæ fecimus* [illegible] *Dei donum est, non ex operibus.*

E[illegible]:

Rom. [illegible]:

[illegible]: *Si Abraham ex operibus iustificatus est* [illegible] *gloriam, sed non apud Deum.* Sed & id. in [illegible]: *Et qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quomodo apud sanctos Doctores opera nonnunquam misericordiæ opponuntur, sicut & iustitia. Vnde est illud Hieron. lib. 1. contra Pelag. *In Deuteronomio perspicue demonstratur, in operibus nostris atq; iustitia, sed Dei misericordia nos conseruari, dicente Domino per Moysen, Ne dicas in corde tuo, cum subuerterit eos Dominus Deus tuus* [illegible] *facie tua, In iustitia mea introduxit me Dominus, &c.* Hæc Hieron. Cum autem sancti Doctores in testimonijs alijs ex ipsis citatis, fide, pœnitentia, oratione, misericordia, & similibus, peccatores suam mereri iustificationē dixerunt, non in hoc rigore acceperunt verbum, *mereri*, sed solum ab eo rigore, vsi sunt eo verbo, sicut Latini plerumq; vtuntur, vt significarent, ea bona opera causas esse, & dispositiones, propter quas Deus ex gratia sua & misericordia peccatores iustificet.

Deut. 9

Cur sancti Doctores dubitēter vsi sunt verbo merendi.

Itaque dum negarunt merita gratiæ, tela nobis subministrarunt, quibus confoderemus Pelagianos: dum vero peccatores bonis suis motibus & affectibus in Deum, promereri suam iustificationem asseruerunt, tela nobis suppeditarunt [illegible] triumpharemus hoc tempore de Lutheranis, [illegible] gantibus vllas esse dispositiones [illegible] præparationes in nobis, ob quas à Deo iustificemur.

Et quia contra vtrosque hæreticos subeunda erant Ecclesiæ non exigua certamina, prouidentia diuina factum esse autumo vt dupliciter vsi fuerint verbo meriti, & nunc illud refutauerint, nunc vsurpauerint. Neque ipsi secum [illegible] in parte pugnarunt, neque inconstantia vlla vsi sunt, neque a veritate vel [illegible] declinarunt. Explicuerunt en[illegible] varijs se in sensibus eodem esse [illegible] verbo. Et pro varietate personarum, [illegible] loquebantur, locorumque & circumstantiarum [illegible] verborum [illegible] [illegible] et. Et [illegible] ex institu-

ctis Spiritus sancti sæpe alias in similibus vsi sunt.

Vt autem omnis tolleretur ambiguitas, & calumniandi & errandi amputaretur occasio, Doctores Scholastici meritum illud, quod rationem debiti non includit, & quod sæpe fortassis apud Doctores sanctos & apud Latinos sic vsurpatum legerant, meritum ex congruo, optimo videlicet adhibito temperamento, appellarunt. Est enim hoc, semperque fuit inter alia munus Scholasticorum Doctorum, testimonia sanctorum obscura interpretari, & ea conciliare, quæ in speciem secum pugnare videntur, viamque & distinctiones aliquas non incommodas inuenire, quibus exactius & distinctius de vnaquaque re differere possimus.

Munus Scholasticorum.

Manifesta igitur luce constat, nihil repugnare opinionem asserentium meritum ex congruo, verbis nostri Concilij, falsumque esse, quod Protestantes passim iactant contra illos dicentes eam opinionem esse falsam, & alienam ab scripturis & orthodoxis Patribus. Et certe hic longo illi interuallo à suo præceptore Luthero dissident. Qui quidem in com. ad Galatas expresse fatetur, fidem promereri gratiam, fidem promereri, vt detur Spiritus sanctus.

Dissensus Protestantium a Luthero.

Siue iure autem, siue iniuria Scholasticos accusent, illud manifestum est, iniuste & præter ius omne & æquum ab eis fieri, quod Ecclesiæ etiam hoc nomine conuicientur. Equidem illa neque negauit vsquam, neque asseruit merita ex congruo iustificationis, sed hoc potius semper disputationibus Scholasticis, sicut par erat, permisit. Neque defuerunt in ipsa etiam ex Scholasticis multi Doctores, literis & sanctitate insignes, qui omnia talia merita abstulere, sicut S. Thom. 1. 2. quæstione 114. art. 4 & alij.

Calumnia Protestantium, in Ecclesiam.

CAPVT XI.

De argumentis contra iustificationis merita ex congruo.

VT tamen apertius sit, indignos esse eorum conuicijs Scholasticos, qui asserue-

seruerunt, posse peccatores bonis operibus mereri ex congruo suam iustificationem: placet hic, quæ contra hæc merita obijciuntur, enodare.

Obiect. 1. Primo obijcitur, merita ista multum detrahere gratiæ iustificanti. Non enim omnino gratis contingit, sed aliquo modo ex debito, quod contingit & qualibuscunque meritis: quia meritum relatiue dicitur ad mercedem: & merces non est, nisi vbi inuenitur aliqua ratio debiti. Itaq; si iustificationis gratia contingit ex aliquibus meritis, continget & aliquo modo ex debito siue proprie.

Respons. At enim nihil inconuenit, si gratiam iustificationis deberi ex congruitate & ex lege fateamur bonis præparationibus peccatorum. Neque enim oportet defendere eam esse summe gratuitam. Nam sicut Augustinus dicit, indulgentius iustificari paruulos quam adultos, ita profecto magis gratuito, quam viatoribus, contingeret damnatis, si illam Deus ipsis ex benignitate sua largiretur, siue cum aliqua bona eorum dispositione, siue absque illa. Qui tam multa ex parte nostra requirit ad nostram iustificationem, propalam facit, se non omnino gratis velle peccatores iustificare. Satis est, iustificationis gratiam sic indebitam & gratuitam tueri, vt vere & ex misericordia contingat peccatoribus, & non ex iustitia, neq; ex condignitate operum. (Aug. epist. 105.)

Neque minuitur hinc gratia diuina, sed augetur potius. In commẽdationem quippe gratiæ diuinæ redundat, quod tam humanum sese Deus suis inimicis exhibeat, vt secundum ipsius legem, qualibusqualibus eorum dispositionibus debeatur aliquo modo ipsius gratia. Atq; hoc modo ostendere possumus neq; extenuari gratiam diuinam propter merita beatitudinis ex condigno: quoniam magna potius vel hinc comprobatur gratia diuina esse in nos, quod nostra opera, tametsi imperfecta, tanti precij & valoris esse fecerit vt tam incomparabile præmium possint debitum efficere.

Obiect. 2. Cur vero nusquam hac distinctione vsi sunt Patres? Cur non ea temperarunt censuram contra Pelagium? Immo cur ipsi Pelagiani non se hoc diuerticulo vnquam defenderunt? Respons. Si omnia, quæ in vsu nunquam fuerunt apud Patres, damnanda sunt, multa cogemur damnare, quę omnes Catholici iam recipiunt. Et frustra dixerit Philosophus, scientias fieri per additamenta. Neque Ecclesia progrederetur, vt aurora consurgens, maiora in annos singulos sapientiæ & cognitionis diuinorum mysteriorum incrementa, ab ipso sole iustitiæ suscipiens.

Quanquam neque illud dandum est, ignotam videlicet fuisse Patribus distinctionem meriti ex congruo, & ex condigno. Agnouerunt rem, licet non vsi fuerint his terminis. Et vt testatissimum esset, agnouisse illos rem, quæ his verbis subest, varie vsi sunt, vt iam docuimus, verbo merendi.

Quod tamen non ea distinctione mitigauerint censuram Pelagij, sed disputantes aduersus illum, semper, aut certe vt plurimum, verbo merendi vsi fuerint in ea significatione, quæ debitum simpliciter requirit, in promptu ratio est. Pelagius enim sic accipiebat meritum, & eo in rigore vtebatur eo verbo. Quia cum gratiam præuenientem non agnouerit, neque agnoscebat merita, nisi quæ essent ex solis viribus naturalibus. Quæ vero per sola opera solius nostri arbitrij possumus consequi, ea debita nobis possumus facere. Quare cum necessaria ad iustitiam solis arbitrij nostri viribus fieri posse à nobis contenderet, ex consequenti gratiam tributam, illis bonis operibus debitam esse aiebat, & illa esse simpliciter ipsius meritoria. Et licet qui dicunt, posse peccatores ex solis viribus naturalibus habere dispositiones sufficientes ad consequendam gratiam iustificationis, cum Pelagio, nostro iudicio, in hoc sentiãt & ab ipso prorsus stent, vt docuimus in opusculo de iustificatione tamen in verbo merendi, longo interuallo ab eo dissident. Ille debitam simpliciter illis bonis operibus asserebat gratiam, & condigna illa esse eo præmio. Catholici nunquam hoc crediderunt. Sed agnouerunt & docuerunt semper,

per, omnes non iustificatos, in peccato esse, ac per hoc, & ipsos & opera eorum indigna esse gratia.

Et hac de causa Pelagius nunquam se defendit hac distinctione, neque ea oblata vsus fuisset. Ac fortassis neque fuisset contentus, etiamsi ei datum esset, posse nos per solas vires naturales sic bene vti libero arbitrio, vt infallibiliter veniremus ad gratiam: sed & hoc quoque requisiuisset, bono vsui liberi arbitrij deberi ex iustitia & condignitate gratiam. Non vnus fuit circa hoc ipsius error, sed tres potius. Primus: Per solas arbitrij vires possumus nos præparare ad gratiam. Secundus: Gratiam omnem concurrentem ad nostram iustificationem, antecedunt bona opera per solum liberum arbitrium facta, & causæ sunt participationis illius gratiæ. Tertius: Opera bona per solum liberum arbitrium facta, meritoria sunt iustificationis & remissionis peccatorum.

Aug. epist. 106. Vnde & in Concilio Palestino tria inter cætera, referente Augustino, coactus est anathematizare. Primum: Gratiam Dei atque adiutorium, non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina. Secundum: Gratiam DEI secũdum merita nostra dari. Tertium: Pœnitentibus venia non datur secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia. Et non sine causa sancti illi Patres, qui illi Concilio interfuerunt, non contenti fuerunt damnatione duorum priorum, quin etiam damnarent & tertium. Nam secundus error referri posset ad gratiam præueniẽtem. Et Pelagius non solum errabat in hoc, quod nullam gratiam præuenientem agnoscebat, qua præparemur ad gratiam, sed errabat etiam quod credebat bona opera, quibus Deus promisit gratiam, esse ex iustitia merita ipsius gratiæ. Et in hunc errorem ea potissimum ratione inductus videtur, quod crediderit ea opera per solam vim naturalem posse à nobis fieri, & merita alicuius præmij, ea communiter censeantur, quæ quis propria virtute facit, sufficientia ad consequendum illud præmium. Quamobrem August. ibidem, & in alijs multis locis, ad expugnandum eum errorem, hoc præcipuè argumento vtitur, quod fides, dilectio, opera, & omnes breuiter dispositiones ad gratiam, dona sint Dei. Intellexit enim, non secundum merita dari, quod datur secundum præparationes, quæ & ipsæ sunt dona Dei. Et peculiariter potest hoc cuiuis fieri perspicuum ex q. 2. lib. 1. ad Simplicianum, & ex c. 26. de gratia Christi, contra Pelagium & Cœlestium. In capite etiam 2. libri de bono perseuerantiæ, ideo dicit Catholicam Ecclesiam aduersus Pelagium defendere gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam vniuersa merita iustorum, dona sunt, & Dei gratia conferuntur. Qua ratione & in sermon. 44. ad fratres in eremo, si tamen illius est, absolute asseuerat, non posse nos per nostra merita vitam æternam acquirere: & in quam plurimis locis repetit, vitam æternam gratis dari, & gratiam & misericordiam iure appellari, non quia non datur illa ex meritis, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Itaque vel ex hoc declarare possumus merita ex congruo non tollere gratiam iustificationis, quia gratis nobis communicantur ea merita, quibus gratia ipsa datur. Est tamen & aliud, vnde etiamsi pœnitentia ex puris naturalibus haberetur, non deberet dici meritum simpliciter gratiæ, nempe pœnitentiam ipsam non esse condignam tanta gratia, quia non erat opus amici, sed inimici & rei pœnę æternæ. Et hoc quidem Pelagius non animaduertebat, quia naturæ totius inquinationem & corruptionem per peccatum Adæ, non fatebatur.

Agnouerunt autem hoc Scholastici Doctores, & ideo ab errore isto tertio Pelagij longe abfuere. Si est tamen meritum ex congruo respectu gratiæ iustificantis, quare Pelagianis quærentibus, cur hic potius quam ille iustificaretur, nunquam Patres responderunt illum recipi ad gratiam, qui hoc meretur ex congruo, non autem qui hoc non meretur? Non solum autem non est datum à Patribus hoc responsum, ve- Obiect. 1.

Ee rum

rum expresse retulerunt semper causam huius in vnam voluntatem diuinam.

Respons. Verum si hoc argumentum validum esset, conficeret pari facilitate, nullam esse dispositionem ad gratiam. Sicut enim non est reddita causa, ob quam vnus potius, quam alter iustificaretur ex ipso merito de congruo inuento in vno, & non in altero: ita neque reddita est ex aliqua dispositione inuenta in vno, & non in altero: Et ita ad dispositiones recurrere poterant, sicut ad merita. Quod vero neq; ad merita, neq; ad dispositiones recurrerint, in causa fuit, quia Pelagius magis quærebat, cur hic potius, quam ille trahitur ad gratiam, si nihil facit bonus vsus liberi arbitrij, quam cur hic potius, quam ille, iustificatur. Vnde August. in epist. 105. *Personarum acceptorem Deum se credere existimant*, ait de Pelagianis, *si credant sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult misereri, & quos dignatur, vocare, & quem vult, religiosum facere. Parumque attendunt, quam debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato.*

Quibus verbis satis indicat, eos magis quæstionem retulisse ad gratiam præuenientem, quam illi non credebant necessariam: quam ad gratiam iustificantem, quam illi non videntur, in totum negasse. Et statim subdit: *Ita se fatentur ad habendam, seu faciendam iustitiam diuinitus adiuuari, vt sui præcedat aliquid meriti, quasi priores volentes aliquid dare, vt retribuatur eis ab illo, de quo dictum est. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et aliquanto post: *Cur autem ille credat, ille non credat, cum miraculum quod in conspectu eorum fit, ambo videant, altitudo est sapientiæ & scientiæ Dei.* Rom. 11.

Quoniam igitur licet iustificationis possit reddi causa, ex parte meriti de congruo vel dispositionis, tractus tamen ad gratiam vel gratiæ primæ præuenientis vnum, & non alterum, de quo Pelagiani potissimum quærebant, nulla potest reddi causa alia, nisi voluntas diuina: ideo non ad merita ex congruo, quæ nulla ex congruo, respectu illius tractus erant: neque ad dispositiones nostras recurrerunt Patres, sed ad vnam voluntatem diuinam. Etsi recurrissent ad dispositiones vel merita ex congruo, & ex illis reddidissent causam iustificationis vnius, potius, quam alterius: superarat quæstio, cur huic potius, quam illi, fauorem gratiæ præuenientis Deus impartiretur: Itaque vt finis esset quæstionum, & à capite præciderent omnia, quæ proficisci inde poterant incommoda, ad ipsam primam causam omnium contingentium statim recurrerunt, nempe ad voluntatem diuinam.

CAPVT XII.

Explicantur testimonia quædam, quæ pugnare in speciem videntur contra merita ex congruo.

OBIICIVNTVR præterea contra hæc merita de cógruo, multa testimonia Augustini, quibus ipse asserit, nullis bonis meritis præueniri gratiam Dei, & à gratia Dei omnia merita inchoari: & percipiendæ gratiæ, qua iustus fit, qui prius erat iniustus, merita nulla præcedere: & meritis impij non gratiam, sed pœnam deberi: & iustificari impios sine vllis prorsus meritis bonis, & multis potius præeuntibus meritis malis. Obiect. 4.

Ex Concilio etiam Mileuitano Canon. 5. obijcitur, initium iustificationis esse à gratia Dei: & ex Arausicano 2. Canon. 25. nullis præcedentibus meritis, Deum fidem & amorem sui inspirare. Quin ex hoc nostro decreto alij obijciunt nobis verba c. 5. quibus dicitur, exordium iustificationis esse à Deo, nullis præcedentibus meritis.

Porro in his omnibus meritum capitur propriè & strictè, neque ad gratiam iustificantem, de qua nunc agimus, sed ad gratiam præuenientem referuntur. Quam nos etiam fatemur absque vllis præuijs meritis dari. Pro expositione tamen testimoniorum diui Augustini, quæ magis vrgent, & fortius in nos videntur militare, tria quæ innumeris locis ipsius multum lucis possunt afferre, cuperem diligenter ab studiosis ipsius notari. Quandoque diuus Augustinus de sola gratia præueniente loquitur, & eam asserit omnia merita inchoare & ante- Respon. Triplex notanda August. expos. Prima.

antecedere. Et quidem si attente legamus ipsum, præsertim in epi. 105. 106. 107. constare poterit ad hanc præcipue gratiam verba sua eum retulisse omnibus in locis, quibus asserit, gratiam Dei non dari secundum merita nostra. Neque tam videtur solicitus fuisse, vt probaret, iustificationem antecedere nostra merita, quam vt ostenderet, credendum ab omnibus, nullum esse meritum, antequam gratia præueniantur voluntates nostræ, vt credamus recte. Et hac de causa August. Epist. 105. generaliter dicit: *Si quærere vellet homo ante gratiam quid meruerit, vt acciperet eam, mala sua poterit homo inuenire, non bona.* Et rursus, tr. 86. in Ioã. Prof. Ps. 31. *Non est gratia, si præcesserant merita. Est autem gratia. Hæc igitur non inuenit, sed effecit merita.* Et iterum durius: *Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Si, quod debetur istis operibus, Deus redderet, vbique damnaret.* Et alibi: *Non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est: sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam.* Et alias: *Cum ex impio fit iustus, tunc reddi dicit bona pro malis, & nullis præeuntibus bonis meritis, sed malis, hoc fieri.*

Lib. 1. ad Simplician. q. 2. De grat. & lib. arb. c. 6. 7. & 8.

Hæc & similia passim dicit Augustinus, quia licet iustificationem nostram præcedant aliqua bona opera, tamen ea à gratia gratis data, vt plurimum proficiscuntur, & ante illã vel nulla bona sunt, vel certe tam pauca & tam exigua, vt à malis meritis multis nominibus vincantur, & vix bona, & saltem merita gratiæ nullatenus debeãt censeri, sicut lib. 6. cap. 11. iam disseruimus.

Præcessit quidem in Paulo iustificationem ipsius, sicut Chrysost. in quadam homil. eleganter prosequitur, singularis illa dilectio, qua toto affectu in Deum conuersus est, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Et gratiam, qua vocatus est, antecesserunt aliqua bona opera. Nam & castitatem seruabat, & studiosus erat ac feruens zelator legis, & ne tum quidem, cum vocatus est, fortassis caruit aliquo bono zelo gloriæ Dei, & desiderio ipsi seruiendi, tametsi multa potius, & multo grauiora mala merita in eo deprehendamus. Quoniam etsi singulariter vocatus est, & hoc priuilegium inter alia habuit ipsius vocatio, quod eo tempore vocatus est, quo multis malis meritis toto animo intendebat, & maxime indignus erat tanta gratia, tamen & illum minus quam cæteros credendum est, vocatum fuisse nullis bonis operibus præuijs. Quia tamen vel illa bona opera non fuerunt in ipso sine aliqua gratia Dei, vel certe ante gratiam suæ vocationis indigna meriti nomine fuerunt, haud iniuria & in illo quoq; peculiariter dicit alicubi idem August. nulla bona, sed potius multa mala merita præcessisse gratiam.

Quandoq; vero loquitur de tota gratia iustificationis, vt complectitur in se gratiã præuenientem, & gratiam iustificantem, & quidquid gratiæ concurrit ad iustificationem peccatoris. Et quia gratia præueniens datur sine merito, ideo simpliciter asserit, neminem mereri suam iustificationem. Vnde & epist. 105. dicit: *Quod est, ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia, & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua?* Secundò

Et generaliter vbicunque negat merita gratiæ, solum negat merita gratiæ in sensu, in quo ea asserebat Pelagius, videlicet vt merita essent opera bona, per solam libertatem arbitrij facta. Neque vnquam negat merita iustificationis, quæ sint ex gratia Dei: sed tantum damnat & auersatur merita humana, quæque sine gratia fieri dicuntur, & ei præponuntur, vt ex eis tanquam meritis iustificati extollantur. Tertiò

Et quanquam hoc perspicuum satis esse potest ex testimonijs supra citatis, quibus & fidem & pœnitentiam, meritorias iustificationis eum appellasse docuimus, tamen quo firmior nobis habeatur fides, citabo & alia testimonia eiusdem. In epistola 106. ad Paulinum sic scribit: *Si aliquid boni operatur homo, vt gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et statim: *Operibus debitum redditur, gratia gratis datur, vnde etiam nuncupatur.* Et post pauca: *Qui suis meritis præmia tanquam debita expectant, neque ipsa merita Dei gratia tribuunt,*

buunt, sed viribus propria voluntatis, sicut dictum est de carnali Israel, persequentes legem iustitiæ, ad legem iustitia non peruenient. Et mox eos docet, ad legem iustitiæ peruenire, qui non viribus propriæ voluntatis suam iustitiam tribuunt, sed quidquid habent iustitiæ vel meritorum, id totũ gratiæ Dei adscribunt. *Ignorantes enim*, subiungit, *iustitiam Dei, & suam volentes statuere, iustitia Dei non sunt subiecti, teste Paulo.*

Rom. 9.

Et vt ostenderet hæc sola merita, vt aduersantia gratiæ, se damnare, aliquãto post addit: *Gratia iam non est gratia, si non diuinis operibus gratis datur, sed humanis meritis redditur.* Et ibidem: *Neque à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, boni aliquid accipere quisquam meretur, nisi accipiendo quod non meretur.* Et ideo non Dei iustitiæ, sed Dei potius misericordiæ deputandũ esse docet, quod ex massa humani generis corrupta, faciat Deus quædam vasa in honorem, quia nulla iustitia gratiam Dei præcessit.

Iacob. 1

Et cum sibi obijceret, si ex fide iustificati, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? in hunc modum respondet, *Non dicat ista homo fidelis: quia cum dixerit, vt merear iustificationem habeo fidem: respondetur ei: Quid enim habes, quod non accepisti?* Vide vt diuus Augustinus non damnet illa, vt merear iustificationem, habeo fidem: neque negat, ex fide nos iustificari, aut fidem mereri iustificationem: sed hoc doceat, fidem donum Dei esse, ac proinde non esse meritum, quod debitum exigat, & gratuitæ iustificationi aduersetur. Ibidem etiam postea probat, veniam dari pœnitentibus secundum gratiam, & non secundum merita eorum, quia pœnitentia donum Dei est.

Impugnatio.

Sed quid est, quod statim additur? *Cum ergo fides impetrat iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est etiam mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non præuia voluntate.* Saltem hic de gratia, qua formaliter iustificamur, distincte locutus est August. Nam illa vna est, quæ augetur & perficitur. Itaque cum hanc gratiam explicate asserat nihil meriti humani præcedere, aperte hoc loco aduersatus videtur meritis istis ex cõgruo.

Hoc argumento quidam vtuntur velut Achille, ad confirmandum, non fuisse cognitum Augustino meritum ex congruo. Sed primo quidem non hic negat Augustinus merita diuina, hoc est, ex dono Dei habita, sed merita duntaxat humana, id est, ex solis viribus naturalibus. Et vbi negaret meritum, de merito simpliciter & in rigore, & non de merito ex congruo, verba ipsius essent intelligenda. Deinde: Si & antecedentia & consequentia attente expendamus, aperte videbimus, ad solam gratiam præuenientem, qua Deus nos trahit ad fidem, referenda esse verba ista, *Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani.* Nitebatur enim ibi ostendere, fidem esse donum Dei. Et statim subdit: *Vnde ille, qui dixit, Fortitudinem meam ad te custodiam, causamque reddit, dicens, Quoniam Deus susceptor meus es: tanquam requirens, quibus id meritis fuerit consecutus, nihilq; in se inueniens ante gratiam Dei: Deus meus inquit, misericordia eius preueniet me. Quantumcunque, inquit, cogitauero antecedentia merita mea, misericordia eius praueniet me.* Hæc Aug. Quæ cum ad gratiam præuenientem aperte referantur manifeste ostendunt, præcedentia quoque de eadem gratia debere intelligi. Neque oportet ad eum rigorem, vel algorem potius Scholasticum, exigere verba sanctorum, vt, quoniam gratia iustificans sit quæ augetur in via, & perficitur saltem in patria, ideo ad eam solam omnia hæc referantur.

Responsiones Tres.

Psalm. 58.

Loquitur August. & hic, & alibi non semel, vt iam monuimus, de gratia iustificationis, vt omnem gratiam complectitur, quæ concurrit ad nostram iustificationem. Et ideo gratiam dicit augeri, cum fides impetrat iustificationem, quia tum maior gratia fit homini, quam cum tantum habebat peccator ex gratia Dei fidem. Quare & in q. 2. lib. 1. ad Simplicia. dicit gratiam quibusdam pleniorem & euidẽtiorem infundi, quia in quibusdam est tanta gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum: in alijs vero tanta est, vt

iam

iam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur.

Propterea etiam gratiam auctam, dicit mereri perfici, quia per iustificationem meremur peruenire ad perfectam participationem gratiæ diuinæ, quæ erit in beatitudine. Et ad hunc modum locutus fuisset Aug. etiamsi non credidisset, habitum gratiæ iustificantis. Et sicut tunc gratiam mereri augeri diceremus, cum fides impetrat iustificationem, quia meremur magis participare gratiam & benignitatem diuinam & in maiorem Dei gratiam & propensiorem beneuolentiam ipsius admitti, ita & nunc hæc verba Aug. debemus exponere. Nam si ad solam habitualem gratiam ea referamus, non erit in vniuersum verum, quod cum fides impetrat iustificationem, gratia mereatur augeri. Stat enim, multos per fidem iustificari, cum non mereantur gratiæ augmentum. Vnde & Magister in 2. d. 27. cap. 8. ad gratiam præuenientem retulit hæc verba, *Gratia meretur augeri, non ad iustificantem.* Neque solus Diuus Aug. dum meritis abrogauit iustificationem, merita duntaxat humana excludebat, sed & in alijs Doctoribus idipsum est videre.

Vnde & quod Diuus Hieron contra Pelagianos sæpe dixerat, neminem proprijs meritis, aut operibus saluari, tandem in 2. lib. contra eos exponit, dicens, peccatores non suis viribus, sed Dei misericordia saluari: & improperans Pelagianis, quod suis virtutibus dicant se sibi præparasse regna cœlorum, illud Ezechielis, *Perfecta eras in decore meo*, sic ponderat: *Et est sensus*, ait, *Non in tuis operibus, non in tua conscientia.* Et eo dictum hoc, & alia sequentia, putat, vt intelligeret Hierusalem * non proprio merito, sed ipsius misericordia saluari. Quod & in 3. lib. magis explicat his verbis: *Non proprietate naturæ, sed dignitate miserentis: non labore proprio, sed Dei adiutorio & clementia non nostris viribus & studio, sed illius misericordia.* Et Bernardus cum dixisset deesse gratiæ, quidquid meritis deputatur, mox explicuit, merita se vocare illa, quæ ex proprio habemus, aut habere nos credimus: *Horreo, inquit, quidquid ex meo est, vt sim meus. Nam si quid ex proprio inest, inquantum proprium est, gratiam illi cedere necesse est.*

Ezech. 16.

for. se non

Ber. ser. 67. in Cant.

Et de huiusmodi humanis meritis debet intelligi verba nostri decreti, cum Iustificari gratis, idem esse traditur, quod Iustificari absque meritis. Nam merita gratis diuinitus concessa, nihil repugnant iustificationi gratuitæ. Et omnes incunctanter diceremus, eos iustificari gratis, qui ex meritis, gratis sibi concessis, iustificarentur. Atque hinc potest confirmari causa, propter quam c. 1. diximus Patres abstinuisse ab expositione illorum verborum Pauli, Iustificari absque operibus. Eadem namq; opera excludunt verba hæc, Iustificari absque meritis, & Iustificari absque operibus: & vtraque ex æquo aduersantur iustificationi gratuitæ. Vt enim quæstione 2. de iustificatione, ex Ambrosio & Augustino & ex validis quibusdam argumentis copiose ostendi, verbis illis, Iustificari sine operibus legis, & simpliciter, Sine operibus, hoc tantum Paulus agebat, vt monstraret, quod c. 1. huius decreti statuerunt Patres, imbecillas esse legis & naturæ vires ad iustificationem, neque ad eam sufficere opera facta per naturam etiam cum legis adiutorio. Et ita exponit hæc verba, Iustificari absque operibus, Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Et in eum profecto sensum accipiebant Patres, cum ex illis euinci putabant errorem Pelagij, asserentis, ex viribus naturalibus posse omnes iustificari.

Curs Syn. non explicuit, quid sit iustificari absque operibus.

CAPVT XIII.

Non idem est, moueri hominem ad gratiam & iustificari: neque eadem est gratia præueniens & iustificans.

ADHVC pergit quidam impugnare merita ex congruo, respectu iustificationis. Patres, inquit, antiqui vnam actionem reputant, motionem hominis ad gratiam, & gratiam ipsum gratum facientem, sicut motum videlicet, & eius terminum: & ideo motionem ipsam non existimant meritum, nisi præintellecto termino.

Obiectio 1.

Vt omnia admittamus, quæ assumuntur, vnde ista consequentia valet, Vna est

Responsio.

actio motio hominis ad gratiam, & gratia? Ergo motio non est meritoria gratiæ. Si calefactio causa est caloris, in quem terminatur, poterit & motio ad gratiam, causa & meritum esse gratiæ, quamuis ad eam terminetur. Nam & motio hominis iustificati ad gloriam, meritum est gloriæ, in quam terminatur. Et potest vnius & eiusdem actionis terminus cadere sub merito, etiamsi non cadat principium.

Illud tamen libenter admiserim, quod ex hic assumptis statim ille infert, propterea Doctores iustificationem dixisse, non esse ex merito, quia iustificationis nomine dispositiones nostras, & auxilium ad ipsas, & gratiam eis respondentem, comprehendebant, & velut vnam actionem censebant, & quia certo nouerant, neque dispositiones nostras, neque auxilium Dei, ad illas sub merito cadere, ideo & iustificationem nemini contingere ex meritis constanter docuisse. Et adeo verum hoc est, præcipue apud Augustinum, vt gratiam iustificationis, siue iustificationem gratæ non dubitem ab illo quandoque appellatam ipsam gratiam, qua ad fidem trahimur, vt iustificemur, etiamsi nondum nos gratos Deo, & iustos effecerit.

Gratiam, qua credimus, vocauit Augustinus gratiam iustificationis.

Et quod ita sit, ne quis à nobis gratis hoc fictum existimet, ex q. 2. libri primi ad Simplicianum ostendi potest. Cum ostenderet, ideo Apostolum præposuisse fidei gratiam operibus, vt monstraret, non esse bona opera præcedentia gratiam sed consequentia, neque ideo quemquam percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari neminem posse nisi per fidem perceperit gratiam, subdit statim: Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.

Sed interest, quibus articulis temporum vt celebratione sacramentorum, gratia plenior & euidentior infundatur. Et causam huius explicans, paulo post addit: In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, sicut in Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est vt iam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur. Et aliquanto post, cum aperte dixisset, merita post iustificationem gratiæ prouenire, ne quis hoc ad eam limitaret gratiam, quam non habent, nisi qui iam iusti sunt, statim addit quædam, vnde pateat, ipsum tantum voluisse dicere, quod merita supponunt liberalitatem & gratiam Dei.

Et vt hoc euidentius faceret, quærit statim, vtrum vel fides mereatur iustificationem. Et ipse sibi respondet his verbis. An vero, neque fidei merita præcedunt misericordiam Dei, sed & fides ipsa inter dona gratiæ numeratur, quia & hoc loco, cum dixisset, *Non ex operibus*: non ait, *Sed ex fide dictum est ei, quia maior seruiet minori*: ait autem *Sed ex vocante*. Nemo enim credit, qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens, quia merita fidei sequuntur vocationem potius quam præcedunt, & ipsa fides inter dona gratiæ computatur. Quæ quidem satis indicant, Augustinum pro eodem accepisse, mereri iustificationem, & mereri vocationem siue misericordiam Dei vocantis: neq; amplius esse apud ipsum, merita post iustificationem gratiæ prouenire: quam, merita prouenire post gratiam, qua vocamur, vt iustificemur.

Et quia Pelagius ideo affirmabat fidem esse meritoriam gratiæ, quoniam, vt putabat, omnem Dei gratiam antecedebat, & ex nobis erat & non ex peculiari dono ipsius: vt ostenderet Augustinus, duntaxat in hoc sensu negare se fidem esse meritoriam iustificationis, mox adiecit: *Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari, & accipiat facultatem bene operandi. Ergo ante omne meritum est gratia.* Et hinc aliquanto post: *Quod si misericordiam credendo se meruisse quis iactitat, nouerit eum sibi præstitisse vt crederet, qui miseretur inspirando fidem, cuius misertus est, vt adhuc infideli vocationem impartiret.* Et paulo inferius: *Quia non præcedit voluntas bona vocationem sed vocatio voluntatem bonam: propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus: nobis vero*

tribui

tribui non potest, quod vocamur. Quæ omnia si attente in vnum conferantur, manifestum facient, ideo duntaxat Augustinum merita iustificationis negare, quia omnia merita antecedit gratia fidei, quæ & ab eo quædam iustificationis gratia censetur. Et quia illam gratiam, inchoationem fidei ibi appellat conceptioni similem, & ab ea dicit incipere hominem iustificari, & accipere facultatem bene operandi, quod ibidem & sæpe alias dicit, non posse hominem iuste viuere aut sancte, vel recte aut bene operari, nisi fuerit iustificatus, liberatus, & viuificatus: forte sic intelligendum est, non quidem quasi hæc non possit ante acceptam perfecte gratiam iustificationis, sed quia hæc non potest ante, quam inchoatiue sit iustificatus, & saltem, quo ad suum initium, gratiam iustificationis participet. Solum enim videtur ibidem, & sæpe alias, hoc firmare voluisse contra Pelagium, neminem propterea bene operari, vt accipiat gratiam: sed quia accepit gratiam, bene operari: & bona opera consequi fidem, & à fide incipere bona hominis merita. Et satis hoc indicant verba ibi antecedentia & consequentia.

Gratia iustificans non est gratia præueniens

Quouis tamen modo hæc se habeant, iniuria profecto est, & quidem non modica, ex iam citatis inferre eandem esse gratiam, apud Doctores antiquos, & maxime apud Augustinum, præuenientem, & gratum facientem. Quid hoc absurdius dici potest? & indigni sane illi sunt, quibus tantus error inuratur. Ne autem quispiam sic erret, & quoniam si hoc credatur, consequens erit, non esse in nobis aliquod meritum ex congruo nostræ iustificationis, istas gratias distinctas esse, his possumus ostendere.

Argum. 1.

Gratia præueniens non est aliquis habitus infusus, sicut gratia iustificans. Et plerumque antecedit tempore habitum gratiæ iustificantis. Estque hoc manifestum, cum quis venit ad fidem, & nondum ad gratiam diuinam, quia vult perseuerare in peccato. Item, Non aliter Deus adiuuat ad fidem, cum venit quis simul ad fidem & ad gratiam, quam quando venit ad solam fidem. Cum autem venit ad solam fidem, gratia præueniens fidem, non est gratia iustificans.

Secundum.

Insuper: Gratia præueniens, principium est nostræ iustificationis: iustificans autem, terminus. Et distinctissimæ sunt actiones, infusio gratiæ iustificantis, & auxilium ad dispositiones ad ipsam. Habent enim distinctos terminos immediatos. Terminus infusionis gratiæ iustificantis, est gratia iustificans: terminus vero immediatus gratiæ præuenientis, est bona motio hominis in Deum.

Tertium.

Quartum.

Ad hæc: Gratia præueniens, ad iustificantem ordinatur, non econtrario. Præterea: Quia Deus adiuuat nos ad dispositiones sufficientes ad obtinendum ipsius gratiam, & nos illius gratiæ excitanti & adiuuanti obsequimur, & cooperamur: ideo Deus elargitur nobis gratiam iustificantem. Nam alias non solum gratis, id est, indebito, & sine meritis, sed gratis, id est, sine vlla dispositione nostra, vt voluere Lutherani, iustificaremur. Etenim si gratia præueniens antecedit natura saltem ex parte Dei dispositiones nostras, & gratia præueniens, est eadem cum gratum faciente: gratia igitur gratum faciens, ex parte Dei antecedit omnes dispositiones nostras & ex consequenti ante illas iustificamur, & non, per illas, neq; ex illis. Et quamuis ad vnam actionem spectent, auxilium Dei, bona motio hominis in Deum, & gratia gratum faciens, non ideo tamen censeri debent idem, principium & terminus, sicut neque idem est medium cum principio aut termino.

Quintum.

Quid igitur sibi vult Aug. cum ait, *Præuenitur homo medicina, id est, Christi gratia, vt sanetur & reparetur: Si non sanatur homo nisi per iustificantem gratiam, neque reparabitur nisi per eandem.* Non dixit tamen Augustinus: Præuenitur homo eadem gratia Christi, qua sanatur & reparatur: sed tantum dixit, hominem præueniri gratia Christi, vt sanetur & reparetur. Et quamuis dixisset, præueniri hominem eadem medicina, id est, gratia Christi, qua sanatur & reparatur, non oporteret verbum idem ad identitatem numeralem coarctare. Satis est, ad veritatem

Aug. ad Hyp.

tem

tem eiusmodi locutionum, identitas speciei vel generis. Neque enim si quis diceret præueniri homines eadem medicina, id est gratia Christi, qua sanãtur & beatificantur oporteret continuo, eadem gratia numero censere nos præueniri, sanari, & beatificari. Frequentissime sic loquuntur graues authores. Et vbiq; cantat Ecclesia: *Sola fuit mulier patuit qua ianua lethi, ex qua vita rediit.* Et ipse Aug. 2. de pec. mer. & rem. ca. 29. & de natura & gratia, c. 44. hoc tropo loquendi vnam esse fidem ait, quæ omnes saluos facit, & eandem fidem iustos antiquos sanasse, quæ sanat & nos. Et sic oportet exponere verba Magistri, quæ multo fortius videntur in nos militare, cum in 2. d. 27. ca. 4. ita scribit: *Principalis causa bonorum meritorum, est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium & sanatur atq; iuuatur voluntas hominis, vt sit bona.*

Obiect. 7.

Obijciuntur etiam nobis verba eiusdem Aug. quibus asseuerat, hominem neq; à peccato resurgere posse, neq; aliquid boni facere, nisi per gratiam Christi à peccato prius fuerit liberatus. Ex his enim videtur ad eandem gratiam retulisse liberationem nostram, & resurrectionem à peccato, quæ fit per gratiam gratum facientem & auxilium ad bene operandum quod spectat ad gratiam præuenientem.

Responsio.

Sed hæc dicit Augustinus, quia morem Scripturæ secutus, bonum simpliciter nunquam appellat, nisi quod ad consecutionem vitæ æternæ conducat, quodq; nos communiter ipsius meritorium dicimus.

CAPVT XIV.

Magister Sententiarum non negauit, sed insinuauit potius, iustificationis merita ex congruo.

Obiect. 6.

OBIICITVR denique Magister sententiar. qui in 2. dist. 27. c. 4. expresse ita scribit: Sed in bonis merendis, causæ principalitas gratiæ tribuitur: quia principalis causa bonorum meritorum, est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium, & sanatur atque adiuuatur voluntas hominis, vt sit bona. Et in cap. 5. ideo putat dixisse Augustinum, Quid est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum nostrum meritum non in nobis faciat nisi gratia; quia ex gratia, quæ præuenit, & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitrio procreatur in anima hominis bonus affectus, siue bonus motus mentis. Et hoc est primum hominis meritum. Quare, cum gratia, qua sanamur, sit gratia gratũ faciens qui dicit eam esse principalem causam bonorum meritorum, & ex ea & arbitrio hominis prouenire primum hominis meritũ, videtur nullum prorsus agnouisse meritum ante gratiam gratum facientem. Et idem fortius potest confirmari, quia statim cap. 6. subdit: Sic dicitur fides esse meritum, quia actus eius est meritum, si tamen adsit caritas, sine qua neque sperare, neque credere, meritum est vitæ. Si sine caritate non est meritum vitæ, & caritas est secundum ipsum Spiritussanctus, quod & ibidem statim explicat, non ergo erit aliquod meritum ante aduentum Spiritus sancti in animas nostras.

Aug. epist. 105.

Responsio.

Sed quidem, quo magis, magisque expendo verba Magistri, solum videtur mihi ex ipsius verbis posse colligi, nullum esse meritum ante gratiam, qua Spiritus sanctus præuenit mentes nostras, & excitat, vt sanemur à peccato. Nam in principio cap. 4. statim citati, ita dicit: Cum ergo ex gratia dicuntur esse bona merita & incipere, aut intelligitur gratia gratis dans, i Deus, vel potius gratis data, quæ voluntatem hominis præuenit. Quæ quidem ad gratiam præuenientem referuntur. Et in fine eiusdem cap. principatũ in causa meritorum tribuit gratiæ excitanti liberum arbitrium. Quodq; munus gratiæ est præuenientis, & sæpe præcedit tempore infusionem gratiæ iustificantis. Et in cap. 5. actum fidei dicit primũ hominis meritum. Cum autem actus fidei præcedat tempore, vel saltem natura infusionem gratiæ gratum facientis, videntur hæc limitanda ad actũ fidei prouenientem ex gratia gratum faciente & libero arbitrio. Cur enim siluisset Magister de actu fidei ante gratiam gratum

tum facientem, & tantum meminisset eius, qui eam sequitur, præsertim cum Augustinus, ex quo omnia colligit, quæ tradit, fidem, qua impetramus iustificationem, primum hominis meritum sæpe appellauerit & affirmauerit.

Ad verba autem in contrarium citata hoc pacto possumus respondere: In verbis citatis ex 4. cap. non loquitur de sola gratia gratum faciente. Neque enim illa est, quæ primo excitat voluntatem nostram ad bonum. Sed loquitur de gratia, vt complectitur excitantem, sanantem, & cooperantem, & tantum asserit, principalem causam meritorum esse gratiam, quod nos quoque certum esse putamus. In verbis autem ex 5. cap. loquitur de sola gratia præueniente. De ea namque sola aperte intelliguntur verba August. quæ Magister exponit, & bonus motus fidei non producitur à gratia gratum faciente & lib. arb. sed à gratia cooperante seu præueniente, & lib. arb. Et hæc gratia dicitur sanare, sicut fides dicitur iustificare & sanare, non quia constituat formaliter nos sanos, sed quia initium est & principium salutis nostræ. In verbis vero ex 6. cap. clare explicat Magister, de merito vitæ æternæ se agere, & ad illud non diffitemur requiri gratiam gratum facientem.

Possemus etiam dicere, Magistrum de merito propriè & strictè egisse, atque ideo nihil aduersari nobis. Quoniam vero, si bene omnia perpendamus, magis ille stat à nobis, quam aduersum nos, persistemus in priori responsione.

CAPVT XV.

Merita ex congruo, non sunt dicenda merita simpliciter.

Obiect. 7. SVperest, vt & illud tandem hic videamus, num meritum ex congruo, possit simpliciter appellari meritum: & peccatores absolute dici possint promereri veniam suorum peccatorum sua fide, spe, dilectione & pœnitentia, & similibus. Quæst o

Respons. quidem de nomine est. Et modo teneatur debitus sensus, nihil video in re periculi, si quis imitatus illustrissimos Doctores, quos citauimus, vteretur in his verbo merendi absque limitatione Scholastica, ex congruo. Et ita tradidimus quæst. 7. opusc. de iustificatione, in responsione ad primum.

Sed quando Patres hoc loco tam discrete tradiderunt, neque fidem, neq; alia opera præcedentia iustificationem, promereri iustificationis gratiam, decet profecto omnes filios Ecclesiæ sic temperare sua verba, vt nunquam sine additione aliqua commoda & idonea, dicant vel scribant, peccatores bonis suis dispositionibus gratiam promereri. Oportet siquidem Patrum nostrorum inhærere vestigijs, neque tantum sensibus, sed verbis etiam conuenire cum præscriptis nobis regulis in Concilijs. Et hic magis hoc conueniet facere, quia modus iste loquendi Patrum in hoc decreto, vsitatior est sanctis, & magis conformis Scripturæ, vt patet ex dictis. Et sicut gratia iustificationis absolute neque dicitur, neque potest dici merces nostrarum dispositionum, ita videntur neque illæ vocandæ esse absolute merita.

Quare post diffinitionem hanc Concilij nunquam scripsissem, posse meritum ex congruo, respectu gratiæ gratum facientis, appellari meritum simpliciter. Et lectores omnes illius libelli precor, vt illa verba deleant ex illo. Scio quidem in sensu nihil me deuiasse ab ista diffinitione. Neque quod dixerim meritum ex congruo, posse appellari meritum simpliciter, ideo meritum stricte in rigore posse appellari sentiebam. Longe hoc aberat à me. Multis argumentis ibi statuo, nemini deberi gratiam iustificationis, neminemq; eam ex iustitia promereri. Et quæst. 6. absolute contendo, ab omnibus esse affirmandum, neminem mereri suam iustificationem: quia nemo aliquo modo meretur omnia quæ necessaria sunt ad suam iustificationem.

Sed quia legeram sanctos, si[illegible] additione, ex congruo, intrepide sæpe [illegible] in hac parte verbo promerendi, neque aliquid sciebam, quod his eis aduersaretur, credidi [illegible] nobis licere, similiter [illegible] At [illegible], vbi video Ecclesiam simplici [illegible] & [illegible]

F [illegible]

dito, negasse merita iustificantis gratiæ, tutius & consultius censeo, vt merita ex congruo, non appellemus merita simpliciter, neque peccatores bonis suis motibus promereri veniam suorum peccatorum dicamus, quin addamus, ex congruo.

Vnde & Richard. in 2.d.27.q.1.dicit, hęc merita, non esse merita simpliciter, sed tantum secundum quid. Et Doctor Subtilis sic sua temperauit verba, vt quamuis dispositiones sufficientes ad iustificationem, merita ipsius ex congruo, appellauerit, tamen nunquam ea dixerit esse merita simpliciter. Immo merita absolute & sine limitatione, repugnare gratiæ ostendit d.5.2. Et quod- lib.17.art. 2. docet, ad actum meritorium simpliciter, requisitum esse, vt is actus specialiter sit acceptus Deo, tanquam actus dignus eo præmio, quod pro eo est reddendum. Quæ quidem nullis operibus peccatorum conueniunt.

Sed nimium iam hic immorati sumus, & lectori fortassis fastidium fecimus. Verum omnia, spero, boni consulet pius lector, quando in id omnia impensa sunt, vt antiquos & recentiores authores, & secum, & & inter se, & cum nostro decreto conciliaremus. Si culpam habet hæc pietas, certe meretur apud omnes veniam. Transeamus itaque ad expositionem 9. cap.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE INCERTITVDINE GRATIÆ, LIB. IX. IN CAP. IX. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

POST innumera hæreseon monstra & portenta, quibus inimicus & aduersarius noster diabolus, indefesso & irrequieto studio animarum salutem impedire conatus est, hoc tandem nouum, & quod quidem scire potuerim, ante hæc tempora inauditum inuenit commentum, quo permultis illuderet. Persuadere enim perditissimis etiam in hominibus non cessat, vt credant citra vllam hæsitationem se esse iustos, & eam vnam firmam minimeque dubiam animi persuasionem vel solam, ad iustitiam sufficere.

Neque defuerunt ei satellites, quibus in hoc tam absurdum dogma, & tam alienum à communi Patrum nostrorum doctrina, plerosq; inflecteret. Subseruiêrunt ei fidelissime & studiosissime in hac causa Martinus Lutherus, & ipsius discipuli Melanchthon, Bucerus, & vniuersi Protestantes, qui adeo mordicus huic errori hęserunt, vt citra illius persuasionem, pacem conscientiarum constare non posse asseuerantissime affirmauerint.

Ne vero latius, vt indies facit, hic cancer serperet, & vanissima ista fiducia pluribus imponeret, opportunissime occurrit sancta Synodus cap. 9 nostri decreti, ita solida & salubria inani hæreticorum fiduciæ, salutis documenta opponens, vt qui præsentissimam ipsius antidotum toto affectu biberit, circunlita melle ipsorum venena nihil timeat, & ab ijs, quæ forte hauserit, facile & releuari, & sanari possit. Atque in huius saluberrimæ doctrinæ dilucidationem & communitionem, librum hunc IX. de incertitudine gratiæ meditamur, precantes lucem illam veram mentium, sic Patrum senten-

tiam

tiam nobis donet exponere, quatenus nullus posthac concertationibus & contentionibus, quæ plurimæ super hac re fuerunt, sit locus, sed omnes incunctanter amplectantur, quæ pro salute omnium, communi consensu hic sunt statuta. Idq; vt certius assequamur, ipsa in primis sanctæ Synodi verba, quæ sic habent, subtexam:

CONTRA INANEM HÆRETICORVM FIDVCIAM.

Caput Nonum.

Quamuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum, nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse, dicendum est, cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota, fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemq; à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum qui certo credat, se absolutum & iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

CAPVT I.

Expositio Cap. IX & errorum, quæ in eo damnantur.

Errores 2. hic damnati.

1. NOVÆ doctrinæ de iustificatione ab hæreticis nostræ tempestatis traditæ, duos inter alios libri primi capite 3. commemorauimus errores. Primus est, iustitiam fide illa apprehendi, qua certo credimus nos esse iustificatos, ac proinde ad iustitiam satis esse vel solam hanc certam & indubitatam persuasionē. Et hunc errorem clare defendit Lutherus in articulo 11. 12. & 14. suarum assertionum contra Bullam Leonis decimi, & in multis alijs locis supra citatis. Secutique sunt eum Protestantes, vt est videre in articulo quinto, sexto, & vigesimo confessionis Augustanæ, & in suo Didagmate fol. 43. & in articulo quinto libelli oblati Imperatori. Et nominatim eundem tuetur Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ.

Secundus error est, teneri omnes ad hanc firmam & constantem propriæ iustitiæ fidem. Quem errorem in eisdem assertionibus defendit Lutherus, palam asserens, nemini remitti peccata, nisi remittente sacerdote credat ea ei sibi remitti. Eundemque docuit, cum egit de iustificatione, author Enchiridij doctrinæ Christianæ adiunctæ Concilio Colon. Quòd si certum est ex fide, ad iustitiam satis esse, certo credere nos esse iustos, cum possit singulis sua hæc fides euidens & perspicua esse: manifeste profecto sequitur, posse cuicunque per fidem suam quoque notam esse iustitiam, & cuiuis eam sibi inesse asserenti, adhibere debere nos fidem. Cur enim quis- 2.

quam credatur aut mentiri, aut falli in re, quam adeo facile potest & consequi, & citra vllam ambiguitatem scire?

Vt tamen nouis his erroribus & dogmatibus, quæ ex eis sequuntur, sacrosancta sua & cunctis veneranda authoritate antistites nostri obuiarent, tria in summa in hoc capite definierunt.

Tria definita in hoc c. Primum. Primo quidem in ipso limine capituli asseuerant, non esse dicendum, remissa esse peccata cuicunque fiduciam & certitudinem remissionis suorum peccatorum iactanti, & in ea sola quiescenti. Et hoc probant, quia & hæretici & schismatici nostræ tempestatis, habent eam fiduciam & certitudinem, & illam tametsi vanam & ab omni pietate remotam, magna contra Ecclesiam Catholicam contentione passim prædicant.

Quo ex argumento liquet, non solum prohibuisse Patres, ne crederemus remissa esse peccata arrogantibus & gloriosis hominibus, qui suam iustitiam iactarent, sed & absolute statuisse, non esse satis ad iustitiam, persuasionem eam & assertionem, quantumcunq; simplicem & citra omnem iactantiam, dum ea sola aliqui contenti, cętera ad iustificationem necessaria negligerent. Si enim potest esse, ac vere est eiusmodi affirmatio, quomodocunque fiat, in hæreticis & schismaticis, dilucidum est, eam non sufficere ad iustitiam. Ideo autem vsi sunt verbo illo Iactanti, vt eo ipso innuerent, nunquam esse huiusmodi asseuerationes absque aliqua iactantia & vanitate.

Definitũ. 2. Atque vt apertius fieret, nemini hæc vtcunque de se iactanti & asserenti, putasse eam persuasionem satis esse ad iustitiam, in illis verbis, Sed neq; illud asserendum, &c. secundo asseruere, non teneri iustos ad certo credendum suam iustitiam, neque si habeant eam certitudinem, satis illam esse ad iustificationem.

Solutio, argum. 2. hæreticorum. Quia vero hæretici primo quidem suadent eam certitudinem siue fiduciam, satis esse ad iustificationem, quoniam gratis nobis remittuntur peccata propter Christum, deinde autem & omnes teneri ad credendam suam iustificationem, inde colligunt, quòd de Dei promissis, & mortis ac resurrectionis Christi efficacia, dubitare nemini licet, hæc argumenta non intacta præteriere Patres. Priori vero non responderunt hoc loco, quia ex proximo capite poterat facillime responderi. In eo quippe ostensum est, verbo Gratis, cum asserimur iustificati gratis, non negari dispositionum & præparationum nostrarum ad gratiam necessitatem, sed duntaxat excludi ipsius merita.

Posterius vero argumentum hoc pacto dissoluunt: Non dubitat de Dei promissis, aut de efficacia mortis Christi, qui dubitat se habere gratiam, sed dubitat de suis dispositionibus. Et aperta huius responsionis ratio est. Nam cum Deus neminem adultorum iustificet sine actu ipsius, neque cuipiam absque eo promiserit gratiam, neque Christi merita vtentibus ratione communicentur sine dispositionibus proprijs, qui firmissime credit veracissima esse & infallibilia Dei promissa, & efficacissima ad nos iustificandum mortem & resurrectionem Christi, potest nihilo secius dubitare de sua iustitia, propter dubium de suis dispositionibus. Etenim si duarum causarum concursus necessarius est ad aliquem effectum, haudquaquam sufficit certitudo applicationis vnius causæ, vt certitudo habeatur de existentia illius effectus. Itaque cum ad iustificationem nostram præter promissiones Dei, & mortem & resurrectionem Christi, requirantur etiam nostræ dispositiones, satis erit vt dubitemus de gratiæ assecutione, incertum nobis esse, an sic perinde nos disposuerimus ad eam assequendam, ac necessarium est.

Atque vt indubitatum posthac esset, istam incertitudinem qualitatis nostrarum dispositionum satis esse ad incertitudinem gratiæ, tertio tandem his adiecerunt Patres, neminem scire posse certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consecutum. Vt hæc tamen cunctis planiora sint & certiora, altius vobis arbitror rem hanc totam esse repetendam. Definitũ. 3.

CAPVT II.

De multiplici certitudine.

QVi proprie & Latine, ac iuxta communem eruditorum vsum, vocabulo certitudinis vtuntur, certos nos esse aiunt duntaxat de veris: persuasos autem, etiam de falsis. Certus enim à cerno etymologiam suam trahere videtur. Et certitudo firmitas quædam est, qua virtus cognitiua perinde suo cognoscibili adhæret, ac si illud coram cerneret. Quod autem falsum est, neque scibile est, neque dici potest aliqua ratione videri. Vnde & certa nobis non dicimus, nisi quæ vera sunt, aut vera esse firmiter & indubitanter credimus: nec quispiam vel se, vel alterum, certum eius rei dicit, quæ falsa est.

Etymologia certitudinis.

Tametsi vero certitudo non nisi verorum esse videatur, tamen certum assensum de aliqua re, generatim & proprie appellare possumus assensum omnem, expertem hæsitationis & formidinis, & certo ea credi à nobis, pronunciare, quibus, depulsa omni animi dubietate, assentimur. Quo enim nomine rectius aut Latinius explicari queat firma ista & indubitata mentis adhæsio? Itaque licet certi nequeant proprie dici de sua gratia, nisi qui se certo & vere credunt esse in gratia, tamen certo assentiri se esse in gratia omnes illos & possumus, & debemus asserere, qui absque vlla cunctione & trepidatione id sibi de se persuadent, siue vere hoc sentiant, siue falso. Et nonnunquam sic vocabulis istis abutuntur philosophi & theologi, vt omnes habentes certos assensus alicuius rei, certos eos de ipsa absolute & simpliciter affirment. Quamobrem Patres in hoc cap. non dubitarunt dicere, hæreticos & schismaticos certitudinem remissionis suorum peccatorum iactare, cum tamen certo scirent, eam certitudinem, vanissimam esse potius suæ iustitiæ persuasionem. Neque dubium, quin Latine possimus dicere, apud hæreticos nostræ tempestatis non esse suæ gratiæ opinionem, sed certitudinem.

Ad omnia tamen hæc aptissime distinguenda, commodissima est gemina illa certorum distinctio, Doctoribus antiquis non insolita. Alia enim, inquiunt, sunt certa in se, alia vero certa quo ad nos. Et hoc est quod recentiores aliquanto apertius dicunt, cum aiunt duplicem esse certitudinem, quandam ex parte rei siue obiecti, alteram ex parte intellectus siue subiecti. Ex parte rei siue obiecti est certitudo, cum aliqua ita vera sunt, & secundum se certa, vt in eis assentiendis nemo possit decipi. Ex parte intellectus siue subiecti est certitudo, cum aliquibus firmiter & citra vllam ambiguitatem assentimur: & illa dicuntur esse certa quo ad nos, quæ talia esse nobis sunt cognita, aut certe credita, vt in eorum assensu nulla possit deceptio subesse.

Diuisio certitudinis.

Et quoniam sæpe contingit ex propensione vel imperio voluntatis, aut ex probabili vel leui persuasione, aliqua nos certo & indubitato credere, quæ non perinde certa & indubitata in re sunt, & econtrario aliqua esse in se certa, minimeq; dubia, & tamen nos vel ex ignorantia, vel ex malitia voluntatis nostræ, ea vel non credere, vel falsa aut dubia aut incerta existimare, non continuo censenda sunt certa, quæ à nobis certo creduntur: neq; incerta habenda, quæ nobis incerta sunt. Atq; huius rei exempla sunt non pauca in scripturis.

Aliqua certa in se, & incerta nobis, & è contrario.

Certo videtur pharisæus apud Lucam credidisse, se esse iustificatum, cum suæ iustitiæ persuasione inflatus, orabat Dominum his verbis: *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri.* Et tamen in iudicio diuino, vbi omnia sunt nuda & aperta, non iustus, sed superbus erat. Certi etiam videntur de sua iustitia fuisse Iudæi illi, quibus Paulus testimonium perhibuit, quod æmulationem Dei haberent, sed non secundum scientiam. Sed vide quid Paulus de eis e uestigio subnectat: *Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.*

Contra vero publicanus descendit certo iustificatus, cum incertus suæ iustificationis, & à longe stans, neque ausus oculos ad cælum leuare, percutiebat pectus suum, dicens: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et cum Saul paruulus erat in oculis suis, ele-

ctus erat bonus in oculis Dei, & non erat de filijs Israel, sicut dicit scriptura, vir melior illo. Atque ea quæ Gabriel prædicebat Zachariæ de natiuitate & præcellentia Ioannis Baptistæ, certa quidem erant, & tamen quod non perinde credebantur à Zacharia, perdidit prompte modulos loquelæ.

In veteri etiam testamento reuelauit Deus per suos angelos multa mysteria & ingentia beneficia, quæ nobis volebat exhibere, eoque ipso ita certa erant, vt nemo illis assentiendo potuisset decipi, tamen eis quibus reuelabantur, incerta erant. Idque nonnunquam sine peccato. Vnde & Gedeon, & Manue pater Sansonis, signa exegerunt apertiora, vt ea crederent quæ ipsis reuelabantur. Et Deus non eorum hæsitatione offensus, misericordissime ipsorum petitionibus acquieuit.

Ex quibus omnibus illud consequitur, neminem teneri certo credere, nisi illa, pro quorum certitudine grauia habet & omnino sufficientia argumenta. Præsertim enim de certis & indubitatis assensibus verissimum est, quod Salomon dicit: *Qui cito credit, leuis est corde.* Quod & Cyrillus ad ea etiam, quæ fidei & religionis nostræ sunt, refert. Neminem quippe Deus, qui summa veritas est, & neminem fallere nouit, obligauit, vt se exponeret erroris aut deceptionis periculo. Exponit autem se periculo erroris, qui certo assentitur illis, quæ certa esse ignorat: & tanto quidem perniciosiori, quanto maiori & firmiori animi propensione ea credit. Errant quippe grauius, qui certius assentiuntur falsis. Ac meminisse iugiter oportet, quod apud illustres authores celebre est, neruos & artus esse sapientiæ, non temere credere.

Cumque veritas sit adæquatio rei ad intellectum, si volumus in errorum barathrũ non nos plerunque præcipites dare, eam regulam diligenter conuenit seruare, vt rebus ipsis aptemus intellectus nostros, & perinde quibusque assentiamur, qualia ipsa fuerint in re: & vt à falsis dissentimus, & veris duntaxat assentimus, ita & probabilibus, probabiliter tantum assentiamur, certis vero certum & indubitatum assensum præbeamus.

Non sunt tamen omnia, quæ certa sunt, æqualiter aut similiter nobis certa: alia alijs sunt certiora: & quædam quidem manifesta & euidentia, alia obscura & ineuidentia. Atque inde nascitur, vt duplex sit etiam certitudo intellectus, euidens videlicet, quæ & naturalis appellatur, & ineuidens. Et certo quidem & euidenter assentitur noster intellectus illis, quæ certa & manifesta ei sunt, quæque certam habent & manifestam ipsi suæ veritatis causam. Certo vero & ineuidenter eis assentitur, quæ licet certa nouerit, tamen suæ veritatis causam immediatam, hoc est, ita in re se habere, sicut per illam significatur, non omnino assequitur.

Et in vtroque genere certitudinis, varij sunt & multiplices gradus. In his, quæ certa sunt euidenter, certissima sunt prima principia, quæ & dignitates vocantur: qualia sunt. Omne totum est maius sua parte: Quodlibet est, vel non est: Bonum est appetendum: Malum fugiendum: & similia, quæ ex terminis ipsis manifestam nobis faciunt suæ euidentiæ & certitudinis causam. Post hæc certissimæ sunt conclusiones, ex huiusmodi principijs in manifesta consequentia deductæ. Infimum vero gradum certitudinis euidentis tenent, quæ experientia nostrorum sensuum cognouimus. Vt enim omnis euidentia, vel ex terminis, vel ex principijs, vel ex experientia habetur: & euidentia principiorum primorum, quæ est ex terminis, maxima est: & euidentia, quæ est experientia, minima: & euidentia conclusionum, aperte deductarum ex principijs, media: ita prorsus certitudo principiorum, primum locum tenet in certitudine euidentium: certitudo conclusionum, ex eis manifeste illatarum, medium: certitudo autem eorum, quæ solo experimento nouimus, postremum. Et prima quidem certitudo, propria est habitus intellectus, quo assentimur principijs & dignitatibus: secunda, scientiæ: tertia, experientiæ. Sed certitudo ineuidens, propria est fi-

Prou. 14. in Ioan. ...

Veritas quid sit.

Duplex certitudo.

Gradus certitudinis euidentis.

est fidei. Omnis enim assensus certus & inuidens, & vocatur & est fides.

Gradus 2. certitudinis ineuidentis.

Et quia fides duplex est, diuina videlicet & humana: certitudo quoque ineuidens, duplex est: altera fidei diuinæ, altera humanæ. Fide diuina credimus illis, quæ constant authoritate diuina: humana vero illis, quæ constant authoritate humana. Eoque fit, tanto præcellentiorem esse & certiorem fidem diuinā, quam humanam, quanto Deus homine maior est. Et quia Deus neque fallere, neque falli potest, homo autem & fallere, & falli valet, fidei diuinæ certum est subesse falsum non posse, neq; quenquam posse decipi in assentiendis illis, quæ authoritate diuina constant: fidei vero humanæ & subesse falsum potest, & in eis assentiendis, quæ sola authoritate humana constant, facile quisque potest decipi.

Fidei diuinæ ab humana distantia.

Vt tamen apertiora sint omnia, & viam aperiamus, qua conciliari possint nonnulli doctissimi viri inter se, quorum de hoc articulo dissentientes, de vtriusq; fidei certitudine nonnulla separatim disseremus.

CAPVT III.

De certitudine fidei diuinæ.

Certitudo fidei omnium maxima.

NON solum excedit certitudo fidei diuinæ, certitudinem fidei humanæ. Exuperat, & multis interuallis antecellit, vt S. Thomas & Scotus verissime dicunt, certitudinem euidentiæ naturalis. Nam quæ Deus per seipsum reuelauit, certiora sunt, & vt à sua reuelatione pendent, minus eis potest subesse falsum, quam illis, quæ vel demonstratione, vel experientia nouimus. Quare & vbi talia esse innotuerit, pleniorem illis & firmiorem fidem adhibere debemus, quam demonstratis & expertis.

Quamuis autem ex illis, quæ sola authoritate diuina constant, quædam quibusdam perfectiora sint & digniora scitu, & alia quidem sint necessaria, alia autem contingentia: ac proinde hæc quidem possint esse falsa, non ..., ex ... tamen certa vniuersa videntur p... r Dei reuelantis authoritatem, quæ in illis omnibus æqualiter viget, & de vtrisque ex suppositione diuinæ reuelationis perinde verum est, neminem in ipsis assentiendis posse decipi.

Atque ideo, quæ eiusmodi sunt, æquali & æque indubitata fide recipi debent. Et sicut per fidem diuinam omnibus eis credimus, quia dum eis credimus, Deo credimus: ita prorsus & ad omnia illa se extendit fides infusa, quam & theologicam appellamus. Datur enim fides infusa in adiutorium nobis, vt credamus in omnibus Deo, & quæ parem habent certitudinem, & eadem ratione creduntur, eodem habitu credantur necesse est. Nec coarctandus est fidei infusæ habitus ad sola reuelata à Deo, spectantia ad beatitudinem aut ad totam Ecclesiam, sed extendendus potius ad omnia reuelata à Deo, quæ fide diuina credenda sunt.

Fide infusa assentimur omnibus a Deo reuelatis.

Quam ob rem illud quidem doctissimo cuidam magistro nunquam assenserim, qui ait fidem infundi nobis ad credendum solis reuelatis spectantibus ad beatitudinem. Multoque minus illud probauerim, quod idem ait, neminem assentiri per fidem infusam, se esse in gratia, etiam si Deus hoc ei reuelet. Nam quamuis tantùm dicat, neminem huic assensurum per assensum fidei Catholicæ, sed per aliquam peculiarem fidem: tamen ex adiunctis patet, fidem Catholicam eum vocare fidem infusam communem omnibus Catholicis.

Cur verò hic assensus in habentibus reuelationem non euidentem, à fide infusa remoueatur? An non reuelatio hæc ad beatitudinem spectat? An non per fidem infusam assentimur, paruulum esse in gratia, cum illum baptizauimus? Et nonne fides infusa, & hæresis, eiusdem ambitus sunt? Si ergo hæreticus esset, qui non crederet Deo reuelanti ipsius iustitiam, & per illum diffusam perderet fidem, per eam vtiq; & idem tum credet se esse in gratia. Certe qua fide credebant alia Christo, credebant & sibi esse remissa peccata, quibus ille aiebat se remittere. Et nisi hoc verum prædictus magister existimabat, quare vbiq; cum negat posse quempiam scire certitudine fidei Ca-

buunt, sed viribus propriæ voluntatis, sicut dictum est de carnali Israel, persequentes legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenerunt. Et mox eos docet, ad legem institiæ peruenire, qui non viribus propriæ voluntatis suam iustitiam tribuunt, sed quidquid habent iustitiæ vel meritorum, id totũ gratiæ Dei adscribunt. *Ignorantes enim*, subiungit, *iustitiam Dei, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, teste Paulo.*

Rom. 9.

Et vt ostenderet hæc sola merita, vt aduersantia gratiæ, se damnare, aliquãto post addit: *Gratia iam non est gratia, si non diuinis operibus gratis datur, sed humanis meritis redditur.* Et ibidem: *Neque à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, boni aliquid accipere quisquam meretur, nisi accipiendo quod non meretur.* Et ideo non Dei iustitiæ, sed Dei potius misericordiæ deputandũ esse docet, quod ex massa humani generis corrupta, faciat Deus quædam vasa in honorem, quia nulla iustitia gratiam Dei præcessit.

Iacob. 1

Et cum sibi obijceret, si ex fide iustificati, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? in hunc modum respondet, *Non dicat ista homo fidelis: quia cum dixerit, vt merear iustificationem habeo fidem: respondetur ei: Quid enim habes, quod non accepisti?* Vide vt diuus Augustinus non damnet illa, vt merear iustificationem, habeo fidem: neque negat, ex fide nos iustificari, aut fidem mereri iustificationem: sed hoc doceat, fidem donum Dei esse, ac proinde non esse meritum, quod debitum exigat, & gratuitæ iustificationi aduersetur. Ibidem etiam postea probat, veniam dari pœnitentibus secundum gratiam, & non secundum merita eorum, quia pœnitentia donum Dei est.

Impugnatio.

Sed quid est, quod statim additur? *Cum ergo fides impetrat iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est etiam mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non præuia voluntate.* Saltem hic de gratia, qua formaliter iustificamur, distinctè locutus est August. Nam illa vna est, quæ augetur & perficitur. Itaque cum hanc gratiam explicate afferat nihil meriti humani præcedere, aperte hoc loco aduersatus videtur meritis istis ex cõgruo.

Hoc argumento quidam vtuntur velut Achille, ad confirmandum, non fuisse cognitum Augustino meritum ex congruo, Sed primo quidem non hic negat Augustinus merita diuina, hoc est, ex dono Dei habita, sed merita duntaxat humana, id est, ex solis viribus naturalibus. Et vbi negaret meritum, de merito simpliciter & in rigore, & non de merito ex congruo, verba ipsius essent intelligenda. Deinde: Si & antecedentia & consequentia attente expendamus, aperte videbimus, ad solam gratiam præuenientem, qua Deus nos trahit ad fidem, referenda esse verba ista, *Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani.* Nitebatur enim ibi ostendere, fidem esse donum Dei. Et statim subdit: *Vnde ille, qui dixit, Fortitudinem meam ad te custodiam, causamque reddit, dicens, Quoniam Deus susceptor meus es: tanquam requirens, quibus id meritis fuerit consecutus, nihil, in se inueniens ante gratiam Dei: Deus meus inquit, misericordia eius preueniet me. Quantumcunque, inquit, cogitauero antecedentia merita mea, misericordia eius præueniet me.* Hæc Aug. Quæ cum ad gratiam præuenientem aperte referantur manifeste ostendunt, præcedentia quoque de eadem gratia debere intelligi. Neque oportet ad eum rigorem, vel algorem potius Scholasticum, exigere verba sanctorum, vt, quoniam gratia iustificans sit quæ augetur in via, & perficitur saltem in patria, ideo ad eam solam omnia hæc referantur.

Responsiones Tres.

Psalm. 58.

Loquitur August. & hic, & alibi non semel, vt iam monuimus, de gratia iustificationis, vt omnem gratiam complectitur, quæ concurrit ad nostram iustificationem. Et ideo gratiam dicit augeri, cum fides impetrat iustificationem, quia tum maior gratia fit homini, quam cum tantum habebat peccator ex gratia Dei fidem. Quare & in q. 2. lib. 1. ad Simplicia. dicit gratiam quibusdam pleniorem & euidẽtiorem infundi, quia in quibusdam est tanta gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum: in alijs vero tanta est, vt

iam

iam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur.

Propterea etiam gratiam auctam, dicit mereri perfici, quia per iustificationem meremur peruenire ad perfectam participationem gratiæ diuinæ, quæ erit in beatitudine. Et ad hunc modum locutus fuisset Aug. etiamsi non credidisset, habitum gratiæ iustificantis. Et sicut tunc gratiam mereri augeri diceremus, cum fides impetrat iustificationem, quia meremur magis participare gratiam & benignitatem diuinam & in maiorem Dei gratiam & propensiorem beneuolentiam ipsius admitti, ita & nunc hæc verba Aug. debemus exponere. Nam si ad solam habitualem gratiam ea referamus, non erit in vniuersum verum, quod cum fides impetrat iustificationem, gratia mereatur augeri. Stat enim, multos per fidem iustificari, cum non mereantur gratiæ augmentum. Vnde & Magister in 2. d. 27. cap. 8. ad gratiam præuenientem retulit hæc verba, *Gratia meretur augeri, non ad iustificantem.* Neque solus Diuus Aug. dum meritis abrogauit iustificationem, merita duntaxat humana excludebat, sed & in alijs Doctoribus idipsum est videre.

Vnde & quod Diuus Hieron contra Pelagianos sæpe dixerat, neminem proprijs meritis, aut operibus saluari, tandem in 2. lib. contra eos exponit, dicens, peccatores non suis viribus, sed Dei misericordia saluari: & improperans Pelagianis, quod suis virtutibus dicant se sibi præparasse regna cœlorum, illud Ezechielis, *Perfecta eras in decore meo,* sic ponderat: *Et est sensus,* ait, *Non in tuis operibus, non in tua conscientia.* Et eo dictum hoc, & alia sequentia, putat, vt intelligeret Hierusalem * non proprio merito, sed ipsius misericordia saluari. Quod & in 3. lib. magis explicat his verbis: *Non proprietate naturæ, sed dignitate miserentis: non labore proprio, sed Dei adiutorio & clementia non nostris viribus & studio. sed illius misericordia.* Et Bernardus cum dixisset deesse gratiæ, quidquid meritis deputatur, mox explicuit, merita se vocare illa, quæ ex proprio habemus, aut habere nos credimus: *Horreo,* inquit, *quidquid ex meo est, vt sim meus. Nam si quid ex proprio inest, inquantum proprium est, gratiam illi cedere necesse est.*

Ezech. 16.

* for. se non

Ber. ser. 67. in Cant.

Et de huiusmodi humanis meritis debet intelligi verba nostri decreti, cum Iustificari gratis, idem esse traditur, quod Iustificari absque meritis. Nam merita gratis diuinitus concessa, nihil repugnant iustificationi gratuitæ. Et omnes incunctanter diceremus, eos iustificari gratis, qui ex meritis, gratis sibi concessis, iustificarentur. Atque hinc potest confirmari causa, propter quam c. 1. diximus Patres abstinuisse ab expositione illorum verborum Pauli, Iustificari absque operibus. Eadem namq; opera excludunt verba hæc, Iustificari absque meritis, & Iustificari absque operibus: & vtraque ex æquo aduersantur iustificationi gratuitæ. Vt enim quæstione 2. de iustificatione, ex Ambrosio & Augustino & ex validis quibusdam argumentis copiose ostendi, verbis illis, Iustificari sine operibus legis, & simpliciter, Sine operibus, hoc tantum Paulus agebat, vt monstraret, quod c. 1. huius decreti statuerunt Patres, imbecillas esse legis & naturæ vires ad iustificationem, neque ad eam sufficere opera facta per naturam etiam cum legis adiutorio. Et ita exponit hæc verba, Iustificari absque operibus, Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Et in eum profecto sensum accipiebant Patres, cum ex illis euinci putabant errorem Pelagij, asserentis, ex viribus naturalibus posse omnes iustificari.

Cur Syn. non explicuit, quid sit iustificari absque operibus.

CAPVT XIII.

Non idem est, moueri hominem ad gratiam & iustificari: neque eadem est gratia præueniens & iustificans.

ADHVC pergit quidam impugnare merita ex congruo, respectu iustificationis. Patres, inquit, antiqui vnam actionem reputant, motionem hominis ad gratiam, & gratiam ipsum gratum facientem, sicut motum videlicet, & eius terminum: & ideo motionem ipsam non existimant meritum, nisi præintellecto termino.

Obiectio 1.

Vt omnia admittamus, quæ assumuntur, vnde ista consequentia valet, Vna est

Responsio.

actio motio hominis ad gratiam, & gratia? Ergo motio non est meritoria gratiæ. Si calefactio causa est caloris, in quem terminatur, poterit & motio ad gratiam, causa & meritum esse gratiæ, quamuis ad eam terminetur. Nam & motio hominis iustificati ad gloriam, meritum est gloriæ, in quam terminatur. Et potest vnius & eiusdem actionis terminus cadere sub merito, etiamsi non cadat principium.

Illud tamen libenter admiserim, quod ex hic assumptis statim ille infert, propterea Doctores iustificationem dixisse, non esse ex merito, quia iustificationis nomine dispositiones nostras, & auxilium ad ipsas, & gratiam eis respondentem, comprehendebant, & velut vnam actionem censebāt, & quia certo nouerant, neque dispositiones nostras, neque auxilium Dei, ad illas sub merito cadere, ideo & iustificationem nemini contingere ex meritis constanter docuisse. Et adeo verum hoc est, præcipue apud Augustinum, vt gratiam iustificationis, siue iustificationem gratiæ non dubitem ab illo quandoque appellatam ipsam gratiam, qua ad fidem trahimur, vt iustificemur, etiamsi nondum nos gratos Deo, & iustos effecerit.

Gratiam, qua credim. vocauit Augustinus gratiam iustificationis.

Et quod ita sit, ne quis à nobis gratis hoc fictum existimet, ex q. 2. libri primi ad Simplicianum ostendi potest. Cum ostenderet, ideo Apostolum præposuisse fidei gratiam operibus, vt monstraret, non esse bona opera præcedentia gratiam sed consequentia, neque ideo quemquam percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari neminem posse nisi per fidem perceperit gratiam, subdit statim: Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.

Sed interest, quibus articulis temporum vt celebratione sacramentorum, gratia plenior & euidentior infundatur. Et caussam huius explicans, paulo post addit: In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, sicut in Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est vt iam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur. Et aliquanto post, cum aperte dixisset, merita post iustificationem gratiæ prouenire, ne quis hoc ad eam limitaret gratiam, quam non habent, nisi qui iam iusti sunt, statim addit quædam, vnde pateat, ipsum tantum voluisse dicere, quod merita supponunt liberalitatem & gratiam Dei.

Et vt hoc euidentius faceret, quærit statim, vtrum vel fides mereatur iustificationem. Et ipse sibi respondet his verbis. An vero, neque fidei merita præcedunt misericordiam Dei, sed & fides ipsa inter dona gratiæ numeratur, quia & hoc loco, cum dixisset, *Non ex operibus*: non ait, *Sed ex fide dictum est ei, quia maior seruiet minori*: ait autem *Sed ex vocante*. Nemo enim credit, qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens, quia merita fidei sequuntur vocationem potius quam præcedunt, & ipsa fides inter dona gratiæ cōputatur. Quæ quidem satis indicant, Augustinum pro eodem accepisse, mereri iustificationem, & mereri vocationem seu misericordiam Dei vocantis: neq; amplius esse apud ipsum, merita post iustificationem gratiæ prouenire: quam, merita prouenire post gratiam, qua vocamur, vt iustificemur.

Et quia Pelagius ideo affirmabat fidem esse meritoriam gratiæ, quoniam, vt putabat, omnem Dei gratiam antecedebat, & ex nobis erat & non ex peculiari dono ipsius: vt ostenderet Augustinus, duntaxat in hoc sensu negare se fidem esse meritoriam iustificationis, mox adiecit: *Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari, & accipiat facultatem bene operandi. Ergo ante omne meritum est gratia.* Et hinc aliquanto post: *Quod si misericordiam credendo se meruisse quis iactitat, nouerit eum sibi præstitisse vt crederet, qui miseretur inspirando fidem, cuius misertus est, vt adhuc infideli vocationem impartiret.* Et paulo inferius: *Quia non præcedit voluntas bona vocationem sed vocatio voluntatem bonam: propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus: nobis vero*

tribui

tribui non potest, quod vocamur. Quæ omnia si attente in vnum conferantur, manifestum facient, ideo duntaxat Augustinum merita iustificationis negare, quia omnia merita antecedit gratia fidei, quæ & ab eo quædam iustificationis gratia censetur. Et quia illam gratiam, inchoationem fidei ibi appellat conceptioni similem, & ab ea dicit incipere hominem iustificari, & accipere facultatem bene operandi, quod ibidem & sæpe alias dicit, non posse hominem iuste viuere aut sancte, vel recte aut bene operari, nisi fuerit iustificatus, liberatus, & viuificatus: forte sic intelligendum est, non quidem quasi hæc non possit ante acceptam perfecte gratiam iustificationis, sed quia hæc non potest ante, quam inchoatiue sit iustificatus, & saltem, quo ad suum initium, gratiam iustificationis participet. Solum enim videtur ibidem, & sæpe alias, hoc firmare voluisse contra Pelagium, neminem propterea bene operari, vt accipiat gratiam: sed quia accepit gratiam, bene operari: & bona opera consequi fidem, & à fide incipere bona hominis merita. Et satis hoc indicant verba ibi antecedentia & consequentia.

Gratia iustificans non est gratia præueniens. Quouis tamen modo hæc se habeant, iniuria profecto est, & quidem non modica, ex iam citatis inferre eandem esse gratiam, apud Doctores antiquos, & maxime apud Augustinum, præuenientem, & gratum facientem. Quid hoc absurdius dici potest? & indigni sane illi sunt, quibus tantus error inuratur. Ne autem quispiam sic erret, & quoniam si hoc credatur, consequens erit, non esse in nobis aliquod meritum ex congruo nostræ iustificationis, istas gratias distinctas esse, his possumus ostendere.

Argum. 1. Gratia præueniens non est aliquis habitus infusus, sicut gratia iustificans. Et plerumque antecedit tempore habitum gratiæ iustificantis. Estque hoc manifestum, cum quis venit ad fidem, & nondum ad gratiam diuinam, quia vult perseuerare in peccato. Item, Non aliter Deus adiuuat ad fidem, cum venit quis simul ad fidem & ad gratiam, quam quando venit ad solam fidem. Cum autem venit ad solam fidem, gratia præueniens fidem, non est gratia iustificans. Insuper: Gratia præueniens, principium est nostræ iustificationis: iustificans autem, terminus. Et distinctissimæ sunt actiones, infusio gratiæ iustificantis, & auxilium ad dispositiones ad ipsam. Habent enim distinctos terminos immediatos. Terminus infusionis gratiæ iustificantis, est gratia iustificans: terminus vero immediatus gratiæ præuenientis, est bona motio hominis in Deum.

Secundum. Tertium. Quartum. Quintum.

Ad hæc: Gratia præueniens, ad iustificantem ordinatur, non econtrario. Præterea: Quia Deus adiuuat nos ad dispositiones sufficientes ad obtinendum ipsius gratiam, & nos illius gratiæ excitanti & adiuuanti obsequimur, & cooperamur: ideo Deus elargitur nobis gratiam iustificantem. Nam alias non solum gratis, id est, indebito, & sine meritis, sed gratis, id est, sine vlla dispositione nostra, vt voluere Lutherani, iustificaremur. Etenim si gratia præueniens antecedit natura saltem ex parte Dei dispositiones nostras, & gratia præueniens, est eadem cum gratum faciente: gratia igitur gratum faciens, ex parte Dei antecedit omnes dispositiones nostras & ex consequenti ante illas iustificamur, & non, per illas, neq; ex illis. Et quamuis ad vnam actionem spectent, auxilium Dei, bona motio hominis in Deum, & gratia gratum faciens, non ideo tamen censeri debent idem, principium & terminus, sicut neque idem est medium cum principio aut termino.

Aug. exp. Quid igitur sibi vult Aug. cum ait, *Præuenitur homo medicina, id est, Christi gratia, vt sanetur & reparetur: Si non sanatur homo nisi per iustificantem gratiam, neque reparabitur nisi per eandem.* Non dixit tamen Augustinus: Præuenitur homo eadem gratia Christi, qua sanatur & reparatur: sed tantum dixit, hominem præueniri gratia Christi, vt sanetur & reparetur. Et quamuis dixisset, præueniri hominem eadem medicina, id est, gratia Christi, qua sanatur & reparatur, non oporteret verbum idem ad identitatem numeralem coarctare. Satis est, ad veritatum

tam eiusmodi locutionum, identitas speciei vel generis. Neque enim si quis diceret præueniri homines eadem medicina, id est gratia Christi, qua sanãtur & beatificantur oporteret continuo, eadem gratia numero censere nos præueniri, sanari, & beatificari. Frequentissime sic loquuntur graues authores. Et vbiq; cantat Ecclesia: *Sola fuit mulier patuit qua ianua lethi, ex qua vita rediit.* Et ipse Aug. 2. de pec. mer. & rem. ca. 29. & de natura & gratia, c. 44. hoc tropo loquendi vnam esse fidem ait, quæ omnes saluos facit, & eandem fidem iustos antiquos sanasse, quæ sanat & nos. Et sic oportet exponere verba Magistri, quæ multo fortius videntur in nos militare, cum in 2. d. 27. ca. 4. ita scribit: *Principalis causa bonorum meritorum, est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium & sanatur atq; iuuatur voluntas hominis, vt sit bona.* Obijciuntur etiam nobis verba eiusdem Aug. quibus asseuerat, hominem neq; à peccato resurgere posse, neq; aliquid boni facere, nisi per gratiam Christi à peccato prius fuerit liberatus. Ex his enim videtur ad eandem gratiam retulisse liberationem nostram, & resurrectionem à peccato, quæ fit per gratiam gratum facientem & auxilium ad bene operandum quod spectat ad gratiam præuenientem. Sed hæc dicit Augustinus, quia morem Scripturæ secutus, bonum simpliciter nunquam appellat, nisi quod ad consecutionem vitæ æternæ conducat, quodq; nos communiter ipsius meritorium dicimus.

Obiect. 7.

Responsio.

CAPVT XIV.

Magister Sententiarum non negauit, sed insinuauit potius, iustificationis merita ex congruo.

OBICITVR denique Magister sententiar. qui in 2. dist. 27. c. 4. expresse ita scribit: Sed in bonis merendis, causæ principalitas gratiæ tribuitur: quia principalis causa bonorum meritorum, est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium, & sanatur atque adiuuatur voluntas hominis, vt sit bona. Et in cap. 5. ideo putat dixisse Augustinum, Quid est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum nostrum meritum non in nobis faciat nisi gratia; quia ex gratia, quæ præuenit, & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitrio procreatur in anima hominis bonus affectus, siue bonus motus mentis. Et hoc est primum hominis meritum. Quare, cum gratia, qua sanamur, sit gratia gratũ faciens qui dicit eam esse principalem causam bonorum meritorum, & ex ea & arbitrio hominis prouenire primum hominis meritũ, videtur nullum prorsus agnouisse meritum ante gratiam gratum facientem. Et idem fortius potest confirmari, quia statim cap. 6. subdit: Sic dicitur fides esse meritum, quia actus eius est meritum, si tamen adsit caritas, sine qua neque sperare, neque credere, meritum est vitæ. Si sine caritate non est meritum vitæ, & caritas est secundum ipsum Spiritussanctus, quod & ibidem statim explicat, non ergo erit aliquod meritum ante aduentum Spiritus sancti in animas nostras.

Obiect. 6.

Aug. epist. 105.

Sed quidem, quo magis, magisque expendo verba Magistri, solum videtur mihi ex ipsius verbis posse colligi, nullum esse meritum ante gratiam, qua Spiritus sanctus præuenit mentes nostras, & excitat, vt sanemur à peccato. Nam in principio cap. 4. statim citati, ita dicit: Cum ergo ex gratia dicuntur esse bona merita & incipere, aut intelligitur gratia gratis dans, i. Deus, vel potius gratis data, quæ voluntatem hominis præuenit. Quæ quidem ad gratiam præuenientem referuntur. Et in fine eiusdem cap. principatũ in causa meritorum tribuit gratiæ excitanti liberum arbitrium. Quod; munus gratiæ est præuenientis, & sæpe præcedit tempore infusionem gratiæ iustificantis. Et in cap. 5. actum fidei dicit primũ hominis meritum. Cum autem actus fidei præcedat tempore, vel saltem natura infusionem gratiæ gratum facientis, videntur hæc limitanda ad actũ fidei prouenientem ex gratia gratum faciente & libero arbitrio. Cur enim siluisset Magister de actu fidei ante gratiam gratum

Responsio.

tum facientem, & tantum meminiſſet eius, qui eam ſequitur, præſertim cum Auguſtinus, ex quo omnia colligit, quæ tradit, fidem, qua impetramus iuſtificationem, primum hominis meritum ſæpe appellauerit & affirmauerit.

Ad verba autem in contrarium citata hoc pacto poſſumus reſpondere: In verbis citatis ex 4 cap. non loquitur de ſola gratia gratum faciente. Neque enim illa eſt, quæ primo excitat voluntatem noſtram ad bonum. Sed loquitur de gratia, vt complectitur excitantem, ſanantem, & cooperantem, & tantum aſſerit, principalem cauſam meritorum eſſe gratiam, quod nos quoque certum eſſe putamus. In verbis autem ex 5. cap loquitur de ſola gratia præueniente. De ea namque ſola aperte intelliguntur verba Auguſt. quæ Magiſter exponit, & bonus motus fidei non producitur à gratia gratum faciente & lib. arb. ſed à gratia cooperante ſeu præueniente, & lib. arb. Et hæc gratia dicitur ſanare, ſicut fides dicitur iuſtificare & ſanare, non quia conſtituat formaliter nos ſanos, ſed quia initium eſt & principium ſalutis noſtræ. In verbis vero ex 6. cap. clare explicat Magiſter. de merito vitæ æternæ ſe agere, & ad illud non diffitemur requiri gratiam gratum facientem.

Poſſemus etiam dicere, Magiſtrum de merito propriè & ſtrictè egiſſe, atque ideo nihil aduerſari nobis. Quoniam vero, ſi bene omnia perpendamus, magis ille ſtat à nobis, quam aduerſum nos, perſiſtemus in priori reſponſione.

CAPVT XV.

Merita ex congruo, non ſunt dicenda merita ſimpliciter.

Obiect. 7. SVpereſt, vt & illud tandem hic videamus, num meritum ex congruo, poſſit ſimpliciter appellari meritum: & peccatores abſolute dici poſſint promereri veniam ſuorum peccatorum ſua fide, ſpe, dilectione & pœnitentia, & ſimilibus. Quæſtio

Reſponſ. quidem de nomine eſt. Et, modo teneatur debitus ſenſus, nihil video in re periculi, ſi quis imitatus illuſtriſſimos Doctores, quos citauimus, vteretur in his verbo merendi abſque limitatione Scholaſtica, ex congruo. Et ita tradidimus quæſt. 7. opuſc. de iuſtificatione, in reſponſione ad primum.

Sed quando Patres hoc loco tam diſerte tradiderunt, neque fidem, neq; alia opera præcedentia iuſtificationem, promereri iuſtificationis gratiam, decet profecto omnes filios Eccleſiæ ſic temperare ſua verba, vt nunquam ſine additione aliqua commoda & idonea, dicant vel ſcribant, peccatores bonis ſuis diſpoſitionibus gratiam promereri. Oportet ſiquidem Patrum noſtrorum inhærere veſtigijs, neque tantum ſenſibus, ſed verbis etiam conuenire cum præſcriptis nobis regulis in Concilijs. Et hic magis hoc conueniet facere, quia modus iſte loquendi Patrum in hoc decreto, vſitatior eſt ſanctis, & magis conformis Scripturæ, vt patet ex dictis. Et ſicut gratia iuſtificationis abſolute neque dicitur, neque poteſt dici merces noſtrarum diſpoſitionum, ita videntur neque illæ vocandæ eſſe abſolute merita.

Quare poſt diffinitionem hanc Concilij nunquam ſcripſiſſem, poſſe meritum ex congruo, reſpectu gratiæ gratum facientis, appellari meritum ſimpliciter. Et lectores omnes illius libelli precor, vt illa verba deleant ex illo. Scio quidem in ſenſu nihil me deuiaſſe ab iſta diffinitione. Neque quod dixerim meritum ex congruo, poſſe appellari meritum ſimpliciter, ideo meritum ſtricte in rigore poſſe appellari ſentiebam. Longe hoc aberat à me. Multis argumentis ibi ſtatuo, nemini deberi gratiam iuſtificationis, neminemq; eam ex iuſtitia promereri Et quæſt 6. abſolute contendo, ab omnibus eſſe affirmandum, neminem mereri ſuam iuſtificationem: quia nemo aliquo modo meretur omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ſuam iuſtificationem.

Sed quia legeram ſanctos, ſine additione, ex congruo, intrepide ſæpe [illegible] in hac parte verbo promerendi, neque aliquid ſcribam, quod his ccis aduerſaretur, credidi [illegible] nobis licere, ſimil[illegible] [illegible] Atqui [illegible], vbi video Eccleſiam ſimplici [illegible]

dito, negasse merita iustificantis gratiæ, tutius & consultius censeo, vt merita ex congruo, non appellemus merita simpliciter, neque peccatores bonis suis motibus promereri veniam suorum peccatorum dicamus, quin addamus, ex congruo.

Vnde & Richard. in 2.d.27.q.1. dicit, hęc merita, non esse merita simpliciter, sed tantum secundum quid. Et Doctor Subtilis sic sua temperauit verba, vt quamuis dispositiones sufficientes ad iustificationem, merita ipsius ex congruo, appellauerit, tamen nunquam ea dixerit esse merita simpliciter. Immo merita absolute & sine limitatione, repugnare gratiæ ostendit d.5.2. Et quod lib.17.art. 2. docet, ad actum meritorium simpliciter, requisitum esse, vt is actus specialiter sit acceptus Deo, tanquam actus dignus eo præmio, quod pro eo est reddendum. Quæ quidem nullis operibus peccatorum conueniunt.

Sed nimium iam hic immorati sumus, & lectori fortassis fastidium fecimus. Verum omnia, spero, boni consulet pius lector, quando in id omnia impensa sunt, vt antiquos & recentiores authores, & secum, & & inter se, & cum nostro decreto conciliaremus. Si culpam habet hæc pietas, certe meretur apud omnes veniam. Transeamus itaque ad expositionem 9. cap.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE INCERTITVDINE GRATIÆ, LIB. IX. IN CAP. IX. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

POST innumera hæreseon monstra & portenta, quibus inimicus & aduersarius noster diabolus, indefesso & irrequieto studio animarum salutem impedire conatus est, hoc tandem nouum, & quod quidem scire potuerim, ante hæc tempora inauditum inuenit commentum, quo permultis illuderet. Persuadere enim perditissimis etiam in hominibus non cessat, vt credant citra vllam hæsitationem se esse iustos, & eam vnam firmam minimeque dubiam animi persuasionem vel solam, ad iustitiam sufficere.

Neque defuerunt ei satellites, quibus in hoc tam absurdum dogma, & tam alienum à communi Patrum nostrorum doctrina, plerosq; inflecteret. Subseruiêrunt ei fidelissime & studiosissime in hac causa Martinus Lutherus, & ipsius discipuli Melanchthon, Bucerus, & vniuersi Protestantes, qui adeo mordicus huic errori hęserunt, vt citra illius persuasionem, pacem conscientiarum constare non posse asseuerantissime affirmauerint.

Ne vero latius, vt indies facit, hic cancer serperet, & vanissima ista fiducia pluribus imponeret, opportunissime occurrit sancta Synodus cap. 9 nostri decreti, ita solida & salubria inani hæreticorum fiduciæ, salutis documenta opponens, vt qui præsentissimam ipsius antidotum toto affectu biberit, circunlita melle ipsorum venena nihil timeat, & ab ijs, quæ forte hauserit, facile & releuari, & sanari possit. Atque in huius saluberrimæ doctrinæ dilucidationem & communitionem, librum hunc IX. de incertitudine gratiæ meditamur, precantes lucem illam veram mentium, sic Patrum senten-

tiam

tiam nobis docet exponere, quatenus nullus posthac concertationibus & contentionibus, quæ plurimæ super hac re fuerunt, sit locus, sed omnes incunctanter amplectantur, quæ pro salute omnium, communi consensu hic sunt statuta. Idq; vt certius assequamur, ipsa in primis sanctæ Synodi verba, quæ sic habent, subtexam:

CONTRA INANEM HÆRETICORVM FIDVTIAM.

Caput Nonum.

Quamuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum, nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse, dicendum est, cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota, fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemq; à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum qui certo credat, se absolutum & iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

CAPVT I.

Expositio Cap. IX & errorum, quæ in eo damnantur.

Errores 2. hic damnati.

NOVÆ doctrinæ de iustificatione ab hæreticis nostræ tempestatis traditæ, duos inter alios libri primi capite 3. commemorauimus errores. Primus est, iusti-

1\. tiam fide illa apprehendi, qua certo credimus nos esse iustificatos, ac proinde ad iustitiam satis esse vel solam hanc certam & indubitatam persuasioné. Et hunc errorem clare defendit Lutherus in articulo 11. 12. & 14. suarum assertionum contra Bullam Leonis decimi, & in multis alijs locis supra citatis. Secutique sunt eum Protestantes, vt est videre in articulo quinto, sexto, & vigesimo confessionis Augustanæ, & in suo Didagmate fol. 43. & in articulo quinto libelli oblati Imperatori. Et nominatim eundem tuetur Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ.

Secundus error est, teneri omnes ad hanc firmam & constantem propriæ iustitiæ fidem. Quem errorem in eisdem assertionibus defendit Lutherus, palam asserens, nemini remitti peccata, nisi remittente sacerdote credat ea ei sibi remitti. Eundemque docuit, cum egit de iustificatione, author Enchiridij doctrinæ Christianæ adiunctæ Concilio Colon. Quòd si certum est ex fide, ad iustitiam satis esse, certo credere nos esse iustos, cum possit singulis sua hæc fides euidens & perspicua esse: manifeste profecto sequitur, posse cuicunque per fidem suam quoque notam esse iustitiam, & cuiuis eam sibi inesse asserenti, adhibere debere nos fidem. Cur enim quis- 2.

quam credatur aut mentiri, aut falli in re, quam adeo facile potest & consequi, & citra vllam ambiguitatem scire?

Vt tamen nouis his erroribus & dogmatibus, quæ ex eis sequuntur, sacrosancta sua & cunctis veneranda authoritate antistites nostri obuiarent, tria in summa in hoc capite definierunt.

Tria defini ta in hoc c. Primum.

Primo quidem in ipso limine capituli asseuerant, non esse dicendum, remissa esse peccata cuicunque fiduciam & certitudinem remissionis suorum peccatorum iactanti, & in ea sola quiescenti. Et hoc probant, quia & hæretici & schismatici nostræ tempestatis, habent eam fiduciam & certitudinem, & illam tametsi vanam & ab omni pietate remotam, magna contra Ecclesiam Catholicam contentione passim prædicant.

Quo ex argumento liquet, non solum prohibuisse Patres, ne crederemus remissa esse peccata arrogantibus & gloriosis hominibus, qui suam iustitiam iactarent, sed & absolute statuisse, non esse satis ad iustitiam, persuasionem eam & assertionem, quantumcunq; simplicem & citra omnem iactantiam, dum ea sola aliqui contenti, cætera ad iustificationem necessaria negligerent. Si enim potest esse, ac vere est eiusmodi affirmatio, quomodocunque fiat, in hæreticis & schismaticis, dilucidum est, eam non sufficere ad iustitiam. Ideo autem vsi sunt verbo illo Iactanti, vt eo ipso innuerent, nunquam esse huiusmodi asseuerationes absque aliqua iactantia & vanitate.

Definitũ. 2.

Atque vt apertius fieret, nemini hæc vtcunque de se iactanti & asserenti, putasse eam persuasionem satis esse ad iustitiam, in illis verbis, Sed neq; illud asserendum, &c. secundo asseruere, non teneri iustos ad certo credendum suam iustitiam, neque si habeant eam certitudinem, satis illam esse ad iustificationem.

Solutio, argum. 2. hæreticorum.

Quia vero hæretici primo quidem suadent eam certitudinem siue fiduciam, satis esse ad iustificationem, quoniam gratis nobis remittentur peccata propter Christum, deinde autem & omnes teneri ad credendam suam iustificationem, inde colligunt, quòd de Dei promissis, & mortis ac resurrectionis Christi efficacia, dubitare nemini licet, hæc argumenta non intacta prætereiere Patres. Priori vero non responderunt hoc loco, quia ex proximo capite poterat facillime responderi. In eo quippe ostensum est, verbo Gratis, cum asserimus iustificari gratis, non negari dispositionum & præparationum nostrarum ad gratiam necessitatem, sed duntaxat excludi ipsius merita.

Posterius vero argumentum hoc pacto dissoluunt: Non dubitat de Dei promissis, aut de efficacia mortis Christi, qui dubitat se habere gratiam, sed dubitat de suis dispositionibus. Et aperta huius responsionis ratio est. Nam cum Deus neminem adultorum iustificet sine actu ipsius, neque cuipiam absque eo promiserit gratiam, neque Christi merita vtentibus ratione communicentur sine dispositionibus propriis, qui firmissime credit veracissima esse & infallibilia Dei promissa, & efficacissima ad nos iustificandum mortem & resurrectionem Christi, potest nihilo secius dubitare de sua iustitia, propter dubium de suis dispositionibus. Etenim si duarum caussarum concursus necessarius est ad aliquem effectum, haudquaquam sufficit certitudo applicationis vnius causæ, vt certitudo habeatur de existentia illius effectus. Itaque cum ad iustificationem nostram præter promissiones Dei, & mortem & resurrectionem Christi, requirantur etiam nostræ dispositiones, satis erit vt dubitemus de gratiæ assecutione, incertum nobis esse, an sic perinde nos disposuerimus ad eam assequendam, ac necessarium est.

Definitũ. 3.

Atque vt indubitatum posthac esset, istam incertitudinem qualitatis nostrarum dispositionum satis esse ad incertitudinem gratiæ, tertio tandem his adiecerunt Patres, neminem scire posse certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consecutum. Vt hæc tamen cunctis planiora sint & certiora, altius vobis arbitror rem hanc totam esse repetendam.

CAPVT II.

De multiplici certitudine.

QVi proprie & Latine, ac iuxta communem eruditiorum vsum, vocabulo certitudinis vtuntur, certos nos esse aiunt duntaxat de veris: perplexos autem, etiam de falsis. Certus enim à cerno etymologiam suam trahere videtur. Et certitudo firmitas quædam est, qua virtus cognitiua perinde suo cognoscibili adhæret, ac si illud coram cerneret. Quod autem falsum est, neque scibile est, neque dici potest aliqua ratione videri. Vnde & certa nobis non dicimus, nisi quæ vera sunt, aut vera esse firmiter & indubitanter credimus: nec quispiam vel se, vel alterum, certum eius rei dicit, quæ falsa est.

Etymologia certitudinis.

Tametsi vero certitudo non nisi verorum esse videatur, tamen certum assensum de aliqua re, generatim & proprie appellare possumus assensum omnem, expertem hæsitationis & formidinis, & certo ea credi à nobis, pronunciare, quibus, depulsa omni animi dubietate, assentimur. Quo enim nomine rectius aut Latinius explicari queat firma ista & indubitata mentis adhæsio? Itaque licet certi nequeant proprie dici de sua gratia, nisi qui se certo & vere credunt esse in gratia, tamen certo assentiri se esse in gratia omnes illos & possumus, & debemus asserere, qui absque vlla cunctione & trepidatione id sibi de se persuadent, siue vere hoc sentiant, siue falso. Et nonnunquam sic vocabulis istis abutuntur philosophi & theologi, vt omnes habentes certos assensus alicuius rei, certos eos de ipsa absolute & simpliciter affirment. Quamobrem Patres in hoc cap. non dubitarunt dicere, hæreticos & schismaticos certitudinem remissionis suorum peccatorum iactare, cum tamen certo scirent, eam certitudinem, vanissimam esse potius suæ iustitiæ persuasionem. Neque dubium, quin Latine possimus dicere, apud hæreticos nostræ tempestatis non esse suæ gratiæ opinionem, sed certitudinem.

Ad omnia tamen hæc aptissime distinguenda, commodissima est gemina illa certorum distinctio, Doctoribus antiquis non insolita. Alia enim, inquiunt, sunt certa in se, alia vero certa quo ad nos. Et hoc est quod recentiores aliquanto apertius dicunt, cum aiunt duplicem esse certitudinem, quandam ex parte rei siue obiecti, alteram ex parte intellectus siue subiecti. Ex parte rei siue obiecti est certitudo, cum aliqua ita vera sunt, & secundum se certa, vt in eis assentiendis nemo possit decipi. Ex parte intellectus siue subiecti est certitudo, cum aliquibus firmiter & citra vllã ambiguitatem assentimur: & illa dicuntur esse certa quo ad nos, quæ talia esse nobis sunt cognita, aut certe credita, vt in eorum assensu nulla possit deceptio subesse.

Diuisio certitudinis.

Et quoniam sæpe contingit ex propensione vel imperio voluntatis, aut ex probabili vel leui persuasione, aliqua nos certo & indubitato credere, quæ non perinde certa & indubitata in re sunt, & econtrario aliqua esse in se certa, minimeq; dubia, & tamen nos vel ex ignorantia, vel ex malitia voluntatis nostræ, ea vel non credere, vel falsa aut dubia aut incerta existimare, non continuo censenda sunt certa, quæ à nobis certo creduntur: neq; incerta habenda, quæ nobis incerta sunt. Atq; huius rei exempla sunt non pauca in scripturis.

Aliqua certa in se, & incerta nobis, & econtrario.

Certo videtur pharisæus apud Lucam credidisse, se esse iustificatum, cum suæ iustitiæ persuasione inflatus, orabat Dominum his verbis: *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri.* Et tamen in iudicio diuino, vbi omnia sunt nuda & aperta, non iustus, sed superbus erat. Certi etiam videntur de sua iustitia fuisse Iudæi illi, quibus Paulus testimonium perhibuit, quod æmulationem Dei haberent, sed non secundum scientiam. Sed vide quid Paulus de eis e vestigio subnectat: *Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.*

Contra vero publicanus descendit certo iustificatus, cum incertus suæ iustificationis, & à longe stans, neque ausus oculos ad cælum leuare, percutiebat pectus suum, dicens: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et cum Saul paruulus erat in oculis suis, ele-

est fidei. Omnis enim assensus certus & inenidens, & vocatur & est fides.

Gradus 2. certitudinis ineuidentis.

Et quia fides duplex est, diuina videlicet & humana: certitudo quoque ineuidens, duplex est: altera fidei diuinæ, altera humanæ. Fide diuina credimus illis, quæ constant authoritate diuina: humana vero illis, quæ constant authoritate humana. Eoque fit, tanto præcellentiorem esse & certiorem fidem diuinā, quam humanam, quanto Deus homine maior est. Et quia Deus neque fallere, neque falli potest, homo autem & fallere, & falli valet, fidei diuinæ certum est subesse falsum non posse, neq; quenquam posse decipi in assentiendis illis, quæ authoritate diuina constant: fidei vero humanæ & subesse falsum potest, & in eis assentiendis, quæ sola authoritate humana constant, facile quisque potest decipi.

Fidei diuinæ ab humana differentia.

Vt tamen apertiora sint omnia, & viam aperiamus, qua conciliari possint nonnulli doctissimi viri inter se, etiamnum de hoc articulo dissentientes, de vtriusq; fidei certitudine nonnulla separatim disseremus.

CAPVT III.

De certitudine fidei diuinæ.

Certitudo fidei omnium maxima.

NON solum excedit certitudo fidei diuinæ, certitudinem fidei humanæ. Exsuperat, & multis interuallis antecellit, vt S. Thomas & Scotus verissime dicunt, certitudinem euidentiæ naturalis. Nam quæ Deus per seipsum reuelauit, certiora sint, & vt à sua reuelatione pendent, minus eis potest subesse falsum, quam illis, quæ vel demonstratione, vel experientia nouimus. Quare & vbi talia esse innotuerit, pleniorem illis & firmiorem fidem adhibere debemus, quam demonstratis & expertis.

Quamuis autem ex illis, quæ sola authoritate diuina constant, quædam quibusdam perfectiora sint & digniora scitu, & alia quidem sint necessaria, alia autem cōtingentia: ac proinde hæc quidem possint esse falsa, non illa, ex æquo tamen certa vniuersa videntur propter Dei reuelantis authoritatem, quæ in illis omnibus æqualiter viget, & de vtrisque ex suppositione diuinæ reuelationis perinde verum est, neminem in ipsis assentiendis posse decipi.

Atque ideo, quæ eiusmodi sunt, æquali & æque indubitata fide recipi debent. Et sicut per fidem diuinam omnibus eis credimus, quia dum eis credimus, Deo credimus: ita prorsus & ad omnia illa se extendit fides infusa, quam & theologicam appellamus. Datur enim fides infusa in adiutorium nobis, vt credamus in omnibus Deo, & quæ parem habent certitudinem, & eadem ratione creduntur, eodem habitu credantur necesse est. Nec coarctandus est fidei infusæ habitus ad sola reuelata à Deo, spectantia ad beatitudinem aut ad totam Ecclesiam, sed extendendus potius ad omnia reuelata à Deo, quæ fide diuina credenda sunt.

Fide infusa assentimur omnibus à Deo reuelatis.

Quam ob rem illud quidem doctissimo cuidam magistro nunquàm assenserim, qui ait fidem infundi nobis ad credendum solis reuelatis spectantibus ad beatitudinem. Multoque minus illud probauerim, quod idem ait, neminem assentiri per fidem infusam, se esse in gratia, etiam si Deus hoc ei reuelet. Nam quamuis tantùm dicat, neminem huic assensum per assensum fidei Catholicæ, sed per aliquam peculiarem fidem: tamen ex adiunctis patet, fidem Catholicam eum vocare fidem infusam communem omnibus Catholicis.

Cur vero hic assensus in habentibus reuelationem non euidentem, à fide infusa remoueatur? An non reuelatio hæc ad beatitudinem spectat? An non per fidem infusam assentimur, paruulum esse in gratia, cum illum baptizauimus? Et nonne fides infusa, & hæresis, eiusdem ambitus sunt? Si ergo hæreticus esset, qui non crederet Deo reuelanti ipsius iustitiam, & per illum diffidentiam perderet fidem, per eam vtiq; & idem tum crederet se esse in gratia. Certe qua fide credebant alia Christo, credebant & sibi esse remissa peccata, quibus ille aiebat se remittere. Et nisi hoc verum prædictus magister existimabat, quare vbiq; cum negat posse quempiam scire certitudine fidei Ca-

dei Catholicæ se esse in gratia, semper addit, nisi Deus hoc reuelet?

Verum illud libenter concesserim, non spectare ad fidem Catholicam, quod ego vel ille simus in gratia, siue hoc certis fidei argumentis doceri queat, siue diuina reuelatione certum & constans sit. Non omnis fides diuina seu theologica, est fides Catholica, neque omnia quæ fide diuina, seu infusa & theologica credimus, dicenda sunt spectare ad fidem Catholicam. Catholicum Græce, idem est, quod Vniuersale Latine. Ac propterea illa sola censenda sunt spectare ad fidem Catholicam, quæ reuelata sunt à Deo ad salutem communem omnium, & vt talia omnibus suo tempore dis[illegible]ri & proponi per prophetas suos & prælatos spiritales voluit. Alia vero quæ sunt reuelata à Deo ad peculiarem alicuius consolationem, vel punitionem, & personas aliquas peculiares concernunt, non spectant ad fidem Catholicam. Et verum quidem est, ad hæc non se extendere fidem Catholicam, neque illa esse certa certitudine fidei Catholicæ.

Fides diuina latius patet, quā catholica.

Sed in hoc contingit hic decipi. Quia enim dicuntur ista non spectare ad fidem Catholicam, neq; esse certa certitudine fidei Catholicæ, ideo existimare aut suspicari videntur quidam, alia fide peculiari hæc credi, & minori certitudine, quam credantur, quæ sunt fidei Catholicæ, cum tamen longissime hæc à veritate absint. Etenim vbi reuelatio harum particularium ipsis innotuerit, eodem penitus habitu & eadem firmitate recipienda sunt: quoniam habent eandem prorsus suæ veritatis & certitudinis causam, cum illis quæ ad fidem Catholicam spectant. Et absurdum profecto videtur concedere, ad aliam peculiarem fidem spectare, vt his assentiamur particularibus, cum tantum vni aut duobus reuelarentur, quam si omnibus in commune essent reuelata. Neque plus enim, neque aliter certa erit nostra iustificatio, si Deus illam omnibus reuelaret, quam si nobis solis. Sed hactenus de certitudine fidei diuinæ: videamus & pauca quædam de fide humana.

CAPVT IV.

De distinctione fidei humanæ à dubio & opinione, & de varijs gradibus ipsius.

SVnt quidem nonnulli viri docti, qui fidem humanam, eandem esse cum opinione, arbitrantur. Cum enim homines fallere & falli possint, quæ authoritate hominum constant, incerta & ambigua videntur, neque sine aliqua formidine recipienda. Atque ideo fidem, quæ humana duntaxat authoritate nititur, assensum non omnino hæsitationis expertem, sed probabilem atq; opinatiuum existimant.

Et sane si fides humana dicatur omnis assensus authoritati humanæ innixus, manifestum est, plerunq; fidem humanam nihil excedere opinionem, neque ab ipsa vel latum vnguem differre. Nam eiusmodi sunt nonnulla authoritate humana constantia, vt credenda quidem videantur, non tamen citra omnem formidinem. Veruntamen, quia aliqua, tametsi sola authoritate humana constantia plena & indubitata fide credimus, nihil hæsitantes de eorum veritate, necesse est & aliquoties fidem humanam ab opinione & dubio seiungere. Siquidem qui dubitat, suspensum & ancipitem inter vtranque partem contradictionis intellectum suum seruat, & neutri ipsarum assentitur. Qui opinatur, assentitur quidem alteri, sed cum formidine de sibi opposita veritate. Qui vero certo credit, sic vni parti adhæret, vt ne minimam quidem habeat hæsitationem de illius veritate. Et quanquam apud aliquos authores nonnunquam confunduntur, ac pro eadem accipiuntur certitudo moralis & coniecturalis, tamen permultum inter eas interest, & vtraque ad fidem humanam videtur spectare. Quando enim vel propter fortissima argumenta, vel propter grauem authoritatem & certum hominum testimonium, certo prorsus aliquibus inuidentibus ass[illegible]timur, ea certitudo, certitudo est moralis: si vero propter apparentia indic[illegible], aut coniecturas probabiles credamus quidem, non tamen omnino certo, sed

Fides humana quando que opinio est, nō semper.

Distinctio fidei à dubio & opinione.

Certitudinis moralis à coniecturali distinctio.

ſed cum aliqua formidine, ea certitudo tantum eſt coniecturalis, & ab opinione nihil differt.

Atq; hæc fidei humanæ diſtinctio, vt altera opinio ſit, altera metas opinionis longe excedat, partim ex ipſis credibilibus, partim ex imperio & libertate noſtræ voluntatis proficiſcitur.

Gradus 3. fidei humanæ.

Triplicia namq; ſunt fide humana credibilia. Quædam, quanquam authoritate humana conſtant, ſic paſſim ab omnibus vt certa & indubitata recipiuntur, vt ne dubitare quidem de eis poſſimus. Et horum certitudo primum locum tenet in certitudine fidei humanæ. Alia vero, quamuis non tanta ſint authoritate, tamen tanto conſenſu communiter abſque vlla cunctatione recipiuntur, vt ſtultus & fatuus habeatur, qui non eis certo aſſentitur. Alia vero ſunt, quæ communiter quidem certa exiſtimantur, non tamen tanta firmitate, vt de illis dubitare ſtulti ſit, ſed maligni potius, aut increduli, etſi probabiliora argumenta in contrarium non deſint, quandoque etiam prudentis. Et iſta duo poſtrema genera certitudinis, ab imperio & propenſione voluntatis, ac pia quam vocant affectione, ſuam habent certitudinem. Sed exemplis faciamus iſta clariora.

Gradus 1.

Primi generis ſunt illa credibilia, quæ authoritate omnium conſtant, & ab vniuerſis hominibus doctis & indoctis, barbaris & politis, probis & improbis, ex omni ſexu, ordine, natione, & religione citra omne dubium aſſeruntur. Qualia ſunt, Conſtantinopolim eſſe, Indos eſſe, Turcas eſſe, Arabes eſſe, Sarracenos & Iudæos eſſe, Parentes diligere filios ſuos, Mundum fuiſſe ante omnes, qui modo ſunt in vita mortali, Nos genitos eſſe communi via, & ſimilia. Quæ quidem ſic certa ſunt, & paſſim à cunctis recepta, vt quamuis ineuidentia ſint, tamen euidens ſit, ea eſſe certò credenda. Et in his aſſentiendis certò ſcimus nos non decipi, neque aliquem vnquam fuiſſe deceptum.

Aliqua certitudo fidei humanæ infallibilis.

Quin licet quatenus à fide humana pendent, ſubeſſe in his quoque poſſit falſum & deceptio, quia non ſolum quilibet hominum, ſed & omnes poſſunt fallere & falli, tamen humanitus in eis aſſentiendis nemo poteſt decipi, ac fortaſſis, vt prouidentiæ diuinæ ſub ſunt, nullatenus. Spectare namque ad prouidentiam diuinam videtur, vt non permittat in vniuerſis hominibus tales aliquos errores. Quare & aliquam certitudinem fidei humanæ, fortaſſis non eſſet improbabile, infallibilem prorſus defendere.

Gradus 2. fidei humanæ.

Secundum locum inter credibilia humana tenent, quæ licet non communi omnium hominum, ſed vnius aut aliquorum authoritate nituntur, in ſe tamen aut in ſuis ſimilibus paſſim ab omnibus ita magno & firmo conſenſu vt certa habentur, vt ſtultum cenſeant & fatuum, de eis dubitare. Qualia ſunt, Epiſcopos dum ordinant miniſtros altaris, ſacerdotes dum conſecrant ſacratiſſimam Euchariſtiam, dum baptizant, dum abſoluunt, aut aliquod aliud ſacramentum adminiſtrant, intentionem habere ordinandi, baptizandi, conſecrandi, abſoluendi, & faciendi, quod Eccleſia intendit. Tametſi enim hunc vel illum rite ſuo fungi miniſterio, vnius aut paucorum authoritate nitatur, tamen ita paſſim hæc citra vllam ambiguitatem recipiuntur, & ratio conuictus humani talia haberi efflagitat, vt æquum & iuſtum ſit, omnes fideles, niſi aliqua peculiaris & vehemens cauſa dubitandi de eis occurrerit, certam minimeque dubiam fidem ipſis omnibus adhibere. Non enim eſt veriſimile, Epiſcopos vel ſacerdotes velle in re tanta fidelibus illudere, præſertim cum nihil inde ipſis commodi poſſit accedere, ſed multa potius detrimenta & damna. Et ſtare quidem non poteſt conſcientiarum pax, neque ſuauitas & tranquillitas conuictus Chriſtianorum, niſi iſta vt certa & indubitata habeantur. Vnde prudentiſſime Innocent. III. in cap. Veniens. de presbytero non baptizato ita ſcribit: *De illo, qui natus eſt de Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos fideliter eſt conuerſatus, tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, vt hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec euidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur.*

Gradus 3. fidei humanæ.

Eodemque modo, licet non æquali iure aut ratione, cum multa accipimus beneficia ab aliquo, certo credimus nos ab eo diligi: quia probatio dilectionis, teste Gregorio, exhibitio est operis: & certissima argumenta amoris, communiter habentur benefic a. Sic etiam maritus credit se certo diligi ab vxore, sic parentes à filijs, sic domini à famulis, cum multis bonis meritis, vel obsequijs sibi ab eis exhibitis, hanc dilectionem probarunt, neque vel minimum argumentum, aut coniecturam habent in contrarium. Atque ea, quæ nobis à se visa constanter affirmant viri optimæ fidei & opinionis apud homines, immo & quæ sibi nota & certa asserit vir aliquis, quem nos in multis veracem experti sumus, & dignissimum cui fidem adhibeamus, & generaliter quæcunque eiusmodi specie veritatis sese nobis ostendant, vt ne minimum quidem argumentum vel suspicio falsitatis eorum, animo nostro occurrat, sic solemus certo & absque vlla hæsitatione credere.

Potest sane in huiusmodi omnibus contingere aliqua deceptio, quia multi sunt recessus in animis hominum, & quam maximæ latebræ, & solus Deus nouit clare cogitationes hominum, tamen hanc fidem mutuo debemus nobis, & prudentiæ ratio à nobis expostulat, vt ista, tametsi suapte natura non omnino certa sint, propter communem tamen existimationem & humanum conuictum certa ad fidem humanam habeantur. Et horum certitudini tertium & infimum locum certitudinis possumus tribuere. Cum autem non tantæ authoritatis homines aliqua nobis tradunt, sed maior tamen causa & apparentia veritatis subesse videatur, quam falsitatis, & possumus & debemus illis fidem adhibere, sed cum aliqua formidine, ne incerta pro certis recipiamus. Hæsitare autem & hærere tunc par est, & ancipitem ac neutrum tenere intellectum, cum occurrit probabilis causa non credendi, aut vtrinque stare videntur æqualia argumenta. Tenet enim medium locum opinio inter dubium & certitudinem. Atque horum omnium distinctionem diligenter notare debet, qui voluerit exacte omnia, quæ in hoc libro dissseremus, intelligere. Quippe dubium non est cum opinione confundendum, nec opinio cum fide, nec fides humana cum diuina, nec fides Catholica cum fide particulari, nec certitudo naturalis cum morali, coniecturali aut theologica. Et certitudo ex parte rei, distinguenda est à certitudine ex parte intellectus: neque omnia quæ certa sunt, ex æquo certa esse sunt existimanda. Quibus in rebus hallucinantur non raro etiam viri aliqui docti, quia ista vel negligunt, vel non serio & attente distinguere nouerunt.

CAPVT V.

De quatuor, omnibus circa hunc articulum certis, & duobus controuersis.

His actis fundamentis, disquirendum est de certitudine, quæ in hac vita haberi potest de nostra iustificatione. Ne autem operam nostram rebus non necessarijs applicemus, & quoniam vbique consultissimum est, controuersa à non controuersis distinguere, placet ante omnia, quæ fuerint semper apud omnes certa in hoc argumento, explicare. Et quidem dum omnia hinc inde pro nostra tenuitate attente perpendo, quatuor video ab omnibus, velut certa & extra controuersiam, semper fuisse recepta: Primum est, posse cuiuis mortalium per reuelationem diuinam, suam iustificationem innotescere, & vere innotuisse nonnullis sanctis viris, licet paucis, & Deo familiarissimis, vt beatissimæ Virgini & Apostolis. Secundo certum est, posse omnes iustos signis quibusdam & probabilibus argumentis, seu indicijs & coniecturis, probabilem notitiam & opinionem, seu certitudinem, quam vocant, coniecturalem adipisci de sua iustificatione. Tertio certum est, neminem mortalium citra diuinam reuelationem, posse assequi in hac vita certitudinem euidentiæ de sua iustificatione. Vnde enim possit nobis esse euidens, nos amari à Deo, aut ipsius gratiæ habere habitum infusum? Quæ Dei

Extra controuersiam hic quatuor.

1. Cor.

sunt,

o

sunt, nemo nouit, nisi Spiritus Dei. Si euidenter nosse non possumus, an à nobis charissimo & coniunctissimo amemur, quomodo manifeste nosse possumus, ab eo nos amari, qui infinitis interuallis vincit scientiam nostram, & neminem amat, nisi gratis, & secundum consilium voluntatis suæ? Habitus etiam infusi, supernaturales sunt: & qui ab illis sunt actus, possunt ab acquisitis habitibus proficisci, aut saltem à potentijs nostris cum auxilio Dei speciali. Quare nulla ex parte euidentiam de ipsorum præsentia possumus in hoc statu habere. Quarto & certum est, neminem posse citra diuinam reuelationem certo nosse iustificationem alterius, nisi forte cum puerum aliquem ipse baptizauerit. Cum enim ex fide certum sit, baptismum conferre gratiam omni non ponenti obicem, & nobis euidens sit, baptizasse aliquem infantem, ipsumque nullum apposuisse gratiæ baptismi obicem, certum quoque erit, ex fide illum recepisse gratiam baptismalem, & vere fuisse iustificatum. Extra istum vero casum, certitudo de iustificatione alterius haberi à nobis non potest. Quia vtentes ratione, nequeunt per aliquos actus nostros iustificari sine aliqua interiori ipsorum dispositione. Interior autem aliorum dispositio, constare nobis per fidem aut euidentiam non potest. 1. Cor. 2 *Nemo enim nouit, quæ sunt in homine, nisi Spiritus hominis qui in ipso est.*

Duo controuersia. Fuerunt tamen & adhuc sunt duo in hoc proposito controuersa. Primum est, an citra diuinam reuelationem possit iustis sua ipsorum gratia constare certitudine fidei Catholicæ vel diuinæ, cui non possit subesse falsum. Secundum est, an iustis saltem sit in præcepto certitudo de sua gratia. Et de istis, quid ex authoritate nostri decreti & Scripturæ, & sanctorum testimonijs habeamus, posthac disseremus.

CAPVT VI.

Soli illi, quibus reuelata est sua iustificatio, obligati fuerunt eam certo credere.

AC primo quidem illud certum semper fuisse video apud Catholicos, neminem obligatum fuisse ad credendum se esse in gratia, nisi hoc illi peculiariter Deus reuelauerit. Et hoc est quod sancta Synodus in hoc capite illis verbis affirmauit: *Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemque, à peccatis absolui ac iustificari, nisi eum, qui certò & firmissime credat se absolutum & iustificatum.* Et confirmata est & explicata aliquanto magis hæc doctrina Canone decimotertio in hæc verba: Can. 13. *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò & absque vlla hæsitatione propria infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.* Et hac definitione damnata est sententia Lutheri, qui, vt patet ex artic. 10. bullæ Leonis X. contra errores ipsius, absolute asseruit, nemini remitti peccata, nisi, remittente sacerdote, crediderit sibi ea remitti. Quod quidem demiror, permissum fuisse euulgare authorem Enchiridij doctrinæ Christianæ adiuncti Concilio Coloniensi, vbi agit de iustificatione. Veruntamen præter definitionem Sedis Arg. 1. pro sententia Patrum. Apostolicæ & Concilij, apertum est argumentum contra hunc errorem: Nunquam enim neque Deus, neque Ecclesia fideles ad hoc adstrinxit. Neque inuenietur vsquam tale aliquod præceptum. Et ex lege naturali manifestum est, neminem esse obligatum ad credendum se omnia fecisse, quæ ex parte sua requisita sunt, vt non apponat gratiæ diuinæ impedimentum, sed effectum suum in ipso habeant & faciant sacramenta diuina. Præterea grauissimum Argum. 2. profecto & periculosissimum esset hoc præceptum. Et cum omnes Catholici, tum autem ipsi Lutherani, qui se iactant vbique prædicare libertatem legis gratiæ, hoc tam rigidum præceptum orbi inuehere cauere deberent. Difficillimum quippe est viris, præsertim natura sua meticulosis, & non admodum temerarijs in assentiendis suis laudibus, certo & absque vlla hæsitatione credere, se nulla laborare ignorantia cul-

pabili, nullius delicti culpa teneri, & totum facile quod Deus à nobis exigit ad nostram iustificationem. Et qui perditam & profligatam multo tempore duxerunt vitam, ac frequentes patiuntur tentationes carnis, mundi & dæmonis, vix vnquam possent implere hoc præceptum. Iugum vero Domini, teste ipso Christo, suaue est, & onus eius leue. Et Ioannes dicit, *Mandata eius grauia non sunt.* Insuper: Nullus tam perfectus est, qui non aliquando de hoc formidet. Immo quo quisque sanctior est, eo magis veritus, ne quid forte in seipso lateat, quod oculos diuinæ maiestatis offendat, solet frequentius clamare: *Ab occultis meis munda me Domine*, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine.* Si qui autem obligati fuissent hoc præcepto, essent maxime qui sanctiores fuerunt, & perfectiores cæteris. Hi enim melius potuerunt nosse suam iustificationem, si quidem illam possemus citra reuelationem certo nosse. Quid vero, inquies sibi Paulus voluit, cum dixit, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, si non ad hanc certitudinem obligauit, vt digne sumeremus Eucharistiam? Probare quidem nos debemus, ad non indigne Eucharistiam & alia sacramenta suscipiendum: sed ea probatio non necesse est tanta sit, vt ad certitudinem de gratia diuina nos perducat. Satisque prorsus est, si ad probabilem de ea opinionem nos trahat. Quin si cum accedimus ad recipiendum Eucharistiam, putemus probabiliter, nos fecisse quod satis est, vt non indigne eam sumamus, hoc sufficiet, vt non peccemus eam suscipientes, etiam si dubitemus nos esse in Dei gratia. Probat enim se sufficienter quoad hoc, neque reus erit corporis aut sanguinis Domini, qui absque conscientia peccati mortalis, & cum aliqua pœnitentia suorum peccatorum, & proposito seruandi omnia diuina mandata, Eucharistiam sumit, siue ista ad gratiam sufficiant, siue non, ac propterea de sua quis iustificatione non immeritò dubitet.

1. Ioan. 5
Argum. 3.
Psal. 18
Obiect. 1.
1. Cor. 11
Responsio.
Probatio necessaria ad dignam Euchariſtiæ sumptionem.

Instat tamen, vt sibi videtur, apparenter Lutherus cōtra ista: Qui audierunt à Christo, remissa esse sibi peccata, tenebantur hoc credere, neq; licuit vel Magdalenæ, vel paralytico, cum hæc audierunt à Christo, vel minimam habere hæsitationem de sua iustificatione. Cum igitur ipse dixerit Petro & alijs Apostolis pro ipsis & suis successoribus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* nemini etiam licebit dubitare de remissione suorum peccatorum, vbi absolutus fuerit à sacerdote. Hoc enim perinde est, ac de his verbis Christi dubitare.

Obiect. ...
Ioan. 20

Quantum verò hic ab scopo erratur? Qui dubitat, vel non satis certò credit, sibi remissa esse peccata, vbi fuerit à sacerdote legitime absolutus, non dubitat de verbis Christi, neque de efficacia absolutionis sacramentalis: sed dubitat, vt Patres nostri luculenter in hoc capite explicarunt, de sufficientia suæ dispositionis: & hoc tantum, suæ sibi fragilitatis conscius, veretur, ne sua ipse malitia vel negligentia effectum impedierit sacramenti.

Responsio.

Et magnum quidem est discrimen inter illos, qui à Christo audiebant sua ipsis remitti peccata, & qui audiunt à sacerdote suorum absolutionem peccatorum. Christus optime nouerat interiora hominis, & qua quisque ad se intentione & dispositione accedebat, & supplere in eis poterat & efficere, quicquid ipsis ad consecutionem gratiæ deerat. Atque ideo, qui ab ipsius ore audiebāt sua ipsis remissa peccata, hoc velut certum & indubitatum habebant credere. Nulla enim suberat causa dubitandi, vel formidandi, vbi tam aperte eos absolutos pronūciabat, qui ipsis liberrime & absque vlla dispositione poterat omnia indulgere & condonare peccata. Sacerdotes autem neq; norunt interiora hominum, quos absoluunt, neq; libere possunt condonare peccata, neq; potestatem habent efficiendi interius dispositiones, quas Deus exigit à peccatoribus: tantumque absoluunt, existimantes similes eos habere interiores dispositiones exterioribus, quas in eis conspiciunt, neque obicem suæ absolutioni ponere. Et verba eorum, licet vera & absoluta sint, tantum significant, eos, quantum est ex parte sua, vere pœnitentes absoluere, si quidem non sit in eis interius aliquod impe-

Audientes à Christo sibi peccata remissa, credere id tenebantur.

impedimentum, quod efficaciæ sacramenti obsistat.

Obiect. 5. Obijciunt & alij verba Bernardi: *Si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis. Sed adde adhuc, vt hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus gratis iustificari hominem per fidem.* Hęc ille. Et manifeste ibidem asserit, hoc necessarium esse ad assequendam remissionem peccatorum.

Bern. ser. 1. Annunciat.

Rom. 3.

Responsio. Sed Bernardus non id agit, vt ostendat necesse esse, præsertim certa fide credere nobis remissa esse peccata. Quid enim magis alienum à Bernardo, placidissimo & amœnissimo doctore? Si hoc putes illum sensisse, equidem, si circuniacentia spectes, & obligatos nos dices, eum credidisse, ad certo credendum nostram prædestinationem, cuius contrarium ex multis ipsius testimonijs libro 12. Deo dante, docebimus.

Voluit ergo ille, & sensit obligatos nos esse ad credendum, ita Christum remissionem peccatorum & nostram beatitudinem meruisse, vt & nos quoque hæc ipsius merita possimus participare. Vnde & in eo loco, vnde desumpta sunt, quæ in nos citantur, testimonia de remissione peccatorum nostrorum, & de meritis nostris & beatitudine, credibilia facta esse nimis, probat, ex passione, resurrectione, & ascensione Domini. Quæ quidem, manifestum est, non posse particulare aliquem hominem probare iustificatum, & habiturum merita & beatitudinem, sed duntaxat quemlibet posse hæc per Christum obtinere.

Neque diffitemur tamen, vt & postea docebimus, credidisse & ibi, & in alijs multis locis Bernardum, posse nos & remissa nobis peccata credere, quando ex testimonio conscientiæ nostræ, misericordia & veritas sibi obuiant in nobis, & se inuicem iustitia & pax osculantur. Hoc est, sicut ipse ibidem exponit, quando vt declinemus à malo, ex præueniente Dei misericordia compungimur, & veritati confessionis [illegible] imus, dicentes cum Dauid: *Peccaui Domino.* & vt faciamus bonum, mortificationem carnis, & pœnitentiæ fructus, ac iustitiæ opera in vnitate & concordia facimus. Quisquis enim ille est, in quo sic sibi obuiant misericordia & veritas, & iustitia & pax osculantur, secure poterit gloriari, vt ibidem addit, modò in Domino, qui sibi testimonium perhibet, vtique in spiritu veritatis.

2 Reg. 12.

CAPVT VII.

De varietate opinionum circa possibilitatem certitudinis gratiæ.

ENIMVERO cum extra controuersiam fuerit apud catholicos, neminem teneri ad certo credendum se esse in gratia, anxie tamen & inter Catholicos & hæreticos, & inter viros doctissimos ex Catholicis & Romæ, & Tridenti, & Ratisponæ, & alijs multis in locis hoc tempore disputatum est, an sine particulari Dei reuelatione possit iustus vel ex scripturis, vel aliunde peruenire in hac vita ad certitudinem aliquã, tametsi ineuidentem, de sua iustificatione. Neque solum de certitudine ex parte obiecti, sed multo magis de certitudine ex parte subiecti certatum est. Nam quamuis certum fuerit, posse aliquos ex temeritate aut libertate sua, certissimo credere se esse iustos, & aliquorum iustificatio secundum se certissima sit, licet ab eis ignoretur: tamen merito quæsitum est, an possit sine reuelatione sic alicui sua iustificatio fieri nota, vt licet ineuidenter, absque vlla tamen temeritate certo & indubitato, & sine vlla hæsitatione possit ipse credere, se esse in Dei gratia, & obtinuisse apud eum remissionẽ suorum peccatorum. Et quoniam certitudo ista, vt ex dictis patet, posset esse vel fidei diuinæ aut Theologicæ, vel fidei humanæ & duntaxat moralis, de vtraque certitudine ambiguum fuit. Et quibusdam quidem visum est, vtranq; certitudinem posse haberi à iustis de sua iustificatione, absque diuina reuelatione: Alijs vero, neutrã. Alij vero media via possent fortassis incedere, ita videlicet, vt certitudinem moralẽ concederent posse haberi à iustis, certitu- 1. Opin. 2. Opin. 3. Opin.

dinem tamen Theologicam nequaquam.

Et prima quidem opinio à quibusdam de omnibus iustis in vniuersum defensata est, ab alijs vero non de omnibus, sed de perfectis vel martyribus, vel de innocentibus, vel de statim baptizatis. Et de omnibus iustis eam defendit multa contentione Martinus Lutherus in libello de fide & operibus, & in impugnatione bullæ Leonis X. contra ipsum, articulo 10 11. & 14. Et secuti sunt Lutherum Protestantes in confessione Augustana, & in suo didagmate folio 43. & particulariter Caluinus in lib. de institutione Christiana, & Bucerus in concordantia de hoc art. & Philippus in apologia confess. August. Et in artic. 5. libelli Ratisponæ oblati imperatori, palá dicunt, oportere vt vere pœnitentes, fide certissima statuant se propter mediatorem Christum Deo placere. Estque idem videre in libello, cui nomen est inditum, Margarita Theologica.

Et hi omnes ideo asserunt sola nos fide iustificari, qua nostram iustificationem apprehendimus, credentes gratis nobis donari remissionem peccatorū propter Christum, neque pendere nostram iustificationem ab vllis nostris præcedentibus operibus, neque nos eam mereri aliquo modo per illa, neque impetrare, quoniam nisi sola prædicta fide iustificaremur, obscuraretur & incertum esset beneficium iustificationis nostræ, & remissionis nostrorum peccatorum. Nec queri profecto hoc loco de eis possumus, quod non consequenter locuti fuerint. Aperte hæc omnia sequebantur ex opinione, quam Lutherus in sermone super verbis Ioannis, *Sic Deus dilexit mundum*, & in libro aduersus Carolstadium, velut certum & indubitatum defendit, solam fidem esse in Euangelio iustitiam: & solam incredulitatem, peccatum. In quo & eum secutus est Philippus, vt patet ex verbis, quæ ex illo citat pius ille & doctissimus vir Ioan. Cochlæus, in discussione Apologiæ Augustanæ, titulo de iustificatione. Si enim certum est, sola nos prædicta fide iustificari, iustificatio ab operibus nostris non pendebit: & cum nobis certum

Ioan. 3.

esse possit, quod credamus, nobis gratis remitti peccata propter Christum, certum erit profecto nobis ex fide beneficium nostræ iustificationis. Secuti sunt etiam, & docuerunt non semel hanc sententiam authores Enchiridij doctrinæ Christianæ, adiuncti Concilio Coloniensi, vbi agunt de iustificatione hominis. Idemque videntur in eodem titulo insinuare authores Antididagmatis Colon. Dicunt enim nos iustificari per fidem, qua absque dubitatione firmiter confidimus, nobis qui veram peccatorum pœnitentiam habemus, peccata nostra propter Christum esse dimissa, & de eo oportere intrinsecus per fidem Spiritus sancti testimonio testificatos nos esse, & iustitia inhærenti, tanquam quodam experimento certificari, nobis remissionem peccatorum esse factam.

Sed possint se illi aliquo colore vtcunque tueri. Certe hanc opinionem tuetur vniuersaliter de omnibus iustis Claudius Belijocensis in commen. Pauli, in 2. consideratione vltimi cap. 2. ad Timoth. Qui dicit, certos nos posse esse de nostra salute, non ex nobis, neque ex natura nostra, aut ex operibus, vel prosperis vitæ successibus, sed per fidem, verbo & promissionibus Dei innixam, qui dicit: Omnis qui audit vocem filij Dei, & credit in eum, habet vitam æternam.

Atque hanc sententiam multi Catholici ante editum decretum de iustificatione, probabilem censebant Tridenti, & compluribus argumentis suadere illam conabantur. Verum longo illi interuallo à Luthero & ipsius sectatoribus, & à Claudio dissidebant. Non enim sicut illi putabant, posse iustos hanc certitudinem adipisci, quia iustificatio solum pendeat à fide, quæ potest etiam absque vllo discursu per seipsam nobis innotescere. Hoc omnes constanter & vno ore semper negarunt, & fidei solius testimonium non satis ad tantam certitudinem sufficere palam professi sunt. Aiebant tamen manifestum nobis esse posse, ea opera à nobis fieri, quæ necessaria sunt ad iustificationem, & ex illis & testimonio conscientiæ nostræ, suffulto & adiuro

iuto testimonio Spiritus sancti, peruenire nos posse ad eam nostræ gratiæ certitudinem, cui non posset subesse falsum. Neque quisquam, per fidem Catholicam posse hoc sciri à nobis, dicebat, capiendo fidem Catholicam pro fide vniuersali, vna apud omnes fideles, eademque habente obiecta certa & probata, & ab omnibus suscipienda. Quis ita deliraret insanus, vt fide Catholica sciri posse diceret, quod, vt multum detur, non nisi vnus aut alter scire potest? Ne si Deus quidem alicui reuelaret suam iustificationem, spectaret ad fidem Catholicam, vt 3. cap. docuimus, assensus illius reuelationis nisi Deus eam reuelationem alijs patefieri vellet, sicut credimus de reuelatione facta beatissimæ virgini & Apostolis.

Nec Lutherani, vt crediderim, sine fide Catholica quenque iustorum scire posse se esse in gratia asseuerant. Aliud est, posse quemuis iustorum hoc de se scire, quod ad fidem Catholicam secundum eos spectat: aliud, hunc vel illum esse in gratia: quod licet fide posset sciri, ad fidem tamen Catholicam, si nihil aliud interueniat, nequaquam potest videri pertinere. Nam quamuis ad fidem Catholicam spectet, facientem quod in se est, assequi gratiam, & constare posset Petro, se facere quod in se est, sicut potest constare sua fides, nemo quidem nostrum diceret, posse illum fide Catholica scire se esse in gratia. Quin vero neq; aliquis Catholicorum, quod quidem scire potuerim, asseruit tanta certitudine ex parte obiecti, posse aliquem iustum citra diuinam reuelationem scire se esse in gratia, quanta est certitudo fidei Catholicæ. Quoniam quæ sunt fidei Catholicæ, omnes asserebant probatæ esse & infallibilis veritatis, & vel ex sacris literis, vel ex Ecclesiæ traditione talia esse constare: Quod autem Petrus vel Ioannes sint in gratia, neque probatæ, neque infallibilis veritatis de se esse fatebantur, & posse quemuis in eis assentiendis decipi. Quia vero propter discursum ex creditis, & testimonium conscientiæ & Spiritus sancti iustos credebant peruenire posse ad hoc, vt fide infusa assentirentur se esse in gratia, ex consequenti & eam de sua iustitia certitudinem possibilem ipsis contendebant, cui non posset subesse falsum.

Secundam vero opinionem communiter defendunt Scholastici authores, vt patebit ex illis, quæ inferius ex eis citabimus. Tertia autem opinio, quæ media est, multis argumentis efficietur à nobis infra probabilis. Vt tamen distinctiora sint omnia, neque alteram certitudinem cum altera confundamus, seorsum de vtraque certitudine, Theologica videlicet, & Morali, agemus: Inprimis tamen, quid circa hæc sancta Synodus statuerit, operæ precium erit videre.

CAPVT VIII.

De Sententia Synodi pro Incertitudine gratiæ.

ÆQVVM erat tantis concertationibus finem tandem authoritate Synodi imponi, neq; amplius sinere aut Catholicos, aut hæreticos tanta in re sub ambiguo fluctuare. Atque ideo in calce huius cap. quod modo exponimus, ad instantiam doctissimorum & grauissimorum virorum, qui incertitudinem gratiæ semper defenderunt, tandem adiecta sunt illa verba: *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Atque his verbis, si priuatis omnibus affectibus sepositis, ea bene & pro meritis expendamus, omnem videbimus quæstionem, aut certe præcipuam, diremptá prorsus esse, quæ hactenus de hoc articulo fuit, siue inter Catholicos & hæreticos, siue etiam inter Catholicos. Quanquam enim hoc magis ex professo egerunt patres in hoc decreto, vt hæreses extirparent, & nouam ab hæreticis disseminatam doctrinam de iustificatione, subruerent: tamen aliqua ita frequentia erant in ore & scriptis hæreticorum, & ita constanter ab eis tradebantur, & hæresibus ipsorum sic affinia erant, & coniuncta, vt quamuis illa à nonnullis Catholicis defenderentur, ad plenam tamen hæresum condemnationem, & ad diri-

men-

mendũ nihil necessarias controuersias Catholicorum, quid in eis tenendum esset, prudentissime sibi statuendum esse indicauerint. Qua ratione & cap. 7. doctrinam de iustitia inhærente, non tantum contra hæreticos, sed etiam contra aliquos Catholicos, vt certam & indubitatam, tradiderũt: & in canone 3. necessariam Spiritus sancti gratiam ad credendum, sperandum, diligendum, & pœnitendũ sicut oportet, contra multos celebres Doctores statuerunt.

Et parce nimium & anguste, immo plane impie, de Augustissima Synodi Generalis potestate, ad definiendum omnia ambigua in fide sentiret, qui dubitaret, an ipsa potuerit definire hanc quæstionem, præsertim cum de illa multum & multorum dierum spatio & per se, & per alios viros doctissimos tractauerit & disquisiuerit.

Sed ipsa verba patrum expendamus: Non affirmat sancta Synodus, neminem suam gratiam sciuisse, neq; asseuerat, à nemine sciri posse tantum arcanum. Nouerat & Deum illud beatissimæ virgini, Ioanni Baptistæ, Apostolis, Zachæo, Magdalenæ, paralytico, & latroni reuelasse, & posse cuiuis, cum ei placuerit, idem ipsum notum facere. Sed dicit, nullum hoc scire valere: quia nullus videlicet proprijs viribus, aut studio, immo neque auxilijs & fauoribus regularibus tantum beneficium valet consequi. Et merito ea possumus asserere, nos scire non posse, quæ non possumus nosse, nisi altero reuelante, cuius reuelatio nostræ potestati non subest.

Non negat etiam, coniecturis humanis posse aliquem assequi se gratiam Dei assecutum, *Cum nullus*, inquit, *scire valeat*. Quæ solis con ecturis nouimus, scire quidem à nemine dicimur. Neq; negat certitudinem moralem, quæ nonnunquam & ipsa vocatur scientia, sed negat sciri hoc posse per fidem. Quin vero neque negat sciri hoc posse per fidem, sed tantũ negat sciri hoc posse certitudine fidei. Noluit definire, an aliquando iusti citra reuelationem per fidem assentiantur se esse in gratia, contentaque fuit asserere, non posse hoc eos scire certitudine fidei. Et ne certitudo fidei humanæ excludi videretur, adiecit, *cui non potest subesse falsum*. Quã quidem nota maxime distinguimus fidem diuinam ab humana, cap. 2. docuimus. Et prudentissime Spiritu sancto inspirante, vsa est his verbis *cui non potest subesse falsum*: neq; pro his subiecit alia, in quæ aliqui propensiores erant, quibus duntaxat negaretur possibilis certitudo fidei Catholicæ, aut Theologicæ, aut infusæ, aut diuinæ. Ista sola verba, *cui non potest subesse falsum*, decebant tantam Synodum. Hæc omnem dirimunt quæstionem, omnia ambigua explicant, & ab inani hæreticorum fiducia, quod propositum erat totius cap. commodissime deterrent. Quippe, cum docent, neminem posse sic certo nosse & scire se esse in gratia, vt non possit in eo assensu decipi, aperte omnes admonent, ne tanta vnquam firmitate credant se iustos, quanta credunt alijs Catholicæ fidei credibilibus probatæ & infallibilis veritatis. Quid enim magis inconsideratum, ne dicam, præceps & temerarium esse potest, quam maiori certitudine aliquibus adhærere, quam tibi ea possint constare, & pro certis habere & recipere, quæ an certa sint, prorsus ignores? Quod si dixissent Patres, nemiñẽ scire posse certitudine fidei Theologicæ, aut infusæ, aut diuinæ, se gratiam Dei esse consecutum, stabiliissent, quod nolebant, neminem per fidem infusam assentiri suæ iustificationi, nisi de ea habuerit reuelationem, nec explosissent certitudinem ex parte obiecti, quæ hac de re haberi à nobis non potest & à qua potissimum vana hæreticorum certitudo & fiducia confutanda erat. Tantumque certitudinem ex parte subiecti, quæ esset per fidem infusam, exclusissent, & ambigua neq; satis dilucida fuisset hæc definitio. Dubitari etenim adhuc posset, quæ, qualis, & quãta certitudo istis verbis negaretur. Et multo minus conueniebat pro illis verbis, *Cui non potest subesse falsum*, subijcere verbum, Catholicæ, ita scilicet, vt tantum negaretur, neminem scire posse certitudine fidei catholicę, se esse gratiam Dei assecutum. Nam si hoc factum fuisset, videri potuissent duntaxat definisse, non spectare ad fidem Catholicam,

cam, quod quisquam credat se esse in gratia. Quo quid potest dici alienum magis à grauitate sanctæ Synodi? Quis enim vnquam hoc negauit, aut in controuersiam ponendum censuit?

Equidem, vt iam proximo capite admonui, nulla de hoc fuit vnquam controuersia, neq; esse potuit inter eos, qui fidei Catholicæ significatum intelligerent. Quare mihi quidem placere nō potest, quod quidam, pius alioqui & doctissimus vir, insinuare videtur, pro eodem accepisse Patres fidem, cui non potest subesse falsum, & fidem Catholicam. Manifestum est, hæc inter se distingui. Neque illa vnquam inter se cōfudisset, aut pro eisdem habuisset sancta Synodus, quę optimis & iustissimis pōderibus & momentis omnia librabat. Si Deus peculiari reuelatione Petrum faceret certum suæ gratiæ, absq; euidentia tamen, assentiretur vtique ille se esse in gratia, fide cui non potest subesse falsum, non tamen fide Catholica, vt idem sæpe fatetur.

Sed illud verum est, quod quidem demiror eum negare, parem tum fore Petri certitudinem fidei de gratia sibi communicata, cum certitudine fidei Catholicæ. Perspicuum quippe est, tanta certitudine posse nos & debere assentiri nostræ iustificationi, si Deus eam nobis reuelaret, quanta assentimur alijs fidei Catholicæ credibilibus. Quēadmodum & qui baptizasset puerum, certitudinem fidei de gratia pueri haberet, similem & æqualem certitudini de alijs fidei Catholicæ credibilibus. Habent enim ista æqualem vel potius eandem suæ certitudinis causam, videlicet reuelationē diuinam. Vnde & ipsemet ex sententia Caietani in illa verba Apostoli, *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus*, per Spiritus sancti infusionem, fatetur, Apostolos habuisse tantam suæ gratię certitudinē, quantam alij fidei Catholicæ, immo maiorem. Et eandem omnino habuissent, quamuis non spectasset ad fidem Catholicam credere iustificationem eorum. Quare & qui tuebantur, posse aliquos iustos assequi fidei certitudinem de sua gratia, non diffitebantur, vt ille diffitetur, tantam certitudinem de hoc ab eis haberi posse, quanta habetur de fide Catholica. Et consequenter loquendo, non solum oportet concedere, tam certam eis esse posse suam gratiam ex parte subiecti, sed etiam ex parte obiecti. Licet enim contingentia sint & fallibilia, Petrum vel Ioannem habere gratiam: attamen, vt subsunt reuelationi diuinæ, vel ex iam reuelatis certo inferuntur, in eis assentiendis nemo potest decipi, ac proinde & ex æquo certa esse queunt. Generatim namque verum est, quæ à Deo reuelata sunt, vt subsunt reuelationi diuinæ, falsa esse non posse, quamuis secundum se sint fallibilia, & possibile sit ea aliter se habere. Quo fit, non solum non posse decipi in sua gratia credenda, qui haberent de ea Dei reuelationem sibi certam & indubitatam, sed & eos in eo assensu subiacere errori non valere, qui ei assentirentur propter testimonium Spiritus sancti, aut propter concursum fidei Theologicæ, sibi non satis certo notum, sed duntaxat præsumptum. Nequit enim falsum esse, quod spiritus, licet obscure, nobis testificatur: & fidem, quæ ipsius instrumentum est, ad falsum concurrere, est impossibile. Dicet aliquis fortassis, his verbis, quæ nunc exponimus, tantummodo esse definitum à Synodo, hunc vel illum esse in gratia, & ex parte obiecti fallibilia esse, & subesse posse in eorum assensu falsum, ac propterea neminem debere ita esse præcipitem, vt tanta certitudine eis assentiatur, quanta alijs Catholicæ fidei credibilibus, quæ probatæ sunt & infallibilis veritatis. Ego vero huiusmodi interpretamentum minime tolerandum, quin vero ingenue dicam, quod sentio, à cunctis reijciendum, & constantissime pernegandum arbitror. Nam & à grauitate & à proposito Synodi valde est alienum, sic verba Synodi interpretari: immo, vt cum stomacho loquar, vim apertam ipsis facere. Quis enim vnquā vel semidialecticus dubitauit esse contingentia, & possibilia aliter se habere, Petrum aut Ioannem esse in gratia? Quæ fuit aut esse potuit ambiguitas de hoc, vt non cęnseatur sua verba Synodus frustra prodegisse, si nihil amplius voluit statuere?

1. Corinth. 2.

Enimuero qui de istis acute & theologice disputabant, non de horum singularium, secundum ipsa, certitudine digladiabantur, sed de eorum certitudine, quatenus ex creditis poterant nobis innotescere. Neq; assecuta quidem fuit Synodus, quod volebat contra inanem hæreticorum fiduciam, si hoc tantum definiuit. Siquidem nullus hæreticorum credidit, non posse istis subesse falsum, si quidem secundum se considerentur, sed satis esse dicunt, vt certo & firmiter eis assentiantur, in eis assentiendis decipi non posse, quatenus per fidem illa nobis innotescunt. Et inepte nimium deterreret quispiam, Petrum habentem reuelationem de sua iustificatione, à certo illius assensu ex hoc, quod ista potest esse falsa, Petrus est in gratia. Diceret enim ille: Esto, possit illa secundum se falsa esse, non tamen potest esse falsa, vt mihi reuelata est, & ego quidem non ei certo assentior propter certudinem, quam in hoc obiecto secundum se video, sed propter certitudinem, quam in illo esse agnosco ex diuina reuelatione.

Ad eundemq; modum omnes Catholici responderemus, si quidem aliquis nos incusaret, quod certo & indubitato assentiamur multis futuris contingentibus, nobis à Deo reuelatis, cum non dubitemus posse illa aliter se habere Neque refert, illa probata iam esse ab Ecclesia, & vt talia, recepta Satis enim esset, si aliqua nobis sint reuelata, vel ex reuelatis certo inferri agnoscantur, vt quo ad nos, infallibilem censeantur habere veritatem, & nos certum eis & indubitatum assensum adhibere possimus, & debeamus. Atque vt nemo sic exponat verba nostri decreti, illud precor omnes serio secum perpendant, distincta vehementer inter se esse, Nullum scire posse certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se esse gratiam Dei consecutum: &; De nullo sic esse certum, quod gratiam Dei sit consecutus, vt non possit id esse falsum. Qui dicit, Nullum hoc tanta certitudine scire posse, negat possibilem tantam certitudinem ex parte subiecti: qui autem dicit, de nullo id posse ita esse certum, negat possibilem tantam certitudinem ex parte obiecti. Certitudo autem ex parte subiecti, & ex parte obiecti, distinctæ sunt. Et in affirmatiuis oppositis hoc potest aliquanto clarius fieri. Aliud quippe est, posse Petrum non esse in gratia: & aliud, scire posse illum non esse in gratia. Et ex parte obiecti fieri posset, sic certum Petrum esse in gratia, quin esset certum ex parte subiecti, nempe Spiritus sanctus hoc nobis testaretur, & tamen non indicaret se id testari.

Quare cum Synodus distincta hæc esse pernosset, & clare intelligeret, potissimam esse controuersiam de certitudine quo ad nos, & inde maxime confutari posse temeritatem, & præcipitationem hæreticorum, qui certo assentiuntur eis, quæ an certa sint, scire nequeunt, neglexit statuere impossibilitatem tantæ certitudinis ex parte obiecti secundum se, & contenta fuit stabilire impossibilitatem ipsius ex parte subiecti, & quo ad nos. Atque hoc postulant illa verba, *Cum nullus scire valeat &c.* Quid est enim dictu, Nullum posse scire certitudine, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei assecutum, quam, Nemini posse hoc sic esse certum?

Neq; minus quidem, sed aliquanto plus negauit sancta Synodus, dum negauit posse nos assequi certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum: quam si duntaxat negasset, posse nos consequi certitudinem fidei Catholicæ. Siquidem quanto fides Catholica certior est scientia, tanto certitudine fidei Catholicæ minus certa esset nostra iustificatio, vt postea videbimus, si eam ex creditis per fidem Catholicam, & euidenter cognitis manifesto colligere possemus: & tamen neque tali certitudini subesse falsum posset.

Itaque dum Patres negarunt, nos posse assequi de gratia certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum, perspicue asseruerunt neminem posse adipisci ex creditis, etiam cum aliis euidentibus certitudinem de sua gratia, & manifeste docuerunt, nullam esse viam, qua possimus ea de re tantam consequi certitudinem, vt omnem peni-

penitus formidinem excludat. Qui enim sciret se esse in gratia per fidem, cui non potest subesse falsum, nullam causam haberet formidandi de sua iustificatione. Nam formido omnis assensuum nostrorū inde procedit, quod vel scimus, vel credimus posse subesse falsum, & ex consequenti in eis decipi, quibus assentimur.

Quanquam autem hæc omnia ex ipsis citatis verbis facile colligi possunt, si iusta & qua par est animaduersione, tantæ Synodi verba expendamus, tamen & ipsa aliquanto dilucidiora possumus facere ex antecedentibus & consequentibus verbis Patrum. Si posset quispiam assequi tantam fidei certitudinem de sua gratia, vt ei subesse falsum nequeat, cur in principio huius cap. fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum, quam iactant hæretici nostræ tempestatis, vanam & ab omni pietate remotam, & contra ecclesiam Catholicam magna contentione prædicari Patres asseruissent? Equidem ista non dixit sancta Synodus propter causam, ex qua illi vane hanc iactant certitudinem, sed absolute & simpliciter ipsam certitudinem & fiduciam dignam talibus elogijs censuit. Nam ea non perfici absolutionem & iustificationem, paulo post statuit. Verum illud vrgentius, quod statim adiunxit, neminem teneri ad credendum certo suam iustificationem, immo quemlibet posse, dum seipsum, suamq́ue propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia timere ac formidare. Qui per fidem sciret se esse in gratia, aut ex creditis & cognitis euidenter hoc colligi videret, teneretur vtique & hoc de se credere, & certe citra infidelitatis crimen formidare de sua gratia non posset. Et qua, rogo, consequentia probaretur, posse quemlibet de sua gratia formidare ex hoc, quod nullus scire valeat certitudine fidei se gratiam esse consecutum, si sensus horum verborum non est is, quem iam expressimus? Equidem neque impossibilitas certitudinis fidei Catholicæ, vel infusæ, vel Theologicæ, aut diuinæ, inferre satis apparenter & dilucide potest, quemlibet posse de sua gratia formidare. Hoc autem & perspicue & efficaciter & per propriam causam, & à priori colligitur ex eo, quod nemo tantum beneficium scire potest via, qua non possit decipi. Vt igitur & efficax sit, & dignum tanta Synodo hoc argumentum, sic accipienda sunt hæc verba, ac si apertius dictum fuisset: Cum nullus scire possit, via qua non possit decipi, se esse gratiam Dei consecutum. Et confirmarunt Patres hanc sententiam, atque ipsa velut re in primis necessaria, totam doctrinam de iustificatione concluserunt in hæc verba: *Et quia in multis offendimus omnes, vnusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita seueritatem & iudicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare: Quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda & iudicanda est, sed Dei, qui illam nabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui, vt scriptum est, reddet vnicuique secundum opera eius.* 1. Cor. 4. Rom. 2.

Quid exigi potest his manifestius, vt constet, diffinitam à sancta Synodo fidei incertitudinem de gratia? An non hic admonentur omnes, ne se iudicent iustos, etiam si sibi nihil conscij sunt? An non iubentur hoc iudicium Deo remittere? Si vero per fidem id posset nobis hoc tempore, citra ipsius reuelationem, constare: possemus vtique absque peccato præuenire iudicium diuinum, & nos hic confidenter iustos iudicare. Et quod Deum aiunt suo iudicio illuminaturum abscondita tenebrarum, & manifestaturum consilia cordium, & tunc laudem fore vnicuiq; à Deo: palam indicant, iustificationem absconditam nobis esse hoc in mundo, neque consilia cordium nostrorum satis nobis ipsis esse posse manifesta, eoque nomine neminem se hic omnino tuto posse aut debere commendare de iustitia, sed eam laudem expectandam esse à iudicio diuino.

Itaq; ex his patet, nullum esse locum relictum concertationibus, quæ hactenus fuerunt de præcipuo puncto huius articuli, & posthac omnes vnanimiter Catholicos oportere fateri, neminem seclusa reue-

latione posse sic scire per fidem se esse in gratia, ac scit per fidem alia, quæ vel à Deo reuelata sunt, vel ex reuelatis cum alijs euidentibus consequuntur: ac proinde neminem debere tanta animi firmitate suæ iustificationi, atque ipsis, assentiri: quia non solum subesse falsum potest in assensu nostræ iustificationis secundum se, propter contingentiam & fallibilitatem, vt sic dixerim, huius complexi, Ego sum in gratia: sed neque peruenire possumus, vt hic diffinitum est à Patribus, ad sciendum illud sub aliqua ratione, sub qua non possit esse falsum. Quomodo illud quidem sciremus, si Deus nobis nostram iustificationem reuelaret. Nam tunc sic esset verum, nos esse in gratia: vt, quatenus est reuelatum, falsum esse nullatenus possit. Vt vero constet, iustissime ita sanctam Synodum censuisse, & sine causa scandalizari, qui feruntur de hac diffinitione pati scandalum, neque debere amplius aliquas de hac re controuersias tolerari: adnitar, & pro virili nostra contendam, definita à Patribus, firmissimis argumentis communire, & ad fortia argumenta, quæ in contrarium stant, clare & dilucide respondere.

CAPVT IX.

De testimonio Iob pro incertitudine gratiæ.

VT agnoscamus obstructas nobis esse & præclusas omnes vias, quibus in fidei, cui non possit subesse falsum, certitudinem de gratia venire possimus, neque temere iustis eam esse negatam: primo, testimonijs scripturæ pro definitione Synodi, pugnabo: secundo, mirifico consensu Doctorum Ecclesiasticorum & antiquorum & recentium: tertiò, prævalidis quibusdam theologicis argumentis ex notis lumine naturali, & expertis vel concessis à fidelibus: & 4. adiungam definitionem sedis Apostolicæ, iam olim super hac quæstione pronunciatam.

Et primo quidem pro veritate ista stat sanctissimus ille patriarcha Iob, summopere & ab scriptura, & à Deo ipso commendatus: *Si iustificare*, inquit, *me voluero, os meum condemnabit me*: Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Quid apertius ille potuit dicere, vt ignotam sibi ostenderet suam simplicitatem, suam innocentiam, suam iustitiam? Quid, quod non solum ignota hæc sibi esse indicat, sed vt timeant, qui suam iustitiam iactant, vel hoc ipsum satis arbitratur, vt prauus & damnandus censeatur, si iustum se aut innocentem voluerit ostendere? *Iob. 9.*

Atque ita hæc explicuit beatus Gregor. qui tantundem ista putat, ac si apertius Iob dixisset: *Quid de alijs loquar, qui ipse pro me testimonium ferre non valeo?* Et vt dilucidum faceret, voluisse Iob hanc omnibus de seipsis existimationē persuadere, subiunxit: *Quia igitur ab inquisitione nostra torpentes, nos omnino nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerunque inter vitia virtutesque caligamus, recte nunc dicitur: Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Ac si aperte diceretur: Conditoris contra me iudicia, qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro?* Hæc Gregorius. *Greg. 9. Mo. 17. & 19*

Et in eundem sensum exposuit etiam hæc verba Innoc. 2. c. vltimo de Purga. cano. Sed & ipse Iob, vt ista apertiora faceret, præmisit de Deo: *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* Cum enim Deus vbique sit, & cœlum & terram impleat, neque abesse ab aliquo loco possit, de aduentu nimirum Dei in se per gratiam & internam consolationem, & de recessu per horum subtractionem, secundum quē & venire poterat ad ipsum, & recedere ab eo, loquebatur propheta his in verbis, & in eis incertum sibi esse indicabat aduentum ad se Dei, vel recessum à se per gratiam. Et quod ait, recessum à se Dei non intelligere, non ea ratione dicit, quod per fidem scire nequeamus Deum à nobis recedere, vel certe in nobis non esse, cum scientes & de industria eum grauiter offendimus, sed ideo, quod sæpe nobis nescientibus procul Deus à nobis recedat pro pter culpas, quas ignoranter admittimus.

Itaque tametsi confirmatissimo erat animo sanctus hic Propheta, ne vnquam sciens Dei mandata præteriret, quia tamen sciebat posse se per ignorantiam aliquid committere, cuius causa iustissime posset à Deo deseri, etiam cum maxime verisimile esset, eum in se manere: *Si recesserit*, ait, *non intelligam.*

Vnde Gregorius reddens horum causam, dicit: *Sæpè mens, dum de virtutis sua securitate resoluitur, insidiante aduersario, inopinata culpæ telo perforatur.* Neque vacant suo pondere, quæ statim sequuntur: *Si repentè interroget, quis respondebit ei?* Nam hæc clare indicant, neminem esse, qui si repente vocaretur à Deo in iudicium, posset ei dignum aliquid, quo se tueretur, respondere. Quamobrem cum is, qui haberet certitudinem fidei de sua iustitia, posset vtcunque respondere Deo, & allegare ei suam iustitiam, & bona opera, quæ ex illa fecit, atque illa, vel saltem meritis Christi sibi misericorditer iam applicatis, se tueri & defendere: relinquitur ex hoc, neminem posse tantam certitudinem habere de sua iustitia. Et vehementer idem confirmant, quæ mox eximius hic Patriarcha subiecit: *Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Et cum inuocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam.* Quid aliud his verbis significat, quam se nequaquam satis certò & indubitanter de se credidisse, quod inuenerit apud Deum misericordiam deprecationibus suis, etiam cum maxime verisimile visum fuit, exauditum se ab ipso, & illius gratiam & misericordiam assecutum? Vnde & suam hanc sanctam & doctam ignorantiam magis explicare contendens, continuo adijcit: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Cur veritus esset sua opera, si certus fuisset de sua gratia? Ille sane, qui est in Dei gratia, & hoc certo scit, cum opera manifeste consona legi Dei facit, scire potest, se habere aliqua bona opera & grata Deo, & de quibus nulla ratione sit formidandum. Sed quia formidandum est omnibus diuinum iudicium, quantumcunque nullius sibi delicti sint conscij, neque in hac vita eò possumus secundum communem legem proficere, vt non merito possimus & debeamus de iustitia & sanctitate nostrorum operum hæsitare, e vestigio subdidit: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint, velut mundissimæ, manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo, neque qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. Quod si sanctissimus hic Propheta veretur, omnia opera sua, & ignotum ad se aduentum Domini per gratiam, ignotamque sibi suam iustitiam asserit, neque sibi putabat licere se asserere iustum, neque se audebat credere exauditum à Deo, etiam cum exaudiebatur: & neminem posse Deo respondere, si repente interroget: aperte asseuerat, magna profectò cæcitas, ne dicam, insania est, velle persuadere hominibus iustis, vt se etiam supra omnem certitudinem certo credant iustos esse & exauditos à Deo: & magna omninò superbia, quod de se quispiam per fidem certo credat, quæ tantus hic & tam sanctus Propheta de se sibi minime audebat suadere.

Respondent quidam, Iob tantum contendisse his verbis suam iustitiam non esse vere iustitiam, si ad iustitiam diuinam comparetur, & munditiam omnem suam sordidam esse, immò sordes, si munditiæ diuinæ conferatur. Quæ vero potest delusio esse Scripturæ, si hæc non est? Quid facit vt ignotam sibi suam Iob dicat simplicitatem, quod iustitia sua collata ad diuinam iustitiam, iustitia non sit? Quid vt non intelligat aduentum in se Dei? Quid vt non credat se exauditum? Denique, quid vt vereatur omnia opera sua? Certe Deus à nobis non exigit iustitiam, quæ ad suam comparata, etiam nomen iustitiæ retineat. Respon. 1. Impugnatio.

Et in ipso suæ responsionis principio aperte ille asseuerat, suam iustitiam neque cum illa, neq; cum diuinis beneficijs compositam posse subsistere. *Verè*, inquit, *scio, quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Sed cum iam se hoc modo depres-

pressisset, adiecit & se etiam ex eo humiliare, quod nihil in se sciret, quo se posset iustum comprobare. Itaque adulationem, qua ei de sua iustitia vel assentabantur, vel certè assentari poterant sui ementiti amici, viriliter & magnanimiter his duobus modis à se repulit, & quod ignota esset sibi sua iustitia, & quod illa quantacunque esset, longè inferior ea esset, quam & Dei sanctitas & diuina in se beneficia postulabant.

Respon. 2. Alij aiunt, Iob citatis in verbis tantum docuisse, neque se, neque alium quempiam, innocentem posse se asseuerare & immunem ab omni peccato.

Impugnatio. Sed peccata venialia, neque iustitiam tollunt à iustis, neque simplicitatem. Et qui se iustum per fidem crederet, sciret se simplicem, & Deum ad se venisse, & ab eo se exauditum, neque veretur omnia opera sua, & respondere Deo vtcunque posset, etiamsi multis leuibus peccatis obnoxium se agnosceret. Quare cum Iob omnia illa à se longe fuisse, clare affirmauerit, palam indicauit, non hoc tantum sibi ignotum dicere, quod immunis esset ab omni peccato.

Respon. 3. Tandem & alius dicit hunc esse proprium & egregium huius loci sensum, quod quamuis sciret se esse iustum, nolebat tamen suam iustitiam vt temerarius iactare, & quasi suam objicere illam in Deum ipsius authorem.

Impugnatio. Si sic tamen liceat Scripturas exponere, quid poterit ex eis esse certum? Iob dicit se ignoraturum suam simplicitatem, etiamsi simplex fuerit, neque aduentum ad se Dei nosse, neque credere se exauditum, etiam cum exauditus fuerit à Deo. Et tu dicis, Iob hæc quidem de se nouisse, sed ex humilitate noluisse Deo suæ iustitiæ authori illam objicere?

Respon. Aliud est, aliquod Dei in nos donum scire: aliud, illud esse à nobis existimare. Et Iob vtrumque alienum esse à se affirmauit. Deinde: Iniquum est quod Iob absolutè à se remouet, nos coarctate tantum & limitatè ab eo tollere. Ille dicit, se hæc in se non agnouisse: tu dicis sensum esse, non agnouisse hæc à se habere? Ille ait, neq; iustum, neque innocentem se posse pronunciare: tu inquis, sic esse hoc intelligendum, quod non poterat pronunciare hæc à se habere?

Et cur, precor, vt prauus esset, & merito condemnandus, satis erat hæc de se affirmare, si certus de ipsis erat per fidem? An non poterat citra iactantiam hæc de se affirmare? Quomodo etiam ista tanta scientia potest stare cum tanta formidine, quanta illa verba explicant, Verebar omnia opera mea, &c. Equidem qui vereri se affirmabat omnia opera sua, non tantum insinuabat, se non credere se habere bona opera à se, sed & palam asserebat se nescire, an opera sua placerent Deo. Vnde & Gregorius in hæc verba: *Sunt nonnulla, quæ sciri à nobis facilè nequeunt. Nam sæpe recto studio contra delinquentium culpas accendimur, & cum vltra æquitatis metas per iram rapiamur, hoc zelum iustæ districtionis æstimamus. Et cum prædicantis mens vtiliter placere studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit. Atque ita horrendo modo, vnum idemque quis culpa peragit, quod virtus inchoauit.* Greg. 9. Moral. 10 Et cum multa in eandem sententiam eleganter adiungat, tandem subdit: *Humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat.* Sed transeamus ad alia testimonia.

CAPVT X.

De testimonijs Dauidis & Salomonis pro incertitudine gratiæ.

CONCINIT & huic præcellenti Prophetæ Regius Psaltes, dicens: *Delicta quis intelligit?* Argum. 2. Psal. 18 *Si videntur tenebræ*, ait Augustinus super hæc verba, *intelliguntur delicta.* Et cap. 9. de contritione cordis, incomprehensibilia nobis dicit esse, & infinitam quandam abyssum. Vnde & Dauid persuasus, sua se non posse intelligere delicta, & agnoscens nobis, vt hominibus quędam, etiam nescientibus subrepere, & quibusdam vt homines nonnunquam præoccupari, ac palam professus se non habere certitudinem fidei de sua iustitia, continuo addidit: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Psal. 18 Si autem intelligere non possumus nostra delicta, & cum maxime nos immunes putamus, tum nescientes sæpe delinquimus: quomodo, rogo, poterimus certo scire, nos mundatos & iu-

& iustificatos ab omnibus nostris delictis? Annon est sufficiens impedimentum nostræ iustificationis, delictum per ignorantiam commissum? Hisque accedit, quod mandata Domini, sine quorum transgressione nemo delinquit, multo clariora sunt & certiora, quam nobis sint, quæ necessaria sunt ad consequendam remissionem peccatorum. Itaque si non impediente claritate & luce mandatorum diuinorum, sæpe per ignorantiam peccamus, atque ob id nemo potest sua satis intelligere delicta, multo minus intelligere quispiam poterit, se fecisse omnia necessaria ad habendam remissionem peccatorum.

Respon. 1. Respondet quidam, Augustinum & Hieron. hæc verba retulisse ad eos, qui delictis & criminibus obuoluuntur, & cum sint in tenebris, sua nequeunt intelligere delicta.

Impugnatio. Sed qui dixit, *Delicta quis intelligit*, non ad solos peccatores referebat sua verba, sed vel rarum, vel nullum ex omnibus, ea satis posse intelligere indicabat. Vnde Hilar. in illa verba, Quoniam quis audiuit? *Vbi dicitur, quis? rarus significatur, aut nullus. Nullus, secundum illud, Quis similis tui in dijs Domine? Rarus, in eo quod dicitur, Quis dabit ex Sion salutare Israel? Et cum adiunxit Dauid, Ab occultis meis munda me Domine: palam faciebat, ad se etiam putasse pertinere, quod dixerat, Delicta quis intelligit? Neque tamen verisimile est, & tum, cum ista cecinit, obuolutum eum fuisse criminibus & in tenebris peccatorum.* Et in communibus commentarijs Augustinus & Hier. sic ad peccatores ista referunt, vt tamen si omnia spectentur, etiam iustis postea aptentur, & generaliter pronuncietur, neminem plene scire posse delicta, nisi Deum, qui scrutator est cordium, & ea potest dimittere. Et in hunc sensum exponunt ea Hieron. in 1. & 2. Dial. contra Pelag & Bernard. epist. 42 & Anselm. & Alex. Halens. in expositione illorum Pauli verborum, *Nihil mihi conscius sum, &c.* Atque hanc explicationem sequuntur passim Theolog. Scholastici.

Hilar. in Psal. 58

Regula pro interrogationibus Scripturæ.

1. Cor. 4.

Respon. 2. Dicunt tamen alij, & quidem verisimilius, hæc Dauidis verba de venialibus intelligi, atque ita interpretatum ea fuisse Bernardum in Can. & propterea eruditos non delicta, sed errores aut ignorantias, iuxta Hebraicam veritatem, hic transtulisse.

Impugnatio. Cum mortalia tamen verius sint & magis propriè delicta, ac magis nos coinquinent quam venialia, cur hæc ad sola venialia coarctentur? Deinde sancti viri propter vtraque peccata iugiter vtuntur hac oratione: *Ab occultis meis munda me Domine.* Ergo antecedentia etiam ad vtraque delicta referenda sunt. Neque Bernardus sic ad venialia refert, vt ad mortalia referri nō posse crediderit. Et qui errores aut ignorātias pro delictis verterunt, non idcirco ad sola venialia hæc spectare docuerunt. Sunt enim & ignorantiæ aliquæ lethales, vt sexcentis Scripturæ locis Hier. docet in fine 1. Dialog. in Pelagianos.

Argum. 3. Explicuit & hanc veritatem, & parentis sui doctrinam confirmauit sapientissimus Salomon illis verbis: *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?*

Prou. 20. Nam huiusmodi interrogationes, & in sacris literis, & apud doctissimos quosque authores vim habent frequenter vniuersalium negationum. Vnde & Hieronymus in Ioelis verba, *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus? Quod, ait, quis? aut impossibile, aut difficile sentiendum est. Perinde itaq; est dictu, Quis potest dicere, mundum est cor meum: ac si apertius diceretur, Nemo vere potest dicere.*

Hieron. in Ioel. 2.

Vnde Glossa hîc dicit, nullum hoc posse dicere, nisi ex speciali gratia Dei. Referunt quidam ista verba ad venialia, & ideò putant Salomonem ea dixisse, quia nemo potest dicere se esse sine veniali, iuxta illud Ioann. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Sed certè qui est in gratia, mundum habet cor, & qui certo sciret, se esse in gratia, certo posset scire aliquoties se esse sine peccato. Etenim venialia, multa habent remedia, de quorum applicatione nobis potest certo constare.

1. Ioan. 1.

Argum. 4. Sed si hoc non sufficiat testimonium, certè omnibus sufficere deberet, quod in Ecclesiaste idem Salomon scribit: *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio.*

Eccles. 9.

Expendamus bene omnia, neque dubitabi-

tabimus eis aduersari, qui dicunt, aliquos iustos vel sapientes posse ex lege communi scire se esse in gratia Dei. Primo: Qui scirent se esse in gratia Dei, scirent vtique se esse ex misericordia Dei dignos ipsius amore. Qui ergo dixit neminem scire posse, an amore Dei sit dignus: clare professus est, neminem scire an sit in Dei gratia. Item: Si scire possumus nos esse Deo gratos, non omnia igitur in futurum seruantur incerta.

Obiectio. Verum hoc tam clarum & tam vrgens testimonium, varijs vijs obscurare & eneruare multi contendunt. Et Protestantes, ac nominatim Bucerus, grauiter accusant nos, & insimulant, quod, vt pacis componendæ inimici, detorqueamus Salomonis verba, & in alienum sensum rapiamus, docentes homines, etiam cùm actu perpetrant maxima flagitia, nescire, an in odio sint Dei. Putantque ipsi genuinum Salomonis sensum fuisse neminem, ex illis, quæ extrinsecus apparent, certum posse habere argumentum internæ [illegible] charitatis & iustitiæ. Et quidam ex n[illegible] hanc expositionem ipsorum sequuntur, & Hieronym[illegible] putant [illegible]. Adeoque fo[illegible] existimant argumentum eorum de peccatoribus, cognoscentibus per fidem se esse in Dei odio, vt propter illud necesse putent vel istam expositionem acceptare, vel certe hæc verba ad diuinam prædestinationem & reprobationem referre.

Duplex aliorum expositio.

Respons. Sed qui hæc nobis obijciunt, parum aduertunt, quæ Salomon præmisit illis verbis, *Nescit homo, &c.* Ideo inspirante Spiritu sancto præmisit illa verba, *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei*: vt de iustis duntaxat intelligerentur, quæ sequuntur, neque ad peccatores transferrētur, qui per fidem possunt scire se esse in odio diuino. Hoc enim est, quod maxime Salomonem in admirationem & stuporem adducebat, quod neque iusti neque sapientes, tametsi Deo cari sint, & omnia alia probe dijudicare nouerint, possint in hac militia de se scire, Deo ne sint cari, an exosi. Et cum Salomon absolute pronunciet, neminem eorum hoc scire posse, perperam profecto faciunt, qui ad suum sensum repugnantem literam coarctantes, affirmare audent, tantum voluisse Salomonem docere, neminem hoc scire posse ex extrinsecis signis vel argumentis.

Neque assequuntur profecto, vt pace eorum dixerim, mentem Salomonis. Non ille in hoc adiecit illa verba, *Eo quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio*, vt limitaret, quæ prædixerat, sed vt confirmaret, quam asseuerat iustorum de sua gratia vel odio incertitudinem, & ipsius aliquam explicaret causam. Et argumentum Salomonis tale est: Si constare posset qui essent Deo cari, maxime constaret ex eo, quod prospera eis cuncta succederent. Et si scire possemus, qui essent extra gratiam Dei, maxime hoc colligere possemus ex aduersitatibus & infortunijs, quæ patiuntur. Nam quos amamus, solemus beneficijs prosequi, & contra mala inferre eis, quos odimus. Verum ex hac parte nemo potest non solum certo, sed neque probabiliter colligere odium aut amorem diuinum. Vniuersa enim æque eueniunt iusto & impio. Nulla igitur ex parte scire possunt iusti, an sint in odio, an in amore diuino.

Quod si alicunde hoc sciri potest, non solum non fuisset efficax, sed quidem nec apparens hic discursus. Quare & hac ratione, vt argumentum Salomonis maneat in suo vigore, obstructas deberemus nobis dicere omnes vias, quibus tanti arcani certam omnino possimus adipisci notitiam. Et cum Doctores aliqui pij, vt Bernardus, Hugo Cardinal. Ioann. Gerson in de mystica Theologia, & Dionysius Carthusiensis ad prædestinationem & reprobationem hæc verba Salomonis referunt, non sic existimandi sunt eò ipsa retulisse, quasi non etiam hinc constare crediderint, nemini posse hîc suam gratiam secundum præsentem iustitiam notam esse. Vtrunque enim verum est hinc conuinci.

Nec ea ratione potest quis euadere, quod vbi duo sunt sensus Scripturæ, licet vtrumuis sectari, neque necesse est alterum acceptare. Non duo sunt huius loci sensus, sed vnicus, isque apertissimus.

Et eo

Et eo duo negantur, & simpliciter asseritur, neminem iustorum posse communi lege scire an ametur à Deo, neque secundum præsentem iustitiam, neque secundum æternam prædestinationem. Nam vtrumq; exclusit, qui dixit omnia in futurum seruari incerta, & hominem nescire an amore sit dignus. Siquidem vterque amor, verus amor est: neque aliud est, omnia in futurum seruari incerta, quam, hoc tempore nullam de his haberi certitudinem.

Quare prudentissime Alexander Halensis, S. Thomas, S. Bonauen. Scotus, Nicolaus & alij, ad amorem etiam secundum præsentem iustitiam retulerunt hæc verba. Et iniuriam profecto faciunt, & quidē non leuem, Diuo Hieronymo, qui aliter putant eum interpretatum fuisse hūc locum. Esset tamen hoc vtcunque tolerabile, si non & alij propter verba quædam falso ex eo citata, etiam in opposita sententia eum fuisse contenderent. Sed, Deo dante, vindicabimus ipsum ab vtraque iniuria, & apertissima postea testimonia ipsius pro nobis proferemus. Nunc, ne dubitemus in eum sensum ab eo accepta hæc Salomonis verba, quem statim explicuimus, quæ in ipsa ed. sserit, attente audiamus. Pro citatis verbis ex communi Translatione, ipse sic habet in Textu: *Et quidem caritatem & quidem odiū non est cognoscens homo, omnia in facie eorum.* Et in Commentarijs sic legit: *Et insuper neque amicitias, neque inimicitias scit homo sed omnia coram eis incerta.* Et hæc ita continenter exponit: Porro hic sensus est: Etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui quos Deus diligeret, & quos odisset, & inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium.

Vides, vt ad solos iustos verba Salomonis referat, & palam asserat eum sensisse, non posse illos scire vtrum amentur à Deo an non? Sed audi, quid statim adiungat: *In futuro igitur scient, & in vultu eorum sunt omnia.* id est, antecedit eos, cum de vita hac discesserint, notitia istius rei, quia tunc est iudicium, nunc certamen. Et quicunque aduersa sustinent, vtrum per amorem Dei sustineant, vt Iob: an per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum. Et paulo post ita subdit: *Non putant simplices esse iudicium, quod in futuro sit discrimen, & hic confusa sunt omnia.* Quod autem ait, *Euentus est vnus omnibus iusto & impio*, siue angustiarum, siue mortis significat euentum, & idcirco neque caritatem Dei eos in se nosse, neque odium.

An non hic agnoscis Hieronymum aperte affirmare, iustis ex sententia Salomonis incertum esse, an in caritate Dei sint, quia omnia perinde illis, ac impijs, succedunt. Ego quidem quid potuerit ille pro nostra sententia, aut apertius, aut dilucidius scribere, non intelligo.

CAPVT XI.

De testimonijs Danielis, Ioelis, Ionæ, & Petri atque Ecclesiastici, pro incertitudine gratiæ.

NEQVE obscure eandem veritatem nobis tradiderunt Prophetæ alij, cum non absolute remissionem peccatorum pollicebantur pœnitentibus, sed cum quodam hæsitationis temperamento. Illis notis hæsitationis, *Forsan*, *Forte*, *Forsitan*, *Quis scit*: quibus non semel vsi sunt, indicabant nimirum, se non audere polliceri certitudinem de iustificatione, neque debere pœnitentes, mox vt viderent se suorum peccatorum pœnitere, certo suam sibi iusti- Argum. 3.
ficationem persuadere, sed duntaxat sperare & confidere se ex Dei misericordia gratiam & remissionē peccatorū assecuturos.

Daniel ad Nabuchodonosorem regem 5. Prob.
ita ait: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniqui-* Dan. 4.
tates tuas misericordijs pauperum Forsitan ignoscet Deus delictis tuis. In quæ verba Hieronymus ita scribit: *Cum Daniel prascius futurorum, de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt qui audacter veniam pollicentur peccantibus.* Et licet Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, præter rem dicat, adiectam esse à Diuo Hieronymo dubitatiuam particulam, & multo imprudentius eum disputas-

se, incertam esse remissionem peccatorum: ego imprudentiam istam Hieronymi ac, si volunt, stultitiam, toti suæ & suorum caliditati multis nominibus antefero.

Legi quidem apud Cypr. in serm. de eleemosyna, hoc testimonium sine particula vlla, aut nota hæsitationis, ita videlicet: *Et erit Deus parcens delictis tuis.* Neque ignoro alios eam notam intermisisse, & sic vertisse: *Id enim erit sanitas pro errore tuo*: vel sic, *Id enim erit sanitas ad pacem tuam.* Immerito tamen dicitur præter rem adiecta particula dubitatiua, à Hier. cum ei respondeat Hebraice vel Chald. particula illa quæ הן, nunc, *Ecce*, nunc *Si*, Latine reddi potest. Et si pro Si, ibi ponitur, optime est explicatus sensus per forsitan: neque LXX, neque Santes Pagninus, neque author editionis Tigurinæ, quisquis ille fuerit, particulam istam dubitatiuam intermiserunt. Septuaginta enim sic verterunt, ἴσως ἔσται μακρόθυμος τοῖς παραπτώμασί σου. Quod ad verbum sic potest Latine reddi, *Forte erit longanimis delictis tuis.* Pagninus autem sic vertit, *Si forte sit prolongatio pacis tuæ.* In Tigurina autem editione sic lego, *Fortasse felicitas tua prorogabitur.* Et prudentissime Hieronymus credidit, eo temperamento Danielem fuisse vsum, cum videret eodem apertissime fuisse vsos alios prophetas. Sed transeamus ad eorum testimonia, quæ manifeste reuincent aduersarios, neque vlli calumniæ, vel tergiuersationi locum dabunt.

Ioel, cum exhortaretur Dei populum, vt conuerteret se in toto corde ad Dominum, quia benignus & patiens est, & præstabilis super malitia: statim adiecit, *Quis scit, si conuertatur & ignoscat & relinquat post se benedictionem?* Super quæ verba eruditissime, vt assolet, Hieronymus prophetæ nomine ita scribit: *Ne desperetis veniam, scelerum magnitudine, quia magna peccata, magna delebit misericordia: & si nos egerimus pœnitentiam, & ipsum pœnitebit comminationis suæ, & mala quæ comminatus est, nobis non inferet, nostraque mutatione sententiæ, & ipse mutabitur.* Et statim addit: *Sed ne forsitan, magnitudo clementiæ nos faceret negligentes, adiunxit: Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus? Ego, inquit, hortor, quod meum est, ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui esse clementem, dicente David: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Sed quia profundum diuitiarum sapientiæ Dei nosse non possumus, sententiam tempero & opto potius quam præsumo, dicens: Quis scit, si conuertatur & ignoscat? Quod ait, Quis: aut impossibile, aut difficile sentiendum est.* Hæc ille. Psalm. 50.

Apud Ionam etiam ex ore regis & principum ipsius, sub his verbis indicta est pœnitentia Niniuitis & ieiunium: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore suo, & non peribimus?*

In quæ verba Hieronymus: *Illud quoque, quod dicitur, Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus: ideo ambiguũ ponitur & incertum, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.*

In eundem modum princeps Apostolorum Petrus, Simonem Magum exhortatus est ad pœnitentiam his verbis: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis.* Actuum 8. Cur prophetæ isti & Petrus, qui constantissime prædicabant Deum misericordem esse, & valde præstabilem super hominum malitijs, istis hæsitationis notis vtebantur, nisi, vt docerent, non leuiter oportere credere nos esse iustificatos, neque statim ad qualemcunque pœnitentiam debere nobismetipsis promittere remissionẽ peccatorum?

Mihi quidem, vt ingenue dicam, quod sentio, sic olim locuti prophetæ isti videntur, vt iam tum deterrerent iustos ab ista certitudine remissionis suorum peccatorum, quam quidam his temporibus iustificatis omnibus persuadere moliti sunt, & ea forma loquentes, arma nobis subministrasse videntur, quibus omnes hos, vt sic dicam, Certitudinarios reuinceremus.

Qua etiam de causa ab Ecclesiastico dictum est: *De propitiato peccato* (vel, vt alij vertunt, *De propitiatu peccati*: vel, vt ad verbum melius possemus vertere verba Græca his respondentia, περὶ ἐξιλασμοῦ, *De propitiatione, vel placatione*) *noli esse sine metu.* Enimuero de propitiatis peccatis, aut de propitiatione peccatorum nostrorum nunquam iuberet Argum. 6. Eccle. 5.

ille

ille vt ſemper eſſemus cum metu, ſi certi poſſemus eſſe ex fide, de eorum remiſſione. Sine pœnitentia quidem ſunt dona Dei, & certiſſimum eſt, nunquam eum retractare ſententiam ſuam de remiſſione peccatorum, neque imputare amplius ad culpam peccata, quæ ſemel condonauerit. Qui ergo præcipit de remiſſione peccatorũ, non eſſe omnino abſque metu: docet manifeſte, neminem debere ſibi certo & abſque vlla hæſitatione eam perſuadere.

Quare Nicolaus Lyranus ex his verbis colligit, etiam de peccatis nobis per pœnitentiam remiſſis, non debere nos eſſe omnino ſecuros: quia neſcimus an fuerit eorum pœnitentia ſufficiens. Et Rabanus ante ipſum in commentarijs in Eccleſiaſticũ, qui habentur Venetijs in bibliotheca præclari noſtri cœnobij ſancti Franciſci à Vinea, his verbis admonitos omnes eſſe putat, ne nimium ſimus ſecuri, & omnino ſine metu de adepta venia peccatorum. *Quis enim* (ait) *ſcit. ſi conuertatur & ignoſcat Deus?*
Ioel. 2.

Et quæ ſtatim addit, *Neque adijcias peccatum ſuper peccatum & ne dicas, Miſeratio Domini magna eſt: multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*: Miſericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores reſpicit ira illius: non in hunc ſenſum accipienda ſunt, quaſi propter peccata poſteriora, Deus imputet etiam priora, & reuocet miſericordiã exhibitam: atque ideo neque de peccatis remiſſis debeamus eſſe ſecuri, Quid hoc abſurdius? Quid magis à diuina iuſtitia & miſericordia alienum? Ideo potius hæc adiecta ſunt, vt confirmarentur priora. Quia enim ex nimia fiducia de remiſſis peccatis, proficiſci maxime poſſet, vt addamus peccata peccatis, ne ex hac confidentia id faceremus, admonuit iræ diuinæ Eccleſiaſticus, verendumque eſſe, ne Deus qui peccata priora condonauit miſericorditer, nouis ſic irritetur offenſis, vt ob tãti beneficij ingratitudinem, poſteriora nunquam condonet, neque apud eum amplius locus ſit vllus gratiæ, quam, non obſtantibus priorib peccatis, iam inueneramus.
Eccli 5.

):(

CAPVT XII.

De teſtimonijs Pauli pro incertitudine iuſtificationis.

HANC item incertitudinem iuſtificationis apertiſſime omnes docuit Paulus in priore epiſt. ad Corinth. Fuit quidem ille certus per reuelationem diuinam non ſolum de ſua ſalute, ſed & de ſua prædeſtinatione, tamen vel quod nondum eam reuelationem habuerat, vel quod humano more de ſe, quatenus ſcientia humana poterat ſibi eſſe notus, loquebatur, abſolute ait: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Quod profecto non eſt aliud dictu, quam quod nos aliquando apertius poſſemus ſic dicere: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non ideo iuſtificatum me eſſe credo. Poſſum enim apud Deum, cui melius notus ſum, quã mihijpſi, reus eſſe alicuius delicti, cuius mihi non ſum conſcius. Argum. 7.

Neque nouum aut inſuetum eſt in ſcripturis, accipere, *in hoc* pro, *propter hoc*: aut, *ex hoc*: aut, *per hoc*: vel, *ideo*. *In hoc ſcimus*, ait Ioan. *quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus.* Et iterum: *In hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus.* Et frequentiſſime accipitur in ſcripturis, *In*, pro *Per* & Latine dicimus, Facies tu quidem iſtuc, ſed non in hoc obtinebis gratiam regis pro eodem, quod eſt, Sed nõ ea cauſa, vel eo nomine obtinebis gratiam regis. Et ita intellexit hunc locum Diui Pauli Ambroſius. *Apertum eſt*, ait, *quia conſcientiam puram habens ſolicitus de ſe non erat. Sed humiliat ſe, & loquitur vt homo, qui poßit peccatũ incurrere neſcius.*
Idẽ, in hoc. &, propter hoc.
1. Ioan. 2.
1. Ioan. 4.

Et aliquanto apertius in eundẽ ſenſum expoſuit Apoſtolum Hieronymus ſecundo libro dialogorum aduerſus Pelagianos. Ponderans enim hæc verba, ita ſcribit: *Qui hoc dicebat, nullius vtique peccati ſibi conſcius erat: ſed quia legerat, Delicta quis intelligit: &, Sunt viæ quæ videntur viro iuſtæ, nouißima autem eorum reſpiciunt in profundũ inferni: & iterum, Omnis vir videtur ſibi iuſtus, Deus autem corda hominũ dirigit: idcirco ſeperabat ſententiã ne forte per ignorantiam deliquiſſet, maxime cum Script. teſtetur Eſt iuſtus, qui perit in iuſtitia ſua: &, Iuſte quod iuſtum eſt, ſe-*

Ii ... the-

&aberis:ne opinione veritatis, à iustitia declinemus, recordantes Saulis & Achan. Hæc Hieronymus.

Et in eandem sententiam intellexit hæc verba Augustinus super illa verba Psalm. 41. *Abyssus abyssum inuocat.* Atque ex his probat, abyssos esse omnes iustos & omnes sãctos quantumcunque proficiant, & abyssum fuisse ipsum Apostolum. *Quanta* inquit, *abyssus sit, audite. Tantam profunditatem credit esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est. Cũ enim dixisset, Nihil mihi conscius sum:*
1. Cor. 4. *adiecit, Sed non in hoc iustificatus sum.*

Et Chrysostom tractans hæc verba, ita scribit: *Nemo tamen Paulum vt stultum reprehendat, quod nem nem dignum dicit, qui de ipso ferat sententiam. Primum enim non propter se hoc dicit, sed propter alios.* Præterea: Neque Corinthios tantum, sed seipsum quoque hoc priuat iudicio. quod cognitione sua maius testatur. Subdit enim, *Sed neque meipsum iudico.* Et quia accidit, hominem in quibusdam peccare, quæ peccata esse ignorat, non se irreprehensibilem arbitratus est, sicque indignum esse, qui ab alijs iudicaretur. Sed eorum os obstruit, qui sine ratione hoc faciunt: Et addit: *Quod si, in quibus ipse peccaui, nihil certo mihi conscius sum, quo pacto dignus fuero, qui de alijs feram sententiam? Qua autem ratione, si res meas non satis exploratas habeo, aliena potero iudicare?* Etenim ita loquebantur, non vt seipsum irreprehensibilem diceret, sed vt si quispiam apud eos inueniretur, qui nihil peccasset, neque hunc dignum fore, qui cæterorum vitam examinaret, ostenderet.

Chrysost. hom. 11. super 1. Corinth.

Anselmus etiam in commentarijs huius loci sic ex eo colligit: Nullius itaque peccati conscius erat, sed quia legerat, *Delicta quis intelligit,* sententiam temperauit, ne forte per ignorantiam deliquisset. Ideo addidit, *Sed non in hoc iustificatus sum* Sed apertius multo mellifluus Bernardus in hunc sẽsum hæc verba interpretantur, in epist. 42. quæ est ad Henricum Senonen. archiepiscop. *Prauum,* inquit, *est cor hominis & imperscrutabile, ita vt nemo sciat, quæ sunt in homine, nisi Spiritus hominis, qui in eo est, sed neque ipse plene. Neque cum Apostolus diceret, Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: adiecit, Sed neque ego meipsum iudico. Quare: Quoniam non possum, ait, ratam de me proferre sententiam. Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum. Non ex toto credo me vel ipsi conscientiæ meæ, quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum Neque potest iudicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me, Dominus est. Dominus, inquit, cuius vtique scientiam non fugit, scientiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse, qui cogitat.* Hucusque Bernardus. Et in eundem sensum interpretati sunt hunc locum Glo. Ordinaria, Alex. Halen. S. Thomas Caie. Nicolaus Lyranus & Alex de Alexandria, generalis quondam minister nostri Ordinis.

Psalm. 18.

Quoniam autem testimonium hoc apertissimum, varijs expositionibus multi obscurare & labefactare conati sunt, libet omnes illas in medium producere, & apertis argumentis refellere, vt liberius & planius statuere postea possimus germanum & genuinum sensum Pauli. Lutherus in ar. 4. suarum assertionum, Paulum tantum hic docuisse affirmat, nullum iustificationis argum. sumi ex operum qualitate. Atque hanc interpretationem mordicus sui discipuli sectantur. Atqui Paulus non solum dixit, se non audere asserere iustum ex hoc, quod nihil sibi conscius esset, sed simpliciter iudicium de sua iustitia à se remouit, & in Deum trãstulit, & ita se non posse iudicare explicuit, vt alij neq; poterãt, neq; debebãt eũ iudicare: ac tandem, vt mox videbimus, ab his occultis & arcanis iudicandis vt vsque in diem iudicij abstineremus, admonuit. Alij dicunt, non asseruisse Paulum, se non esse iustificatum: sed non esse iustificatum in eo, quod nihil sibi conscius erat. Namque iustificatus erat vna Christi gratia: & non proprium iudicium, sed Deus est, qui iustificat.

Alienæ quædam Pauli expositiones.

Exposit. 1.

Impugnat.

Exposit. 2.

Sed quid opus erat, tam ineptam opinionem refellere? Quis ita poterat desipere, vt ignorantiæ illi [illegible] nescientiæ virtutẽ iustificandi tribueret? Neque ad rem, quã agebat, hoc pertinebat: neque antecedentia aut cõsequentia, tam [illegible] sensu ali-qua ex parte vel in [illegible] conueniunt.

Alij

Exposit. 3. Alij euadere se putant hoc argumentum, dicentes Paulum non hic egisse de iustificatione, qua quis apud Deum iustus est, sed de iustificatione in sui muneris & dispensationis fideli administratione & functione, de qua statim dixerat: Hic iam quæritur inter dispensatores, an fidelis quis inueniatur. Impugn. Quorsum vero hic meminisset iudicij diuini, & ad illud prouocasset, & simpliciter se non esse iustificatum, quia nihil sibi conscius esset, asseruisset, si tantum de fidelitate ministerij & dispēsationis suæ, quæ & iudicijs humanis subest, tractasset, & non potius ex hac occasione arcanum & secretum nostræ iustitiæ obiter docere voluisset?

Exposit. 4. Alij de absoluta & perfecta iustificatione Paulum locutum esse asseuerant, & ideo dixisse, non se esse iustifi. atū in hoc, quod nihil sibi conscius erat, quia obrepunt hic iustis sæpe, ipsis nescientibus, aliqua peccata venialia. Pro hac sententia putant se habere Augustini testimonium, quod ex libro de vera & falsa pœnitentia, refertur à Gratiano, de pœnitentia d. 3 c. Adhuc instant quidam. Impugn. Atamen cum iustus dicatur, & nonnulla laude sit dignus, quicunque in Dei gratia est, etiamsi multis obnoxius sit peccatis venialibus, qui asseruit sibi non esse satis, vt se iustum pronunciaret, nihil sibi conscium esse, & expectandam laudem iustitiæ docuit à iudicio diuino, quod omnia manifestab t clare ostendit, se non solum sibi non tribuere iustificationem absolutam & perfectam, sed neque imperfectam aut inconsummatam. Exposit. 4. Adhuc instant. Et Cap. citatum, à nobis stat magis, quam contra nos. Neque enim ad sola venialia sunt referenda verba, quibus dicitur Paulus non se confirmasse absque peccato, sed dubitasse, cum hæc dixit, se peccare, hoc est, se esse in peccato aliquo prius admisso. Nam si ad sola venialia hæc referrentur, non confutarentur ex eis, qui negabant pœnitentibus indulgentiam mortalium. Quod quidem, propositum est & scopus illius Cap. Ideo verò putatur & illud cap. contra nos militare, quia parum aduertitur, etiam cum studio vehementi seruiendi Deo, & cum spiritu prophetiæ fieri posse, vt per ignorantiam admittamus aliquod peccatum. Quare & hac ratione poterat Augustinus dicere, Paulum non fuisse ausum se confirmare absque peccato, etiam si certus esset se habere spiritum Dei, & rectissimam intentionem illi seruiendi.

Sed vt ingenue dicam, quod sentio, tam perplexa sunt verba illius cap. & tam parū secum cohærent, vt vix possim credere esse Augustini. Mittamus igitur & valere iubeamus omnes has violentas & Paulo indignas expositiones, & ex omnibus hinc inde circumiacentibus genuinum ostendamus eum sensum, qui nobis est à Patribus nostris iam traditus. Non erat sane Pauli propositum in hoc loco, prædicare gratiā Christi, neque explicare causam, vnde potissimum nos iustificemur. Neque si hoc voluisset, necesse fuisset, vt diximus, refellere, non esse causam nostræ iustitiæ nescientiam delicti in conscientia. Propositum Pauli in hoc loco erat, ab eo deterrere schismate, quod inter Corinthios tum maximè vigebat, vt quidam se esse dicerent Pauli, alij Apollo, alij Cephæ. Quod esset propositū Pauli. Et cum ab hoc deterruisset schismate, & docuisset nō esse diuidendum Christum, neq; gloriandum in hominibus, quādoquidem omnes ipsi, ministri essent Christi, in vsus & commoda eorum à Deo electi, sumpta ex hoc occasione, huiuscemodi quæstionem subiunxit inter eos esse, an fidelis quis inueniretur inter ipsos ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: statimque adiecit, sibi quidem pro minimo esse, si ab ipsis iudicaretur, aut ab humano die, hoc est, nihil prorsus se facere, si vel ipsi, vel alij quicunque secundum humanum morem iudicantes, perperam de ipso sentirent, & infidelem eum dispensatorem existimarent. Humanum enim diem, eleganti metalepsi iudicium humanum vocauit, quod & ab hominibus venit, & cum hominibus velut dies transit. Humanus dies.

Quoniam autem iste humanorum iudiciorum contemptus, videri poterat proficisci ex eo, quod ipse sibi certo conscius esset, se esse fidelem ministrum Christi, ne hanc arrogantiam sibi quispiam obijceret,

& ne moleste ferrent, quod eos non satis idoneos ad hoc iudicium putaret adiunxit: Sed neq; meipsum iudico Hoc est, sed neq; meipsum existimo, aut assero vobis vel vendito, vt iustum & fidelem ministrum Christi. Et causam huius continuo expressit dicens: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

Vides ex his verbis exprimere Paulum causam, propter quam seipsum non indicaret? Tantundem enim hæc sunt, ac si dixisset, Ideo non meipsum iudico, quia licet nihil mihi conscius sim, neque de aliquo crimine me mea vel redarguat, vel solicitet conscientia, tamen non hoc satis est, vt me iustificem, & ab omni peccato liberum asseram, sicut neque satis est ad meam condemnationem, si vel vos, vel alij quicunq; de me perperam iudicetis. Iudicio quidem aliorum de se, iudicium suijpsius adiunxit: & dum vnum alteri confert, & vtrumque inefficax esse docet, vel ad condemnationem, vel ad absolutionem sui, manifeste indicat, ita nobis ignotam esse nostram iustitiam, atq; aliorum: & neminem de se posse indubilem ferre sententiam, sicut neque potest de alijs.

Itaque his verbis neque asseruit Paulus se iniustum, neque negauit se iustificatum, sed indicauit, non sibi esse satis, vt se iustificatum vel crederet, vel assereret, quod nihil sibi conscius esset. Atque in his docebat tacite Corinthios, multo minus eis debere esse satis ad condemnationem ipsis, proprium ipsorum iudicium, qui nullum Pauli delictum nouerant. Porro vt explicaret testimonium suæ conscientiæ sibi non esse satis, ad se omnino credendum iustum, & eo se sensu dixisse, *sed non in hoc iustificatus sum* addidit statim, *Qui autem iudicat me, Dominus est*. Hoc est, Non ego sum, qui me habeo aut possum iudicare: sed qui iudicat me Dominus est. Illius ego iudicium expecto. Illius ego sententiæ innitor. Ille vnus est, qui vel iudicare me potest vel iustificare Ab eo vno pendeo, non à vobis, neque ab alijs, atque à meipso.

Cur ad iudicium diuinum confugisset, si sibi salubrile erat & omnino certum, etiam proprium de se iudicium? Et confirmāt ista quæ sequuntur: Nam mox, vt deterreret à temerarijs istis iudicijs, quibus vel alios condemnamus, vel nos præcipitanter & certo absoluimus, subnectit doctrinam & admonitionem aureis literis dignam: *taque nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit consilia cordium. Et tunc laus erit vnicuiq; à Deo.*

Quibus verbis indicauit se non fideli tantum dispensatione fuisse locutum, quæ extrinseca erat & manifesta, ac proinde & iudicijs aliorum poterat subesse: sed de iustificatione sua absolute, quæ occultissima erat. Ideo autem eius meminit, cum tantū de dispensationis fidelitate quæri videretur, quia & aliorum iudicia, & quæstiones eo se extendebant. Quare & illuminationis absconditorum meminit & à temeritate iudicij de occultis deterruit. Neq; omnino ista disiuncta erant à fidelitate ministrorum, de qua vna proposita fuit illa quæstio, Hic iam quæritur, &c. Satis quippe infidelis est minister Euangelij & officiorum diuinorum, qui non satagat, quantum in se est, esse iustus, cum ad debitam sui ministerij functionem necessaria sit gratia & iustitia diuina. Indicauit etiam his verbis Paulus, nemini mortalium hoc tempore suam posse satis vel alienam iustitiam constare, & veram iustitiæ laudem à Deo esse in die iudicij expectandam, & non à nobis, dum hic viuimus. Atque ita antistites nostri hæc verba exposuerunt in fine capit. 16. huius decreti.

Si bene igitur & pro dignitate locus hic totus expenditur, vel vnus ille videbitur potuisse sufficere ad definiendam, quam nunc stabilimus, veritatem. Neq; vno sed multis nominibus ex eo possumus colligere, neminem hac in vita debere esse omnino certum de sua iustificatione. Primo quidem, ne vsurpet vel præueniat diuinum iudicium. Secundo, quia si hanc possemus absq; Dei reuelatione habere certitudinē, esset quidem hoc ex testimonio propriæ conscientiæ, quod tamen sufficiens non est quia nemo sibi ex toto notus esse potest, donec Dominus illuminet abscondita tenebra-

tenebratum. Tertio, quia si tātus iste Apostolus, tametsi illius delicti sibi esset conscius, nō ausus est, humano more de se sententiam ferens, se iustum aut iustificatum asserere, sed expectare se dixit iudicium diuinum, & in solo illo secure gloriandum, neq; satis sibi esse, vt se crederet iustificatū, quod nihil sibi conscius esset: quis, si sapit, præsumat, se iustum prorsus & indubitanter asserere?

Non audet Paulus, qui se optime nouerat ad suæ testimonium conscientiæ pro se sententiā ferre, & audebis tu ô homo, quisquis es, qui ad illum collatus, nihil es, ad tuæ testimonium conscientiæ te absoluere, & iam iustum pronunciare? Et confirmant mirifice hunc sensum, quæ alibi dicit idem Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Quid sibi aliud volunt ista, *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*: quam, non sufficere ad nostram probationē, nostrum proprium testimonium, neq; debere nos ei inniti, sed vni commendationi diuinæ, & in illius vnius testimonio, non in nostro debere gloriari?

1. Cor. 1.
2. Cor. 10.
Ierem. 9.

Equidem si ex fide asserere possemus & credere, nos esse iustos, cum fidei nequeat subesse quidpiam falsi, vere probati essemus, etiamsi nos sic commēdaremus, neq; esset nobis necesse expectare commendationem diuinam ad probationem nostram. Sed ne sic quispiam se deciperet, alibi saluberrime asserera: *Si quis se existimat scire aliquid, nōdum cognouit quomodo oporteat eum scire.* & rursus: *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Profecto qui se fidei certitudine putat iustum, nō aliquid tātum sed magnum quid se esse existimat, licet credat se hoc habere ex Dei gratia.

1. Cor. 8.
Galat. 6.

CAPVT XIII.

De testimonijs antiquorum Doctorum, pro incertitudine iustificationis.

QVANQVAM citata scripturarum loca satis & esse possunt & debent, vt nemo suam sibi certo ex fide persuadere debeat iustitiam, præsertim cum illa apertissimis sanctorum Doctorum expositionibus ita communiuerimus, vt non facile quoquam eneruari aut infirmari possint: quo tamē idem & certius & constantius fit, adijciam his nonnulla antiquorum Patrum testimonia, quibus istam ipsi veritatē docuerunt & se lōgissime semper fuisse ab ista temeraria persuasione, perspicue declararunt.

Ac primo quidem pro ista sententia videtur stare Cyprianus, sapientia, eloquentia, vitæ sanctitate, & laude martyrij in tota Ecclesia illustris. Cum enim eleemosynam ostenderet medicinam esse peccatorum, quæ admittimus post baptismum, necessitatem illius ostendit, quia nemo sine peccato hic esse potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est. Et quamuis ista dixisse videri posset propter venialia, quibus omnes etiam iusti cōmuni ex lege sunt obnoxij, tamen cum indistincte loquatur, & medicina sit eleemosyna non venialium tātum sed etiam mortalium, videtur ad vtraque sermonem rētulisse, eoque dixisse, quia nemo in hac vita potest ex fide scire se esse iustum. Nam si certi esse possemus ex fide de nostra iustificatione, aliquando possemus etiam certi esse nos omni carere culpa veniali, eo videlicet tēpore, quo scirem⁹ nos habere dilectionem Dei super omnia, quæ certum est tollere omnē culpam venialē, præsertim in illo, qui firmiter apud se cōstituit, nullā talem culpam aliqua ratione admittere. Itaq; & hac ratione testimonia, quibus sancti asserūt indistincte, neminem posse asserere se iustum & inculpatum, si bene expendātur, & à nobis censeri debent stare.

Ser de eleem.

Dilectio Dei tollit omnem culpam.

Sed ipsa verba Cypriani subscribā: *Agnoscamus, inquit, fratres carissimi, diuinæ indulgētiæ munus salubre, & emūdādis purgādisq; peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus medelis spiritalibus vulnera nostra curemus. Nec quisquā sic sibi blādiatur de puro atq; immaculato corde, vt innocētia sua fretus, medelā nō putet esse adhibēdā vulneribus cū scriptū sit Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis? Et iterum in epistola sua Ioannes ponat, & dicat: Si dixerimus, quia peccatū non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas*

latione posse sic scire per fidem se esse in gratia, ac scit per fidem alia, quæ vel à Deo reuelata sunt, vel ex reuelatis cum alijs euidentibus consequuntur: ac proinde neminem debere tanta animi firmitate suæ iustificationi, atque ipsis, assentiri: quia non solum subesse falsum potest in assensu nostræ iustificationis secundum se, propter contingentiam & fallibilitatem, vt sic dixerim, huius complexi, Ego sum in gratia: sed neque peruenire possumus, vt hic diffinitum est à Patribus, ad sciendum illud sub aliqua ratione, sub qua non possit esse falsum. Quomodo illud quidem sciremus, si Deus nobis nostram iustificationem reuelaret. Nam tunc sic esset verum, nos esse in gratia: vt, quatenus est reuelatum, falsum esse nullatenus possit. Vt vero constet, iustissime ita sanctam Synodum censuisse, & sine causa scandalizari, qui feruntur de hac diffinitione pati scandalum, neque debere amplius aliquas de hac re controuersias tolerari: adnitar, & pro virili nostra contendam, definita à Patribus, firmissimis argumentis communire, & ad fortia argumenta, quæ in contrarium stant, clare & dilucide respondere.

CAPVT IX.

De testimonio Iob pro incertitudine gratiæ.

VT agnoscamus obstructas nobis esse & præclusas omnes vias, quibus in fidei, cui non possit subesse falsum, certitudinem de gratia venire possimus, neque temere iustis eam esse negatam: primo, testimonijs scripturæ pro definitione Synodi, pugnabo: secundo, mirifico consensu Doctorum Ecclesiasticorum & antiquorum & recentium: tertiò, præualidis quibusdam theologicis argumentis ex notis lumine naturali, & expertis vel concessis à fidelibus: & 4 adiungam definitionem sedis Apostolicæ, iam olim super hac quæstione pronunciatam.

Et primo quidem pro veritate ista stat sanctissimus ille patriarcha Iob, summopere & ab scriptura, & à Deo ipso commendatus: *Si iustificare, inquit, me voluero, os meum condemnabit me*: Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Quid apertius ille potuit dicere, vt ignotam sibi ostenderet suam simplicitatem, suam innocentiam, suam iustitiam? Quid, quod non solum ignota hæc sibi esse indicat, sed vt timeant, qui suam iustitiam iactant, vel hoc ipsum satis arbitratur, vt prauus & damnandus censeatur, si iustum se aut innocentem voluerit ostendere? Iob. 9.

Atque ita hæc explicuit beatus Gregor. qui tantundem ista putat, ac si apertius Iob dixisset: *Quid de alijs loquar, qui ipse pro me testimonium ferre non valeo?* Et vt dilucidum faceret, voluisse Iob hanc omnibus de seipsis existimationē persuadere, subiunxit: *Quia igitur ab inquisitione nostra torpentes, nos omnino nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerunque inter vitia virtutesque caligamus, recte nunc dicitur: Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Ac si aperte diceretur: Conditoris contra me iudicia, qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro?* Hæc Gregorius. Greg. 9. Mo. 17. & 19

Et in eundem sensum exposuit etiam hæc verba Innoc. 2. c. vltimo de Purga. cano. Sed & ipse Iob, vt ista apertiora faceret, præmisit de Deo: *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* Cum enim Deus vbique sit, & cœlum & terram impleat, neque abesse ab aliquo loco possit, de aduentu nimirum Dei in se per gratiam & internam consolationem, & de recessu per horum subtractionem, secundum quē & venire poterat ad ipsum, & recedere ab eo, loquebatur propheta his in verbis, & in eis incertum sibi esse indicabat aduentum ad se Dei, vel recessum à se per gratiam. Et quod ait, recessum à se Dei non intelligere, non ea ratione dicit, quod per fidem scire nequeamus Deum à nobis recedere, vel certe in nobis non esse, cum scientes & de industria eum grauiter offendimus, sed ideo, quod sæpe nobis nescientibus procul Deus à nobis recedat propter culpas, quas ignoranter admittimus.

Itaque

Itaque tametsi confirmatissimo erat animo sanctus hic Propheta, ne vnquam sciens Dei mandata præteriret, quia tamen sciebat posse se per ignorantiam aliquid committere, cuius causa iustissime posset à Deo deseri, etiam cum maxime verisimile esset, eum in se manere: *Si recesserit*, ait, *non intelligam.*

Vnde Gregorius reddens horum causam, dicit: *Sæpè mens, dum de virtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario, inopinatæ culpæ telo perforatur.* Neque vacant suo pondere, quæ statim sequuntur: *Si repentè interroget, quis respondebit ei?* Nam hæc clare indicant, neminem esse, qui si repente vocaretur à Deo in iudicium, posset ei dignum aliquid, quo se tueretur, respondere. Quamobrem cum is, qui haberet certitudinem fidei de sua iustitia, posset vtcunque respondere Deo, & allegare ei suam iustitiam, & bona opera, quæ ex illa fecit, atque illa, vel saltem meritis Christi sibi misericorditer iam applicatis, se tueri & defendere: relinquitur ex hoc, neminem posse tantam certitudinem habere de sua iustitia. Et vehementer idem confirmant, quæ mox eximius hic Patriarcha subiecit: *Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Et cum inuocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam.* Quid aliud his verbis significat, quam se nequaquam satis certò & indubitanter de se credidisse, quod inuenerit apud Deum misericordiam deprecationibus suis, etiam cum maxime verisimile visum fuit, exauditum se ab ipso, & illius gratiam & misericordiam assecutum? Vnde & suam hanc sanctam & doctam ignorantiam magis explicare contendens, continuo adijcit: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Cur veritus esset sua opera, si certus fuisset de sua gratia? Ille sane, qui est in Dei gratia, & hoc certo scit, cum opera manifeste consona legi Dei facit, scire potest, se habere aliqua bona opera & grata Deo, & de quibus nulla ratione sit formidandum. Sed quia formidandum est omnibus diuinum iudicium, quantumcunque nullius sibi delicti sint conscij, neque in hac vita eò possumus secundum communem legem proficere, vt non merito possimus & debeamus de iustitia & sanctitate nostrorum operum hæsitare, e vestigio subdidit: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint, velut mundissimæ, manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo, neque qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. Quod si sanctissimus hic Propheta veretur, omnia opera sua, & ignotum ad se aduentum Domini per gratiam, ignotamque sibi suam iustitiam asserit, neque sibi putabat licere se asserere iustum, neque se audebat credere exauditum à Deo, etiam cum exaudiebatur: & neminem posse Deo respondere, si repente interroget: aperte asseuerat, magna profectò cæcitas, ne dicam, insania est, velle persuadere hominibus iustis, vt se etiam supra omnem certitudinem certo credant iustos esse & exauditos à Deo: & magna omninò superbia, quod de se quispiam per fidem certo credat, quæ tantus hic & tam sanctus Propheta de se sibi minime audebat suadere.

Respondent quidam, Iob tantum contendisse his verbis suam iustitiam non esse vere iustitiam, si ad iustitiam diuinam comparetur, & munditiam omnem suam sordidam esse, immò sordes, si munditiæ diuinæ conferatur. **Respon. 1.** Quæ vero potest delusio esse Scripturæ, si hæc non est? **Impugnatio.** Quid facit vt ignotam sibi suam Iob dicat simplicitatem, quod iustitia sua collata ad diuinam iustitiam, iustitia non sit? Quid vt non intelligat aduentum in se Dei? Quid vt non credat se exauditum? Denique, quid vt vereatur omnia opera sua? Certe Deus à nobis non exigit iustitiam, quæ ad suam comparata, etiam nomen iustitiæ retineat.

Et in ipso suæ responsionis principio aperte ille asseuerat, suam iustitiam neque cum illa, neq; cum diuinis beneficijs compositam posse subsistere. *Verè*, inquit, *scio, quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Sed cum iam se hoc modo depres-

præmisisset, adiecit & se etiam ex eo humiliare, quod nihil in se sciret, quo se posset iustum comprobare. Itaque adulationem, quæ ei de sua iustitia vel assentabantur, vel certè assentari poterant sui ementiti amici, viriliter & magnanimiter his duobus modis à se repulit, & quod ignota esset sibi sua iustitia, & quod illa quantacunque esset, longè inferior ea esset, quam & Dei sanctitas & diuina in se beneficia postulabant.

Respon. 2. Alij aiunt, Iob citatis in verbis tantum docuisse, neque se, neque alium quempiam, innocentem posse se asseuerare & immunem ab omni peccato. Sed peccata venialia, neque iustitiam tollunt à iustis, neque

Impugnatio. simplicitatem. Et qui se iustum per fidem crederet, sciret se simplicem, & Deum ad se venisse, & ab eo se exauditum, neque vereretur omnia opera sua, & respondere Deo vtcunque posset, etiamsi multis leuibus peccatis obnoxium se agnosceret. Quare cum Iob omnia illa à se longe fuisse, clare affirmauerit, palam indicauit, non hoc tantum sibi ignotum dicere, quod immunis esset ab omni peccato.

Respon. 3. Tandem & alius dicit hunc esse proprium & egregium huius loci sensum, quod quamuis sciret se esse iustum, nolebat tamen suam iustitiam vt temerarius iactare, & quasi suam obijcere illam in Deum ipsius authorem.

Impugnatio. Si sic tamen liceat Scripturas exponere, quid poterit ex eis esse certum? Iob dicit se ignoraturum suam simplicitatem, etiamsi simplex fuerit, neque aduentum ad se Dei nosse, neque credere se exauditum, etiam cum exauditus fuerit à Deo. Et tu dicis, Iob hæc quidem de se nouisse, sed ex humilitate noluisse Deo suæ iustitiæ authori illam obijcere?

Respon. Aliud est, aliquod Dei in nos donum scire: aliud, illud esse à nobis existimare. Et Iob vtrumque alienum esse à se affirmauit. Deinde: Iniquum est quod Iob absolutè à se remouet, nos coarctare tantum & limitatè ab eo tollere. Ille dicit, se hæc in se non agnouisse: tu dicis sensum esse, non agnouisse hæc à se habere? Ille ait, neq; iustum, neque innocentem se posse pronunciare: tu inquis, sic esse hoc intelligendum, quod non poterat pronunciare hæc à se habere?

Et cur, precor, vt prauus esset, & merito condemnandus, satis erat hæc de se affirmare, si certus de ipsis erat per fidem? An non poterat citra iactantiam hæc de se affirmare? Quomodo etiam ista tanta scientia potest stare cum tanta formidine, quanta illa verba explicant, Verebar omnia opera mea, &c. Equidem qui vereri se affirmabat omnia opera sua, non tantum insinuabat, se non credere se habere bona opera à se, sed & palam asserebat se nescire, an opera sua placerent Deo. Vnde & Gregorius in hæc verba: *Sunt nonnulla quæ sciri à nobis facilè nequeunt. Nam sæpe recto studio contra delinquentium culpas accendimur, & cum vltra æquitatis metas per iram rapiamur, hoc zelum iustæ districtionis æstimamus. Et cum prædicantis mens vtiliter placere studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit. Atque ita horrendo modo, vnum idemque quis culpa peragit, quod virtus inchoauit.* Et cum multa in eandem sententiam eleganter adiungat, tandem subdit: *Humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat.* Sed transeamus ad alia testimonia. Greg. 9. Moral. 10

CAPVT X.

De testimonijs Dauidis & Salomonis pro incertitudine gratiæ.

CONCINIT & huic præcellenti Prophetæ Regius Psaltes, dicens: *Delicta quis intelligit? Si videntur tenebræ*, ait Augustinus super hæc verba, *intelliguntur delicta.* Et cap. 9. de contritione cordis, incomprehensibilia nobis dicit esse, & infinitam quandam abyssum. Vnde & Dauid persuasus, sua se non posse intelligere delicta, & agnoscens nobis, vt hominibus quędam, etiam nescientibus subrepere, & quibusdam vt homines nonnunquam præoccupari, ac palam professus se non habere certitudinem fidei de sua iustitia, continuo addidit: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Si autem intelligere non possumus nostra delicta, & cum maxime nos immunes putamus, tum nescientes sæpe delinquimus: quomodo, rogo, poterimus certo scire, nos mundatos & iu- Argum. 2. Psal. 18 Psal. 18

& iustificatos ab omnibus nostris delictis? Annon est sufficiens impedimentum nostræ iustificationis, delictum per ignorantiam commissum? His que accedit, quod mandata Domini, sine quorum transgressione nemo delinquit, multo clariora sunt & certiora, quam nobis sint, quæ necessaria sunt ad consequendam remissionem peccatorum. Itaque si non impediente claritate & luce mandatorum diuinorum, sæpe per ignorantiam peccamus, atque ob id nemo potest sua satis intelligere delicta, multo minus intelligere quispiam poterit, se fecisse omnia necessaria ad habendam remissionem peccatorum.

Respon. 1. Respondet quidam, Augustinum & Hieron. hæc verba retulisse ad eos, qui delictis & criminibus obuoluuntur, & cum sint in tenebris, sua nequeunt intelligere delicta. Impugnatio. Sed qui dixit, *Delicta quis intelligit*, non ad solos peccatores referebat sua verba, sed vel rarum, vel nullum ex omnibus, ea satis posse intelligere indicabat. *Hilar. in Psal. 58* Vnde Hilar. in illa verba, Quoniam quis audiuit? *Vbi dicitur, quis? rarus significatur, aut nullus. Nullus, secundum illud, Quis similis tui in dijs Domine? Rarus, in eo quod dicitur, Quis dabit ex Sion salutare Israel? Et cum adiunxit Dauid, Ab occultis meis munda me Domine: palam faciebat, ad se etiam putasse pertinere, quod dixerat, Delicta quis intelligit? Neque tamen verisimile est, & tum, cum ista cecinit, obuolutum eum fuisse criminibus & in tenebris peccatorum.* Et in communibus commentarijs Augustinus & Hier. sic ad peccatores ista referunt, vt tamen si omnia spectentur, etiam iustis postea aptentur, & generaliter pronuncietur, neminem plene scire posse delicta, nisi Deum, qui scrutator est cordium, & ea potest dimittere. Et in hunc sensum exponunt ea Hieron. in 1. & 2. Dial. contra Pelag & Bernard. epist 42 & Anselm. & Alex. Halens. in expositione illorum Pauli verborum, *Nihil mihi conscius sum, &c.* Atque hanc explicationem sequuntur passim Theolog. Scholastici. Dicunt tamen alij, & quidem verisimilius, hæc Dauidis verba de venialibus intelligi, atque ita interpretatum ea fuisse Bernardum in Can. & propterea eruditos non delicta, sed errores aut ignorantias, iuxta Hebraicam veritatem, hic transtulisse. Cum mortalia tamen verius sint & magis propriè delicta, ac magis nos coinquinent quam venialia, cur hæc ad sola venialia coarctentur? Deinde sancti viri propter vtraque peccata iugiter vtuntur hac oratione: *Ab occultis meis munda me Domine.* Ergo antecedentia etiam ad vtraque delicta referenda sunt. Neque Bernardus sic ad venialia refert, vt ad mortalia referri nō posse crediderit. Et qui errores aut ignorātias pro delictis verterunt, non idcirco ad sola venialia hæc spectare docuerunt. Sunt enim & ignorantiæ aliquæ lethales, vt sexcentis Scripturæ locis Hier. docet in fine 1. Dialog. in Pelagianos. Explicuit & hanc veritatem, & parentis sui doctrinam confirmauit sapientissimus Salomon illis verbis: *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Nam huiusmodi interrogationes, & in sacris literis, & apud doctissimos quosque authores vim habent frequenter vniuersalium negationum. Vnde & Hieronymus in Ioelis verba, *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus? Quod, ait, quis? aut impossibile, aut difficile sentiendum est. Perinde itaq; est dictu, Quis potest dicere, mundum est cor meum: ac si apertius diceretur, Nemo vere potest dicere.*

1. Cor. 4.

Respon. 2.

Impugnatio.

Argum. 3.

Prou. 20

Hieron. in Ioel. 2.

Regula pro interrogationibus Scripturæ.

Vnde Glossa hic dicit, nullum hoc posse dicere, nisi ex speciali gratia Dei. Referunt quidam ista verba ad venialia, & ideò putant Salomonem ea dixisse, quia nemo potest dicere se esse sine veniali, iuxta illud Ioann. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Sed certè qui est in gratia, mundum habet cor, & qui certo sciret, se esse in gratia, certo posset scire aliquoties se esse sine peccato. Etenim venialia, multa habent remedia, de quorum applicatione nobis potest certo constare. Sed si hoc non sufficiat testimonium, certè omnibus sufficere deberet, quod in Ecclesiaste idem Salomon scribit: *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa æque eueniant iusto & impio.*

1. Ioan. 1.

Argum. 4.

Eccles. 9.

Expendamus bene omnia, neque dubitabi-

tabimus eis aduersari, qui dicunt, aliquos iustos vel sapientes posse ex lege communi scire se esse in gratia Dei. Primo: Qui scirent se esse in gratia Dei, scirent vtique se esse ex misericordia Dei dignos ipsius amore. Qui ergo dixit neminem scire posse, an amore Dei sit dignus: clare professus est, neminem scire an sit in Dei gratia. Item: Si scire possumus nos esse Deo gratos, non omnia igitur in futurum seruantur incerta.

Obiectio. Verum hoc tam clarum & tam vrgens testimonium, varijs vijs obscurare & eneruare multi contendunt. Et Protestantes, ac nominatim Bucerus, grauiter accusant nos, & insimulant, quod, vt pacis componendæ inimici, detorqueamus Salomonis verba, & in alienum sensum rapiamus, docentes homines, etiam cùm actu perpetrant maxima flagitia, nescire, an in odio sint Dei. Putantque ipsi genuinum Salomonis sensum fuisse neminem, ex illis, quæ extrinsecus apparent, certum posse habere argumentum internæ suæ charitatis & iustitiæ. Et quidam ex nostris, hanc expositionem ipsorum sequuntur, & Hieronymi putant fuisse. Adeoque fo te existimant argumentum eorum de peccatoribus, cognoscentibus per fidem se esse in Dei odio, vt propter illud necesse putent vel istam expositionem acceptare, vel certe hæc verba ad diuinam prædestinationem & reprobationem referre.

Duplex aliorum expositio.

Respons. Sed qui hæc nobis obijciunt, parum aduertunt, quæ Salomon præmisit illis verbis, *Nescit homo, &c.* Ideo inspirante Spiritu sancto præmisit illa verba, *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei*: vt de iustis duntaxat intelligerentur, quæ sequuntur, neque ad peccatores transferrentur, qui per fidem possunt scire se esse in odio diuino. Hoc enim est, quod maxime Salomonem in admirationem & stuporem adducebat, quod neque iusti neque sapientes, tametsi Deo cari sint, & omnia alia probe dijudicare nouerint, possint in hac militia de se scire, Deo ne sint cari, an exosi. Et cum Salomon absolute pronunciet, neminem eorum hoc scire posse, perperam profecto faciunt, qui ad suum sensum repugnantem literam coarctantes, affirmare audent, tantum voluisse Salomonem docere, neminem hoc scire posse ex extrinsecis signis vel argumentis.

Neque assequuntur profecto, vt pace eorum dixerim, mentem Salomonis. Non ille in hoc adiecit illa verba, *Eo quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio*, vt limitaret, quæ prædixerat, sed vt confirmaret, quam asseuerat iustorum de sua gratia vel odio incertitudinem, & ipsius aliquam explicaret causam. Et argumentum Salomonis tale est: Si constare posset qui essent Deo cari, maxime constaret ex eo quod prospera eis cuncta succederent. Et si scire possemus, qui essent extra gratiam Dei, maxime hoc colligere possemus ex aduersitatibus & infortunijs, quæ patiuntur. Nam quos amamus, solemus beneficijs prosequi, & contra mala inferre eis, quos odimus. Verum ex hac parte nemo potest non solum certo, sed neque probabiliter colligere odium aut amorem diuinum. Vniuersa enim æque eueniunt iusto & impio. Nulla igitur ex parte scire possunt iusti, an sint in odio, an in amore diuino.

Quod si aliunde hoc sciri potest, non solum non fuisset efficax, sed quidem nec apparens hic discursus. Quare & hac ratione, vt argumentum Salomonis maneat in suo vigore, obstructas deberemus nobis dicere omnes vias, quibus tanti arcani certam omnino possimus adipisci notitiam. Et cum Doctores aliqui pij, vt Bernardus, Hugo Cardinal. Ioann. Gerson in de mystica Theologia, & Dionysius Carthusiensis ad prædestinationem & reprobationem hæc verba Salomonis referunt, non sic existimandi sunt eò ipsa retulisse, quasi non etiam hinc constare crediderint, nemini posse hic suam gratiam secundum præsentem iustitiam notam esse. Vtrunque enim verum est hinc conuinci.

Nec ea ratione potest quis euadere, quod vbi duo sunt sensus Scripturæ, licet vtrumuis sectari, neque necesse est alterum acceptare. Non duo sunt huius loci sensus, sed vnicus, isque apertissimus.

Et eo

Et eo duo negantur,& simpliciter asseritur, neminem iustorum posse communi lege scire an ametur à Deo, neque secundum præsentem iustitiam, neque secundum æternam prædestinationem. Nam vtrumq; exclusit,qui dixit omnia in futurum seruari incerta,& hominem nescire an amore sit dignus. Siquidem vterque amor, vetus amor est: neque aliud est,omnia in futurum seruari incerta, quam, hoc tempore nullam de his haberi certitudinem.

Quare prudentissime Alexander Halensis, S. Thomas, S Bonauen. Scotus, Nicolaus & alij,ad amorem etiam secundum præsentem iustitiam retulerunt hæc verba. Et iniuriam profecto faciunt,& quidē non leuem, Diuo Hieronymo,qui aliter putant eum interpretatum fuisse hūc locum. Esset tamen hoc vtcunque tolerabile, si non & alij propter verba quædam falso ex eo citata, etiam in opposita sententia eum fuisse contenderent.Sed, Deo dante, vindicabimus ipsum ab vtraque iniuria, & apertissima postea testimonia ipsius pro nobis proferemus. Nunc, ne dubitemus in eum sensum ab eo accepta hæc Salomonis verba, quem statim explicuimus,quæ in ipsa edisserit, attente audiamus. Pro citatis verbis ex communi Translatione, ipse sic habet in Textu: *Et quidem caritatem & quidem odiū non est cognoscens homo, omnia in facie eorum.* Et in Commentarijs sic legit. *Et insuper neque amicitias,neque inimicitias scit homo sed omnia coram eis incerta.* Et hæc ita continenter exponit:Porro hic sensus est :Etiam in hoc dedi cor meum,& scire volui quos Deus diligeret,& quos odisset,& inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen vtrum amentur à Deo,an non,nunc eos scire non posse,& ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem sustineant,quæ sustinent, an ad supplicium.

Vides,vt ad solos iustos verba Salomonis referat, & palam asserat eum sensisse, non posse illos scire vtrum amentur à Deo an non?Sed audi, quid statim adiungat:*In futuro igitur scient,& in vultu eorum sunt omnia.* id est, antecedit eos, cum de vita hac discesserint, notitia istius rei, quia tunc est iudicium, nunc certamen.*Et quicunque aduersa sustinent, vtrum per amorem Dei sustineant, vt Iob: an per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Et paulo post ita subdit: *Non putant simplices esse iudicium, quod in futuro sit discrimen, & hic confusa sunt omnia.* Quod autem ait, *Euentus est vnus omnibus iusto & impio*, siue angustiarum, siue mortis significat euentum, & idcirco neque caritatem Dei eos in se nosse, neque odium.

An non hic agnoscis Hieronymum aperte affirmare,iustis ex sententia Salomonis incertum esse, an in caritate Dei sint, quia omnia perinde illis, ac impijs, succedunt. Ego quidem quid potuerit ille pro nostra sententia,aut apertius,aut dilucidius scribere, non intelligo.

CAPVT XI.

De testimonijs Danielis, Ioelis, Ionæ,& Petri atq; Ecclesiastici,pro incertitudine gratiæ.

NEQVE obscure eandem veritatem nobis tradiderunt Prophetæ alij,cum non absolute remissionem peccatorum pollicebantur pœnitentibus,sed cum quodam hæsitationis temperamento. Illis notis hæsitationis, *Forsan*, *Forte*, *Forsitan*, *Quis scit*: quibus non semel vsi sunt, indicabant nimirum, se non audere polliceri certitudinem de iustificatione,neque debere pœnitentes, mox vt viderent se suorum peccatorum pœnitere, certo suam sibi iustificationem persuadere,sed duntaxat sperare & confidere se ex Dei misericordia gratiam & remissionē peccatorū assecuturos. Argum. 5.

Daniel ad Nabuchodonosorem regem ita ait:*Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum Forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* In quæ verba Hieronymus ita scribit: *Cum Daniel prascius futurorum, de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt qui audacter veniam pollicentur peccantibus.* Et licet Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ,præter rem dicat,adiectam esse à Diuo Hieronymo dubitatiuam particulam,& multo imprudentius eum disputas- 5. Prob. Dan. 4.

se, incertam esse remissionem peccatorum: ergo imprudentiam istam Hieronymi ac, si volunt, stultitiam, toti suæ & suorum calliditati multis nominibus antefero.

Legi quidem apud Cypr. in serm. de eleemosyna, hoc testimonium sine particula vlla, aut nota hæsitationis, ita videlicet: *Et erit Deus parcens delictis tuis.* Neque ignoro alios eam notam intermisisse, & sic vertisse: *Id enim erit sanitas pro errore tuo*: vel sic, *Id enim erit sanitas ad pacem tuam.* Immerito tamen dicitur præter rem adiecta particula dubitatiua, à Hier. cum ei respondeat Hebraice vel Chald. particula illa quæ הן, nunc, *Ecce*, nunc *Si*, Latine reddi potest. Et si pro Si, ibi ponitur, optime est explicatus sensus per forsitan: neque LXX, neque Santes Pagninus, neque author editionis Tigurinæ, quisquis ille fuerit, particulam istam dubitatiuam intermiserunt. Septuaginta enim sic verterunt, ἴσως ἔσται μακρόθυμος τοῖς παραπτώμασί σου. Quod ad verbum sic potest Latine reddi, *Forte erit longanimis delictis tuis.* Pagninus autem sic vertit, *Si forte sit prolongatio pacis tuæ.* In Tigurina autem editione sic lego, *Fortasse felicitas tua prorogabitur.* Et prudentissime Hieronymus credidit, eo temperamento Danielem fuisse vsum, cum videret eodem apertissime fuisse vsos alios prophetas. Sed transeamus ad eorum testimonia, quæ manifeste reuincent aduersarios, neque vlli calumniæ, vel tergiuersationi locum dabunt.

Ioel, cum exhortaretur Dei populum, vt conuerteret se in toto corde ad Dominum, quia benignus & patiens est, & præstabilis super malitia: statim adiecit, *Quis scit, si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?* Super quæ verba eruditissime, vt assolet, Hieronymus prophetæ nomine ita scribit: *Ne desperetis veniam, scelerum magnitudine, quia magna peccata, magna delebit misericordia: & si nos egerimus pœnitentiam, & ipsum pœnitebit comminationis suæ, & mala quæ comminatus est, nobis non inferet, nostraque mutatione sententiæ, & ipse mutabitur.* Et statim addit: *Sed ne forsitan, magnitudo clementiæ nos faceret negligentes, adiunxit: Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus? Ego, inquit, hortor, quod meum est, ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui esse clementem, dicente Dauid: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Psalm. 50.
Sed quia profundum diuitiarum sapientiæ Dei nosse non possumus, sententiam tempero, & opto potius quam præsumo, dicens: Quis scit, si conuertatur & ignoscat? Quod ait, Quis: aut impossibile, aut difficile sentiendum est. Hæc ille.

Apud Ionam etiam ex ore regis & principum ipsius, sub his verbis indicta est pœnitentia Niniuitis & ieiunium: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore suo, & non peribimus?*

In quæ verba Hieronymus: *Illud quoque, quod dicitur, Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus: ideo ambiguū ponitur & incertum, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.*

In eundem modum princeps Apostolorum Petrus, Simonem Magum exhortatus est ad pœnitentiam his verbis: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga* Actuum 8.
Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis. Cur prophetæ isti & Petrus, qui constantissime prædicabant Deum misericordem esse, & valde præstabilem super hominum malitijs, istis hæsitationis notis vtebantur, nisi, vt docerent, non leuiter oportere credere nos esse iustificatos, neque statim ad qualemcunque pœnitentiam debere nobismetipsis promittere remissionē peccatorum?

Mihi quidem, vt ingenue dicam, quod sentio, sic olim locuti prophetæ isti videntur, vt iam tum deterrerent iustos ab ista certitudine remissionis suorum peccatorum, quam quidam his temporibus iustificatis omnibus persuadere moliti sunt, & ea forma loquentes, arma nobis subministrasse videntur, quibus omnes hos, vt sic dicam, Certitudinarios reuinceremus.

Qua etiam de causa ab Ecclesiastico dictum est: *De propitiato peccato* (vel, vt alij vertunt, *De propitiatu peccati*: vel, vt ad verbum melius possemus vertere verba Græca his respondentia, περὶ ἐξιλασμοῦ, *De propitiatione, vel placatione*) *noli esse sine metu.* Enimuero de propitiatis peccatis, aut de propitiatione peccatorum nostrorum nunquam iuberet Argum. 6. Ecclesi. 5.

illle

ille vt semper essemus cum metu, si certi possemus esse ex fide, de eorum remissione. Sine pœnitentia quidem sunt dona Dei, & certissimum est, nunquam eum retractare sententiam suam de remissione peccatorum, neque imputare amplius ad culpam peccata, quæ semel condonauerit. Qui ergo præcipit de remissione peccatorũ, non esse omnino absque metu: docet manifeste, neminem debere sibi certo & absque vlla hæsitatione eam persuadere.

Quare Nicolaus Lyranus ex his verbis colligit, etiam de peccatis nobis per pœnitentiam remissis, non debere nos esse omnino securos: quia nescimus, an fuerit eorum pœnitentia sufficiens. Et Rabanus ante ipsum in commentarijs in Ecclesiasticũ, qui habentur Venetijs in bibliotheca præclari nostri cœnobij sancti Francisci à Vinea, his verbis admonitos omnes esse putat, ne nimium simus securi, & omnino sine metu de adepta venia peccatorum. *Quis enim* (ait) *scit, si conuertatur & ignoscat Deus?*
Ioel. 2.

Eccli. 5. Et quæ statim addit, *Neque adijcias peccatum super peccatum & ne dicas, Miseratio Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur:* Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius: non in hunc sensum accipienda sunt, quasi propter peccata posteriora, Deus imputet etiam priora, & reuocet misericordiã exhibitam: atque ideo neque de peccatis remissis debeamus esse securi. Quid hoc absurdius? Quid magis à diuina iustitia & misericordia alienum? Ideo potius hæc adiecta sunt, vt confirmarentur priora. Quia enim ex nimia fiducia de remissis peccatis, proficisci maxime posset, vt addamus peccata peccatis, ne ex hac confidentia id faceremus, admonuit iræ diuinæ Ecclesiasticus, verendumque esse, ne Deus qui peccata priora condonauit misericorditer, nouis sic irritetur offensis, vt ob tãti beneficij ingratitudinem, posteriora nunquam condonet, neque apud eum amplius locus sit vllus gratiæ, quam, non obstantibus priorib. peccatis, iam inueneramus.

):(

CAPVT XII.

De testimonijs Pauli pro incertitudine iustificationis.

HANC item incertitudinem iustificationis apertissime omnes docuit Paulus in priore epist. ad Corinth. Fuit quidem ille certus per reuelationem diuinam non solum de sua salute, sed & de sua prædestinatione, tamen vel quod nondum eam reuelationem habuerat, vel quod humano more de se, quatenus scientia humana poterat sibi esse notus, loquebatur, absolute ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quod profecto non est aliud dictu, quam quod nos aliquando apertius possemus sic dicere: Nihil mihi conscius sum, sed non ideo iustificatum me esse credo. Possum enim apud Deum, cui melius notus sum, quã mihijpsi, reus esse alicuius delicti, cuius mihi non sum conscius. Argum. 7.

Neque nouum aut insuetum est in scripturis, accipere, *in hoc* pro, *propter hoc*: aut, *ex hoc*: aut, *per hoc*: vel, *ideo*. *In hoc scimus*, ait Ioan. *quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus.* Et iterum: *In hoc scimus, quoniam in ipso sumus.* Et frequentissime accipitur in scripturis, *In*, pro *Per*. & Latine dicimus, Facies tu quidem istuc, sed non in hoc obtinebis gratiam regis pro eodem, quod est, Sed nõ ea causa, vel eo nomine obtinebis gratiam regis. Et ita intellexit hunc locum Diui Pauli Ambrosius. *Apertum est, ait, quia conscientiam puram habens sollicitus de se non erat. Sed humiliat se, & loquitur vt homo, qui possit peccatũ incurrere nescius.* Idẽ, in hoc, & propter hoc. 1. Ioan. 2. 1. Ioan. 4.

Et aliquanto apertius in eundẽ sensum exposuit Apostolum Hieronymus secundo libro dialogorum aduersus Pelagianos. Ponderans enim hæc verba, ita scribit: *Qui hoc dicebat, nullius vtique peccati sibi conscius erat: sed quia legerat, Delicta quis intelligit: &, Sunt viæ quæ videntur viro iustæ, nouissima autem eorum respiciunt in profundũ inferni: & iterum, Omnis vir videtur sibi iustus, Deus a. corda hominũ dirigit: idcirco temperabat sententiã, ne forte per ignorantiam deliquisset, maxime cum Script. testetur Est iustus, qui perit in iustitia sua: &, Iustẽ qui sim est, se-*

&abeiris:ne opinione veritatis,à iustitia declinemus, recordantes Saulis & Achan. Hæc Hieronymus.

Et in eandem sententiam intellexit hæc verba Augustinus super illa verba Psalm. 41. *Abyssus abyssum inuocat.* Atque ex his probat, abyssos esse omnes iustos & omnes sanctos quantumcunque proficiant, & abyssum fuisse ipsum Apostolum. *Quanta* inquit, *abyssus sit, audite. Tantam profunditatem credit esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est. Cū enim dixisset, Nihil mihi conscius sum:* 1. Cor. 4. *adiecit, sed non in hoc iustificatus sum.*

Et Chrysostom tractans hæc verba, ita scribit: Chrys. hom. 11. super 1. Corinth. *Nemo tamen Paulum vt stultum reprehendat, quod neminem dignum dicit, qui de ipso ferat sententiam. Primum enim non propter se hoc dicit, sed propter alios.* Præterea: Neque Corinthios tantum, sed seipsum quoque hoc priuat iudicio. quod cognitione sua maius testatur. Subdit enim, *Sed neque meipsum iudico.* Et quia accidit, hominem in quibusdam peccare, quæ peccata esse ignorat, non se irreprehensibilem arbitratus est, sicque indignum esse, qui ab alijs iudicaretur. Sed eorum os obstruit, qui sine ratione hoc faciunt: Et addit: *Quod si, in quibus ipse peccaui, nihil certo mihi conscius sum, quo pacto dignus fuero, qui de alijs feram sententiam? Qua autem ratione, si res meas non satis exploratas habeo, aliena potero iudicare?* Etenim ita loquebantur, non vt seipsum irreprehensibilem diceret, sed vt si quispiam apud eos inueniretur, qui nihil peccasset, neque hunc dignum fore, qui cæterorum vitam examinaret, ostenderet.

Anselmus etiam in commentarijs huius loci sic ex eo colligit: Nullius itaque peccati conscius erat, sed quia legerat, *Delicta quis intelligit*, sententiam temperauit, ne forte per ignorantiam deliquisset. Ideo addidit, Psalm. 18. *Sed non in hoc iustificatus sum* Sed apertius multo mellifluus Bernardus in hunc sensum hæc verba interpretantur, in epist. 42. quæ est ad Henricum Senonen. archiepiscop. *Prauum, inquit, est cor hominis & imperscrutabile, ita vt nemo sciat, quæ sunt in homine, nisi Spiritus hominis, qui in eo est, sed neque ipse plene. Neque cum Apostolus diceret, Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: adiecit, Sed neque ego meipsum iudico. Quare: Quoniam non possum, ait, ratam de me proferre sententiam. Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum. Non ex toto credo me vel ipsi conscientiæ meæ, quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum Neque potest iudicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me, Dominus est. Dominus, inquit, cui vtique scientiam non fugit, scientiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse, qui cogitat.* Hucusque Bernardus. Et in eundem sensum interpretati sunt hunc locum Glo. Ordinaria, Alex. Halen. S. Thomas Caie. Nicolaus Lyranus & Alex de Alexandria, generalis quondam minister nostri Ordinis.

Quoniam autem testimonium hoc apertissimum, varijs expositionibus multi obscurare & labefactare conati sunt, libet omnes illas in medium producere, & apertis argumentis refellere, vt liberius & planius statuere postea possimus germanum & genuinum sensum Pauli. Alienæ quædam Pauli expositiones. Lutherus in ar. 4. suarum assertionum, Paulum tantum hic docuisse affirmat, nullum iustificationis argum. sumi ex operum qualitate. Atque hinc interpretationem mordicus sui discipuli sectantur. Exposit. Atqui Paulus non solum dixit, se non audere asserere iustum ex hoc, quod nihil sibi conscius esset, sed simpliciter iudicium de sua iustitia à se remouit, & in Deum transtulit, & ita se non posse Impugnat. iudicare explicuit, vt alij neq; poterāt, nec q; debebāt eū iudicare: ac tandem. vt mox videbimus, ab his occultis & arcanis iudicandis vt vsque in diem iudicij abstineremus, admonuit Alij dicunt, non asseruisse Paulum, se non esse iustificatum: sed non esse Exposit. iustificatum in eo, quod nihil sibi conscius erat. Namque iustificatus erat vna Christi gratia: & non proprium iudicium, sed Deus est, qui iustificat.

Sed quid opus erat, tam ineptam opinionem refellere? Quis ita poterat desipere, vt ignorantiæ illi sui nescientiæ virtutē Impugn. iustificandi tribueret? Neque ad rem, quā agebat, hoc pertinebat: neque antecedentia aut cōsequentia, tam [illegible] sensui aliqua ex parte vel in [illegible] conueniunt.

Alij

Exposit. 3.

Alij euadere se putant hoc argumentum, dicentes Paulum non hic egisse de iustificatione, qua quis apud Deum iustus est, sed de iustificatione in sui muneris & dispensationis fideli administratione & functione, de qua statim dixerat: Hic iam quæritur inter dispensatores, an fidelis quis inueniatur.

Impugn.

Quorsum vero hic meminisset indicij diuini, & ad illud prouocasset, & simpliciter se non esse iustificatum, quia nihil sibi conscius esset, asseruisset, si tantum de fidelitate ministerij & dispēsationis suæ, quæ & iudicijs humanis subest, tractasset, & non potius ex hac occasione arcanum & secretum nostræ iustitiæ obiter docere voluisset?

Exposit. 4.

Alij de absoluta & perfecta iustificatione Paulum locutum esse asseuerant, & ideo dixisse, non se esse iustificatū in hoc, quod nihil sibi conscius erat, quia obrepunt hic iustis sæpe, ipsis nescientibus, aliqua peccata venialia. Pro hac sententia putant se habere Augustini testimonium, quod ex libro de vera & falsa pœnitentia, refertur à Gratiano, de pœnitentia d. 3 c. Adhuc instant quidam.

Impugn.

Attamen cum iustus dicatur, & nonnulla laude sit dignus, quicunque in Dei gratia est, etiamsi multis obnoxius sit peccatis venialibus, qui asseruit sibi non esse satis, vt se iustum pronunciaret, nihil sibi conscium esse, & expectandam laudem iustitiæ docuit à iudicio diuino, quod omnia manifestabit clare ostendit, se non solum sibi non tribuere iustificationem absolutam & perfectam, sed neque imperfectam aut inconsummatam.

Exposit. 5. Adhuc instant.

Et Cap. citatum, à nobis stat magis, quam contra nos: Neque enim ad sola venialia sunt referenda verba, quibus dicitur Paulus non se confirmasse absque peccato, sed dubitasse, cum hæc dixit, se peccare, hoc est, se esse in peccato aliquo prius admisso. Nam si ad sola venialia hæc referrentur, non confutarentur ex eis, qui negabant pœnitentibus indulgentiam mortalium. Quod quidem, propositum est & scopus illius Cap. Ideo verò putatur & illud cap. contra nos militare, quia parum aduertitur, etiam cum studio vehementi seruiendi Deo, & cum spiritu prophetiæ fieri posse, vt per ignorantiam admittamus aliquod peccatum. Quare & hac ratione poterat Augustinus dicere, Paulum non fuisse ausum se confirmare absque peccato, etiam si certus esset se habere spiritum Dei, & rectissimam intentionem illi seruiendi.

Sed vt ingenue dicam, quod sentio, tam perplexa sunt verba illius cap. & tam parū secum cohærent, vt vix possim credere esse Augustini. Mittamus igitur & valere iubeamus omnes has violentas & Paulo indignas expositiones, & ex omnibus hinc inde circumiacentibus genuinum ostendamus eum sensum, qui nobis est à Patribus nostris iam traditus. Non erat sane Pauli propositum in hoc loco, prædicare gratiā Christi neque explicare causam, vnde potissimum nos iustificemur. Neque si hoc voluisset, necesse fuisset, vt diximus, refellere, non esse causam nostræ iustitiæ nescientiam delicti in conscientia.

Quod esset propositū Pauli.

Propositum Pauli in hoc loco erat, ab eo deterrere schismate, quod inter Corinthios tum maximè vigebat, vt quidam se esse dicerent Pauli, alij Apollo, alij Cephæ. Et cum ab hoc deterruisset schismate, & docuisset nō esse diuidendum Christum, neq; gloriandum in hominibus, quādoquidem omnes ipsi, ministri essent Christi, in vsus & commoda eorum à Deo electi, sumpta ex hoc occasione, huiuscemodi quæstionem subiunxit inter eos esse, an fidelis quis inueniretur inter ipsos ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: statimque adiecit, sibi quidem pro minimo esse, si ab ipsis iudicaretur, aut ab humano die, hoc est, nihil prorsus se facere, si vel ipsi, vel alij quicunque secundum humanum morem iudicantes, perperam de ipso sentirent, & infidelem eum dispensatorem existimarent.

Humanus dies.

Humanum enim diem, eleganti metalepsi iudicium humanum vocauit, quod & ab hominibus venit, & cum hominibus velut dies transit.

Quoniam autem iste humanorum iudiciorum contemptus, videri poterat proficisci ex eo, quod ipse sibi certo conscius esset, se esse fidelem ministrum Christi, ne hanc arrogantiam sibi quispiam obijceret,

tenebrarum. Tertio, quia si tãtus iste Apostolus, tametsi illius delicti sibi esset conscius, nõ ausus est, humano more de se sententiam ferens, se iustum aut iustificatum asserere, sed expectare se dixit iudicium diuinum, & in solo illo secure gloriandum, neq; satis sibi esse, vt se crederet iustificatũ, quod nihil sibi conscius esset: quis, si sapit, præsumat, se iustum prorsus & indubitanter asserere?

Non audet Paulus, qui se optime nouerat ad suæ testimonium conscientiæ pro se sententiã ferre, & audebis tu ô homo, quisquis es, qui ad illum collatus, nihil es, ad tuæ testimonium conscientiæ te absoluere, & iam iustum pronunciare? Et confirmant mirifice hunc sensum, quæ alibi dicit idem

1. Cor. 1. 2. Cor. 10. Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est,* Ierem. 9. *sed quem Deus commendat.* Quid sibi aliud volunt ista, *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*: quam, non sufficere ad nostram probationẽ, nostrum proprium testimonium, neq; debere nos ei inniti, sed vni commendationi diuinæ, & in illius vnius testimonio, non in nostro debere gloriari?

Equidem si ex fide asserere possemus & credere, nos esse iustos, cum fidei nequeat subesse quidpiam falsi, vere probati essemus, etiamsi nos sic commẽdaremus, neq; esset nobis necesse expectare commendationem diuinam ad probationem nostram. Sed ne sic quispiam se deciperet, alibi salu-

1. Cor. 1. berrime asseuerat: *Si quis se existimat scire aliquid, nõdum cognouit quomodo oporteat eum scire.*

Galat. 6. & rursus: *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Profecto qui se fidei certitudine putat iustum, nõ aliquid tãtum sed magnum quid se esse existimat, licet credat se hoc habere ex Dei gratia.

CAPVT XIII.

De testimonijs antiquorum Doctorum, pro incertitudine iustificationis.

QVANQVAM citata scripturarum loca satis & esse possunt & debent, vt nemo suam sibi certo ex fide persuadere debeat iustitiam, præsertim cum illa apertissimis sanctorum Doctorum expositionibus ita communierimus, vt non facile a quoquam eneruari aut infirmari possint: quo tamẽ idem & certius & confirmatius sit, adijciam his nonnulla antiquorum Patrum testimonia, quibus istam ipsi veritatẽ docuerunt & se lõgissime semper fuisse ab ista temeraria persuasione, perspicue declararunt.

Ac primo quidem pro ista sententia videtur stare Cyprianus, sapientia, eloquentia, vitæ sanctitate, & laude martyrij in tota Ecclesia illustris. Cum enim eleemosynam ostenderet medicinam esse peccatorum, quæ admittimus post baptismum, necessitatem illius ostendit, quia nemo sine peccato hic esse potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est. Ser. de eleem.

Et quamuis ista dixisse videri posset propter venialia, quibus omnes etiam iusti cõmuni ex lege sunt obnoxij, tamen cum indistincte loquatur, & medicinam sit eleemosyna non venialium tãtum sed etiam mortalium, videtur ad vtraque sermonem retulisse, eoque dixisse, quia nemo in hac vita potest ex fide scire se esse iustum. Nam si certi esse possemus ex fide de nostra iustificatione, aliquando possemus etiam certi esse nos omni carere culpa veniali, eo videlicet tẽpore, quo sciremus nos habere dilectionem Dei super omnia, quã certum est tollere omnẽ culpam venialẽ, præsertim in illo, qui firmiter apud se cõstituit, nullã talem culpam aliqua ratione admittere. Itaq; & hac ratione testimonia, quibus sancti asserũt indistincte, neminem posse asserere se iustum & inculpatum, si bene expendãtur, & à nobis censeri debent stare. Dilectio Dei tollit omnem culpam.

Sed ipsa verba Cypriani subscribã: *Agnoscamus, inquit, fratres carissimi, diuinæ indulgẽtiæ munus salubre, & emũdãdis purgãdisq; peccatis nostris, qui sine aliquo cõscientiæ vulnere esse non possumus medelis spiritalibus vulnera nostra curemus. Nec quisquã sic sibi blãdiatur de puro atq; immaculato corde, vt innocẽtia sua fretus, medicinã nõ putet esse adhibẽdã vulneribus cũ scriptũ sit. Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis? Et iterum in epistola sua Ioannes ponat, & dicat: Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas*

in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. Si autem nemo esse sine peccato potest & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est: quam necessaria, quam benigna est clementia diuina, quæ, cum sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisq́; vulneribus remedia salutaria? Hæc ibi. Et in expositione orationis Dominicæ, de publicano laudato in Euangelio, sic scribit: *Cum sibi pharisæus placeret, sanctificari hic magis meruit, qui spem salutis non in fiducia innocentiæ suæ posuit, cum innocens nemo sit: sed peccata confessus, humiliter orauit, & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit.*

Hierony. Apertius tamen multo hanc eandem veritatem docuit barbarus ille Hieronymus, fulgentissimum & Ecclesiæ & sacrarum scripturarum lumen, tum quidem in locis iam citatis, tum vero in nonnullis aliis. Illa verba, *Ecce ego implebo omnes habitatores terræ* Hiere. 13. *huius, & reges, qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius, & sacerdotes, & prophetas, & habitatores Hierusalem ebrietate:* interpretanda esse docet de ebrieta e, qua obliuisc mur præceptorum Dei, & vitiis atque peccatis o- mnes implemur, iuxta illud, *Non iustificabitur* Psal. 142. *in conspectu tuo omnis viuens.* Et exponens hæc verba Dauidis, statim addit: *Non ad comparationem Dei, vt veteres & noui hæretici volunt, & patroni hæreticorum: sed ad scientiam eius. Homo enim videt in facie, Deus in corde: & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur. Et ne quispiam ad solum vulgus, vilemque plebeculam hæc crederet spectare, adiectos putat a propheta reges & sacerdotes & prophetas, qui scientiam videntur habere scripturarum.*

Cum itaque certum sit, DEVM nosse aliquos esse iustos, non obscurum est, sensisse Hieronymum ista esse ad scientiam DEI referenda, quia nemo est in hac vita, quantacunque scientia, dignitate, & sanctitate polleat, qui absque illius reuelatione possit satis certus esse de sua iustitia. Vnde & omnia, quæ dixerat, illis verbis confir- 1. Reg. 16. mauit: *Homo videt in facie, Deus in corde:* moxque illa adiecit, *Et quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.*

Et animaduertendum est, hæreticorum & patronorum hæreticorum putasse testimonium hoc secus exponere, & ad comparationem DEI, & non potius ad scientiam ipsius referre. Et alibi ponderat, propterea adiecta esse illa verba, *In conspectu tuo:* vt intelligeremus, ad scientiam DEI hæc esse referenda. Et in 2. aduersus Pelagianos, exaggerat illa verba scripturæ: *Nemo scit, quid futurum sit, quia sicuti est, quis* Eccles. 9. *annunciabit ei? Sunt iusti, ad quos peruenit quasi opus impiorum. Et sunt impii, ad quos peruenit quasi opus iustorum.* Hoc, ait, idcirco dicitur, *quia certum iudicium solius Dei est, & quos putamus iustos, sæpe peccatores inueniuntur: & quos econtrario peccatores, apud DEI scientiam iusti sunt. Quantumcunque laborauerit homo, vt inquirat, non reperiet. Et si dixerit sapiens se nosse, inuenire non poterit. Omnium enim vnus occursus est, cordaque filiorum hominum repleta sunt malitia, & in incerto statu, qua Græce ἀσφαλεία dicitur, Musca moritura, siue, vt in Hebraico habetur mortuæ, dem oliuntur atque corrumpunt suauitatem olei. Quis mortalium aliquo errore non capitur? Quem hæreticorum & falsorum dogmatum venena non maculant?* Hactenus ille.

In quibus clarum est, eum non solum asserere certum iudicium de iustitia, solius Dei esse, sed & optimis argumentis & testimoniis id ipsum confirmare. Illa etiam verba Hieremiæ, *Veruntamen scito iniquitatem* Hiere. 3. *tuam, ita nomine Dei edisserit: Cumq; misertus tui fuero ne iustum te æstimes sed memento iniquitatis tuæ semper, & scito quod in Dominum fornicata sis, & superbe colla dimitte vt qui offendisti Dominum per arrogantiam, placeas per humilitatem.* Quibus verbis satis indicat, hoc debere nos cauere, ne vnquam nos iustos certo existimemus, etiam cum Dominus placatus fuerit nobis, & flagella & tribulationes nostras vel abstulerit, vel mitigauerit. Huc etiam spectant, immo vero palam nobis fauent omnia, quibus ille & alii sancti Doctores admonent, ne securi & omni deposito metu, iudicium Dei expectemus. Nam quanquam ea possint dicta existimari propter incertitudinē perseuerā tiæ, tamen

tamen si bene & pro dignitate expendantur, etiam propter incertitudinem status nostri ab ipsis scripta videbuntur. Qui enim certus esset ex fide, se modo esse in gratia, securus & absque vlla trepidatione posset Deo occurrere vocanti ipsum ad iudicium, etiamsi ambiguus esset, an perseueraturus esset in gratia, si Deus permitteret eum hic diutius viuere.

Sed vt apertius sit, ob hanc certitudinem ita illos præcepisse, aut certe ad eam magis eos respexisse, quam ad certitudinem perseuerantiæ, pauca ex multis testimonia Hieronymi subnectam. In expositione illorum verborum Micheæ, *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo:* ita scribit, *Sicut præcipitur nobis, vt faciamus iudicium, & misericordiam diligamus: ita præcipitur nobis, vt parati simus ambulare cum Domino Deo nostro. Nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper expectare patremfamilias venientem, & diem formidare iudicij, & in nocte huius seculi dicere: Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et in epistola etiam ad Florentiam: *Diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere nouissimum quadrantem.* Et in expositione illorum verborum Matthæi, *Post multum vero temporis, &c. Si autem Apostoli reddituri sunt rationem, & sub metu iudicii surrecturi, quid nos oportet facere?*

Mich. 6.

Cant. 5.

Matth. 25

Neq; minus aperte à nobis stat fortissimus ille hæreticorum malleus Augustinus. Passim quidem is asserit, neminem in hac vita posse se certo asseuerare esse iustum. Et quod magis vrget, lib. 1. de pec. mer. & re. ca. 9. & 10. manifeste affirmat, occultissimam esse gratiæ spiritalis communicationem, & remissionem peccatorum, neque esse quidpiam tam occultum, neque tam incertum.

Sed inter omnia, quæ legerim in Augustino, apertissime proposito nostro fauent, quæ scribit in expositione illorum verborum, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Quærit enim: *Quæ incerta? Quæ occulta?* Et respondet: *Quia Deus ignoscit peccatoribus confidentibus & punientibus sua peccata.* Et addit statim: *Nihil tam occultum, nihil tam incertum, atque hoc incertum patefecisse Deum seruo suo Dauid, probat. Cum enim dixisset, stante & arguente ipsum propheta, Peccaui: statim audiuit à propheta, id est, à spiritu Dei, qui erat in propheta: Dimissum est tibi peccatum tuum.*

Psalm. 50.

2. Reg. 12.

In sermone item 16. de verbis Apostoli, tractans illa verba, *Quos autem prædestinauit, illos & vocauit, &c.* ita se ibit: *Prædestinati sumus, antequam essemus: vocati sumus, quando Christiani facti sumus. Iam ergo & hoc habemus. Iustificati quid? Quid est, iustificati? Audemus dicere, iam hoc tertium habere nos? Et erit quisquam nostrum, qui audeat dicere, iustus sum? Puto enim hoc esse dicere, iustus sum: quod est, peccator non sum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* His verbis liquidum est, Augustinum affirmare, neminem posse asserere se esse iustificatum. Tractans etiam illa verba virginum sapientum, *Ne forto non sufficiat nobis & vobis? Vnusquisq;, ait, pro se rationem reddet, neq; alieno testimonio quisq; adiuuatur apud Deum, cui secreta cordis apparent, & vix sibi quisq; sufficit, vt ei testimonium certum perhibeat conscientia sua. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Inde est quod Apostolus ait: Mihi autem minimum est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neq; meipsum iudico. Quapropter cum de seipso quisq;, aut non omnino de se possit veram ferre sententiam, quomodo potest de alio iudicare, cum sciat nemo, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis?*

Rom. 8.

1. Ioan. 1.

q. 18. l. 83. q

Matth. 25.

Prou. 20.

1. Cor. 4.

1. Cor. 2.

Et contra Cœlestium de perfectione iustitiæ, circa finem responsionis ad ratiocinationem 19. Quantalibet iustitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum, cum rex iustus sederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, neque illa, de quibus dictum est, Delicta quis intelligit? Cum ergo rex iustus sederet in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? nisi forte iusti, qui volunt in sua iustitia, non in ipsius iudicis misericordia, gloriari? Profecto si per fidem sciret homo, se esse in gratia, nihil esset, cur formidaret, immo ne formidare

qdem posset, ne quid eum lateret, quod grauiter Deo displiceret. Nam sicut peccatum lethale repugnat gratiæ, ita formido de peccato lethali, repugnat certitudini gratiæ.

Et satis Augustinus indicauit, se etiam ad lethalia crimina hæc retulisse, cum testimonia citauit, quæ cap. 10. etiam ad peccata grauia referenda docuimus. De prædestinatione sanctorum cap. 20. *Audiant Pelagiani: A Domino corriguntur gressus viri. Mortalis autem quomodo intelliget vias suas? Audiant. Omnis vir videtur sibimetipsi iustus, dirigit autem corda Dominus.* His, in omnibus locis, ita aperte docet Augustinus, neminem, etiam ex his, qui sibi nullius peccati sunt conscij, posse certo nosse, an iustus sit, vt superfluum sit, plura ipsius testimonia conquirere. Sed vt magis omnes formidemus tantæ obnoxij arrogantiæ deprehendi, audiamus quid scribat in illa verba, *Tibi soli peccaui.* Post multa demum subdit: *Qui se putat iustum coram te iniustus est.* Est etiam perspicue pro nobis, Chrysostomus homilia vndecima super priorem ad Corinthios, tractans illa verba Pauli, *Nihil mihi conscius sum*, ita concludit: *Duabus rationibus, vel tribus potius, incertum est nostrum iudicium. Prima quidem, quod etsi nobis nihil conscij sumus, eius tamen indigemus, qui peccata nostra certa ratione corripiat. Altera, quod multa opera nostra nos lateant. Tertia præterea, quod multa aliorum opera nobis recta videntur, quæ tamen non recta sunt sententia.* Hæc ille.

Tribus rationibus incertum nostrum iudicium.

Ex quibus patet eum sensisse, nequaquam nos posse neq; de nostra, neq; de aliorum iustitia certam proferre in hac vita sententiam. Vnde & ibidem ita scribit: *Quod si Paulo hæc contingebāt longe magis & nobis.* Et tandem concludit: *Cum igitur etsi nobis nihil conscij, non possumus tamen à criminibus mundi esse, & in quibus bonum aliquid, non tamen recta sententia facimus, pœnæ sumus obnoxij, intelligas velim, quantum homines in iudicando decipiuntur.*

Idem in homilia 77. super Ioannem, quemadmodum & qua de causa contristatus sit Petrus ad trinam interrogationem Christi de amore illius in ipsum, his verbis exponit: *Cum ergo semel atque iterum interrogatus, ipsum arcanorum cordis perscrutatorem testem aduocasset & adhuc tertio interrogaret, perturbatus est Petrus veritus superiora. Nam cum forti animo esset, reprehensus est post modum. Ideo iterum ad ipsum confugit, dicens: Tu omnia scis: Hoc est, præsentia & futura. Vide quanto melior factus est & modestior. Non amplius temere perstat in sententia, neque contradicit.* Et statim addit in persona ipsius Petri: *Propterea contristatus sum ne forte me amare arbitratus, non amem, vt ante, cum me fortem & constantem putarem, imbecillis inuentus sum.*

In his dilucidum est, Chrysostomum bonitati & modestiæ imputare, quod non audeamus de nostra dilectione in Christum, absolutam & certam proferre sententiam: & Petrum ita modestum factum ex negatione, vt non solum non auderet polliceri se futurum constantem in ipsius amore, sed neque auderet asserere se vere Christum amare.

Suffragatus est eidem sententiæ D. Greg. non solum in locis citatis, sed etiam lib. 12. Moral. ca. 38. vbi illa verba Iob, *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget*: hoc modo interpretatur, Si intelligi hoc spiritualiter debet non incongrue filiorum nomine opera designantur, sicut de muliere Paulus dicit, quia salua erit per filiorum generationem. Neq; enim mulier, quæ continentiæ studens, nequaquam filios generat, salua non erit: sed per generationem filiorum saluari dicitur, quia per effectum bonorum operum perpetuę saluti sociatur. Nobiles igitur filij, sunt recta opera: ignobiles autem facta peruersa. Et sępe homo agere quælibet bona intentione nititur, sed tamen pro multis, quę surripiunt eius acta, qualiter apud omnipotētem Deum habeātur, incertum est. Siue itaq; nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelligit: quia subtili examinatione discussa, vtrum approbētur eius opera, an reprobentur, ignorat. Quod si ignotum est à iustis, vtrum sua opera placeā Deo: ignotum & eis erit, an & ipsi placeāt Deo. Minus n. est, placere aliqua opera nostra Deo: quam, placere nosipsos: etsi nos placeamus, placebunt & opera nostra.

Iob 14.

Filij mystice sunt opera.

Acceptatio nostrorum operum incerta.

Sed si hoc testimonium, euincere, quod volumus, non putatur, vt omnis cesset ambiguitas, neque dubitare possit quisquam, egregium hunc totius Ecclesiæ Catholicæ pontificem, & pietate & eruditione admirandum, pro Synodi stare sententia: audiamus, quid ille scripserit ad venerandam quandam Augustæ cubiculariam, nomine Gregoriam, quæ nimium desiderabat remissionis suorum peccatorum obtinere certitudinem. *Quod vero*, inquit, *dulcedo tua subiunxit importunam se mihi existere, quoadusq; scribam mihi esse reuelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui reuelatio fieri debeat: Inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vita tua vltimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.* Hæc ille. Lib. 6. epist. cap. 168

Subscribit his luculenter Bernardus his verbis: Veruntamen delicta quis intelligit; Nam si possum dicere cum Paulo, quod quidem longe est à me: Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc esse iustificatum oporteret me gloriari. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat Si applauserit mihi humanus dies, pro minimo habeo, quia ille lucet tantum in facie. *Homo*, enim, *videt in facie, Deus autem intuetur cor*. Propter hoc Hieremias non satis popularibus sententijs, velut quibusdam humani diei radijs mouebatur, sed fidenter loquebatur Deo, *Diem hominis non concupiui*. Tu scis. Si meus mihi arriserit dies, neque meipsum, inquit, iudico, quia neque ipse me satis intelligo. Solus merito constitutus est iudex viuorum & mortuorum, qui finxit singulatim corda vniuersorum, & intelligit omnia opera eorum. Solum attẽdo iudicem, quem & solum iustificare cognosco. Pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est Non vsurpo mihi, vel super me seruus filij potestatem, neque me annumero illis, de quibus ita conqueri solet: Tulerunt homines à me iudicium. *Et mox addit*: Velim nolim ipsi me adstare necesse est: ipsi horum, quę gesserim in corpore, reddere rationem cui nec verbum prætervolat, nec subterfugit cogitatio. Sub tam æquo libratore meritorum, sub tam intimo secretorum inspectore quis gloriabitur castũ se habere cor? Sola profecto, quæ non solet gloriari, non nouit præsumere, contendere non consueuit, gratiam inuentura est in oculis pietatis, humilitas. Non contendit iudicio, neque prætendit iustitiam, qui vere humilis est, sed dicit: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Recusat iudicium & postulat misericordiam, facilius sibi veniam impetrare posse, quam iustitiam vindicare confidens. *Hucusq; Bernardus.*

Bern. ep. 42. Psalm. 18. 1. Cor 4. 1. Reg. 16. Hier. 17.

In quibus mirifice profecto confirmat nostram sententiam. Non solum enim eam asseuerat, & perinde ac nos, interpretatur loca Pauli, Dauidis, & Salomonis supra citata, verum optimis argumentis eam confirmat, dum docet nos non satis posse nosipsos intelligere, neque decere, vt qui non possumus nos exacte nosse, nostri iudicium vsurpemus, & alienum hoc esse ab humilitate, vt se iustum quis asserat, immo & diuinum vsurpare iudicium, qui hoc præsumit.

Testatur etiam & corroborat hocipsum in quodam sermone super illa verba Apostoli: *Qui gloriatur in Domino glorietur*. Non enim qui seipsum commmendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Non solum enim ibi docet, in hac vita non posse nos plenarie & absque metu & solicitudine multa vel in Domino gloriari, quæ propter incertitudinem perseuerantiæ videri potest dixisse, sed expresse asserit, Paulum merito reprobasse fallacem & vanam gloriam illis verbis. *Mihi autem pro minimo est &c.* Et in eis indicasse illum existimat alienum iudiciũ pro minimo habere, & suum non omnino sequi, quippe qui neque suo neque aliorum, sed Dei iudicio erat iudicãdus: & par esse intelligebat, Dei iudiciũ non anteuertere, neq; gloriã, sed fiduciam habere ad Deum, priusquam secure gloriari possimus ob sententiã veritatis pro nobis in iudicio datam. Et in ser 3. de aduentu Domini, cum mirifice explicuisset periculum 2. Cor. 10. 1. Cor. 4.

lum eorum, qui curam suscepere animarum aliorum, addit etiam hæc, quæ manifeste indicant, eum sensisse, nemini posse satis constare in hac vita suam iustificationem. Accedit sane ad solicitudinis cumulū & pondus timoris, quod cum & meam & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraque mihi abyssus est imperscrutabilis. Vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia, & clamatur: *Custos qui de nocte, Custos qui de nocte*. Hæc Bernard. Esaiæ 21.

CAPVT XIV.

De consensu Scholasticorum Doctorum pro incertitudine gratiæ.

SECVTI, vt assolent, Patres istos Ecclesiæ & fortissimos ipsius antesignanos, mirifico consensu tradiderunt hanc eandem veritatem Doctores Scholastici, & insignes studiosorum alumnæ academiæ eandem confirmarunt. Neque leuis censeri debet aut earum, aut Scholasticorum in idem consentientium authoritas. Vt enim de academiarum authoritate taceam, in quibus & grauissimi semper sunt & eruditissimi magistri, & quæcunque communi consensu diffinienda sunt, magna prius diligentia & examine ad viuum discutiuntur, certe Scholasticorum Doctorum idem sentientium authoritas, tanta apud quencunque pium esse debet, vt temerarium censeri debeat, ab eorum concordi sententia, absque apertissimis saltem & manifestissimis argumentis, discedere. Qui enim pollicitus est suā nunquam Ecclesiam deserere, & eam omnem docere veritatem, neque sinere aliquo errore in fide, vel in moribus violari, aut contaminari, aliquantis annorum centenarijs hos potissimum ei Doctores prospexit. Et aliqui ita ipsi insigniter suo tempore de Ecclesia sunt meriti, ita eam (dispari licet stylo à suis patribus) illustrarunt, ornarunt, & ab hæreticorum & infidelium technis, fraudibus & erroribus defenderunt, vt ingratissimorum sit filiorum, communia eorū placita non, saltem vt probabiliora, recipere. Sed age, signemus primo authores Scholasticos, qui pro nobis sunt, ac deinde academiarū diffinitiones pro eadem sententia commodius subijciemus. Docuit aperte istam nostram sententiam in expositione illorū verborum Pauli, *Nihil mihi conscius sum &c.* irrefragabilis ille doctor Alexander Halensis, totius pene doctrinæ Scholasticæ, secundum magistrum sententiarum, parēs. In tertia parte summæ, q. 71. cum dixisset, non esse homini pro hoc statu possibile agnoscere per scientiam se esse in Dei gratia, ne quis putaret eum locutum fuisse de scientia proprie, qua dicimur scire, quæ clare & euidenter nouimus, & non de scientia, quæ se extendit etiam ad cognita certo, licet incuidenter, in eadem quæstione refellit hunc cauillum, & ante omnia explicat, etiam loquendo communius de scientia, nos non posse hic certitudinaliter hoc cognoscere scientiā cognitiua.

Quod autem ibi adijcit, bene hoc posse sciri scientia affectiua & experimentali, per experientiam dulcedinis spiritalis, & pacis, & eleuationis spiritus, & mitigationis fomitis carnalis, nihil nobis aduersatur. Qua scientia possumus cognoscere nos esse in gratia.

Mox quippe adiecit, hanc cognitionem tantum esse per signa & media fallibilia, & experimentū esse, iuxta Hippocratem, fallax. Media vero & signa fallibilia manifestum est, etiam optime illam probantibus præstare non posse certitudinem, cui non possit subesse falsum. Nam effectus causam nequit excedere, & conclusio certior non potest esse præmissis, ex quibus infertur. Quia ex posteriori ostistica doctrina, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Tradidit eādem sententiam apertius & aliquanto exactius Angelicus Doctor in commentarijs Pauli, in expositione loci illius, *Nihil mihi conscius sum*: & in expositione loci illius, *Vosmetipsos tentate, si estis in fide.* & in 1.2. q.112. art.5. vbi clare & disserte affirmat, possibile esse homini pro hoc statu, scire se esse in gratia per reuelationem diuinam, & per coniecturas & indicia, vt si quis videat se delectari in Deo, mund[...] con- 1. Cor. 4. 2. Cor. 13. Per reuelationem cōiecturas atque indicia potest quis scire, se esse in gratia.

contēnere, & nullius peccati mortalis eum redarguat sua conscientia, non esse tamen possibile nobis, cognoscere hoc per nosipsos certo, sine reuelatione diuina. Et ne quis in his verbis putaret ab eo duntaxat negari possibilē esse nobis scientiam proprie, & habentem euidentiam de nostra iustificatione, aut cum concedit possibilem esse nobis certitudinem de hoc per coniecturas. concedere eum existimaret possibilem esse nobis veram certitudinem & propriam, clare asseruit in corpore articuli, cognitionem per coniecturas, esse imperfectam, & testimonijs scripturarum curauit probare, non esse nobis absque Dei reuelatione possibilem certitudinem de nostra gratia, vt qui vtebatur testimonijs scripturarum ex Iob & Paulo, quæ euidentiam non causant, intelligeretur non probare impossibilitatem euidentiæ, sed certitudinis. Et confirmauit hoc, dum respondit ad argumenta probantia possibilem esse nobis certitudinem sine reuelatione & ea insoluta reliquit, quæ suadebant, eam esse nobis impossibilem. Et ad secundum aperte docuit, quare habentes fidem vel scientiam, haberent certitudinem de sua fide vel scientia: non sic autem, habentes gratiam vel caritatem, certi essent de sua caritate vel gratia. Et ad quartum certissime dixit, nos cognoscere per fidem dona gloriæ data nobis in spe, licet non cognoscamus per certitudinem nos habere gratiam, per quam possimus ea promereri. Neque quenquam debet mouere ad hæsitandum vel tantillulum de hoc, quod ratiocinatione ex principijs illum videat esse vsum ad probandum impossibilem nobis eiusmodi certitudinem. Non enim ratiocinamur solum ex principijs, vt probemus aut causemus euidentiam, sed etiam, vt probemus vel faciamus aliquid certum. Sicut enim omnis euidentia aut ex terminis est, aut per discursum ex principijs, aut ex experientia, ita & certitudo omnis aut ex terminis esse potest, aut ex discursu, aut ex experientia. Et consentaneum fuit, eum, qui probare volebat impossibilitatem talis certitudinis, non solis testimonijs Scripturarum, sed Theologico aliquo, vel Philosophico argumento ex creditis vel cognitis naturaliter, probare eiusmodi cognitionem, quam manifestum erat, non esse possibilē nobis ex terminis, aut ex experientia sine diuina reuelatione, neque haberi à nobis posse per aliquem discursum. Sicut enim certitudo euidens de conclusionibus demonstratiuis non habetur, nisi per indemonstrabilia principia, ita nulla simpliciter certitudo haberi potest à nobis de rebus, neque per experientiā, neque ex terminis notis, nisi dijudicari possit per suum principiū. Et in hoc plerique viri docti nō semel decipiuntur. Putant enim, Doctores veteres, sanctū Thomam dico, & sanctum Bonauenturā, & alios similes, velle solū probare impossibilitatē euidentiæ, cum vident eos probare per propria principia, aliquid esse impossibile. Discursus autem sancti Thomæ hoc in loco, si volumus, semotis ambagibus & perplexitatibus, penetrare sensum illius, hic profecto fuit Principium nostræ iustificationis, Deus est per suā benignissimam voluntatem, vel ipsius potius diuina & benignissima in nos voluntas. Sed nos in hoc statu scire non possumus altissima & abditissima suæ voluntatis consilia, nisi ipse reuelet. Ergo nulla via est, qua possimus nos hic esse certi de nostra gratia, sine Dei reuelatione. Qui enim neque ex terminis neque ex experientia possunt esse certi de aliqua re, nulla via possunt de ea esse certi, si non possint esse certi de principio, quod facere potest certam eam rem. Estque optimum & Theologicissimum hoc argumentū. E quidquid causati sint aliqui viri docti, nulla vel minima causa relicta est, vt quisquam suspicetur S. Tho. non esse apertissime pro nobis. Et hoc ipsum colligere, erit facilimū legenti loca citata ex eodem in commentarijs Pauli. Expositio S. Thomæ.

Tradidit & hanc eādem sententiam Seraphicus doctor Bonauentura in primo, d. 17. par. 1. q. 3. simpliciter asserens neminem posse certitudinaliter cognoscere se habere caritatem, nisi per reuelationē. & vtitur ad hoc suadendum eodem argumento & eisdem testimonijs, quibus sanctus Thomas.

mas. Idemque eisdem vijs absolute tradit Rich. de Media Villa in 1. dist. 17. artic. 1. quæst. 5. Nicol. etiam Lyr inter Scholasticos Dd. & expositores scripturæ, non infimi, neque ignoti nominis, apertissime est pro nobis Iob 9. Prouerb. 20. Eccl. 9. 2. ad Corinth. 13. Et peculiariter Iob 9. propter varietatem motuũ & affectionum animæ, nemini dicit posse hic esse notam simplicitatem animæ suæ, nisi ex speciali gratia diuina. Et super illa verba Eccl. 9. *Nescit homo an amore an odio dignus sit*, non posse asserit via humana certo quenquam nosse se esse in gratia, bene autem per coniecturam, aut per reuelationem. Concors est his doctoribus pius ille iuxta ac doctus Gerson in quarta parte suorũ operum, in tractatu de signis bonis & malis. Inter cætera enim signa mala & signa reprobationis, & hoc quoq; cõputat, si quis, absq; speciali Dei reuelatione, certo credat se esse in gratia.

Timeant igitur & caueant sibi, qui certos se ex fide asseuerare audent de sua gratia, & alios in eundem errorẽ præcipitare satagũt. Accessit his Doctoribus etiã Durandus de sancto Portiano, in 1. d 17. q. 4. Vbi ex professo impugnat quosdam, quos sine nomine allegat asserentes, posse iustis constare suam gratiã per fidem. Est & idem videre in Gabriele in 2. dist. 27. dubio vlt. Et velut constans & certum, hoc idem asseuerat venerãdus ille Episcopus, ac profecto gloriosus nostræ tẽpestatis martyr Roffensis in art. 10. & 11. confutationis Lutheri. Qui & art. 10. cum probaret, neminẽ posse esse hic securũ, an careat mortali peccato, obiter docet contradixisse sibi Lutherum cum hoc negat, & alia ex parte docet tam occultũ esse superbiæ vitiũ, vt nemo sit securus, an eo careat. Et in art. 14. idem repetit, & conijci dicit posse, an habeamus fidẽ formatã, non tamen certo sciri. Neq; his aduersatur, cũ reprehẽdit Lutherũ dicentẽ neminẽ esse interrogandũ à sacerdote de sua cõtritione, quia nemo potest cognoscere delicta sua. Possunt n. vt ille vere dicit, peccatores sentire, verène, an ficte doleant de oĩbus suis peccatis, quantũ satis est ad respondẽdum de hoc sacerdoti, & tamen non omnino certi esse de sua gratia: quia neq; est certũ, quencunq; & qualencunq; verum dolorẽ sufficere ad consequendum gratiã. Idemq; prorsus sensit argutissimus doctor noster Subtilis. Sed quoniam nonnulli etiã ex his, qui ipsius doctrinã profitetur, & ipsius professione & intelligentia gloriantur, non sunt veriti publice in conspectu totius sacræ synodi Tridẽtinæ, eũ asserere partis oppositæ, eiq; nõnulla imposuerunt, quę nec verisimilia ei sunt visa, aliquãtisper hic immorabor, & aliquãto curiosius ostendã, eũ nostræ fuisse sententiæ, & ad ea, quæ in cõtrarium possunt obijci, pro virili nostra respondebo. Sed ne iusto longius sit hoc capitulũ, cõmodius hæc omnia, quę ad Doctorem Subtilem spectant in aliud caput transmittemus.

CAPVT XV.

De testimonijs Scoti pro incertitudine iustificationis.

PRIMVS locus, ex quo possumus conuincere, Doctorem Subtilem, *Synodi* tenuisse sententiam, est in primo dist. 17. q. 1. art. 1. statim in principio. Quod enim non possit concludi aliquis habitus supernaturalis nobis inesse ex aliquo actu, quem in nobis experiamur, neque ex substantia actus, neque ex intentione actus, neque ex dilectione seu facilitate in operando, neq; ex bonitate, siue rectitudine morali actus, probat ibi. quia quocunq; istorum dato, posset aliquis habens caritatem, cognoscere certitudinaliter se esse in caritate. Certe hoc argumento nunquam vteretur Doctor Subtilis, si non & ipse, & omnes suo tempore, pro comperto habuissent, neminem certum posse esse de sua caritate. Et si ad certitudinem euidentiæ ista referantur, nihil valebit hoc argumentum, sed petitio erit principij. Secundus locus est in 3 d. 27. q. vnica, litera H, vbi aperte falsum dicit esse, si quis dicat scire aliquem posse, se esse in caritate: Atque ita putat posse persuaderi Theologice, hominem posse ex puris natu-

naturalibus diligere Deum sine aliquo habitu infuso, quia alias, qui inueniret se pronum ad talem actum, posset scire se esse in caritate, quod est, inquit, falsum. Et cum Doctor Subtilis, non solum vellet suadere contra philosophos, sed etiã contra Theologos, hominem posse ex naturalibus diligere Deum, sine aliquo habitu infuso: persuasionem enim Theologicam vocauit hoc argumentum, non est limitandum illius verbum ad scire proprie & euidenter. Alioqui argumentum illius valde infirmabitur, tantumque probabit, non esse euidens, hominem egere habitu infuso ad dilectionem Dei, Quod nullus, opinor, vnquam negaut. Tertius locus est in 4. d. 5. q. 1. lit. A, vbi expresse dicit, quasi nullum posse esse hic certum de bonitate propria. Et quasi dixit propter confirmatos vel alios, si qui forte fuerunt, qui ex reuelatione Dei fuerunt de hoc certi. Quartus locus est in 4 d. 9. q. vnica, lit. B. Dicit enim ibi, certitudinem, qua quis scit se esse in caritate, non esse certitudinem quæ competat viatori. Delicta enim in hoc statu quis intelligit? Et nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit. Et ideo probat, non requiri huiusmodi certitudinem ad sumendum digne Eucharistiam, sed satis esse, quantumcunq; aliquod peccatum lateat, vel traditum sit obliuioni, omnium peccatorum, quæ occurrerunt, contritionem & confessionem diligenti inquisitione facta pro humana fragilitate, & quantum homini videtur sufficere. Quia sic contritus & confessus, si moreretur, saluaretur: non autem requiritur maior examinatio ad communicandũ, quam ad secure moriendũ, quia alias quilibet se exponeret periculo, communicando, & non esset sacra communio sacramẽtum viatoris. Talis enim certitudo non potest competere viatori. Si dicatur, quod loquitur ibi Doctor Subtilis de certitudine euidentiæ, hoc facile refelli potest. Primo: Istam certitudinem non habet quispiam de hoc, quod sic contritus & confessus saluaretur, & tamen ille inde probat, non peccare, qui sic contritus & confessus, suscipit Eucharistiam. Secundo Testimonia, quæ

Certitudo iustitiæ requisita ad sumendam Eucharistiã dignè. Probatio.

allegat, loquntur de scientia etiam ineuidẽti, via videlicet humana, aut per fidẽ. Tertio: Doctrina tunc ipsius erit valde insufficiens. Oporteret enim eum probasse, non requiri certitudinem fidei de sufficienti contritione & confessione si vt creditur, probauit id, quod minus necessarium erat, videlicet non esse requisitam certitudinẽ euidentiæ de hoc. Quarto: Probauit satis esse probabilitatem humanam de his. Ergo credidit, neque requisitam esse certitudinẽ fidei, neque euidentiæ de his. Cum igitur illam certitudinem dicat non esse possibilem viatori, quam dicit non esse necessariã: vel hinc liquere potest, vtranq; certitudinem nostris viribus impossibilem eum existimasse. Et hoc exigunt testimonia Dauidis & Salomonis, quibus hanc sententiam confirmat: Putat etiam quidam valde doctus Scotista, ex omnibus istis locis posse probari, Scotum fuisse huius opinionis, in quibus dicit, non posse probari per rationẽ naturalem, habitus infusos alicui inesse, & peculiariter non posse sic probari alicui inesse gratiam, vel caritatem. Quæ loca paulo post citabimus. Et hanc opinionem possemus sic suadere: Non sola illa ratio dicẽda est naturalis, quæ ex solis notis in lumine naturali procedit: sed & illa est aliquomodo naturalis, quæ ex notis in lumine naturali & ex creditis procedit. Et talis esset, quæ probaret iustos esse in gratia, si posset hoc esse certum ex fide. Quando igitur negauit posse probari ratione naturali, quod habitus infusi alicui insint, eo ipso asseruit, non posse hoc esse communiter certum ex fide. Præterea: Non solum contra philosophos, sed etiam contra Theologos probauit, non posse constare habitus infusos, neque ex actibus nostris, neque ex aliqua eorum qualitate. Neque aliquis eorũ Theologorum, quibus ipsi contradicebant, asserebat, probari posse habitus infusos per rationem naturalem, quæ procederet ex solis notis in lumine naturali.

Duplex ratio naturalis.

Cum igitur nequeat constare, aliquem ex nobis esse in gratia ex sola scriptura, aut ex dictis sanctorum, vbicunque tradi-

non posse probari ratione naturali, nobis inesse habitus infusos: haud iniuria censeri potest tradidisse, non posse eos nobis esse certos, neq; ex fide, neq; euidenter. Vnde & quod dicit in 3. non posse probari ratione naturali, habitus infusos esse, apertius & clarius dicit in primo, non posse probari per actus: quoniam possunt actus quicunque prouenire indifferenter ab infusis habitib. & acquisitis, & quando aliquis effectus potest prouenire indifferenter à duabus causis, non potest ex illo, certa aliqua ex ipsis conuinci. Itaque cum non sit via, qua possit quispiam ostendere habitus supernaturales alicui inesse, quæ non pendeat ex actibus nostris, aut quę non illis innitatur, quæ experimur in ipsis, ex eo quod in 1. d. 17. dicit, non posse ex actibus ratione naturali ostendi, habitus supernaturales alicui inesse, subtilissime & efficacissime possumus concludere, eum sensisse, non posse, sine diuina reuelatione, alicui hoc esse certum, neque euidenter, neque ex fide. Sed priora quatuor loca satis sunt, vt credamus Doctorem Subtilem sensisse, nemini posse esse certam ex fide suam iustificationem, absque Dei reuelatione. Respondeamus ergo ad aliqua loca, vnde confirmant quidam eum sensisse contrarium. Obijciunt nobis primo verba quibus in 4. d. 17. ad finem fere 1. art. affirmat certiorem & faciliorem viam ad consequendum gratiam, post deperditam gratiam baptismalem, esse per sacramentum pœnitentiæ. Non enim est proprie hoc illo certius, nisi vtrumque sit certum. Et nisi hanc viam existimauerit ille certam, insufficienter probasset peccatores teneri ad confessionem, quia tenentur dare operam, quantum in se fuerit, vt recuperent deperditam gratiam. Nam qui tenetur ire Romam, non tenetur aggredi viam, quam non est certum ducere Romam. Augetur etiam tertio hoc argumentum, quoniam ibidem dicit, sacramentum pœnitentiæ esse remedium efficax. ad recipiendum primam gratiam, neque oportere, ad eam per ipsum cōsequendam facere aliud, quam non ponere obicem ad ipsam: & clare explicat, non ponere obicem, nihil esse aliud, quam, tunc cum illud recipitur, non peccare actualiter peccato interiori, vel exteriori, & intendere recipere, quod Ecclesia intendit in illo sacramento conferre: Vnde & in eodem lib. d. 14. q. 4. art. 3. bis dicit, non requiri ad consequendum gratiam, per sacramentum baptismi, nisi voluntariam susceptionem baptismi, & sine fictione, & in d. 1. q. 6. ar. 2. lit. K. generaliter dicit, non requiri ad consequendum gratiam per sacramenta nouæ legis, bonum motum interiorem qui mereatur gratiam, sed sufficere quod suscipiens non ponat obicem. Cum igitur de his duobus possumus nos esse certi, nempe quod velimus suscipere sacramenta, & quod tunc actu non peccemus, ex his infertur, posse secundum ipsum nobis constare post susceptionem sacramenti, nos esse in gratia. Verumtamen non in eo, quo accipiuntur, rigore dialectico intelligenda sunt illa verba, quibus dicitur via certior & facilior ad recuperandam gratiam, esse sacramentum pœnitentiæ. Alioqui eodem modo posset quis colligere, esse viam certam per attritionem sine sacramento pœnitentiæ, cuius contrarium expressissimis verbis ibidem asseritur. Quemadmodum ergo monachatum communiter dicimus esse viam certiorem, ad consequendum vitam æternam, quam coniugium, non quidem quod hic aut ille status certum quemquam faciat de sua salute, sed quod tutior sit monachatus coniugio, & plures saluentur ex monachis, quam coniugatis: & quod si qua via haberi possit certitudo, haberetur potius ex vita monastica, quam ex coniugali: ita etiam & omnino similibus rationibus viam per sacramentum pœnitentiæ asseruit Scotus certiorem ad consequendam gratiam, non quod certo & indubitato nos reponat in statu gratiæ, sed quod tutior sit, & plures per eam, quam per alteram, consequantur gratiam. Et quamuis, qui tenetur ire Romam, non adstringatur ad eligendum viam incertam, apparens tamen est, eum adstringi ad eligendum viam, quæ manifesto tutior esset & facilior vbi nulla alia esset certa.

Quādo causa ex effectu non possit euinci.

Scotus pro incertitudine gratiæ.

Responsio.

Ad 1. arg.

Neque

Neque Scotus ibi ex creditis & receptis à fidelibus, demonstrare se putauit præceptum confessionis: sed cum aliunde illud certum ac constans esset, adiunxit Theologicam rationem, qua & idem posset fieri probabile, etiamsi aliunde non cõstaret. Qui vero poterat ipse per sacramentũ pœnitentiæ putare, quenquam posse fieri certum de gratia, cum manifestum sit, nemini posse constare, quod receperit sacramentũ pœnitentiæ? Nam perspicuum est, & ab eodem asseritur in 4 d.5.q.1. tantum probabiliter nosse nos posse sacerdotem intendisse absoluere, & intentionem ministri necessariam esse ad veram absolutionem semper tota Ecclesia tenuit. Quid quod & eo in loco, qui nobis obijcitur, tantum dicit, probabiliter posse nos scire, quod non apponamus obicem sacramento? Qui vero tantum asserit, hoc posse nobis esse probabile: quando asseruisset, posse nobis esse certam nostram gratiam? Et quidem, vt ferretur, posse Petro certum esse, se esse in gratia, necesse erat, vt & certum ei esse posset, se non ponere obicem, & vere recipere sacramentum pœnitentiæ, & satis esse ad recipiendum gratiam per sacramentum pœnitentiæ nullum ei ponere obicẽ. Si enim quis sic argumentetur: Quicunque recipit sacramentum pœnitentiæ, & non ponit ei obicem, est in gratia: Petrus recipit sacramentum pœnitentiæ, & non ponit ei obicem, ergo Petrus est in gratia: Si, inquam, quis sic argumentetur, non poterit probare conclusionem secundum Doctorem Subtilem posse esse certam, nisi probet, & maiorem & minorem, posse esse secundum illum certas. Si quidẽ requisita est certitudo præmissarum, ad certitudinem conclusionis. Quare cum ille neque maiorem, neque minorem tradiderit posse esse certas, nullo pacto potest hinc colligi, secundum illum posse Petro certam esse suam gratiam.

Itaque bene quidem Gabriel in fine d. 27.2. infert, non posse quenquam certum esse de sua iustificatione, quamuis satis esset non ponere obicem, vt obtineremus gratiam per sacramentum pœnitentiæ, quia nemini constare potest intentio absoluentis: sed illud male addit, posse eum certum esse de suã gratia, cui manifesta esset intentio absoluentis, si satis esset non ponere obicem. Neque enim sufficit, hoc satis esse, nisi sit etiam certum. Debet quippe esse certa vtraque præmissa, vt conclusio illata sit certa. Non solum autem Scotus non putauit esse certum ad consequendam gratiam per sacramenta, satis esse non ponere eis obicem, hoc est non actu peccare in eorum susceptione, & intendere ea iuxta intentionem Ecclesiæ suscipere, sed neque vnquam credidit hoc esse verum. Perperámque & ipse Gabriel ibi, & Lutherus in art. 1. suarum assertionum, & nonnulli alij, imponunt ei hanc falsissimam & merito dãnandam sententiam. Et longissime illum fuisse ab hac opinione, seu potius errore, ex multis ipsius locis possumus probare.

Plus requisiuit Scotus ad recipiendum gratiã per sacramẽta, quam nõ ponere eis obicem.

Primo: In 4 d.17.q.1 lit.e, hæc sunt illius verba: Non est vtilis absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio, vel attritio. Secundo: In fine d.18. expresse dicit: Omissa requisitione disciplinæ confitentis, non potest sequi rectum iudicium, nisi casualiter. Tertio: In d.4. quæst.5. litera c, clare ait, nullum peccatum, quod inest post baptismum, posse deleri sine pœnitẽtia, & fictum eum esse, qui cum commisisset septem mortalia, venit ad baptismum, de sex tantum attritus, quia septimum vel actu placet, vel de eo nullo modo atteritur: & addit eum, qui eo modo accedit ad baptismum, forte nouo peccato mortali peccare, ob irreuerentiam, quam facit sacramento. Neque ponit ibi, fortè, quod de ea re dubitauerit. Paulo enim post id asserit sine forte: sed quia posset fortè excusari ob ignorantiam, vel quia de eo non tunc ex professo agebat, suo more posuit, forte. Quarto, in vltimis verbis eiusdem quæsti. 5. idem docuit: Sic enim ibi ait: *Gratia baptismalis expellit omne peccatum, quod infuit vsque ad eius susceptionem: culpam autem, quæ tunc inest actu vel quæ actu tunc committitur, vel quia de illa nulla contritio inest, non expellit, quia inuenit obicem contrariæ voluntatis.* Hæc ille. Quibus quid, rogo, poterat dici expressius? Contri-

tritionem vero in illa tota quæstione large accepit, vt se extendit ad attritionem: vel ideo dixit, illam culpam non deleri per baptismum, de qua nulla contritio inest, quia quæcunque fit attritio, in susceptione baptismi fit contritio.

Et vt omnis tollatur ambiguitas, satis esse debent verba illa, quæ ex principio eiusdem q. sanctus Episcopus Roffensis, vt vindicet eum ab hac nota, Luthero obijcit. Sic namque ibi scribit: *Potest aliquis esse fictus, ostẽdendo se esse dispositum ad recipiendum sacramentum, cum tamen non sit interius dispositus, vel quia non habet rectam fidẽ, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur. Et isto modo communiter loquuntur sancti & Doctores de ficte baptizato* Hæc Scotus. Ex quibus luculenter patet, & rectam fidem, & dolorem aliquem de peccatis, requisitum esse, ne ponatur obex baptismo. Sexto idem aperte potest confirmari ex his, quæ idem Doctor scribit in illa q. 4. dis. 14 vnde colligunt, qui nos impugnant, non esse secundum eũ requisitam displicentiam de peccatis, vt quis iustificetur per sacramentum. Ad finẽ enim 2. art. sicut dicit cõgruere, vt requiratur intentio debita ad sacramentum Pœnitentiæ, ita etiam dicit, congruere ex parte suscipientis, quod sit pœnitens, id est, habens aliquam displicentiam de peccato commisso. Et in tertio articulo in principio literæ E, subdit: *Parum attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remißionem peccati, volens tamen recipere sacramentum pœnitentiæ, sicut dispensatur in Ecclesia, & sine obice in voluntate peccati mortalis in actu in vltimo instanti prolationis verborum, in quibus est vis sacramenti istius, recipit effectum sacramenti, scilicet gratiã pœnitentialem.* Ex quibus patet, tria requiri ab eo, vt recipiat quis gratiam per sacramẽtum pœnitentiæ: nempe voluntatem recipiendi sacramentum, displicentiam aliquã de peccatis commissis, & non esse in aliquo mortali, actu vel voluntate. Et ista duo aliquando ab eo comprehenduntur vno verbo, videlicet, sine fictione: vel, sine obice: neque immerito. Qui enim non habet displicentiam de peccato, quod placuit, moraliter semper perseuerare dicitur in eius complacentia, atque in illo esse, actu vel voluntate, & illud voluntati ipsius adhuc inhærere. Et cõmuni more omnia, quibus, ne sacramenta in nobis causent gratiam, vel contrarie, vel contradictorie impedimus, id est, vel actu peccando, vel intermittendo necessaria ad reuerenter ea recipienda, vno nomine obicis vel fictionis solemus comprehendere. Dicimus quippe generaliter, sacramẽta causare gratiam in non ponentibus obicem, vel ficte ipsa suscipientibus, & omnes ad ea accedentes, per illa recipere à Deo gratiam, si syncere & non ficte, aut ponentes obicem, ad ea accedant. Atque ita omnia, quibus impediuntur agentia naturalia à suis effectibus, verbo vno obstaculi, obicis, vel impedimenti, vt plurimũ nuncupamus. Quãobrem cum ibidem dixisset Scotus, ad consequendam gratiam per sacramentum, solum requiri voluntariam susceptionem baptismi, & sine fictione, vel quod idem erat, solum requiri opus exterius, cum amotione interioris impedimenti, vt explicaret non deesse fictionem, neque amoueri interius impedimentum, nisi habeatur displicentia aliqua de peccatis commissis, adiecit statim ad secundum hæc verba: Concedo ergo quod ante perceptionem dignam pœnitentiæ, oportet suscitari vel simpliciter, & tunc per pœnitentiæ sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur: vel suscitari secundum quid, vt videlicet habeat aliqualẽ displicentiam de peccatis, & propositum cauendi decætero, & velit suscipere sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio. *Hæc ibi.* Itaque manifestum est, eum requisiuisse aliquam displicentiam commissorum peccatorum, ne quis apponat obicem sacramento, sed recipiat gratiam per illud. Neque cum dicit in loco, quem tractamus ex d. 17. duas esse vias ad consequendam gratiam: alteram, per sacramentum non ponendo ei obicem: alteram per contritionem: exclusit à prima omnem attritionem & displicentiam, sed illam solum, quæ etiam sine sacramento, per modum

Quid sit ponere obicẽ gratiæ.

Quis dolor sit secundū Scot. meritum de congruo primæ gratiæ.

dum meriti de congruo, sufficeret ad obtinendam gratiam. Est enim aduertendum & notandum, D. ctorem Subtilem non vocare meritum de congruo, respectu primæ gratiæ, nisi dispositiones, quæ etiam sine sacramento sufficerēt ad consequendā gratiam. Vnde & in d. 18 li. A. velut explicans ea, quæ in q. 4. d. 14 dixerat, sic scribit: Concedo igitur, vt diffuse declaratum est d. 14 q. 4. quod sacramentum pœnitentiæ potest digne recipi ab attrito, & hoc tanta attritione, quæ non sufficeret per modum meriti ad iustificationem suscipiendam in termino attritionis. Et si non ficte recipiatur, in termino recipitur gratia prima. *Hæc ille.*

Sed hæc satis, vt nemo post hac tam parum piam opinionem, tam pio & tam insigni Doctori attribuat.

Loc. 2. Scoti pro certitud. gratiæ.

Vt autem ostendatur ille sensisse, posse quempiam esse certum per fidem suæ gratiæ, secundo possunt nobis obijci verba ipsius in 3. d. 24. lit. C. Argumentatur ibi sic contra lumen, quod ponit Hēric. Gan. medium inter lumen gloriæ & lumen fidei: Caritas potest ostēdi ex actu interiori, quo inuenit homo se prōptum in Deum, & exteriori, quo feruet in actibus extrinsecis pro aliquo delicto, sicut aliqua scientia ostenditur actu interiori intelligendo, & exteriori bene docendo. Sed tales qui habent hoc lumen, secundum eos non melius docent, neque firmius adhærent in mente credibilibus propter lumen istud, quam alij simplices non habentes huiusmodi lumen, sed frequenter minus. Igitur non debet poni. *Hæc ille.*

Ex quibus videtur caritas, secundum ipsum, posse ostendi ex actibus, & cuicunque constaret, se habere actus, quorum hic meminit, constare posse quod habeat caritatem. Et confirmari hoc potest ex argumento, quod statim ibidem subiungit contra idem lumen. Vt enim Philosophus in secundo Posteriorum contra Platonem, qui ponebat omnem scientiam in nobis à principio, sed quasi obnubilatam & obrutam propter impedimenta aliqua, argumētatur, inconueniens esse habere tam nobiles habitus, & latere nos: ita & ipse contra prædictum lumen argumentatur, inconueniens esse, ponere tantum & tam perfectum lumen, & tamen latere nos, præsertim, cum hoc lumen ponatur esse clarior & manifestior habitus, quam fides: & habens fidem, non ignoret omnino se habere fidem, sed sciat, se habere habitum, quo credit in generali, licet nesciat vera esse illa, in quæ inclinat. Et non in hoc loco solum, sed & in 4 d. 43. q. 3. lit. C, inconueniens putat, nobiles habitus latere eos habētem. Quare cum secundum Doctorem Subtilem, multo perfectior habitus sit caritas, quam fides, & quam esset illud lumen: repugnare doctrinæ ipsius videtur, non posse cuiquam in hac vita constare de tanto & tam perfecto habitu, si eum habeat.

Confirmatio.

Respon. 1.

Sed hæc non asseruntur à Doctore Subtili, sed inter argumentandum dicuntur: Quo in loco sępe aliquibus vtimur ad conuincendum aduersarios, quæ ipsi non credimus, si modo apud eos sint recepta, & concessa. Et forte ad hominem magis ista dixit, quam ex sententia propria. Neque satis profecto certum est, an ista argumenta sint Doctoris Subtilis, an aliorum. Statim enim ante hæc argumenta, ita inquit: Præterea alij arguunt contra eum, quærentes quid sit tale lumen: & respondens dicit, quod est quid spirituale sicut caritas, & ideo non potest ostendi: sed illi percipiunt hoc lumen, qui recipiunt. Et mox subdit argumenta, quæ statim citauimus: Incertum etiam videtur, an de habitu caritatis infusæ in primo argumento agat. Generaliter enim de caritate loquitur, & ad caritatem acquisitam possent, quæ dicit, referri. Denique, Pro omnibus, quæ in hoc loco dicit Scotus, satis est, probabiliter posse constare nobis caritatem: neque requiritur vt possit etiam certo constare, præsertim certitudine fidei. Quare consulto Lenchetus ipsius expositor, ad tollendum omnem ambiguitatem illis verbis, Caritas potest ostendi, &c. adiecit, saltem secundum coniecturas. Et non esse trahenda hæc verba ad maiorem, aut certiorem ostensionem caritatis, quam probabilem, suaderi potest,

Secundo. 3.

Tertio.

Quarto.

tum ex ipsis, quæ ibidem dicit, tum ex aliis, quæ alibi asserit. Hic enim ita ostendi, ait, posse caritatem ex actibus, sicut scientiam ex bene intelligendo, & bene docendo. Sed ex his non ostenditur habitus scientiæ, nisi probabiliter. Neque enim communiter existimantur demonstrari posse habitus. Item: Hoc loco ita vult posse nobis constare medium illud lumen, si ponatur, ac constat habitus fidei habenti illum. Sed habitus fidei infusæ tantum constat probabiliter habenti ipsum. Non enim constat, eum habenti, certitudine euidentiæ, vt idem expresse dicit d. 23. q. vnica, litera I, & in quod ib. 14. liter. K. Et licet certum sit, secundum eundem Doctorem, ex authoritate scripturæ & sanctorum, esse fidem infusam, vt idem aperte dicit in principio solutionis q. vnicæ d. 23. tamen non est certum ex fide, in omnibus illis esse fidem infusam, qui credunt & receperunt fidem. Dubium enim est, vt in 7. lib. explicuimus, inter Doctores, an Deus infundat fidem illis, qui veniunt ad fidem sine pœnitentia suorum peccatorum, cum illis non infundat caritatem, & vnus habitus infusus non infundatur sine alijs, licet maneat sine ipsis. Et cum dicit in principio solutionis quæst. vnicæ, d. 23. Sicut credo Deum esse trinum & vnum, ita credo me habere fidem infusam, qua hoc credo, non debet hoc sic rigide exponi, quasi eadem firmitate crederet sibi peculiariter esse infusam fidem, qua crederet, ac credebat Deum esse trinum & vnum: sed ita debet exponi, vt sensus ipsius sit, eadem firmitate se credere fidem infundi fidelibus à Deo, vt credant, ac credebant Deum esse trinum & vnum. Neque enim amplius ibi statuere volebat, vt patet ex adiunctis, quam, non posse fidem demonstrari inesse alicui, nisi supposita fide & voluntate credendi dictis Scripturæ & Sanctorum. Et eodem modo debent exponi similia, quæ ibidem paulo post dicit litera I, quia clare in eadem d. asseuerat neminem scire se habere fidem infusam, nisi reueletur sibi. Præterea: Doctor Subtilis passim contendit, non posse habitus infusos demonstrari ex actibus, neque necesse esse, eos ponere ad habendum actus ex eis elicitos. Et patet hoc in 3. in principio d. 23. & in d. 27. art. & in 1. d. 17. q. 1. Hisque accedit, quod in 4. d. 6. q. 9. in principio expresse dicit, non posse probari per rationem naturalem, neque in vniuersali, videlicet propter quid, nec etiam propter finem, neque in particulari, vt per experientiam alicuius actus, vel conditionem ipsius esse characterem, sicut in 3. dictum est, non posse probari ex istis gratiam vel caritatem.

Cum igitur hæc & similia passim dicat, non est locus hic, quem modo exponimus, sic intelligendus, vt sensus Doctoris Subtilis putetur hic esse, vt possimus ex actibus nostris certo cognoscere, nos habere habitum aliquem infusum. Et multo minus hoc credendum est, eum sensisse de habitu infuso caritatis, quæ, vt infra ostendemus, ignotior nobis est, quam fides infusa. Itaq; contradictio, quæ fortassis alicui apparere posset interdicta hic & in primo, tolli potest per verbum certitudinis additum in primo. Ibi enim de certa cognitione agit, huic vero loco satis est coniecturalis seu probabilis cognitio. Etsi in hunc sensum interpretemur Doctorem Subtilem, efficaciora erunt & vrgentiora argumenta illius contra Henricum, quam alias. Ostendent enim, neque probabilem esse opinionem illius de medio illo lumine, quandoquidem alij habitus infusi ostendi possunt, saltem probabiliter ex actibus, non autem illud medium lumen. Quod si de ostensione certa & demonstrante ex actibus, argumentaretur, diceret studiosus Henrici, non eum tradidisse suam opinionem, vt certam & euidentem, sed vt probabilem & disputabilē, atq; ideo satis esse, si ostendi possit illud lumen probabiliter. Conciliantur loca doctorum Subtilium, quæ videntur sibi cōtraria.

Sed nimium nobis indulsimus, dum in gratiam Doctoris, quem publicè aliquot annis professi sumus, quæcunque erant in eo in hac parte obscura, quæq; aliquot viris Doctis nouimus imposuisse, pro virili nostra curauimus & dilucida, & perspicua efficere. Transeamus igitur ad definitiones insignium Academiarum, quæ pro nobis militant.

CA-

CAPVT XVI.

De testimonio Scholarum insignium pro incertitudine iustificationis.

QVANQVAM ex superioribus manifestissimum esse arbitror, & pondere & numero testium multo nos esse aduersarijs nostris superiores, quo hoc tamen dilucidius fit, & quos non possumus veritate ipsa, & scripturarum & Doctorum authoritate superare, saltem multitudine vincamus, adijciam præmissis insignium & toto orbe Clarissimorum gymnasiorum Parisiensis & Louaniensis diffinitiones super hac re, quam modo tractamus. Patebit enim ex his, innumeros alios, atq; adeo eruditissimos, pro nobis stare Doctores, eos videlicet omnes, quos fœcundissima ista sapientum gymnasia, singulis pene annis, laureis & infulis doctoralibus exornat.

Scholarum clarissimarum par vnum præcipuum.

In censuris igitur Parisiensibus, quæ aduersus Lutherum publice editæ sunt, & vbique venales habentur, in titulo 3. qui est de absolutione, proponuntur primo istæ tres propositiones Lutheri. Propositio prima: Absolutio est efficax, non quia fit, à quocunq; eadem fiat, siue erret, siue non erret, sed quia creditur. Propositio secunda: Crede fortiter te esse absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de tua contritione. Propositio tertia: Esto per impossibile, quod confessus non sit contritus, aut quod sacerdos non serio, sed ioco absoluat, si tamen credat se esse absolutum, vere est absolutus.

Et subditur deinde censura his verbis: Hæ tres propositiones ad sensum scriptoris sunt falsæ, impiæ, ignoranter & difformiter ad sanam sacræ scripturæ intelligentiam assertæ. Et in hoc quod dicitur, A quocunq; tandem fiat, siue erret, siue non erret, & in eo quod subditur, non serio, sed ioco absoluat, sunt piarum aurium offensiuæ, sacramenti Pœnitentiæ irrisoriæ, & Conciliorum generalium determinationibus contrariæ. Et in tit. 7. de certitudine caritatis habitæ, ponitur primo hæc propositio Lutheri: Pessime docent Theologi, quando dicitur, nos scire, quando sumus in caritate. Et additur censura in hæc verba: Hæc propositio, intelligendo nescire certitudine fidei, de qua loquitur scribens, est falsa, sacris doctoribus dissona, & sanæ intelligentiæ scripturæ. Subnectitur deinde secunda propositio Lutheri circa ista, his verbis: Caueat omnis Christianus, ne vnquam incertus sit, an DEO placeant opera sua. Qui enim sic dubitat, peccat, & perdit opera sua cuncta, frustraque laborat. Et huic propositioni sua mox subijcitur censura, in hæc verba: Huiusmodi consilium, loquendo de certitudine, vt supra, est temerarium, perniciosum, & sacris eloquijs difforme.

In articulis vero Louaniensibus die 14. Martij editis Anno Domini 1544. articulus 9. sic habet: Fides, qua quis firmiter credit, & certo statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seq; possessurum vitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium, immo eisdem aduersatur, etiam si firma & certa spe expectare debemus, in hac quidem vita per sacramentum baptismi & Pœnitentiæ remissionem peccatorum, in seculo autem futuro vitam æternam. *Hæc ibi.* Etsi bene perpendamus adiuncta omnia, & mentem hæc pronunciantium, & dogmata, quibus aduersari volebant, non dubitabimus, vtramque certitudinem, & gratiæ videlicet, & beatitudinis, scripturis aduersari definisse.

CAPVT XVII.

De Argumentis Theologicis pro incertitudine iustificationis.

SED intermittamus paulisper testimonia Scripturæ & Ecclesiasticorum Doctorum, neque tantum authoritatibus certemus: rem ipsam etiam argumentis scholasticis ad viuum discutiamus, vt si etiam his superiores fuerimus aduersarijs, nemo cunctetur sacri Concilij subscribere sententiæ.

Primo: Nemini, seclusa reuelatione, potest per fidem constare, sic esse veram hanc propositionem, Ego sum in gratia, Argum. 1.

qdem posset, ne quid eum lateret, quod grauiter Deo displiceret. Nam sicut peccatum lethale repugnat gratiæ, ita formido de peccato lethali, repugnat certitudini gratiæ.

Et satis Augustinus indicauit, se etiam ad lethalia crimina hæc retulisse, cum testimonia citauit, quæ cap. 10. etiam ad peccata grauia referenda docuimus. De prædestinatione sanctorum cap. 20. *Audiant Pelagiani: A Domino corriguntur gressus viri. Mortalis autem quomodo intelliget vias suas? Audiant. Omnis vir videtur sibimetipsi iustus, dirigit autem corda Dominus.* His, in omnibus locis, ita aperte docet Augustinus, neminem, etiam ex his, qui sibi nullius peccati sunt conscij, posse certo nosse, an iustus sit, vt superfluum sit, plura ipsius testimonia conquirere. Sed vt magis omnes formidemus tantæ obnoxij arrogantiæ deprehendi, audiamus quid scribat in illa verba, *Tibi soli peccaui.* Post multa demum subdit: *Qui se putat iustum coram te iniustus est.* Est etiam perspicue pro nobis, Chrysostomus homilia vndecima super priorem ad Corinthios, tractans illa verba Pauli, *Nihil mihi conscius sum,* ita concludit: *Duabus rationibus, vel tribus potius, incertum est nostrum iudicium. Prima quidem, quod etsi nobis nihil conscij sumus, eius tamen indigemus, qui peccata nostra certa ratione corripiat. Altera, quod multa opera nostra nos lateant. Tertia præterea, quod multa aliorum opera nobis recta videntur, quæ tamen non recta fiunt sententia.* Hæc ille.

Tribus rationibus incertum nostrum iudicium.

Ex quibus patet eum sensisse, nequaquam nos posse neq; de nostra, neq; de aliorum iustitia certam proferre in hac vita sententiam. Vnde & ibidem ita scribit: *Quod si Paulo hæc contingebāt longe magis & nobis.* Et tandem concludit: *Cum igitur etsi nobis nihil conscij, non possumus tamen à criminibus mundi esse, & in quibus bonum aliquid, non tamen recta sententia facimus, pœnæ sumus obnoxij, intelligas velim, quantum homines in iudicando decipiuntur.*

Idem in homilia 77. super Ioannem, quemadmodum & qua de causa contristatus sit Petrus ad trinam interrogationem Christi de amore illius in ipsum, his verbis exponit: *Cum ergo semel atque iterum interrogatus, ipsum arcanorum cordis perscrutatorem testem aduocasset & adhuc tertio interrogaret, perturbatus est Petrus veritus superiora. Nam cum forti animo esset, reprehensus est post modum. Ideo iterum ad ipsum confugit, dicens: Tu omnia scis: Hoc est, præsentia & futura. Vide quanto melior factus est & modestior. Non amplius temere perstat in sententia, neque contradicit.* Et statim addit in persona ipsius Petri: *Propterea contristatus sum ne forte me amare arbitratus, non amem, vt ante, cum me fortem & constantem putarem, imbecillis inuentus sum.*

In his dilucidum est, Chrysostomum bonitati & modestiæ imputare, quod non audeamus de nostra dilectione in Christum, absolutam & certam proferre sententiam: & Petrum ita modestum factum ex negatione, vt non solum non auderet polliceri se futurum constantem in ipsius amore, sed neque auderet asserere se vere Christum amare.

Suffragatus est eidem sententiæ D. Greg. non solum in locis citatis, sed etiam lib. 12. Moral. ca. 38. vbi illa verba Iob, *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget*: hoc modo interpretatur, Si intelligi hoc spiritualiter debet non incongrue filiorum nomine opera designantur, sicut de muliere Paulus dicit, quia salua erit per filiorum generationem. Neq; enim mulier, quæ continentiæ studens, nequaquam filios generat, salua non erit: sed per generationem filiorum saluari dicitur, quia per effectum bonorum operum perpetuę saluti sociatur. Nobiles igitur filij, sunt recta opera: ignobiles autem facta peruersa. Et sępe homo agere quælibet bona intentione nititur, sed tamen pro multis, quę surripiunt eius acta, qualiter apud omnipotētem Deum habeātur, incertum est. Siue itaq; nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelligit: quia subtili examinatione discussa, vtrum approbētur eius opera, an reprobentur, ignorat. Quod si ignotum est à iustis, vtrum sua opera placeā Deo: ignotum & eis erit, an & ipsi placeāt Deo. Minus n. est, placere aliqua opera nostra Deo: quam, placere nosipsos: etsi nos placeamus, placebunt & opera nostra.

Iob 14.

Filii mystice sunt opera.

Acceptatio nostrorum operum incerta.

Sed si hoc testimonium, euincere, quod volumus, non putatur, vt omnis cesset ambiguitas, neque dubitare possit quisquam, egregium hunc totius Ecclesiæ Catholicæ pontificem, & pietate & eruditione admirandum, pro Synodi stare sententia: audiamus, quid ille scripserit ad venerandam quandam Augustæ cubiculariam, nomine Gregoriam, quæ nimium desiderabat remissionis suorum peccatorum obtinere certitudinem. *Quod vero*, inquit, *dulcedo tua subiunxit importunam se mihi existere, quoadusq; scribam mihi esse reuelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui reuelatio fieri debeat: Inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vita tua vltimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.* Hæc ille.

Lib. 6. epist. cap. 168

Subscribit, his luculenter Bernardus his verbis: Veruntamen delicta quis intelligit; Nam si possum dicere cum Paulo, quod quidem longe est à me: Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc esse iustificatum oporteret me gloriari. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat Si applauserit mihi humanus dies, pro minimo habeo, quia ille lucet tantum in facie. *Homo*, enim, *videt in facie, Deus autem intuetur cor*. Propter hoc Hieremias non satis popularibus sententijs, velut quibusdam humani diei radijs mouebatur, sed fidenter loquebatur Deo, *Diem hominis non concupiui*. Tu scis. Si meus mihi arriserit dies, neque meipsum, inquit, iudico, quia neque ipse me satis intelligo. Solus merito constitutus est iudex viuorum & mortuorum, qui finxit singulatim corda vniuersorum, & intelligit omnia opera eorum. Solum attẽdo iudicem, quem & solum iustificare cognosco. Pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est Non vsurpo mihi, vel super me seruus filij potestatem, neque me annumero illis, de quibus ita conqueri solet: Tulerunt homines à me iudicium. *Et mox addit*: Velim nolim ipsi me adstare necesse est: ipsi horum, quę gesserim in corpore, reddere rationem cui nec verbum præteruolat, nec subterfugit cogitatio. Sub tam æquo libratore meritorum, sub tam intimo secretorum inspectore quis gloriabitur castũ se habere cor? Sola profecto, quæ non solet gloriari, non nouit præsumere, contendere non consueuit, gratiam inuentura est in oculis pietatis, humilitas. Non contendit iudicio, neque prætendit iustitiam, qui vere humilis est, sed dicit: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Recusat iudicium & postulat misericordiam, facilius sibi veniam impetrare posse, quam iustitiam vindicare confidens. *Hucusq; Bernardus.*

Bern. ep. 42. Psalm. 18. 1. Cor 4. 1. Reg. 16. Hier. 17.

In quibus mirifice profecto confirmat nostram sententiam. Non solum enim eam asseuerat, & perinde ac nos, interpretatur loca Pauli, Dauidis, & Salomonis supra citata, verum optimis argumentis eam confirmat, dum docet nos non satis posse nosipsos intelligere, neque decere, vt qui non possumus nos exacte nosse, nostri iudicium vsurpemus, & alienum hoc esse ab humilitate, vt se iustum quis asserat, immo & diuinum vsurpare iudicium, qui hoc præsumit.

Testatur etiam & corroborat hocipsum in quodam sermone super illa verba Apostoli: *Qui gloriatur in Domino glorietur*. Non enim qui seipsum commmendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Non solum enim ibi docet, in hac vita non posse nos plenarie & absque metu & solicitudine multa vel in Domino gloriari, quæ propter incertitudinem perseuerantiæ videri potest dixisse, sed expresse asserit, Paulum merito reprobasse fallacem & vanam gloriam illis verbis, *Mihi autem pro minimo est &c*. Et in eis indicasse illum existimat alienum iudiciũ pro minimo habere, & suum non omnino sequi, quippe qui neque suo neque aliorum, sed Dei iudicio erat iudicãdus: & par esse intelligebat, Dei iudiciũ non anteuertere, neq; gloriã, sed fiduciam habere ad Deum, priusquam secure gloriari possimus ob sententiã veritatis pro nobis in iudicio datam. Et in ser 3. de aduentu Domini, cum mirifice explicuisset pericu-

2. Cor. 10. 1. Cor. 4.

lum eorum, qui curam suscepere animarum aliorum, addit etiam hæc, quæ manifeste indicant, eum sensisse, nemini posse satis constare in hac vita suam iustificationem. Accedit sane ad solicitudinis cumulū & pondus timoris, quod cum & meam & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraque abyssus est imperscrutabilis. Vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia, & clamatur: *Custos qui de nocte, Custos qui de nocte.* Hæc Bernard.

Esaiæ 21.

CAPVT XIV.

De consensu Scholasticorum Doctorum pro incertitudine gratiæ.

SECVTI, vt assolent, Patres istos Ecclesiæ & fortissimos ipsius antesignanos, mirifico consensu tradiderunt hanc eandem veritatem Doctores Scholastici, & insignes studiosorum alumnæ academiæ eandem confirmarunt. Neque leuis censeri debet aut earum, aut Scholasticorum in idem consentientium authoritas. Vt enim de academiarum authoritate taceam, in quibus & grauissimi semper sunt & eruditissimi magistri, & quæcunque communi consensu diffinienda sunt, magna prius diligentia & examine ad viuum discutiuntur, certe Scholasticorum Doctorum idem sentientium authoritas, tanta apud quemcunque pium esse debet, vt temerarium censeri debeat, ab eorum concordi sententia, absque apertissimis saltem & manifestissimis argumentis, discedere. Qui enim pollicitus est suā nunquam Ecclesiam deserere, & eam omnem docere veritatem, neque sinere aliquo errore in fide, vel in moribus violari, aut contaminari, aliquantis annorum centenarijs hos potissimum ei Doctores prospexit. Et aliqui ita ipsi insigniter suo tempore de Ecclesia sunt meriti, ita eam (dispari licet stylo à suis patribus) illustrarunt, ornarunt, & ab hæreticorum & infidelium technis, fraudibus & erroribus defenderunt, vt ingratissimorum sit filiorum, communia eorū placita non, saltem vt probabiliora, recipere. Sed age, signemus primo authores Scholasticos, qui pro nobis sunt, ac deinde academiarū diffinitiones pro eadem sententia commodius subijciemus. Docuit aperte istam nostram sententiam in expositione illorū verborum Pauli, *Nihil mihi conscius sum &c.* irrefragabilis ille doctor Alexander Halensis, totius pene doctrinæ Scholasticæ, secundum magistrum sententiarum, parēs. In tertia parte summæ, q. 71. cum dixisset, non esse homini pro hoc statu possibile agnoscere per scientiam se esse in Dei gratia, ne quis putaret eum locutum fuisse de scientia proprie, qua dicimur scire, quæ clare & euidenter nouimus, & non de scientia, quæ se extendit etiam ad cognita certo, licet ineuidenter, in eadem quæstione refellit hunc cauillum, & ante omnia explicat, etiam loquendo communius de scientia, nos non posse hic certitudinaliter hoc cognoscere scientia cognitiua.

Quod autem ibi adijcit, bene hoc posse sciri scientia affectiua & experimentali, per experientiam dulcedinis spiritalis, & pacis, & eleuationis spiritus, & mitigationis fomitis carnalis, nihil nobis aduersatur.

Qua scientia possumus cognoscere nos esse in gratia.

Mox quippe adiecit, hanc cognitionem tantum esse per signa & media fallibilia, & experimentū esse, iuxta Hippocratem, fallax. Media vero & signa fallibilia manifestum est, etiam optime illam probantibus præstare non posse certitudinem, cui non possit subesse falsum. Nam effectus causam nequit excedere, & conclusio certior non potest esse præmissis, ex quibus infertur. Quia ex posteriori ostistica doctrina, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Tradidit eādem sententiam apertius & aliquanto exactius Angelicus Doctor in commentarijs Pauli, in expositione loci illius, *Nihil mihi conscius sum:* & in expositione loci illius, *Vosmetipsos tentate, si estis in fide.* & in 1. 2. q. 112. art. 5. vbi clare & diserte affirmat, possibile esse homini pro hoc statu, scire se esse in gratia per reuelationem diuinam, & per coniecturas & indicia, vt si ... soleat se delectari in Deo, mundum con-

1. Cor. 4.

2. Cor. 13.

Per reuelationem cōiecturas atque indicia potest quis scire, se esse in gratia.

contẽnere, & nullius peccati mortalis eum redarguat sua conscientia, non esse tamen possibile nobis, cognoscere hoc per nosipsos certo, sine reuelatione diuina. Et ne quis in his verbis putaret ab eo duntaxat negari possibilẽ esse nobis scientiam proprie, & habentem euidentiam de nostra iustificatione, aut cum concedit possibilem esse nobis certitudinem de hoc per coniecturas, concedere eum existimaret possibilem esse nobis veram certitudinem & propriam, clare asseruit in corpore articuli, cognitionem per coniecturas, esse imperfectam, & testimonijs scripturarum curauit probare, non esse nobis absque Dei reuelatione possibilem certitudinem de nostra gratia, vt qui vtebatur testimonijs scripturarum ex Iob & Paulo, quæ euidentiam non causant, intelligeretur non probare impossibilitatem euidentiæ, sed certitudinis. Et confirmauit hoc, dum respondit ad argumenta probantia possibilem esse nobis certitudinem sine reuelatione & ea insoluta reliquit, quæ suadebant, eam esse nobis impossibilem. Et ad secundum aperte docuit, quare habentes fidem vel scientiam, haberent certitudinem de sua fide vel scientia: non sic autem, habentes gratiam vel caritatem, certi essent de sua caritate vel gratia. Et ad quartum certissime dicit, nos cognoscere per fidem dona gloriæ data nobis in spe, licet non cognoscamus per certitudinem nos habere gratiam, per quam possimus ea promereri. Neque quenquam debet mouere ad hæsitandum vel tantillulum de hoc, quod ratiocinatione ex principijs illum videat esse vsum ad probandum impossibilem nobis eiusmodi certitudinem. Non enim ratiocinamur solum ex principijs, vt probemus aut causemus euidentiam, sed etiam, vt probemus vel faciamus aliquid certum. Sicut enim omnis euidentia aut ex terminis est, aut per discursum ex principijs, aut ex experientia, ita & certitudo omnis aut ex terminis esse potest, aut ex discursu, aut ex experientia. Et consentaneum fuit, eum, qui probare volebat impossibilitatem talis certitudinis, non solis testimonijs Scripturarum, sed Theologico aliquo, vel Philosophico argumento ex creditis vel cognitis naturaliter, probare eiusmodi cognitionem, quam manifestum erat, non esse possibilẽ nobis ex terminis, aut ex experientia sine diuina reuelatione, neque haberi à nobis posse per aliquem discursum. Sicut enim certitudo euidens de conclusionibus demonstratiuis non habetur, nisi per indemonstrabilia principia, ita nulla simpliciter certitudo haberi potest à nobis de rebus, neque per experientiã, neque ex terminis notis, nisi dijudicari possit per suum principiũ. Et in hoc plerique viri docti nõ semel decipiuntur. Putant enim, Doctores veteres, sanctũ Thomam dico, & sanctum Bonauenturã, & alios similes, velle solũ probare impossibilitatẽ euidentiæ, cum vident eos probare per propria principia, aliquid esse impossibile. Discursus autem sancti Thomæ hoc in loco, si volumus, semotis ambagibus & perplexitatibus, penetrare sensum illius, hic profecto fuit Principium nostræ iustificationis, Deus est per suã benignissimam voluntatem, vel ipsius potius diuina & benignissima in nos voluntas. Sed nos in hoc statu scire non possumus altissima & abditissima suæ voluntatis consilia, nisi ipse reuelet. Ergo nulla via est, qua possimus nos hic esse certi de nostra gratia, sine Dei reuelatione. Qui enim neque ex terminis neque ex experientia possunt esse certi de aliqua re, nulla via possunt de ea esse certi, si non possint esse certi de principio, quod facere potest certam eam rem. Estque optimum & Theologicissimum hoc argumentũ. E quidquid causati sint aliqui viri docti, nulla vel minima causa relicta est, vt quisquam suspicetur S. Thom. non esse apertissime pro nobis. Et hoc ipsum colligere, erit facilimũ legenti loca citata ex eodem in commentarijs Pauli. Expositio S. Thomæ.

Tradidit & hanc eãdem sententiam Seraphicus doctor Bonauentura in primo, d. 17. par. 1. q. 3. simpliciter asserens neminem posse certitudinaliter cognoscere se habere caritatem, nisi per reuelationẽ. & vtitur ad hoc suadendum eodem argumento & eisdem testimonijs, quibus sanctus Tho-

naturalibus diligere Deum sine aliquo habitu infuso, quia alias, qui inueniret se pronum ad talem actum, posset scire se esse in caritate, quod est, inquit, falsum. Et cum Doctor Subtilis, non solum vellet suadere contra philosophos, sed etiã contra Theologos, hominem posse ex naturalibus diligere Deum, sine aliquo habitu infuso: persuasionem enim Theologicam vocauit hoc argumentum, non est limitandum illius verbum ad scire proprie & euidenter. Alioqui argumentum illius valde infirmabitur, tantumque probabit, non esse euidens, hominem egere habitu infuso ad dilectionem Dei, Quod nullus, opinor, vnquam negauit. Tertius locus est in 4. d.5.q. 1.lit. A, vbi expresse dicit, quasi nullum posse esse hic certum de bonitate propria. Et quasi, dixit propter confirmatos vel alios, si qui forte fuerunt, qui ex reuelatione Dei fuerunt de hoc certi. Quartus locus est in 4 d.9.q.vnica, lit.B. Dicit enim ibi, certitudinem, qua quis scit se esse in caritate, non esse certitudinem quæ competat viatori. Delicta enim in hoc statu quis intelligit? Et nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit. Et ideo probat, non requiri huiusmodi certitudinem ad sumendum digne Eucharistiam, sed satis esse, quantumcunq; aliquod peccatum lateat, vel traditum sit obliuioni, omnium peccatorum, quæ occurrerunt, contritionem & confessionem diligenti inquisitione facta pro humana fragilitate, & quantum homini videtur sufficere. Quia sic contritus & confessus, si moreretur, saluaretur: non autem requiritur maior examinatio ad communicandũ, quam ad secure moriendũ; quia alias quilibet se exponeret periculo, communicando, & non esset sacra communio sacramẽtum viatoris. Talis enim certitudo non potest competere viatori. Si dicatur, quod loquitur ibi Doctor Subtilis de certitudine euidentiæ, hoc facile refelli potest. Primo: Istam certitudinem non habet quispiam de hoc, quod sic contritus & confessus saluaretur, & tamen ille inde probat, non peccare, qui sic contritus & confessus, suscipit Eucharistiam. Secundo Testimonia, quæ allegat, loquuntur de scientia etiam inuidẽti, via videlicet humana, aut per fidẽ. Tertio: Doctrina tunc ipsius erit valde insufficiens. Oporteret enim eum probasse, non requiri certitudinem fidei de sufficienti contritione & confessione si vt creditur, probauit id, quod minus necessarium erat, videlicet non esse requisitam certitudinẽ euidentiæ de hoc. Quarto: Probauit satis esse probabilitatem humanam de his. Ergo credidit, neque requisitam esse certitudinẽ fidei, neque euidentiæ de his. Cum igitur illam certitudinem dicat non esse possibilem viatori, quam dicit non esse necessariã: vel hinc liquere potest, vtranq; certitudinem nostris viribus impossibilem eum existimasse. Et hoc exigunt testimonia Dauidis & Salomonis, quibus hanc sententiam confirmat: Putat etiam quidam valde doctus Scotista, ex omnibus istis locis posse probari, Scotum fuisse huius opinionis, in quibus dicit, non posse probari per rationẽ naturalem, habitus infusos alicui inesse, & peculiariter non posse sic probari alicui inesse gratiam, vel caritatem. Quæ loca paulo post citabimus. Et hanc opinionem possemus sic suadere: Non sola illa ratio dicẽda est naturalis, quæ ex solis notis in lumine naturali procedit: sed & illa est aliquomodo naturalis, quæ ex notis in lumine naturali & ex creditis procedit. Et talis esset, quæ probaret iustos esse in gratia, si posset hoc esse certum ex fide. Quando igitur negauit posse probari ratione naturali, quod habitus infusi alicui insint, eo ipso asseruit, non posse hoc esse communiter certum ex fide. Præterea: Non solum contra philosophos, sed etiam contra Theologos probauit, non posse constare habitus infusos, neque ex actibus nostris, neque ex aliqua eorum qualitate. Neque aliquis eorũ Theologorum, quibus ipsi contradicebant, asserebat, probari posse habitus infusos per rationem naturalem, quæ procederet ex solis notis in lumine naturali.

Certitudo iustitiæ requisita ad sumendam Eucharistiã dignè.

Probatio:

Duplex ratio naturalis.

Cum igitur nequeat constare, aliquem ex nobis esse in gratia ex sola scriptura, aut ex dictis sanctorum, vbicunque tradidu

non poſſe probari ratione naturali, nobis ineſſe habitus infuſos: haud iniuria cenſeri poteſt tradidiſſe, non poſſe eos nobis eſſe certos, neq; ex fide, neq; euidenter. Vnde & quod dicit in 3. non poſſe probari ratione naturali, habitus infuſos eſſe, apertius & clarius dicit in primo, non poſſe probari per actus: quoniam poſſunt actus quicunque prouenire indifferenter ab infuſis habitib. & acquiſitis, & quando aliquis effectus poteſt prouenire indifferenter à duabus cauſis, non poteſt ex illo, certa aliqua ex ipſis conuinci. Itaque cum non ſit via, qua poſſit quiſpiam oſtendere habitus ſupernaturales alicui ineſſe, quæ non pendeat ex actibus noſtris, aut quę non illis innitatur, quæ experimur in ipſis, ex eo quod in 1. d. 17. dicit, non poſſe ex actibus ratione naturali oſtendi, habitus ſupernaturales alicui ineſſe, ſubtiliſſime & efficaciſſime poſſumus concludere, eum ſenſiſſe, non poſſe, ſine diuina reuelatione, alicui hoc eſſe certum, neque euidenter, neque ex fide. Sed priora quatuor loca ſatis ſunt, vt credamus Doctorem Subtilem ſenſiſſe, nemini poſſe eſſe certam ex fide ſuam iuſtificationem, abſque Dei reuelatione. Reſpondeamus ergo ad aliqua loca, vnde confirmant quidam eum ſenſiſſe contrarium. Obijciunt nobis primo verba quibus in 4. d. 17. ad finem fere 1. art. affirmat certiorem & faciliorem viam ad conſequendum gratiam, poſt deperditam gratiam baptiſmalem, eſſe per ſacramentum pœnitentiæ. Non enim eſt proprie hoc illo certius, niſi vtrumque ſit certum. Et niſi hanc viam exiſtimauerit ille certam, inſufficiēter probaſſet peccatores teneri ad confeſſionem, quia tenentur dare operam, quantum in ſe fuerit, vt recuperent deperditam gratiam. Nam qui tenetur ire Romam, non tenetur aggredi viam, quam non eſt certum ducere Romam. Augetur etiam tertio hoc argumentum, quoniam ibidem dicit, ſacramentum pœnitentiæ eſſe remedium efficax. ad recipiendum primam gratiam, neque oportere, ad eam per ipſum cōſequendam facere aliud, quam non ponere obicem ad ipſam: & clare explicat, non ponere obicem, nihil eſſe aliud, quam, tunc cum illud recipitur, non peccare actualiter peccato interiori, vel exteriori, & intendere recipere, quod Eccleſia intendit in illo ſacramento conferre: Vnde & in eodem lib. d. 14. q. 4. art. 3. bis dicit, non requiri ad conſequendum gratiam, per ſacramentum baptiſmi, niſi voluntariam ſuſceptionem baptiſmi, & ſine fictione, & in d. 1. q. 6. ar. 2. lit. K. generaliter dicit, non requiri ad conſequendum gratiam per ſacramenta nouæ legis, bonum motum interiorem qui mereatur gratiam, ſed ſufficere quod ſuſcipiens non ponat obicem. Cum igitur de his duobus poſſumus nos eſſe certi, nempe quod velimus ſuſcipere ſacramēta, & quod tunc actu non peccemus, ex his infertur, poſſe ſecundum ipſum nobis conſtare poſt ſuſceptionem ſacramenti, nos eſſe in gratia. Verumtamen non in eo, quo accipiuntur, rigore dialectico intelligenda ſunt illa verba, quibus dicitur via certior & facilior ad recuperandam gratiam, eſſe ſacramentum pœnitentiæ. Alioqui eodem modo poſſet quis colligere, eſſe viam certam per attritionem ſine ſacramento pœnitentiæ, cuius contrarium expreſſiſſimis verbis ibidem aſſeritur. Quemadmodum ergo monachatum communiter dicimus eſſe viam certiorem, ad conſequendum vitam æternam, quam coniugium, non quidem quod hic aut ille ſtatus certum quemquam faciat de ſua ſalute, ſed quod tutior ſit monachatus coniugio, & plures ſaluentur ex monachis quam coniugatis: & quod ſi qua via haberi poſſit certitudo, haberetur potius ex vita monaſtica, quam ex coniugali: ita etiam & omnino ſimilibus rationibus viam per ſacramentum pœnitentiæ aſſeruit Scotus certiorem ad conſequendam gratiam, non quod certo & indubitato nos reponat in ſtatu gratiæ, ſed quod tutior ſit, & plures per eam, quam per alteram, conſequantur gratiam. Et quamuis, qui tenetur ire Romam, non adſtringatur ad eligendum viam incertam, apparens tamen eſt, eum adſtringi ad eligendum viam, quæ manifeſto tutior eſſet & facilior vbi nulla alia eſſet certa.

Quādo cauſa ex effectu non poſſit euinci.

Scotus pro incertitudine gratiæ.

Reſponſio.

Ad 1. arg.

Neque

Neque Scotus ibi ex creditis & receptis à fidelibus demonstrare se putauit præceptum confessionis: sed cum aliunde illud certum ac constans esset, adiunxit Theologi eam rationem, qua & idem posset fieri probabile, etiamsi aliunde non cõstaret. Qui vero poterat ipse per sacramentũ pœnitentiæ putare, quenquam posse fieri certum de gratia, cum manifestum sit, nemini posse constare, quod receperit sacramentũ pœnitentiæ? Nam perspicuum est, & ab eodem asseritur in 4 d.5.q.1. tantum probabiliter nosse nos posse sacerdotem intendisse absoluere, & intentionem ministri necessariam esse ad veram absolutionem semper tota Ecclesia tenuit. Quid quod & eo in loco, qui nobis obijcitur, tantum dicit, probabiliter posse nos scire, quod non apponamus obicem sacramento? Qui vero tantum asserit, hoc posse nobis esse probabile: quando asseruisset, posse nobis esse certam nostram gratiam? Et quidem, vt ferretur, posse Petro certum esse, se esse in gratia, necesse erat, vt & certum ei esse posset, se non ponere obicem, & vere recipere sacramentum pœnitentiæ, & satis esse ad recipiendum gratiam per sacramentum pœnitentiæ nullum ei ponere obicẽ. Si enim quis sic argumentetur: Quicunque recipit sacramentum pœnitentiæ, & non ponit ei obicem, est in gratia: Petrus recipit sacramentum pœnitentiæ, & non ponit ei obicem, ergo Petrus est in gratia: Si, inquam, quis sic argumentetur, non poterit probare conclusionem secundum Doctorem Subtilem posse esse certam, nisi probet, & maiorem & minorem, posse esse secundum illum certas. Si quidẽ requisita est certitudo præmissarum, ad certitudinem conclusionis. Quare cum ille neque maiorem, neque minorem tradiderit posse esse certas, nullo pacto potest hinc colligi, secundum illum posse Petro certam esse suam gratiam.

Itaque bene quidem Gabriel in fine d. 27.2. infert, non posse quenquam certum esse de sua iustificatione, quamuis satis esset non ponere obicem, vt obtineremus gratiam per sacramentum pœnitentiæ, quia nemini constare potest intentio absoluentis: sed illud male addit, posse eum certum esse de suâ gratia, cui manifesta esset intentio absoluentis, si satis esset non ponere obicem. Neque enim sufficit, hoc satis esse, nisi sit etiam certum. Debet quippe esse certa vtraque præmissa, vt conclusio illata sit certa. Non solum autem Scotus non putauit esse certum ad consequendam gratiam per sacramenta, satis esse non ponere eis obicem, hoc est non actu peccare in eorum susceptione, & intendere ea iuxta intentionem Ecclesiæ suscipere, sed neque vnquam credidit hoc esse verum. Perperámque & ipse Gabriel ibi, & Lutherus in art. 1. suarum assertionum, & nonnulli alij, imponunt ei hanc falsissimam & merito dãnandam sententiam. Et longissime illum fuisse ab hac opinione, seu potius errore, ex multis ipsius locis possumus probare.

Plus requisiuit Scotus ad recipiendum gratiã per sacramẽta, quam nõ ponere eis obicem.

Primo: In 4 d.17.q.1 lit.e, hæc sunt illius verba: Non est vtilis absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio, vel attritio. Secundo: In fine d.18. expresse dicit: Omissa requisitione disciplinæ confitentis, non potest sequi rectum iudicium, nisi casualiter. Tertio: In d.4. quæst.5. litera c, clare ait, nullum peccatum, quod inest post baptismum, posse deleri sine pœnitẽtia, & fictum eum esse, qui cum commisisset septem mortalia, venit ad baptismum, de sex tantum attritus, quia septimum vel actu placet, vel de eo nullo modo atteritur: & addit eum, qui eo modo accedit ad baptismum, forte nouo peccato mortali peccare, ob irreuerentiam, quam facit sacramento. Neque ponit ibi, fortè, quod de ea re dubitauerit. Paulo enim post id asserit sine forté: sed quia posset fortè excusari ob ignorantiam, vel quia de eo non tunc ex professo agebat, suo more posuit, forte. Quarto, in vltimis verbis eiusdem quæsti. 5. idem docuit: Sic enim ibi ait: *Grat a baptismalis expellit omne peccatum, quod infuit vsque ad eius susceptionem: culpam autem, quæ tunc inest actu vel quæ actu tunc committitur, vel quia de illa nulla contritio inest, non expellit, quia inuenit obicem contrariæ voluntatis.* Hæc ille. Quibus quid, rogo, poterat dici expressius? Contri-

tritionem vero in illa tota quæstione large accepit, vt se extendit ad attritionem: vel ideo dixit, illam culpam non deleri per baptismum, de qua nulla contritio inest, quia quæcunque sit attritio, in susceptione baptismi fit contritio.

Et vt omnis tollatur ambiguitas, satis esse debent verba illa, quæ ex principio eiusdem q. sanctus Episcopus Roffensis, vt vindicet eum ab hac nota, Luthero obijcit. Sic namque ibi scribit: *Potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum sacramentum, cum tamen non sit interius dispositus, vel quia non habet rectam fidē, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur. Et isto modo communiter loquuntur sancti & Doctores de ficte baptizato* Hæc Scotus. Ex quibus luculenter patet, & rectam fidem, & dolorem aliquem de peccatis, requisitum esse, ne ponatur obex baptismo. Sexto idem aperte potest confirmari ex his, quæ idem Doctor scribit in illa q. 4. dis. 14 vnde colligunt, qui nos impugnant, non esse secundum eū requisitam displicentiam de peccatis, vt quis iustificetur per sacramentum. Ad finē enim 2. art. sicut dicit cōgruere, vt requiratur intentio debita ad sacramentum Pœnitentiæ, ita etiam dicit, congruere ex parte suscipientis, quod sit pœnitens, id est, habens aliquam displicentiam de peccato commisso. Et in tertio articulo in principio literæ E, subdit: *Parum attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere sacramentum pœnitentiæ, sicut dispensatur in Ecclesia, & sine obice in voluntate peccati mortalis in actu in vltimo instanti prolationis verborum, in quibus est vis sacramenti istius, recipit effectum sacramenti, scilicet gratiā pœnitentialem.* Ex quibus patet, tria requiri ab eo, vt recipiat quis gratiam per sacramētum pœnitentiæ: nempe voluntatem recipiendi sacramentum, displicentiam aliquā de peccatis commissis, & non esse in aliquo mortali, actu vel voluntate. Et ista duo aliquando ab eo comprehenduntur vno verbo, videlicet, sine fictione: vel, sine obice: neque immerito. Qui enim non habet displicentiam de peccato, quod placuit, moraliter semper perseuerare dicitur in eius complacentia, atque in illo esse, actu vel voluntate, & illud voluntati ipsius adhuc inhærere. Et cōmuni more omnia, quibus, ne sacramenta in nobis causent gratiam, vel contrarie, vel contradictorie impedimus, id est, vel actu peccando, vel intermittendo necessaria ad reuerenter ea recipienda, vno nomine obicis vel fictionis solemus comprehendere. Dicimus quippe generaliter, sacramēta causare gratiam in non ponentibus obicem, vel ficte ipsa suscipientibus, & omnes ad ea accedentes, per illa recipere à Deo gratiam, si syncere & non ficte, aut ponentes obicem, ad ea accedant. Atque ita omnia, quibus impediuntur agentia naturalia à suis effectibus, verbo vno obstaculi, obicis, vel impedimenti, vt plurimū nuncupamus. Quāobrem cum ibidem dixisset Scotus, ad consequendam gratiam per sacramentum, solum requiri voluntariam susceptionem baptismi, & sine fictione, vel quod idem erat, solum requiri opus exterius, cum amotione interioris impedimenti, vt explicaret non deesse fictionem, neque amoueri interius impedimentum, nisi habeatur displicentia aliqua de peccatis commissis, adiecit statim ad secundum hæc verba: Concedo ergo quod ante perceptionem dignam pœnitentiæ, oportet suscitari vel simpliciter, & tunc per pœnitentiæ sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur: vel suscitari secundum quid, vt videlicet habeat aliqualē displicentiam de peccatis, & propositum cauendi decætero, & velit suscipere sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio. *Hac ibi.* Itaque manifestum est, eum requisiuisse aliquam displicentiam commissorum peccatorum, ne quis apponat obicem sacramento, sed recipiat gratiam per illud. Neque cum dicit in loco, quem tractamus ex d. 17. duas esse vias ad consequendam gratiam: alteram, per sacramentum non ponendo ei obicem: alteram per contritionem: exclusit à prima omnem attritionem & displicentiam, sed illam solum, quæ etiam sine sacramento, per modum

Quid sit ponere obicē gratiæ.

Quis dolor sit secundũ Scot. meritum de congruo primæ gratiæ.

dum meriti de congruo, sufficeret ad obtinendam gratiam. Est enim aduertendum & notandum, Doctorem Subtilem non vocare meritum de congruo, respectu primæ gratiæ, nisi dispositiones, quæ etiam sine sacramento sufficerẽt ad consequendã gratiam. Vnde & in d. 18 li. A. velut explicans ea, quæ in q. 4. d. 14 dixerat, sic scribit: Concedo igitur, vt diffuse declaratum est d. 14 q. 4. quod sacramentum pœnitentiæ potest digne recipi ab attrito, & hoc tanta attritione, quæ non sufficeret per modum meriti ad iustificationem suscipiendam in termino attritionis. Et si non ficte recipiatur, in termino recipitur gratia prima. *Hæc ille.*

Sed hæc satis, vt nemo post hac tam parum piam opinionem, tam pio & tam insigni Doctori attribuat.

Loc. 2. Scoti pro certitud. gratiæ.

Vt autem ostendatur ille sensisse, posse quempiam esse certum per fidem suæ gratiæ, secundo possunt nobis obijci verba ipsius in 3. d. 24. lit. C. Argumentatur ibi sic contra lumen, quod ponit Hẽric. Gan. medium inter lumen gloriæ & lumen fidei: Caritas potest ostẽdi ex actu interiori, quo inuenit homo se prõptum in Deum, & exteriori, quo feruet in actibus extrinsecis pro aliquo delicto, sicut aliqua scientia ostenditur actu interiori intelligendo, & exteriori bene docendo. Sed tales qui habent hoc lumen, secundum eos non melius docent, neque firmius adhærent in mente credibilibus propter lumen istud, quam alij simplices non habentes huiusmodi lumen, sed frequenter minus. Igitur non debet poni. *Hæc ille.*

Ex quibus videtur caritas, secundum ipsum, posse ostendi ex actibus, & cuicunque constaret, se habere actus, quorum hic meminit, constare posse quod habeat caritatem. Et confirmari hoc potest ex argumento, quod statim ibidem subiungit contra idem lumen. Vt enim Philosophus in secundo Posteriorum contra Platonem, qui ponebat omnem scientiam in nobis à principio, sed quasi obnubilatam & obrutam propter impedimenta aliqua, argumẽtatur, inconueniens esse habere tam nobiles habitus, & latere nos: ita & ipse contra prædictum lumen argumentatur, inconueniens esse, ponere tantum & tam perfectum lumen, & tamen latere nos, præsertim, cum hoc lumen ponatur esse clarior & manifestior habitus, quam fides: & habens fidem, non ignoret omnino se habere fidem, sed sciat, se habere habitum, quo credit in generali, licet nesciat vera esse illa, in quæ inclinat. Et non in hoc loco solum, sed & in 4 d. 43. q. 3. lit. C, inconueniens putat, nobiles habitus latere eos habẽtem. Quare cum secundum Doctorem Subtilem, multo perfectior habitus sit caritas, quam fides, & quam esset illud lumen: repugnare doctrinæ ipsius videtur, non posse cuiquam in hac vita constare de tanto & tam perfecto habitu, si eum habeat.

Confirmatio.

Respon. 1.

Sed hæc non asseruntur à Doctore Subtili, sed inter argumentandum dicuntur: Quo in loco sępe aliquibus vtimur ad conuincendum aduersarios, quæ ipsi non credimus, si modo apud eos sint recepta, & concessa. Et forte ad hominem magis ista dixit, quam ex sententia propria. Neque satis profecto certum est, an ista argumenta sint Doctoris Subtilis, an aliorum. Statim enim ante hæc argumenta, ita inquit: Præterea alij arguunt contra eum, quærentes quid sit tale lumen: & respondens dicit, quod est quid spirituale sicut caritas, & ideo non potest ostendi: sed illi percipiunt hoc lumen, qui recipiunt. Et mox subdit argumenta, quæ statim citauimus: Incertum etiam videtur, an de habitu caritatis infusæ in primo argumento agat. Generaliter enim de caritate loquitur, & ad caritatem acquisitam possent, quæ dicit, referri. Denique, Pro omnibus, quæ in hoc loco dicit Scotus, satis est, probabiliter posse constare nobis caritatem: neque requiritur vt possit etiam certo constare, præsertim certitudine fidei. Quare consulto Leuchetus ipsius expositor, ad tollendum omnem ambiguitatem illis verbis, Caritas potest ostendi, &c. adiecit, saltem secundum coniecturas. Et non esse trahenda hæc verba ad maiorem, aut certiorem ostensionem caritatis, quam probabilem, suaderi potest,

Secunda.

Tertia.

Quarta.

 tum

tum ex ipsis, quæ ibidem dicit, tum ex aliis, quæ alibi asserit. Hic enim ita ostendi, ait, posse caritatem ex actibus, sicut scientiam ex bene intelligendo, & bene docendo. Sed ex his non ostenditur habitus scientiæ, nisi probabiliter. Neque enim communiter existimantur demonstrari posse habitus. Item: Hoc loco ita vult posse nobis constare medium illud lumen, si ponatur, ac constat habitus fidei habenti illum. Sed habitus fidei infusæ tantum constat probabiliter habenti ipsum. Non enim constat, eum habenti, certitudine euidentiæ, vt idem expresse dicit d. 23. q. vnica, litera l, & in quod ib. 14. liter. K. Et licet certum sit, secundum eundem Doctorem, ex authoritate scripturæ & sanctorum, esse fidem infusam. vt idem aperte dicit in principio solutionis q. vnicæ d. 23. tamen non est certum ex fide, in omnibus illis esse fidem infusam, qui credunt & receperunt fidem. Dubium enim est, vt in 7. lib. explicuimus, inter Doctores, an Deus infundat fidem illis, qui veniunt ad fidem sine pœnitentia suorum peccatorum, cum illis non infundat caritatem, & vnus habitus infusus non infundatur sine alijs, licet maneat sine ipsis. Et cum dicit in principio solutionis quæst. vnicæ, d. 23. Sicut credo Deum esse trinum & vnum, ita credo me habere fidem infusam, qua hoc credo, non debet hoc sic rigide exponi, quasi eadem firmitate crederet sibi peculiariter esse infusam fidem, qua crederet, ac credebat Deum esse trinum & vnum: sed ita debet exponi, vt sensus ipsius sit, eadem firmitate se credere fidem infundi fidelibus à Deo, vt credant, ac credebant Deum esse trinum & vnum. Neque enim amplius ibi statuere volebat, vt patet ex adiunctis, quam, non posse fidem demonstrari inesse alicui, nisi supposita fide & voluntate credendi dictis Scripturæ & Sanctorum. Et eodem modo debent exponi similia, quæ ibidem paulo post dicit litera l, quia clare in eadem d. asseuerat neminem scire se habere fidem infusam, nisi reueletur sibi. Præterea: Doctor Subtilis passim contendit, non posse habitus infusos demonstrari ex actibus, neque necesse esse, eos ponere ad habendum actus ex eis elicitos. Et patet hoc in 3. in principio d. 23. & in d. 27. art. & in 1. d. 17. q. 1. His que accedit, quod in 4. d. 6. q. 9. in principio expresse dicit, non posse probari per rationem naturalem, neque in vniuersali, videlicet propter quid, nec etiam propter finem, neque in particulari, vt per experientiam alicuius actus, vel conditionem ipsius esse characterem, sicut in 3. dictum est, non posse probari ex istis gratiam vel caritatem.

Cum igitur hæc & similia passim dicat, non est locus hic, quem modo exponimus, sic intelligendus, vt sensus Doctoris Subtilis putetur hic esse, vt possimus ex actibus nostris certo cognoscere, nos habere habitum aliquem infusum. Et multo minus hoc credendum est, eum sensisse de habitu infuso caritatis, quæ, vt infra ostendemus, ignotior nobis est, quam fides infusa. Itaq; contradictio, quæ fortassis alicui apparere posset inter dicta hic & in primo, tolli potest per verbum certitudinis additum in primo. Ibi enim de certa cognitione agit, huic vero loco satis est coniecturalis seu probabilis cognitio. Etsi in hunc sensum interpretemur Doctorem Subtilem, efficaciora erunt & vrgentiora argumenta illius contra Henricum, quam alias. Ostendent enim, neque probabilem esse opinionem illius de medio illo lumine, quandoquidem alij habitus infusi ostendi possunt, saltem probabiliter ex actibus, non autem illud medium lumen. Quod si de ostensione certa & demonstrante ex actibus, argumentaretur, diceret studiosus Henrici, non eum tradidisse suam opinionem, vt certam & euidentem, sed vt probabilem & disputabilẽ, atq; ideo satis esse, si ostendi possit illud lumen probabiliter.

Conciliantur loca doctorum Subtilium, quæ videntur sibi cõtraria.

Sed nimium nobis indulsimus, dum in gratiam Doctoris, quem publicè aliquot annis professi sumus, quæcunque erant in eo in hac parte obscura, quæq; aliquot viris Doctis nouimus imposuisse, pro virili nostra curauimus & dilucida, & perspicua efficere. Transeamus igitur ad defensiones insignium Academicorum, quæ pro nobis militant.

C A-

CAPVT XVI.

De testimonio Scholarum insignium pro incertitudine iustificationis.

QVANQVAM ex superioribus manifestissimum esse arbitror, & pondere & numero testium multo nos esse aduersarijs nostris superiores, quo hoc tamen dilucidius fit, & quos non possumus veritate ipsa, & scripturarum & Doctorum authoritate superare, saltem multitudine vincamus, adijciam præmissis insignium & toto orbe Clarissimorum gymnasiorum Parisiensis & Louaniensis diffinitiones super hac re, quam modo tractamus. Patebit enim ex his, innumeros alios, atq; adeo eruditissimos, pro nobis stare Doctores, eos videlicet omnes, quos fœcundissima ista sapientum gymnasia, singulis pene annis, laureis & infulis doctoralibus exornat.

Scholarum clarissimorum vnum præcipuum.

In censuris igitur Parisiensibus, quæ aduersus Lutherum publice edita sunt, & vbique venales habentur, in titulo 3. qui est de absolutione, proponuntur primo istæ tres propositiones Lutheri. Propositio prima: Absolutio est efficax, non quia fit, à quocunq; eadem fiat, siue erret, siue non erret, sed quia creditur. Propositio secunda: Crede fortiter te esse absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de tua contritione. Propositio tertia: Esto per impossibile, quod confessus non sit contritus, aut quod sacerdos non serio, sed ioco absoluat, si tamen credat se esse absolutum, vere est absolutus.

Et subditur deinde censura his verbis: Hæ tres propositiones ad sensum scriptoris sunt falsæ, impiæ, ignoranter & differmiter ad sanam sacræ scripturæ intelligentiam assertæ. Et in hoc quod dicitur, A quocunq; tandem fiat, siue erret, siue non erret, & in eo quod subditur, non serio, sed ioco absoluat, sunt piarum aurium offensiuæ, sacramenti Pœnitentiæ irrisoriæ, & Conciliorum generalium determinationibus contrariæ. Et in tit. 7. de certitudine caritatis habitæ, ponitur primo hæc propositio Lutheri: Pessime docent Theologi, quando dicitur, nos scire, quando sumus in caritate. Et additur censura in hæc verba: Hæc propositio, intelligendo nescire certitudine fidei, de qua loquitur scribens, est falsa, sacris doctoribus dissona, & sanæ intelligentiæ scripturæ. Subnectitur deinde secunda propositio Lutheri circa ista, his verbis: Caueat omnis Christianus, ne vnquam incertus sit, an DEO placeant opera sua. Qui enim sic dubitat, peccat, & perdit opera sua cuncta, frustraque laborat. Et huic propositioni sua mox subijcitur censura, in hæc verba: Huiusmodi consilium, loquendo de certitudine, vt supra, est temerarium, perniciosum, & sacris eloquijs difforme.

In articulis vero Louaniensibus die 14. Martij editis Anno Domini 1544. articulus 9. sic habet: Fides, qua quis firmiter credit, & certo statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seq; possessurum vitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium, immo eisdem aduersatur, etiam si firma & certa spe expectare debemus, in hac quidem vita per sacramentum baptismi & Pœnitentiæ remissionem peccatorum, in seculo autem futuro vitam æternam. *Hæc ibi.* Etsi bene perpendamus adiuncta omnia, & mentem hæc pronunciantium, & dogmata, quibus aduersari volebant, non dubitabimus, vtramque certitudinem, & gratiæ videlicet, & beatitudinis, scripturis aduersari definisse.

CAPVT XVII.

De Argumentis Theologicis pro incertitudine iustificationis.

SED intermittamus paulisper testimonia Scripturæ & Ecclesiasticorum Doctorum, neque tantum authoritatibus certemus: rem ipsam etiam argumentis scholasticis ad viuum discutiamus, vt si etiam his superiores fuerimus aduersarijs, nemo cunctetur sacri Concilij subscribere sententiæ.

Primo: Nemini, seclusa reuelatione, potest per fidem constare, sic esse veram hanc propositionem, Ego sum in gratia, Argum. 1.

vt non possit in eius assensu decipi. Nam respectu nullius est certa ex fide. Nihil enim est certum ex fide, nisi quod vel reuelatum est, vel ex reuelatis certo deducitur & exprimitur. Item licet de hac propositione dubitare & alijs à me, & mihijpsi: neque est qui ei teneatur credere, vt patet ex dictis: neq; habet, vnde ei non possit subesse falsum. Nec quispiam auderet pro illa mori, & tantilli illam sub iuramento non horrerent asserere. Acceditq; his, maximam partem fidelium credere, eam minime esse de fide, quodcunque quis habeat circa diuinam reuelationem de sua iustitia testimonium. Igitur temerarium est, ne dicam sacrilegum, tantam huic propositioni adhibere certitudinem, quanta nalijs à Deo reuelatis, in quorum assensu per fidem scimus nos non posse falli.

Argum. 2. Secundo: Infallibilis certitudo gratiæ non potest haberi ex terminis, neque ex experientia, neque per demonstrationem, vt manifestum est: neque habetur ex reuelatione diuina, vt supponimus: neque haberi potest ex aliquo discursu euidenti aut certo, qui procedat ex reuelatis. Si enim ex aliquo certo discursu tali haberi posset hæc certitudo, maxime ex isto: Quicunque facit, quod in se est, iustificatur à Deo: Ego feci, quod in me est: Ergo sum iustificatus à Deo. Ille autem discursus non procedit ex reuelatis, neque ex certis, quia minor illa, Ego feci, quod in me est: non est reuelata, neq; est vnde sit certa ex fide. Nam quantumcunque diligenter quis probet omnia illa signa, ex quibus prudenter moueri possumus, vt credamus, nos fecisse, quod in nobis est, neque solum sibi nihil conscius sit, sed & alia in se videat præclara iustitiæ signa, vt pœnitentiam omnium delictorum, dilectionem firmam & constantem Dei, absolutam patientiam, & heroica aliarum virtutum opera, ex his omnibus probabilitatem duntaxat, aut vt multum, certitudinem moralem poterit quis sibi comparare de hoc, quod fecerit, quæ in se sunt ad obtinendam Dei gratiam, non autem certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum: Quia ea omnia possent inueniri in eo, qui aliqua laboraret ignorantia culpabili, & nemini potest per fidem constare, se non habere aliquam ignorantiam vincibilem veritatis alicuius, quam tenetur scire. Vnde enim hoc possit per fidem constare, cum teste Euangelio possint, qui persequuntur Christianos, arbitrari se obsequium præstare Deo, neq; ea tamen existimatione excusentur, quin illis imputetur ea persecutio in peccatum? Paulus etiam Iudæis quos Deo displicere non dubitabat, testimonium perhibet, quod æmulationem quidem Dei haberent. Et cum ex zelo Dei persequebatur ipse Christianos, & spirans minas & cædes in Discipulos Domini, proficiscebatur Damascum, vt quos inueniret Christianos, vinctos perduceret in Hierusalem, arbitrabatur quidem obsequium se ea in re præstare Deo: neq; tamen, quod nullius sibi tūc fuerit conscius delicti, credidit se culpa vacasse, sed blasphemum & contumeliosum asseuerat se fuisse, misericordiam vero consecutum, quia ea ignorans faciebat. Nouerat quippe illud Euangelicum: *Seruus, qui non cognouit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Luc. 12.
Quibus & ipse calculum suum adiunxit, dicens: *Ignorans ignorabitur.* Itaque si & tantus zelus legis Dei & tam feruens Dei amor quantus tum fuisse videtur in Paulo, potest stare cum ignorantia aliqua culpabili, nulli potest omnino esse certum, se fecisse, quod in se est, ad assequendam Dei gratiam. 1. Cor. 14.

Tertio: Non sunt ex fide certa, quæ, qualiave, aut quanta, necessaria sint & sufficiant ad Peccatoris iustificationem, siue ante baptismum, siue post. Nam circa illa, quę requisita sunt, post baptismi gratiam deperditam, ad iustificationem peccatoris, non mediocris controuersia est inter grauissimos doctores Theologos. Et quidem Scotistæ aiunt, ad iustificationem peccatoris, non quemuis dolorem de peccatis etiam propter Deum sufficere, immo necessariam esse, aliquātam intentionem & feruorem in ipso dolore, aliquantumq; tēporis, & quidem ignoti nobis, continuationem. Alij vero causantur etiam necessarium, vt peccata Argum. 3.

dispi-

displiceant peccatori supra omne odibile, & vt vitare ea intendat supra omne vitabile, atque vt Deum diligat supra omne diligibile, & incertum esse, etiam omnibus istis positis, an mox ea Deus acceptet ad iustificationem peccatoris, vel potius in incerto nobis tempore requirat ea continuari. Et huius opinionis rigidissimè author est & defensor Caietanus in opusculis suis. Et nulla istarum opinionum damnata est ab Ecclesia, neq; communiter illæ existimantur hæreticæ: licet contrariæ, vt li. 13. ostendemus vt mitiores, ita etiam probabiliores sint.

Illa etiam, quæ requisita sunt ad iustificationem peccatoris ante baptismum susceptum non sunt vsquequaq; certa Nulla enim scripturæ authoritate, nulla definitione Ecclesiæ præscripta sunt. Et cum certum sit, pœnitentiam esse requisitam, non est vnde probemus, minorem pœnitentiã sufficere cuicunq; infideli, vt iustificetur ante susceptum baptismum, quam sufficiat Christiano peccatori. Et licet certum sit, multo pauciora & minora sufficere cum ipso baptismo, quam sufficiant sine sacramento pœnitentiæ, vel etiam cum ipso sacramento pœnitentiæ, etiamsi tanto sint pauciora & minora, vt de illis possit baptizatis certo constare, cum nemini certum possit esse ex fide, an verum susceperit baptismum, neque ex hac parte poterit esse certa sua iustificatio baptizatis. Est quidem certum, atq; vt ipse existimo etiam per fidem, sufficere ad gratiam conuersionem ad Deum ex toto corde, & pœnitentiam ex toto corde, & facere quod in nobis est, ad eam assequendã. Attamen certa forte non sunt ex fide, quæ ad hæc necessaria sunt & sufficiunt, & quæ certum est sufficere, scire certo non possumus à nobis fieri.

Argum. 4. Quarto: Si constare posset per fidem alicui sua iustificatio, maxime cõstare per hoc, quod fecerit omnia, quę nouit necessaria esse, vt iustificetur, & in animo habet plura facere, si plura nosset à Deo requiri, & hæc sibi in se videtur videre, aut saltem certo de se credere. Sed hæc non sunt satis, vt quis iustificetur. Possunt enim plura requiri, quam quis existimet requisita esse. Et potest aliquis credere, se fecisse omnia necessaria, immo & existimare potest se videre illud, & euidenter de se nosse, & tamen decipi, quia neque illa fecit, neque facturus erat, etiamsi nosset ea esse necessario facienda.

Quod quidem manifestum potest esse in infidelibus, & in hæreticis, immo & in multis Christianis laborantibus aliqua culpabili ignorantia circa pluralitatem beneficiorum, vel circa retentionem aliquorum bonorum alienorum, & similia. Multi enim ex huiusmodi hominibus securi sunt de sua iustificatione, & omnia putant se fecisse, quæ Deus ab eis exigit, vt eos iustificet: immo & videntur sibi euidenter nosse, omnia se talia fecisse, & facturi plura, si plura nossent requiri: cum tamen, qui legem Dei exacte norunt, & ab eiusmodi affectib. liberi sunt, certo credant eos esse in peccato, neque eos affectus habere, quos ipsi sibi de se persuadent. Et huius rei perspicuum argumentum est, quod non semel experientia nos docet. Admonentur quandoque isti qui retinent plura beneficia, vel bona aliena, & audiunt à viris doctissimis necessarium esse si suæ velint saluti prospicere, resignare illa beneficia, & restituere illa bona. At ipsi more aspidis surdæ obturant aures suas, ne exaudiant voces incantantium eos sapienter, neque vllis argumentis diuelli possunt à suis affectibus & opinionibus.

Argum. 5. Quinto: Tutissima & certissima via nobis data ad iustificationem, sunt sacramenta. Habent enim vel omnia illa, vel certe baptismus & pœnitentia, vt accedentibus ad ipsa cum quouis dolore de peccatis & proposito ea vitandi, conferant primam gratiam. Sed nemini potest per fidem constare, se recipisse vel minimum sacramentum. Estq; hoc ita certum ex fide, ac clarum est, nos viuere. Nemini siquidem potest constare aliquando concurrere, quæ semper necessaria sunt ad ministrationem cuiuscunq; sacramenti. Nulla quippe est via, qua citra reuelationem nosse possimus

mus intentionem miniſtrantis, vel euidenter, vel certo ex fide.

Eſt autem ad quodcunq; horum ſacramentorum neceſſaria in miniſtro intentio conferendi illud iuxta intentionem Eccleſiæ, vt diffinitum eſt in Con. Flo. & confirmatum in hoc Concil. ſeſſione 7. ca. 11.

Argum. 6. Sexto: Non dedit nobis Deus viam, qua certo poſſimus per fidem ſcire, an adimpleuerimus omnia præcepta nobis iniuncta, ſed contentus fuit, hoc nos poſſe ſcire certitudine quadam morali. Ergo multo minus cerdendum eſt, dediſſe Deum viam, qua ſciremus nos eſſe iuſtificatos per fidẽ. Multo enim magis neceſſaria videtur prior certitudo, quam iſta: & fieri non poteſt, vt maior certitudo habeatur de iuſtificatione noſtra, quam de obſeruatione mandatorũ Dei, cum eorum obſeruatio neceſſaria ſit ad iuſtificationem, vel certe iuſtificatio nequeat ſtare ſine illa. Quod aũt non poſſit nobis certa eſſe per fidẽ obſeruatio omniũ mãdatorum, dupliciter docere poſſumus, Nam vt iam diximus, conſtare nobis non omnino poteſt, ne per ignorantiam quidem præteriſſe aliquod ex ipſis. & præcepta ſaltem confeſſionis & baptiſmi, nemo poteſt ſcire ſe impleſſe, niſi morali quadam & probabili certitudine, quia non poteſt conſtare, vt ſtatim oſtendemus, vere nos hæc ſacramẽta ſuſcepiſſe. Quamuis enim licet excuſaremur à peccato tranſgreſſionis, ſi non fecerimus, quod in nobis eſt, ad ea ſuſcipiendum: tamen vbi cõſtaret, nos non ea ſuſcepiſſe propter malitiam miniſtri, qui verba ſacramentalia protuliſſet abſque intentione faciendi quod Eccleſia intẽdit, vere teneremur ea rurſus ſuſcipere.

Argum. 7. Septimo: Reuelauit Deus nonnunquã aliquibus ſuam iuſtificationem. Signum ergo eſt, & quidem non leue, non poſſe citra reuelationem haberi de ea plenam certitudinem. Si enim poſſet ea per fidem haberi, ſuperflua fuiſſet reuelatio. Nam ſi qui potuiſſent citra reuelationem huiuſmodi certitudinem conſequi, maxime certe illi, quibus Deus ſuam iuſtitiam reuelauit, vt qui vitæ ſanctitate, notitia ſcripturarum, & perſpicatia ingenij multis interuallis, cæteris præcelluerunt. Neque Deus peculiariter ſolet reuelare, quæ ex fide poſſunt eſſe certa. Cumque Deus paucis, iiſq; amiciſſimis ſibi, ſuam iuſtificationem reuelauerit, atque ea in gratiam eis fecerit, vti confidentius & fortius magnifica & præclariſſima opera facerent, & alacrius moleſtias omnes præſentis vitæ pro ipſius gloria ſuſtinerent, eaque ratione labores ipſorum alleuarentur, & quadantenus præmiarentur, abſurdum eſt, & vehementer derogat, gratiæ eis factæ, aſſerere omnes qui iuſtificantur, poſſe certitudinem fidei de ſua iuſtitia citra reuelationem nanciſci. Et augeri poteſt hoc argumentum: Non ſcimus Deum reuelaſſe aliquibus ſuam iuſtificationem, quibus non reuelauerit ſuam etiã perſeuerantiam. Igitur ſicut nemo poteſt eſſe certus ex fide ſine reuelatione diuina de ſua perſeuerantia, nemo etiam poteſt eſſe certus ex fide de ſua gratia. Octauo. Non expedit, vt homines poſſint regulariter co- Argum. 8. Cauſarum ob quas nõ expedit certitudo gratiæ.
gnoſcere per fidem, & certam habere ſuam iuſtificationem & acquiſitionem gratiæ. Namque ea certitudo, occaſio eſſet ſuperbiæ iuxta illud Gregorij 9. mor. 17 *Si ſcimus* Prima.
nos gratiam habere, ſuperbimus. Vix cauent viri ſpirituales ſuperbiam & inanem gloriam, ſi probabile ſit, ſe inueniſſe gratiam apud aliquem regem, vel eximium prælatum: & cauebunt cerdones & ſartores ſuperbiã & inanem gloriam, habentes certitudinem fidei de ſua iuſtificatione & gratia apud Deũ, & adoptione in filios Dei & hæredes regni cœlorum? Eſſet etiã hæc certitu- Secunda.
do, nonnulla occaſio deſpiciendi alios, aut ſaltem nos alijs præferendi, ac prorſus impediendi obſeruantiam ſaluberrimi conſilij Pauli, quo admonemur, in humilitate ſuperiores nobis ceteros arbitrari. Quomodo enim ego alios mihi præferam, ſi de me poſſim eſſe certus per fidem, me eſſe in gratia, cum de alijs hoc non poſſim adeo certo conſtare? Atque in viris imperfectis Tertia.
eſſet occaſio, iſta certitudo ſomnolentiæ, inertiæ, & relaxationis vitæ & pœnitentiæ. Si enim imperfecti, ſint certi per fidẽ, ſe obtinuiſſe gratiam Dei, ſecure & in vtrãuis aurẽ, vt aiũt dormirent, neq; tãti facerẽt,

immo

immo neque curarent, habere fructus dignos pœnitentiæ, aut in gratia proficere. Annon videmus, ex hac persuasione factum esse inter Lutheranos, vt nulla penè cura sit satisfactionum pœnitentialium?
Quarta. Ad hæc: Occasio erit ista certitudo minuendi firmitatem in assensu cæterorum credibilium. Cum enim rarissimi inueniantur homines, qui possint tanta fide credere se esse in gratia, ac credunt filium Dei pro se passum, si dicatur eis vtrumque esse ex æquo de fide, non ita firmiter credent homines, Christum pro se esse passum.
Quinta. Non expediebat etiam, vt certitudo fidei, qua nulla debet esse maior, & pro qua semper debemus parati esse mori, ad singularia & particularia applicarentur, in quibus tam sæpè possemus decipi, nisi firma aliqua & certa reuelatione Dei firmemur, ne in eis labamur aut vacillemus. Neque sine graui fidei iniuria docentur homines tanta certitudine credere se esse iustificatos, quanta credunt alijs credibilius, cum tam sæpè & tam faciliter in hoc possit quilibet errare & decipi.
Sexta. Deinde: Si ob aliquid debuisset Deus communicare nobis per Scripturas certitudinem nostræ iustificationis, esset maximè, vt esset occasio lætandi in ipso, & exultandi in tanto beneficio, & sperandi à magnificentia ipsius maiora, & vt certi de hoc facti, alacrius pateremur aduersa, & nos accenderemus ad fortius & feruentius per viam mandatorum Dei currendum, & proficiendum de virtute in virtutem. Sed ad ista satis debet nobis esse certitudo moralis de tanto & tam eximio beneficio. Ea enim certitudo de gratia Principis, satis nobis solet esse in humanis, vt in prosperis & aduersis alacriter & fortiter ei seruiamus, & vt exultemus, si gratiam illius habere cupiebamus, de inuenta gratia apud ipsum, & ab illo magna beneficia & maiora in dies singulos speremus. Ea etiam certitudine solemus esse contenti de perseuerantia nostra, & consecutione beatitudinis, vt bonum facientes, non deficiamus omni tempore. Equidem non pro dignitate existimant hoc tantum & tam præcellens beneficium gratiæ Dei, qui non contenti sunt, si Deus illis impartiatur, vnde probabiliter possint scire, se illud assecutos, nisi etiam certitudinem, & hanc ipsam fidei Theologicæ, in hac valle miseriæ assequantur.
Septima. Nunquam etiam Deus, qui tam benigne & magnifice omnia nobis necessaria prouidet, tam paucis suam iustificationem reuelasset, si in commune expediret, vt omnes assequi possent tantam certitudinem.
Octaua. Item: Non expedit nobis scire determinate diem iudicij, sicut copiose tradunt Doctores super illa verba: *De die illa & hora nemo scit*: & super illa, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta*. Decet enim eo Deo soli nota esse, quæ ipse solus operatus est, vt quæ soli suæ subiacent potestati, soli etiam suæ scientiæ subiaceant. Et nobis ea incertitudo conueniens est, vt soliciti magis simus de iugi bonorum operum exercitio. Ergo neque expedit nobis, scire determinate, quando sumus in gratia. Proprium namque opus Dei etiam est iustificatio, & incertitudo de nostra iustificatione, solicitudinem augebit bene operandi, ad promerendum tantum beneficium. Quod si ex fide certo sciremus nos esse in gratia, nihil profecto ad parum nos solicitos faceret incertitudo diei iudicij, vel mortis nostræ. Optima enim præparatio ad aduentum Domini est, habere gratiam ipsius.
Marc. 13
Actor. 1
Non expedit nobis scire diem iudicii.
Argum. 9. Nono: Plura signa dedit Christus apud Matth. aduentus sui ad iudicium, quam vnquam dederit in Scripturis aduentus sui ad nos per gratiam. Sed ex illis signis non possumus certitudinaliter scire determinate diem iudicij. De die enim illa & hora nemo scit. Et tantum colligunt Doctores, posse nos per coniecturas quasdam scire appropinquare diem iudicij.
Ignotus dies iudicii.
Arg. 10. Decimo: Nullus absq; Dei reuelatione tenetur certo credere se esse in gratia. Nusquam enim tale inuenietur præceptum, vt supra late docuimus.
Cap. 6. Quin vero potest quilibet merito hæsitare aut formidare de sua iustificatione. Nam multi viri sancti hæsitauerunt de sua, etiam post magnam & insignem pœnitentiam suorum peccatorum: & viri doctissimi dicunt, nũquam debere quempiam hoc omnino certum existimare: & ad veram humilitatem potius spectare, vt nos

existimemus peccatores, quam iustos. Quod si posset quispiam absque reuelatione certus esse ex fide de sua iustificatione, teneretur vtique eam credere, vel saltem non liceret ei dissentire, aut de ea hæsitare. Nihil enim tale liceret ei, qui de ipsa haberet reuelationem. Et hoc generatim ab omnibus conceditur, de omnibus quæ de fide sunt, siue quia apertè colliguntur ex reuelatis, siue quia immediatè habentur ex reuelatione. Et de vtrorumque fide verum est, quod communiter dicitur, Dubius in fide, infidelis est. Possunt hæc argumenta satis esse, vt tam Catholici, quam hæretici intelligant, nemini fi esse posse per fidem notam suam gratiam citra reuelationem diuinam, vt sunt alia reuelata nobis à Deo, aut ex eis certo deducta: ac proinde temerariè facere, quicunque tanta firmitate credit se iustificatum, quanta illis credit, siue ea ad fidem Catholicam spectarent, siue non: iustissimeque S. Synodum statuisse, neminem posse sic suam iustificationem scire, vt eo in assensu non meritò hæsitare queat, an decipiatur.

Argum. 11. Sed quo magis errores hæreticorum confutemus, & quam longè sint à vero, circa hunc art. doceamus, adijciam & his alind argumentum peculiare contra ipsos: Si constare posset nobis per fidem nostra iustificatio, maximè hoc esset, vt dicitis, quia constare nobis potest, nos certo credere per Christum esse iustificatos: sed vnde, rogo, constat nobis fidem nostræ iustificationis per Christum, hanc habere prærogatiuam, vt omnia peccata deleat & execellat, & gratiæ nos Christi restituat? Vbi legistis tale ei priuilegium datum à Deo? Quod poteritis vel Scripturæ, vel alicuius sancti veteris proferre testimonium, vt non hoc vestrum esse somnium & commentum existimemus?

Fidem sufficere ad iustificationem, docuere ante vos nonnulli hæretici, etiam tempore Apostolorum, & postea Eunomius, vt supra testimonio Augustini docuimus. Sed fidem, qua certo credimus nos esse in gratia, hanc eandem virtutem habere, nemo ante vos, quod sciam, vel alleruit, vel suspicatus est. Prohibebant talem ausum & temeritatem Scripturæ, quæ & aliorum articulorum fidem, & alia virtutum opera, vt spem, dilectionem, & pœnitentiam ad iustificationem manifesto exigunt. Prohibebat lumen naturale, quod & stultum esse docet, vel leuissimarum offensarum in proximum nobis polliceri remissionem, quia certo credamus nobis eas condonatas. Debet quidem aliquid antecedere, quod causa sit etiam sufficiens & manifesta, aut certa remissionis peccatorum nostrorum, aut non leuiter & temerè credamus illa nobis, vel apud Deum, vel apud homines esse remissa.

Fides de iustificatione, non sufficit ad iustificationem.

Sed sit & aliorum articulorum fides, quæ vos certos faciat vestræ gratiæ. Nolo vestris calumnijs hoc nomine obnoxius esse, quãquam hoc est, quod maxime ex vestris scriptis habere potui, & alij ante me viri doctissimi collegerunt. Cupio & hoc vobis diuerticulum aut suffugium auferre, & omnia quæ vos remorantur, ne nobiscum conueniatis, pro virili nostra tollere.

Statuite quamcunque volueritis fidem, quæ vos certos faciat vestræ salutis. Illam ostendam aperte, præstare non posse vestram istam augustam & sacrosanctam certitudinem. Potest enim quæcunque illa sit, admittere secum propositum perseuerandi in aliquo peccato. Quia nulla est contrarietas inter illa, quæ hoc prohibeat. Et vosipsi fatemini, cum illa stare dubium de beneuolentia & cura paterna, quam in nos gerit pater cœlestis, quod & fatemini esse peccatum, sed propter hanc fidem non imputari.

Nulla fides certam peccatorem facit suæ gratiæ.

Lege temetipsum Bucere in concordantia huius art. de certitud. grat. Non solum, ais, præsente peccato certos nos esse gratiæ per fidem, verum neminem posse carere peccato dubietatis de diuina in nos cura, & tamen illud contegi per fidem. Idemque ait sodalis tuus Philippus in Apol. Augustana. Et vterque hoc didicistis ex Magistro vestro Luthero. Neque ille se poterit, sicut vos fortassis, tueri, quod ista ad sola venialia retulerit. Nam in art. 14 suarum assertionum expresse ita scribit: Qualiacunque sint

opera

opera nostra, etiamsi sint peccata, sola fide efficimur certissimi, non imputari ea nobis. Et in de libertate Christiana, palàm affirmat, qualiacunque sint opera nostra, dummodo fixa & firma sit fides, certos nos esse nostræ salutis.

Quomodo vero cum his stat, quod Scriptura sexcentis locis affirmat, Deum iniquitatem omnem, & omnes iniquos odio habere, & non parcere delinquenti, hoc est, actu perseueranti in peccato?

Non satis tibi erat, ô Luthere, docuisse, fidem solam sine operibus ad salutem posse sufficere, nisi etiam, addens errores erroribus, neque impediri iustificationem perseuerantia malorum operum affirmares? Quid aliud hoc est, quam homines alioqui segnes satis, & ad virtutum cultum torpentes, à bonorum operum studio auocare, & ad vitia & scelera plus nimio procliuibus habenas plenissime laxare?

Sed non tantum hoc vestrum dogma, fictitium illud quidem & commentitium, moribus humanis est perniciosum, & laudibus iustorum & ipsius iustitiæ derogat. In Deum ipsum, gubernatorem & legislatorem vniuersi, iniurium & contumeliosum est. Quid enim potest magis alienum esse à suprema bonitate, quam omnes omni vi & ope nostra constanter in Deo debemus & prædicare & tueri, quam perseuerantes in sceleribus & flagitijs, ad amicitiam suam recipere, & illis dona sua spiritalia largiri, atque in eis habitare, qui immundi & impuri sunt, & socij, immo templa vel verius cloacæ sordium omnium, & habitacula dæmoniorum?

Atque vbi ista non posse quemquam scientem admittere, si maneat in eo fides, contendatis, quod quidem manifestis argumentis & testimonijs Scripturæ libro decimoquarto reuincemus, certe intacta & illæsa fide, per ignorantiam posse ea admitti manifestum est. Aut enim fidelis nunquam poterit ex ignorantia peccare, aut si potest, vt lucidissime Scriptura docet, poterit absque fidei iactura. Siquidem qua fide potest admittere peccatum, poterit & in eo perseuerare. Et nullius articuli fides impedire potest, quin per fragilitatem & obliuionem quandam humanam fidelis nonnunquam delinquat. Quis etiam, si non prorsus desipiat, credere queat, vobis persuasionem vestræ gratiæ solum pendere ex fide, neque augeri aut corroborari ex operibus? Nonne experientia constat, tanto facilius & firmius quemque posse credere se esse in Dei gratia, quanto pluribus & melioribus operibus abundauerit?

Equidem Chrysostomus & Bernardus, vt alios intermittamus, longe diuersa à vobis Ecclesiam Christi docuerunt. Chrysost. Vnusquisque nostrum, ait, in nulla alia re spem suam post Dei misericordiam, nisi in morum sanctitate constituat. Bernard. Inde augetur nostra fiducia, quod sani sumus, si desiderio supernorum surgentes à terrenis, eleuantes corpus voluptatibus, demus operam, vt anima regat corpus, & non regatur ab illo.

Chrys. hom. 1. in 1. Matt.
Bern. in ser. de 4. modis orandi.

Et didicerunt hæc isti Doctores à Christo, & ab Apostolis. Nam Christus ait: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et Petrus per bona opera iubet certam facere vocationem nostram. Et Paulus ex testimonio bonæ conscientiæ solidam docet gloriam filiorum Dei proficisci. Et Ioan. *Filioli, non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate.* Dicitis: Incerta erit nostra iustificatio, si ex operibus pendeat.

Ioan. 14
1. Ioan. 3

Docte quidem & diserte vobis hunc cauillum dissoluit pius, idemque eruditissimus, magister Soto: Vos, vt certa sit iustificatio, docetis homines iustificari sola fide. Ille autem contra, vel ob hoc persuaderi posse necessitatem operum recte putat, & iustificationem non sola fide perfici, quia fides sola neminem potest facere certum suæ salutis. Ipsa est enim quæ perspicue docet, necessaria esse opera ad salutem. Neque possum quidem satis mirari, quomodo, cum vos iam lucidissimis Scripturarum testimonijs conuicti, aperte doceatis necessariam esse peccatoribus pœnitentiam, vt iustificentur, non etiam simul ab antiquo resilieritis errore de certitudine gratiæ, quem ea potissimum ratione tuebamini, quia iustificationē putabatis pendere à sola

Soto 3 de na. & gra. c. 10.

fide, quæ certa & indubitata nobis potest esse.

Equidem cum pœnitentiam necessariam ad iustificationem bene statuistis, temeraria illa debuissetis eadem opera reuocare verba, quibus authoritatem vobis vsurpantes Conciliorum Ecclesiæ, art. 5. Conf: ss. Augustan. dicitis: Damnantur illi, qui iubent conscientias dubitare, an consequantur remissionem, & addunt, hanc dubitationem non esse peccatum. Neque minus illa, quibus art. 20. acriter nos increpatis, quod dicentes iustificationem nostram aliquo modo pendere à dispositione nostra, corrumpimus doctrinam de fide, neque possumus firmam consolationem conscientijs proponere. Nam si pœnitentia necessaria est, vt iustificemur, cum nulli possit in totum per fidem constare, an veram & synceram, atque perfectam pœnitentiam suorum peccatorum habeat, vt patet ex dictis, qui iam hoc fatemini, vel hoc nomine ab hac fidei certitudine de gratia persuadenda, abstinere deberetis. Idemque ipsum Catholici omnes vobiscum facere tenentur. Quandoquidem semper illi constantissime pœnitentiæ necessitatem professi sunt. Et nulla possunt cuicunque peccatori argumenta tanta & tam efficacia veritatis & sufficientiæ suę pœnitentię subesse, quanta subsunt pro alijs à Deo reuelatis. Quippe Dei reuelantis authoritas exuperat omnium humanorum argumentorum firmitatem & certitudinem.

CAPVT XVIII.

De Apostolicæ Sedis definitione pro incertitudine gratiæ.

SED adijciamus his calculum definitione Sedis Apostolicæ, quæ iam olim de hoc præcesserat, vt intelligant, qui aduersantur, etiam cessante definitione nostræ Synodi, debuisse omnes abstinere à prædicanda & asserenda ista fidei certitudine de gratia.

Innocent. huius nominis III. vt habetur in ca. vltimo de purgatione canonica, cum Archiepiscopus Bisuntinensis iuramentum purgationis offerret sub hac forma, quod immunis erat ab eis criminibus, de quibus infamatus erat, neque purgare se vellet iurando, se illa non commisisse, postquam ad Archiepiscopatum fuerat promotus, inter cætera dicit se præsumere, sub præscripta forma voluisse eum iurare, quia cum vere iurare non posset, se non illa crimina commisisse, tamen verè existimabat, se posse iurare, dimissis per pœnitentiam eis peccatis, quod immunis iam esset ab illis. *Et mox subdit*: Sed hoc iurare, non paruæ temeritatis existeret, cum Iob dicat, Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. *Et statim addit*: Ideoque præscriptam formam, secundum quam idem Archiepiscopus obtulit se purgare, reprobamus, vtpote indiscretam, temerariam, & ineptam. *Hæc ille.*

Sed aiunt quidam, ista non esse diffinita ex professo à Sede Apostolica, sed obiter dicta, atque ideo, neque tanti deberé esse momenti, vt qui illa negauerit, aduersari censendus sit diffinitioni Sedis Apostolicæ. Verum hos libenter rogarem: Quo in loco magis ex professo diffiniri à Sede Apostolica hæc veritas debebat, quam vbi agebatur, an quis posset verè & absque temeritate iurare, se immunem esse à peccatis, quorum pœnitentiam fecisset, vel à quibus sacramentaliter esset absolutus, & an ea forma oblata ab aliquo ad purgandum se, deberet vt discreta & idonea existimari, an contra reijci, vt temeraria, inepta, & indiscreta? Profectò si ad aliquam quæstionem moralem deberet hæc disputatio de certitudine iustificationis aptari, maximè videtur ad istam spectare, & in eo loco debuisse definiri, vbi illa in controuersiam vertebatur. Et qui non fuit contentus suam sententiam exprimere, nisi & eam etiam ex testimonio Scripturæ confirmaret: satis indicabat, se ex professo diffinire, quæ tradebat. Respon. 1. Impugnatio.

Ad hæc: Ex professo diffiniuit illam formam esse indiscretam, temerariam, & ineptam, & Archiepiscopum illum non potuisse se immunem à suis peccatis absque temeritate iurare. Poterat autem absque vlla temeritate id iurare, si habuisset

cer-

certitudinē fidei de sua immunitate à peccatis per pœnitentiam. Quæ enim sunt certa ex fide, absque temeritate possumus iurare esse vera, neque erit in eo iuramento quodpiam vitij, aut reprehensibile, forte per accidens, videlicet, quia vel iuramentum non est necessarium, vel non ad intentionem eius, cui quis iurat, cum ad ipsius intentionem tenetur iurare.

Responsio. Alio tamen alij confugiunt, & aliter elabi se posse existimant, ne videantur sedi Apostolicæ hac in parte aduersari. Dicunt enim, diffinitum quidem esse in hoc loco, neminem posse per pœnitentiam suorum peccatorum adipisci tantam certitudinem remissionis eorum, & ideo nemini licere iurare defendere, hac via posse haberi istam certitudinem de nostra iustificatione. Illud tamen, aiunt, adhuc in controuersiam relinqui, an per baptismum vel martyrium possint peccatores eiusmodi certitudinem nancisci, & an innocentes eiusmodi certitudinem de sua iustificatione per baptismum habere possint.

Impugnatio. Verum de innocentibus non est admodum difficile hoc refellere. Quis enim possit certo scire, se nullum admisisse peccatum lethale? Quis possit certo scire ex [illegible] esse baptizatum? aut se sufficienter disposuisse, vt etiam si non fuerit baptizatus, vere tamen fuerit apud Deum iustificatus? Equidem cum controuersum sit inter graues Doctores, an statim, cum quis venit ad vsum rationis, teneatur se ad Deū ita conuertere, vt acquirat ipsius gratiam, & S. Thomas & qui eum sequuntur, hoc constanter defendant, & apud Scotum & suos hoc problema sit, cum nemo possit scire an hoc impleuerit præceptum, quia nemo potest scire, quando ad vsum rationis venerit, vel hoc ipso, vbi nulla alia essent, quæ quidem multa sunt, deberet quisque ambigere, an aliquando peccauerit mortaliter, & nunquam pro certo statuere, se esse & fuisse immunem à peccato mortali.

Superest igitur, vt ex hac definitione [illegible]enus, nullum peccatorem posse esse certum ex fide, neque per pœnitentiam, neque per aliam aliquam viam, de sua iustificatione. Hoc enim si fuerimus assecuti, satis profecto erit, vt in vniuersum credatur esse diffinitum, neminem posse esse certum per fidem de sua iustificatione. Duplex autem via occurrit, qua istud possimus probare.

Argum. 1. Primo sic: Apertum est hoc in loco, Innocentium 3. iam olim diffinisse, nemini esse certum ex fide, dimissa sibi esse peccata per pœnitentiæ sacramentum. Nam si posset alicui hoc esse certum, nunquam hoc iurare censuisset temerariū, indiscretum & ineptum. Licet enim, vt diximus, iurare vera esse, quæ sunt certa ex fide aut reuelatione. Ita sunt autem efficaces claues Ecclesiæ ad remittendum peccata, ac baptismus: & ita certa remedia suæ iustificationis prospexit Deus peccatoribus baptizatis. Æqualiter est enim ei cura de omnibus, neque minus, sed magis, spectant ad ipsius diuinam prouidentiam peccatores, qui iam per baptismum effecti sunt membra Christi, & de ouili sunt ipsius, quam illi peccatores, qui nondum gratiam baptismi meruerunt, neque ipsius charactere sunt insigniti. Sap. 6.

Argum. 2. Non sufficit ad gratiam minor pœnitentia ante baptismum, quā post. Secundo: Non est facilior via consequendi remissionem peccatorum per pœnitentiam ante baptismum, quam post baptismum per pœnitentiæ virtutem, & pœnitentiæ sacramentum. Immo neque certior est via consequendi remissionem peccatorum per pœnitentiam ante baptismum, quam sit post baptismum per solam eandem pœnitentiam. Non est enim, vnde sit verisimile, minorem pœnitentiam ante baptismum sufficere ad gratiam consequendam sine baptismo, quàm sufficiat post baptismum, præsertim cum sacramento pœnitentiæ. Cum igitur ex hac diffinitione habeatur, neminem posse esse certum de sua iustificatione, neque per pœnitentiæ sacramentum, neque per pœnitentiæ virtutem: vt enim vtrunque includeret, vsus est Innoc. nomine pœnitentiæ, quod vtramq; pœnitentiam comprehendit, sacramentalem videlicet, & non sacramentalem: ex eadem diffinitione simi-

liter habebitur, neminem posse esse certum de sua iustificatione per pœnitentiam, siue illa habeatur ante baptismum, siue post. Itaque cum nemo, vt apertum supra fecimus, possit certo scire se recepisse baptismum, & sine illo non minor pœnitentia sufficiat, quam post baptismum, habebitur ex hac diffinitione, neque per baptismum posse quempiam esse certum de sua iustificatione.

Argum. 3. Non est certum ex fide, minorem pœnitentiam sufficere cum baptis. quā cum sacramento pœnitentiæ.

Tertio: Quanquam probabilissimum est, minorem pœnitentiam sufficere cum martyrio vel baptismo ad gratiam, quàm cum sacramento pœnitentiæ, attamen ne hoc quidem certum vel detur certitudine fidei. Atque hinc fortassis proficiscitur, vt Ecclesia similem abrenunciationem mundi, carnis & diaboli, exigat à catechumenis, atque à peccatoribus occultis post baptismum. Sed ex hac diffinitione habetur, neminem posse per pœnitentiam, etiam cum sacramento pœnitentiæ habere certitudinem fidei de sua iustificatione. Ergo ex eadem cum alijs, quæ sunt certa, colligi potest, neque per baptismum, neque per martyrium, aut alia aliqua via posse quempiam venire ad eiusmodi certitudinem. Omnis enim alia via collata ad istas, incerta est, & nulla tanta habet priuilegia. Dubitari itaque non potest, quin & à nobis stet sedes Apostolica.

CAPVT XIX.

De Testimonio, quod Spiritus sanctus exhibet nostræ iustificationi.

Obiect. 1. ETSI ex prædictis satis arbitror posse constare cuiuis, non admodum obstinato in contraria opinione, nullam esse viam, qua quis possit in hac vita, citra Dei reuelationem, scire certitudine fidei suam ipsius iustificationem: tamen quia tum demum in hanc sententiã omnes inclinabunt, & à contraria deficient, cum plene dissoluta intellexerint, quæcunque pro hac certitudine induci possunt, neque quidpiam in eis esse, quod impedire aut remorari quenquam debeat ab assensu definitionis sanctę Synodi, non contentus ero, eam firmissi- argumentis comprobasse, sed dabo operam, vt & omnia diluam, quæ in contrarium afferri possunt. Et, vt bona fide causam aduersariorum tractem, primo quidem ex scripturis, secundo ex testimonijs sanctorum Doctorum, & tertio ex quibusdam apparentissimis argumentis contendam, posse haberi in hac vita certitudinem fidei de nostra iustificatione citra diuinam reuelationem.

Et vt à fortissimo, aut certe vulgatissimo eorum argumento incipiam, primo nobis obijciuntur verba illa Pauli ad Romanos: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei. in quo clamamus, Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Rom. 8.

Sunt autem in his verbis duo, quæ valide videntur in nostram sententiam pugnare. Primum est assertio illa, Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei. Secundum est testimonium Spiritus sancti. Nam ex priore isto, um videntur Romani non solum potuisse, sed debuisse certò certitudine fidei credere se iustificatos, & spiritum adoptionis filiorum Dei recepisse. Quia certam & omnino indubitatam fidem adhibere tenebantur omnibus, quæ eis Paulus circa suam iustificationem asseuerabat. Et si Paulus inde certus erat de iustificatione Romanorum, quod eos sciebat sacramentis fidelium esse initiatos, & renatos fonte baptismatis, cur non & ipsi, quibus hoc non minus constabat, quam Paulo, poterant hoc idem certo de se credere? Ex testimonio vero Spiritus sancti non minus, sed longe maius argumentum sumi potest, vt omnes iusti suam iustitiam certe & indubitato possint credere. Testimonium enim Spiritus sancti est certum, infallibile, & omni hominum testimonio maius, atque adeo omni omnium fide dignissimum. Iohan. 5.

Respon. 1. Et Paulus non ad se tantum & Apostolos, sed ad omnes omnino filios Dei illa verba retulit: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei.* Siquidem & ob hanc causam ait nos cum fiducia clamare, *Abba pater.* stultum quippe alias esse videre-

deretur, cum patrem inclamare, & ad eum, vt ad patrem, recurrere, cuius nos nescire- mus esse filios. Et his videtur illud Ioannis accinere: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.*

1. Ioan. 5.

Respon. Sed si aduertamus propositum Pauli in citato loco, non erit admodum difficile diluere ista. Non omnibus Romanis, qui baptisma susceperant, persuadere volebat Paulus, quod haberent aut accepissent spiritum Dei. Quid ab illo magis alienum, qui, vt ex ipsa epistola patet, sciebat, inter ipsos multos esse peccatores & contentiosos, quique de aliis perperam iudicarent, & in ipsis gloriarentur, neque agnoscerent gratiam Dei in se?

Hoc duntaxat eis persuadere volebat hoc in loco, quod si spiritu agebantur, & facta carnis mortificabant, filij Dei erant, & in æternum, secundum corpus & animam victuri. Vnde & in his, quæ antecedunt ista, non absolutè, sed sub conditione ista terrepetita dicit, eos esse & viuere in spiritu. Vos, inquit, in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero viuit propter iustificationem. Quod si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Ergo, fratres, debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Et statim beatitudinem hac eadem ratione non absolute, sed sub conditione illa pollicitus est, S tamen compatimur, vt & conglorificemur. Atque in his insinuauit quod dicit, eos accepisse spiritum, similiter esse accipiendum, videlicet, si quidem ipsi non apposuissent obicem baptismo.

Scripsit autem hoc Paulus sine conditione, cum tantum sub conditione eos afseruisset esse in spiritu, ac postea glorificandos, quia verisimile non erat, quin ex eis maxima pars se sufficienter disposuisset plena fide, & integra deuotione ad sacramentum baptismi, & in eo accepisset Spiritum sanctum. Et dum sic absolute ad eos scribebat, & asseuerebat, eos accepisse Spiritum sanctum, non singulis persuadebat suam iustificationem, neque à singulis exigebat, vt crederent se accepisse Spiritum sanctum, sed docebat nos, optima quæque de aliis semper præsumere, & sua authoritate ostendebat, licere illis, qui ad populum aliquem sermonem habent, vel scribunt, ea loqui, quæ vera sunt, saltem pro maxima ipsius parte.

Quod & ante ipsum seruarunt prophetæ, cum Dei populum vel blandis laudibus ad virtutem excitabant, vel seueris obiurgationibus à vitiis deterrebant: eundemque in sensum accipi debent illa, quibus & Galatis dilucide affirmat idem Apostolus; accepisse eos Spiritum sanctum. Et eadem ratione Ioan. potuit dicere, *Et vos vnctionem, quam accepistis à Deo, maneat in vobis.* Et rursum: *In hoc scimus quoniam manet in nobis, de spiritu, quem dedit nobis.* Et iterum: *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu sancto suo dedit nobis.* Nisi forte, vt probabilius apparet, vel de se duntaxat & aliis Apostolis hæc dixerit, vel certe non ad mansionem Spiritus in aliquibus particularibus personis, sed ad mansionem ipsius in Ecclesia, quæ per fidem nota est omnibus fidelibus, ea retulerit.

De quo testimonio Spiritus sancti loquitur Paulus.

Testimonium vero, ex quo probat Paulus, fideles non inepte vocare Deum patrem, vt vocamus in oratione Dominica, non est testimonium aliquod interius, quo Spiritus sanctus testificetur singulis iustis, eos esse absolute filios Dei per gratiam. Multi enim sunt iusti, qui formidant de sua iustificatione, neque agnoscunt tale testimonium Dei in se. Et ex huiusmodi testimonio non satis idonee probaretur communis totius Ecclesiæ consuetudo, qua clamamus, *Abba Pater.* Est vero testimonium hoc, illud magnificum & præcellentissi-

tiſſimum teſtimonium, quo Spiritus ſanctus admirandis ſignis & portentis, ac peculiariter deſcenſu ſuiipſius viſibili, toti orbi apertiſſime teſtatus eſt, eos eſſe filios Dei, qui Chriſti fidem & ipſius baptiſma recipiebant.

Et quia hoc teſtimonium, quamuis viſibile & manifeſtum, non exterius tantum, ſed interius, ac plane toto ſpiritu & præcordijs acceptatur ab omnibus fidelibus, noſtri omnium nomine, ſpiritui noſtro hoc teſtimonium reddi ab ſpiritu ſancto aſſeuerauit. Quare prudenter Nicolaus Lyranus teſtimonium hoc ad teſtimonia veritatis Catholicæ, per quam efficimur filij
1. Ioan. 5. Dei, retulit. Neque Apoſtolus Ioannes, cum dixit, credentes in filium Dei, habere teſtimonium Dei in ſe, de alio teſtimonio loquebatur, quam de eo, quod ſtatim dixerat patrē exhibuiſſe ſuo filio, dum eum, filium ſuum dilectum voce è cœlo delapſa, & admirabilibus ſignis teſtificatus eſt.

Quamuis autem Græca Pauli verba vertamus, vt quidam Græce doctiſſimi verterunt: Ipſe enim ſpiritus conteſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſumus filij Dei; & ad teſtimonium illud referantur, quo perſæpe Spiritus ſanctus, iuſtis interius conteſtatur ſuam gratiam, immo neque ſi in eum ſenſum accipiantur, quem nonnulli ex eis colligunt, vt Spiritus ſanctus dicatur à Paulo confirmare adoptionem noſtram, quam ſpiritus noſter præſumit, aliquid hinc haberi poterit contra nos. Siquidem aut Spiritus ſanctus certos nos facit de ſuo teſtimonio, & tunc certi poterimus eſſe per fidem de noſtra iuſtificatione, ſed hoc erit per reuelationem, quia hoc teſtimonium, quædam reuelatio eſt, aut certos nos minime facit, ſe eſſe, qui noſtram adoptionem conteſtatur, & ambigua manebit illa nobis, non obſtante ipſius teſtimonio.

Et quidem ſi attente expendamus hæc verba, Ipſe enim ſpiritus teſtatur cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filij Dei, & illa noſtræ incertitudini vehementer inueniemus fauere. Nam quando Spiritus ſanctus plenam certitudinem alicuius veritatis iuſtis largitur, per ſeipſum hoc facit, nihil ex ſubſeruiente aut adminiculante noſtro ſpiritu. Cum ergo adoptionem noſtram cum ſpiritu noſtro dicitur conteſtari, hoc ipſo innuitur, non concedi nobis ab ipſo abſolutam & perfectam certitudinem. Quatenus enim à noſtro ſpiritu ea conteſtatio pendet, nonnihil infirmitatis & incertitudinis accipiet. Si enim exempli gratia ab Spiritus ſancti teſtimonio habeamus, omnem illum iuſtificari, qui facit quod in ſe eſt, & à noſtro ſpiritu habeamus, nos facere, quod in nobis eſt, non ſatis certum erit, nos eſſe iuſtificatos. Quia qua parte à teſtimonio noſtri ſpiritus, cognitio noſtræ iuſtitiæ dependet, eſſe non poteſt omnis ambiguitatis penitus expers, ſicut ſi à ſolo Spiritus ſancti teſtimonio penderet. Verba autem Græca Pauli in hoc loco hæc ſunt: Αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα θεοῦ. Quæ & ſenſum poſſunt habere, quem noſter interpres expreſſit: quoniam verbum illud, συμμαρτυρεῖ, &, conteſtatur, poteſt verti, & ſimul teſtatur. Et ſi, conteſtatur, reddatur, ſtat ſenſus noſtri interpretis; ſi autem, ſimul teſtatur, ſtat ſenſus aliorum. Prop. 1.
Atque ideo fortaſſis Spiritus ſanctus voluit hoc verbo Paulum vti, vt vtrique horum ſenſuum locus eſſet, & diuerſimode ſpiritum ſanctum noſtram adoptionem teſtari admoneremur, neque deeſſet nobis via, qua euadere poſſemus argumentum, quod hinc ſumendum erat pro fidei certitudine de gratia.

Quia vero vehementer innituntur huic Spiritus ſancti teſtimonio, qui certitudinem gratiæ tuentur, libet hic aliquantiſper immorari, & quale ſit hoc teſtimonium, & quibus communicetur, & quam certitudinem præſtare poſſit, enucleatius diſſerere.

Prop. 2. Reuelat quidem iuſtis ſuam gratiam, idque non tantum ſub conditione, ſed per ſæpe abſolute. Neque ſolum ſuggerit eis argumenta ipſius gratiæ probabilia, & mouet ad eorum conſiderationem, ſed & confirmat, quas ipſi de hoc adepti ſunt coniecturas, & ad eorum conſolationem aſſerit interius eos eſſe filios Dei, & à Deo diligi, & placere ipſi eorum opera, ac tandem aliquando placidiſſime illis loquitur: Noli timere,

mere, Salus tua ego sum. Quæ omnia ex multis sanctorum testimonijs luculenter postea docebimus.

Et quoniam hoc testimonium proprium est filiorum Dei, neque peccatoribus est commune, sicut testimonia conditionalia vel gratiæ vel gloriæ: credendum non est, aliquibus illud communicari, qui ipsum [illegible] non audiant, vel non recipiant. Sed [illegible] tiam ex illis, qui sunt in gratia, quia parum intendant meditationibus & profectibus suis spiritalibus, impedimento sunt benignissimo & amantissimo nostri spiritui, & ipsi se hac eximia testimonij ipsius consolatione defraudant. Nam ipse paratissimus est omnibus, quibus expedit, hoc testificari.

Prop. 3. Et possent omnes, si vellent, velle autem omnes deberent, ita vitã instituere, vt hoc tanto testimonij spiritus solatio aliquando fruerentur. Namque promereri nos vult tantum beneficium pijs & feruentibus studijs & præcipue contemptu voluptatum huius mundi, & assiduitate orationis. Et raro illud elargitur, aut sic familiariter loquitur, nisi cum hominibus spiritalibus & purgatis, atque alienis non tantum à sordibus & vitijs, sed & à curis & affectibus huius vitæ. *Ducam*, inquit, *eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Osee 2.

Cumque multi plerunque iusti ex huiusmodi testimonijs, quæ in se sentiunt, & lætentur, & exultent, & certo, vel probabiliter, vel moraliter persuadeant sibi suam gratiam, neque tamen putent sibi hoc esse certum certitudine fidei, aut se habere de his reuelationem: iniquum est profecto, ex illis, quæ humanis testimonijs cernimus, legem velle præscribere Spiritui sancto, & asserere nunquam illum testari filijs Dei suam adoptionem, nisi certitudinem sui testimonij præbeat, & se esse, qui illam eis contestatur, declaret. Alij alios meritis exuperant, & alia alijs expediunt. Itaque Spiritus sanctus, qui [illegible] e nouit omnia moderari, & [illegible] pro cuiusq; meritis & commod[illegible] suo tempore dispensare, aliquando se [illegible] timonium probabiliter tant[illegible] notum facit, aliquando certo certitudine humana, aliquando certo certitudine fidei diuinæ, ac fortassis nonnunquam etiam euidentia.

Et quando hanc tertij gradus concedit certitudinem, reuelare nobis dicitur iustificationem nostram. Prop. 4. Quid enim ei testimonio deesse suspicari quis possit, vt non censeatur reuelatio gratiæ, quam paucis, idque ex priuilegio, omnes fatemur contigisse? Siquidem quod immanens sit & non transiens, sicut reuelationes propheticæ, & quod ex abundantia gratiæ & luminis interni ea prouenire existimatur, & non ex nudo testimonio, sicut alia, quæ Deus suis seruis quandoq; reuelat, hæc non minuunt sed potius Spiritus sancti testimoniũ commendant, & illustriorem ostendunt illud esse reuelationem.

Quamdiu vero ipse non se aperit, neque manifestat iustis se esse, qui vel hæc illis significat, vel ea suppeditat argumenta, vt se credant iustos, neq; tenentur ipsi, neq; debent, si sapiant, mox adhibere fidem ei testimonio. Prop. 5. Obedire namque oportet Ioanni Euangelistæ, dicenti: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* 1. Ioan. 4. Possunt quippe illa omnia, quæ nos interius videntur consolari, vel à nostris vel ab alienis spiritibus, qui se sæpe transfigurant in angelos lucis, proficisci.

Neque si post adhibitam debitam probationem, verisimile sit, ea omnia ab Spiritu sancto procedere, tantam eis consultum est fidem præstare, quantam alijs, quæ scimus reuelata esse & contestata nobis per Spiritum sanctum. Prop. 6. Non enim pari animi certitudine & firmitate credenda sunt, quę nescimus, an ex Spiritus sancti reuelatione & testimonio habeamus, cum illis, quæ certo nouimus eum nobis reuelasse.

Esset autem tum fides, qua nos crederemus esse in gratia, in tribus adsimilis diuinæ. Prop. 7. Nam ex parte suæ causæ, diuina esset, & non humana, quia ex testimonio Spiritus sancti proficisceretur, & de obiecto esset supernaturali, & solertia humana imperuestigabili, atq; in eo assensu nemo posset decipi. Quia tamen hæc non omnino certa sunt nobis, atque ob id neq; plenam Prop. 8.

Nn &in-

& indubitatam fidem nostræ iustificationi exhibemus: fides, qua tunc assentiremur nos esse in gratia, non excederet metas fidei humanæ, & simpliciter humana esset dicenda, & non diuina. Sicut etiam cum nobis non cõstat, aliquam propositionem necessariam esse, sed tantum scimus eam esse probabilem, etiam si illa sit necessaria, assensus eius vndecunque habeatur, tantum erit opinio.

Corollarium. Quare prudentissime Patres non dixerunt, neminem posse sic credere, se gratiam Dei assecutum, vt ei fidei non possit subesse falsum, sed dixerunt nullum hoc posse scire certitudine fidei, cui non possit subesse falsum. Quantacunque enim formidine id credamus, si per testimonium Spiritus sancti hoc credimus, ei fidei nequit subesse fa sum. Sed verum est, nos illud non scire certitudine fidei infallibil s, quãdo non est nobis certum testimonium Spiritus sancti. Quia neque tanta cum certitudine nostræ iustificationi assentimur, neque nobis ea tum constat vlla via, qua certi simus, nos non posse decipi.

Faciamus tamen hæc aliquanto apertiora, & ianuam omnem calumnijs & cauillis obstruamus. Distinctissima quidem sunt, non dubitare de aliqua propositione, & posse ei subesse falsum, aut posse eam esse falsam, aut qui ei assentitur, posse decipi. Neque debemus credere omni illi assensui posse subesse falsum, qui non tollit omnem dubietatem. Et intolerabile est asserere, posse subesse falsum ei quod testatur Spiritus sanctus, quia nos ignoremus eum illud testari. Et hæc omnia satis Dialectice & Theologice euicit pius & doctissimus episcopus Minoriensis in quadam expurgatione sua.

Si tamen ignoratur ita esse certa aliqua propositio, vt in eius assensu nemo possit decipi, semper de illa possumus dubitare: & quandiu possumus salua fide dubitare, verum est, quo ad nos, non esse illam sic certam. Atq; ideo diximus c.8. pro eodem accepisse patres, nullum posse scire certitudine fidei, cui nõ potest subesse falsum, se gratiam Dei esse assecutum, & sic pertius dictum esset, nullum hoc posse scire via, qua non possit decipi. Etenim qui ex suggestione Spiritus sancti probabiliter, aut certo etiam suam sibi iustitiam persuadet, credunt quidem hoc via infallibili & propter causam, quæ in errorem nequit inducere, immo etiam sub ratione, sub qua nequit esse falsum, videlicet vt hoc testificatus est Spiritus sanctus, non tamẽ omnino certi sunt, se id credere tam certa & tam infallibili via.

Quare sicut vere possumus dicere, eos non scire hoc certitudine fidei, cui nõ possit subesse falsum, quia sciunt hoc fide humana, cui suapte natura posset subesse falsum, ita & vere possumus dicere, eos non scire hoc via infallibili, quia fallibilis est fides humana, qua hoc credunt, & illustratio illa Spiritus sancti, vnde hoc sibi persuadent, talis est, vt inducere in falsum possit, licet non quatenus est ab Spiritu sancto. Posset namque similis illustratio aliunde esse, vel ab homine, vel à dæmone: neq; satis certa est ipsis sub ea ratione, qua est ab Spiritu sancto, sed tantum opinata, vel certa moraliter. Sire autem diceretur quis suã gratiam via infallibili, aut sub ratione infallibili, quando sicut credit propter testimonium Spiritus sancti, ita sciret se credere propter illud, aut certitudinem de ea haberet. Nam scire vnumquodque arbitramur, cum per propriam illud causam cognoscimus. Et apud eruditos, vt Thomas vere dicit, scire non dicitur, nisi qui certus est.

Frustra igitur tantopere aliqui contendunt ex testimonio Spiritus sancti ostendere possibilem nobis esse certitudinem fidei de nostra iustificatione. Quandoquidem vbi certum nobis fecerit Spiritus sanctus, se id contestari, illud testimonium reuelatio diuina est, qua via nemo diffitetur posse nos habere eam certitudinem: vbi vero id certum non facit, stultum est, tanta certitudine nos credere assecutos esse Dei gratiam. His que accedit, quod testimonium Spiritus sancti qualemcunq; & quantamcunque largiri possit certitudinem, nostræ potestati subiectum non est.

Status vero huius controuersiæ hic præcipuus semper fuit tam inter Catholicos & h...

hæreticos, quam inter nonnullos Catholicos, an ex creditis, & his quæ in nobis experimur, possint iusti venari & comparare sibi plenam aliquam certitudinem suæ gratiæ, cui non possit subesse falsum. Nam ex gratia Dei hoc esse possibile, siue per reuelationem particularẽ, siue etiam per testimonium aliquod peculiare & familiare Spiritus sancti, non perinde opus erat disputare: quia gratiæ particulares extra legem communem sunt, & in disceptationẽ non cadunt. Et alij qui ad confutandam inanem hæreticorum fiduciam, & certitudinem suæ gratiæ, hoc prorsus erat superfluum, cum illi non ex aliquo testimonio peculiari Spiritus sancti, sed ex lege communi, & ex communiter creditis & expertis asseuerent, cunctis fidelibus posse suam iustificationem constare.

CAPVT XX.

De Testimonio, quod conscientia præstat nostræ iustificationi.

Obiect. 2. SECVNDO obijciuntur nobis verba Pauli, quibus velut exultans de sua iustitia, & de suæ conscientiæ puritate, ad Corinthios scribit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (2. Corinth. 1.) Atque ex his colligitur, testimonium conscientiæ certitudinem posse præbere nostræ iustificationis. Quæ enim gloria esset à testimonio suspecto de veritate?

Responsio. Sed ista dicebat Paulus nomine suo & aliorum Apostolorum, qui certi erant de sua iustificatione, nõ autem ea dicebat nomine cuiuslibet iusti. Neque agebat de testimonio, quo ipsis conscientia testaretur suam iustitiam, sed de testimonio, de quo statim subdit: Quod in simplicitate cordis & syncceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus. Hoc enim erat, de quo gloriabatur, quod ex testimonio conscientiæ suæ sciebat se secundum sapientiam & vires sibi à Deo datas, & pura & innocente mente conuersatum fuisse inter Corinthios simpliciter, synceriter, absque dolo, absque astutia & versutia, sine hypocrisi, sine adulatione, & denique irreprehensibiliter. Fraudes & insidias, sermonisq́; lautitias & perplexa sophismata, sapientiam dixit carnalem. (Sapientia carnalis.) Gratiam vero Dei, vocauit sapientiam & vires sibi à Deo datas, & miracula, & vitam irreprehensibilem, qua inter eos fuerat versatus, quia hæc omnia ex dono & gratia Dei sibi adfuisse sciebat. (Gratia Dei.)

Atque hæc profecto insignis Apostolorum gloria erat, & de hoc merito exultare & gloriari poterant & debebant, quod ista certo de se & in se experti, ad suam ipsorum tamen prædicationem & miracula, sapientes, Rhetores, nobiles, potentes huius mundi, & ipsum totum mundum conuerti ad Christum, & fidei quam prædicabant, colla subijcere, plane & absque vlla ambiguitate videbant. Et sic potest hoc testimonium omnibus iustis aptari. Omnes enim ipsi ex testimonio suæ conscientiæ serio & humiliter gloriari possunt in aliquibus bonis votis & studijs pijs, quæ in se sentiunt, & quod nullius affectus peccati lethalis sibi sunt conscij.

Sed neq; ipsis sufficere hoc debet, vt se credant certo & indubitato iustos. Neque suffecisset etiam Paulo vt se crederet esse iustum. Quippe qui palam alibi dixit, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* (1. Corinth. 4.) Potest quidem testimonium nostræ conscientiæ, certitudinem tribuere nostræ gratiæ probabilem, aut, vt multum, moralem, vt postea monstrabimus. Sed quî possit certitudinem fidei diuinæ præstare, cum ipsa fallere & falli possit, neque plene & in totum se nouerit? Licet autem non sit hoc testimonium certum certitudine fidei, poterit esse satis ad gaudium, & solidam & non inanem gloriationem. Quod & in multis alijs humanis conspicimus.

Vnde Chrysostomus non curans, an hoc testimonium sit omnino certum, an non, ita ait: (Chrysost. homil. 3. in 2. Cor.) *Quando damnare non potest conscientia nostra, quasi factis improbis à recto discesserimus, etiam si innumera patiamur acerba, etiam si vndique feriamur ac periclitemur, sufficit nobis ad solatium, immo non tantum ad solatium sufficit nobis pura conscientia, verum etiam in hoc, vt coronemur, dum præbet nobis testimonium,*

nium, quod nihil commiserimus mali, sed iuxta Dei placitum, hæc perpetimur ob virtutem, ob philosophiam, ob multorum salutem. Hæc ille.

Sed qui in hoc conscientiæ testimonio gloriantur, & de eo sibi blandiuntur, ne inde in superbiam forte extollantur, & vt nouerint, quatenus in eo est gloriandum, audiant quid Diuus Bernardus ad Eugenium scribat: *Volo*, ait, *glorieris testimonio conscientiæ, sed non minus, vt eodem ipso humilieris. Rara vox: Nihil mihi conscius sum. Cautior in bonis ambulas, si & mala non lateant. Quamobrem, vt dixi, noueris te, vt inter angustias, quæ non desunt, fruaris conscientiæ bono. Magis autem, vt scias, quid desit tibi. Nam cui non desit? Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat.* Hæc ille.

Bern. 2. l. de consid. ad Eugen.

1. Corinth. 4.

Et Aug. in illa verba Psalm. 149. Exultabunt sancti in gloria &c. cum doceret hunc esse sanum & cautum modum gloriandi, vt nouerimus fidem nos habere synceram, spem certam, & caritatem sine simulatione, ne per hoc quis intelligeret illum probare eos, qui se iustos simpliciter & absolute gloriantur, præmisit statim: Sunt multi sibi placentes, & iustos se esse arbitrantes, & procedit aduersus illos alia pagina, dicens: Quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Et manifestum quidem discrimen est inter ista. Possum quippe gloriari & exultare, quod mihi conscius sum, me habere fidem synceram, spem certam, & caritatem non fictam in Deum & proximos. Et tamen cum his fieri potest, vt hæsitem & formidem, num per ignorantiam obnoxius sim alicui peccato, aut quod non idoneam pœnitentiam peccatorum meorum fecerim.

August.

CAPVT XXI.

De scientia donorum Dei.

Obiect. 3.

OBIICIVNTVR item nobis illa eiusdem Apostoli verba: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ex his enim videntur per spiritus sancti infusionem nouisse Apostoli dona sibi collata, & non per aliquam peculiarem reuelationem. Quare & iusti, qui eundem spiritum accipiunt, per eum dona sibi collata nosse poterunt. Et confirmant hoc, quia iustos omnes oportet Deo gratias agere de donis & beneficijs acceptis, & diligenter ea in se pro sua quemque virili seruare. Necessarium autem est innotescere beneficium acceptum, si de eo gratias debeamus agere, & qua par est diligentia illud seruare. *Si nescimus*, inquit Gregorius, *gratiam nos habere, gratias non agimus.*

Gregor. 9. Mor. 17.

Sed Aug. in illa verba Ioan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis*, declarans Apostolos post ascensionem Christi habituros fuisse Spiritum sanctum in maiori plenitudine, quam ante, ad solos eos hæc refert his verbis: Hoc, ait, ad maius donũ pertinebat, vt eis innotesceret, quod habebant. De quo munere loquens Apostolus, ait: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus &c.* Et si bene perpendamus, quæ antecedunt, & sequuntur verba ista, patebit Apostolum ista non retulisse ad beneficia ipsis peculiariter facta, sed ad communia totius generis humani, redemptionis videlicet, iustificationis, & glorificationis, & similia. Subnectit enim statim Apostolus: *Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritalibus spiritalia comparantes.* Non autem prædicabant Apostoli in doctrina spiritus, & collationibus spiritalibus iustitiam suã populis, sed prædicabant potius Dei & Christi iustitiam, gloriam, misericordiam, caritatem, & magnificentiam in nos, quæque Christus pro salute nostra fecerat, pertulerat, docuerat, & sibi obedientibus meruerat, & præparauerat.

August.

Dona Dei prædicata ab Apost.

Vnde & Angelicus Doctor de donis gloriæ, quæ in spe nobis communicata sunt, & certissime à nobis per fidem cognoscuntur, dicit hoc testimonium esse intelligendum. Et hoc præcedentia verba manifeste exigunt. Agitur enim in eis de bonis præparatis diligentibus Deum. Neque vt nos Deo gratias agamus pro iustificatione nostra,

S. Tho. 1. 2. q. 112. art. 5. ad 4.

Respon. 2.

ſtra, requiritur fidei certitudo de ipſa, ſed ſatis eſt certitudo de ea probabilis & certitudo euidentiæ, quam habere poſſumus de pœnitentia noſtra, & de mutatione affectuum noſtrorum, quæ conſequitur ex ipſa, & de grauitate peccatorum, quæ nobis à Deo condonantur. Et hanc ſcientiam moralem & humanam requirit Gregorius & ſancti alij ad gratiarum actionem. Vnde & Chryſoſtomus ad conſiderationem peccatorum hortatur, non ad habendum certitudinem de remiſſione eorum, vt grati tanto beneficio ſimus, ſolicite, inquit, propria delicta conſidera, vt diſcas quorum remiſſione doneris, atque ipſi beneficio gratus exiſtas. *Chryſoſt. ho. 14 in Matt.*

Obiectio. Quid vero, inquies, ſibi vult Paulus in his, quæ iſta antecedunt? Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Cum gratia Dei ſit in homine iuſto, videtur ex his, poſſe illa ſciri à quocunque iuſto, & non tantum conijci. *Reſpon.* Sed hæc ad actus referuntur & operationes hominis interiores, non ad habitus aut dona, præſertim ſupernaturalia. Voluit quippe ex his, quæ apud omnes in confeſſo ſunt, intelligeremus conſilia & placita diuina à nobis ſciri non poſſe, niſi per reuelationem ipſius, & opus Apoſtolis fuiſſe, ſicut ſtatim dixerat, reuelatione Spiritus ſancti, qui ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei, vt intelligerent, quæ Deus præparauit diligentibus ipſum. Vnde & mox adiecit: Ita & quæ Dei ſunt, nemo nouit, niſi Spiritus Dei. Et quidem, cum nemo ſit iuſtus, aut Dei gratiam habeat ex naturalibus, ſed duntaxat ex altiſſimo Dei conſilio, & benigniſſima ipſius in eum voluntate, apparentius ex iſtis poſſemus inferre, neminem poſſe ſcire ſe eſſe in gratia niſi per reuelationem, quam contrarium. Neque quia dicit Apoſtolum ſpiritum hominis noſſe, quæ in ipſo ſunt, continuo eſt inferendum, poſſe illum plene ſeipſum noſſe, & exacte intelligere omnium ſuorum affectuum qualitatem, & an aliquid negligat aut ignoret neceſſarium ad ſalutem.

Sic illi exponunt hæc verba, & multis ſanctorum teſtimonijs iam citatis aduerſarentur, & ipſi Paulo, & Hierem. qui ait: *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile.* Nam quod ſtatim ſequitur: *Ego Dominus ſcrutans corda & probans renes*, palàm indicat, non tantum reſpectu aliorum, ſed & reſpectu noſtri, dici cor noſtrum inſcrutabile. Satiſque eſt pro verbis Pauli, ſpiritum hominis noſſe actus & affectus ſuos, quos alij ignorant. Et vt demus, ſicut dare oportet, poſſe eum certo & euidenter eos noſſe, non oportet etiam dare, plene & in totum eos ab ipſo cognoſci. *Hierem. 17*

CAPVT XXII.

De probatione veræ fidei.

ARGVMENTANTVR præterea quidam fortius & apparentius ex illis Pauli verbis ad Corinth *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. Annon cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi forte reprobi eſtis?* His enim verbis ſatis indicat Apoſtolus, potuiſſe Corinth. cognoſcere, an Chriſtus Ieſus in eis eſſet, ſi non eſſent reprobi, hoc eſt, ſi in fide & charitate, aut ſaltem, ſi in fide perſeuerarent. Iuſtos autem, manifeſtum eſt, non eſſe reprobos. Et Chriſtus Ieſus in alijs non eſt, quam in iuſtis. Longe enim Dominus ab impijs. Parque omnino eſt ratio de alijs fidelibus iuſtis, & de Corinthijs. Deinde: Satis his verbis oſtendit Paulus potuiſſe Corinth. cognoſcere, an eſſent in fide, necne. Non enim alias admonuiſſet eos, vt ſe tentarent, an eſſent in fide. *Obiect. 4.* *2. Cor. 13*

Cum igitur Chriſtus habitet per fidem in cordibus noſtris, ſicut ipſe Paulus alibi dicit, videtur his verbis ſatis aperuiſſe, potuiſſe Corinth. per fidem noſſe, an Chriſtus in ipſis habitaret, & conſequenter, an eſſent iuſti. Vnde Ambr. ſuper hæc verba ſic ſcribit: *Qui fidei ſuæ ſenſum in corde habet, hic ſcit, Ieſum Chriſtum in ſe eſſe.* Et aliquanto apertius Chryſ. *Quid dicam de me Doctore*, ait nomine Pauli, *cui tanta cura eſt, & cui concreditus orbis, & qui tanta ſigna fecit? Vos enim ipſos, ſi volueritis diſcutere, qui in diſcipulorum ordine eſtis, videbitis, quod & in vobis Chriſtus. Si autem in vobis, multo magis in magiſtro Nam ſi fidem habetis, & in vobis eſt Chriſtus.* Hæc ille. *Chryſoſt. ho. 29. ſuper 2. ad Cor.*

Respon. Veruntamen Paulum, manifestum est, non asseruisse, quo tempore hæc scribebat, Corinthios fuisse in gratia, certo nouerat plerosque inter eos tum esse in peccato. Neque aliud erat verisimile in tanta & tam frequenti ciuitate. Qua de causa, cum dixisset, Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, temperauit statim sermonem adiectis illis, *Nisi forte reprobi estis.* Hoc est, vt exponit Chrysostomus, Nisi forte vitam habetis corruptam, eoque nomine à Christo meruistis deseri & reijci. Eodemque modo interpretatur ibi Erasmus in hæc verba: Nisi fide vtcunque incolumi, vita impura meruistis à Christo reijci.

Et quia fides formata, vel per dilectionem operans, non est in peccatoribus, & alioqui sicut fides vera & viuida, omnia vitia, si non impediatur, expellit, & omnes virtutes omniaque necessaria ad gratiam post se adducit: ita subintrantibus vitijs, fugere incipit fides, & tandem aliquando perit, sicut Apostolus expresse asserit in his contingere, qui volunt diuites fieri. Ideo quos dubitabat, vel certo credebat à gratia excidisse, admonuit, vt se tentarent & probarent, num essent in fide. Et sancta & admirabili vafricie, ne eos à se alienaret, sed penitius eorum animis obreperet, & ad Christi gratiam paulatim reduceret, non palam & nude, sed multis adhibitis temperamentis, ista illis assuerauit. Et quę nomine paulo ante hæc verba, quæ modo exponimus, ait: *Timeo, ne forte cum venero non quales volo inueniam vos & ego inueniar à vobis, qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates dissensiones, detractiones susurrationes, inflationes seditiones sint inter vos. Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt & pœnitentiam non egerunt super immunditia & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.*

Respon. 2. Deinde: Non est necesse, Pauli verba intelligere de habitatione Christi in Corinthijs per gratiam. Poterat Christus aliter in eis esse, sicut & est sæpe in alijs. Vere namque dicimus, eum esse in omnibus fidelibus, tametsi multos eorum sciamus esse peccatores. Sunt enim omnes fideles membra Christi, licet non viua, & ad corpus ipsius mysticum, quod est Ecclesia, spectant. Et in his, qui habent dona linguarum, aut gratiam Prophetiæ, vel gratiam miraculorum, vere dicitur Christus esse per virtutem. In quibus Christus sit per virtutem.

Vnde & Hieron. in commentarijs huius loci, & Chrysost. in hom. quadam, & Nicolaus Lyranus, & Caietanus in Commentarijs, ad huiusmodi habitationem per virtutem, ista verba referunt. Hieronymus enim ad experientiam, quam poterant sumere de efficacia & virtute fidei, ista retulit. *Si in fide,* inquit, *estis, date sententiam in peccatorem, & videte, si non cum verbo vestro vindicta procedat.* Chrysost. ad fidem, quæ miraculorum est, aperte refert. Chrysost. homil. 29 Post verba quippe statim ex eo citata subdit: *Nam qui tunc credebant, miracula operabantur.* Et mox addit: *Cæterum mihi videtur fidem dicere illam, quæ miraculorum est. Nam si habetis fidem illam, Christus in vobis est.* Hæc autem intelligi non possunt de præsentia Christi per gratiam, sed intelliguntur, vt manifestum est, de præsentia Christi per virtutem & potentiam. Vnde & continuo, quoniam non sufficit ea fides ad conciliandum spiritalem efficaciam, & multos contingit ea efficacia esse vacuos, licet fidem habeant, dicit Apostolum addidisse: *Nisi forte reprobi estis.* Nicolaus simpliciter de habitatione Christi per fidem interpretatur hunc locum. Et extendit hæc Caietanus ad præsentiam Christi per fidem, vel donum linguarum, aut Prophetiæ, vel per sensibilem punitionem, quam experti erant in incestuoso.

Et merito ad istam Christi præsentiam retulerunt isti Doctores verba Apostoli: quoniam agit ibi Apostolus de correctione delinquentium, & ad eam hortatur Corinthios. Ait enim: *Prædixi enim & prædico, vt præsens vobis, & nunc absens ijs, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam, si venero, iterum non parcam. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?* Et de ista habitatione Christi in nobis per fidem, possunt intelligi verba citata ex epistola ad Ephes. Nam quia non

non erat satis, habere Christum habitantem per fidem, adiecit Paulus statim ibi, *In charitate radicati & fundati*: quanquam & cum habitat in nobis Christus per gratiam, dici potest habitare per fidem, quia fides radix est & origo & causa habitationis per gratiam. Et ad hanc hab rationem per fidem, referenda sunt verba ex Ambrosio citata. Quod & manifestum esse potest ex his quæ ibidem antecedunt. Si probare vos inui.em nescitis, non cognoscitis, quia Christus Iesus in vobis est? Hoc est enim reprobum esse, nescire suæ religionis, vel professionis fidem. *Hæc ibi.*

Atque ad hanc probationem habitationis Christi per fidem, hortatum esse Paulum possumus colligere, quia ad professionis vel religionis nostræ fidem, necessarium non est, vt sciamus Christum esse in nobis per gratiam. Quod si placet, ad habitationem per gratiam, verba Ambrosij referre, occasionem dabimus Lutheranis exultandi contra nos ex hoc Ambrosij testimonio. Nam solum fidei sensum videtur requirere, vt sciamus Christum nobis inesse. Quam vero longe ab eorum errore fuerit, iam supra copiose ostendimus, & infra etiam magis decebimus. Adhæc: Etiam

Respon. 3.

si apertissimum esset, Paulum hic fuisse locutum de habitatione Christi in Corinthijs per gratiam, non conuinceretur ex hoc loco, posse iustos eam habitationem cognoscere per fidem. Non enim est necesse illa verba, Annon cognoscimus vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, ad cognitionem certam vel ex euidentia, vel ex fide Catholica restringere: satis que est, vt optime admonent Alex Halensis, & Nicol. Lyranus, de cognitione quæ haberi potest per coniecturas & indicia seu tentationes, ea exponere. Præterea: Quamuis demus Paulum his verbis de habitatione Christi per gratiam, & de cognitione per fidem, locutum fuisse, nihil inde haberetur contra nos. Tantum enim asserit Paulus, potuisse hoc cognoscere Corinthios, Christum in eis esse, si non sint reprobi. Hoc autem nos fideles, ex fide scimus & de nobis, & de alijs. Scimus namque in omni fid.li Chri-

Respon. 4.

stum habitare per gratiam, si modo non sit reprobus, hoc est, peccator, & qui vita sua impura mereatur à tanto & tam præcellenti hospite destitui. Possemusque ex hoc loco nos verius & melius nostram comprobare sententiam, quam suam aduersarij. Nam si ad fidem viuam & charitate informatam ista referantur, sicut Hieronymus & Thomas admittunt posse referri, cur ad tentandum tantum & probandum, an eiusmodi fidem in se haberent, exhortatus esset Apostolus, si & hoc illis certum erat, aut esse poterat per fidem?

CAPVT XXIII.

De certitudine Pauli de sua gratia.

AFFERVNTVR insuper contra nostram sententiam multa loca, quibus Paulus clare & diserte asseruit, se certum de sua iustificatione ad Roman. sic scribit: *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Hæc autem nunquam Apostolus scripsisset, qui nonnisi vera & certa sibi scribebat, nisi certus tum fuisset de sua iustificatione. Et videtur similem certitudinem posse & alios, saltem, qui perfecti sunt, habere: quoniam hanc certitudinem non indicat ibi, ex diuina reuelatione se habuisse. Quin sicut Augustin. dicit in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ, ex amore Christi ea proueniebat, Idemque Athan. vel potius Theophylactus super ista ipsa verba tradit. Et ad Timoth. idem Apost. scribit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* In his autem certitudinem suæ coronæ non asseuerat ex aliqua peculiari reuelatione, sed ex testimonio præcellentium operum, quorum sibi conscius erat. Et alibi: *Gratia Dei, ait, sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed semper in me manet.* Sed quæ ist. superbia est, tanti Apostoli prærogatiuas nobis velle communes facere, qui vix digni sumus, vt vel ad minimam eorum

Obiect.

Rom. 8.

2. Tim. 4.

1. Cor. 15

Respon. 1.

adſpiremus? Cur non & ſimiliter certos nos eſſe de noſtra perſeuerantia & prædeſtinatione aſſeueramus, cum ad iſta duntaxat, & non ad ſuam iuſtificationem retulerit Paulus, quæ ad Rom & Timoth. ſcribit? Cur non & arrogamus nobis donum Apoſtolatus, & alias gratias gratis datas, quæ in eo præclariſſime refulſerunt, de quibus loquitur in citatis verbis, *Gratia eius in me vacuá non fuit?* An audiuimus nos, quod ille, *Sufficit tibi gratia mea?* An de nobis dictum eſt, quod de ſe dictum nouerat ad Ananiam: *Vas electionis mihi eſt iſte?* An rapti ſumus cum illo vſque ad tertium cœlum, & participes facti fuimus arcanorum, quæ tum Deus illi reuelauit? Tolerabilius eſſet, ſi obijceretur nobis certitudo, quam Magdalena & paralyticus habuerunt, cum audierunt à Chriſto remiſſa eſſe ſibi peccata. Sed quid illa & ſimilia valere poſſent ad infirmandam ſententiam Synodi, quam ſæpe admonuimus eſſe intelligendam, ſecluſa reuelatione? Neque verbum illud, *Certus ſum*, quo maxime fidunt aduerſarij, ſatis eſt efficax in nos. Poteſt quippe de certitudine morali exponi. Et ſic habebunt locum, quæ ex Auguſtino & Theophylacto adducuntur. Et ne nouum & commentitium hoc exiſtimetur, ipſum Paulum poſſumus pro nobis inducere, qui in eum ſenſum vti videtur verbo, *Certus ſum*, cum ad Timotheum ſcribit, certum ſe eſſe, fidem in eo habitaſſe. Quanquam enim, quia ſpiritu Prophetico nouit ſe hæc ſcripſiſſe, certus fuit ſe verum dixiſſe, atque illud ex fide credere debuit, ſicut & ipſe Timotheus poſt acceptam eam epiſtolam, & multo magis. tamen quia veriſimile non eſt, cum habuiſſe ea de re à Deo reuelationem, magis videtur certum ſe dixiſſe more communiſſimo, quo ſolemus dicere nos eſſe certos de fide eorum, quos multis argumentis & longa annorum experientia probauimus eſſe fideles. Poſſumus etiam verbum, *Certus ſum*, ad firmitatem voluntatis Pauli de perſeuerando in amore Chriſti, referre, ita videlicet, vt cum dicit certum ſe eſſe, nulla ſe priore ab amore Chriſti auellendum, ſenſus ſit, ſe firmiſſime deliberauiſſe & ſtatuiſſe penes ſe, omnia potius perpeti, quàm ab amore Chriſti diuelli. Poſſunt etiam illa verba accipi dicta ex certa animi fiducia de diuina miſericordia, ſicut & infra oſtendemus latius, poſſe pleraque Prophetarum dicta accipi. Et in ea ... vſurpare, & ad ſe & ad alios fideles transferre, immò & Paulum interpretari, non ſuo tantum nomine ea dixiſſe. L... pa in epiſtola quadam, vbi ita ſcribit: *Confidimus autem de vobis, fratres chariſſimi, meliora & viciniora ſaluti: quia neque mors neque vita, neque angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, magiſtro gentium docente, poterit nos ſeparare à charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quæ in ipſo eſt, recta fide.* Hæc ibi.

1 Cor. 15

2 Cor. 12

Actor. 9

Reſpon. 2.

Certi vocabulo, non ſemper certitudo fidei exprimitur in ſcriptura.

Reſpon. 4.

Et verbum Græcum πέπεισμαι quod vbique reſpondet huic, *Certus ſum*, bene admittit vtramque poſteriorum expoſitionum. Poteſt enim reddi *Perſuaſus ſum*, vel, *Decreui*. Et Latiniſſime dicimus, Certus ſum ita facere: pro eo quod eſt, Deliberaui & conſtitui certo iſta facere. Vnde eſt illud Virgilij:

Certum eſt in ſyluis inter ſpelæa ferarum
Malle pati. Et alibi:
Aeneas celſa in puppi iam certus eundi,
Carpebat ſomnos, rebus iam rite paratis.

CAPVT XXIV.

De certitudine gratiæ, ex proximorum dilectione.

INDVCITVR & contra nos Ioann. Apoſtolus, qui ait: *Scimus quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Obiect. 6. 1. Ioan. 3
Scire enim, apud eruditos certitudinem ſignificat. Itaque cum tranſlatio de morte ad vitam, quæ iuſtificatio noſtra eſt, ſciri nequeat euidenter, ſciri poterit à nobis, ſecundum hæc verba Ioannis, certitudine fidei. Et confirmari hoc poteſt, quia ſtatim dixerat: *In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli.* Ex quo perſpicuum eſt ſequi, omnes illos eſſe filios diaboli, qui odio proſequuntur fratres ſuos: & omnes illos eſſe filios Dei, qui eos diligunt. Quos cum Ioannes perinde vere ... manifeſtos, ita pote-

poterunt per fidem noti esse filij Dei, ac agnoscuntur filij diaboli. Et ex consequenti quemadmodum si fratres nostros oderimus, certitudine fidei possumus scire, nos esse extra gratiam Dei, & filios diaboli: ita si diligamus, poterimus per fidem nosse, nos esse filios Dei. Vnusquisque enim nostrum, teste Gregorio, cognoscit flagrare plerunque integram charitatem in corde, & tamen quibusdam occupationibus præpediam, non monstrari in opere. Et experientia compertum est, non minus notam esse nobis dilectionem fratrum, quam odium. Vnde & August. magis notam dicit esse nobis dilectionem, qua diligimus fratrem, quam ipsum fratrem. Et in expositione horum verborum Ioannis, sic scribit: *Nemo interroget hominem. Redeat vnusquisq; ad cor suum. Si ibi inuenerit charitatem fraternam, securus erit.* Et infra: *Sit charitas in vobis, & securi estote.* Et statim: *Interroga cor tuum. Si est ibi dilectio fratris, securus esto. Non potest esse dilectio sine Spiritu Dei: Nam Paulus clamat: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et in tract. 8 super eandem epistolam, tractans illa verba eiusdem Apostoli, In hoc cognoscimus, quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis: ita scribit, *Bene, Deo gratias. Cognoscimus, quia habitat in nobis. Et hoc vnde cognoscimus? Quia cognoscimus,* quia habitat in nobis. Quia hoc ipse Ioannes dixit, quia de spiritu suo dedit nobis. Vnde scimus, quia de spiritu suo dedit nobis? Hoc ipsum quia de spiritu suo dedit tibi, non cognoscis? Interroga viscera tua: si plena sunt charitate, habes spiritum Dei. Vnde cognoscimus, quia inde cognoscis habitare in te spiritum Dei? Paulum interroga Apostolum. Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hæc ibi.

Greg. homil. 34. in Euan.

Aug. 10. de Trin. c. 8.

* quod

1. Ioan. 4

Et concinit his verbis Chrysostomus: Multa quidem alia sunt, quæ apud Deum nobis fiduciam præbent, & quæ nos claros & probatos ostendunt. Quod autem maximè diuinum nobis amorem conciliat, est proximi dilectio.

Chrys. hom. 87. super Ioan. in pr.

Dilectio etiam inimicorum propter Deum, non videtur esse posse in nobis, nisi ex charitate. Exuperat enim naturam nostram. Possumus vero scire, nos diligere inimicos propter Deum. Item: Dilectio amicorum ita perfecta, vt pro salute eorum spiritali velimus subire mortem, potest esse nota nobis. Non autem videtur posse illa esse sine charitate, quia dicit Christus: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sed si hæc omnia exigamus ad principia, vel regulas receptas apud omnes Scholasticos Doctores, & ex ipsis fontibus Scripturarum & sacrorum Doctorum luculenter probatas, facilè eneruabimus & irrita faciemus ista argumenta. Possunt enim omnes hæ proximi dilectiones in nobis esse per solam gratiam gratis datam, siue auxilium Dei speciale, sine gratia gratum faciente. Quia nulla proximi dilectio quantumcunque perfecta, satis est, vt sola transferat peccatorem à mortali peccato ad gratiam. Neque vnquam tale priuilegium Deus contulit dilectioni proximi: sed ex consensu omnium Doctorum Theologorum, quos mihi contigit legere, vt peccator obtineat Dei gratiam, necessaria est pœnitentia formalis, vel certè virtualis.

Ioan. 15

Responsio.

Et quamuis quis vehementissimè amaret proximos suos, non hoc ei satis esset, vt ad Dei gratiam perueniret, etiamsi nullum aliud admisisset peccatum mortale, quàm odium alicuius proximi, sed necessarium esset ad ipsius iustificationem, vt & ei displiceret ipsum odium, quatenus Dei fuisset offensa. Itaque cum Ioannes dicit, *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, & Christus, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra*, & cum alibi legimus, *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat:* non sunt sic ista intelligenda, quasi vel remissio iniuriæ, vel eleemosyna, vel dilectio proximorum, sine pœnitentia satis sint ad transferendum peccatorem à peccato ad gratiam. Sed sicut fides dicitur iustificare & transferre homines de morte ad vitam, licet ad hoc sola non sufficiat: quia ipsa, nisi resistamus, facit ea nos omnia apponere, quæ ad iustificationem nostram necessaria sunt: ita & ista gratiam

1. Ioan. 3

Matth. 6

Tob. 4

dicuntur nobis impetrare, quia tanti sunt meriti apud Deum, vt, nisi plane nos resistamus, ipsa paulatim nos perducant ad omnia necessaria ad nostram iustificationem. Neque est mirandum, sic absolutè pronunciasse Ioannem, dilectionem proximorum esse signum manifeste distinctiuum filiorum Dei à filijs diaboli, & Augustinum absolutè promisisse securitatem diligentibus fratres. Solet quippe Scriptura sic loqui de omnibus quæ sufficiunt ad iustificationem, nisi apponatur impedimentum. Et multis hoc exemplis manifestum fecimus q. 2. ad 1. in opusc. de iustificatione.

Lib. de iust. q. 2. ad 1.

Et ne solus putetur Augustinus sic locutus, notari possunt de hoc verba singularia Chrysostomi. Cum enim vellet persuadere auditoribus suis studium eleemosynæ, ita dicit: *Non sic oleum corpus hominis roborat, vt animam misericordia stabilit, adeoq; confirmat, vt superari à diabolo nequeat. Lubricum enim, eleemosynæ oleum corpus hominis constituit, ita vt manus diaboli facile propter lubricitatem effugiat.* Viden' non solum gratiam, sed confirmationem in gratia, eum polliceri eleemosynæ? Et hoc non ob aliud ab eo dicitur, quam quia, nisi nos impediamus nostris peccatis ipsius virtutem, ipsa nos transferet in cœlum, & insuperabiles à dæmone faciet. Quare cum dilectio proximorum sola, satis non sit ad iustificationem, sed & alia etiam requirat, vt reponat hominem in gratia, & nobis non satis constet per fidem, an ea omnia nos fecerimus, neque ex hac parte satis constare nobis potest per fidem, nos esse assecutos Dei gratiam.

Chrys. hom. 60. in Matt.

Replicat. 1. Dices: Siue dilectio sola sufficiat ad iustitiam, siue non, ex Ioannis verbis & Augustini & Chrysostomi constat, illam transferre nos de morte ad vitam, & conciliare nos Deo, & facere vt spiritus Dei habitet in nobis, ac præstare securitatem apud ipsum.

Respons. Sed iam diximus facere quidem hæc omnia dilectionem, si quidem non apponamus impedimentum, volentes persistere, aut ex ignorantia persistentes in aliquo peccato.

Replicat. 2. Non ergo, inquies, Ioannes potuit dicere, nos scire quod translati simus de morte ad vitam, quia diligimus fratres, neque hoc signo manifestè discerni filios Dei à filijs diaboli, siquidem & in filijs diaboli potest vera dilectio proximorum inueniri.

Respons. Apage, immò potuit hæc dicere. Nam per fidem certi sumus de hac vi & efficacia charitatis in proximos. Sed quemadmodum non necesse est propter hæc dicere, nos per fidem posse cognoscere aliorum gratiam, & adoptionem in filios Dei, ita neque necesse est propter illa asserere, nos posse hac via, certo per fidem cognoscere propriam nostri ipsorum gratiam. Et rex quidem in egressu ad aliquod prælium, posset dicere, manifestos fore milites sibi fideles, & perfidos, tametsi non perinde manifesta sit fidelitas omnium egredientium cum eo ad prælium, ac perfidia nolentium exire.

Ad eundemque modum licet certo per fidem possimus cognoscere eos esse filios diaboli, qui oderunt fratres, & eos insectantur, non necesse est eadem certitudine posse & nos agnoscere, filios esse Dei, qui in ipsos amore afficiuntur. Neque enim tam certus nobis potest esse amor aliorum erga nos, quam certum est odium. Quod & Ioannes videtur innuisse. Namque statim post illa verba, *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli*: dilucidè & vniuersaliter expressit signum, quod certos nos potest facere, qui sint filij diaboli: & dixit, *Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Qui non diligit, manet in morte: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est*: non tamen exertè & generatim mox, sed postea capite quarto dixit: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Quid vero in hoc vno testimonio tantum moramur? Totam istam epistolam putatur Ioannes replêsse certitudine gratiæ, quia non solum in loco isto, sed & sæpè aliâs asserit, nos scire præsentiam Spiritus sancti. *In hoc ait, scimus quia cognouimus eum, si mandata eius obseruamus.* Et iterum: *In hoc cognoscimus quod ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra.* Quid his testimonijs clarius, ait quidam, cum toties repetat, *In hoc scimus, In hoc cognouimus?*

1. Ioan. 3.

Sed

Responsio. Sed his omnibus & similibus vna ex quatuor vijs possumus satisfacere. Primo Ioannes scire se istud asseuerauit, quia nomine sui & Apostolorum ea dicebat, sicut & manifestum est de nonnullis alijs, quæ asseruit in eadem epistola. Illis autem certa hæc omnia per fidem & lumen Propheticum fuerunt.

Secundo: Non omnia ad Spiritus sancti mansionem in aliquibus particularibus personis, sed ad mansionem Spiritus sancti in Ecclesia, manifestò nonnulla referuntur. Hæc autem mansio Spiritus sancti, fidelibus omnibus per fidem constat. Scimus namq; omnes, Spiritum sanctum esse semper & fore in Ecclesia, iuxta verbum Christi: *Qui maneat vobiscum in æternum.* Ioan. 14

Tertio: Aliqua non absolutè se scire asserebat Ioannes, sed sub conditione. Quale est illud: *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus.* Quod quidem omnes etiam fideles per fidem scimus, tametsi nesciamus nos esse in gratia. 1. Ioan. 2

Quarto: Illa potuit asserere à nobis sciri, quæ vel probabiliter, vel certo certitudine fidei humanæ nouimus, quamuis non sint nobis certa certitudine fidei diuinæ. Vnde & Nicolaus in hunc locum, *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, &c.* Apostolos dicit nouisse, certo translatos esse aliquos de morte ad vitam propter dilectionem fratrum, nos autem hæc nosse tantum probabiliter.

Et hoc sufficit vt vera credantur, quæ ex Augustino & Chrysostomo supra citauimus, quæque egregius Scholiastes Ioannes Gagneius hinc colligit, cum ait, si non verbo tantum & lingua, sed corde & opere fratres diligemus: persuasissimam, & confidentem, & securam reddemus conscientiam nostram coram Deo. Nam ad hæc certitudo fidei humanæ satis est, vt infra docebimus. Neque alienum est à communi consuetudine, scientiam vocare, humanæ fidei cognitionem probabilem, aut saltem certam, & omnis expertem dubietatis. Scire enim dicimus nos, Romam & Constantinopolim esse, & multa alia, quæ solum sunt nobis nota fide humana.

Et sic sæpe, vt infrà ostendemus, Doctores sancti vsi sunt hoc verbo. Et ipse Ioannes sic videtur accepisse scientiam, cum ait: *Scimus quia audit nos, quidquid petierimus.* Scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Nam nec plenam certitudinem hîc videtur significasse, solum prædicaerat statim, nos habere huius diuinæ benignitatis fiduciam. Et quamuis certa sit per fidem efficacia orationum iustorum apud Deum, tamen de nulla oratione in particulari, aut certe de paucissimis certi possumus esse per fidem, quod à Deo exaudiendæ sint. 1. Ioan. 5

CAPVT XXV.

De certitudine gratiæ ex eo, quod cor nostrum non reprehendat nos.

SED fortius & apertius in nos militare videntur illa verba eiusdem Ioannis: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus.* Quid his verbis potentius, ait quidam, ad intelligendum, quod si cor nostrum non reprehendat nos, tuti sumus? Neque sine causa tantum huic testimonio innititur. Nam his verbis videtur Ioannes declarasse, signum infallibile iustitiæ, esse pacem & silentium conscientiæ, & hinc consequi, mandata nos Dei custodire, & orationes nostras à Deo exaudiri, & opera nostra Deo placere. Quare cum certa nobis possit esse persæpe conscientiæ nostræ taciturnitas & pax, & nihil eam habere de quo oblatrare & obgannire iuste in nos possit, tunc saltem per fidem certi poterimus esse de nostra iustitia, & certam cognitionem de ipsa ex testimonio conscientiæ eruere. Obiect. 7. 1. Ioan. 3

Sed qui hoc testimonio Ioannis triumphare de nobis se putant, parum contextum & vim verborum Scripturæ perpendunt, neque satis meminere, optimam esse viam ad intelligenda loca Scripturarum difficilia, conferre illa cum alijs apertioribus. Enimuero Ioannes non tam ignarus erat Responsio.

Scripturarum & luminis naturalis, vt nesciret plerosque grauiter sæpè Deum offendere absque vllo remorsu conscientiæ, immo & lætantes & exultantes in rebus pessimis, & arbitrantes obsequium se præstare Deo. Atque ideo non dixit certos nos posse esse de gratia nostra apud Deum, si cor nostrum non reprehenderit nos: Neque asseuerauit omnes eos mandata custodire, & quæ placita sunt ipsi, facere, qui nullos patiuntur remorsus conscientiæ. Propterea statim dixerat, *Si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia:* vt ostenderet, ne illa quidem Deum latere, aut à Deo dissimulari, de quibus cor nostrum non reprehendit nos.

Sed ne ex hoc in dubium & formidinem, aut desperationem de propria salute induceret, & certus se cum eis agere, qui sciebant legem Dei, adiecit conti[n]uo, fiduciam nos posse habere apud Deum, si cor nostrum non reprehenderit nos. Fiducia, voluntatis est: certitudo vero, intellectus. Et vt confidamus nos placere Deo, & orationes nostras & vota ab eo exaudienda, satis est probabilis quædam persuasio nostræ gratiæ apud ipsum, quæ potest colligi ex testimonio conscientiæ de innocentia vel condigna pœnitentia nostra & bonis aliquibus nostris meritis apud ipsum. Sic enim & hominibus confidimus nos placere, & ea solemus nobis de ipsis polliceri, quæ sine sumptu & incommodo suo possunt elargiri, cum. conscientia nostra teste, de ipsis bene in aliquibus meriti sumus.

Fiduciæ distinctio a certitudine.

Itaque cum tantum fiduciam promittat, liquet, eum neque de exauditione orationum nostrarum, neque de obseruatione mandatorum Dei, neque de gratia nostra & nostrorum operum apud ipsum, plus nobis polliceri ex eo, quod non reprehendat nos cor nostrum, quam persuasionem quandam probabilem, quæ satis est & requiritur ad fiduciam. Nullo igitur modo eliquari hinc potest fidei certitudo de gratia. Sed posset tamen mirificè cōfirmari, quod ca. 17. contra hæreticos nostri temporis disputauimus, eam gratiæ certitudinem, quæ nobis potest competere in hac via, maximè pendere ex operibus, & non tantum ex fide. Nam de operibus est accusatio, siue obiurgatio, aut taciturnitas conscientiæ. Et fiduciam inde, ille collegit, nos posse habere, quia si cor nostrum non reprehendit nos, probabile est nos ipsi placere, & mandata ipsius seruare.

Quibus verbis cauere docuit nouum illum, ac plane peruersum & impium sensum, in quem ipsi detorquent illa verba: Si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro. Aiunt quippe sensum eorum esse, vbi accusat conscientia, nihil aliud ei esse obijciendum, quam fidem Christi, qui maior est corde nostro. Nam qui dicit fiduciam nos posse habere, si cor nostrum non reprehenderit nos, plane indicat, bonis operibus augendam & comparandam fiduciam apud Deum, & eisdem obturandos esse latratus & remorsus conscientiæ.

CAPVT XXVI.

Quæ doceat Spiritus sanctus iustos omnes, & quatenus.

ADDVCVNTVR item pro certitune gratiæ verba illa Ioannis: *Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo.* Nam cum Ioannes hic affirmet, vnctionem, hoc est, Spiritum sanctum, quo velut oleo lætitiæ vnguntur, quotquot iustificantur, docere omnia iustos, non videtur verisimile, quin & suam gratiam iustis reuelet. Quid enim magis deceat bonitatem hospitis, quàm declarare suam ipsius præsentiam? Quid etiam magis desiderabile iustis, quam nosse suam iustificationem? Et quid Spiritus sanctus edoceat iustos, si non rem adeo necessariam ipsis manifestet? Et quamuis Ioannes in verbis citatis non asserat Spiritum sanctum docere iustos omnia, sed tantum affirmet, vera esse omnia, quæ ille eos edocet: & admoneat vt maneant in illis, quę ab ipso edocti sunt, tamen cum palam hic dicat, *Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos:* & statim prædixerit,

Obiect. 1. 1. Ioan. 2.

Sed vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia: non videtur locus esse vllus relictus eis, qui negant iustis cognitionem suæ vnctionis.

Respons. Cum vero iusti dicuntur nosse omnia, & Spiritus sanctus r aditur eos docere omnia: nomine omnium, sola illa intelligũtur, quæ ipsis necessaria sunt scitu. Quanquam autem iustificatio maxime necessaria est nobis, tamen vt cap. 17. ostendimus, neque necessarium est, neque in commune expediens, eam certo scire. Neque ista verbi, omnium, expositio ex nostro est capite. Omnia, frequens est, nos affirmare, docuisse vel docturos esse alios, si vel omnia ipsis, iuxta suum statum & votum tradiderimus, vel animus sit tradere. Et ita exponunt communiter Doctores sancti, quod

Ioan. 15.15. Christus Apostolis suis dixit, se omnia audita à patre, eis manifestasse. Omnia, inquit Gregorius, quæ eos audire oportebat. Neque alium in sensum pollicitus est Christus Spiritum sanctum docturum eos omnem veritatem. Siquidem Spiritum sanctum non omnia docere iustos, manifesta experientia comprobat, & ratio conuincit. Ignorant enim iusti pleraque scitu dignissima, quorumque scientiam maxime cupiunt. Et aliàs maiores non excederent in scientia veritatum Catholicarum minores, neque docti indoctos.

Quin sæpe fluus esset ordo Doctorum in Ecclesia, neq; tenerentur inferiores requirere aut percontari doctos de aliquibus fidei dogmatibus. Et Ioannes propterea dixit eos, ad quos scribebat, nosse omnia, quia sciebat eis tradita esse iam omnia quæ necesse erat eos scire. Vnde & statim adiecit: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* Et manifestum est, cum rogat, vt maneant in illis, quæ eos docet Spiritus sanctus, non ad suam iustitiam hæc referre, sed ad dogmata fidei, à quibus nitebantur hæretici eos auellere.

Itaq; ex his omnibus dilucidum esse potest, ita duntaxat Spiritum sanctum docere in hac vita omnia iustos, quia omnia ipsis necessaria scitu, vel per se, vel per suos ministros suo tempore tradit. Quippe neminem patitur absque culpa sua aliquid ex sibi necessarijs ignorare. Etenim omnem veritatem ab eo absolute & simpliciter erudiri, felicitas est, sicut Aug. Cyril. & Didymus admonent, non viatorum, sed comprehensorum. Quare & ipsi, pro verbis communis translationis, *Docebit vos omnem veritatem*: Deducet, vel diriget vos in omnem veritatem, legerunt, sicut postulat verbum Græcum, ὁδηγήσει.

CAPVT XXVII.

De Nomine nouo promisso vincentibus, quod nemo scit, nisi qui accipit.

QVID igitur, rogabis, manna est absconditum, & nomen nouum, quod per eundem Ioannem Deus pollicetur vincenti, dicens: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit?* Esto, manna aliqua dulcedo spiritalis intelligatur ex illis, quarum Deus participes facit eos, qui illum sequuntur toto corde: tamen nomen non videtur aliud, quam nomen illud egregiũ & magnificum Christianorum verorum & filiorum Dei, quo donantur iusti, dum transferuntur ab statu peccati ad statum gratiæ. Nam & hoc videtur nomen esse, de quo olim prædixerat Esaias: *Et seruos suos vocabit nomine alio*, siue, vt 70. transtulerunt, *nomine nouo*. Quod & Hieron. de nomine Christianorum exponit. Cum igitur hoc scire dicatur, qui accipit, cur dubitemus largiri Spiritum sanctum illis, qui se & suos affectus vincunt, cognitionem sui status & iustitiæ, quæ alijs est ignota? Obiect. 9. Apoc. 2. Esa. 65.

Verum expositores communes longe aliter exposuere iam olim hæc Ioannis verba, neq; ad præmium aliquod, quod in hac vita contingat, sed ad præmia æternæ patriæ retulere. Estque hoc videre & in Glo. Ordin. & in Nicol. Lyran. Et Gregor. 28. Mor. capit. 2. nomen nouum, quod nemo scit nisi qui accipit, notitiam claram diuinitatis intelligit, quam nemo perfecte nouit, nisi qui & eam cœpit habere. Atq; ini- Responsio.

quum profectò est, quam gloriam & munificentiam pollicebatur Deus Pergamensibus ob egregiam victoriam in tentationibus & persecutionibus hæreticorum, communem velle facere omnibus iustis. Sed demus, hæc ad iustos omnes etiam in hac vita spectare, & nomen nouum, esse nomen verorum Christianorum & filiorum Dei, quid hinc haberi poterit contra nos? Annon satis est, hoc nomen posse sciri à iustis certitudine quadam humana seu morali, nisi etiam hoc sciant certitudine fidei? Cumque verba sint obscurissima, neq; satis hactenus potuerit constare Doctoribus, quid in manna & calculo, & nomine illo nobis fuerit significatum, & variæ de omnibus circumferantur expositiones: miror quendam virum doctum dicere, nihil esse hoc testimonio clarius ad stabiliendam certitudinem hanc fidei de gratia. Si hoc videtur clarissimum, quid possit videri obscurum? Sed pergamus ad alia. Mira vis est affectus. Nigra candida, tenebras lucem, & amara dulcia potest facere.

CAPVT XXVIII.

De hæsitatione impediente effectum orationum nostrarum.

Obiect. 10. IACOBI quoque verba possunt nobis

Iacob. 1 obijci, dicentis: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem, in fide nihil hæsitans.* Si enim ad impetrandam sapientiam, necessaria est fides sine hæsitatione: cur non magis ad obtinendam & tuendam gratiam Dei, sine qua nulla sapientia vera est, requiratur fides sine hæsitatione de ea acquirenda, vel acquisita? Verum

Responsio. hæsitatio impediens exauditionem nostrarum orationum, non est hæsitatio de nostra infirmitate, & impedimento apposito ex parte nostra benignitati diuinæ. Hæc potius prouocabit & inflectet ad nostri miserendum celsitudinem diuinam. Quanto enim nos magis humiliamus, & peccatores & indignos, qui ab eo audiamur, profitebimur, tanto illum faciemus magis propitium. *Resistit* quippe, teste ipso Iacobo, *superbis, humilibus autem dat gratiam.* Iacob. 4

Tantoque certius ipsius gratiam obtinuerunt Nabuchodonosor, Niniuitæ, Publicanus, Magdalena, Petrus & innumeri alij, quanto se magis humiliarunt & indignos censuerunt, qui ipsius misericordiam impetrarent.

Quæ vero hæsitatio vim orationum impedit, immo eas irritat & inanes facit, hæsitatio est vel de præmijs cœlestibus, sicut Glos. Ordin. exponit. vel de Dei potestate, & voluntate dandi postulata illis, qui ea piè & perseueranter petunt, sicut Nic. Lyr. vel denique de potentia, bonitate, & veritate diuina. Nam qui de aliquo horum dubitat, frustra Deum precatur, ipse sua ambiguitate impedimentum & obicem ponens suis orationibus. Nec illi qui de propria iustitia formidat, sed huic conueniunt quæ mox adiecit Iacobus: *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur.* Non enim quia iusti incerti sunt de sua iustitia, ideo velut arundines aut sicut fluctus maris, ventis hincinde agitantur. Stant potius fortes & constantes, ac sicut saxa immobilia fluctus omnes tentationum excipiunt, tantoque fortius, quanto minus suam sibi persuadent iustitiam, & ad eam acquirendam vel tuendam opus sibi esse sentiunt inuicta & indefessa patientia. Hæsitatio impediens orationes.

Porro fides, in qua voluit Iacobus nos sapientiam postulare, & quam sæpè Christus exegit in Euangelio, quamque necessariam docuit ad impetrandum ab eo, quæ volumus, non est certa de eis impetrandis intellectus credulitas, quæ falsa & leuissima sæpè persuasio esset, sed est affectus fiducia, ex certa persuasione de diuina potestate & benignitate, profecta. Inter varias quippe acceptiones fidei, quarum meminimus in 1. q. opusculi de iustificatione, solenne & frequens est & in Scripturis, & in Ecclesiasticis, & in prophanis authoribus, fidem pro fiducia accipere. Et manifestè sic vsus est Ioannes verbo credendi, cum de Christo dixit: *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.* Quid enim est aliud, *Non credebat semetipsum eis:* quam, si apertius dixisset, Non fide- Fiducia necessaria ad orationes. Fides aliquando ponitur pro fiducia.

fidebat ipsis, neque se tuto, fidenter, aut secure eorum consuetudini & potestati permittebat? Videtur autem hæc acceptio fidei, sicut & aliæ, à communissima & celeberrima fidei acceptione, pro certa intellectus credulitate, enata esse, quod illis solemus fidere, quos fideles, benignos, & integræ fidei homines certo existimamus.

CAPVT XXIX.

Aliud est, certam facere vocationem & electionem nostram: aliud, certas eas nobis esse.

Obiect. 11. 2. Petr. 1 PVGNANT & quidam contra nos verbis Clavigeri cœli: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quid aliud, inquiunt, hîc admonet Petrus, quam vt bonis operibus sic studeamus & invigilemus, vt mereamur certitudinem assequi nostræ vocationis & electionis.

Respon. Sed si hic esset sensus Petri, non sola certitudo de nostra iustificatione esset nobis possibilis, sed etiam certitudo de nostra prædestinatione, quia omnis electus est prædestinatus. Hoc autem Scripturæ toti repugnare, libr. 12. docebimus. Ac parum profecto advertunt, qui hunc locum nobis obijciunt, longe inter se distare, certam facere electionem nostram, & certam eam habere: multoque aliam esse certitudinem ex parte rei, & certitudinem ex parte intellectus, sicut latè supra differuimus. Facit certam vocationem & electionem suam, quicunque bonis operibus iugiter studet, vt habeat vitam æternam. Vbi enim assecutus eam fuerit, certum erit, illum electum fuisse à Deo, & vocatum vocatione efficaci, & habiturum effectum in quem facta est. Certa vero ista habet, qui de sua perseverantia vsque ad mortem certus est.

Et Petrus quidem non admonuit, vt per bona opera satageremus istam certitudinem habere. Noverat nulla bona opera tantam posse præstare certitudinem. Nam multi à præclarissimis operibus defecerunt ad gravia peccata, & in eis vitam consummaverunt. Admonuit autem, vt per bona opera faceremus certam electionem nostram, quoniam hoc facere per illa possumus, & sine illis non possumus. Quod si verbum Græcum βεβαίαν, quod noster Interpres certam vertit, reddamus, sicut alij Græcè doctissimi reddunt, firmam, vel ratam, aliquanto apertius erit, hunc esse sensum huius loci, quem iam expressimus: Quia firmam facere & ratam nostram vocationem & electionem, nihil aliud est, quam, non deficere ab illa, sed in ea constanter & fortiter perseverare. Stat enim illa firma, & rata est, cum ab ea non declinamus. Quod fieri non potest, nisi bonis operibus assiduo studio incumbamus. Quippe hæc sunt, quæ illam firmam tuentur & sustentant, & tandem immobilem & immutabilem faciunt.

Atque vt constare posset, hunc esse sensum istorum verborum, adiecit statim Petrus: Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Et mox: Sic enim abundè ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & Saluatoris nostri IESV Christi. Quid aliud his verbis dicitur, quam eos ratam facere & firmam suam vocationem & electionem, qui sic vacant bonis operibus & à peccatis abstinent, vt mereantur tandem participes fieri æterni regni Saluatoris nostri? Et quoniam dum in hac vita militamus, periculis & varijs casibus obnoxij sumus, neque vnquam poterit nobis esse certa nostra electio, neque rata omnino, neque firma, nisi bonis operibus iugiter studeamus, quandiu hîc fuerimus, viget illa admonitio, vt per bona opera satagamus facere certam electionem nostram. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè vsque ad mortem certaverit: & solus ille erit saluus, qui vsque ad finem perseveraverit. Si autem, qui prætenditur, esset horum verborum sensus, non vigeret ista admonitio, nisi vsque ad adeptam istam certitudinem. Quod alienum esse à mente Petri, patet ex antecedentibus & consequentibus.

Scio alios partim per certitudinem coniecturalem, partim per certitudinem ex conditione statim adiecta de non peccando,

cando, aliquando euadere tentasse vim hu
ius argumenti. Sed nihil necesse est eo con-
fugere.

CAPVT XXX.

De certitudine Iob & Dauidis de sua iu-stificatione.

Obiect. 12. CONTENDVNT item nonnulli inuali-
dare non solam nostram sententiam,
verum & testimonia ex Iob & Dauid pro
ea inducta, ex quibusdam alijs eorum testi-
monijs, quibus aperte suo iudicio vidētur
illi contestari, se fuisse certos de sua iustifi-
Iob. 27. catione. Iob enim ait: *Donec deficiam, non
recedam ab innocentia mea: iustificationem meam,
quam cœpi tenere, non deseram. Neque enim repre-
hendit me conscientia mea in omni vita mea.* Et
Cap. 23. alibi: *Ipse vero Deus scit viam meam, & probauit
me quasi aurum quod per ignem transit. Vestigia
eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non
declinaui ex ea. A mandatis labiorum eius non re-
cessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius.* Et a-
6. lio in loco confidenter clamat: *Vtinam ap-
penderentur peccata mea, quibus iram merui, &
calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena
maris hæc grauior appareret.* Quomodo ista po-
tuisset vere dicere, si non erat certus de sua
iustitia & innocentia? An non hic mani-
feste se asserit iustum & innocentem, & o-
mnia Dei mandata seruasse se affirmat, ne-
que admisisse aliquod peccatum, propter
quod merito sic tribularetur? Neque vide-
tur ista Iob dixisse, propter aliquam pecu-
liarem Dei reuelationem, quam de sua in-
nocentia & iustificatione habuerit, sed dū-
taxat ex suæ conscientiæ testimonio. Sed
neque minus aperta sunt, quæ Dauid etiam
de sua iustificatione asseuerat. Quodam e-
Psal. 17. nim in loco confidenter dicit: *Et retribuet
mihi Dominus secundum iustitiam meam, & se-
cundum puritatem manuū mearum retribuet mihi.*
Et mox subdit: *Et eduxit me in latitudinem: sal-
uum me fecit, quoniam voluit me: Quia custodiui
vias Domini, neq; impie gessi à Deo meo: Quoniam
omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius
16. non repuli à me.* Et alibi, exaudiri se à Deo po-
stulat secundum iustitiam suam, & oculos
ipsius videre æquitatem. Et secure inquit:
*Probasti Domine cor meum, & visitasti nocte, &
non est inuenta in me iniquitas.* Et alias: *Ego au-* 26.
tem in innocentia mea ingressus sum. Et rursus:
Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Do- 119.
*minus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam
de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à la-
psu.* Et iterum: *Dixi, confitebor aduersum me*
iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impieta- 31.
tem peccati mei. Et rursus sæpe dilexisse se di- 118.
cit legem Domini, & mandata illius, & te-
stimonia obseruasse, & iniquos & iniqui-
tates odio habuisse. Sed par profecto non Respon. 1.
est, vt tantis & tam eximijs prophetis nos
misellos & rudes homunculos compare-
mus. Nam illi per lumen propheticum
certissimi fuerunt de veritate omnium,
quæ in libris propheticis affirmarunt, &
vbi nullas peculiares & priuilegiatas reue-
lationes de sua gratia habuissent, hac via
potuerunt & debuerunt esse certi de illa,
siquidem inueniantur eam nobis fuisse cō-
testati. Et Dauid quidem summo iure po- Certitudo
tuit, etiam sine adiutorio luminis prophe- Dauidis &
tici, suam nobis gratiam affirmare. Aper- Iob de sua
tam enim habuit reuelationem de iustifica gratia.
tione sua, & remissione suorum peccato-
rum, cum audiuit à Nathan propheta: *Do-
minus quoque transtulit peccatum tuum.* Iob et- 2. Reg. 12.
iam destitutus lumine prophetico, iustum
se potuit certo asserere, cum sciuit Domi-
num præcepisse Eliphaz Themanitæ, & a-
lijs duobus ipsius amicis, vt irent ad seruum
suum Iob, vt oraret pro illis: *& conuersus est* Iob. 42.
*Dominus ad pænitentiam ipsius, faciemq; illius pro
eis suscepit.*

Neque tamen in tribus prioribus Daui Respon. 2.
dis testimonijs, de iustificatione sua aut in-
nocentia apud Deum ille agit. Sciebat iu-
stitias Dei à se repulisse, neque illius iudi-
cia habuisse in conspectu suo, cum patra-
uit adulterium cum Bersabea, & virum 2. Reg. 11.
eius Vriam occidi fecit. Sed ad persecutio-
nes, quas ab Absalone & Saule passus est,
illa omnia referebat, vt patet ex titulo Psal-
mi. Atque in ea causa constanter Dauid
ex testimonio suæ conscientiæ asserere po-
tuit, sicut & asseruit, se nihil admisisse con-
tra illos, vt iuste ipsi eum persequi possent.
Eoq; nomine aliquando confidenter po-
stula-

ſtulabat, exaudiri ſe ſecundum iuſtitiam ſuam: aliquando vero certus de diuina miſericordia, liberationem ſibi ab illis tribulationibus promittebat.

Et quæ ex Iob citata ſunt, nequaquam probant, eum ſua de iuſtificatione fuiſſe certum. Non enim illa loquebatur ſecundum ſcientiam, quam habebat ex reuelatione: immo ne tum quidem, cùm ea locutus eſt, video vnde ſatis probari poſſit, talem certitudinem eum iam habuiſſe: ſed loquebatur illa ſecundum ſcientiam, quam habebat ex teſtimonio ſuæ conſcientiæ, ſicut & illa, quæ ſupra pro nobis citauimus. *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me, &c.* Et in nullis iſtorum verborum ſe iuſtificatum aſſeruit. Neque vlla eſt repugnantia inter iſta, quæ modo citantur contra nos, & quæ ſupra pro nobis allegauimus. Sed cõcordiam germanam iſtorum & aliorum locorum docuit nos Paulus, cum dixit: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Ideo ergo iſta, quæ contra nos citantur, dicebat, quia nihil ſibi conſcius erat, & iuxta ſuam ſcientiam & conſcientiam poterat dicere: *Vtinam appenderentur peccata mea &c.* Neque amplius poteſt ex his verbis colligi. Ideo vero & ea quoque aſſeuerauit paulo poſt, quæ nos pro nobis citauimus, quia ſciebat ea non eſſe ſatis ad ſuam iuſtificationem. Poterat enim, præter propriam conſcientiam, aliunde eſſe extra Dei gratiam.

Et perinde erat, illa omnia de ſe aſſerere, ac ſi verbis Pauli dixiſſet: *Sed non in his iuſtificatus ſum.* Hoc eſt, Non tamen ob iſta me iuſtum audeo aſſerere. Et quidem, vt iſta & ſimilia, quæ citata ſunt, de ſua iuſtitia aſſererent & Dauid & Iob, aut alij iuſti & prophetæ, non opus eſt in eis ponere certitudinem fidei, niſi quatenus illa, vt prophetæ, ſcribebant. Poterant enim illa de ſe aſſeuerare, ſi ſic vel humana quadam certitudine, aut opinione de ſeipſis perſuaſi erant, neque cuiuſpiam ſibi delicti conſcij. Quando quidem non illa ſola, quæ certo ſcimus, certitudine fidei poſſumus aſſerere; ſed & illa conſtanter aſſeueramus, quæ humana fide vel probabilibus argumentis, vel certa, vel probabiliora exiſtimamus. Addidi autem, Niſi quatenus illa, vt prophetæ, ſcribebant: quia vt ſic, non ſolum habuerunt fidei catholicæ certitudinem, quam nos de omnibus ab eis aſſertis habemus, ſed pleniorem & auguſtiorẽ, ac fortaſſis euidentem, ſiue immediate per lumen propheticum, ſiue mediate & per diſcurſum. Quæ enim nos credimus illis fuiſſe reuelata, ipſi ſciebant à Deo ſibi fuiſſe reuelata, & eum ex lumine naturali nouerant neque fallere, neque falli poſſe. Vnde & Hier. dicebat: *In veritate miſit me Dominus.* Hier. 26.
Et hoc modo reſpondere poſſumus ad omnia, quæ certitudinem etiam de ſua perſeuerantia in ipſis arguunt.

Quod ſi nemini ex catholicis ſufficere ea exiſtimata ſunt, vt crederetur poſſe nobis certa eſſe noſtra perſeuerantia, vel ex hoc admonemur, neq; idonea ipſa exiſtimare, vt credamus poſſe nobis omnino certam eſſe noſtram gratiam. Etenim illi eodem modo de vtroque loquuntur, & ſi eorum teſtimonia vnum probant, pari iure probabunt & alterum. Sed & duplex alia via occurrit explicandi, quæ certitudinem de perſeuerantia ſua eos habuiſſe videntur indicare. Qualia ſunt illa Dauidis, *Et ero immaculatus cum eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea: Quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos: In Domino ſperans, non infirmabor: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Si quidem vt hæc & ſimilia ſexcenta, quæ paſſim & in Dauide & in alijs prophetis inueniuntur, vere illi de ſe potuerint aſſerere, ſatis eſt, eos tum ſic fuiſſe affectos, & eam fiduciam in Deum, & opinionem de ſe habuiſſe, quæ huiuſmodi verbis videtur ſignificari. Nam & nos ſæpe præ amore & ſtudio & pietate in aliquem dominum vel prælatum, in nos & ſuos omnes liberalem, benignum, humanum & magnificũ, perpetuo aſſerimus in ipſius obſequio & ſtudio perſeueraturos, neq; defuturam nobis vnquam ipſius beneficentiam & liberalitatem conſtanter pollicemur, cum tamen nullam de his habeamus certitudinem, ſed duntaxat fiduciam & probabilitatem. Et conueniebat,

Duplex Reſponſio ad ea, quæ certitudinem perſeuerantiæ in Prophetis ſignificant. Pſal. 17. 24. 26. Reſponſ. 1.

pleraque talia maximè in Psalmis inueniri, vt in Dauide exprimerentur pleriq; similes affectus, quos in seipsis contemplatiui experiuntur, quibusque assuefaciendus est affectus noster & animus, dum oramus. Quod si ista enunciata de futuro, non vt assertiones aut prænunciationes accipiantur, sed vt pollicitationes & promissiones, indicantes affectum eorum & spem, neq; certitudo de earum impletione, ad earum veritatem requiritur, neque exhibitio eorum, quæ per ipsas prophetæ sibi vel de se, vel de Deo pollicebantur. Quod & in communibus promissionibus satis patet. Namque vt pœnitens suo confessario vere promiserit se non amplius iteraturum peccata, quæ confessus est, requisita non est certitudo de illis non iterandis, immo neque vt ea non iteret, sed satis est, eum tum habuisse affectum nunquam amplius ea committendi.

Respons. 2.

CAPVT XXXI.

De certitudine Gratiæ ex probatione in tentationibus, & familiaritate diuina.

Obiect. 11. Resp. 11.

ADDVNT & nonnulli cōtra nos verba illa Moysi ad populum Domini: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis eum.* Non enim sic hoc dictum est, vt ait Augustinus, quasi nesciat Deus, sed vt ipsi sciāt quantum in Domini dilectione profecerint. Quod, nisi tentationibus, quæ accidunt, non plene ab hominibus agnoscitur. Et addit Augustinus ipsum verbum, *Tentat,* pro eo positum esse, quod *Tentari sinit.* Et recipitur hæc expositio communiter, ac sic etiam exponuntur illa Domini verba ad Abraham: *Nunc cognoui, quod timeas Dominum,* id est, Cognoscere te feci. Si igitur ad hoc tentauit Deus Abrahamum, vt cognosceret, se timere Deum, & ad hoc nos tentamur, vt sciamus vere nos ipsum diligere poterimus hæc certo de nobis nosse ex victoria tentationum, quæ nobis & manifesta & indubitata esse potest. Nemo etiam, addūt, familiarem habet, nisi quem habet sibi carum & acceptum. Itaq; cum prophetis & Abrahę atq; alijs Patriarchis familiarissime sæpe locutus fuerit Deus, vel eo argumento potuerint illi certi fuisse de sua gratia apud ipsum.

Gen. 22.

Verum necessarium non est, communem istorum verborum expositionem, quæ citata est, acceptare. aliquantulum enim violenta videtur, & aliena à communi verborum illorum intelligentia & acceptione: neque video apud graues & Latinos authores vsurpatum, scire vel cognoscere, pro eo quod est, facere scire, vel cognoscere. Sed quia Deus omnia nouit antequam fint, & extra se nihil cognoscit, intelligendum est, ista eum dixisse more humano, & velut hominis persona assumpta, attemperasse hic sermonem suum vulgatæ nostræ consuetudini, sicut cum dixit, *Pœnitet me fecisse hominem.* & sæpe alias. Itaque ideo ait Deum nos tentare, vt sciat, an diligamus eum: & cum vicerimus tentationem, cognoscere se à nobis diligi, quia frequentissimé ita loquimur, cum experimento cognoscimus, vel cognoscere volumus, quantum nos alij vel timeant, vel diligant. Responsio.

Genes. 5.

Atque vbi propter authoritatem Augustini, allegatam expositionem acceptemus, non necesse est concedere, posse nos certitudinem fidei assequi de nostra iustificatione. Satis enim est, ex victoria tentationum vel probatione, posse nos experimento exteriori certo cognoscere, in illis rebus & periculis Deum vere à nobis diligi & timeri, & coniecturam valde probabilem assequi de dilectione & timore Dei absolute & simpliciter. Nam scire aliquando vulgariter dicimur, quæ probabiliter nouimus, vel coniecturis & probabilibus argumentis, vel relatu aliorum. Et aliqui Doctores non improbabiliter dicunt, posse stare verum timorem, & verum amorem Dei cum peccato mortali ex ignorantia culpabili. Sed Abraham, dubium non est, certum fuisse de sua gratia. Non solum n. audiuit à Deo Nunc cognoui quod timeas Dominum, sed & quæ statim sequuntur: Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicā tibi, & multiplicabo semē tuum, sicut stellas cœli & velut arenam, quæ est in litto- Certus & Abrahā de gratia & prædestinatione sua.

Gen. 22. littore maris. *Poßidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Qui tam dilucidum sui timoris & obedientiæ testimonium, & tam magnifica propter illa promissa à Deo audiebat, certus iure optimo & poterat & debebat esse de sua gratia. Nec magnum est, si tunc eum dicamus certo cognouisse, se esse in gratia, cum & prædestinationis suæ certus potuerit esse ex illis verbis Dei ad ipsum: Gen. 15. *Ego protector tuus. &c. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.*

Certus Moyses de sua gratia.

Similemque certitudinem suæ iustificationis & gratiæ apud Deum habuisse, indubitatum est, Moysen, cum loquebatur ad eum Dominus facie ad faciem, sicut solet amicus ad amicum loqui, & cum audiebat se ab eo seruum ipsius fidelissimum appellari, & videbat ad orationem suam placari Deum, quibus erat iratus: immo & incredibili humanitate ei dicere: Exod. 32. *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq́; te in gentem magnam.*

Ad eundemque modum alij Prophetæ ex similibus Dei ad se verbis certi potuerunt esse de sua gratia apud Deum. Certitudo autem de spiritu Prophetico, non satis fuit vlli ad certitudinem de sua gratia. Potest enim esse, & fuit in Balaam, spiritus Propheticus sine gratia. Quod & satis explicauit Christus illis verbis: Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die, Nomine in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia multa eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam noui vos.*

CAPVT XXXII.

Responsio ad testimonia Dionysij, Antonij, Leonis & Cyrilli, pro certitudine gratiæ.

CVM vero ex prædictis pateat, nullum esse sanctæ in scriptura locum, qui aduersaretur definitioni sanctæ Synodi, commodum erit & idem ipsum ostendere in testimonijs sanctorum Doctorum, quę nobis obijciuntur. Sic enim & confirmatior fiet Synodi sententia, & omnis amputabitur prætextus, quo se tuentur, qui putant possibilem esse iustis certitudinem fidei de sua gratia.

Primo obijcitur nobis magnus Dionysius beati Pauli discipulus, & is asseritur dicere, viros spiritales & contemplationi deditos, se veraciter ac penitus, imo etiam intemerata fide statum suum, & quam bene se habeant, nosse. Verba autem Dionysij, vnde hoc colligitur, hæc sunt: Nouit penitus is, qui veritati coniunctus est, quam bene se habeat, etiamsi si plures illum corripiant, quasi amentem & extra se factum. Fugit enim, quemadmodum & par est, illos, quomodo velut ex errore ille per intemeratam fidem veritati vnitus extra se sit, ecstasinque patitur. Porro nouit ipse seipsum veraciter. Attñ distincta valde sunt nosse nos esse in gratia, & nosse bonum nos tenere & sectari vitæ institutum, si contemplatiuæ vitæ iuxtà regulam fidei studeamus & quantum per fidem assequi possumus, veritati diuinæ iugi meditatione & affectu vniamur. Hoc quidem nobis fide Catholica certum est, quia Christus dixit, *Optimam partem elegit sibi Maria*, & Ecclesia ab ipso & Apostolis edocta, vitam eremiticam semper probauit & laudauit. Quod vero simus in gratia, incertum esse supra docuimus, & saltem de fide Catholica non est. Et Diony. non dicit, viros spiritales & contemplationi deditos, nosse se esse in gratia, sed nosse penitus & veraciter, bene sese habere in studijs & meditationibus spiritalibus, tametsi derideantur & despiciantur ab ignorantibus. Nec dicit, vt putatur, ista nosse eum per fidem intemeratam, quamuis potuerit hoc vere dicere, & si dixisset, nihil haberetur contra nos.

Obiect. 1. ex Dion. 7. de di. nom.

Responsio.

Lucæ 10.

Sed ostendere volens, cur viri spiritales à carnalib. reprehēdantur, docet hoc inde proficisci, quia ignorāt carnales, quomodo per intemeratā & sacrosanctā fidem, veritati extra se vit spiritalis vnit⁹ sit. Et vt constaret, pro nihilo haberi à viris spiritalib. reprehensiones ignorātium, neq; se de notitia gratiæ ipsorū, sed de notitia religionis & vitæ quam profitētur, & mysteriorum, quæ contēplantur locutum fuisse, pmisit statim hæc verba: Eum q in veritate credit, iuxta

Scripturæ fidem, nihil remouebit à veræ fidei authore, in quo constantiam immobilis idẽtitatis habebit. Et in illis, quæ mox adiungit post verba contra nos citata, dilucide explicat, se hoc penitus & veraciter, notum viris spiritalibus asseruisse, quod bene se habeant in contemplatione Dei & eorum, quæ diuina sunt, dum ea contemplantur & meditantur, quatenus nobis per fidẽ innotescunt. Nam hæc dicit, nostratis diuinæ sapientiæ Principes ac Duces, solã veram & simplicem diuinorum cognitionem, etiam mortis tolerantia, omni die contestari.

Quare sanctus Thomas fidelis ipsius expositor, non hic eum egisse de certitudine gratiæ credidit, sed firmitatem fidei nostræ tripliciter ostendisse.

Obiect. 2. ex Anton. Secundo profertur contra nos Antonius Abbas, qui in epistola sua septima cõstanter asserit, vnumquenque, si velit, posse proficere ad cognoscendum semetipsum. Quotquot, inquit, proposuerunt, edocti sunt per Spiritum sanctum. Hi cognouerunt semetipsos secundum sensualem suã

Resp. 1. extantiam, in ipsa vero sui cognitione proclamauerunt, dicentes: *Non enim accepimus spiritum seruitutis, sed spiritum filiorum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater. vt cognoscamus quanta nobis donauerit Deus, quia & filij sumus, & hæredes: hæredes quidem Dei, & cohæredes sanctorum.* Videns, vt constanter se filium Dei asseueret, & omnibus, qui serio profecerũt, notũ fuisse affirmet, quod acceperint spiritum Dei, & nouerint a Deo ipsis donata? Sed ne dubites, eo illum putasse posse peruenire omnes iustos, audi quid continuo subiecerit: *Fratres dilectissimi, & cohæredes sanctorum, omnis virtus non sit aliena à vobis sed vestra existat, si tamen inculpabiles sitis à mala vita, Deo autem manifesti.*

Responsio. Sed cum in his non tantũ dixerit agnouisse sanctos viros, acceptum à seipsis Spiritum sanctum, sed & ab alijs qui vitæ spiritali student, neque se solum affirmauerit filium & hæredem Dei, ac cohæredem sanctorum, sed & eos, ad quos ista scribebat: colligere ex his possumus & debemus, non illum de certitudine fidei diuinæ egisse, satisque esse pro his, si iusti hæc probabiliter ac certo moraliter de se sibi persuaserint. Nam vtrũq; aliorum adoptio & iustificatio innotescere nobis non potest per fidem.

Tertio inducitur etiam contra nos Leo. Obiectio 3. ex Leone, ser. 2. de ieiu. 7. mens. Is enim post citata testimonia ad quot Christi & Ioannis Euangelistæ, in commẽdationem charitatis, subdit: *Discutiant ergo se fidelium mentes, & intimos sui cordis affectus veraci examinatione dijudicent: vt si depositum aliquod in conscientijs suis de fructibus caritatis inuenerint, Deũ sibi inesse non dubitent: & vt magis magisque tanti hospitis sint capaces, fiant perseueranter in misericordiæ operibus ampliores.* Hæc ille. Ex quibus, cum aperte dicat, ne dubitemus nobis inesse Deum, si inuenerimus in conscientijs aliquid de fructibus caritatis, & hoc possit nobis certo, non euidenter cõstare, euincere sibi videntur, quod volunt, qui pugnãt pro certitudine gratiæ.

Verum his verbis illa possunt esse satis, Respons. 1. quæ capite vigesimo quarto respondimus ad verba Ioannis: *Scimus, quoniam translati* 1. Ioan. 3. *sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Nam & propter hæc tam constanter iubet Leo, ne dubitemus. Neque necesse Respons. 2. est, vt si Deus est in conscientijs nostris, excitando nos ad aliqua bona opera, ideo esse putetur etiam per gratiam.

Et alioqui non quicunque prohibet dubium, iubet certitudinem. Respons. 3. Vt enim cap. 4. monuimus, & communiter tradunt Theologi Scolastici, & nominatim Alex Halen. 3 parte, q. 75. memb. 1. art. 2. dubium, medium locum tenet inter opinionem & fidem: Aliud est, non dubitare, & aliud certum esse. & qui opinatur, vel probabiliter aliquid credit, quamuis hæsitet & formidet, dubitare tamen non dicitur. Siquidem qui dubitat, neutri parti assentitur: & suspensum tenet ac medium & ancipitem inter vtrãq; partem intellectum. Et hoc est, quod vetat Leo eis, qui aliquid in se de fructibus caritatis inuenerint. Idemque sæpe prohibuerunt & alij sancti Doctores eis, qui merito vel propter suscepta sacramenta, vel propter bonos alios effectus, merito possunt & debent credere, se esse in gratia licet non omnino certo.

Quare manifestum est, falso nos accu-

cuntur à Protestantibus in articulo quinto Confessionis Augustanæ, & à Philippo in Apologia, quod cõscientias iubeamus du-
Non iubêt Catholici dubitare de remiss. peccatorum. bitare de remissione peccatorum. Tantum abest, vt iubeamus de hoc dubitare, vt plerumque etiam necessarium putemus non dubitare, & dubium peccato pusillanimitis imputemus. Et hoc bene notari à cunctis velim, quoniam non raro hic paralogizant aduersarij, confundentes dubium cum formidine siue hæsitatione.

Obiect. 4. ex Cyril. lo. in Ioã. c. 3. Quarto citatur aduersum nos Cyrillus in illa verba Domini: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* Cum non recte, inquit, *à discipulo intellecta verba sua Christus videret, repetit rursus, quod dixit, dilucideq; docet, non solum cognitione ista communi amicis se suis manifestaturum; sed excellentiori quodam fulgoris modo. Nam rudiores ab impiorum idolorum cultu ad cognitionem Dei vocati, solummodo per fidem discunt, quod vnus Deus, qui nos creauit, colendus sit Qui vero omni virtute mentem suam purgando, apti iam ad maiora facti sunt, spiritus illuminatione recepta, oculis animi habitãtem in ipsis Deum videbunt.* Hæc ille. *Quis ergo locus*, inquit, *est hæsitationi, vbi clare Deus asseritur, inhabitans iustos, à perfectioribus videri?* Et confirmat hoc
Ioan. 14. ex verbis Christi, quæ statim præcesserant: *Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Volunt quippe & hoc ad præsentem spectare vitam vt Christus se manifestet, vel vt alij vertũt,
Respons. 1. se insinuet ipsum diligentibus.

At vero Cyrillus non pollicetur, perfectiores certa visione cognituros esse, in ipsis habitare DEVM, sed promittit illis clariorem, quam habeant rudes, DEI ipsos inhabitantis, cognitionem. Opponit enim cognitionem eorum de Deo, cognitioni quam habẽt rudiores: neq; rudiores dixit per fidem cognoscere se inhabitare à Deo, sed vnum Deum, qui nos creauit, colendum esse. Et fieri quidem potest, vt manifestius, purius & perfectius, spiritales cognoscant Deum, & tamen non ad hoc pertingant, vt à Deo se inhabitari cognoscant. Nam & peccatores aliquando siue per lumen propheticum, siue per fidem, siue per præcellentem aliquam doctrinam, aut etiam per perspicacius & subtilius ingenium, Deum possunt cognoscere multo perfectius, quam aliqui iusti.

Et ad hanc præcellentiam cognitionis Dei & mysteriorum fidei, referenda esse, quæ citata sunt, satis explicuit. Continenter quippe adiunxit: Non est ergo communis sanctorum cognitio, sed eximia & certa longeque à communiore illa differens. Et in capite secundo hæc differere ab his verbis cœpit: Dominus noster Iesus Christus præcipuam sanctis cognitionem pollicitus est, in quibus expressius mysteriorum cognitio fulget. Atq; huncin modum possumus respondere ad verba Christi, Et manifestabo, siue insinuabo ei meipsum: siquidem ad vitam præsentem referre illa placeat. Non enim necesse est, vt quia diligenti se promittit sui manifestationem, & inde etiam suæ mansionis in ipso notitiam largiatur. Quia vero non omnibus, qui sunt in gratia, ista suæ iustificationis certa cognitio contingit, vt & qui hæc nobis obijciunt, confitentur: satius esset sequi communiorem expositionem, quæ & Theophylacti est, & Gloss. interlinearis, & Nicolai, & Hugonis Carensis. &, vt ille citat, etiam Hieronymi, & ad vitam beatitudinis ista referre, vbi Christus non vtcunque, sed manifestissime se reuelabit omnibus, qui eum vere in hac vita dilexerunt. Et quidem, si circumiacentia omnia bene expendamus, in his verbis & in illis, quæ Cyrillus exposuit, non præmium aliquibus peculiare, sed præmium commune omnium iustorum & seruantium mandata Dei, Christus significauit.

Ad hæc: Cyrillus non omnibus affu- Respons. 2.
turam tradit hanc fulgentiorem & illustriorem Dei cognitionem, sed eximijs & præstantibus omnino viris, neq; per humanos discursus vel argumenta posse eos in illam venire asseuerat, sed ex gratia & benignitate Dei, quam iam admonuimus in disputationem non venire. Quamobrẽ ex illis, quibus Christus Apostolis suis manifestissime pollicitus est cognitionem certam suæ in ipsis mansionis per gratiam, dicens: *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre,*

tre meo, & vos in me, & ego in vobis: iniquum est & omnibus iustis polliceri, quod ad hanc cognitionem possint pijs suis studijs & meditationibus peruenire. Quippe Christus non statim hanc tantam & tam illustrem cognitionem Apostolis suis largitus est, sed cum desuper misit eis visibiliter Spiritum sanctum. Hic enim erat dies, vt patet ex andecedentibus, quo verba illa referebat, *In illo die*. Vnde & ante mortem suam, quia nondum tanta gratia eis expediebat, occasiones nonnunquam subministrauit, vt de sua gratia etiam nihil sibi conscij hæsitarét.

Matth. 26. Et ideo in cœna dixit: *Vnus vestrum me traditurus est*. Et ne solum existimaretur docere, vt timerent de lapsu, adiunxit: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*. Atque illi, quoniam non sicerant à Christo instituti, vt se certo prorsus & absque vlla formidine iustos putarét, si nihil sibi cõscij nõ conscij, contristati valde, cœperunt singuli dicere: *Nunquid ego sum Domine?*

Luca 22. Apostoli hæsitauerunt de peccato, cuius non erant sibi conscij.

Atque hoc pacto exponit hunc locum Alexander Halensis in Commentarijs in Lucam, qui cum Commentarijs in Marcũ, & in Epistolas Pauli, & in Psalmos, & duodecim Prophetas, habentur Venetijs in religiosissimo nostro cœnobio, cui nomen, sanctus Franciscus à Vinea.

Et eandem expositionem tradit Glossa Ordinaria, quæ est Bedæ, in hæc verba: *Quamuis scirent, quod nihil contra Dominum cogitabant quia tamen plus credunt magistro quam sibi timentes fragilitatem suam, quærunt de peccato, cuius non habent conscientiam*. Et Bandus hinc colligit perquam vtilem doctrinam, vt si quis in se peccatum non sentiat, plus credat tamen illis, qui melius possunt cognoscere sua peccata, sicut & plerunque ipsi nullius ægritudinis corporeæ nobis cõscij, credimus medico nos male habere, quia certius ille hoc potest iudicare.

CAPVT XXXIII.

Explicantur Testimonia Ambrosij & Hieronymi, quæ afferuntur contra incertitudinem gratiæ.

AFFERTVR etiam contra nos Ambrosius. In sermone enim quinto, cui titulus est, Quod simile sit regnum Dei fermento: vbi ostendisset, Christum recte fermento comparari, quia cum esset specie homo, & humilitate paruus, totum orbem postea doctrina sua condiuit & repleuit, & iugo diuinitatis suæ subiecit, continuo addidit: *Quisquis igitur isti fermento adhæserit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi vtilis, quam idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus* Hæc Ambrosius. Obiect. 1. ex Ambr.

Sed in his verbis Diuus Ambrosius non asserit certitudinem fidei, de qua vna modò pugnamus. Et posset satis esse pro istis, si iusti de sua salute possint certi esse morali certitudine. Eodem namque modo promittit iustis certitudinem de nostra salute, quo securitatem de aliorum acquisitione. De aliorum autem acquisitione siue per doctrinam, siue per bona exempla, nõ possunt illi habere maiorem certitudinẽ quam moralem. Et quanquam salui dicuntur nõ tantum beati, sed nonnunquam etiam oẽs iusti, & vere dixit Christus de domo Zachæi, *Hodie salus domui huic facta est*, quia eo die iusti ficata est, & remissionem suorum peccatorum obtinuit, tamen Ambrosius de salute consummata videtur locutus iuxta verbum Christi, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. De salute vero consummata constans fuit semper inter Catholicos, vt duodecimo libro videbimus, non posse à quoquam mortali certitudinem fidei haberi citra diuinam reuelationem. Resp. 1. Luc. 19. Matth. 10. & 24.

Et cum Ambrosius generaliter de omnibus Christo adhærentibus loquatur, ipsa sententiæ absurditas, & aperta ad ea, quæ certo nouimus, dissonantia cogit nos credere, non ita esse intelligenda hæc verba, vt existimant, qui illa nobis obijciunt. Scimus enim certo permultos fuisse iustos, qui non crediderunt certo & sine vlla formidine se esse in gratia. Quod & in multis incipientibus & scrupulosis experimur, etiam cum nos, qui illorum conscientiam nouimus, & probe examinauimus, nihil dubitemus, eos esse in gratia.

Dicendum igitur, Ambrosium non ibi agere

agere de certitudine ex parte intellectus, sed de certitudine ex parte rei, Itaque sensus Ambrosij ex citatis verbis non est hic, Quisquis Christo adhæserit, certus erit ex parte intellectus de sua iustificatione, hoc est, certo assentiet se esse iustum. Sed sensus potius ipsius hic est: Quisquis Christo adhæserit, certus erit de sua iustificatione, hoc est, certo iustificabitur: & nisi ab eo se sua sponte disiunxerit, etiam saluabitur. Et sic supra docuimus acceptam à Petro certitudinem, cum omnibus fidelibus scribit: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Atque ita communiter dicimus: Quisquis digne accesserit ad Ecclesiæ sacramenta, certus potest esse de sua iustificatione. Et iterum: Si digne accedas ad Christi sacramenta, certus esto de consecutione gratiæ.

2.Pet.1.

Quibus verbis non certitudinem intellectus pollicemur, aut exigimus, sed duntaxat significamus certitudinem ex parte rei, & infallibilem consecutionem posterioris ex priori, & consequentis ex antecedenti. Latet quippe virtute in verbo, Quisquis, nota conditionalis: & verbo, Certo, certitudo consecutionis designatur. Quare perinde est dictu, Quisquis Christo adhæserit, certo saluabitur: ac si dicamus, Certum est, quod quisquis Christo adhæserit, saluabitur. Neque mirandum est, ita locutum fuisse Ambrosium absolute & simpliciter, cum non ignoraret iustus ex communi lege posse perdere suam salutem. Explicabat namque vt optimus orator, quid ex ipsa natura inhæsionis ad Christum cõsequatur: non curans quid nos ob nostram libertatem & ingratitudinem plerunque faciamus. Et frequenter non solum apud sacros Doctores, sed in ipsa etiam Scriptura, subintelligitur conditio, nisi nos ingrati fuerimus gratiæ acceptæ, & per nostram libertatem eam amittamus. Vere siquidem dixit Christus *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum:* quanquam certo sciebat multos condemnandos esse etiam ex illis, qui digne & reuerenter illum panem supersubstantialem manducaturi erant.

Obiect. 6. ex Hieron.

Profertur etiam Hieronymus contra incertitudinem gratiæ, idq; in tribus locis. Nam in comm. 6. ad Galatas, vt rem facile contingentem, videtur inducere hominẽ conscium & certum suæ mentis, qui se paratum cognoscat per Dei gratiam cunctis resistere tentationibus, vt homo vere spiritalis & firmus in donis, qui vix valeat excidere. Super illa etiam verba Ecclesiastæ, *Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit,* ita citatur scribere: Si respicias opera, semper facillabis, trepidabis, subuerteberis cum Iob: tamen si per fidem intuearis Dei promissiones, merita CHRISTI, & sanguinem pro te effusum, sacramenta tibi applicata, dona tibi à diuina largitate concessa & possessa, videbis te esse in regno CHRISTI, quod intra nos est, quod est iustitia, pax & gaudium. Et alibi dicitur scripsisse, Fidelis scit se bene operando placere Deo, cui credidit.

Eccl. 9.

Respons.

Sed verba, quæ citantur ex com. Ecclesiastæ, falso imponuntur Hieronymo. Ne minimum quidem ipsorum in comm. illius cap. inuenietur, sed, vt supra citauimus, prorsus è diametro aduersatur ibi asserentibus se scire suam gratiam. Et ea quidem, & quæ vltimo loco allegantur, non Hieronymum resipiunt, sed aliquem potius Lutheranum, qui ementitis verbis Hieronymi persuadere voluerit, per fidem solam posse nos acquirere certitudinem de nostra gratia.

Quod si alicubi talia aliqua possit quispiam ostendere Hieronymum scripsisse, poterunt de scientia morali exponi, vel de scientia, qua per fidem scimus bona opera, à quocunque fiant, placere Deo, etiã si incertissimus, an placeant Deo ad meritum vel augmentum beatitudinis. In commen. vero c. 6. ad Galatas, non vt rem facile contingentem, inducit hominem de sua certum mente, & qui sciat se non posse labi. Quin neque talem posse esse credidit, nisi per reuelationem diuinam, neq; salua fide eum posse esse potest quispiam catholicus credere. Quandoquidem nemo potest esse certus de sua perseuerantia absque Dei reuelatione.

Sed ad hoc induxit D. Hieronymus eum homi-

hominem, qui de sua certus mente, sciret se non posse labi, vt ostenderet, si quispiam talis posset esse iuxta errorem Iouiniani & Manichæorum, & aliorum, quos alibi impugnat, & huiusmodi iustum debere seruare consilium Pauli, quod ibi exponebat, & instruere alios in spiritu lenitatis: quia, vt statim subdit, quamuis labi nequeat, tentari potest: & vinci vel vincere, nonnunquam in nostra est potestate: cæterum tentari, in potestate tentantis est. Vnde & cautelam Pauli iubet ibi aduerti, qui non dixerit, considerans te, ne & tu cadas: sed, ne & tu tenteris. Si enim saluator tentatus est, quis potest esse securus, intentatum se vitæ huius maria transire?

Tantum vero abest, vt Hieron. talem aliquem hominem in hac vita esse, ibi crediderit, vt aperte in eodem loco affirmet, eos qui se existimant aliquid esse, ex hac ipsa arrogantia nihil fieri, ac per hoc & se decipere. Altiorem namque dicit esse sensum, & sibi magis placere, si verba Pauli, *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*: sic distinguamus, vt illa intermedia, cum nihil sit, posteriori orationi coniungantur, & non priori.

Esaia 5. Cumque ibi apertissime asseueret mentem suam plane decipere qui se putant esse sapientes, & væ illis imprecari Esaiam, cum ait, *Væ qui sapient estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*: quando ille tutum putasset, vt iusti certo & certitudine fidei crederent se esse iustos? An non maius est & multo difficilius cognitu, esse iustos, quam esse sapientes? Sed tam aperta sunt loca, quæ ex hoc sanctissimo Doctore pro incertitudine gratiæ cap. 11. & 13. citauimus vt superuacaneum sit, his tam incertis & nullius momenti testimonijs exponendis amplius immorari. Videamus igitur, quæ & ex alijs Doctoribus aduersus nos allegantur.

CAPVT XXXIV.

De expositione testimoniorum Augustini, Chrysost. Theophyl. & Gregorij, contra incertitudinem gratiæ.

Obiect. 7. ex Aug. EX Augustino inducuntur pro certitudine gratiæ triplicis generis testimonia. Primo afferuntur quædam, vbi palam fatetur nos nosse fidem, spem, & caritatem nostram. Secundo allegantur multa, in quibus diligentibus proximos promittit securitatem. Sed fortissima sunt alia, in quibus iubet credere peccata nobis dimissa esse in baptismo, & dubitantes de hoc, dubitare de fide asseuerat.

Verum primi generis testimonia, ca. 20 ostendimus intelligenda esse de cognitione actuum fidei, spei, & caritatis, qui possunt esse extra gratiam, idq; inferius aliquanto magis perspicuum faciemus. Secundi autem generis testimonia, quemadmodum accipi debeant, cap. 24. disseruimus. Responsio.

Quoniam vero si illa certitudinem gratiæ probent, probabunt & certitudinē beatitudinis, pro omnibus locis, in quibus vel ipse, vel alij Doctores pollicentur securitatem aut pœnitentibus, aut diligētibus proximos aut denique operibus mandatorum incumbētibus: duo velim hoc loco vehementer notari.

Primum est: Neque Augustinus, neq; alij Ecclesiastici Doctores pollicentur alicui mortali, seclusa diuina reuelatione, securitatem absolute, sed duntaxat sub conditione vel expressa, vel subintellecta, nēpe si perseueremus in perfectione semel inchoata, & non nostra ingratitudine apponamus gratiæ diuinæ aut efficaciæ bonorum operum impedimentum. Sic quippe scriptura vitam æternam pollicetur, vt lib. 11. declarabimus. Et Augustinum sic esse exponendum, vel illa verba passim ex ipso citata, docere valent: Differentibus quippe vsque ad finem vitæ conuersionē suam in Deum, pœnitētiam, inquit, dare possumus: securitatem autem minime.

Deinde: Sicut ad fiduciam satis est probabilis quædam persuasio de assecutione eius, quod confidimus nos assecuturos, ita & ad securitatem sufficere potest probabilitas de eo assequendo. Tollere enim potest vel sola hæc certitudo humana solicitudinem & timorem, quæ securitati aduersantur. Quod & in humanis negocijs experi-

perimur. Vbi namque desinimus esse soliciti de aliquo bono assequendo, vel timorem amittimus de eo perdendo, mox incipimus esse de ipsius assecutione vel conseruatioue securi.

Et hoc esse conforme doctrinæ Augustini, neque ab ea alienum, possumus probare, quia super illa verba Psalmi 42. *Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi*, ita oēs hortatur & admonet: *Noli iudicio contendere, da operam esse iustus, & quantumcunque fueris, confitere te peccatorem, semper spera misericordiā, & in ista humili confessione securus alloquere turbantem te, & tumultuantem aduersus te animam tuam: Vt quid tristis es anima mea, & vt quid conturbas me: forte in te volebas sperare. Spera in Dominum, noli in te. Quid enim es in te? Quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te. Spera inquit, in Dominum, quoniam confitebor illi. Quid illi confiteberis? Salutare vultus mei Deus meus.* Hæc Augustinus.

Ex quibus patet, absque certitudine nostræ iustificationis Augustinum asserere, posse esse & debere, & fiduciam, & securitatem, non solum de iustificatione nostra, sed etiam de victoria tentationum & perseuerantia. Atqui hæc poterunt nunc esse satis pro testimonijs Aug. Nam quæ tertio loco inducuntur de certitudine remissionis peccatorum per baptismum, ca. 41. cōmodius explicabimus, cum de certitudine ex susceptis sacramentis agemus.

Obiect. 2. ex Chrys. Theoph. & Theod. & Anselm.

Ex Chrys. vero duo nobis objiciuntur. Primo enim in illa verba Pauli ad Rom. 8. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro &c.* à testimonio spiritus tantam affirmat venire certitudinem, vt nulla relinquatur ambiguitas, neque fas sit dubitare. Et concinit ei in eodem loco Theophylactus. Et Ansel. euidens dicit esse hoc testimonium spiritus, & Caietan. sufficientissimum nimirum ad inducendum certitudinem.

Deinde: Et super illa Pauli verba, *Probet autem seipsum homo*, idem Chrysost. requirit conscientiæ puritatem & vitæ certitudinē ad comedendum & celebrandum sanctum Pascha. Ac Theophylactus & Theodoretus idem exigunt omnino.

Responsio.

Attamen de testimonio spiritus nihil habeo noui, quod respondeam, præter ea, quæ c. 19. iam monuimus. Si Spiritus sanctus tanta euidentia suam præsentiam contestaretur, vt dubitare fas non esset, illud testimonium reuelatio esset gratiæ, quam semper exceptam voluimus. Sed passim & omnibus iustis sic ipsum, se in eis esse, testari, hoc terque quaterque pernegamus. Et verba Chrysost. quæ citantur pro his, non de adoptione alicuius in particulari, neque de testimonio aliquo peculiari Spirit⁹ sancti intelligenda sunt, sed de testimonio illo præcellenti & magnificentissimo, quo in primitiua Ecclesia signis clarissimis & suijpsius ostensione visibili, filios esse Dei ostēdebat, qui baptismum & doctrinam Apostolorum recipiebant.

Verba Chrys. in nos citata, hæc sunt: *Quando spiritus testatur, quænam relinquatur nobis ambiguitas?* Et iterum: *Suprema illa essentia, quæ & hoc ipsum, quod promittit, atque adeo orare iussit, testimonium nobis perhibente, quis iam de dignitate hac poterit dubitare?* Hæc autem & alia circumiacentia, si bene & pro meritis expendantur, non erit difficile agnoscere, Chrysostomum & Paulum, sicut cap. 19. docuimus; de testimonio exteriori & communi filiorum Dei agere, & non de testimonio interiori & peculiari, aliquibus sanctis viris de sua adoptione exhibito. Et forte neque Anselmus, neque Caiet. ad aliud testimoniū retulere sua verba. Et de Theophyl. idem possumus suadere: quia illa verba, *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro*, sic exponit. *Ipse suo testimonio gratiam adstruit, quæ nobis est data.*

In quibus satis indicauit, se de communi gratia & adoptione Christianorum, verba Pauli intellexisse. Et quia de iustificatione aliorum non certitudinem fidei, sed tātum scientiam probabilem habemus, statim præmisit: *Quemadmodum nouimus vaticinandi spiritum ei inesse, qui illum exceperit, idque ex rebus futuris, quas ille prædixerit, coniectare solemus: sic spiritus adoptionis eo dignoscitur, quia illius instinctu, qui hunc ipsum accepit, Deum dictitat patrem. Est enim hoc vnum spiritus sancti donum.* Hæc ille.

Neque minus perperam intellecta sunt,

 quæ

quæ de puritate necessaria ad dignam Eucharistiæ sumptionem illi tradiderūt. Non enim, sicut existimantur, certitudinem intellectus illi requisiuerunt. Quis eam vnquam requisiuit Catholicus? Lutheranorum dogma est profecto non Christianorum, certitudinem gratiæ ad suscipienda sacramenta exigere. Quin neque Lutherus, vt antecederet hæc certitudo, postulasse videtur, sed si comitaretur absolutionem, contentus fuit: *Crede*, inquit, *te absolutum, & absolutus eris*. Etsi ea certitudo præuia deberet esse sumptioni Eucharistiæ, nunquam per illam quis reciperet primam gratiam. Siquidem non ad falsam persuasionem, sed veram & certam verba sua illi referunt. Et quid facient, qui tametsi illius sibi peccati sunt conscij, tamen vel ob paucitatem sanguinis ita timidi & scrupulosi sunt, vt vix audeant aut possint certo credere se esse in gratia? Nunquid illos indigne manducare corpus Domini putabimus?

Absit tanta impietas à Doctore Christiano. Non solum non est necessaria certitudo gratiæ ad dignam susceptionem, sed vt sanctus Thomas & Scotus & alij egregij Doctores, & quidam, qui hæc obijcit, recte tradunt, qui sine dolo ad tantum sacramentum accederet, etiam si mortali peccato obnoxius esset, cuius non haberet conscientiam, nihilominus per ipsum sacramentum consequeretur primam gratiam. Nam sufficit compunctio de peccatis & persuasio aut opinio quædam probabilis de munditia & puritate conscientiæ, ita vt conscientia nostra de nullo nos peccato remordeat. Neque maius aliquid requirit Chrysostomus, vt digne accedamus ad Eucharistiam, vt patere potest ipsum legenti.

Sed hinc forte decepti sunt, qui nobis illius testimonium obiectant, quod cum ille docet non esse solēnitatem expectandam, vt compunctus & præparatus accedat, sed solennitatem esse bonorum operum demonstrationem conscientiæ puritatem, vitæ certitudinem, nomine certitudinis putarunt eum intellexisse persuasionem certam de gratia. Chrysostomus autem in vitæ certitudine, firmam quandam & solidam ac constantem vitæ constitutionem intelligit, quæ leuitati & inquietæ peccatorum vitæ opponitur. Et potuit sui erroris admoneri, qui sic illum perperam intellexit. Non enim vitæ bonæ certitudinem requisiuit Chrysostomus, sed vitæ certitudinem, & vt Græcè significantius dicitur, πολιτείας ἀκρίβειαν, hoc est, diligentem & exactam vitæ rationem & constitutionem.

Quod & ex Theophyl. agnoscere possumus. Eius quippe verba sunt hæc: *Tua itaque conscientia examinata, discussaq́, adito ea mysteria non festis modo profestisq́ diebus, sed quouis tempore, cum te purum & dignum comperreris.* Vides, vt nullam certitudinem requirat, sed duntaxat, vt nullius peccati conscij nobis simus, vt nulli nos culpæ obnoxios deprehendamus, & tunc dignum & idoneum vnumquemque illum credidisse, cum humana quadam cognitione se purum & alienum à peccato intellexerit? Neque aliud maius crediderim necessarium putasse Theodoretum.

Sed & sanctus quoque ac vere magnus Gregorius, contra incertitudinem gratiæ adducitur. In illa verba Iob, *Deridetur iusti simplicitas*, agnouisse dicit illum, in quanto virtutum culmine esset. Et super caput 25. ad alios iustos hoc extendit, in hæc verba: *Habent itaque proprium sancti viri, vt bona quidem, quæ agunt, videant: & tamen, cum peregerint, ab eorum memoria oculos auertant.* In illa etiam verba, *Verebar omnia opera mea*, hoc ait esse proprium iusti viri, vt cuncta opera sua vereatur. & mox addit: *Hic timor si perseueret, non solum certitudinem præsentis gratiæ affert, verum etiam perseuerantiæ.* Tractans item illa verba, *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*: ita scribit, *Plerunq́ si sciamus bona, quæ agimus, ad elationem ducimur: si nescimus, minime seruamus. Quis enim aut de virtutis suæ conscientia non quantulumcunq́ superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat? Sed contra vtraq́ quid superest, nisi vt recta, quæ agimus, sciendo nesciamus vt hæc & recta æstimemus & minima: quatenus & ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis, & in tumorem* Obiectio 9. ex Greg.

non eleuet æstimatio minorationis. Hæc Gregorius.

In quibus non solum videtur asserere, nos scire bona, quæ agimus, sed & necessarium esse vt sciamus, vt cautius seruemus, modo illa, exigua & minima æstimemus. Quæ autem bona scire possimus à nobis agi, si ignoremus nos esse in ipsius gratia, cum omnia nihil sint in conspectu Dei sine ipsius gratia? E his accinunt, quæ alij ex ipso eodem Gregorio allegant: *Si scimus nos gratiam habere, superbimus: si nescimus, gratias non agimus. Quid ergò restat, nisi vt sciendo nesciamus, & nesciendo sciamus?*

Si tamen ista verba pro dignitate expendamus, clare intelligemus Diuum Gregorium de scientia probabili seu per coniecturas ista dixisse, & non de scientia, quæ aut euidentiam habet annexam, aut certitudinem. Quæ enim vel certo, vel euidenter scimus, non vtique nesciendo scimus: & quæ recta esse duntaxat æstimamus, non euidenter, neque certo scimus esse talia, sed vere, & vt sic dicam, sciendo scimus. Neque est quisquam fidelis, qui tantum dicat se æstimare, & non potius certo scire, ac planè sciendo scire, Christum surrexisse à mortuis.

Quid sit, nesciendo scire. Hoc est igitur nesciendo scire, apud Diuum Gregorium, quod apud Scholasticos, scire probabiliter, & cum formidine alterius partis. Et hic est prædictorum verborum sensus, vt neque omnino ignoremus gratiam, quæ fit nobis à Deo, cum iustificamur & bona agimus: neq; prorsus certissimus, & indubitanter credamus, nos eiusmodi beneficium accepisse.

Itaq; pro nobis faciunt magis prædicta verba, quam pro tuentibus partem oppositã. Quæ vero primo loco citata sunt, multo facilius ostendi queunt, nobis nihil prorsus aduersari. Neq; enim, quod iustos suam gratiam non omnino certo scire affirmamus, ideo & latere ipsos dicimus præclara opera, quæ plerumq; faciũt. Quis ita deliraret insanus? Manifesto vident iusti in plerisq; se bene agere. Sed quia non satis certo nouerunt, an per ignorantiam alicui culpæ subiaceant, neq; se sciunt esse in gratia, neque satis agnoscunt an ea bona opera placeant Deo ad consecutionem beatitudinis & propterea apud illos neq; quo digna sunt precio, existimantur.

Quod autem dicit Greg. illum timorem quo iusti verentur omnia sua opera, si perseueret, certitudinem gratiæ & perseuerantiæ afferre, aut ad certitudinem moralem referendum est, aut certe propterea dicitur, quia valde verisimile est, eum timorem perducere iustos ad beatitudinem Quo cum peruenerint, certa erit & gratia, & perseuerantia.

At enim multo vrgentiora videntur illa, verba, quæ ex eodem Greg 1. cap. lib. 1. dialog. obijciuntur: *Mens, quæ diuino spiritu impletur, habet euidentissima signa sua, virtutes scilicet & humanitatem, quæ si vtraq; perfecte in vna mente cõueniunt, liquet, quod de præsentia Spiritus sancti testimonium ferat.* Hæc ille.

Ex quibus videtur iuxta Gregorium, mens diuino spiritu impleta, certa esse de sua iustificatione. Nam euidentissima signa ad certitudinem satis sunt, & qui dicit alicui liquere, hoc est, liquido constare præsentiam Spiritus sancti, plane certitudinem tradit expertem omnis dubitationis Sed signa quantumcunq; euidentia, certitudinem fidei dare non possunt, tantumque præstare queunt probabilitatem & certitudinem quandam humanam. Neque quisquam est, qui bonæ aliorum conscientiæ certitudinem aut euidentiæ, aut fidei diuinæ se putet habere, quia euidentissima signa bonitatis ipsorum sibi videatur habere. Vnde & ipse Greg. alibi euidentissimum signum reproborum, dicit esse superbiam, cum tamẽ certo sciret, nemini in hac vita satis certã esse posse cuiusuis reprobationẽ.

Cur vero non aduertunt, qui his verbis Gregorij certitudinem gratiæ satis stabilisse se existimant, non de quibusuis iustis ibi agere Gregorium, sed de eis, qui præter legem communem, Spiritu sancto ita implentur, vt nullius mortalis magisterio indigeã? Lege certe, vt ibidẽ Gregorius dicit non cõstringitur Spiritus sancti donũ. Neque priuilegia paucorum, in exempla sunt infirmorum trahenda, ne, dum se quisque

similiter Spiritu sancto impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.

CAPVT XXXV.

Expositio Testimoniorum Bernardi contra incertitudinem gratiæ.

Obiect. 10. ex Bern. INTER omnium vero Doctorum testimonia, maxime videtur testimonijs Bernardi confisi, qui pugnant contra incertitudinem gratiæ. Nam & eius testimonia ita clara esse asseuerant, vt nulla possint tergiuersatione vitari. Sed cum nos lucidissima supra testimonia ipsius pro incertitudine gratiæ citauerimus, & certi simus, non fuisse illum sibijpsi aduersatum, nihil veriti eciũ magnifica verba, quæcunque ex illo obijciunt, sic accurate explicare conabimur, vt nemo posthac Bernardum putet eorum fuisse sententiæ, nisi plane velit luci clarissimæ veritatis resistere.

Testim. 1. Et Primum quidem testimonium, quod nobis ex Bern. obijci potest, est in serm. 74. super Cant. vbi ita scribit: *Fateor & mihi aduentasse verbum, in insipientia dico, & pluries. Cumque sæpius intrauerit ad me, non sensi aliquoties cum intrauit adesse sensi. affuisse recordor, interdum & præsentire potui introitum eius, sentire nũquam, sed ne exitum quidem. Nam vnde in animam meam venerit, quo ve abierit, denuo eam dimittens, sed & quo vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundum illud. Nescis vnde veniat aut quo vadat. Neque mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est, Et vestigia tua non cognoscentur.* Hæc ille. Et hæc non se agnouisse per diuinam reuelationem: continenter explicat, dicens: *Quæritis, cum ita sint inuestigabiles viæ eius, vnde adesse norim? Viuum & efficax est, moxque vt intus venit, expergefacit dormitantem, animam meam mouit, & molliuit, & vulnerauit cor meum, quoniam durum lapideumque erat & male sanum. Cœpit quoq; euellere & destruere ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare frigida inflammare: necnon & mittere praua in directa, & aspera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Et paulo inferius: *Ex motu cordis, sicut præfatus sum, intellexi præsentiam eius, & ex discussione siue redargutione occultorum meorum admiratus sum profunditatem sapientiæ eius: & ex quantulacunq; emendatione morum meorum, expertus sum bonitatem mansuetudinis eius, & ex renouatione ac reformatione spiritus mentis meæ, id est, interioris hominis mei, percepi vtcunque speciem decoris eius, & ex contuitu horum omnium, simul expaui multitudinem magnitudinis eius. Verum quia hæc omnia, vbi abscesserit verbum, perinde ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam ilico languore torpentia & frigida iacere incipiunt: atque hoc mihi signum abscessione eius tristis sit, necesse est, anima mea, donec iterum reuertatur, & solito recalescat cor meũ intra me, idque sit reuersionis indicium.* Hæc Bernardus.

Ex quibus videtur & ipse de sua iustificatione certus fuisse, & nos posse eadem via, si similia in nobis experiamur, esse certi de aduentu & præsentia verbi, & ex cõsequenti de nostra iustificatione. Longe enim est Dominus ab impijs, neque habitat in illis, qui sunt subditi peccatis.

Verum hæc non satis efficaciter probãt, Diuum Bernardum nouisse certo, vel asseruisse, sibi fuisse certam suam gratiam, aut viam aliquam certam tradidisse, qua nos de nostra gratia possimus esse certi ex fide. Ista omnia poterat de se dicere, si ea de se probabiliter, aut certo moraliter crederet, etiã si non esset de illis omnino per fidem certus. Et nunc experimenta, nunc indicia illa vocet præsentiæ verbi, quæ in se experiebatur, satis indicat non se ea tradere, vt certa & indubitata, præsertim qualia sunt, qui sunt fidei. Et talia aliqua possunt, permittente Deo, in se experiri, qui per ignorantiam vel errorem sunt in aliquo peccato. Transfigurat enim se satanas sæpe in angelum lucis, & vt illi quos decipiunt, credant se esse in gratia, neque relinquunt errores aut vitia, in quibus sunt, potest similes affectus, similemque feruorem & deuotionem in eis procurare. Expos. 1.

Quod si bene omnia expendamus, certo agnoscemus non egisse hoc in loco Bernardum de aduentu verbi ad animas per gratiam, de quo vno nos modo agimus, sed de aduentu verbi per internas aliquas consola-

solationes, & familiaria aliqua inducia, quibus suam præsentiam manifestat suis. Non enim verisimile est, tam sanctum virum toties peccasse mortaliter, & recessisse ab eo verbum, desijsseque habitari à Spiritu sancto, quoties ista tam suauia sibi deesse sentiebat & pie clamabat: *Reuertere dilecte mi.* Cantic. 2.

Vnde & alibi, cum doceret periculosissime ignorari quando Deus ad nos veniat, & quando à nobis recedat, quia si hoc nesciamus, nec absentem desiderabimus, neque præsentem glorificabimus: & ita vel patebimus seductioni, vel ingrati erimus visitationi: infert ex hoc, vigilandum proinde esse omni hora, quia nescimus, qua hora spiritus venturus sit, seu iterum abiturus: ac satagendum esse, vt nunquam sine nostra conscientia tollatur à nobis, si non volumus fraudari duplicato munere in figura promissa Helisæo, si videret Eliam discedentẽ á se: neque cum venerit, inueniat nos imparatos, sed semper vultus suspensos, expansosque habentes sinus ad largam Domini benedictionẽ, qui ab illis supernæ mensæ copiosis delicijs vacua nunquam reuertitur manu. Serm. 17. super Cant.

Et vt apertius faceret, de isto se aduentu & abscessu duntaxat agere, subdit: *It, & redit spiritus, & qui stat eo tenente, deserente cadat, necesse est, sed non collidetur, quia Dominus rursum supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales proinde ipse creare intendit, visitans diluculo, & subito probans. Denique septies cadit iustus, & septies resurgit: si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, & dicat: Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Hæc ille.

Ex quibus luculenter apparet, de aduẽtu, quem prædiximus, eum esse locutum. Non enim viri iusti & spirituales cadunt septies in die per peccatum mortale. Atque vt intelligeremus, non posse humana via nos habere securitatem, nisi loquatur spiritus, & suo nos testimonio certos faciat de nostra iustificatione, subdit statim: Aliud est, dubitare de veritate, quod patiaris necesse est, cum spiritus minime spirat: & aliud, sapere falsitatem, quod facile cures, si eandem tuam ignorantiam non ignoras, quatenus dicas & tu: *Et si quid ignoraui, ignorantia mea mecum est.* Sancti Iob sententia est: Agnoscite. Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ itidem duæ filiæ sunt, falsitas, & dubietas. Illa miserior, ista miserabilior. Perniciosior illa, ista molestior. Cum loquitur spiritus, cedit vtraque, & est non solum veritas, sed certa veritas. Iob. 19.

Est quippe veritatis ille spiritus, cui contraria falsitas est. Et est sapientiæ, quæ cum sit candor lucis æternæ, & vbique attingat propter munditiam suam, obscurũ ambigui non admittit. Cauenda sane, cum spiritus iste non loquitur. Et si non molesta dubietas, certa falsitas execranda. Aliud est enim, sub incerto hoc vel illud opinando sentire: aliud, temere affirmare quod nescias. Aut ergo loquatur semper spiritus, quod nostri minime arbitrij est: aut quando silere placet, hoc ipsum indicet, & loquatur saltem suum silentium, ne ipsum nobis falso præire putantes, nostrum pro ipso male securi sequamur errorem. *Hæc ibi.*

Quæ vellem bene notarent, qui nobis aduersari putant Bernardum, & qui non habentes diuinam reuelationem, neq; certi de testimonio spiritus, testificantis nos esse in gratia, certo tamen audent asserere & credere, se esse in gratia.

Potest tamen & aliud vrgentius testimonium contra nos ex eodem induci. In sermone enim de quatuor modis orandi, cum quæreret, vnde aut quomodo nosse possimus, an consecuti simus indulgentiã peccatorum, productis in medium verbis illis Christi ad paralyticum, cui remisit peccata: *Surge, & tolle lectum tuum, & ambula:* ita propositæ quæstioni respondet: *Et tu ergo si iam resurgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiscentijs eius, sed magis ipsa, vt dignum est, regat illud, & ferat quo non vult: si demum ambulas, quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ ante sunt, te extendens desiderio & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites.* Hæc ibi Testimonium 2. Bern. Matth. 9. Marc. 2. Ioan. 5.

Ex quibus videtur clare ex sententia Bernardi, eum posse esse certum de sua iustificatione, qui ista in se potest experiri, vt possunt profecto multi iusti. Et si quispiam requirat, vnde ista potuerit nosse Bernardus, vide vt ista continenter probet: Noluit enim ipse ob suam tantummodo authoritatem ista recipi. Addit igitur statim hæc satis apparens argumentum: *Neque enim surgere poteras, si non aliquatenus onus esset alleuiatum: & nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis, quia neque ambulare fortuore deuotionis ac conuersationis, cum peccatorum graui mole, possibile est.*

Et quo apertius esset, eum credidisse, posse aliquos iustos in hac vita ad istam certitudinem de sua gratia peruenire, paulo post sic subdit: *Porro ad quartum genus orationis, quod est gratiarum acti per paucos attingere credo: & quo rarius, eo pretiosius est. Multam enim prorsus gratiam inueniet apud Deum, quem iuxta promissionem suam exaudit, antequam inuocetur, & testimonium reddet spiritui eius spiritus, quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium eius ita vt certus, iam non orare, sed gratias agere possit.* Hæc ibi.

Expositio. Triumphare se existimabit de nobis, qui ista sic carptim & truncatim legerit, & Bernardum aperte putabit contra nos esse. Quia iubet ne se dubitet curatum, qui illa in se senserit, & certum pronunciat, qui hæc in se fuerit expertus, quæ nobis manifesta esse posse, ambiguum non est. Si tamē ad alia, quæ in eodem sermone dicit, ista conferamus: facile intelligemus, non ibi de certitudine fidei Bernardū agere, sed de certitudine fiduciæ, & morali, quæ ex istis bonis quidem, sed duntaxat probabilibus argumētis, & debet, & potest haberi à quolibet iusto, qui ista in se expertus fuerit, vt omni anxietate & perplexitate cōscientiæ liber, alacrius viam mandatorū Dei percurrat. Et ne ista nos nostro ex capite cōminisci quis autumet, audi et alia, quæ Bernardus ibidem dicit. Statim igitur ante quæstionē propositam ita scribit: *Postquam in lamentis pœnitentiæ aliquādiu perseuerans, hilaritatem quandā & fiduciam cōceperis indulgentiæ, accede iam ad postulationes, vt secure tanquam receptus in gratiam Domini, tibi & conseruis tuis audeas petere, quod oportet.* Et cum ex his verbis occasionē sumpserit proponendi præfatam quæstionem, illius exolutionem sic auspicatur: *Sic nimirum conseruandæ humilitati gratia, diuina solet pietas ordinare, vt quanto quis plus profecit, eo minus se reputet profecisse. Nam & vsque ad supremum exercitij spiritualis gradum si quis eousque peruenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, vt vix sibi primum videatur adeptus.* Et post illa, quibus probat, non debere nos dubitare, an curati simus, mox subijcit. *Propter quod fiducialiter iam postulare potest, qui eiusmodi est.* Et aliquanto post de ista postulatione ad-dit. *Postulatio amplum quærit affectum scilicet fiduciæ latitud nem, sicut scriptum est: Postulet autem in fide nihil hæsitās. Credo enim propterea dictum: Quencunque locum calcauerit pes vester, vester erit: quod tantum impetrabimus, quantum perrexerimus pede fidei.* Hæc ibi.

Ex quibus, si omnia in vnum conferantur, satis perspicuum & dilucidum fore arbitror, nūquam eum credidisse, iustos posse hic de communi lege certitudinem fidei nancisci de sua iustificatione, sed eo minus debere existimare, se profecisse, quo plus profecerint. Credidit tamen ille, neq; nos id inficias ibim*, posse iustos & debere certa quadā & nihil hæsitabunda fiducia, de diuina misericordia postulare sibi & suis cōseruis necessaria, immo & deuotione plenissima & lætissima Deo gratias agere de beneficijs, quæ probabile est se assecutos, vbi se sua exisse à vitijs senserint, & tollere grabatum corporis ad executionem mandatorum Dei, & desiderio & proposito proficiendi, ad ea, quæ priora & anteriora sunt, totis viribus contendere. Possunt iusti certa fiducia postulare necessaria.

Tertium testimon ū Bernard. contra incert tudinem gratiæ, est ex sermone 59 super Cantica, vbi sic scribit: *Spiritus vbi vult, spirat: & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Et si ille nesciebat, qui iteram occidentē docebat mortuos magister mortuus: nos scimus qui trāslati de morte ad vitam, per viuificātem spiritū, certo & quotidiano experimēto ipso nos illuminante, probamus vota & gemitus nostros ab ipso venire, & ad eum ire, illicque misericordiam in oculis DEI inuenire. Quando enim suis spiritus vocem irritam faceret DEVS?* Hæc ille. Testim. 3. Bernardi.

Qui-

Quibus quid exigi poteſt manifeſtius? An non hîc palam affirmat, nos ſcire, illuminante ſpiritusſancto & quotidiano experimento, gemitus noſtros inuenire miſericordiam apud Deum?

Expoſitio. Verum hæc Bern. non ideo dixit, quia certum aliquem cõmuniter putaret de inuenta miſericordia per proprios gemitus: ſed oſtendere voluit fidem communẽ Eccleſiæ, quæ per illuminationem ſpiritus, & certum ac quotidianũ experimentum, certo credit à Deo venire voca & gemitus noſtros, & ad eum ire, & apud ipſum inuenire miſericordiam. Scopus enim Bern. in eo loco eſt, oſtendere, auditã eſſe in terra noſtra vocem turturis, hoc eſt, gemitus & ſuſpiria, ex quo ꝓmiſſio regni cœlorum nobis facta eſt, & anima impatiens Chriſti abſentiæ, & dilationis beatitudinis, gemitibus & ſuſpiriis deſideratam patriam à longe ſalutat. Et verbum illud, *Certum & quotidianum experimentum*, non ad inuentam miſericordiam ſecundum ſe, referri debet, ſed vel ad experientiam ipſius in effectibus eorum, qui iuſtificantur, aut iam iuſti ſunt: vel certe ad experientiam gemituum fidelium, quos ſtatim compertos eſſe dixerat omnibus, qui diligunt aduentum Chriſti.

Teſtim. 4. Bernardi. Quartum etiam teſtimonium ex eodem in ſer. 3. de aduentu Domini, aduerſum nos profertur. Ait enĩ ibi: *Diligit Deus animam, quæ in conſpectu eius, & ſine intermiſſione conſiderat, & ſine ſimulatione diiudicat ſemetipſam. Idq́; iudicium non niſi propter nos à nobis exigit, quia ſi nosmetipſos iudicauerimus, non vtiq; iudicabimur. Propterea ſapiens veretur omnia opera ſua, ſcrutatur, diſcutit, & diiudicat vniuerſa. Honorat quippe veritatem, qui & ſe & ſua omnia in eo ſtatu, quo veritas habet & agnoſcit veraciter, & humiliter confitetur. Audi denique, manifeſtius à te iudicium exigi poſt iuſtitiam. Cum feceritis, inquit, omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus.* Cum igitur iuſtos palam hîc aſſeueret, agnoſcere ſeipſos & ſua omnia in eo ſtatu, in quo vere ſunt, liquet vel hinc, Bernardum credidiſſe, non illis eſſe incertam ſuam gratiam, ſed vere ſe illos diiudicare, explorare, ac nôſſe valere.

Expoſitio. Sed hæc non ad cognitionem certam, ſed ad cognitionem probabilem, quam habere poſſunt iuſti de iuſtitia & ſtatu ſuo, referenda ſunt. Nam ne ex his quiſpiam anſam ſumeret ſe certo & indubitato credendi aut aſſerendi iuſtum, ſubiecisse Bernardũ illa crediderim: *Audi deniq; manifeſtius à te iudicium exigi poſt iuſtitiam: Cum feceritis*, inquit, *omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus.* Et mox adiunxit: *Hæc plane, quod in hominem eſt, digna ſedis præparatio Domino maieſtatis, vt & iuſtitiæ mandata ſtudeat obſeruare, & ſemper indignum ſeſe & inutilem arbitretur.*

Ex quibus liquidum eſſe poteſt, longe fuiſſe Bernardum à ſententia eorum, qui perſuadent hominibus, vt ſe credant iuſtos. Et ſi bene hæc ſtatim adiecta expendamus, quod dixerat, iuſtos ſe & ſua omnia veraciter agnoſcere, non tam ad iuſtitiæ & virtutum ſuarum cognitionem, quam ad peccatorum & fragilitatis ſuæ & imbecillitatis conſcientiam videbimus eum retuliſſe. In ſer. 5. dedicationis Eccleſiæ, expreſſe etiam putatur ſtare pro certitudine gratiæ. Ait enĩ ibi, ſpiritum Domini perſuadere ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus. Perſuadere autem, ſi vim vocis attendimus, idem eſt quod fidem facere. Teſtim. 5. Bernardi.

At enĩ eo in loco non agit Bernardus de perſuaſione, quam ſpiritusſanctus faciat alicui homini in particulari de ſua gratia, ſed de perſuaſione communis fidelium dignitatis, ob quam & ipſe ſtatim confidenter dicit, nos eſſe ciuitatem, domum, templum, & ſponſam Dei, ſed ipſius dignatione, non dignitate noſtra. Et hunc eſſe verum Bernardi ſenſum, liquere cunctis poteſt, tum ex toto illo ſermone, tum etiam ex illis, quæ ſtatim dixerat ante verba in nos citata. Quia enĩ nemo ſcit, an amore an odio dignus ſit, neque aliquis cognouit ſenſum Domini, aut conſiliarius fuit, hîc opus fuiſſe dicit nobis ſubuenire fidem, vt quod latebat in corde patris de noſtra benigniſſima exaltatione, nobis reuelaretur per ipſius ſpiritum, & ſpiritus eius teſtificans, perſuaderet ſpiritui noſtro, ꝙ ſumus filij Dei. Et in illis, quæ pauló ante iſta ꝓmiſit, ſe oſtẽdit ab hac doctrina longè fuiſſe, ꝗ pſuadere nõ ceſſat, vt ſe credãt hoĩes iuſtos: & cõtra ſemp voluiſſe vt ſe hõ nihil eſſe credat, quatenus dilatetur Expoſitio.

magni-

: tre meo, & vos in me, & ego in vobis: iniquum est & omnibus iustis polliceri, quod ad hanc cognitionem possint pij sui studijs & meditationibus peruenire. Quippe Christus non statim hanc tantam & tam illustrem cognitionem Apostolis suis largitus est, sed cum desuper misit eis visibiliter Spiritum sanctum. Hic enim erat dies, vt patet ex andecedentibus, quo verba illa referebat, *In illo die*. Vnde & ante mortem suam, quia nondum tanta gratia eis expediebat, occasiones nonnunquam subministrauit, vt de sua gratia etiam nihil sibi consc ij hæsitarēt. Et ideo in cœna dixit: *Vnus vestrum me traditurus est*. Et ne solum existimaretur docere, vt timerent de lapsu, adiunxit: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*. Atque illi, quoniam non sic erant à Christo instituti, vt se certo prorsus & absque vlla formidine iustos putarēt, si nihil sibi cōscij essent, contristati valde, cœperunt singuli dicere: *Nunquid ego sum Domine?*

Matth. 26.

Luc. 22.

Apostoli hæsitauerunt de peccato, cuius non erant sibi conscii.

Atque hoc pacto exponit hunc locum Alexander Halensis in Commentarijs in Lucam, qui cum Commentarijs in Marcū, & in Epistolas Pauli, & in Psalmos, & duodecim Prophetas, habentur Venetijs in religiosissimo nostro cœnobio, cui nomen, sanctus Franciscus à Vinea.

Et eandem expositionem tradit Glossa Ordinaria, quæ est Bedæ, in hæc verba: *Quamuis scirent, quod nihil contra Dominum cogitabant quia tamen plus credunt magistro quam sibi timentes fragilitatem suam, querunt de peccato, cuius non habent conscientiam*. Et Basilius hinc colligit perquam vtilem doctrinam, vt si quis in se peccatum non sentiat, plus credat tamen illis, qui melius possunt cognoscere sua peccata, sicut & plerunque ipsi nullius ægritudinis corporeæ nobis cōscij, credimus medico nos male habere, quia certius ille hoc potest iudicare.

CAPVT XXXIII.

Explicantur Testimonia Ambrosij & Hieronymi, quæ afferuntur contra incertitudinem gratiæ.

AFFERTVR etiam contra nos Ambrosius. In sermone enim quinto, cui titulus est, Quod simile sit regnum Dei fermento: vbi cum dixisset, Christum recte fermento comparari, quia cum esset specie homo, & humilitate paruus, totum orbem postea doctrina sua condiuit & repleuit, & iugo diuinitatis suæ subiecit, continuo addidit: *Quisquis igitur isti fermento adhæserit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi vtilis, quam idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus*. Hæc Ambrosius. Obiect. 1. ex Ambr.

Sed in his verbis Diuus Ambrosius non asserit certitudinem fidei, de qua vna modò pugnamus. Et posset satis esse pro istis, si iusti de sua salute possint certi esse morali certitudine. Eodem namque modo promittit iustis certitudinem de nostra salute, quo securitatem de aliorum acquisitione. De aliorum autem acquisitione siue per doctrinam, siue per bona exempla, nō possunt illi habere maiorem certitudinē quam moralem. Et quanquam salui dicuntur nō tantum beati, sed nonnunquam etiam oēs iusti, & vere dixit Christus de domo Zachæi, *Hodie salus domui huic facta est*, quia eo die iustificata est, & remissionem suorum peccatorum obtinuit, tamen Ambrosius de salute consummata videtur locutus iuxta verbum Christi, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. De salute vero consummata constans fuit semper inter Catholicos, vt duodecimo libro videbimus, non posse à quoquam mortali certitudinem fidei haberi citra diuinam reuelationem. Resp. 1. Luc. 19. Matth. 10. & 24.

Et cum Ambrosius generaliter de omnibus Christo adhærentibus loquatur, ipsa sententiæ absurditas, & aperta ad ea, quæ certo nouimus, dissonantia cogit nos credere, non ita esse intelligendã hæc verba, vt existimant, qui illa nobis obijciunt. Scimus enim certo permultos fuisse iustos, qui non crediderunt certo & sine vlla formidine se esse in gratia. Quod & in multis insipientibus & scrupulosis experimur, etiam cum nos, qui illorum conscientiam nouimus, & probe examinauimus, nihil dubitemus, eos esse in gratia.

Dicendum igitur, Ambrosium non ibi

agere

agere de certitudine ex parte intellectus, sed de certitudine ex parte rei. Itaque sensus Ambrosij ex citatis verbis non est hic, Quisquis Christo adhæserit, certus erit ex parte intellectus de sua iustificatione, hoc est, certo assentiet se esse iustum. Sed sensus potius ipsius hic est: Quisquis Christo adhæserit, certus erit de sua iustificatione, hoc est, certo iustificabitur: & nisi ab eo se sua sponte disiunxerit, etiam saluabitur. Et sic supra docuimus acceptam à Petro certitudinem, cum omnibus fidelibus scribit: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Atque ita communiter dicimus: Quisquis digne accesserit ad Ecclesiæ sacramenta, certus potest esse de sua iusticatione. Et iterum: Si digne accedas ad Christi sacramenta, certus esto de consecutione gratiæ.

1. Pet. 1.

Quibus verbis non certitudinem intellectus pollicemur, aut exigimus, sed duntaxat significamus certitudinem ex parte rei, & infallibilem consecutionem posterioris ex priori, & consequentis ex antecedenti. Latet quippe virtute in verbo, Quisquis, nota conditionalis: & verbo, Certo, certitudo consecutionis designatur. Quare perinde est dictu, Quisquis Christo adhæserit, certo saluabitur: ac si dicamus, Certum est, quod quisquis Christo adhæserit, saluabitur. Neque mirandum est, ita locutum fuisse Ambrosium absolute & simpliciter, cum non ignoraret iustos ex communi lege posse perdere suam salutem. Explicabat namque vt optimus orator, quid ex ipsa natura inhæsionis ad Christum cōsequatur: non curans quid nos ob nostram libertatem & ingratitudinem plerunque faciamus. Et frequenter non solum apud sacros Doctores, sed in ipsa etiam Scriptura, subintelligitur conditio, nisi nos ingrati fuerimus gratiæ acceptæ, & per nostram libertatem eam amittamus. Vere siquidem dixit Christus *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum:* quanquam certo sciebat multos condemnandos esse etiam ex illis, qui digne & reuerenter illum panem supersubstantialem manducaturi erant.

Obiect. 6. ex Hieron.

Profertur etiam Hieronymus contra incertitudinem gratiæ, idq; in tribus locis. Nam in comm. 6. ad Galatas, vt rem facile contingentem, videtur inducere hominē conscium & certum suæ mentis, qui se paratum cognoscat per Dei gratiam cunctis resistere tentationibus, vt homo vere spiritalis & firmus in donis, qui vix valeat excidere. Super illa etiam verba Ecclesiastæ, *Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit,* ita citatur scribere: Si respicias opera, semper facillabis, trepidabis, subuerteberis cum Iob: tamen si per fidem intuearis Dei promissiones, merita CHRISTI, & sanguinem pro te effusum, sacramenta tibi applicata, dona tibi à diuina largitate concessa & possessa, videbis te esse in regno CHRISTI, quod intra nos est, quod est iustitia, pax & gaudium. Et alibi dicitur scripsisse, Fulelis scit se bene operando placere Deo, cui credidit.

Eccl. 9.

Sed verba, quæ citantur ex com. Ecclesiastæ, falso imponuntur Hieronymo. Ne minimum quidem ipsorum in comm. illius cap. inuenietur, sed, vt supra citauimus, prorsus è diametro aduersatur ibi asserentibus se scire suam gratiam. Et ea quidem, & quæ vltimo loco allegantur, non Hieronymum resipiunt, sed aliquem potius Lutheranum, qui ementitis verbis Hieronymi persuadere voluerit, per fidem solam posse nos acquirere certitudinem de nostra gratia.

Responsio.

Quod si alicubi talia aliqua possit quispiam ostendere Hieronymum scripsisse, poterunt de scientia morali exponi, vel de scientia, qua per fidem scimus bona opera, à quocunque fiant, placere Deo, etiā si incerti simus, an placeant Deo ad meritum vel augmentum beatitudinis. In commen. vero c. 6. ad Galatas, non vt rem facile contingentem, inducit hominem de sua certum mente, & qui sciat se non posse labi. Quin neque talem posse esse credidit, nisi per reuelationem diuinam, neq; salua fide eum posse esse potest quispiam catholicus credere. Quandoquidem nemo potest esse certus de sua perseuerantia absque Dei reuelatione.

Sed ad hoc induxit D. Hieronymus eum homi-

hominem, qui de sua certus mente, sciret se non posse labi, vt ostenderet, si quispiam talis posset esse iuxta errorem Iouiniani & Manichæorum, & aliorum, quos alibi impugnat, & huiusmodi iustum debere seruare consilium Pauli, quod ibi exponebat, & instruere alios in spiritu lenitatis: quia, vt statim subdit, quamuis labi nequeat, tentari potest: & vinci vel vincere, nonnunquam in nostra est potestate: cæterum tentari, in potestate tentantis est. Vnde & cautelam Pauli iubet ibi aduerti, qui non dixerit, considerans te, ne & tu cadas: sed, ne & tu tenteris. Si enim saluator tentatus est, quis potest esse securus, intentatum se vitæ huius maria transire?

Tantum vero abest, vt Hieron. talem aliquem hominem in hac vita esse, ibi crediderit, vt aperte in eodem loco affirmet, eos qui se existimant aliquid esse, ex hac ipsa arrogantia nihil fieri, ac per hoc & se decipere. Altiorem namque dicit esse sensum, & sibi magis placere, si verba Pauli, *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*: sic distinguamus, vt illa intermedia, cum nihil sit, posteriori orationi coniugantur, & non priori.

Esaia 5. Cumque ibi apertissimè asseueret mentem suam plane decipere qui se putant esse sapientes, & væ illis imprecari Esaiam, cum ait, *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*: quando ille tutum putasset, vt iusti certo & certitudine fidei crederent se esse iustos? An non maius est & multo difficilius cognitu, esse iustos, quam esse sapientes? Sed tam aperta sunt loca, quæ ex hoc sanctissimo Doctore pro incertitudine gratiæ cap. 11. & 13. citauimus vt superuacaneum sit, his tam incertis & nullius momenti testimonijs exponendis amplius immorari. Videamus igitur, quæ & ex alijs Doctoribus aduersus nos allegantur.

CAPVT XXXIV.

De expositione testimoniorum Augustini, Chrysost. Theophyl. & Gregorij, contra incertitudinem gratiæ.

Obiect. 7. ex Aug. EX Augustino inducuntur pro certitudine gratiæ triplicis generis testimonia. Primo afferuntur quædam, vbi palam fatetur nos nosse fidem, spem, & caritatem nostram. Secundo allegantur multa, in quibus diligentibus proximos promittit securitatem. Sed fortissima sunt alia, in quibus iubet credere peccata nobis dimissa esse in baptismo, & dubitantes de hoc, dubitare de fide asseuerat.

Verum primi generis testimonia, ca. 20 ostendimus intelligenda esse de cognitione actuum fidei, spei, & caritatis, qui possunt esse extra gratiam, idq; inferius aliquanto magis perspicuum faciemus. Secundi autem generis testimonia, quemadmodum accipi debeant, cap. 24. disseruimus. Responsio.

Quor iam vero si illa certitudinem gratiæ probent, probabunt & certitudinẽ beatitudinis, pro omnibus locis, in quibus vel ipse, vel alij Doctores pollicentur securitatem aut pœnitentibus, aut diligẽtibus proximos aut denique operibus mandatorum incumbẽtibus: duo velim hoc loco vehementer notari.

Primum est: Neque Augustinus, neq; alij Ecclesiastici Doctores pollicentur alicui mortali, seclusa diuina reuelatione, securitatem absolute, sed duntaxat sub conditione vel expressa, vel subintellecta, nẽpe si perseueremus in perfectione semel inchoata, & non nostra ingratitudine apponamus gratiæ diuinæ aut efficaciæ bonorum operum impedimentum. Sic quippe scriptura vitam æternam pollicetur, vt lib. 11. declarabimus. Et Augustinum sic esse exponendum, vel illa verba passim ex ipso citata, docere valent: Differentibus quippe vsque ad finem vitæ conuersionẽ suam in Deum, pœnitẽtiam, inquit, dare possumus: securitatem autem minime.

Deinde: Sicut ad fiduciam satis est probabilis quædam persuasio de assecutione eius, quod confidimus nos assecutores, ita & ad securitatem sufficere potest probabilitas de eo assequendo. Tollere enim potest vel sola hæc certitudo humana solicitudinem & timorem, quæ securitati aduersantur. Quod & in humanis negocijs experi-

perimur. Vbi namque desinimus esse soliciti de aliquo bono assequendo, vel timorem amittimus de eo perdendo, mox incipimus esse de ipsius assecutione vel conseruatioue securi.

Et hoc esse conforme doctrinæ Augustini, neque ab ea alienum, possumus probare, quia super illa verba Psalmi 42. *Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi*, ita oēs hortatur & admonet: *Noli iudicio contendere, da operam esse iustus, & quantumcunque fueris, confitere te peccatorem, semper spera misericordiā, & in ista humili confessione securus alloquere turbantem te, & tumultuantem aduersus te animam tuam: Vt quid tristis es anima mea, & vt quid conturbas me? forte in te volebas sperare. Spera in Dominum, noli in te. Quid enim es in te? Quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te. Spera inquit, in Dominum, quoniam confitebor illi. Quid illi confiteberis? Salutare vultus mei Deus meus.* Hæc Augustinus.

Ex quibus patet, absque certitudine nostræ iustificationis Augustinum asserere, posse esse & debere, & fiduciam, & securitatem, non solum de iustificatione nostra, sed etiam de victoria tentationum & perseuerantia. Atqui hæc poterunt nunc esse satis pro testimonijs Aug. Nam quæ tertio loco inducuntur de certitudine remissionis peccatorum per baptismum, ca. 41. cōmodius explicabimus, cum de certitudine ex susceptis sacramentis agemus.

Obiect. 2. ex Chryſ. Theoph. & Theod. & Anselm. Ex Chryſ. vero duo nobis obijciuntur. Primo enim in illa verba Pauli ad Rom. 8. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro &c.* à testimonio spiritus tantam affirmat venire certitudinem, vt nulla relinquatur ambiguitas, neque fas sit dubitare. Et concinit ei in eodem loco Theophylactus. Et Ansel. euidens dicit esse hoc testimonium spiritus, & Caietan. sufficiens signum nimirum ad inducendum certitudinem.

Deinde: Et super illa Pauli verba, *Probet autem seipsum homo*, idem Chrysost. requirit conscientiæ puritatem & vitæ certitudinē ad comedendum & celebrandum sanctum Pascha. Ac Theophylactus & Theodoretus idem exigunt omnino.

Responsio. Attamen de testimonio spiritus nihil habeo noui, quod respondeam, præter ea, quæ c. 19. iam monuimus. Si Spiritus sanctus tanta euidentia suam præsentiam contestaretur, vt dubitare fas non esset, illud testimonium reuelatio esset gratiæ, quam semper exceptam voluimus. Sed passim & omnibus iustis sicipsum, se in eis esse, testari, hoc terque quaterque pernegamus. Et verba Chrysost. quæ citantur pro his, non de adoptione alicuius in particulari, neque de testimonio aliquo peculiari Spirit⁹ sancti intelligenda sunt, sed de testimonio illo præcellenti & magnificentissimo, quo in primitiua Ecclesia signis clarissimis & suijpsius ostensione visibili, filios esse Dei ostēdebat, qui baptismum & doctrinam Apostolorum recipiebant.

Verba Chryſ. in nos citata, hæc sunt: *Quando spiritus testatur, quaenam relinquatur nobis ambiguitas?* Et iterum: *Suprema illa essentia, quæ & hoc ipsum, quod promittit, atque adeo orare iussit, testimonium nobis perhibente, qui, nam de dignitate hac poterit dubitare?* Hæc autem & alia circumiacentia, si bene & pro meritis expendantur, non erit difficile agnoscere, Chrysostomum & Paulum, sicut cap. 19. docuimus; de testimonio exteriori & communi filiorum Dei agere, & non de testimonio interiori & peculiari, aliquibus sanctis viris de sua adoptione exhibito. Et forte neque Anselmus, neque Caiet. ad aliud testimoniū retulere sua verba. Et de Theophyl. idem possumus suadere: quia illa verba, *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro*, sic exponit. *Ipse suo testimonio gratiam adstruit, quæ nobis est data.*

In quibus satis indicauit, se de communi gratia & adoptione Christianorum, verba Pauli intellexisse. Et quia de iustificatione aliorum non certitudinem fidei, sed tātum scientiam probabilem habemus, statim præmisit: *Quemadmodum nouimus vaticinandi spiritum ei inesse, qui illum exceperit, idque ex rebus futuris, quas ille prædixerit, coniectare solemus: sic spiritus adoptionis eo dignoscitur, quia illius instinctu, qui hunc ipsum accepit, Deum dictitat patrem. Est enim hoc vnum spiritus sancti donum.* Hæc ille.

Neque minus perperam intellecta sunt,

quæ de puritate necessaria ad dignam Eucharistiæ sumptionem illi tradiderũt. Non enim, sicut existimantur, certitudinem intellectus illi requisiuerunt. Quis eam vnquam requisiuit Catholicus? Lutheranorum dogma est profecto non Christianorum, certitudinem gratiæ ad suscipienda sacramenta exigere. Quin neque Lutherus, vt antecederet hæc certitudo, postulasse videtur, sed si comitaretur absolutionem, contentus fuit: *Crede, inquit, te absolutum, & absolutus eris.* Etsi ea certitudo prævia deberet esse sumptioni Eucharistiæ, nunquam per illam quis reciperet primam gratiam. Siquidem non ad falsam persuasionem, sed veram & certam verba sua illi referunt. Et quid facient, qui tametsi illius sibi peccati sunt conscij, tamen vel ob paucitatem sanguinis ita timidi & scrupulosi sunt, vt vix audeant aut possint certo credere se esse in gratia? Nunquid illos indigne manducare corpus Domini putabimus?

Absit tanta impietas à Doctore Christiano. Non solum non est necessaria certitudo gratiæ ad dignam susceptionem, sed vt sanctus Thomas & Scotus & alij egregij Doctores, & quidam, qui hæc obijcit, recte tradunt, qui sine dolo ad tantum sacramentum accederet, etiam si mortali peccato obnoxius esset, cuius non haberet conscientiam, nihilominus per ipsum sacramentum consequeretur primam gratiam. Nam sufficit compunctio de peccatis & persuasio aut opinio quædam probabilis de munditia & puritate conscientiæ, ita vt conscientia nostra de nullo nos peccato remordeat. Neque maius aliquid requirit Chrysostomus, vt digne accedamus ad Eucharistiam, vt patere potest ipsum legenti.

Sed hinc forte decepti sunt, qui nobis illius testimonium obiectant, quod cum ille docet non esse solẽnitatem expectandam, vt compunctus & præparatus accedat, sed solennitatem esse bonorum operum demonstrationem conscientiæ puritatem, vitæ certitudinem, nomine certitudinis putarunt eum intellexisse persuasionem certam de gratia. Chrysostomus autem in vitæ certitudine, firmam quandam & solidam ac constantem vitæ constitutionem intelligit, quæ leuitati & irrequietæ peccatorum vitæ opponitur. Et potuit sui erroris admoneri, qui sic illum perperam intellexit. Non enim vitæ bonæ certitudinem requisiuit Chrysostomus, sed vitæ certitudinem, & vt Græcè significantius dicitur, πολιτείαν ἀκριβῆ, hoc est, diligentem & exactam vitæ rationem & constitutionem.

Quod & ex Theophyl. agnoscere possumus. Eius quippe verba sunt hæc: *Tua itaque conscientia examinata, discussaq́, adito ea mysteria non festis modo profestisq́ diebus, sed quouis tempore, cum te purum & dignum comperexis.* Vides, vt nullam certitudinem requirat, sed duntaxat, vt nullius peccati conscij nobis simus, vt nulli nos culpæ obnoxios deprehendamus, & tunc dignum & idoneum vnumquemque illum credidisse, cum humana quadam cognitione se purum & alienum à peccato intellexerit? Neque aliud maius crediderim necessarium putasse Theodoretum.

Sed & sanctus quoque ac vere magnus Gregorius, contra incertitudinem gratiæ adducitur. In illa verba Iob, *Deridetur iusti simplicitas*, agnouisse dicit illum, in quanto virtutum culmine esset. Et super caput 25. ad alios iustos hoc extendit, in hæc verba: *Habent itaque proprium sancti viri, vt bona quidem, quæ agunt, videant: & tamen, cum peregerint, ab eorum memoria oculos auertant.* In illa etiam verba, *Verebar omnia opera mea*, hoc ait esse proprium iusti viri, vt cuncta opera sua vereatur. & mox addit: *Hic timor si perseueret, non solum certitudinem præsentis gratiæ affert, verum etiam perseuerantiæ.* Tractans item illa verba, *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*: ita scribit, *Plerumq; si scimus bona, quæ agimus, ad elationem ducimur: si nescimus, minime seruamus. Quis enim aut de virtutis suæ conscientia non quantuluncunq; superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat? Sed contra vtraq; quid superest, nisi vt recta, quæ agimus, sciendo nesciamus vt hæc & recta æstimemus, & minima: quatenus & ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis, & in tumorem* Obiectio 9. ex Greg.

non

non eleuet æstimatio minorationis. Hæc Gregorius.

In quibus non solum videtur asserere, nos scire bona, quæ agimus, sed & necessarium esse vt sciamus, vt cautius seruemus, modo illa, exigua & minima æstimemus. Quæ autem bona scire possimus à nobis agi, si ignoremus nos esse in ipsius gratia, cum omnia nihil sint in conspectu Dei sine ipsius gratia? E his accinunt, quæ alij ex ipso eodem Gregorio allegant: *Si scimus nos gratiam habere, superbimus: si nescimus, gratias non agimus. Quid ergo restat, nisi vt sciendo nesciamus, & nesciendo sciamus?*

Si tamen ista verba pro dignitate expendamus, clare intelligemus Diuum Gregorium de scientia probabili seu per coniecturas ista dixisse, & non de scientia, quæ aut euidentiam habet annexam, aut certitudinem. Quæ enim vel certo, vel euidenter scimus, non vtique nesciendo scimus: & quæ recta esse duntaxat æstimamus, non euidenter, neque certo scimus esse talia, sed vere, & vt sic dicam, sciendo scimus. Neque est quisquam fidelis, qui tantum dicat se æstimare, & non potius certo scire, ac planè sciendo scire, Christum surrexisse à mortuis.

Quid sit, nesciendo scire. Hoc est igitur nesciendo scire, apud Diuum Gregorium, quod apud Scholasticos, scire probabiliter, & cum formidine alterius partis. Et hic est prædictorum verborum sensus, vt neque omnino ignoremus gratiam, quæ fit nobis à Deo, cum iustificamur & bona agimus: neq; prorsus certi simus, & indubitanter credamus, nos eiusmodi beneficium accepisse.

Itaq; pro nobis faciunt magis prædicta verba, quam pro tuentibus partem oppositã. Quæ vero primo loco citata sunt, multo facilius ostendi queunt, nobis nihil prorsus aduersari. Neq; enim, quod iustos suam gratiam non omnino certo scire affirmamus, ideo & latere ipsos dicimus præclara opera, quæ plerumq; faciũt. Quis ita deliraret insanus? Manifesto vident iusti in plerisq; se bene agere. Sed quia non satis certo nouerunt, an per ignorantiam alicui culpæ subiaceant, neq; se sciunt esse in gratia, neque satis agnoscunt an ea bona opera placeant Deo ad consecutionem beatitudinis & ꝓpterea apud illos neq; quo digna sunt precio, existimantur.

Quod autem dicit Greg. illum timorem quo iusti verentur omnia sua opera, si perseuerent, certitudinem gratiæ & perseuerantiæ afferre, aut ad certitudinem moralem referendum est, aut certe propterea dicitur, quia valde verisimile est, eum timorem perducere iustos ad beatitudinem Quo cum peruenerint, certa erit & gratia, & perseuerantia.

At enim multo vrgentiora videntur illa, verba, quæ ex eodem Greg. 1. cap. lib. 1. dialog. obijciuntur: *Mens, quæ diuino spiritu impletur, habet euidentissima signa sua, virtutes scilicet & humanitatem, quæ si vtraq; perfecte in vna mente cõueniunt, liquet, quod de præsentia Spiritus sancti testimonium ferat.* Hæc ille.

Ex quibus videtur iuxta Gregorium, mens diuino spiritu impleta, certa esse de sua iustificatione. Nam euidentissima signa ad certitudinem satis sunt, & qui dicit alicui liquere, hoc est, liquido constare præsentiam Spiritus sancti, plane certitudinem tradit expertem omnis dubitationis Sed signa quantumcunq; euidentia, certitudinem fidei dare non possunt, tantumque præstare queunt probabilitatem & certitudinem quandam humanam. Neque quisquam est, qui bonæ aliorum conscientiæ certitudinem aut euidentiæ, aut fidei diuinæ se putet habere, quia euidentissima signa bonitatis ipsorum sibi videatur habere. Vnde & ipse Greg. alibi euidentissimum signum reproborum, dicit esse superbiam, cum tamẽ certo sciret, nemini in hac vita satis certã esse posse cuiusuis reprobationẽ.

Cur vero non aduertunt, qui his verbis Gregorij certitudinem gratiæ satis stabilisse existimant, non de quibusuis iustis ibi agere Gregorium, sed de eis, qui præter legem communem, Spiritu sancto ita implentur, vt nullius mortalis magisterio indigeã? Lege certe, vt ibidẽ Gregorius dicit non cõstringi ur Spiritus sancti donũ. Neque priuilegia paucorum, in exempla sunt infirmorum trahenda, ne, dum se quisque

similiter Spiritu sancto impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.

CAPVT XXXV.

Expositio Testimoniorum Bernardi contra incertitudinem gratiæ.

Obiect. 10. ex Bern. INTER omnium vero Doctorum testimonia, maxime videntur testimonijs Bernardi confisi, qui pugnant contra incertitudinem gratiæ. Nam & eius testimonia ita clara esse asseuerant, vt nulla possint tergiuersatione vitari. Sed cum nos lucidissima supra testimonia ipsius pro incertitudine gratiæ citauerimus, & certi simus, non fuisse illum sibijpsi aduersatum, nihil veriti eorũ magnifica verba, quæcunque ex illo obijciunt, sic accurate explicare conabimur, vt nemo posthac Bernardum putet eorum fuisse sententiæ, nisi plane velit luci clarissimæ veritatis resistere.

Testim. 1. Et Primum quidem testimonium, quod nobis ex Bern. obijci potest, est in serm. 74. super Cant. vbi ita scribit: *Fateor & mihi aduentasse verbum, in insipientia dico, & pluries. Cumque sæpius intrauerit ad me, non sensi aliquoties cum intrauit adesse sensi, affuisse recordor, interdum & præsentire potui introitum eius, sentire nũquam, sed ne exitum quidem. Nam vnde in animam meam venerit, quo ve abierit, denuo eam dimittens, sed & quo vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundum illud. Nescis vnde veniat aut quo vadat. Neque mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est, Et vestigia tua non cognoscentur.* Hæc ille. Et hæc non se agnouisse per diuinam reuelationem: continenter explicat, dicens: *Quæritis, cum ita sint inuestigabiles viæ eius, vnde adesse norim? Viuum & efficax est, moxque vt intus venit, expergefacit dormitantem, animam meam mouit, & mollivit, & vulnerauit cor meum, quoniam durum lapideumque erat & male sanum. Cœpit quoq; euellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare frigida inflammare: necnon & mittere praua in directa, & aspera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Et paulo inferius: *Ex motu cordis, sicut præfatus sum, intellexi præsentiam eius, & ex discussione siue redargutione occultorum meorum admiratus sum profunditatem sapientiæ eius: & ex quantulacunq; emendatione morum meorum, expertus sum bonitatem mansuetudinis eius, & ex renouatione ac reformatione spiritus mentis meæ, id est, interioris hominis mei, percepi vtcunque speciem decoris eius, & ex contuitu horum omnium, simul expaui multitudinem magnitudinis eius. Verum quia hæc omnia, vbi abscesserit verbum, perinde ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam ilico languore torpentia & frigida iacere incipiunt: atque hoc mihi signum abscessione eius tristis sit, necesse est, anima mea, donec iterum reuertatur, & solito recalescat cor meũ intra me, idque sit reuersionis indicium.* Hæc Bernardus.

Ex quibus videtur & ipse de sua iustificatione certus fuisse, & nos posse eadem via, si similia in nobis experiamur, esse certi de aduentu & præsentia verbi, & ex cõsequenti de nostra iustificatione. Longe enim est Dominus ab impijs, neque habitat in illis, qui sunt subditi peccatis.

Verum hæc non satis efficaciter probãt, Exposit. 1. Diuum Bernardum nouisse certo, vel asseruisse, sibi fuisse certam suam gratiam, aut viam aliquam certam tradidisse, qua nos de nostra gratia possimus esse certi ex fide. Ista omnia poterat de se dicere, si ea de se probabiliter, aut certo moraliter crederet, etiã si non esset de illis omnino per fidem certus. Et nunc experimenta, nunc indicia illa vocet præsentiæ verbi, quæ in se experiebatur, satis indicat non se ea tradere, vt certa & indubitata, præsertim qualia sunt, qui sunt fidei. Et talia aliqua possunt, permittente Deo, in se experiri, qui per ignorantiam vel errorem sunt in aliquo peccato. Transfigurat enim se satanas sæpe in angelum lucis, & vt illi quos decipiunt, credant se esse in gratia, neque relinquant errores aut vitia, in quibus sunt, potest similes affectus, similemque feruorem & deuotionem in eis procurare.

Quod si bene omnia expendamus, certo agnoscemus non egisse hoc in loco Bernardum de aduentu verbi ad animas per gratiam, de quo vno nos modo agimus, sed de aduentu verbi per internas aliquas consola-

solationes, & familiaria aliqua inducia, quibus suam præsentiam manifestat suis. Non enim verisimile est, tam sanctum virum toties peccasse mortaliter, & recessisse ab eo verbum, desijsseque habitari à Spiritu sancto, quoties ista tam suauia sibi deesse sentiebat & pie clamabat: *Reuertere dilecte mi.* Cantic. 2.

Vnde & alibi, cum doceret periculosissime ignorari quando Deus ad nos veniat, & quando à nobis recedat, quia si hoc nesciamus, nec absentem desiderabimus, neque præsentem glorificabimus: & ita vel patebimus seductioni, vel ingrati erimus visitationi: infert ex hoc, vigilandum proinde esse omni hora, quia nescimus, qua hora spiritus venturus sit, seu iterum abiturus: ac satagendum esse, vt nunquam sine nostra conscientia tollatur à nobis, si non volumus fraudari duplicato munere in figura promissa Helisæo, si videret Eliam discedentē à se: neque cum venerit, inueniat nos imparatos, sed semper vultus suspensos, expansosque habentes sinus ad largam Domini benedictionē, qui ab illis supernæ mensæ copiosis delicijs vacua nunquam reuertitur manu. Serm. 17. super Cant.

Et vt apertius faceret, de isto se aduentu & abscessu duntaxat agere, subdit: *It, & redit spiritus, & qui stat eo tenente, deserente cadat, necesse est, sed non collidetur, quia Dominus rursum supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales proinde ipse creare intendit, visitans diluculo, & subito probans. Denique septies cadit iustus, & septies resurgit: si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, & dicat: Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Hæc ille.

Ex quibus luculenter apparet, de aduētu, quem prædiximus, eum esse locutum. Non enim viri iusti & spirituales cadunt septies in die per peccatum mortale. Atque vt intelligeremus, non posse humana via nos habere securitatem, nisi loquatur spiritus, & suo nos testimonio certos faciat de nostra iustificatione, subdit statim: Aliud est, dubitare de veritate, quod patiaris necesse est, cum spiritus minime spirat: & aliud, sapere falsitatem, quod facile cures, si eandem tuam ignorantiam non ignoras, quatenus dicas & tu: *Et si quid ignoraui, ignorantia mea mecum est.* Sancti Iob sententia est: Agnoscite. Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ itidem duæ filiæ sunt, falsitas, & dubietas. illa miserior, ista miserabilior. Perniciosior illa, ista molestior. Cum loquitur spiritus, cedit vtraque, & est non solum veritas, sed certa veritas. Iob. 19.

Est quippe veritatis ille spiritus, cui contraria falsitas est. Et est sapientiæ, quæ cum sit candor lucis æternæ, & vbique attingat propter munditiam suam, obscurū ambigui non admittit. Cauenda sane, cum spiritus iste non loquitur. Et si non molesta dubietas, certa falsitas execranda. Aliud est enim, sub incerto hoc vel illud opinando sentire: aliud, temere affirmare quod nescias. Aut ergo loquatur semper spiritus, quod nostri minime arbitrij est: aut quando silere placet, hoc ipsum indicet, & loquatur saltem suum silentium, ne ipsum nobis falso præire putantes, nostrum pro ipso male secuti sequamur errorem. *Hæc ibi.*

Quæ vellem bene notarent, qui nobis aduersari putant Bernardum, & qui non habentes diuinam reuelationem, neq; certi de testimonio spiritus, testificantis nos esse in gratia, certo tamen audent asserere & credere, se esse in gratia.

Potest tamen & aliud vrgentius testimonium contra nos ex eodem induci. In sermone enim de quatuor modis orandi, cum quæreret, vnde aut quomodo nosse possimus, an consecuti simus indulgentiā peccatorum, productis in medium verbis illis Christi ad paralyticum, cui remisit peccata: *Surge, & tolle lectum tuum, & ambula*: ita propositæ quæstioni respondet: *Et tu ergo si iam resurgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiscentijs eius, sed magis ipsa, vt dignum est, regat illud, & ferat quo non vult: si demum ambulas, quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ ante sunt, te extendens desiderio & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites.* Hæc ibi Testimonium 2. Bern. Matth. 9. Marc. 2. Ioan. 5.

Ex quibus videtur clare ex sententia Bernardi, eum posse esse certum de sua iustificatione, qui ista in se potest experiri, vt possunt profecto multi iusti. Et si quispiam requirat, vnde ista potuerit nosse Bernardus, vide vt ista continenter probet: Noluit enim ipse ob suam tantummodo authoritatem ista recipi. Addit igitur statim hoc satis apparens argumentum: *Neque enim surgere poteras, si non aliquatenus onus esset alleuiatum: & nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis, quia neque ambulare feruore deuotionis ac conuersationis, cum peccatorum graui mole, possibile est.*

Et quo apertius esset, eum credidisse, posse aliquos iustos in hac vita ad istam certitudinem de sua gratia peruenire, paulo post sic subdit: *Porro ad quartum genus orationis, quod est gratiarum actio, perpaucos attingere credo: & quo rarius, eo preciosius est. Multam enim prorsus gratiam inueniet apud Deum, quem iuxta promissionem suam exaudit, antequam inuocetur, & testimonium reddet spiritui eius spiritus, quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium eius, ita vt certus, iam non orare, sed gratias agere possit.* Hæc ibi.

Expositio. Triumphare se existimabit de nobis, qui ista sic carptim & truncatim legerit, & Bernardum aperte putabit contra nos esse. Quia iubet ne se dubitet curatum, qui illa in se senserit, & certum pronunciat, qui hæc in se fuerit expertus, quæ nobis manifesta esse posse, ambiguum non est. Si tamẽ ad alia, quæ in eodem sermone dicit, ista conferamus: facile intelligemus, non ibi de certitudine fidei Bernardũ agere, sed de certitudine fiduciæ, & morali, quæ ex istis bonis quidem, sed duntaxat probabilibus argumẽtis, & debet, & potest haberi à quolibet iusto, qui ista in se expertus fuerit, vt omni anxietate & perplexitate cõscientiæ liber, alacrius viam mandatorũ Dei percurrat. Et ne ista nos nostro ex capite cõminisci quis autumet, audiat alia, quæ Bernardus ibidem dicit. Statim igitur ante quæstionẽ propositam ita scribit: *Postquã in lamẽtis pœnitentiæ aliquãdiu perseuerans, hilaritatem quandã & fiduciam cõceperis indulgentiæ, accede iam ad postulationes, vt secure tanquam receptus in gratiam Domini, tibi & conseruis tuis audeas petere, quod oportet.* Et cum ex his verbis occasionẽ sumpserit proponendi præfatam quæstionem, illius exolutionem sic auspicatur: *Sic nimirum conseruandæ humilitatis gratia, diuina solet pietas ordinare, vt quanto quis plus profecit, eo minus se reputet profecisse. Nam & vsque ad supremum exercitij spiritualis gradum si quis cousque peruenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, vt vix sibi primum videatur adeptus.* Et post illa, quibus probat, non debere nos dubitare, an curati simus, mox subijcit. *Propter quod fiducialiter iam postulare potest, qui eiusmodi est.* Et aliquanto post de ista postulatione adiecit. *Postulatio amplum quærit affectum, scilicet fiduciæ latitudinem, sicut scriptum est: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Credo enim propterea dictum: Quencunque locum calcauerit pes vester, vester erit: quod tantum impetrabimus, quantum perrexerimus pede fidei.* Hæc ibi.

Ex quibus, si omnia in vnum conferantur, satis perspicuum & dilucidum fore arbitror, nũquam eum credidisse, iustos posse hic de communi lege certitudinem fidei nancisci de sua iustificatione, sed eo minus debere existimare, se profecisse, quo plus profecerint. Credidit tamen ille, neq; nos id inficias ibim', posse iustos & debere certa quadã & nihil hæsitabunda fiducia, de diuina misericordia postulare sibi & suis cõseruis necessaria, immo & deuotione plenissima & lætissima Deo gratias agere de beneficijs, quæ probabile est se assecutos, vbi se sursum exisse à vitijs senserint, & tollere grabatum corporis ad executionem mandatorum Dei, & desiderio & proposito proficiendi, ad ea, quæ priora & anteriora sunt, totis viribus contendere. Possunt iusti certa fiducia postulare necessaria.

Tertium testimoniũ Bernardi contra incertitudinem gratiæ, est ex sermone 59 super Cantica, vbi sic scribit: *Spiritus vbi vult, spirat: & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Et si ille nesciebat, qui literam occidentẽ docebat mortuos magister mortuus: nos scimus qui trãslati de morte ad vitam, per viuificãtem spiritũ, certo & quotidiano experimẽto ipso nos illuminante, probamus vota & gemitus nostros ab ipso venire, & ad eum ire, illicque misericordiam in oculis DEI inuenire. Quando enim sui spiritus vocem irritam faceret DEVS?* Hæc ille. Testim. 3. Bernardi.

Qui-

Quibus quid exigi potest manifestius? An non hîc palam affirmat, nos scire, illuminante spiritusancto & quotidiano experimento, gemitus nostros inuenire misericordiam apud Deum?

Expositio. Verum hæc Bern. non ideo dixit, quia certum aliquem cõmuniter putaret de inuenta misericordia per proprios gemitus: sed ostendere voluit fidem communẽ Ecclesiæ, quæ per illuminationem spiritus, & certum ac quotidianũ experimentum, certo credit à Deo venire vota & gemitus nostros, & ad eum ire, & apud ipsum inuenire misericordiam. Scopus enim Bern. in eo loco est, ostendere, auditã esse in terra nostra vocem turturis, hoc est, gemitus & suspiria, ex quo ꝑmissio regni cœlorum nobis facta est, & anima impatiens Christi absentiæ, & dilationis beatitudinis, gemitibus & suspiriis desideratam patriam à longe salutat. Et verbum illud, *Certum & quotidianum experimentum*, non ad inuentam misericordiam secundum se, referri debet, sed vel ad experientiam ipsius in effectibus eorum, qui iustificantur, aut iam iusti sunt: vel certe ad experientiam gemituum fidelium, quos statim compertos esse dixerat omnibus, qui diligunt aduentum Christi.

Testim. 4. Bernardi. Quartum etiam testimonium ex eodem in ser. 3. de aduentu Domini, aduersum nos profertur. Ait em̃ ibi: *Diligit Deus animam, quæ in conspectu eius, & sine intermissione considerat, & sine simulatione diiudicat semetipsam. Idq; iudicium non nisi propter nos à nobis exigit, quia si nosmetipsos iudicauerimus, non vtiq; iudicabimur. Propterea sapiens veretur omnia opera sua, scrutatur, discutit, & diiudicat vniuersa. Honorat quippe veritatem, qui & se & sua omnia in eo statu, quo veritas habet & agnoscit veraciter, & humiliter confitetur. Audi denique, manifestius à te iudicium exigi post iustitiam. Cum feceritis, inquit, omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus.* Cum igitur iustos palam hîc asseueret, agnoscere seipsos & sua omnia in eo statu, in quo vere sunt, liquet vel hinc, Bernardum credidisse, non illis esse incertam suam gratiam, sed vere se illos diiudicare, explorare, ac nõsse valere.

Expositio. Sed hæc non ad cognitionem certam, sed ad cognitionem probabilem, quam habere possunt iusti de iustitia & statu suo, referenda sunt. Nam ne ex his quispiam ansam sumeret se certo & indubitato credendi aut asserendi iustum, subiecisse Bernardũ illa crediderim: *Audi deniq; manifestius à te iudicium exigi post iustitiam: Cum feceritis, inquit, omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus.* Et mox adiunxit: *Hæc plane, quod in hominem est, digna sedis præparatio Domino maiestatis, vt & iustitiæ mandata studeat obseruare, & semper indignum sese & inutilem arbitretur.*

Ex quibus liquidum esse potest, longe fuisse Bernardum à sententia eorum, qui persuadent hominibus, vt se credant iustos. Et si bene hæc statim adiecta expendamus, quod dixerat, iustos se & sua omnia veraciter agnoscere, non tam ad iustitiæ & virtutum suarum cognitionem, quam ad peccatorum & fragilitatis suæ & imbecillitatis conscientiam videbimus eum retulisse. In ser. 5. dedicationis Ecclesiæ, expresse etiam putatur stare pro certitudine gratiæ. Ait em̃ ibi, spiritum Domini persuadere spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Persuadere autem, si vim vocis attendimus, idem est quod fidem facere. Testim. 5. Bernardi.

At em̃ eo in loco non agit Bernardus de persuasione, quam spiritussanctus faciat alicui homini in particulari de sua gratia, sed de persuasione communis fidelium dignitatis, ob quam & ipse statim confidenter dicit, nos esse ciuitatem, domum, templum, & sponsam Dei, sed ipsius dignatione, non dignitate nostra. Et hunc esse verum Bernardi sensum, liquere cunctis potest, tum ex toto illo sermone, tum etiam ex illis, quæ statim dixerat ante verba in nos citata. Quia em̃ nemo scit, an amore an odio dignus sit, neque aliquis cognouit sensum Domini, aut consiliarius fuit, hîc opus fuisse dicit nobis subuenire fidem, vt quod latebat in corde patris de nostra benignissima exaltatione, nobis reuelaretur per ipsius spiritum, & spiritus eius testificans, persuaderet spiritui nostro, q; sumus filij Dei. Et in illis, quæ pauló ante ista ꝑmisit, se ostẽdit ab hac doctrina longè fuisse, q̃ ꝑsuadere nõ cessat, vt se credãt hoĩes iustos: & cõtra semp voluisse vt se hõ nihil esse credat, quatenus dilatetur magni- Expositio.

magnifice in visceribus Dei, qui merito angustatur in suis. *Facile est*, inquit, *cuique nostrum, si sua melius vniuersa & sine simulatione vestiget, & iudicet sine acceptione personæ, attestari per omnia Apostolicæ veritati, & libere proclamare: Qui se putat aliquid esse, cũ nihil sit, ipse se seducit.*

Testimo. 6. Bern. Obijciuntur insuper illa, quæ in 19. ex paruis ipsius Sermonibus legimus: Cum enim exponeret tres esse, qui testimonium dant in cœlo, & totidem qui in terra, & totidem etiam in inferno, subdit. *His qui in cælo sunt, datur testimonium beatitudinis: his qui in terra iustificationis, his qui in inferno, damnationis. Primum testimonium est gloria, secundum gratiæ, tertium iræ.* Ex quibus videtur nota esse ijs, qui in terra sunt, sua iustificatio: sicut & illis qui in cœlo sunt, sua beatitudo: & illis, qui in inferno sunt, sua damnatio. Non enim minus efficax est testimonium datum nobis, quam quod beatis & damnatis est exhibitum.

Expositio. Atqui hæc non ad testimonium aliquod peculiare iustificationis alicuius priuati hominis referenda sunt, sed ad testimonium commune ab Spiritu sancto exhibitum de iustificatione recipientium & sequentium Doctrinam Christi. In epist. etiam 18. dicitur clare asserere certitudinem gratiæ. Sed in tota ea epistola nihil plane inuenio, quod ad hoc propositum spectet. Forte typographus mendose numerum signauit. Sunt tamen duo alia valida eiusdem Bernardi in nos testimonia, in epist. 107. & in serm. 69. in Cant. Verum illa ad finem vsque huius tractatus, commodius visum est differre Inde q; poterit studiosus, & illius, & omnium similium, si qua occurrunt, vel in eo, vel in alijs Doctoribus, expositionem colligere.

CAPVT XXXVI.

Respondetur obiectis ex Theologis Scholasticis pro certitudine gratiæ.

Obiect. 1. AVTHORITATE insuper Scholasticorum Doctorum communire volũt sua placita, qui certitudinem gratiæ persuadere cõtendunt. Ac primo obijciũt nobis inefragabilẽ Doctorem Alex. Halẽsem qui in 3. part. suæ summæ, quæst. 71. cum dixisset in memb. 3. art. 1. scientia experimentali posse iustos scire suam gratiam, ne putaretur certitudinem exclusisse, quia adiunxit, experimentum (iuxta Hippocratem) esse fallax, mox in a. 2. subdidit, certum experimentum esse, quod anima habeat gratiam, quando vere in ipsa sunt lumen secundum partem rationalem, lætitia secundum concupiscibilem, ac pax in irascibili.

Secundo obijciuntur Ioannes Bachonis Carmelita, Claudius Guillaudus in cõm. vlti. c. posterio. ad Timot. & Hierony. Angestus. Qui tamen isti sunt, aut quantæ authoritatis, vt cum illis & plurimis, & grauissimis, quos supra citauimus, conferri possint? Sed ne hos quidem omnes, aduersariorum partibus penitus fauisse concedemus. Hieronymus Angestus vbi hoc dicat, me fugit. Et alioqui moralia ipsius inter recentiorum authorum opera non magnæ sunt apud doctos authoritatis. Ioannes autem Bachonis, non dicit cuiquam esse certam suam gratiam certitudine fidei, sed tãtum dicit esse certam certitudine sequẽte fidem. Quod quemadmodum possit pie exponi, inferius aperiemus. Responsio.

Claudij Guillaudi, si quid bene meritus est de studijs Theologicis, eleuare authoritatem nolim. Sed vt caute legatur, nec quispiam illius scriptis magnopere fidat: tantum dicam, verecundum esse, vt eum in hac parte pro se citet quisquam ex Catholicis. Non enim certitudinem gratiæ possibilem esse tuetur, sicut Catholici defenderunt, sed prorsus sicut Lutherani. Idque patere potest ex illis, quæ capit. 7. ex illo citauimus.

Quod vero Alex. Halensis putetur sensisse, quempiam sine diuina reuelatione certo cognoscere se esse in gratia, cum tam aperte sint, quæ in contrarium ex illo citauimus: inde nimirum proficiscitur, quia non penetratur, quemadmodum ille possibilem iustis crediderit scientiam experimentalem, siue certam experientiam de gratia inhærente suæ ipsorum animæ. Ideoque ne quispiam deinceps perinde decipiatur,

tur, quis fuerit proprius & germanus illius sensus in hoc aliquanto accuratius conspicuum facere aduitemur.

Habuit ille vir vndequaq; doctissimus, pro certo, neminem nisi, per diuinam reuelationem posse hac in vita per scientiam speculatiuam certo agnoscere se esse in gratia: Quia, vt plane explicat, nullum est medium infallibile, quo nosse certo possimus diuinam nostri acceptationem, quá includit in se gratia. Sed quia videbat iustos, effectus nonnullos gratiæ in seipsis experiri, & certum eorum experimentum habere, & hoc iustos differre à peccatoribus, quod in iustis vera est illustratio veritatis, vera lætitia, vera pax: in peccatoribus autem, duntaxat fictè & secundum ementitam apparētiam: ideo asseruit in illis esse scientiam experimentalem, seu certum experimentum gratiæ.

Nè tamen per hoc quispiam putaret eum asserere, in ipsis esse certam aliquam cognitionem gratiæ, in art. 2. iam citato, clare explicat, quod sicut gustus cognoscit dulcedinem, sed non causam illius: ita iusti certo quidem experiuntur in seipsis effectus gratiæ, sed non sic cognoscūt causam ipsorum, neq; in se, neq; per comparationē ad causam suam, quæ est acceptatio diuina. Et addit, posse quidem sciri à iustis veram pacem, sed non, eam esse effectum gratiæ.

Obiect. 1. Cur igitur scientiam experimentalem gratiæ adstruit? Quia sicut nos ex certis ex-

Responsio. perimentis de nefictorum, quæ nobis ab amicis exhibentur, scientiam experimentalem habere nos dicimus ipsorum in nos amoris, tametsi non sic certo nouerimus eorum amorem, ac certo experimur signa & effectus amoris, & tantum probabiliter vel certo certitudine fidei humanæ nos credamus ab ipsis amari: ita prorsus hic magnus Doctor iustos asserere potuit habere scientiam experimentalem suæ gratiæ quia licet certo illam non nouerint, tamen certo experiuntur in se effectum ipsius gratiæ, ex quibus possunt colligere, ipsam sibi inesse vel probabiliter, vel certo certitudi-

Obiect. 2. ne fidei humanæ. Cur igitur, quando vere sunt in anima, lumen, lætitia, pax, certum dicit esse experimentum, quod anima habeat gratiam? Si ne tum quidem est certa de gratia, quomodo certum experimentum habetur de præsentia gratiæ? Quando

Responsio. illa vere in nobis sunt, certum experimentum dicitur haberi de præsentia gratiæ, quia tunc vere colligitur, animam esse in gratia per certum experimentum verorum effectuum gratiæ, & non per fallacium & emēritorum gratiæ effectuum experientiam quam possunt habere hæretici.

Quoniam vero vidit hic eximius Doctor non satis esse hoc, quantumcunq; certum, experimentum ad concludendum absolute, iustos certo scire suam gratiam, quia hæc experientia non est experientia effectuum gratiæ, vt effectus sunt illius, neque satis certo indicant eos esse in gratia, in 1. art. illius quæst. dissoluit argumenta, quæ ad probandum, possibilem esse certam scientiam gratiæ, inducta sunt, & insoluta reliquit, quæ pro altera parte militabant. Et in art. 3. explicauit, tunc iustos certo cognituros gratiam ipsam secundum se, cum Deus ipsam eis reuelauerit. Et tandem si posset gratia à iustis cognosci per certum & infallibile ipsius experimentum, cur in 1. ar. absolute asseruisset nullum esse medium infallibile, quo iusti cognoscere possint suam gratiam?

Si neque his satis credis, lege expositionem eius in illa verba Pauli *Nihil mihi conscius sum*: & ne si velis quidem, poteris dubitare illum à nobis stare. 1. Cor. 4.

CAPVT XXXVII.

Ex certitudine fidei, male colligitur certitudo gratiæ.

PERGEMVS bona fide partes aduersariorum agere, quando semel suscepimus, & his apparentibus testimonijs scripturæ & Ecclesiasticorū Tractatorum, addemus quædā non minus apparētia argumēta Theologica, quæ partim ipsi faciunt aduersum nos partium & nobis occurrerunt in eorum fauorem. Quo tamen omnia distincta ora sint, & à nobis facilius & apertius diluātur non ea in vnum accumulabimus, sed quæcunq; propriam videbūtur habere

Rr diffi-

Obiect. 1. difficultatem, suis distinguemus capitibus. Ac primo quidem, ex certitudine fidei, quę initium & fundamentum est nostræ iustificationis, certam nobis esse posse & debere nostram gratiam, quidam persuadere contenderunt.

Verum hoc argumento aliter vsi sunt Catholici, & aliter hæretici. Catholici enim ex certitudine fidei collegerunt certitudinem gratiæ. Quia fidem suam tenet homo firmissima & certissima scientia, eáq; in se videt, vt Aug. asseuerat, & quisq; fidelium potest in se experiri. Non videtur autem aliquid esse in gratia, vnde illa magis lateat q̃ fides, cum vtraq; supernaturalis qualitas sit, & à Deo gratis donetur. Et quia scripturæ sanctæ & veteres Patres de fide loquentes absolute, de fide viua, vt aiunt, semper intelligunt, verbum Augustini. Fidem suam quisq; videt in corde suo esse, si credit: vel non esse, si non credit: putant non esse restringēdum ad fidem informem. Hæretici vero certitudinem gratiæ ex certitudine fidei comprobant, quia fide existimant apprehendi & obtineri iustitiam, & fidem secum omnia bona afferre, atq; adeo ad iustificationem vel solam sufficere. Et in hoc propositum abutuntur Protestantes in art. 5. Confes. Augustanæ. & Philippus frequenter in apologia ipsius, verbis illis Pauli, *Ideo ex fide, vt secundum gratia firma sit promissio omni semini.* Nam si præter fidem aliquid aliud requireretur ad iustitiam, non esset, inquiunt, satis firma promissio iustificationis. Qui etiam propter hoc gloriantur, se adinuenisse viam nouam pacandi conscientias. Si enim ab operibus penderet nostra iustificatio, incertum esset beneficium iustificationis: Quippe de operibus nostris non sic certi esse possumus, qualia & quam perfecta sunt, ac potest esse nobis certa & indubitata fides nostra.

Aug. 11. de Trin. c. 1. & de vid. Deū, ad Paulin.

Roman. 4.

Respon. ad Catholicos. Verum catholicorū argumenti infirmitas duobus ex capitibus ostendi potest. Ignotior enim est caritas q̃ fides, neq; potest cuiquā per fidē cōstare sua fides infusa. Quod ignotior sit caritas, quam fides, inde approbari valet, quia præcellentior est, & plura ad sui acquisitionem & conseruationem requirit. Potest namq; per quodcunq; peccatum mortale amitti, neq; raro etiam præter conscientiam habentis deperditur. Fides vero nunquam à fideli amittitur, nisi ob crimen hæresis vel apostasiæ, quæ omnibus ipsis obnoxijs notæ sunt. Notiores etiam sunt nobis actus intellectus, quam voluntatis: & frequentius contingit decipi in actibus voluntatis, quam in actibus intellectus.

Ignotior caritas quàm fides.

Vnde & ipsi, qui hoc argumēto vsi sunt, maiorem & pleniorem certitudinem fidei infusæ concessere, posse à nobis haberi, quam gratiæ. & nonnulli defendētes incertitudinem gratiæ, certitudinem tamen fidei affirmarunt. Sed nemini posse certum esse per fidem, quod habeat fidem infusam sic possumus persuadere: Nemini datur fides infusa, quin detur & gratia, vt supra lib. 7. capit. 28. cum S. Tho. & Doct. Subtili cōfirmauimus. Ergo cum nemo possit certo scire, se gratiam Dei esse consecutum, nemo etiam certo sciet se habere fidē infusam.

Nemini est satis certa sua fides infusa.

Ad hæc: Omnes actus fidei, quos in nobis experimur, possunt esse ab intellectu nostro cum habitibus acquisitis, & auxilio Dei speciali. Cum autem aliquis effectus à qualibet duarum causarum ex æquo potest procedere neutra illarum ex eo potest conuinci. Substantiam quidem fateor nos certo cognoscere & videre per sua accidentia & Magistratū videre, cum intuemur ipsius fasces. Et, si licet parua componere magnis corpus & sanguinem Domini vere dicit populus Christianus se videre, cum videt species sacramentales, quibus illa ex lege Dei inseparabiliter sunt coniūcta, & Christus verissimè dixit secundum S. Thom. in Ioan. Apostolos suos vidisse patrem, quia viderunt Christum in quo erat pater.

Veruntamen, cum nulli actus fidei necessario requirant fidem infusam, & aliunde omnes ipsi proficisci queant, etiam de lege, nescio quomodo aliquis recte defendere queat, se per actus fidei videre ipsam fidem infusam. Et quanquam non ignoro, grauissimos authores verba Augustini citata, etiam ad fidem infusam retulisse, & ex pietate debita Augustino, vel sic conatos

tos fuisse ostendere, vera illum scripsisse, tamen mihi dubium non est, immo neque dubitare possem, si vellem, quin Augustinus de solo actu fidei locutus fuerit. Non enim habitum fidei infusæ, sed actus, firmissima & certissima scientia & ipsa clamante conscientia tenemus. Neq; aliquis ita hactenus desipuit, vt de habitibus infusis perinde loquatur, ac Augustinus de visione & certa experientia fidei sæpe locutus est. Quod nunquam ille sane fecisset, si de habitu fidei infusæ, & non potius de actu loqueretur. Siquidem habitus infusi per solam fidem innotescunt. Et quod dicitur, tam ipsum quam alios patres antiquos, de viua fide semper intelligere, quæ de fide absolute tradiderunt, tam longe est à vero, quã quod maximè. Idq; apertissimis eorum testimonijs in libro decimoquarto ostendemus.

Expositio duplex asse- rtium certitudinem de fide in fusa, c. 25.

Quod si apud aliquos graues authores legamus, certos nos esse de fide nostra infusa, ad certitudinem, quã habemus pẽ fidẽ de habitu fidei infuso fidelibus ad credendum illa verba referenda sunt, & non ad certitudinem de ipsa infusa alicui particulari personæ, quia nulla talis certitudo haberi potest. Et hoc modo Scotum nostrum esse exponendum, supra ex ipsius verbis ostendimus. Possemus etiam dicere, eos non de certitudine per fidem illa scripsisse, sed de certitudine morali, quæ de hoc haberi à quolibet fideli potest. Quoniam enim de nullo Christiano est verisimile, quod nunquam habuerit gratiam, cum videat quiuis Christianus se credere, & certo scire possit, se nunquam à fide orthodoxa pertinaciter deuiasse sciet etiam poterit probabiliter, & absq; vlla formidine assentiri, se habere fidem. Et sic exponerem ipse Sanctum Thomam prima parte, quæstione octuagesima septima, articulo secundo ad primum, dicentem per ipsi fidem ab eo, in quo est, per interiorem actum cordis, hoc est, per hoc quod credit. Nam alioqui constare non poterunt inter se omnes ipsius de hac opiniones. & vt vere dixerit percipi fidem, satis est hæc qualisqualis fidei cognitio ex interioribus fidei actibus, clare & manifestissime cognitis. Vnum hic tamen cuperem diligenter animaduerti ab omnibus pijs, qui vsque ad definitionem Concilij, fauendum censuerunt certitudini fidei de gratia. Hoc autem est, vel eo nomine abstinere debere omnes Catholicos ab asserenda huiusmodi certitudine, præsertim propter certitudinem fidei, quia omnes hæretici nostræ tempestatis, quos mihi contigit legere, constanter hanc certitudinem docẽt, & hoc argumento vtuntur, atq; huic sententiæ sæpe innituntur ad statuẽda alia perniciosa sua dogmata, ac fortassis ipsius fiducia pertinacissime hærent suis erroribus, & viam salutis quærere negligunt. Danda vero opera est, sicut & ante nos sancti patres nostri monnuerũt, vt non solum in opinionib. & argumentis hæreticorum, sed ne in voculis quidem, quãtum salua veritate fieri poterit, cum illis conueniamus. Et profecto aut ego male noui ingeniũ hæreticorum nostri temporis, aut ipsi nunquam defendissent, posse esse quenquã certum ex fide de sua iustificatione, nisi credidissent, fide sola apprehendi posse iustificationem. Neq; solum cõueniunt cum Protestantib. in sententia & principio aliquo suorum errorum, qui asserunt huiusmodi certitudinẽ omnibus iustis possibilem: sed & affine est eorum dogma errori Catharorum, qui ab eo quod se mũdos asserebant, Cathari appellati sunt. Hoc est enim Græce catharos, quod mundus Latinè. Et qui se iustos audent credere vel asserere, velut certum certitudine fidei, vtiq; & mundos se credunt, & pronunciant. Diligit enim DEVS omnes iustos, & neminem immundum diligit.

Ne inveceutis quæ cum conueniendum cũ hæreticis.

Affinis error Catharorũ & Begardorum, ergo certitudine gratia.

Neque Begardi & Beguinæ docuissent, & secutati fuissent pestilentes errores de libertate ab humana obedientia, & exercitijs virtutum, & cæremonijs consuetis in Ecclesia, damnatos ab Ecclesia in Clementina, Ad nostrum de hæreticis, si credidissent, nemini posse esse certam ex fide suam iustitiam, aut perfectionem. Vel hac igitur causa, vt aditus obstrueremus omnibus istis venenosis opinionibus, communi consensu debuissemus semper oẽs catholici com-

munem ſectari viam de incertitudine fidei de noſtra iuſtificatione.

Quid tamen & argumento hæreticorum reſpondendum ſit, interim videamus. Tota illorum collectio huic errori innititur: Reſol. ad hæret. Fides ſola ſufficit ad iuſtificationem. Vt ergo irritam & inanem eam oſtendamus, nihil eſt opus aliud, quam hoc eorum principium negare. Mox enim, velut domus vitioſo fundamento innixa, tota corruet.

Et mirandum eſt quidem de Proteſtãtibus, quod cum iam ab hac inſania reſipuerint, & contra ſuum magiſtrum Lutherum pœnitentiam docuerint neceſſariam eſſe ad iuſtificationem peccatoris, ita nũ adhuc ſuadere certitudinem gratiæ conentur ex certitudine fidei, quæ ſola ſecundum eos ad obtinendum gratiam ſatis non eſt. Quæ poteſt eſſe contradictio, ſi hæc non eſt?

Non ſufficit ad iuſtitiam perſuaſio iuſtitiæ. Quanquam autem hunc errorem, quod fides ſola iuſtificat, ſatis ſuperq; cap. 17. expugnatum dedimus, præterea ſi fides accipiatur, ſicut ipſi accipiunt, pro certa intellectus perſuaſione de noſtra iuſtitia: tamen adhuc magis libet hic in illum pugnare, ſi quo modo poſſimus facere, vt aliquãdo tandem plene ſuum errorem agnoſcãt, & eum abſque vlla circuitione fateantur.

Argum. 1. Et primo quidem libenter illos rogauerim: Quis ſic artis alicuius factus eſt compos, quis ſic virtutis, aut doni cuiuſpiam, aut gratiæ quia illam certo ſibi perſuaſit ſe habere? Impedimentum ſolet hæc perſuaſio eſſe ad ea acquirenda, quæ non habemus: non adiumentum, aut medium aliquod commodum. Quis enim ſtudeat habere, quæ ſibi certo perſuaſit ſe habere? Et ſi ad minora bona comparanda perſuaſio iſta vtilis non eſt, ſed nociua, & plus obeſt quidem quam prodeſt: cur ad gratiam obtinendam, quæ ſummum eſt bonorum huius vitæ, vtilis & commodiſſima, imo etiam neceſſaria exiſtimetur? Certe de ipſa minus hoc erat credendum, quam de alijs bonis. Nam aliena magis à vera iuſtitia vide[illegible] Rectiſſimeq; dixit [illegible] *Hæc hominibus ſo-*

nam eſſe nouam, & de hoc non ſemel gloriamini, quod adinueneritis viam, qua pacificas & quietas poſſitis reddere conſcientias. Eccleſia autem catholica ex mandato Innoc. 3. in c. Cum ex iniuncto. de hæreticis. hoc habet, vt non recipiat doctrinæ nouæ prædicatores, niſi vel ex miraculis, vel ex ſacris literis ſe miſſos ad eam prædicandam oſtendant. Aut ergo alterutra iſtarum viarum veſtram miſſionem comprobate, aut ab ea diuulganda & confirmanda abſtinete, ſi vos filios Eccleſiæ catholicæ, quæ vos genuit, haberi vultis. Et vobis non mirũ præcipue hæc incumbit probatio, quoniam perſæpe aſſeruiſtis, nullum eſſe dogma recipiendum, quod non queat approbari ex ſacris literis.

Dicetis, vobis ſatis eſſe illa verba Pauli: *Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſ-* Rom. 4. *ſio omni ſemini.* Sed ibi non de fide, qua ſe crediderit iuſtum Abraham, Paulus agit, neque de promiſſione iuſtificationis alicuius in particulari ſed de fide, qua Abraham credidit promiſſioni illi, ad communem fidelium ſalutem ſpectãti, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et diuerſiſſimũ eſſe Pauli ſenſum ab eo, in quem ipſi detorquetis, in opuſc. de iuſtificatione, quæſtion. 1. ad 1. copioſe diſſerui. Sed quoniam abundare oportet iuſtitiam noſtram, quando ipſi ne vno quidem apparenti argumento ex ſcripturis veſtram ſententiam poteſtis comprobare, nos vobis vltro oſtendamus loca, vbi iam olim Spiritus ſanctus, vt à tanto caueremus errore, palam admonuit. Iob Iob 9. inquit: *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* Non igitur ſatis ad iuſtitiam perſuaſio iuſtitiæ.

Salomon item dicit: *Eſt via, quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem illius ducunt ad mor-* Prou. 14. 12. & 21. *tem.* Et rurſus: *Via ſtulti, recta in oculis ſuis.* Et iterum: *Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda Dominus:* vel, ſicut alij tranſtulerunt, *Omnis vir ſibi videtur iuſtus, reſpicit autem corda Deus.* Quid vero eſt dictu, *Appendit,* ſeu *Reſpicit autem corda Deus?* Profecto non aliud, quam ſi apertius diceretur: Non ſic autem eſt in oculis Dei, qui vniuſcuiuſ[illegible] optime nouit. Multi enim ſe iuſtos

ſtos eſſe, & recte incedere in via Dei, exiſtimant, & quidem firmiſſime, & tamen nequam & iniuſtiſſimi ſunt in conſpectu Dei.

Et nonne hoc manifeſtum nobis fecit Christus in Phariſæo, qui gratias agebat, quod non eſſet ſicut cæteri? Ille quidem iuſtum ſe indubitanter credebat, & tamen non ille ſed publicanus, qui nihil tale ſibi de ſe perſuadebat, à templo deſcendit iuſtificatus. Illi etiam, quos dixit Christus Apoſtolis arbitraturos obſequium ſe præſtare Deo, dum eos interficerent, ſe quoque credebant iuſtos: quod tamen longe abeſſent à iuſtitia, confeſtim explicuit, adijciens: *Sed hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Idemque oſtendit & in fatuis virginibus, & in illis, quos in iudicio reprehendos aſſeruit, tametſi multas virtutes à ſe in nomine Christi factas allegaturi erant. Neque hac iuſtitiæ perſuaſione carebant tumidi illi & ſuperciloſi Iudæi, quibus teſtimonium perhibebat Paulus, quod æmulationem quidem Dei haberent, verum & illos iuſtos non fuiſſe, optime declarauit, cum ſubdit: *Ignorantes enim iuſtitiã Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.*

Matth. 25.

Rom. 10.

Quare pulchre, vt aſſolet Bernardus in ſermone de beata Magdalena, qui à pleriſque nomine ipſius legitur, oſtendit primo neceſſarium eſſe peccatori, oſculari duos pedes Domini, miſericordiam & iuſtitiam: & alterum ſine altero oſculari, vel temerariam eſſe ſecuritatem, vel deſperationem fugiendam. Deinde ad confutandum hunc errorem propius accedens, ſic ſcribit: *Fallitur, qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat, hoc ſolum ad ſalutem ſibi ſufficere credens, quod credit.*

Et merito hanc certitudinem, vanam aſſeruere Patres, & ab omni pietate remotam. Vana ſiquidem eſt, quæ pollicetur ſcientiam iuſtitiæ & virtutem ad iuſtitiam, cum vtraque plane careat. Et ab omni pietate eſt remota, quia omnia pia ſtudia enervat & irritat, & tumidos, arrogantes, & aliorum contemptores, & ſegnes ad curandum propriam ſalutem homines facit. Adeoque falſum eſt, & ſacris literis & lumini naturali diſſonum, quod quiſquam iuſtificetur hac ſola perſuaſione certa & fiducia de ſua iuſtitia, vt ſi bene expendamus verba ſanctæ Synodi in principio ca. huius, quod modo exponimus, ex eis non obſcure colligi poſſe videbimus, neminem poſſe hoc ignorare inuincibiliter, & vel hoc nomine poſſe quemuis merito credi eſſe in peccato, quod eam fidem & fiduciam ſufficere ad iuſtitiam perſuaſus, remedia alia ad iuſtitiam neceſſaria ſibi comparare non ſtudet. Nam ſi poſſet quiſpiam inculpabiliter in hoc errare, & ab ignorantia probabili excuſari, non recte prohibuiſſent Patres in generali, ne cuipiam dicamus remiſſa peccata qui huiuſmodi certitudinem & fiduciam iactat, & in ea ſola quieſcit. Et quippe, qui nulli alij peccato obnoxius eſſet, & hunc errorem ignoraret inculpabiliter tuto poſſemus dicere, remiſſa eſſe ſua peccata. Sed de his hactenus: pergamus ad aliud argumentum.

CAPVT XXXVIII.

Ex Certitudine Spei, non recte colligitur certitudo gratiæ.

QVIA Spes ex communi Doctorum definitione, nihil aliud eſt, quam certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis & gratia: & inde quoque nonnulli certitudinem gratiæ adſtruere conantur. Qui enim, aiunt, certo ſperare quimus beatitudinem, quæ ſolis iuſtis eſt danda, niſi certo ſciamus nos eſſe iuſtos & in Dei gratia? Et vſque adeo forte hoc argumentum cuidã viro pio iuxta ac docto, eſt viſum, vt & noſtrum decretum fauiſſe certitudini gratiæ crediderit, quia in canon. 26 ſtatuit iuſtum debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem. Nam cum Patres manifeſte ibi loquantur de præcepto, quo ex iure diuino debent iuſti pro bonis ſuis operibus ſperare beatitudinem, pro certo, ait, & conſtanti reliquiſſe videntur, iuſtos poſſe agnoſcere ſe iuſtos eſſe, & bona aliqua o- Quæſtio.

pera

pera meritoria æternæ vitæ fecisse. Si enim hæc ipsis ignota essent, implere hoc præceptum non possent, immo neque agnoscere, an ad ipsos spectaret. Quemadmodum si præceptum aliquod imponeretur natis septimo mense à sua conceptione, qui nosse non valerent, an septimestres essent, neq; scire possent, an ad se tale præceptū pertineret. Cum igitur sancta Synodus explicuit, iustum debere sperare, hoc ipso docuit iusto posse innotescere suam iustitiam.

Responsio. Toto tamen cœlo errant, qui ex certitudine spei, certitudinem fidei de gratia suadent. Eademque opera, immo plane facilius & efficatius suadere possent certitudinem fidei de gloria. Nam spes, certa est expectatio beatitudinis, nō cognitio aut persuasio certa de gratia. Sicut vero non requiritur certitudo de gloria à nobis obtinenda, sed satis est, certo scire eam nobis esse possibilem: & probabile esse, eam nos assecuturos, vt certo illam speremus: ita neque requiritur certitudo gratiæ, ad certam spem beatitudinis, sed satis erit probabilis persuasio de gratia. Quin neque ista persuasio necessaria est ad spem. Si quidem & peccatores vere possunt sperare. Et satis omnino siue ad spem, siue ad fiduciam est, certo scire nobis possibilem esse beatitudinem & probabile esse, nos omnia tandem cum Dei adiutorio facturos, quæ necessaria sunt, vt illam obtineamus. Quippe cum spes dicitur esse certa expectatio beatitudinis, non certitudo absoluta affirmatur, sed conditionalis duntaxat, si quidem vel in gratia cursum huius vitæ compleamus, vel per nos non steterit, quo minus eam assequamur. Et hanc spei certitudinem conditionalem explicuere Patres in cā. 26. cum iustos dixerunt debere expectare æternam retributionem, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo, vsque in finem perseuerauerint.

Non requiritur certitudo intellectus ad spem.

Argum. 2. Atque ista ad spem sufficere ex his, quæ in humanis expetimus, non est operosum multo, approbare. Etenim qui sperat se tādem consequuturum gratiam regis, & obtenturum apud eum remissionem scelerū, quæ in ipsum patrauit, sperare etiam potest & munera, quæ & illis solet prestare, qui sunt in ipsius gratia. Neque ad hæc certitudo vlla requisita est de gratia vel amicitia regis obtenta, vel obtinenda, sed satis est, probabilis quædam & verisimilis persuasio de illa obtinenda. Quis etiam negat, nos vere posse sperare, etiam si non satis certi simus de nostra iustificatione? Nunquid repellentur à spe, qui nondum peruenerunt ad certitudinem fidei de sua gratia? Deinde: Si sperare non potest, qui non est certus de sua gratia, cum omnes teneamur sperare, omnibus in præcepto erit certitudo de sua gratia. Quod supra & falsum, & merito damnatum à sancta Synodo, luculenter ostendimus. Porro iustorum spes multo verior, solidior & augustior est, quā spes peccatorum, quæ, nisi ad Deum conuertantur, tanquam glacies hybernalis tabescet. Attamen & peccatorum spes, spes est, & vere illi possunt sperare beatitudinē, quando quidem sperare possunt gratiam: & qui sperat gratiam, sperat ex consequēti gloriam. Neque tenerentur statim ad faciendam perfectam pœnitentiam, quæ eos restitueret gratiæ, licet occurreret tempus, in quo ipsi propter graues aliquas tentationes occurrentes, aut propter aliam causam tenerentur sperare: Et alias frustra maneret, ex sententia omnium Theologorum, in ipsis spes. Cur enim maneat, vbi actum non potest habere? Neque admittendum est, præceptum spei peculiariter datum esse iustis. Cur enim eis credamus impositum esse præceptum de sperando beatitudinem, quod non habeant peccatores, cum ad fidem, baptismum, pœnitentiam, & alia nouæ legis præcepta & iusti & peccatores cōmunibus præceptis adstricti sint?

Argum. 2. Argum. 3. Possunt peccatores sperare. Præceptum spei cōmune est iustis & peccatoribus.

Expositio can. 26. Quamuis autem, vt bene perpenditur, in canone illo 26. sancta Synodus non cum peccatoribus agat, sed cum solis iustis, neque tamen peccatores exclusit à præcepto spei. Nouerat neque diuinum, neque humanum ius, præceptum aliquod direxisse peculiariter ad iustos. Sed & si hoc factum esset, neque inde colligi valeret, iustos certo posse cognoscere suam iustitiam: Sufficit namque probabiliter nosse septimo nos men-

mense natos, vt teneamur ad præcepta imposita septimestribus. Et in multis humanis præceptis ostendere possemus, probabilem cognitionem aliquarum conditionum vel circunstantiarum, satis esse vt adstricti simus, vel merito nos existimemus adstrictos ad præcepta, quæ solis illis imposita sunt, in quibus tales inueniuntur circunstantiæ.

Sic ad ieiunium Quadragesimale tenentur, qui probabiliter credunt se compleuisse annum suæ ætatis vigesimum primum: sic ad castitatem tenentur sacerdotes occidentales, & ad eam & obedientiam & paupertatem religiosi, tametsi neque ordinatio sacerdotum, neque professio religiosorum certa sit, nisi certitudine fidei humanæ, quia pendet ex voluntate aliorum, quæ nobis hac sola certitudine est certa. Atque eadem ratione, & hæc humana cognitio possibilis nobis de nostra iustitia, & de meritis nostris sufficere potuit, vt vere diceret Concilium, iustum debere sperare pro suis bonis operibus æternam retributionem.

Obiectio. Dicis: Concilium declarat præceptum, quo iusti tenentur sperare: & cum iustis agit, nō cum ijs, qui se probabiliter noscunt iustos. (Responsio.) Quis tibi hoc negat, ô bone? Verum enim quemadmodum, licet certum sit certitudine fidei catholicæ, immo etiam euidens, iustum debere sperare, tamen non oportet, vt tu recte dicis, iustos posse agnoscere suam iustitiam euidenter, aut certitudine fidei catholicæ: ita & nobis concede, vt dicamus, neque expleant iusti hoc præceptum, requiri, vt se infallibiliter cognoscant iustos, sed satis esse humanam quandam certitudinem de sua iustitia.

Obiectio. Atenim Concilium cum iustis loquitur.

Responsio. Fateor. Sed non possunt cognoscere hoc ad se spectare, nisi qui probabiliter, vel certe moraliter cognoscunt suam iustitiam. Sicut & præceptum Quadragesimale loquitur quidem ijs, qui vere expleuerunt vnum & viginti annos: sed nemo potest nosse ad se spectare, nisi per probabilem aut certam suæ ætatis cognitionem humanam. Et præcepta omnia Ecclesiæ loquuntur cum baptizatis, & ad eos solos vt plurimum diriguntur, & tamen qui sumus baptizati in ætate infantili, scire non possumus, nos esse baptizatos, nisi certitudine fidei humanæ.

Quod si omnes qui se probabiliter credunt iustos, vere iusti sunt, vt tu existimas, minus certe causæ habes, vt reprehendas illos, qui dicerēt Concilium ad eos sua retulisse verba, qui se probabiliter iustos credunt. Nam & hi quoque secundum te iusti sunt. Et qui ad hos dicit Concilium direxisse suum sermonem, ad iustos vtique dicit eum esse directum.

CAPVT XXXIX.

Ex certitudine caritatis nostræ in Deum, aut pœnitentiæ, non potest colligi certitudo fidei de gratia.

FORTIVS vero, ac sane apparentius, certitudo gratiæ approbatur ex certitudine, quam possumus habere de nostra in Deum dilectione, ac pœnitentia nostrorum peccatorum. (Obiect. 1.) Cum enim ex fide certum sit, hæc sufficere ad consequendam gratiam, & de his possit nobis quandoque certo ac plane euidenter constare, liquere & ex consequenti per fidem poterit, nos esse tum vere in Dei gratia. Aliter etiam, & quidem nō minus apparenter, quidam idipsum conficere se putant. Quia certum est ex fide, omnem facientem quod in se est ad obtinendam gratiam, consequi illam. Et certum potest nobis esse, immo etiam euidens, nos facere aut fecisse, quod in nobis est, ad assequendam gratiam. Potest enim & alijs rebus, quas habere cupimus, hoc constare: Et cum Deus omnes obligauerit ad faciendum quod in se est, necessarium videtur concedere, posse cuicunque hoc constare. Alioqui non de cuiuscunque mandati diuini transgressione vel impletione poterit nobis constare. Quod contra bonitatem & suauitatem Dei est, & vehementer derogat præceptis diuinis, quæ luci-

Respons. 1 lucidissima & apertissima sunt. Hoc argumentum dissoluebant nonnulli, dicentea, non esse certum ex fide, quòd facientibus quod in se est, aut diligentibus Deum, vel suorum peccatorum pænitentibus Deus det gratiam.

Impugn. Sed hoc quid potest dici aut absurdius aut magis impium? Recipit Deus omnes confugientes ad se. Et nemo melius aut verius in ipsum confugit, quàm qui facit, quod in se est, vt ipsius gratiam obtineat, quiq; verè diligit ipsum, & de omnibus in eum patratis offensis, seriò & ex animo dolet. Et ne sic quispiam de humanissimo & benignissimo omnium Domino sentiret, in Deuteronomio palàm dixit: *Cumq́, quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies illum, si tamē toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* (Deut. 4.) Et per Salomonem: *Ego diligentes me diligo.* (Prou. 8.) Et sæpe per Prophetas: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* (Zach. 1.) Et apertius in Euangelio: *Si quis diligit me diligetur à Patre meo.* (Ioan. 14.) Sed hæc satis in præsentia. Nam alia, quæ hunc magnum & intolerabilem errorem reuincere magis possunt, in lib. 13. placet differre.

Respon 2. Alij hoc argumentum enodare se existimant, dicentes, fidem non se extendere ad obiecta, quæ sunt in facti contingentia, nondum approbata ab Ecclesia.

Impugn. Sed hoc non est argumentum enodare, sed fortius & magis perplexum, atq; vt ita dicam, nodosius reddere. Nonnè ante approbationem Ecclesiæ fides in Prophetis se extendebat ad assentiendum multis factis contingentibus sibi à Deo reuelatis? Numquid non etiam per fidem quisq; potest & debet assentiri se esse in gratia, vbi Deus hoc ei reuelaret? Quid opus est approbatione Ecclesiæ, vt assentiamur illis, quæ scimus à Deo esse reuelata? Annon peccatores per fidem credunt, se esse in odio Dei, & extra gratiam ipsius, cùm sibi conscij sunt perseuerare se in affectu peccati mortalis? Annon Patres in Cōcilio generali per fidem sciunt, illud esse legitimum & generale Cōcilium, priusquam eam propositionem definiant?

Respon. 3. Alij hoc argumentum diluere tentârunt, dicentes ex vna de fide, & alia cognita euidenter, inferri non posse conclusionem de fide. Quod & hac ratione approbabant: Certitudo fidei maior est, secundum Sanctum Thomam, & Scotum & alios, certitudine euidentiæ, idque non tantum, vt quidam vir doctus Thomam interpretatur, secundum se, sed etiam quoad nos, & ex parte nostri intellectus & affectus. Certius namque & firmius reuelatis à Deo assentimur, quàm expertis & demonstratis. Quod quidem partim à maiore propensione affectus nostri proficiscitur, partim à pleniori Dei auxilio & concursu fidei infusæ.

Cum igitur conclusio certior nequeat esse præmissis, ex quibus infertur, Conclusio illata ex vna credita & alia euidenti, nō erit certa certitudine fidei. Et hac fortassis respexit Ioannes Bachonis, cùm dixit istam propositionem, Ego sum in gratia, non esse certam de fide, sed posse esse certitudine consequente fidem. Neque alió videtur tendisse quidam vir doctus, qui dixit, non censendam esse de fide, sed naturalem potius propositionem, quæ inferri nequit ex reuelatis, non adiuncta vna naturali. (Certa est ex fide, cōclusio illata ex vna credita & altera euidenti.) Verùm ipse adduci in hanc sententiam nullatenus possem neque dubitare, si maximè cuperem, valerem, quin mihi certum esset ex fide, me esse in gratia, siquidem hoc colligere possem ex vna credita & altera mihi euidenti. Et hoc ita esse, sic suadeo: Primo, Multæ sunt propositiones de fide, quæ non aliter possunt probari esse de fide, nisi quia sequuntur euidenter ex creditis, cum aliqua saltem propositione euidenti secundum lumen naturale. (Argum. 1.) Et potest hoc ostendi in multis propositionibus de Deo & de Christo, quæ ab omnibus fidelibus hac ratione recipiuntur vt certæ, & oppositæ censentur hæreticæ, vt patet de istis: Deus est incorporeus, Deus est immaterialis, Deus est infinitæ virtutis: Christus habet cor, Christ⁹ habet phlegma: Christus secūdum corpus & secūdum animam, & omnia in eis contēta, est sub vtraque specie sacramenti Eucharistiæ. Christus sine substantia panis & vini, est sub speciebus panis & vini, & similibus. Huiusmodi enim propositiones non sunt expressæ in Scripturis, sed ex contentis in eis euidenter deducuntur, saltem cum vna euidenti secundum lumen naturale.

Argum. 2. Quare & Scotus noster peculiariter ostendit hanc propositionem esse de fide, Pater differt realiter à filio, quia infertur ex ista naturaliter euidenti, Omnis generans realiter differt à genito: & ex ista de fide, Pater est generans, & filius est genitus. Idemque patet de propositionibus, quæ dependét à diffinitione Conciliorum generalium, vel Papæ. Omnes enim illæ supponunt istas propositiones: Hoc Concilium est legitime congregatum, Hic Papa est rite & canonice electus. Quæ quidem non sunt reuelatæ, sed euidenter cognitæ, atq; ideo & postea diffinitæ, & vt certæ ex fide receptæ ab illis, qui non habuerunt de earum veritate euidentiam. Et ipsæ propositiones, quæ expresse & formaliter continentur in Scripturis, saltem ad acquisitionem fidei earum, videntur in nobis requirere certitudinem istius euidentis: Ecclesia diffinit has esse canonicas scripturas, & pro talibus eas recipit. Non est enim vt plurimum, vnde aliunde nobis constet certo, eas esse sacras scripturas, & indubitanter, vt talibus, credendum esse in eas contentis, vt incipiamus talem & tantam fidem ei adhibere.

Secundo: Si Petrus baptizet aliquem infantem secundum formam Ecclesiæ, erit ei certum ex fide, infantem illum esse in gratia. Et hoc non ob aliud, nisi quia illa sequitur euidenter ex ista credita, Omnis baptizatus, non ponens obicem baptismo, est in gratia: & ex euidenti, Iste infans est baptizatus, & non posuit obicem.

Argum. 3. Tertio: Propositio illata ex vna credita, & alia euidenti, est certa & ineuidens, & assensus illius est certus & ineuidens. Quid ergo illi deest, quo minus censeatur esse de fide? Certa quidem est, quia sequitur ex certis. Ineuidens autem est, quia conclusio sequitur semper debiliorem partem. Et sicut in certitudine exuperat fides scientiam, & certitudo scientiæ, comparata ad certitudinem fidei, imperfecta est: ac propterea conclusio illata ex vna de fide & alia euidenti, non est ita certa, ac præmissa de fide: ita in claritate exuperat euidentia fidem, & imperfectio est: & debilitas fidei, ... ac propterea necesse est, vt ineuidens sit conclusio illata ex vna euidenti, & alia de fide.

Quarto: Qui pertinaciter dubitaret de propositione illata euidenter ex vna credita, & alia euidenti, esset hæreticus. Dubitans enim de consequente, quod scit inferri euidenter ex aliquibus præmissis, necesse est dubitet de altera earum: & cum non possit dubitare de euidenti, neque de consequentia, quæ etiam est ei euidens, dubitaret de credita. Ergo illa propositio, quæ infertur ex vna credita, & alia euidenti, ab omnibus censenda est & credenda ex fide. Argum. 4.

Neque debet quenquam mouere argumentum in contrarium factum. Primo enim non est necesse, omnes assensus de fide, concedere esse pares in certitudine. Quoniam quidam solum sunt de fide, quia inferuntur ex alijs, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt habet regula Posterioristica. Et cum dicitur assensus fidei certior esse quocunque assensu scientifico, vel euidenti, non summe, limitari potest hoc ad assensus fidei, qui non pendent à propositionibus scientificis, vel euidentibus. Nam quia conclusio certior esse nequit suis præmissis, quatenus ab eis pendet, consentaneum videtur, vt propositiones, quæ solum sunt de fide, quia inferuntur ex vna de fide, & altera euidenti, non sint certiores illa euidenti, à cuius certitudine pendet sua certitudo. Deinde: Eo ipso, quod agnoscitur à nobis aliqua propositio euidenter sequi ex vna credita, & alia euidenti, quia mox agnoscitur esse de fide, & consequenter inniti reuelationi & veritati infallibili; nos ei certius ex pia affectione assentiemur, quam propositioni euidenti. Et assensus illius partim à pia affectione nostra, partim à fide infusa accipiet aliquos gradus certitudinis præter illos, quos haberet ex præmissarum & consequentiæ certitudine, & per eos exuperabit certitudiné propositionis euidentis. Itaque ex hac parte nihil illi deerit, quo minus censeri possit esse de fide. Respons. 1. ad arg. 1. respon. 3. Respon. 2.

Atq; hoc modo possent omnes propositio-

sitiones siue assensus de fide, defendi æqualiter esse certi, sicut & in nobis videmur experiri. Non est enim inconueniens, conclusionem esse æqualiter certam, aut certiorem, quam sint principia, ex quibus infertur, si ab extrinseco, & aliunde quam ex præmissis, habeat aliquos gradus certitudinis, per quos exæquet, aut vincat certitudinem eorum, sicut continget in proposito, propter concursum fidei infusæ, & piæ affectionis ad assensum conclusionis.

Replica. 1. Dicet aliquis: Certum ex fide, non pendet à propositione, cui possit subesse falsum. Sed certitudine euidentiæ non summæ potest subesse falsum. Per hoc enim differt euidentia non summa, à summa: quia nemo potest decipi assentiēdo summe euidentibus, potest vero subesse deceptio in assensu euidentium non summe.

Responsio. Verum hæc obiectio procedit ex praua intelligentia differentiæ, quæ est inter euidentiam summam, & non summam. Non enim differt euidentia non summa à summa, quia per euidentiam non summam possit quis decipi. De ratione enim euidentiæ cuiuscunq; est, per eam non posse quenquam decipi, neq; possibile est, vt quod euidens est, falsum sit. Et quicunq; euidentiam habet de aliqua veritate, certus est non se decipi in assensu illius. Differt autem euidentia non summa, à summa: quia euidentia summa, est de propositionibus, quarum significata non contingit aliter se habere, & in quarum assensu nemo potest decipi: Euidentia autem non summa, est de eiusmodi propositionibus, quæ falsæ possunt esse, & in quarum assensu quis potest decipi, etiam cum putat se habere de eis euidentiam. Quemadmodū vero non est inconueniens, aliquas propositiones esse de fide, quæ quidem secundum se possunt esse falsæ, sed non quatenus subsunt diuinæ reuelationi, ita neque incommodum vllum censeri debet, si dicamus aliquas propositiones de fide, pendere ab aliquibus propositionibus euidentibus non summe, & ex consequenti falsificabilibus. Non enim dicimus pendere ab eis, nisi cum sunt euidentes. Et licet ex se possint esse falsæ, non tamen vt euidenter innotescunt, & euidentiæ subsunt. Sed vrgebis adhuc:

Euidentia summa, alia est à non summa.

Repli. 2. Quanquam qui habet euidentiam alicuius propositionis, certus sit in assensu illius non se decipi, tamen si illa euidentia est non summa, & non per demonstrationem, sed per experientiam, certus non est, se non posse decipi in assensu illius. Nouit quippe multos sæpe in similibus assensibus fuisse deceptos, etiam cum sibi putarent eos esse euidentes. Et merito credere debet sibi posse contingere, quod aliis sæpe vsu venit. Et experientia alioqui medium est fallibile, & cui plerunq; subsit falsum. Quare cum propositio de fide talis sit, vt ei nullo pacto queat subesse falsum, non videtur quoquo pacto posse asseri ea propositio esse de fide, cuius veritas pendet ab aliqua propositione cognita duntaxat per experientiam: neq; carere videtur temeritate, si tanta quis firmitate ei assentiatur, quanta aliis propositionibus de fide, quæ vel in se reuelatæ sunt, vel ex solis reuelatis, aut ex reuelatis, cum aliis euidentibus & necessariis consequuntur. Qua enim ex parte ab experientia pendet aliqua propositio, poterit ei, sicut & experientiæ, subesse falsum. Et sicut de experientia, ita nec de conclusione ab ea pendenti certus esse potest, quod non possit per eam decipi.

Responsio. Fortis quidem ac valida est hæc obiectio, & quæ nonnihil merito formidinis cuiuis possit inijcere, ne se credat omnino certum de sua gratia, etiam si sibi videatur videre, & experiri fecisse quidquid in se est ad consequendam Dei gratiam. Atq; huic potissimum argumento inniti deberent, qui credunt posse iustos per fidem certos esse de sua iustitia, sed non tanta certitudine intensiue, quanta est fidei catholicæ, vel quātam haberent, si contingeret ipsis dari peculiarem de ipsa reuelationem.

Assentie ns euidenter, certus est, se non posse in eo assensu decipi.

Verum quo magis, magisq; de hac re cogito, eo incunctantius asserendum esse existimo, eum, qui euidentiam habet, non solum certum esse quod non decipiatur: sed & certum esse, tum non posse decipi in eo, cui assentitur euidenter. Nam per euidentiam, certum est, neminem posse decipi.

cipi. Et si de hoc certus non est, qui assentitur euidenter, vnde certus sit se non decipi? Nonne potest tunc contingere deceptio, quæ asseritur esse possibilis? Si enim exempli gratia, credo in visione huius papyri, in qua hæc scribo, me posse decipi etiam nunc, cum plane video me illam videre: quomodo certus ero, me non decipi? Quin stultum erit indubitatò assentiri, me non decipi, cum non sim alicunde certus, non euenire modò quod contingeret, cum deciperer, sicut asseritur esse possibile. Hoc autē quid aliud est, quam omnē nobis auferre euidentiam & certitudinem de contingentibus, quæ extra nos experimur? Quod ergo dicitur, cognitioni per experientiam posse subesse falsum: de experientia falsa, & non de vera, intelligendū est, vel de cognitione collecta ex experientia, & non de ipsa experientia. Neq; temeritas vlla est, certo assentiri nos neq; decipi, neq; posse decipi in illis, quæ clare & manifesto videmus. Sed temeritas cauenda est, ne quis præcipiti aliquo & cæco affectu putet se videre, quod non videt. Nam si ex hoc, quod alii decepti fuerint, cum viderentur sibi videre, quæ non videbant, velit quis colligere, nos posse decipi in illis, quæ videmus, conficiet etiam, ne certo credamus nos videre, quæ videmus. Et perinde hoc erit, ac si ex eo, quod somniantes, non videmus, quæ putamus nos videre, colligere quis tentet, ne vigilantes quidem ea nos videre, quæ videmus.

Respon. 4. Aliter ergo tandem respondeo ad hoc argumentum: Ideo nemini potest certa esse ex fide vel euidenter sua gratia, quia nemini potest certum esse ex fide vel euidentia, se fecisse quidquid in se est ad obtinendam Dei gratiam, aut ita Deum dilexisse, aut pœnitentiam suorum peccatorum fecisse, sicut opus est. Neq; hoc est tamen, sicut putant quidam, quia nobis ignoti sint nostri actus interiores, aut quia natura cordis nostri hæc sit, vt soli Deo pateat.

Euidentes nobis actus nostri interiores.

1. Cor. 2.

Scit quippe, teste Paulo, *spiritus hominis quæ sunt in ipso*. Neque essent prohibiti aut præcepti actus interiores, neq; interiora peccata teneremur confiteri, si illa non possent nobis constare. Quæ omnia absurda & aperte hæretica sunt. Ideo vero dicimus, nobis non posse satis certo constare, an faciamus, quod in nobis est, & Deum, sicut necesse est, diligamus, quia multa nostris actibus sæpe surrepunt, quæ eos nobis nescientibus vitiant, & inter ipsa bona opera, quæ facimus, permultæ ignorantiæ & errores intercurrunt, vt supra satis ostendimus, ratione quorum, sæpe dum nos existimamus facere quod in nobis est, vere nō facimus. Et quamuis possint nobis constare nostri actus interiores, & scire possimus, quid faciamus, quidq; velimus, & qua ratione & fine id velimus, & ex consequenti nos feruentius & multo maiori tempore doluisse de peccatis nostris propter Deum, quam verisimile sit esse requisitum, & Deum diligere supra omnia, & paratos esse, ac vere in voto habere, omnia prius mala perpeti, quam aliquod ipsius mandatum præterire, tamen neque adhuc satis certi esse possumus, nos facere, quod in nobis est, aut tantam Dei dilectionem aut pœnitentiam habere, quanta exigitur ad habendam remissionem peccatorum. Quoniā cū his omnibus stat, vel per ignorantiam, vel per obliuionem, vel per inconsiderationem obnoxios nos esse alicui peccato, à quo nisi recedamus, nunquam comparabimus Dei gratiam. Acceditq; ad hæc, quod quanquam multi sunt actus, quos habere non possumus sine speciali Dei numine & fauore, & nonnullos probabilius est extra Dei gratiam esse non posse, tamen nullus est actus, vt S. Tho. alicubi tradit, quem certum sit ex fide, non posse secum compati peccatum aliquod mortale per ignorantiam. Atq; ex his manifeste sequitur, nemini posse neq; euidēter, neq; ex fide constare, quod se in Deum conuertat toto corde. Conuersio enim in Deum toto corde, sine gratia Dei stare non potest de lege. Et qui se conuerteret ex toto corde, faceret vtique quicquid in se est. Cum autem dicitur Deus neminem obligasse ad aliquid, de cuius transgressione vel impletione non possit nobis constare, dico satis esse, si possit nobis constare probabiliter

& morali quadam certitudine, an impleamus, vel p æter grediamur diuina mandata: neque requiri, vt poſſimus de hoc habere euidentiam, vel fidei certitudinem.

Omnis tráſgreſſio vel impletio præcepti poteſt conſtare moraliter. Quod omnis tranſgreſſio vel obſeruatio mandatorum diuinorum, nobis poſſit moraliter innoteſcere, neque aliter eorum tranſgreſſiones poſſe nobis ad nouam culpam imputari, his argumentis valemus oſtendere:

Argum. 1. Primo: Inhumanum eſſet, & contra bonitatem diuinam, ad ea, quæ nullo modo poſſunt innoteſcere, obligare.

Argum. 2. Secundo: Omnem omiſſionem, vel tranſgreſſionem præcepti, quæ nobis imputatur ad culpam, tenemur confiteri ex præcepto confitendi omnia mortalia. Non tenemur autem confiteri, quæ nobis nequeunt innoteſcere.

Argum. 3. Tertio: Imputari nequeunt ad nouam culpam, quæ fiunt cum ignorantia inuincibili. Sed ſemper eſt ignorantia inuincibilis quando nobis non poteſt conſtare de omiſſione vel tranſgreſſione præcepti.

Argum. 4. Quarto: Si peccare poſſemus in eo, in quo an peccemus, necne, ſcire non poſſumus: peccare ergo poſſemus in eo, quod vitare non poſſumus. Perinde enim eſt, aliquem obligari ad impoſſibile, & obligari ad aliquid, quod licet ei poſſibile ſit, ſcire tamen non poteſt, an ad illud teneatur, & an illud expleuerit, an prætergreſſus fuerit. Ex æquo enim præter voluntatem noſtram contingent, quæ vitare non poſſumus, & quæ ſcire non valemus, neque poſſunt voluntaria eſſe nobis, quæ ſunt penitus ignota. Et ſi Deus non poteſt præcipere impoſſibilia factu, vel prohibere impoſſibilia vitatu, quia imputari nequeunt ad culpam inuoluntaria, neq; poterit præcipere, quæ non poſſunt ſciri, atq; ideo ſimiliter ſunt inuoluntaria.

Aliquorum præceptorũ impletio, aut tráſgreſſio certa nobis eſſe non poteſt, neq; per fidem, neque per euidẽtiam. Quod vero neceſſarium non ſit, vt per fidem vel euidentiam queat nobis nota eſſe omnis impletio vel tranſgreſſio mandatorum, & Deum ad aliquid obligare, aut ſaltem aliquid requirere pro conſecutione ſuæ gratiæ, de cuius executione, vel intermiſſione nobis non poteſt neq; euidenter, neq; certo per fidem conſtare, ſic poſſumus approbare.

Argum. 1. Requirit Deus dolorem de omnibus peccatis ex toto corde pro cõſecutione ſuæ gratiæ: requirit & carentiam omnis ignorantiæ vincibilis. De iſtis autem non poſſumus certi eſſe euidenter, neque ex fide, vt iam diximus.

Argum. 2. Item: Licet certum ſit apud omnes Doctores, dolorem de peccatis ex toto corde, & propter Deum ſufficere ad conſecutionem gratiæ, tamen cum ſciamus, Deum non obligaſſe ad dolorem intenſiſſimum, digladiantur inter ſe Doctores, qualis ſit & quantus ille dolor de peccatis, quem Deus ſic præfixit & præſcripſit omnibus peccatoribus in præcepto, vt eo poſito, mox reſtituat eos in ſuam gratiam: eo autem non poſito, nequaquam eis reconcilietur.

Argum. 3. Satiſque habemus, hoc eſſe probabilius & communius in ſchola, omnem dolorem de peccatis propter Deum, etiam momentaneum & remiſſum, ſufficere ad conſecutionem gratiæ, ſi aliunde non ſit impedimentum. Et ne hoc putetur durum, aut peculiare quidpiam exiſtimetur eſſe, quod in præcepto pœnitentiæ finxerimus, ad euadendum hoc difficile argumentum poſſumus etiam in alijs præceptis idem ipſum oſtendere. Non eſt enim euidens aut certũ ex fide, quantũ & quouſq; obliget præceptũ ſanctificationis ſabbati: ſed multa ſunt dubia inter grauiſſimos Doctores circa hoc.

Idemque poſſumus oſtendere de præceptis dilectionis Dei & proximi. De quibus etiam tempus, quo obligant, ſub controuerſia eſt. Et vt grauia dubia, quæ ſunt circa obſeruationem aliorum præceptorum decalogi, intermittamus, certe, vt ſtatim c. 41. explicabimus, nulli poteſt euidẽter aut certo ex fide conſtare, ſe eſſe baptizatum vel abſolutum, & tamen omnes non baptizati, tenentur ad baptiſmum: & omnes peccatores baptizati, ad confeſſionem ſacramentalem: & ſic ſtricte tenentur, vt ſi quidem conſtaret alicui, ſe non eſſe baptizatum, aut baptizato peccatori conſtaret, ſe non eſſe abſolutum propter malitiam ſacerdotis baptizantis vel abſoluentis, tenerentur illi vere dare operam, vt iſta ſacramenta rurſus ſuſciperent.

Non

Non igitur in suis præceptis requisiuit Deus hanc exactam certitudinem, vt euidenter nobis posset, aut certo ex fide constare eorum impletio, vel transgressio, neque eousque progressus est in explicatione suorum præceptorum, neque per se, neque per suos Prophetas, vt eiusmodi certitudinem de eorum impletione, vel transgressione possemus habere, sed contentos nos esse voluit humana & morali certitudine. Neque maior perspicuitas aut certitudo requiritur in præceptis humanis, tametsi quantum fieri possit, adniti debeant & Principes, & Prælati, vt euidenter vel certo saltem, sua præcepta, eorumque vis & obligatio innotescere possint omnibus, quibus ea imponunt. Dices: Constare nobis potest per fidem, nullo nos laborare errore in fide. Alioqui neque per fidem certi essemus nos esse fideles. Verum non omnis error, aut obliuio, aut inconsideratio, est error in fide. Neque cum dicimus, non posse per fidem constare, quòd fecerimus quod in nobis est, quia nequit nobis esse certum, nulli nos esse obnoxios ignorantiæ vincibili, hoc ad errorem aliquem in fide referimus, sed ad errores humanos, siue obliuiones, aut inconsiderationes, quæ possunt, salua fide, cuicunque contingere. Quomodo vero, inquies, culpabile potest esse, aut ad culpam nobis imputari, quod an sit peccatum, scire nequimus? Certè quæcunque ignorantia est inuincibilis, de qua nequit nobis constare. Etsi illa fuerit inuincibilis, peccatum non erit, quod per eam admittimus, maximè si Deum diligamus, & dolorem actu de peccatis nostris habeamus. Nulla quidem est ignorantia in nobis culpabilis, ratione cuius dicamur non facere quod in nobis est, de qua non possit nobis constare. Non esset enim alias ea ignorantia culpabilis, neque impediret iustificationem nostram. Si namque, exempli gratia, Petrus existimet se facere quod in se est, & tamen non faciat, quia licet putat se dolere de peccatis suis propter Deum, vere tamen non dolet propter ipsum, sed timore pœnæ, vel propter damna ex peccatis secuta, potest Petro constare, se non dolere de peccatis suis propter Deum. Et alioqui non imputaretur ei illa intermissio doloris propter Deum. Etsi non faciat quod in se est, quia cum dolet de peccatis suis omnibus, & proponit seruare omnia mandata diuina, tamen non deponit errorem, vel ignorantiam, in qua est, sed potius actu vel virtute, vult in ipsa perseuerare, poterit reuera sibi constare de suo errore vel ignorantia. Nam aliter non ei imputarentur, sed potius cum nullum aliud habeat impedimentum, vere esset in gratia. Etsi cum verè existimet se facere quod in se est, id tamen non faciat, quia non dolet tanto tempore & tanta intensione, quanta tenetur dolere, potest ei hoc notum esse. Si enim non posset hoc ei esse notum, non ei noceret tepiditas illa, & breuitas sui doloris. Ex hoc tamen non sequitur, posse nobis constare generaliter, an aliqua laboremus ignorantia culpabili: Quia sicut in communi Theologorum opinione possumus vitare quodcunque peccatum veniale, non tamen possumus iuxta communem sententiam vitare omnia: ita quamuis possit nobis constare de quacunque ignorantia culpabili, non tamen inde consequens est, vt possit sic constare de omnibus, vt sciamus nos nulla laborare ignorantia vincibili. Et quamuis possit constare de quocunque præcepto, an illud impleamus, annon, non tamen potest constare, an omnia præcepta impleamus, necne. Deinde: Licet nobis possit moraliter constare omnis ignorantia nostra culpabilis, non tamen necesse est, vt nobis per fidem vel euidenter constare possit, quod nulla tali ignorantia laboramus. Atque hinc reddi potest aperta ratio, propter quam, licet possit idolatris & infidelibus, immò etiam alijs peccatoribus certo ac plane euidenter constare, se diligere vere creaturas super omnia, & omnia facere, quæ ad earum cultum & obseruationem, & ad ipsarum amorem promerendum necessaria sunt, non tamen potest constare iustis, an perinde in Deum verum affecti sint. Plura enim requisita sunt ad comparandum Dei amorem, qui neminem amat, nisi omnia mandata absolute & fideliter expleat,

Argum. 1.

Argum. 2.

Replic. 1.

Argum. 3.

Respon. 1.

Replic. 2.

Responsio.

exultatio inuenietur in peccatoribus. Hæc autem omnia securitatem & certitudinem de sua iustificatione videntur requirere. Vbi enim aliqua inesset formido iustis de re huiusmodi, cum eam vnice desiderent, requirant, & in precio habeant: non pax, sed metus & turbatio: non lætitia, sed mœror & tristitia: non securitas, sed anxietas & solicitudo eorum animos occuparet.

Et confirmari hoc potest, quia non videtur satis decere bonitatem & clementiam diuinam, sic sibi voluisse nos inseruire, vt nunquam et iam totum quod in nobis est, pro ipsius obsequio facientes, possimus certi esse, nos ei gratos esse & placere. Magisque hoc tyrannici & difficilis Domini, quam benigni & humani esse videtur. Iudaicum etiam & Pharisaicum dicunt, & magis legi timoris, quàm amoris conueniens, docere homines, semper timere de sua salute, cum voluerit nos Dominus seruire ei in lætitia & quæ postulamus, in fide postulare, nihil hæsitantes. Ipse enim dixit:

Matt. 11 *Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.* Et Ioan. ait: *Perfecta cha-*
1. Ioan 4 *ritas foras mittit timorem.*

Responsio. Qui hæc aut similia contra nos putant grauiter facere, in multis sane videntur decepti. Non enim expendunt differentiam inter certitudinem, dubium, & opinionem, & inter certitudinem fidei humanæ & diuinæ. Neque intelligunt, quæ ad pacem, lætitiam, & securitatem conscientiæ suffi ciant. Quis etiam sit timor, quem charitas foras mittit, videntur ignorare. Et præsentiam Spiritus sancti per gratiam gratis datam, cùm præsentia ipsius per gratiam gratumfacientem, confundunt.

Quoniam vero de discrimine certitudinis humanæ fidei & diuinæ, & vtriusque à dubio & opinione luculéter c. 2 3. & 4. iam egimus, contenti erimus alia nunc, ne quispiam decipiatur, pro virili nostra disserere. Enimuero ad pacem & lætitiam conscientiæ, immo etiam ad securitatem, quę potest haberi in via, satis esse potest certitudo humana de gratia. Quod si hæc nequeat haberi, de quo postea videbimus, potest profecto ad ista omnia sufficere opinio vehemés de nostra iustificatione. Satis est enim opinio probabilis de consecutione honoris alicuius, aut victoriæ, vel emolumenti alicuius, quod impense optamus, vt gaudeamus & exultemus, dum vel per coniecturas & indicia aliqua & argumenta probabilia, eo inclinamus, vt credamus nos ea assecutos, & voti nostri compotes esse effectos.

Verum illud vere dicitur, eum qui dubius esset & anceps de sua iustificatione, neque pacem posse habere in conscientia, neque lætitiam, aut securitatem, sed tristis & mœstus sit, & perplexus & anxius & inquietus, oportet, donec illud dubium ex animo suo deponat, & persuadere sibi incipiat, aut saltem alijs credere, fecisse se quod in se erat, neque Deum, qui benignus & suauis est, & diues in misericordia, amplius aliquid à nobis exigere, quam nos possimus & scire, & sine magna difficultate præstare.

Et possunt ista exemplo quodam familiari declarari. Habet maritus bonus pacem in animo suo, & exultat non parum, cum probabiliter credit se inuenisse & habere adeo bonam & fidelem vxorem, vt neque vel leuissima aliqua causa occurrat suspicandi, vel conijciendi aliquid contra fidelitatem ipsius. Et vt securus sit de ipsa, tota que die eam solam domi relinquat, maiorem certitudinem non requirit, quam eam probabilitaté, quam communiter de mutua fide sua habent inter se tales coniuges. Commodum exemplum.

Vbi vero maritus de fide vxoris suæ dubitare incipit, & sibi persuadere non potest se habere bonam & fidelem vxorem, neque pacem potest habere in animo suo, neque lætitiam, & mœstus & anxius incedit, & amarulento est & inquieto animo, neque domo egredi audet, & solam vereтur relinquere.

Et quemadmodum qui sic dubius est de fidelitate & probitate suæ vxoris, parum aut nihil illi fidit, & parua vel nulla ab ea auderet postulare, neque libenter illius familiaritate vtitur: contra vero, qui persuasionem habet probabilem de fide & probitate ipsius, etiamsi non omnino sit certus, omnia illi fidit, omnia apud eam audet, omnia sibi de illa pollicetur, & gratissimá habet

habet illius familiaritatem: ita sane licet dubius de sua gratia, parum fidat Deo, parum apud eum audeat, parua sibi de eo pro eo tempore polliceatur, neque eam lætitiam possit assequi, aut eam magnitudinem dulcedinis in se experiatur, quam abscondit Deus timentibus se, & reuelauit illis, qui in ipsum sperant, tamen qui ce titudinem humanam, vel persuasionem saltem valde probabilem habent de sua g a ia apud Deum, fiducialiter agunt apud ipsum, omnia illi credunt, omnia ab eo sperant, in eum etiam omnem solicitudinem secure proijciunt, neque quicquam habent preciosius aut dulcius, quàm ei adhærere, quam eum amare & laudare, quam eum glorificare & prædicare. E gustare hi possunt, quam bonus & suauis est Dominus, & vberibus consolationis eius inebria i.

Quis timor permaneat cum quantacunque charitate.

Quamdiu tamen in hac vita viuunt, non omnino securi sunt, neque omnem formidinem, aut timorem de sua gratia, aut de sua perseuerantia à se expellunt. Norunt quippe illa, *Beatus vir qui semper est pauidus. Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Qui se existimat stare videat ne cadat. Ne laudaueris hominem in vita sua.* Et casus sanctissimorum virorum, ne superbiant, & prorsus sine timore sint, præ oculis habent. Neque obliti sunt illius admonitionis Psalmistæ: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Prou. 28
Phil. 2
1. Cor. 10
Eccles. 11
Psalm. 2

Diligenterque didicerunt ex Paulo, habere se thesaurum gratiæ in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, non ex nobis. Neque perfecta charitas foras mittit timorem, aut formidinem de gratia diuina, aut saltem de nostra perseuerantia. Quo enim quisque plus Deum diligit, & amoris vinculis ei arctius coniungitur, eo solicitus est magis de illis, quæ Deo placent, & cauet illius offensam studiosius, & veretur cum Iob omnia opera sua, ac timet grauius, ne tantum beneficium culpa sua perdat.

Sed pellit quidem à se perfecta charitas, neque secum admittit seruilem timorem, quo quis Deum timet, vt seruus dominum, duntaxat scilicet ob paratas sibi pœnas, si eum offendat. Expellit & timorem illum perfecta charitas, quo quis sic Deum timet, vt anxius sit & dubius, & velut diffisus de sua salute, neque sibi quicquam audeat boni, aut placidi de diuina benignitate & mãsuetudine polliceri. Habet enim omnis charitas fiduciam de diuina misericordia & liberalitate semper secum coniunctam, & comitem. Et perfecta charitas absque certitudine fidei multa bona audacter & constanter sibi de Deo pollicetur, & velut Deo intima & impauida, sic sæpè in diuina irrumpit arcana, & cum ipso Deo tam familiariter, tamque amanter miscet colloquia, vt celsitudinis & maiestatis ipsius penè videatur oblita.

Non igitur Iudaicam, aut Pharisaicam docemus doctrinam, cum docemus, neminem posse hîc citra Dei reuelationem certum ex fide esse de sua gratia, neque perplexos & ambiguos, semperque de sua iustificatione nutantes facimus homines, neque pacem & lætitiam conscientiarum auferimus, neque quæ legi timoris magis, quàm quæ legi amoris conueniant, tradimus, vt perperam nobis obijciunt aduersarij.

Sed ea nitimur hominibus persuadere, quæ humilitatem decent Christianam, quæque doceant omnes sobriè sapere, & à Pharisæi Euangelici supercilio contineant, eaque ratione & confidentiores eos, & audaciores, & securiores & magis lætabundos, & in veriori & tutiori pace conscientiæ constituant. Neque qualiscunque vitæ mutatæ experientia certitudinem fidei de gratia præstare potest, sed duntaxat coniecturam ipsius probabilem, vel certitudinem moralem. Alia namque est præsentia, quam Spiritus sanctus suî exhibet iustis, dum eos templa sua efficit, & filios Dei, atque hæredes vitæ æternæ constituit: & alia, qua nos adiuuat & excitat ad actus naturæ nostræ impossibiles, aut valde difficiles.

Vitæ mutatæ experientia certitudinem tantum probabilem præstat de gratia.

Et sicut peccatores dono Prophetiæ & gratia miraculorum nonnunquam impartit, ita & ad egregios virtutum actus peccatores quandoque excitat & adiuuat. Atque ab hoc auxilio, & bonorum habituum acquisitione prouenire posset, vt longe alios & valde dissimiles affectus in se aliqui experian-

periantur ab illis, quos prius sentiebant, etiamsi nondum peruenerint ad Dei gratiam. Quod & tum maxime contingere posset, cum illi perseuerarent in peccato, tantummodo ob ignorantiam aliquam culpabilem.

Atque hæc pro testimonijs etiam Bernardi satis nunc poterunt esse, quia inferius illa cum alijs eiusdem copiosius elucidabimus.

CAPVT XLI.

Ex susceptis Sacramentis non habetur certitudo fidei de gratia.

Obiect. 5. QVVM vero gratiæ certitudinem ex illis, quæ in se iusti experiuntur, satis stabilire nequeunt, qui gratiæ incertitudini aduersantur, pergunt & contendunt ex vi & efficacia sacramentorum suadere.

Sacramenta, aiunt, efficacissimæ & certissimæ causæ gratiæ existunt, & ad hoc nobis benignissime à Deo donata sunt, vt supplerent, quod nostræ existimationi deesset, ac certos nos redderent impartitæ nobis suæ gratiæ. Derogant igitur ipsis, ac de verbis Christi dubitant, seu formidant, qui non certo & absque vlla formidine assentiuntur, se fuisse gratiam per illa consecutos, siquidem ea pro humana fragilitate reuerenter, deuote, & absque conscientia lethalis peccati susceperint. Christus enim dilucide in Euangelio promisit gratiam suam digne suscipientibus Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam. Et Ecclesia idem ipsum de alijs quatuor sacramentis definiuit. Vnde & Paulus generaliter & intrepide affirmat: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Et alibi tuto & secure accedere posse ad Eucharistiam tradit eum, qui se probauerit. Et per pœnitentiam certo asseuerat Corinthium incestuosum, atque ipsos etiam Corinthios salutem assecutos. Galat. 3

Hoc insuper veritas formarum sacramentalium videtur exigere. Nam si non semper consequuntur gratiam, qui baptismum aut pœnitentiam reuerenter suscipiant, quomodo sacerdotes incunctanter affirmant, se eos baptizare aut absoluere? Si dubitare posset pœnitens, an per absolutionem sacerdotalem gratiam consequatur, posset, vt argumentatur Lutherus, dicere sacerdoti affirmanti se illum absoluere, *Tu mentiris.*

Atque ista omnia dilucidiora possumus facere ex testimonijs Sanctorum. Ambros. lib. 3 de sacramentis, aperte asserit animam recens baptizatam, videre oculis fidei se mundatam ab omnibus peccatis. *Videt,* inquit, *videt oculis fidei. Qui ergo posset dubitare de sua gratia, qua se mundatam ab omnibus peccatis videt? Quæ videmus, certa vtique & indubitata nobis sunt, neque de illis possumus, etiamsi velimus, ambigere.* Sed & vrgere aliquanto magis videntur, quæ sequuntur. Conuertens enim statim sermonem ad hominem baptizatum, subdit: *Ideo præsume, non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, dicit Apostolus. Non hic est superbia, sed deuotio: non est arrogantia, sed fides.*

Ex his palàm videtur Amb. sensisse, certam esse baptizatis suam gratiam, idque non vtcunque, sed certitudine fidei. Siquidem & oculis fidei dicit videri ab eis suam munditiam, & præsumptionem de gratia per baptismum accepta clare affirmat, non esse arrogantiam, sed fidem.

Neque minus aperta sunt pro his testimonia August. In illa verba Pauli, *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius:* referente Beda, sic scribit: *Ecce adiuuante ipsius misericordia, Spiritum Christi habemus, & ipsa delectatione iustitiæ integra fide, Catholica fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus.* Quibus verbis potuit clarius explicare, nos per fidem cognoscere nostram iustificationem? Locus 1. Aug. Rom. 8

Sed vt intelligas, quod modo præcipue agimus, ex sacramentis istam illum collegisse certitudinem, audi quid in ca. 1. libelli de medicina pœnitentiæ, scribit: *Non ea,* inquit, *nobis dimitti precamur, cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, quæ iam in baptismo dimissa esse credimus, nisi de ipsa fide dubitamus: sed vtique de quotidianis peccatis hoc dicimus.* Ecce aperte habemus ex Augustino, de fide ipsa dubitare, qui dubitat, an sibi sint dimissa peccata in baptismo. Et huc spectat, quod in quendam Psalmum disserte tradit, compertere fi- Locus 2. Locus 3.

Tt deli-

Psal. 85. delibus & sanctificatis in Christo, vt ausint dicere: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Non enim hac est superbia elati, sed confessio non ingrati.*

Locus 4. Verum luculentius multo est, & validius in nos pugnat, quod cap. 3. lib. 1. contra literas Petiliani Donatistæ idem scribit: Cum enim conaretur confutare hæresim Donatistarum, asserentium, per baptismum collatum à malo ministro, neminem iustificari, & peculiariter illa verba Petiliani niteretur refellere, conscientia dantis attenditur, qui abluat accipientis: hoc præcipuo argumento illos impugnat: *Esset enim*, inquit, *salus spiritalis incerta, neq; quispiam posset esse securus, quantumcunq; daret operam, vt à bonis baptizaretur, si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi, neq; ad aliquid absurdius ibi deducit Petilianum.*

Quod si inconueniens est, salutem spiritualem esse incertam, possunt igitur iusti, ex sententia Augustini, de sua salute esse certi. Et confirmari hoc potest, quia c. 7. admonet, vt Donatistis obijcientibus hæc verba, *Conscientia dantis attenditur qui abluat accipientis: respondeant fideles hunc in modum, Sæpè mihi ignota est humana conscientia, sed certus sum de Christi misericordia. Et cum audierint, Qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum: respondeant, Non est perfidus Christus, à quo fidem percipio non reatum. Et cum audierint, Omnis res origine & radice consistit. & si caput non habet aliquod, nihil est: respondeant: Origo mea Christus est, radix mea Christus est, caput meum Christus est. Et cum audierint, Quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem: respondeant, Me innocentem non facit, nisi qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Non enim in ministrum, per quem baptizor, credo, sed in eum, qui iustificat impium, vt detur mihi fides ad iustitiam.* Hæc Augustinus.

In quibus videtur apertè asserere, posse legitimè baptizatos, certos esse de sua iustificatione, & constanter asserere se esse factos innocentes in baptismo, neque posse per malitiam dantium, impediri virtutem baptismi. Quæ omnia ex diametro pugnāt cum omnibus, quæ supra asseruimus.

Atque hæc omnia hoc argumento Theologico communire possumus: Certa sunt & finita, quæ requiruntur ad dignè sacramenta suscipiendum, neque ponendum obicem gratiæ, quam ipsa in se continent, & efficiunt in quocunque non ponenti obicem: & de illis potest cuicunque Christiano, aut saltem doctis viris constare, an ea apponant, necne. Si enim exempli gratia, vt quis dignè accedat ad sacramentum pœnitentiæ, requiritur displicentia de omnibus peccatis propter Deum, & propositum seruandi omnia mandata, & vitandi quancunque Dei offensam supra omne vitabile, & examinatio diligens conscientiæ, quantum probabiliter existimatur requiri, & sufficere, vt possimus omnia lethalia peccata confiteri, quæ nunquam sumus confessi, de istis omnibus euidentiam possumus habere, & certo potest nobis constare, an illa fecerimus, vel habeamus, necne. Susceptio pœnitentiæ quæ requirat.

Et quicquid sit de sacramento pœnitentiæ, quod plura & maiora requirit, certe ad baptismum non requiruntur vt multum, nisi ista tria, displicentia scilicet de omnibus peccatis, quæ quis commiserit, propositum seruandi omnia mandata, & voluntas suscipiendi baptismum, ad deponendum veterem hominem, & inchoandum nouam vitam. Et de istis cuicunque vtenti ratione potest euidenter constare. Et saltem eum, qui nullius mortalis peccati esset sibi conscius, indubitatum videtur posse iustificari, si habeat præter duo posteriora dolorem in generali de peccatis, si qua forte per ignorantiam admiserit. Neque quisquam Doctorum Catholicorum plura requisiuit, vt quis iustificetur per baptismum. Neque Ecclesia requisiuit vnquam plura à catechumenis, vt potest patere ex catechismis Ecclesiasticis, & ex illis, quæ ex Augustino statim referemus. Ad baptismi susceptionem requisita quæ & quot.

Et cum Doctor Subtilis in locis c. 15. citatis dicit, qualemcunque displicentiam de peccatis, sufficere cum baptismo, non hæc velut propriā opinionem tradit: sed velut ea, quæ communia fuisse videantur & certa suo tempore. Et nisi ista, velut certa recipian-

piantur, incerta erit valde doctrina sacramentorum, & ipse ingressus primus ad vitam, & periculosum esset valde suscipere sacramenta Ecclesiæ.

Verum ista quæ tam multis, & quidem non sine causa iactantur, quibusque maxime fieri videntur, qui certitudinem gratiæ tuentur, tripliciter possumus infringere:

Respon. 1. Primo: Esto, certa sint & finita, quæ requiruntur ad dignam susceptionem sacramentorum, nemini tamen potest satis certum esse, nihil se eorū intermisisse: Quia inter ea, quæ necessaria sunt ad dignam susceptionem sacramentorum, illud vel in primis ex consensu omnium requiritur, ne sit in ea suscepturo aliquis error, vel aliqua ignorantia vincibilis. Et nisi illam deponat, nunquam qui ea susceperit, iustificabitur, quantumcunque dolorem habeat de suis omnibus peccatis, & propositum seruandi omnia mandata. Alioqui & multos necesse erit fateri iustos, & si moriantur, saluos fore, qui obstinate permanent in suis erroribus. Quare, cum nullus possit per fidem esse certus, quod careat omni ignorantia culpabili, vt supra ostendimus, & Paulus videtur testari, cum ait: *Nihil mihi* 1. Cor. 4 *conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*: vel ex hoc liquere potest, nemini posse esse certam ex fide suam iustificationem, etiam per sacramenta. Neque hoc est sane, quia doctrina Ecclesiæ circa ista sit incerta. Certa enim est & indubitata, sed quia nemini potest satis constare, an huiusmodi aliqua ignorantia, vel inconsideratione obicem sacramentis ponat, quod quidem & nouit Ecclesia, & explicat cunctis necessarium esse, vt per ea iustificentur.

Respon. 2. Sed neque video esse vsquequaque certum, etiam cessante errore vel ignorantia vincibili, sufficere, quæ computata sunt, ad iustificationem cum sacramento baptismi vel pœnitentiæ. Non est enim apud omnes certum, sacramenta ista conferre primam gratiam. Quin de sacramento pœnitentiæ grauissimi authores tenent contrarium, & de sacramento baptismi, & generaliter de omnibus Sacramentis, Maioris in 4. idem tenet. Quod si ista sacramenta non conferunt primam gratiam, probabile erit, requiri ad dignam eorum susceptionem tantam dispositionem, quanta sufficiat sine ipsis ad gratiam: & qui illa sine ea reciperet, vel peccare mortaliter, vel, si quidem per ignorantiam inuincibilem excusetur, neque assequi gratiam, neque peccare mortaliter, sed & in eorum sumptione dari medium accessum, quem plerique non infimi nominis authores, circa susceptionem sacramenti Eucharistiæ tuentur. Itaque omnibus dubijs & hæsitationibus de nostra iustificatione potest esse locus secundum prædictas opiniones, etiam susceptis sacramentis, quibus & posset esse illis non susceptis. Quare cum istæ opiniones damnatæ non sint ab Ecclesia, licet oppositæ sint multo probabiliores, non est, vnde magis certitudo fidei de gratia nostra possit colligi propter suscepta sacramenta, quam propter nostras dispositiones.

Vtque radicitus totum hoc argumentum subruamus & eneruemus, dico tandem etiamsi certum sit ex fide, ad gratiam sufficere cum sacramento baptismi vel pœnitentiæ, qualemcunque pœnitentiam peccatorum, cum proposito seruandi mandata, & voluntate suscipiendi baptismum: adhuc tamen non sequitur, nobis posse certam esse ex fide nostram gratiam. Quanquam enim cuiuis potest constare euidenter, an ista habeat, necne, nemini tamen certum esse potest ex fide, vel euidenter, vt ca. 17 tradidimus, se esse vere baptizatum, vel absolutum. Quia requiritur ad hæc sacramenta & alia omnia conficienda, intentio faciendi quod Ecclesia facit, vt apertissime diffinitum est in Concilio Florentino, & in sessione 7. nostri huius Concilij, can. 11. de sacramentis in genere. De intentione autem ista nullus potest absque diuina reuelatione certus esse per fidem, vel euidentiam. *Quis enim teste Paulo, scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Neque salua fide crediderim posse defendi, quod quidam vir pius, idemque doctissimus, ob obliuionem, vt ipse interpretor, definitionum Ecclesiæ, tuetur, non requiri intentionē ministri ad conficiendum

Respon. 3. (margin, right)

1. Cor. 2

Necessaria est intentio ministri ad conficienda sacramenta.

hæc sacramenta, sed satis esse, si exterius ostendat se velle conficere, quod Ecclesia intendit. Nam S. Thomas, vt inquit tertia parte, quæstione sexagesima tertia, articulo octauo, satis esse ad hæc sacramenta tradit intentionem Ecclesiæ, quæ verbis sacramentalibus exprimitur, vbi contrarium exterius non ostenditur. Et alioqui, quomodo, ait, hæreticus, qui non credit sacramentis Ecclesiæ, vere baptizaret? Cumque euidentissime quis faciat, quod Ecclesia intendit, qui, addit, possibile est, baptizantem non habere intentionem baptizandi? Et cur non potius credamus ita nobis notam esse ipsius intentionem, ac notum putamus & indubitatum, eum habere intentionem percutiendi, quem videmus, nullo cogente, alterum percutere?

Sed hæc argumenta nullius plane momenti sunt. Sanctum Thomam pie satis exponit Caietanus in citato loco. Et quidquid in eo art. dixerit, & in 4. d. 6. palàm est, statim in art. 10. eum dicere, veritatem sacramenti non subesse, si quis derisorie vel ioco, & non serio, sacramentum conferret. Et quamuis in corpore art. adiecerit, præcipue si exterius eam peruersitatem intentionis minister manifestet, tamen in respon. ad 2. nullum tale temperamentum adiungitur. Et cum in q. 68 art. 7. ad 2. & in 4. d. 6. palàm asseueret, rebaptizandum esse adultum, qui non habuisset intentionem suscipiendi sacramentum, idque Innocent. III. clare definierit, quomodo credamus illum sensisse, non esse requisitam intentionem ex parte ministri, qui verius & principalius concurrit ad sacramentum conficiendum? Nam suscipiens, tantum concurrit passiue. Hæreticus vero ideo rite baptizare potest, quia licet erret circa sacramentum baptismi, potest tamen velle facere quod faciunt fideles, vt si forte verum sit quod ipsi sentiunt, non careant sui tanto salutis remedio. Et ita multi possunt facere pleraque, quæ alij faciunt, etiamsi ea credant esse inutilia, vt vel ea ratione celent suam perfidiam.

c. Maiores. de bapt. & eius eff.

Vnde & illi peccato superstitionis peccant, qui faciunt, quæ docent superstitiosi, vel necromantici, & apostasiæ vel idolatriæ peccato obnoxij sunt, qui se iuxta ritum Iudæorum circumcidunt, vel thura idolis offerunt, quantumcunque hæc inutilia & vana credant. Et nisi hoc credebatur esse possibile, cur eo recursum est, vt diceretur non esse necessaria intentio ministri ad conficienda sacramenta? Quæ potest esse magis manifesta contradictio, quàm asserere, hæreticum non habere intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, & tamen rite baptizare propter intentionem Ecclesiæ: & rursus adiungere, non esse possibile, vt quis non habeat intentionem faciendi quod euidentissime facit?

Sed in hunc paralogismum ideo inciditur, quia non aduertitur, aliud esse proferre verba sacramentalia, quod nunquam fit sine intentione proferendi: aliud, conficere sacramentum baptismi, quod potest non intendi ab eo, qui profert verba, & in omnibus ostendit se exterius velle illum conficere. Quod si potest hæreticus carere intentione baptizandi, tametsi exterius baptizet, non igitur ita nota mihi est hæc illius intentio, ac intentio me percutiendi in eo, qui me, nullo cogente, percutit. Neque si esset ita nota, nota esset censenda ex fide vel euidenter. Neutra enim intentio maiori certitudine nobis nota esse potest, quam morali. Quare illud nullatenus est concedendum, quod & idem author ait, certiores nos esse, quo ad nos, quod rite sumus baptizati, quàm quod rite baptizatus consequatur gratiam. Et vel ipsa absurditas & impietas, quam hæc verba sonant, deterrere quemuis debent ab eorum in quemuis sensum assertione.

Atque ex his liquere potest, quid ad illa, quæ magis vrgent, respondere debeamus, quæ, ad probandam ex susceptis sacramentis certitudinem gratiæ, inducta sunt. Non enim dubitamus, sed certa fide credimus, eos omnes iustificari, qui digne suscipiunt sacramenta. Neque tantum ineptum & periculosum, sed plane hæreticum censemus, eos gratia sacramenti fraudare, qui se vere probant, & conscientiam suam discutiunt ad ea reuerenter suscipienda. Tantum autem,

tem dicimus, neque per fidem, neque euidenter posse quempiam scire, an illa susceperit, vel se idoneè & quantum necesse est, ad ea sumenda parauerit. Neque ideo ab his suscipiendis continere se quis debet. Satis quippe est, vt ea sine periculo sumantur, probabilitas moralis de sufficienti præparatione. Et veritas formarum sacramentalium baptismi & pœnitentiæ nihil amplius exigit, quam vt vere mundentur & absoluantur à suis peccatis, qui se ad illa legitime disposuerint: neque sacerdotes per illa verba, *Absoluo te*, aliud intendunt significare, quàm, quantum ex se est, absolutionem peccatorum efficaciter præstare. Quãobrem nemo debet dubitare de sua gratia, qui putat rite ad ea se præparasse, & deuote ac reuerenter ipsa susceperint.

Siue autem dubitet, siue non, indigni sunt sacerdotes, quibus illa irrogetur contumelia, de qua argumentatur Lutherus. Et vt potest colligi ex statim dictis, non solum iniuste, sed & falso eis tam contumeliosa verba dicerentur, etiamsi constaret pœnitenti, se propter suam indispositionem remansisse, post eius absolutionem, in peccato.

Respon: ad Ambros. Et quoniam, dum nulla apparet causa dubitandi de legitima dispositione ad baptismum, & de intentione baptizantis, quicunque fidelis certo credere debet, se esse interius mundatum, atque hanc persuasionem causat fides de efficacia baptismi, merito Ambrosius animam recens baptizatam, asseruit se oculis fidei videre mundatam, & eam præsumptionem non esse arrogantiam, sed fidem.

Resp. ad 3. locum Augustini. Psal. 85 Et August. ob eandem causam asseruit fideles posse dicere Deo: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum* Et quia prudentia humana dictat, vt in officijs & operationibus humanis contenti simus certitudine humana, in 9 Concil. Trid. admonet, ne quispiam oret pro peccatis sibi dimissis in baptismo. In loco autem citato ex lib. de vtilitate pœnitentiæ propterea dicit dubitare de fide, qui dubitant dimissa sibi esse peccata in baptismo, quia cum non dubitent se rite baptizatos, & fecisse præscripta sibi. Resp. ad 2. locum.

ad baptismum reuerenter suscipiendum, consequens est vt de efficacia baptismi dubitent. Nam solum dubium de efficacia & virtute baptismi, visum ei esse dubium de fide, ex illis, quæ & ibi & alibi dicit, facile possumus approbare. Ibi namque hoc tantum velut constans & certum tradit, in baptismo salutarem omnium peccatorum fieri remissionem, & pœnitentiam parturire nouum hominem, donec per ipsius sanctificationem baptismi in nouam vitam baptizatus nascatur.

Et cum in baptismo omnia peccata deleri ex testimonio Petri probasset, catechumenos sic alloquitur: *Ergo interim nunc, si qui forte assunt ex eo numero, qui baptizari disponunt, credimus enim eos adesse tanto ad verbum studiosius quanto ad indulgentiam vicinius: hos primum paucis alloquimur, vt erigant mentes in spem: ament fieri, quod non sunt: oderint, quod fuerint: Nouum hominem nasciturí iam in voto concipiant.* Catechumenorum exhortatio. *Quidquid de vita præterita remordebat, quidquid angebat conscientiam, quidquid omnino vel magnum, vel paruum, vel dicendum, vel non dicendum, non dubitent posse dimitti, ne forte quod vult Dei miseratio dimittere, contra se teneat humana dubitatio.*

Et hoc confirmat, sicut faciunt Cyprian. & Hieronym. exemplo illo, quo omnes Ægyptios mortuos esse in mari rubro Scriptura testatur. Nam mare rubrum significasse putat aquam baptismi cruce Christi consecratam, qui pro nobis sanguinem fudit, & transitum ipsum per mare rubrum, typum fuisse baptismi, omnia Ægypti peccata delentis, & aquis submergentis Et cap. 2. cum quæreret, *Quæ debita nobis dimitti oramus, cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra:* respondet, *Quandoquidem debita hic intelligi non possunt, nisi peccata, quæ debita dimisit & in baptismo iterum, vt dimittat, oramus? Certè mortuus est omnis Ægyptius, qui sequebatur. Si nihil de sequentibus hostibus residuum factum est, quid oramus, vt dimittatur, nisi propter manus deficientes contra Amalech,*

Cypr. epist. 76. lib. 4. Hiero. 1. contra Iouin. Bapt. mare rubrum. Exod. 14 17.

Et male omnino sentit de eruditione & pietate Augustini, qui putat ipsum sensisse, dubitare de fide eum, qui dubitat remissa sibi esse peccata, quia dubitat, an fuerit rite

baptizatus, vel an se sufficienter ad gratiam baptismi disposuerit, atque ideo duntaxat dubitat de accepta remissione peccatorum. Hoc enim dubium est de facto, parum spectante ad fidem: & non de fide ipsa, neque de accepta remissione peccatorum. Tantum autem esset dubium de fide ipsa, cum oriretur ex dubio de efficacia Baptismi.

Et eodem modo, cum qui post baptismum peccasset, & absolutus esset à sacerdote, possemus dicere, dubitare de fide, si dubitet remissa esse sibi peccata quo ad culpam, & tamen nemo intelligeret, id affirmari de dubio, quod quis haberet de sua iustificatione propter dubium de sua dispositione, vel intentione sacerdotis absoluentis, sed solum intelligeretur de dubio, emananti à dubio de efficacia clauium.

Et ideo forte Augustinus in fine libelli citati de pœnitentiæ medicina, velut dans locum huiusmodi dubio vel formidini, ita scribit: *Sed fac esse incertum, vtrum ignoscat Deus. Quid perdit, cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitauerit, cum offenderet Deum? Quis enim certus est, quod etiam imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur, & pene, vt mors vitetur mors ipsa suscipitur: supplicatur deinde per homines homini. Sine dubitatione fiunt ista cum sit dubium quo fine proueniant. Et tamen certiores sunt claues Ecclesiæ, quam corda regia: quibus clauibus quodcunque in terra soluitur,* (Matth. 16. & 18.) *etiam in cælo solutum esse promittitur. Et multo est honestior humilitas qua se quisque humiliat Ecclesiæ Dei, & labor minor apponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.* Hæc Aug.

Cyprian. Et quidem in authoritate citata eodem modo locutus videtur Aug. quo Cypr. in serm. de eleemosyna: vbi ita scribit: *Eleemosynis & fide delicta purgantur, non vtique illa delicta, quæ fuerant ante contracta. Nam illa Christi sanguine, & sanctificatione purgantur.*

Item denuo dicit: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Hic ostenditur quoque & probatur, quia sicut lauacro aquæ spiritualis, gehennæ ignis extinguitur: ita eleemosynis atq; operationibus iustis, delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissa peccatorũ datur, assidua & iugis operatio Baptismi instar imitata, Dei rursum indulgentia largitur* Hæc Cypr.

Eundem etiam in modum locuti sunt & Patres in Conciliis, & Doctores in suis scriptis, quoties cunque asseruerunt in Baptismo omnia peccata dimitti. Et nominatim ita loquitur Hieronymus, cum concedit Critobulo, statim à baptismate hominem peccato carere, & migrare ad Dominum si mox de hac vita morte subtraheretur ante, quam aliquod admitteret peccatum. (Hier. 1. in Pelag.) Quod enim non omninò integram securitatem baptizatis his verbis tribuerit, satis indicat in sequentibus, subnectens: *De baptismatis fonte surgentes & regenerati in Dominum Saluatorem, impleto illo quod de se scriptum est, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: statim in prima* (Psal. 31.) *corporis communione Christi dicunt, Et dimitte nobis debita nostra, quæ illis fuerant in Christi confessione dimissa. Quamuis sit hominis perfecta conuersio, & post vitia atque peccata virtutum plena possessio numquid sic possunt esse sine vitio, quomodo illi qui statim de Christi fonte procedunt? Et tamen iubentur dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, non humilitatis mendacio, vt tu interpretaris, sed pauore fragilitatis humanæ suam conscientiam formidantes.* Hæc Hieronymus.

Ex quibus patere potest, non fuisse illi visum dubium de fide, dubiũ de remissione peccatorum obtenta in baptismo, quando de illa dubitatur duntaxat ob pauorem fragilitatis humanæ. Nam cum non semper peccemus, non videntur hæc tantum dicta esse propter peccata commissa statim post baptismum.

Atque ex his non erit difficile respondere ad ea, quæ ex eodem Augustino allegata sunt, ex libro contra literas Petiliani. (Resp. ad 4. locũ Aug.) Primo enim neque omnia argumenta Augustini sunt demonstrationes, neque cuncta, quæ dicuntur à Doctoribus de certitudine, sunt referenda ad certitudinem fidei, præsertim quæ fit ex parte intellectus, neq; si aliquid possimus credere aut asserere, necessarium est, vt & id sit nobis certum, præsertim certitudine fidei. Et in capitul. 7. lib.

1. non

r. non docet August. nos respondere, certos nos esse de nostra iustificatione, sed certos nos esse de Christi misericordia.

Deinde vero, quæ citata sunt de incertitudine salutis nostræ spiritalis, non sunt intelligenda de incertitudine ex parte intellectus, sed de incertitudine ex parte rei. Non enim ad hoc inconueniens deducit Augustinus ibi Petilianum, quod nos non possemus esse certi de nostra salute spiritali, sed ad hoc potius, quod vere inconueniens & absurdum & impium est, quod nostra salus esset incerta, hoc est, quod non certo possemus salutem assequi, neq; certũ esset nos posse obtinere salutem spiritalem.

Et quod iste sit germanissimus sensus Augustini, ne quis à me confictum causetur, ex ipsius verbis possumus conuincere. Ita enim ibidem ait: *Sed quomodo & de bonis securi erunt si conscientia dantis attenditur, qua latet oculos accepturi? Ita secundum eorum sententiam fit salus illa spiritalis incerta, dum contra scripturas sanctas, quæ dicunt, Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: Et maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine: spem baptizandorum auferunt a Domino Deo, & in homine ponendam esse persuadent. Vnde fit omnino, vt non incerta, sed prorsus nulla sit salus. Quia Domini est salus, Et vana salus hominis. Itaque quisquis in homine spem posuerit, etiam quem iustum & innocentem nouit, maledictus est.*

Psal. 117.

Hierem. 17.

Psalm. 3. & 107.

Vides vt Augustinus, non ad incertitudinem intellectus, sed ad incertitudinẽ ex parte rei deduxit. Ita enim impugnat opinionem Donatistarum, quasi aperte diceret & citra omnem ambiguitatem: Si penderet à bonitate ministri virtus baptismi, nutaret & vacillaret, dubiaque esset salus spiritalis, sicut & ipsa bonitas ministrorum, à qua pendet: immo prorsus nulla esset nostra salus. Si enim pendere crederatur à bonitate ministrantium, in illis ergo constituere videremur nostram spem: & ita non iam salui, sed maledicti essemus, *quia maledicti omnes, qui sperant in homine.*

Hierem. 17.

Et vt hunc sensum magis perspicuum faceret, ex opinione illorũ hoc inconueniens statim subintulit, nempe originem esse, & radicem, & caput baptismi, ipsum qui baptizat, si pendet baptisma à bonitate ministrorum, & id asserentes recidere asseuerat in schisma Corinthiorum, dicentium: *Ego quidem sum Pauli. Ego autem Apollo*, quos Paulus durissime obiurgauit illis verbis: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Neque Augustinus hîc aut alibi credidit, non posse impediri effectum baptismi per malitiam ministrantis, nolentis facere quod Ecclesia facit. Et si voluisset, acquiescendum esset potius Concilij Florentini & Tridentini citatis definitionibus.

1. Corinth. 1.

Tantum autem voluit Augustinus, hoc constare inter Catholicos, non obesse baptizatis malitiam cõferentium baptismum. Quod quidem satis est, vt moraliter possimus certo credere, & asserere, nos baptizatos esse, & iustificatos, & innocentes esse factos per baptismum. De nullo enim ministro tantum scelus præsumendum est, vt non serio, neque vere, sed ioco vel ficte baptizet quempiam. Licet de multorum bonitate, & quidem sæpius quam vellemus, merito ambigamus.

Quoniam autem, quidquid sit de his vel illis baptizatis, hoc certum & indubitatum est, in Ecclesia semper esse, fuisseque, & in æternum fore Spiritum sanctum: ideo incunctanter dicit Augustinus, in loco primo aduersum nos citato, integra & Catholica fide nos cognoscere spiritum Dei nobis inesse. Quippe si ad se vel alium, direxisset sermonem, nunquam dixisset, se hoc nosse Catholica fide. Nam Catholica fides non est, nisi de obiecto communi & Catholico. Neq; suffecisset Augustino, ex propositione communi & Catholica conflari eam fidem, vt Catholica fide hoc agnosci diceret. Alioqui & qui hanc certitudinem fidei haberent, dici possent habere certitudinem fidei Catholicæ.

Respon. 1. locum.

Cumque Augustinus non de se tantum ibi loquatur, & de nullo alio certus esse potuerit, quod haberet spiritum Dei, nunquam, si ad particulares personas verba sua retulisset, dixisset, integra & Catholica fide nos agnoscere inesse nobis spiritum Dei. Quis enim ita loqueretur communiter fideli-

Resp. ad 4. locũ Aug.

delibus, nisi crederet cum Luthero, omnes eos habere spiritum Dei, & de hoc certos esse per fidem?

Replicatio.

Sed adhuc videtur superesse fortis quædam replicatio, quæq; maxime possit constabilire certitudinem gratiæ ex susceptis secramentis. Videtur enim certum esse ex fide, tantundem valere sacramenti fidem, & votum ad remissionem culpæ, ac valeret ipsum sacramentum re exhibitum, quando vel articulus necessi atis illud impedit, vel sola malitia eius qui debebat illud administrare: & tunc omnino apud clementissimum Dominum voluntatem pro facto reputari. Nam aliâs aliquis damnaretur per id, quod non est in sua potestate. Neque de illo Iudæo, qui, cum esset in mortis articulo solus inter Iudæos, seipsum in aquam mersit, dicendo: *Ego me baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen*: vere dixisset Alexander tertius: *Si talis continuo decessisset, ad patriam protinus euolâsset propter sacramenti fidem, & non propter fidei sacramentum. Hoc siquidẽ præstare non poterat solus flaminis baptismus, qui non absoluit à culpa & pœna sicut baptismus fluminis.*

Debitum, de bapt. & eius effect.

Innocentius etiam 3. c. Apostol. de presb. ne. bapt. expresse dicit, incunctanter se asserere, eum presbyterum gaudium esse cœlestis patriæ adeptum, qui licet mortuus fuerit sine vnda baptismatis, tamen in fide sanctæ matris Ecclesiæ, & Christi nominis cõfessione perseuerauit. Hoc autem asseri ab eo non potuit, nisi credidisset certum, fidem sacramenti potuisse prodesse illi presbytero ad remissionem peccatorum, omniumque pœnarum, quas debebat pro peccatis. Etsi fides sacramẽti pręstare potest remissionem totius pœnę, quę debetur pro peccatis præstare etiã poterit remissionem culpæ, quam faceret baptismus, quando non est ex parte nostra, quod illum non suscipiamus, sed ex malitia & dolo conferentis. Nam multo magis consonum videtur bonitati diuinę, vt suppleat vicem baptismi quoad remissionem culpæ, quam quoad remissionem pœnæ. Et decere magis videtur clementiã Diuinam, vt malitia alterius non impediat iustificationem nostram, quã ne impediat relaxationem pœnarum.

Responsio.

Neque ista tamen nos de nostra statione dimouebunt. Verum est, in his casibus voluntatem pro facto reputari, & nemini imputandum in eiusmodi casibus, quod non susceperit baptismum. Neque si tum contingat quempiam damnari, qui saluus fuisset, si suscepisset baptismum, damnabitur ille propter culpam aliquam, quam commiserit non suscipiendo baptismum, sed damnabitur propter alia peccata: neque, vt obijcitur, propter illud, quod non fuit in sua potestate, sed vere propter culpam subiectam suæ ipsius libertati. Potuit namque quinis ita perfecte conuerti in Deum, vt etiamsi decederet sine baptismo, saluaretur. Et cum Deus gratis dederit hoc priuilegium sacramentis nouæ legis, vt iustificent eos, qui non habẽt sufficientem pœnitentiam: non est cur queramur, si quantum ad participationem huius tanti beneficij, non reputet pro facto voluntatem, sed locum det & articulo necessitatis, & malitiæ ministrantium, vt impedire queant tantum beneficium, & vel in hoc puniat remissionem & negligentiam nostram in faciendo dignam & idoneam pœnitentiam ad consequendum suam gratiam.

Neque oppositum diffinierunt, aut senserunt Pontifices statim citati. Non enim quidquid dicitur à summis Pontificibus in suis epistolis decretalibus, censendum est, ab eis esse diffinitum. Expectandum est, quid ex professo in eis agatur, quisve sit scopus & intentio principalis cuiuscunque epistolę. Et ille tantum articulus existimandus est in eis diffinitus à Sede Apostolica, non autem quæ obiter & minus ex professo ibi dicuntur.

Non sunt de fide omnia quæ habentur in Decretalibus.

Atque ideo, cum Alexander tertius, vbi citatur, tantum ex professo diffiniat, neminem posse seipsum baptizare, hoc vnũ pro certo tenendum est ex ea diffinitione, reliqua vero non est necessarium, velut certa acceptari: satisque est, si vt pia & probabilia recipiantur. Cum etiam Innoc. 3 in citata diffinitione solum videatur voluisse diffinire, posse per fidẽ Ecclesiæ & Christi nominis confessionem saluari, qui propter articulum necessitatis decedit sine baptismo, quan-

quantum ad hoc vnum, necessarium est illius diffinitionem acceptare:non vero quo ad alia,quæ obiter ibi dicuntur.

Non est tanta virtus fidei sacramenti,quanta sacramenti.

Neque video sane, vnde ista potuerint diffiniri. Quoniam is pro dignitate rem istã expendamus, inconueniens videtur, tantam vim præbere fidei baptismi, quantam habet ipsum sacramentum, cum in alijs sacramentis hoc neque diffinitum sit, neque

Argum. 1.

communiter credatur, sed potius contrarium. Omnes enim credunt, plus gratiæ & remissionis pœnarum eos consequi, qui cum habeant contritionem, accipiunt etiam sacramenta Ecclesiæ, quam si tantum habeant contritionem, & propter defectũ sacerdotis, maneant vel moriantur sine sacramentis Ecclesiæ.

Et longe quam par esset, de præcellentia sacramentorum sentit, qui tantam vim credit esse in voto sacramenti, quantam in ipso sacramento, licet hoc tantum credat in articulo necessitatis contingere. Neque

Notãda expositio c. de bitum. &c. Apostolici

Alexander, neque Innocentius senserunt aut docuerunt, fidem baptismi sufficere ad remissionem omnium pœnarum. Quin Innocentius ad finem citati capitis expresse admonet Episcopum Cremonensem, ad quem scribit, vt iuges preces & hostias iubeat offerri pro presbytero memorato. Quod non faceret, si eum diffinisset iam esse in cœlo.

Et ex his, quæ statim ex Augustino & Ambrosio allegat, aperte docet, se nihil aliud velle ibi pro certo constituere, quam, Baptismũ inuisibiliter ministrari illis, quos non contemptus religionis, sed articulus necessitatis, à baptismo excludit. Neq; aliquid amplius diffiniuit aut docuit Alexan-

Aliud est, volare statim ad cœlum: aliud peruenire statim.

der. Nam aliud est *statim euolare in cœlum*: aliud, *statim peruenire*. Volat statim, qui mox incipit celeriter in cœlum tendere. Quod quidem etiam ei conuenit, qui decedit in salutis statu & breui expedietur à Purgatorio. Peruenit vero statim, qui nullibi moram aliquam facit, sed mox vt moritur, incipit esse in cœlo.

Et ideo licet Alexander 3. diffinierit Iudæum illum, de quo agebat, statim euolaturum fuisse in cœlum, si continuo decessisset, non propterea existimandus est voluisse diffinire eum habiturum remissionem omnium pœnarum statim, si statim decessisset. Et hoc potest confirmari, quia nec Alexander, neq; Innocentius habuerunt satis sufficiẽtia motiua, vt vel Iudæum illum, vel presbyterum illum memoratos canonizarent, & definirent iam tum esse in cœlo. Itaque ex eorum definitionibus nihil contra nos habetur, sed nos potius ex definitione Innocentij habere possumus contra aduersantes, non tantam esse virtutem fidei sacramenti, quanta est ipsius sacramenti. Atque ex his patet infirmitas argumenti, quo quidam ex virtute sacramenti baptismi, vel fidei ipsius, certam pergunt facere nostram iustificationem.

Sed quo magis eneruem & debilitem hoc argumentum, addam & ista: Nusquam legitur Deus fecisse tale pactũ nobiscum aut expressisse hoc, vel innuisse in scripturis, neque in sacramento baptismi, neq; in alio sacramento, vt fides sacramenti tantum valeat, atque ipsum sacramentum: & extra articulum necessitatis, manifestum est non habere eam prærogatiuam fidem aut votũ baptismi. Vnde ergo eis illam quis tribuat in tali articulo? Argum. 2.

Etsi de Iudæo memorato pro constanti habere ut eum fuisse statim euolaturum in cœlum, si continuo decessisset, eadem ratione de quocunque decedendi sine baptismo cum simili fide & voto, idem deberet certo affirmari. Par quippe est ratio, neque aliquid peculiare constitit Alexandro de illo Iudæo, quod non constaret de quocunque petente baptismum in articulo necessitatis, & contra voluntatem suam decedente sine eo. Nam fides sacramenti, cui vni in textu videtur imputari ea prærogatiua faciendi euolare statim in cœlum, nemini deest, qui decedit cum voto illud recipiendi, & absq; obice vllo, qui impediret ipsius dignam susceptionem. Argum. 3.

Quod si de quocunq; sic decedente sine baptismo, hoc assereretur, consequẽs profecto esset, vt etiam idem crederemus de quocunq; veniente ad gratiam ante baptismum, immo de quocunq; habẽte ante ba- Argum. 4.

 ptismum

ptiſmum ſimilem diſpoſitionem, etiamſi ſola non ad id ſufficeret.

Argum. 5. Inſuper: Non ſufficeret paruulo fides offerentium cum baptiſmo, ſi miniſter ex malitia non haberet intentionem baptizãdi, aut aliquo caſu moreretur ſine baptiſmo. Et hoc diffinitum eſt ab Alexandro tertio, c. Non vt ap. de bap. & eius eff. & lib. quarto latiſſime à nobis eſt probatum. Cõmuniter etiam receptum eſt in Eccleſia, fidem ſacramẽti non ſupplere vicem baptiſmi, aut ordinis, quo ad characterẽ. Et quantumcunque legitime videatur quis fuiſſe ordinatus, ſi tamen euidenter poſtea conſtiterit, eum non fuiſſe baptizatum in forma Eccleſiæ, quia non recepit characterem baptiſmalem, baptizandus eſt iterum, iuxta definitionem Innocen. tertij, c. Veniens de preſ. non bap. & ca. 1. & Concilij apud Compendium, & omnibus denuo initiandus ordinibus, vt poſſit in ſacerdotio miniſtrare.

Argum. 6.

Argum. 7. Præterea: Quantumcunque aliquis baptizatus crederet, & vellet recipere ordines ab epiſcopo, qui talis communiter exiſtimatur, ſi tamen caſu aliquo aut malitia epiſcopi vel alterius, vel ipſe epiſcopus non eſſet epiſcopus, vel non habuiſſet aliquam intentionem ordinandi eum, & hoc poſtea pro certo conſtaret: abſque dubio iterum ordinandus eſſet, vt eſſet ſacerdos: & vt communiter tradunt Doctores Theologi, quidquid ſenſerint aliqui ex Canoniſtis, nec ille conſecraſſet eo tempore Euchariſtiam, neq; abſoluiſſet quemquam, quippe qui nullam vere poteſtatem habuiſſet idoneam ad hæc præſtãdum. Quod ſi fides ſacramenti, non ſupplet vicem ſacramenti, quo ad characterem, & præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, vnde nobis vel probabiliter promittamus, ſupplere quo ad remiſſionem culpæ & pœnæ? Sed hactenus de certitudine ex ſuſceptis ſacramentis.

Ioan. Albrit. Sum. Conf. l. 3. tit. 22. q. 8. Ang. verbo, Bapt. 7.

CAPVT XLII.

De incertitudine innocentiæ.

Obiect. 67. QVOD non poſſunt aduerſarij generaliter conficere, contendunt in aliquibus ſaltem particularibus perſonis à nobis extorquere. Et obijciunt nobis innocentes, qui nullum admiſerunt lethale peccatum in vita. Hiſque vt minimum putant, neceſſe eſſe, concedere certitudinem de ſua iuſtificatione, ſaltem pro tempore propinquo principio vſus rationis, & antequam ſe ingeſſerint periculis, laboribus, & difficultatibus huius vitę, in quibus pauciſſimi ſunt, qui tueantur ſuam innocentiam. Et quod innocentes hoc ſaltem tempore certi poſſint eſſe de ſua iuſtificatione, hac ratione conuincere ſe exiſtimant.

Ad remiſſionem originalis peccati, certum eſt, ſufficere propoſitum ſeruandi omnia mandata Diuina, vel quod idem eſt, propoſitum honeſte & ſancte viuendi iuxta lumen & ductum rectæ rationis. Et illi de hoc propoſito poſſunt, non ſolum certitudinem, ſed etiam euidentiam habere. Et præter hoc certi poſſunt eſſe, ſe non admiſiſſe aliquod mortiferum peccatum. Poſſumus enim & nos de paucis diebus, aut ſaltem de paucis horis eiuſmodi certitudinem habere. Quod ſi participes facti per confeſſionem ſacramentalem de puritate, & ſancto propoſito eiuſmodi puerorum, aut puellarum in principio vſus rationis, eo modo ſumus certi de ipſorum iuſtitia, quo certi ſumus verum nobis ab eis dici, cur non & ipſi habentes certitudinem, immo euidentiam de veritate eorum, quæ nobis dicunt, poterunt certi fieri de ſua iuſtificatione, ſi admoneantur à nobis ſufficere illa ad remiſſionem peccati originalis?

Concederem profecto totum, quod infertur, ſi quidem vel per noſtram admonitionem, vel per ſuam aliquis induſtriam aut diligentiam poſſit eſſe certus de ſua innocentia, quo ad lethalia peccata. Sed qui nobis ob noſtram humilitatem & vtilitatem, vt ſupra docuimus, ignotam eſſe, quoad hic viuimus, noſtram iuſtificationem voluit, ne quiſpiam ſuperbiat de ſua innocentia, ignotum quoque ſtatuit eſſe nobis hoc tantum & tam præcellens bonum. Quod quidem vel ex hoc manifeſtum eſſe poteſt. Ignotum quippe eſt omnibus, Reſponſio.

mnibus, & omnino incertum, quando primò venerint ad vsum rationis, & an tunc se conuerterint ex toto corde ad DEVM, ita, vt assecuti fuerint DEI gratiam. Et quandiu hoc ignotum fuerit, necesse est, ignotam esse innocentiam. Quia non est improbabilis opinio sancti Thomæ & suorum sequacium, tenentium, quemlibet pro principio vsus rationis, teneri sub mortali, sic se conuertere ad DEVM vel formaliter, vel virtualiter, vt consequatur DEI gratiam. Quæ & ipsa, problema est apud Doctorem Subtilem, vt patere potest ex distin. 7. 2.

1. 2. q. 89. ar. vlt.

Atque hac de causa, licet de alijs horis vel temporibus vitæ, quibus certum est, non obligari nos aliquo adeo arcto & rigido præcepto, certi esse possemus, non admisisse nos lethale aliquod peccatum, de illo saltem tempore nullam certitudinem habere possumus. Ideoque multo minus de illo tempore conuincere possunt, quod volunt, aduersarij, de quo maximè videbantur sibi, posse se de nobis triumphare. Gratis tamen possemus eis dare, certos nos esse posse, quod non admiserimus, scientes, aliquod mortale peccatum. Sed ea certitudo & pax conscientiæ, non reprehendentis cor nostrum de aliquo mortali crimine, fiduciam præstare potest, iuxta verbum Ioannis, apud Deum: ad certitudinem tamen de innocentia vel iustificatione, non est sufficiens. Non enim mentitus est, qui dixit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

1. Cor. 4.

CAPVT XLIII.

De certitudine martyrum.

Obiect. 7.

INducitur etiam contra nos fortitudo, & patientia, & lætitia, & exultatio martyrum. Videntur enim certi fuisse de sua salute, qui gaudebant in tormentis, & summo honore, sicut par erat, affici se existimabant, cum contumelias aliquas & opprobria pro nomine IESV patiebantur. Illa tanta exultatio, quam præ se ferebant, indicium videtur fuisse non obscurum certitudinis, quam intra animum suum habebant de hoc, quod Deo illa sua tanta, tam rara, & tam admirabili patientia vehementer grati essent. Nam si de hoc certi non fuissent, nunquam tam alacres, nunquam tam læti nunquam tam impauidi ad martyrium cucurrissent, neq; tanta & tam grauia tormenta, cum hilaritate tanta pertulissent. Verba etiam Christi videntur & illos, & nos, posse de ipsorum iustificatione certos facere. *Beati enim ait, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum, Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis* Et alibi: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est.* Quod si beati illi sunt, & eorum est regnum cælorum, & reposita est eis copiosa merces in cœlis, & Christus coram patre confessurus & laudaturus est eos, qui Christum in persecutione confitẽtur, & propter iustitiam persecutionem patiuntur: possunt igitur proculdubio & qui se vident talia pati propter Christum, certi esse de sua iustificatione. Non enim stant cum iniustitia, talia & tam præcellentia elogia, neq; tales & tam magnificę pollicitationes. Si nos certi sumus, eos esse iustos & sanctos, qui talia propter Deum passi sunt, & cum Iacobo beatificamus eos qui illa sustinuerunt, & Ecclesia vel hoc solo nomine certa est de Martyrum salute, & oẽs eos catalogo sanctorum annumerat, & iniuriam diffinit facere martyri, qui orat pro martyre: quare non etiam de se idipsum sibi poterunt persuadere, quicunque vident se lethalia vulnera pro Christi confessione libenter excipere, & vsque ad mortem velle omnia grauia pro fide ipsius tolerare, cum ipsis certior possit esse sua fides, sua fortitudo, sua constantia, & sua vota, quam Ecclesiæ, quæ sola exteriora videt? Et quid est quod Christus ait, *Maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis?* Equidem maxima caritas stare nequit cum lethali peccato. *Diligit siquidem Deus diligentes se.* Itaq; qui certi

Matth. 5. *Matth. 10.* *Ioan. 15.* *Prou. 8.*

sunt, se non solum velle mortem oppetere pro fide, iustitia, & gloria Dei, sed etiam oppetere, & iam grauia & lethalia vulnera hac causa & prompte & libenter excepisse, & in ea passione velle vsque ad mortem perseuerare, certo poterunt credere se à Deo diligi, & esse in ipsius gratia.

Ad hæc: Martyrium est sufficiens dispositio ad gratiam potuitq; ex lege iustificare innocentes pro Christo occisos sine vllo actu eorum. Ergo qui sunt certi de suo martyrio, certi poterunt esse de sua gratia, saltem vbi viderint se non ponere obicem tantæ gratiæ, sed vere habere pœnitētiam suorum peccatorum, & propositum seruandi omnia mandata, si superuixerint. Præterea: Si certus quis esset de bonitate & gratitudine Petri, neque hæsitaret, quin ille diligeret diligentes se: certus esse posset, se à Petro diligi, vbi certus esset, se grauia pro honore Petri pertulisse, & velle etiam ad mortē vsque in eis ferendis perseuerare, neque hoc ignorari à Petro.

Cum ergo per fidem certi simus de incomparabili bonitate & fide Dei, & de scientia, quam habet omnium penetralium nostrorum, per eandem certi possunt & debent esse martyres de sua gratia apud Deū, vbi certi sunt de sua fide & dilectione in Christum, & de voluntate & animo prōpto patiendi omnia grauia vsque ad mortem pro fide & gloria ipsius. Insuper: Si videamus aliquos dura & acerba pro Christo pati, & in eis velle vsq; ad mortem perseuerare, non dubitamus eos fore saluos, si quidem in ea confessione vsq; ad mortem perseuerauerint, sed beatos illos & felices pleno ore prædicamus, idemque scimus à sanctis omnib⁹ & præcipue à Cypriano & Augustino factitatum. Igitur dubitare non debemus, & illi multo magis certi esse possunt & debent de sua iustificatione, quia multo magis certi esse possunt & sunt de suo in Christum animo, & de sua fortitudine & constantia, & de beneficijs eximijs, quæ à Deo sibi tum cōferri experiuntur, vt cōstantius & alacrius propter illum omnia perferant.

Amplius: Apud Deum voluntas pro facto reputatur, neque actus exterior auget meritum interioris. Et Deus neminem iustificat post mortem, quem non iustificauerit in via. Sed martyres, certum est, fore iustos post mortem: Ergo etiam certum est, eos fore iustos ante mortem, & ex consequenti ipsi saltem, qui sciunt iam lethalia habere se vulnera, & certi sunt de proposito perseuerandi in sua confessione, & maiora iam constanter tolerasse, quam supersint toleranda, certi poterunt esse de sua iustificatione. Qua ratione enim in vltima parte martyrij: quæ nonnunquam leuior & minus meritoria est, Deus illis suam creditur impartiri gratiam, eadem & in priori credendum est Deum ipsos iustificare.

Non potest etiam constanter quis martyrium pro Christo ferre, nisi Dei ipsius gratia. Et hoc à Deo, ait Paulus, non solum, vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Neque natura nostra debilitata & extenuata per peccatum, tantum & tam præcellentem affectum, & tam repugnantem carnis affectui & inclinationi naturali, posset habere suis viribus, nisi à Deo mirifice adiuuaretur. Et multo minus credendum est eos hoc posse, qui obnoxij sunt alicui lethali peccato. Neque verisimile est, Deum adiuuare ad tam arduum & tam præclarum opus, nisi eos, quos ipse diligit, & eo nomine in tantam vult gloriam prouehere. Item martyrium baptismus quidam est, & tali nomine honoratus fuit à Doctoribus Ecclesiæ.

Inconueniens ergo videtur, ne dicamus absurdum, non ei hanc prærogatiuam tribuere, vt certos efficiat homines de sua gratia apud Deum. Et vel hoc nomine deberet istud non negari. Accendere enim hoc poterit homines & extimulare ad tolerantiam martyrij, & contraria sententia ab ea retrahere, vel saltem remissiores homines & segniores ad rem tantam facere. Non occurrunt fortiora, neque maiora argumenta, quibus iuuare possimus eos, qui pro singulari sui animi pietate, saltem martyribus voluerunt istud priuilegium certitudinis, de sua iustificatione concedere.

Sed

Responsio.

Sed neque istis adduci possum, vt credam aliquem martyrem aut habuisse, aut habere potuisse certitudinem de sua iustificatione, nisi eam Deus illi reuelauerit, sicut reuelasse plerisque credendum est, etiã suam perseuerantiam, & repositam eis beatitudinis coronam, vt ea re alacrius & fortius in sua confessione perstarent.

Proposit. 1.

Et quidem argumenta pene omnia statim facta, si probarent certitudinem gratiæ, eadem ratione, ac fortasse multo maiori, possunt probare certitudinem beatitudinis in martyribus. Testimonia enim scripturæ, quæ allegata sunt, de corona & æterna beatitudinis mercede loquũtur. Et Ecclesia non solum sanctos, sed beatos credit omnes martyres. Exultatioque martyrum in tormentis, magis erat de præmio & corona beatitudinis, quam sibi iam paratam ac pene præsentem probabilissime credebant, & de constantia sibi à Deo benigne concessa ad confitendum ipsius gloriam, quam de iustificatione sua. Nihil sibi iam illi alieni ab omnibus pene affectib⁹ huius vitæ, de iustitia sua blandiebantur, sed ad ea, quæ sunt priora, nempe ad Dei gloriam, & ad immarcescibilem gloriæ coronam, quæ eos expectabat, totum suum animum extendebant, licet nonnunquam etiam futurorum Dei iudiciorum timore trepidabant, vt eleganter edisserit Ambro. in illa verba psalmi, *Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum.* Itaque si nemo vnquam credidit ex Doctoribus catholicis, certos ex fide fuisse martyres de æterna sua beatitudine, sine diuina reuelatione: nemo etiam propter argumenta facta, certos ex fide debet eos credere fuisse, aut esse potuisse de sua iustificatione.

Causa lætitiæ Martyrum.

Psalm. 118.

Proposit. 2.

Quãquam autem sancti Doctores appellant nonnunquam martyres & egregios confessores eos, qui vincti erant propter Christum, & aliqua grauia tormenta vel pericula, citra mortem, fortiter patiebantur, eodemque nomine & titulo exornarunt, & beatam virginem & alias virgines & præclaros aliquos sanctos viros: tamen Ecclesia nunquam vt martyres coluit, neque priuilegia aut prærogatiuas martyrij aliquibus concessit, qui non vsque ad mortem perseuerauerint in tolerantia tormentorum aut carceris propter Christum aut iustitiam. Est quippe, vt sanctus Thomas recte credit, de ratione martyrij, mors.

Mors de ratione martyrii.

2. 2. q. 124. art. 4.

Neque potest quisquam dici proprie martyr, aut martyrium, quod ad salutem & gratiam sufficiat, perpessus, nisi etiam mortem grato & minime reluctanti animo, pro fide vel iustitia tolerauerit: Nam alioqui multos martyres necesse esset fateri, esse in inferno, eos videlicet, qui cum grauia tormenta pro Christo passi fuissent, postea tamen vel in ipsis tormentis, vel ab eis absoluti, ab ea vitæ sanctitate defecerunt, & condemnati sunt.

Sicut igitur Ecclesia neminem colit, aut colendum tradit vt martyrem, donec consummauerit agonem suum, & vitam in tormentis vel carcere pro Christo clauserit: ita ex nullis tormentis patienter toleratis propter Christũ, potest in hac vita se quispiam vel alterum, certo credere esse iustificatum propter prærogatiuam martyrij. Quando quidem non est martyrium perfectum & consummatum ante mortem: & soli eiusmodi martyrio promissa est iustificatio & merces vitæ æternæ: neque cuicũque cuiuscunque vulneris vel tormenti, aut iniuriæ pro Christo toleratæ communis fieri debet laus & prærogatiua martyrij.

Propos. 3. Nõ est certum sufficere ad gratiã martyrium sine pœnitentia.

Neque omnino certum est inter Doctores catholicos, sufficere ad remissionẽ peccati mortalis, etiam ipsum martyrium perfectum & consummatum, si quidem illud patiatur, qui erat in mortali peccato, neque habeat pœnitentiam formalem suorũ peccatorum. Est quidem hoc, vt lib. 6. c. 36. docuimus, multo probabilius suo opposito: tamen cum Christus dicat absolute, *Nisi pœnitẽtiam egeritis, omnes similiter peribitis*: nescio vnde illud possim tradere, vt omnino certum: neque, quantũ recordari possum, quisquam catholicorum authorum, quos legerim, hoc tradit pro certo. Et quemadmodum Paulus, & post eum Cyprianus & Augustinus constanter tradunt, non satis esse ad salutem, mortem subire pro Christo, si id fiat sine caritate, & in errore aliquo vel schisma-

Luc. 13.

schismate: ita etiam videtur dici posse, non sufficere ad martyrium tolerantiam mortis pro Christo, si eam quis toleret in aliquo peccato mortali absque vlla ipsius formali pœnitentia.

Quod si de pœnitentia sufficienti ad reconciliandum nos Deo, nemini potest, vt supra ostendimus, satis certo constare, neque poterit etiam constare de sua iustificatione per martyrium, præsertim cum neq; illud habeat virtutem, quam habent sacramenta, vt faciant de attrito contritum. Neque testimonia citata satis hoc cõuincunt. Similiter enim loquitur scriptura de eleemosyna, & de remissione iniuriarum nostrarum, & de dilectione proximorum, & de tolerantia cuiuscunque contumeliæ, maledictionis, & persecutionis pro Christo, & tamen nullus catholicorum Doctorum tribuit vim alicui istorum iustificandi sine pœnitentia. Et sicut testimonia, quæ omnibus suscipientibus sacramenta, gratiam videntur promittere, communiter interpretamur, si quidem non sit obex peccati mortalis, qui hoc impediat; ita & exponere possumus, quæ omnibus confitentibus Christum gratiam & gloriam absolute pollicentur, & intrepidi, minimeque dubij cum Augustino dicere: *Nemo suæ voluntatis arbiter constitutus, potest nouam vitam inchoare, quin eum pœniteat vitæ prioris.* Et quamuis martyrium merito dicatur baptismus, & sine vlla pœnitentia potuerit iustificare innocẽtes pro Christo occisos, tamen cũ baptismus aquæ non iustificet adultos sine pœnitentia, neque certum sit sufficere cum eo qualemcunq; pœnitentiam: mirandũ non est, si quis dixerit, neque martyrium hoc posse præstare sine pœnitentia sufficienti ad salutem. Esto etiam maxima illa sit caritas, qua quis animam ponit pro amicis suis, tamen & de Deo & de quouis homine, merito possumus ambigere, an acceptet nostram pro ipso passionem sine pœnitentia, cuiuscunque offensæ grauis contra illum à nobis commissæ. Et cum martyres non possint esse certi de tali pœnitentia, neque poterunt esse certi de sua iustificatione absque Dei reuelatione. Et licet natura nostra in tam perfectos actus non sufficiat proprijs viribus, immo vt illi & alij similes cum alacritate & lætitia fiant, communiter necessarij sint habitus infusi, ex fauore tamen Dei speciali, & aliquãto maiori conatu & studio virium nostrarum, videntur posse in nobis inueniri tales actus absque gratia gratum faciente. Vnde & Cyprianus in ora. dominic. & de simp. prælat. & Augustinus ser. 44 par. 1. & libr. 2. ad Simp. q. 1. palam confitentur, posse in hæreticis inueniri patientiam & tolerantiam mortis pro fide Christi.

Aug. in epi. ad Feliciã d. Pœn. dist. 1. Nemo tamen, Tres sunt, & Quæ aliquando.

Non est quidem æquandus verus martyr falso martyri, neque quo ad affectum, neque quo ad effectum, vt egregie profecto & eleganter ante nos disseruit doctissimus Episcopus Catharinus in expurgatione sua. Quin & is, qui in lethali peccato mortem pro Christo pateretur, multis nominibus vinceretur ab eo, qui eam cũ gratia, toleraret. Nam in peccatoribus neque absoluta est veritatis cognitio, neque vera lætitia, neque solita pax & constantia. Neque erroris tantæ sunt vires, quantæ veritatis. Et hæreticorum morientium pro sua hæresi, quæ videtur alacritas & fortitudo & constantia, non fortitudo est, sed insania, furor, immanitas, mentis cæcitas, desperatio & auiditas gloriæ, atque obdurata quædam & nimium pertinax propriæ sententię dilectio & fiducia.

Veruntamen ista est cæcitas huius status, & medicina aptissima naturæ nostræ proclui ad superbiam, vt neque hi qui vera mentis lætitia & fortitudine à Deo donantur, satis certo intelligere queant, an talia sint, quæ in se experiuntur, vt non possint inueniri extra Dei gratiam.

Cum itaque tantum dubium sit de martyrio perfecto, an sufficiat sine pœnitentia ad salutem: non deberet quisquam certum ex fide existimare, sufficere ad gratiam, voluntariam aliquorum tormentorum citra mortem perpessionem, aut voluntatem quantumcunque efficacem moriendi pro Christo sine pœnitentia sufficienti. Certitudinem moralem de sua gratia ex tolerãtia lethalium vulnerum possunt, si volunt, & cum

&cum pœnitentia, & sine ea sibi persuadere, neque nos repugnamus: sed certitudinem fidei vnde possint sibi vendicare, non video, neq; nos tali certitudine certi possumus esse de ipsorum iustificatione.

Propos. 4. Tametsi etiam certum esset, sine pœnitentia martyrium sufficere ad salutem omnibus peccatoribus, qui neq; hæretici sunt, neq; schismatici, & Deus in hac vita iustificationis gratiam impartiatur eis, quos optime nouit perseueraturos in suo martyrio vsq; ad mortem, nō ideo tamen martyres certi esse possunt de sua iustificatione. Non est quippe ex fide certum temporis punctum, quo Deus eam gratiam largiatur. Nam posset dare in quolibet tempore terminato ad instans mortis, si quidem homo desinat esse per primum nō esse, & consequenter ea gratia inciperet fuisse, & in nullo instanti cœpisset esse. Si autem homo desinat esse per vltimum sui esse sicut quidam defendunt probabiliter, quia anima successiuè desinit informare corpus, & datur minima pars corporis, sub qua potest esse, defendi valet, gratiam martyrij dari in vltimo esse hominis, & tunc datam fuisse innocentibus pro Christo occisis, qui non erant circuncisi. Quare per martyrium nunquam plena certitudo suæ gratiæ haberi potest in hac vita à martyribus.

Incertū est punctū collationis gratiæ martyrii.

Bern. ser. 61. in Cant. Sed objiciunt quidam aduersus hæc omnia, pulcherrima verba Bernardi: *Stat martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit?* Hæc ille.

Ex his autem videntur, iuxta Bernardum, martyres non tantum esse certi, sed tuti etiam & securi de sua salute. Parum tamen expendunt propositum Bernardi in eo loco, qui hæc objiciunt. Non tutos esse martyres ostendere vult Bernardus. Si enim tutiessent, non modo de sua iustificatione,

Responsio. sed & de sua beatitudine certi essēt. Vult tamen docere, eos in tutissimo & firmissimo loco mentem animumque suum posuisse, nempe in vulneribus Christi, vt inde fortes reddantur ad exuperandum & contemnendum omnes corporis dolores. Et hoc ex antecedentibus & consequentibus manifestissimum esse poterit omnibus, qui ea legerint.

CAPVT XLIIII.

Neque ex Philosopho, neque ex rebus, quibus comparatur caritas, idonee probatur certitudo gratiæ.

OMNEM mouent lapidem, qui volunt certitudinem suæ iustificationis & sibi, & alijs vendicare & arrogare. Et vbi vident parum se profecisse argumētis Theologicis, ad Philosophum & similitudines, siue allegorias recurrunt. Atque in primis objiciunt nobis illud Philosophi, Inconueniens est, nobilissimos habitus esse in nobis, & latere nos. Ita enim ille impugnat Platonem, dicentem, omnem nobis inesse scientiam à nostra formatione, sed quasi obnubilatam & obrutam propter impedimenta aliqua: & nostrum scire, nihil aliud esse, quam quoddam reminisci. Quod si hoc verum est de habitibus naturalibus, cur non & idem credamus de supernaturalibus? Cum igitur nobilissimus sit habitus, gratia nostra informās, vel caritas: inconueniens erit, aiunt, eam esse in omnibus iustis, & tamen neminem posse scire, an illam habeat, necnè. Obiect. 1.

Laterem tamen lauant, cum nobis putant aduersari Aristotelem. Non omnino dicuntur latere nos, quæ sciri possunt à nobis scientia quadam humana, id est, coniecturali, siue morali, aut violenta aliqua præsumptione. Quomodo supra asseruimus, nobis posse innotescere nostram gratiam, neq; maiorem scientiam de habitibus naturalibus requirit Philosophus. Resp. 1.

Non omnino ignoti nobis habitus nostri.

Sed & quæ ab eo dicuntur de habitibus naturalibus, qui per actus possunt à nobis vtcunq; cognosci: non necesse est, neque iustum transferri ad habitus supernaturaliter infusos nobis. Nam hi duntaxat per fidem Respons. 2.

Ignotiores sunt habitus supernaturales, quā naturales.

dem nobis possunt innotescere, propterea quod licet actus præcellentes ab eis profluant, per quos possent vtcunq; constare, tamen nobis non potest satis constare, an ab habitibus acquisitis, vel à potentijs nostris cum speciali Dei auxilio illi prodeant.

Respon. 3. Ignotior gratia habitibus operatiuis. Et vt de habitibus operatiuis supernaturalibus concederemus parem esse rationem, ac de naturalibus, certe de gratia infusa, vel de caritate infusa, quatenus facit nos & nostra bona opera grata Deo & vitæ æternæ meritoria, par non est, sed longe dispar ratio. Hæc enim conditio propria, quam facit in nobis, & in bonis actibus nostris, & quæ non potest esse ab alio habitu, omni via naturali ignota est, nisi Deus re-

1. Cor. 2. uelet. *Quæ Dei enim sunt, nemo nouit nisi spiritus Dei, & cui voluerit ipse reuelare.* Verum caritas,

Obiect. 9. addunt, comparatur in scripturis igni & lumini. Igni quidem, secundum communem Doctorem expositionem, cum Christus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid vo-*

Luca 12. *lo, nisi vt accendatur?* Lumini vero comparatur,

1. Ioan. 2. cum Ioannes dicit: *Qui diligit fratrem suũ, in lumine est.* Cum ergo & ignis & lumen sint maxime manifesta & cognoscibilia, aut istæ comparationes reijciendæ erunt, aut concedendum prorsus erit, posse à nobis cognosci nostram caritatem. Quod & apparenter sic confirmant: Impossibile est de lege, caritatem esse in aliquo, & non magna operari: sicut impossibile est, ignem esse alicubi, & non ardere, neque comburere, neque sui aliquam notitiam alijs præbere. Magna enim operatur Dei amor, si est: & si operari renuit, amor non est, sicut dicit Gregorius hom. 30 in euan. Quicunque ergo caritatem habet, poterit nosse se eam habere.

Respons. 1. Verum Symbolica Theologia non est argumentatiua, sicut dicit Dionysius. Et tolerandum non est, sicut dicit Augustinus contra Vincentium Donatistam, velle dogmata firmare ex illis, quæ sunt posita in allegoria, nisi alijs testimonijs scripturarum illa possint firmari, & doceri ab Spiritu sancto intenta esse.

Respons. 2. Et satis est, vt caritas ignis dicatur & lumen, quod mentes nostras verè illuminat, & ad amorem Dei & proximi iugiter inflammat, & quod ea nobis, vbicunque sit, potest saltem coniecturis quibusdam constare. Vt enim hoc in genere moneamus pro omnibus argumentis defendentium certitudinem fidei de gratia, sæpe in his quinque grauiter paralogizant. Nam & quæ de certitudine coniecturali aut morali dicuntur, quæque ea certitudine contenta essent, ad certitudinem fidei transferunt: & quæ de fiducia, ad fidem: & quæ de fide absolute, ad fidem viuam: & quæ de donis Ecclesiæ, ad dona singulorum: & quæ de testimonio probabili Spiritus sancti, ad testimonium certum vel euidens. Verùm hactenus de certitudine fidei de gratia.

CAPVT XLV.

De Signis & Indicijs, seu coniecturis gratiæ.

CVm ex prædictis satis constet, neminem posse in hac vita mortali certitudinem fidei assequi de sua iustificatione, nisi per diuinam reuelationem: tempus appetit, vt & illud edisseramus, an aliquam saltem minorem certitudinem obtinere de ea re possimus. Et quidem apud omnes, quos legerim, hoc video extra controuersiam receptum, posse quemuis iustum certitudinem coniecturalem de sua iustitia habere. Vt enim neque penitus, sicut Damascenus dicit, 1. Orth fid. reliquit nos Deus sine notitia sui, neque penitus nobis voluit in hac vita innotescere, ita sublimem statũ gratiæ, quem iusti omnes habent, adoptati in filios Dei, & diuinæ facti consortes naturæ, neque penitus voluit ipsis in hac vita notum esse, ne superbirent: neque penitus ignotum, ne nimium timerent, & desperarent. Nam manifesta notitia tantæ dignitatis, paruulis, & ad elationem, & inanes glorias procliues, ad superbiam posset inflectere. Et qualisqualis tanti beneficij notitia, ad amorem diuinum mirum in modum & excitare omnes potest, & trahere atque inflãmare.

Certitudo autem coniecturalis, quam omnes Doctores iustis omnibus cõcedunt possi-

possibilem, sicut patere potest ex his, quæ superius diximus, non est certitudo simpliciter & absolute, sed duntaxat est opinio ex coniecturis, signis vel indicijs, aut argumentis probabilibus collecta. Cum enim coniecturæ, demonstratiua argumenta non sint, sed topica duntaxat, & probabilia: nullis coniecturis firmari sic potest intellectus noster in assensu alicuius propositionis, vt non hæsitemus de veritate opposita.

Signa autem probabilia valde, quibus coniicere possunt iusti se esse iustificatos, sunt illa, quæ cap. 35. retulimus, quæ & statim referemus ex Diuo Bernardo. Verisimilia etiam nostræ iustificationis signa tria illa sunt, quorum meminit Alexander Halensis, lumen, lætitia, pax. Cum enim Deus lux sit augustissima, & prorsus inaccessibilis, quas inhabitat animas, luce implet & circundat, vt & mysteria diuina, & agenda omnia, & seipsos plenius possint cognoscere. Vbicunque enim habitant veri filij Israel, lux est. Et iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsq; ad perfectum diem. Præceditq; eos Deus in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem, donec veniant ad promissionis illam terram, vbi Deus sine vlla noctium & dierum vicissitudine, fulgentissima erit omnium eorum lux.

Tria signa gratiæ.

Lumen iustorum.

Et hinc est, vt anima viri sancti annunciet aliquando vera plusquam septem circunspectores sedentes in excelso.

Neq; solum illustrantur iusti ad Dei illapsum & præsentiam, sed & mirum in modum recreantur consortio ipsius, & lætitia & gaudio implentur corda ipsorum. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, sed lætitiam & gaudium. Et verissime scriptum est, *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Et rursus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, & perfecisti eis, qui sperant in te.* Et alibi illis, qui reuertuntur ad Deum, & sermones eius ponunt in corde suo, etiam in hac vita delitiarum affluentiam super omnipotentem pollicetur scriptura. Et admirabilis nonnunquam pax & tranquillitas in conscientia, & mitigatio incredibilis fomitis sequitur ad aduentum Spiritus sancti. In pace enim factus est locus eius. Et tumultus omnes & anxietates conscientiæ sua præsentia sedat, rebellemq; carnem sub ditione spiritus conprimit. Apparentissima etiam signa interioris gratiæ, sunt contemtus mundi, despicientia honorum, diuitiarum, & voluptatum huius seculi, desiderium patriæ cœlestis, feruor in executione diuinorum mandatorum, & omni carere remorsu, aut conscientia alicuius peccati mortalis.

Lætitia iustorum.

Pax iustorum.

Alia 4. signa gratiæ.

Sed inter omnia nostræ iustificationis indicia, duo velim præcipue mandari memoriæ, quæ vt facilima & numero paucissima, ita & præcellentissima & certissima sunt, & maximam securitatem præstare possunt his, qui certo sciunt, se permanere in fide catholica.

Duo potissima signa gratiæ.

Alterum est, dolor de peccatis omnibus contra Deum commissis.

Alterum, propositum vitandi omnem ipsius offensam, & seruandi per omnia, cuncta diuina mandata.

Et qui se certo nouerint hoc animo esse, vt supra modum doleant de omnibus offensis, quas contra Deum admiserint, & eas in posterum, non obstantibus quibuscunque incommodis & periculis, quanta maxima potuerint cura & diligentia, cupiant vitare, probabilissimam sane suæ iustificationis coniecturam habent, & merito toto pectore totisq; præcordijs de tanto & tam præcellenti beneficio possunt intra se exultare.

Et hanc qualemcunque cognitionem nostræ iustificationis, vel nostri status possibilem esse nobis, satis aperte docent diuus Thomas, Alexander Halensis. D. Bonauentura, Scotus, Nicolaus Lyranus, Gerson, Durandus, Gabriel in locis, in quibus eos pro nobis supra capit. 14. & 15. citauimus, & ante eos docuit vel innuit potius diuus Augustinus libro de Pastoribus. cap. 12. his verbis: *Temerarijs iudicijs plena sunt omnia, neq; timor certus est, neque amor. Quid sit hodie quisq; homo, vix nouit ipse homo: tamen vtcunq; quid hodie, quid autem cras, neq; ipse.* Hæc Aug.

CAPVT XLVI.

Possunt viri Spiritales certitudinem assequi de sua gratia.

SVPEREST, vt & illud quoque expediamus, an certitudinem aliquam maiorem quam coniecturalem, possimus habere de nostra iustificatione. Est enim & certitudo aliqua humana, omnis planè hæsitationis expers, atque ideo maior quam coniecturalis, sed minor tamen certitudine fidei, vt cap. 4. huius libri docuimus. Et eam nos certitudinem moralem censuimus appellandam.

Occurrunt autem vtrinque non leuia argumenta, quæ me profectò nunc in vnã partem inflectunt, nunc in alteram. Atque hactenus nulla occurrerunt argumenta, quæ in hi hanc vel illam partem certam fecerint. Et cum pars negatiua fuerit communis opinio scholasticorum, vt patere potest ex citatis supra cap. 14. & 15. neq; vnquam fuerit damnata ab Ecclesia, miror quendam catholicum tanto affectu parti oppositæ adhæsisse, vt non veritus fuerit dicere peiorem & detestabiliorem esse Lutherana opinione sententiam, quæ asserit, non posse iustos hic assequi suæ gratiæ certitudinem, omnis metus & formidinis expertem. Cum enim, ait, Lutherani multum tribuant fidei, hæc sententia derogat & fidei, & sacramentis, ac virtutum meritis & operibus.

Possibilis spiritalibus certitudo de sua gratia. Mature tamen omnibus hincinde pensatis, probabilius profectò esse credideram, posse aliquos viros spiritales tantopere in exercitijs spiritalibus & in familiaritate diuina proficere, vt absque vlla temeritate possint certo & absque vlla hæsitatione credere, se inuenisse gratiam & remissionem peccatorum suorũ apud Deum.

Argum. 1. Primo: Tam fortia occurrere possunt argumenta, quæ suadeant spiritalibus viris suam iustificationem, quam sunt illa, quæ suadent alia, quæ omnes censent & posse & debere à nobis certo credi, & absque vlla formidine. Credimus enim certo omnes Christiani, ex parentibus Christianis orti, & inter Christianos educati, nos esse baptizatos, neque vel minimam habent, nisi rarissimi & scrupulosissimi, ea de re formidinem. Idemq; & de quibuscunque alijs similibus ita firmiter præsumimus, vt ea præsumptio merito pro certitudine sit habenda, sicut supra ex Innocentio 3. C. veniens. De presbytero non baptizato. docuimus. *c. Veniens, de Presb. non baptizato.* Credimus etiam omnes sacerdotes absque vlla hæsitatione, nos esse ordinatos ab episcopis, qui nos exterius ordinarunt. Eademque certitudine credimus sacerdotes consecrare vere Eucharistiam, quotiescunque altaris sacrificio assistimus, tametsi neque euidenter, neque per diuinam reuelationem constet nobis intentio vel Episcopi ordinantis, vel sacerdotis baptizantis, aut consecrantis, quam certo scimus per fidem, ad conficiendum ista sacramenta esse necessariam. Neque est qui temeritatis vel præcipitationis notam ob ista cuiquam inurat, immo omnes culpabile esse censent de aliquo iustorum, nisi grauissimis de causis, vel tantillulum hæsitare.

Quod autem tam grauia queant subesse iustis argumenta, vt credant se esse iustificatos, quam sunt illa, quæ faciunt nos certo credere, & episcopos & sacerdotes habere, dum conficiunt & conferunt hæc sacramenta, intentionem debitam, exemplo vno possumus facere dilucidum.

Descriptio iusti, certi de sua iustificatione. Videt se Antonius, fidelibus & religiosis parentibus natus, & ab eis Christianè & sanctè educatus, omnia firmiter credere, quæ credit Ecclesia Romana, & nulli opinioni adhærere, quæ non censeatur communiter probabilis in schola catholicorum Theologorum, vel quam non acceperit ab optimis & Doctissimis Theologis, cum quibus omnes scrupulos suæ conscientiæ contulerit.

Videt dolere se de omnibus offensis Dei, quas admisit, & velle se illi placere in omnibus vsque ad grauissimam mortem, & in nullo quantumcunq, paruo, etiam grauissima ex causa displicere. Videt se paupertatem extremam propter Dei obsequiũ & gloriam esse amplexum, & nullius honoris, dignitatis [illegible] emolumenti temporalis tene[illegible] [illegible] bona hu-

iuſ

ius mundi deſpicere, & ſolum Deum, & quæ ſuæ conueniunt gloriæ & ſaluti proximorum, concupiſcere, & quam regulam profeſſus eſt, pro humana fragilitate obſeruare.

Videt & cognoſcit ex dono Dei ſe habere vt neminem oderit, neminem faſtidiat, neminem lædat, nemini ſit difficilis aut grauis, omnes amet, omnes præ ſe honoret, omnibus ſe facilem, humanum, benignum, morigerum, & obſequentem præbeat.

Videt & Euchariſtiam ſe & pœnitentiæ ſacramentum ſingulis penè diebus cum huiuſmodi affectibus, & quanta maxima poteſt deuotione frequentare, & officium diuinum, ad quod tenetur, rectè ſingulis diebus perſoluere, neque intermittere exercitia alia ſancta & ſpiritalia, familiaria viris ſpiritalibus, ſed illis potius multis diebus ſtudioſe aſſueuiſſe, & pijs operibus & ſtudijs iugiter ex Dei gratia vacare & inhærere, & omnia acta cuiuſq; diei diligenter ſecum quolibet die ante ſomnum nocturnum reputare, vt lugeat & emendet, ſi qua forte admiſerit peccata, & totam gloriam & laudem operum bonorum, quę fecerit, Deo vni & ſanctis eius ex aſſe adſcribat. Et præter hæc, & alia huiuſmodi, quæ Antonius in ſe, & de ſe experitur, quibus velut gradibus certis minimeque fallacibus ſuos Deus perducit, proficientes de virtute in virtutem, ad videndum ſe, ex fide nouit Deum recipere confugientes ad ſe, & omnes ſe diligentes diligere, optimeque ſcit ex doctrina Eccleſiaſticorum Doctorum, rariſſime aut nunquam contingere, vt aliquis diu perſeuerauerit in vno peccato, quin alia de nouo adiecerit. Peccatum enim quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere, ſicut dicit Gregorius, trahit ad aliud. Hæc igitur cum ſimul in Antonio concurrerint, quid impedit, quo minus ipſe poſſit & debeat certo
Pſalm. 144 credere ſe eſſe in gratia, neq; vel tantillu-
Matth. 11. lam admittere de hoc trepidationem? *Bonus eſt Dominus animæ quærenti illum, & ſuauis vniuerſis, & iugum illius ſuaue, & mandata eius non grauia.*

Et tanta hæc ſunt, & tam fortia argumenta, vt iudicio omnium ſapientium, merito certum cenſeatur, Antonium, qui, quæ diximus, de ſe experitur, eſſe in Dei gratia, neque debere de ea re trepidare. Exuperant nimirum, aut certe exæquant hæc argumenta, omnia argumenta quæ faciunt nos certos de intentione conferentium aut conficientium ſacramenta.

Et profecto neſcio, an aliqua quæ communiter cenſetur certa moraliter, tam vehementibus argumentis probari poſſint, quam Antonius, de quo locuti ſumus, poſſet probare & perſuadere ſibi ſuam iuſtificationem. Et quomodo non certus ſit de ſua gratia, ſi ad hæc acceſſerit, vt ea in ſe experiatur, quæ ſolent in ſe viri ſpiritales experiri cum ad perfectionem venerint?

Habent quidem illi pacem in conſcientia, & contemplationi & meditationibus ſpiritalibus iugiter ſunt intenti: toti exultant, quod in gratia Dei ſint, quod viam mandatorum Dei percurrant, quod mundum deſpiciant, & omnia quæ ſunt in eo, velut ſtercora arbitrentur, quod vni Deo ſeruire & placere cupiãt, quod vnũ Deum deſiderent, ambiãt, geſtiant, ſecurique & mundi inſtar habentes, nihil timent, nihil formidant, nihil verentur, ſed quaſi leones confidentes, vna Dei prouidentia & ſolicitudine de ſe contenti, abſq; terrore ſint:
Quia *perfecta caritas foras mittit timorem*: Et 1. Ioan. 4.
vbi metus eſt, non eſt dilectio perfecta. Hier. tract. de Filio prodigo.
Multoq; magis impauidi, quam ille, de quo quidam poëta dixit: *Si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ*: fluctus omnes mundi, & ſæuientem in ſe dæmonem contemnunt, magnoq; cordis iubilo ex corde dicunt cum Pſalmiſta: *Expectans expectaui Do-* Pſalm. 39.
minum, & intendit mihi: Et exaudiuit preces meas & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis: Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos: Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro. Et cum Salomone, admirabili
proſus fiducia cantant: *Dilectus meus mihi,* Cant. 2.
& ego illi. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me rex in cellã vinariã, ordinauit in me caritatem. Læua eius

 sub

sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cumque abundantiam spiritualium charismatum in se experiuntur, & dulcedine magna afficiuntur ex meditatione beneficiorum diuinorum, passionis Christi, & bonitatis & prouidentiæ Dei, tripudiantes toto corde, dicere solent: Esaia 12. *Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Conuertere* Psalm. 11. *anima mea in requiem tuam, quia Dominus bene-* Zach. 9. *fecit tibi. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Et alia similia, quæ qui accipiunt, nouerunt. Vox enim exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. Vox gaudij, & vox laudis: Vox sponsi, & vox sponsæ. Neque solum spectant ad patriam cœlestem, sed in hac vita implentur illa, quæ olim Deus pollicitus est populo suo in lege gratiæ: Esaia 32. *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium & securitas vsque in sempiternum: Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tab. &c.* Quia non in regno duntaxat cœlorum, sed & in hac via exhilarat sua visitatione, & confirmat iustos. Dominus, ne semper vacillent & nutent, & hæsitabundi de sua iustificatione & de beneficijs sibi collatis, anxiam & solicitam vitam agant.

Argum. 2. Deinde: Illud possumus moraliter certo & absque vlla hæsitatione credere, cui non nisi rarissime & difficilime potest subesse falsum, & de quo, cum fortissima sint argumenta pro ipsius veritate, nulla occurrit verisimilis causa dubitandi. Ideo enim & moraliter certum videtur appellari. Sed potest sic apparere certum Antonio, in casu prædicto se esse iustificatum, vt raro vel nunquam contingat decipi in eiusmodi assensibus, qui tanta & tam præclara argumenta habuerit suæ iustificationis. Nulla etiã occurrit ei causa dubitandi de hoc, multæ autem & maximæ sic assentiendi. Ergo id erit Antonio certum moraliter. & ipse poterit certo & absque vlla formidine sic assentiri. Ad hæc: Vbi certum mihi esset, Argum. 3. Petrum esse optimum & perfectum, & pro eo certum esset mihi, me velle omnia damna & pericula libenter & prompte tolerare, & in omnibus velle ipsi morem gerere, & de omni ipsius offensa acerbe & amare dolere: certum esset mihi, me inuenisse gratiam apud illum, & obtinuisse remissionem omnium offensarum, si quibus cõtigerit eum offendisse. Cum igitur certi simus per fidem de eximia bonitate Dei, & singulari propensione ad nos amandum, & recipiendum in suam gratiam omnes confugientes ad se, ac nobis certa possit esse plerunque nostra animi promptitudo ad ferendum omnia damna & pericula pro ipsius gloria & obedientia, & dolor de omni offensa ipsius possit esse manifestus, poterimus & certi esse de nostra iustificatione apud ipsum.

Insuper: Potest esse certum moraliter, Argum. 4. nos facere quod in nobis est ad obtinendã Dei gratiam, aut saltem ad recipiendum digne sacramenta Ecclesiæ. Possumus enim certi esse moraliter, nos facere omnia præscripta a Doctoribus catholicis tanquã necessaria ad ista, & certum est saltem moraliter ista sufficere, satisque esse ad euitandum peccatum & damnationem, omnia illa nos facere, quæ satis ad hoc sunt secundum opiniones probabiles catholicorum Doctorum.

Præterea Certum est moraliter saltem, Argum. 5. cum sacramento baptismi vel pœnitentiæ, ad iustificationẽ peccatoris sufficere qualemcunque dolorem de peccatis, quatenus sunt offensæ Dei, cum propo sito seruãdi omnia mandata. Tam apparentia enim argumenta sunt pro his, vt profecto absq; temeritate credide im, posse nos certo & sine formidine assentiri huic opinioni, tametsi diffinita ab Ecclesia non sit. Ergo vbi moraliter certum fit nobis de istis, & de susceptione alicuius istorum sacramentorum, poterimus sine temeritate certo assentiri nos esse iustificatos. Item: De obseruatione aliorum preceptorum Diuinorum Argum. 6. potest nobis certo moraliter constare. Cur non ergo etiam de obseruatione præcepti contritionis, aut susceptionis dignæ sacramenterum, quæ certum est moraliter sufficere ad consecutionem gratiæ; quia in eũ finem sancita & præscripta sunt?

Amplius: Non est quidem par ratio de Argum. 7. statu peccati mortalis, & de statu gratiæ.

præcel-

præcellentior quippe est status gratiæ, & multo plura ad sui acquisitionem & conseruationem requirit. Omnium siquidem mandatorum plenam obseruationem exigit, cum ad statum peccati mortalis, cuiuscumque mandati transgressio satis sit. Atq; ideo mirandum non est, si difficilius sit cognoscere, nos esse in statu gratiæ, quam cognoscere nos in peccato mortali: & hoc quidem posse constare per fidem, non illud.

Veruntamen ad perfectionem legis Diuinæ vehementer profectò videtur spectare, vt si non per fidem, saltem certo moraliter possit constare obseruatio ipsius illis, qui, quantum humana fragilitas sinit, dant operam, & diligenter & ex animo student illam seruare, ac vere obseruant. Nam alias quomodo mandatum Domini lucidum? quomodo iugum eius suaue & onus leue? Si hoc munus est sapientium Legislatorum, vt non solum vniuscuiusque sui mandati transgressio vel impletio possit euidenter suis subditis constare, verum etiam & omnium obseruatio, vt vel sic innotescere queant, qui pœnis & obiurgationibus, vel contra qui præmijs & laudibus sint afficiendi: multo profectò magis credendum est, Deum, cuius sapientia summa est, sic suas leges statuisse, vt certitudo moralis possit haberi de earum omnium obseruatione. Et cum nihil obstare videatur, vt c. 43 monuimus, quo minus de hoc aliquando certi simus, nisi, quod non satis constat, an aliqua laboremus ignorantia vincibili: cur non possit de hoc certitudinem moralē adipisci, qui certus est per fidem, se veram fidem & religionem tenere & profiteri, & nullo perniciosō errore in fide laborare, quique conscius sibi est, diu ac noctu meditari in lege Dei; & in his quæ ad suam conditionem & statum spectant, & de vtrisque contulisse sæpe cum doctissimis viris & paratum esse semper cum commodum videbitur, conferre, nulliq; opinioni pertinaciter velle adhærere. Enimuero huiusmodi sapientem, nemo nostrum ambiget liberū esse ab omni errore, vel saltem omnem ipsius errorem esse inculpabilem & inuincibilem. Quod enim amplius ad ignorantiā inuincibilem necessarium sit in homine, præsertim qui pro humana fragilitate seruat mandata, & ne in minimis quidem vult Deum offendere?

Quod si nos certi sumus moraliter, nullā illum laborare ignorantia vincibili, cur non & ipse multo magis de hoc certus sit, qui aperte omnia illa in se videt, & experitur? Decet etiam bonitatem & suauitatem diuinam, vt ad lætitiam & consolationem eorum, qui fideliter ei seruiunt, innotescere possit sua in eos gratia & amor, non tantum per coniecturas, sed etiam aliqua certitudine. Et hoc videtur requirere lex amicitiæ, quam non dubitamus, sed certo scimus inter Deum & iustos esse. Quis enim verus amicus nō aliquando suum pectus effundat in amicum, & certum eum faciat moraliter de sua in eum gratia & amore? Argum. 8.

Familiaritas itē & eximius amor, quem cantica canticorum indicant Deum habere in Eccl. atq; ei nonnūquam ostendere, exigunt reuera, vt aliqui sint semper viri spirituales in Ecclesia, quibus cum Deus sic familiariter loquatur, quiq; certi sint & nihil dubitent de ipsius in eos amore. Siquidē si nulli essent tales in Ecclesia, neq; ecclesiæ possumus dicere, sic illū familiarē se præbere, quia Ecclesia militans nihil aliud est, quam fideles & sancti viri, qui sunt in hoc mūdo. Illa insuper quies & securitas, qua plerique migrant de hac vita, illud ardens desideriū, quo charitas, cū perfecta fuerit, clamat: *Cupio dissolui & esse cum Christo*: illa lætitia, qua permulti exultant, dū intelligētes sibi propinquū esse diem mortis, dicunt cū Dauide, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*: Alacritas etiam & admiranda cōstantia martyrū, & despicientia omnium tormentorū, quam præ se ferebant quid aliud sunt, quam testimonia apertissima certitudinis moralis, quā habebāt de sua iustitia & gratia apud Deū? Non sic exultarent adueniente morte, non sic illā desiderarent, non sic lætarentur in tormētis, neq; tāta quiete & placiditate animi de hac vita decederēt, qui hæsitarent, & dubij seu anxij essēt de suo statu. Vnde & Ambr. Argum. 9. Argum. 10. Philip. 1. Psalm. 121.

In Psal. 118. in expositione illius versiculi: *Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine*: de iustis, quorum bona vita præcessit, & mors est pretiosa in conspectu Dei, sic scribit: *Videmus in seculo innocentes latos ad iudicium festinare, odisse moras, celeritatem affectare iudicij. Beatus itaq; ille, qui cœleste iudicium latus expectat. Scit enim si bi regnum cœlorum, angelorum consortium coronã quoque bonorum repositam esse meritorum.* Hæc ille.

Idemque de Hilario, Martino, & Paulino, aliorumque sanctorum exemplis docte & eleganter ostendit eruditis. epis. Catharinus in expurgatione sua. Vere etenim plerique ita sunt parati in occursum iudicis & patrisfamilias nostri omnium, vt cum ille ianuam pulsauerit, confestim, hoc est, sine aliqua trepidatione, aperiant ei, & gaudentes à nocte huius vitæ veniant ad lucem, vt manifestetur opera ipsorum. Quod si haberi non posset aliqua certitudo de his, nunquam tanto studio niterentur pij vir pacatos & quietos reddere eos, quorum morti sunt præsentes, & de quorum bona vita & sancta morte ipsi tuti & securi sunt Et talem certitudinẽ suæ bonæ vitæ v detur h buisse Ezechias cum orau t Dominum, & ex fiducia suæ bonæ conscientiæ dixit: *Memẽto quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim.* Nam hanc orationem veram fuisse, & Deo non displicuisse, manifeste ostendit diuinum responsum: *Audiui orationem tuam* Et quidem quanquam sæpe citata verba Pauli de testimonio Spiritus sancti, ad testimonium magnificum & exterius, quod Spiritus sanctus exhibuit adoptioni recipientiũ doctrinam Christi, præcipue referenda sunt, vt c. 19. docuimus, tamen & illa quoque cõtestatio videtur requirere, vt aliquibus saltem viris perfectis & spiritalibus, hoc ipsum in particulari semper contestetur interius. Atque vt semper vera sint, & non tantũ in primis Ecclesiæ (vt sic dixerim) crepundijs, & quilibet iustorum ex eo testimonio vere possit audacter clamare, *Abba pater*, etiam ad testimonium interius commodum est ea referre. Et verbum istud, *Spiritui nostro*, huc videtur nos vocare & infl. ctere.

4. Reg. 20. (margin note)

Argum. 11. Rom. 8. (margin note)

Cumque illud testimonium, quicquid sit de intelligentia Pauli, dubium non sit, vt & sancti Doctores sæpe tradiderunt, persæpe interius exhiberi à Spiritu sancto, loquẽte interius familiarissime cum his, qui ei toto corde famulantur: consentaneum non est neque verisimile, quin aliquando ita se se illis aperiat, vt omnem ambigat formidinem de ipsius præsentia & eorum iustificatione, præsertim cum, teste Paulo, ad hoc detur nobis, vt sciamus, quæ nobis à Deo sunt donata. Possunt nimirum ista argumẽta, ni fallor, sufficere ad confirmationem prefatæ sententiæ. Et eam communire possumus pluribus argumentis ex illis, quæ pro certitudine fidei de nostra iustificatione facta sunt. Quippe licet non ex torqueat certitudinem fidei, vt iam ostendimus, certe non plene multis ex illis satis fit, nisi concedamus possibilem esse iustis aliquam certitudinem de sua gratia, alienam ab omni metu & formidine.

Præter illa vero testimonia sanctorum, quæ citata sunt, quæ hanc certitudinem exigunt, lib. t & hic alia pro his adijcere. Dicit y in mystica Theologia inter mentales excessus computat vnionem, qua quidam sic arcte Deo coniunguntur, vt cum fiducia dicant: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Psalm. 26.
Quod quidem certitudinem videtur exigere.

Origenes in verba illa Pauli, *Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro*, clare testatur, Rom. 8.
cum nihil timoris est, hoc est, cum nihil propter pœnam, sed propter amorem patris cuncta perficimus, spiritum confirmare spiritum nostrum, quod sumus filij Dei. Augustinus in lib. de bono perseuer sic scribit. *Sicut ergo sanctus, cum Deum rogat, vt sanctus sit, id vtiq; rogat, vt sanctus esse permaneat: ita virg, & castus, cum rogat, vt castus sit: continens, vt continens sit: iustus, vt iustus sit: pius vt pius sit: & catera, qua contra Pelagianos dona Dei esse defendimus: hoc sine dubio petunt, vt in eis perseuerent bonis, qua se accepisse nouerunt.* Quibus verbis satis indicat, posse sanctos viros nosse hæc dona sibi à Deo collata.

Gregorius insuper lib. 13. in Reg. c. 4. aliquam certitudinem gratiæ posse haberi à sapientibus, & à simplicibus, palam docet his

his verbis: *A diis & terra manus Domini releuatur, cum tam sapientes, quam simplices, ad certitudinem diuinæ indulgentiæ aut occulto & spiritali solatio, aut prædicatorum iudicio reducuntur.* Et ita Paulum docet, quasi releuatæ manus Domini iudicium Romanis protulisse, cum ad eos scribit: *Nunc autem liberati à peccato,*
Rom. 6. *serui autem facti Dei, habetis fructum vestrum in*
Lib. 5. c. 2. *sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Et vbi explicans, cur iustos scriptura ante faciem Domini vel in conspectu Domini stare, ambulare, aut exultare describit, peccatores autem à tergo aut retro esse commemorat, sic inquit: *In conspectu quidem Domini, vel ante Dominum stare, est testimonio bonæ conscientiæ de amore conditoris præsumere. Stant quidem in conspectu eius, qui ex merito magnæ actionis de superna conditoris sui gratia securi sunt. Peccatores autem cum mala committunt, à facie Domini fugiunt: sed cum redire pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt. Quia & discedere longius nolunt, & tamen præsumere de Deo quasi amici non possunt.* Sed inter omnes doctores Ec-
Bern. clesiæ quos legerim, aptissime à nobis stat Bernardus. Nam in serm. 68 ex professo tractat, an essent aliqui viri ita spirituales, qui fiducialiter arrogare possent sibi voces illas, vel ex Canticis, vel ex aliis libris sacris, quæ diuinum quendam affectum, & singularem fauorem erga alios exprimunt, & quas certi sumus Ecclesiæ conuenire. Quales profecto sunt illæ, *Dilectus meus mihi, & ego illi. Expe-*
Cant. 2. *ctans expectaui Dominum, & intendit mihi. Do-*
Psal. 40. a. *minus solicitus est mei,* & similes. Et non ausus
Psal. 39. d. ingredi scrupulosam istam, quam vocat, disputationem, nisi prius super verbo abscondito, orato illo, qui aperit, & nemo claudit, tandem præmissa vnius diei oratione, sermone 69. ita scribit: *Si quis alicui licere crediderit eas voces sibi arrogare ego non abnuo. sed interest cui. Non n. cuicunq. Prorsus habet Ecclesia Dei spirituales suos: qui non modo fideliter, sed & fiducialiter agant in eo, cum Deo quasi cũ amico loquẽtes, testimoniũ illis perhibente conscientia gloriæ eius. Quinam illi sunt, id quidem penes Deum: tu vero audi, qualem te esse oporteat. si talis vis esse. Quod tamen dixerim, non quasi expertus, sed quasi experiri cupiens. Da mihi animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandũ est, cui viuere Christus non tantũ sit, sed & diu iam fuerit, cui studii & ocii sit, prouidere Deum in conspectu suo semper, cui solicite ambulare cum Domino Deo suo, nõ dico magna, sed vna voluntas sit, & facultas nõ desit. Da, inquam, talem animam & ego non nego dignam sponsi cura, maiestatis respectu, dominantis fauore, solicitudine gubernantis. Et si voluerit gloriari, non erit insipiens tantum, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hæc Bernardus. Sed in istis dicet aliquis, non exprimit Bernardus aliquos sanctos habere certitudinem de sua iustitia. Tantum enim dicit, esse in Ecclesia viros aliquos spirituales, qui fiducialiter agant cum Deo, & eos dignos esse Dei cura & fauore, qui prouident Deum in conspectu suo semper, & nihil amant præter ipsum, & soliciti cum eo ambulant: quibusque viuere, tantum Christus sit, & diu fuerit. Ad fiduciam autem satis posset esse certitudo coniecturalis, aut probabilis, & vehemens opinio de Dei amore erga ipsos. Et quanuis verum sit, eos viros, quos ipse describit, iustos esse, tamen non explicat, an possit aliquis eorum certus esse, se omnia ab eo iterum numerata, opere complere. Ne locus sit huic cauillo, vide quid ad finem eiusdem sermonis subiiciat. Nam cum præsentiam filii & patris, immo & eorum mansionem in animabus sanctis, ex sapientia & caritate, siue amore sapientiæ & zelo vellet ostendere, merito colligi posse à iustis, ita de se ait: *Si sensero aperiri mihi sensum vt intelligam scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine, desuper reuelari mysteria, aut certe expandi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium, & vberiores desursum influere animo meditationũ imbres, non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt & de plenitudine eius ista accipimus. Quod si se pariter infuderit humilis quadam sed pinguis intima adspersionis deuotio, vt amor agnitæ veritatis, necessarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum, ne forte aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me. tunc prorsus paterne sentio agi mecum, & patrem adesse non dubito. Si autem perseuerauero huic dignationi dignis semper, quod in me est, affectibus & actibus respondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit, etiam mansionem*

apud

apud me faciet tam pater enutriens quam verbum erudiēs. Quāta, putas, ex hac mansione inter animā & verbum familiaritatis gratia oriatur. quanta de familiaritate sequatur fiducia? Non est vt opinor, *quod talis anima dicere vereatur: Dilectus meus mihi, quæ ex eo quod se diligere & vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de sua singulari intentione, solicitudine, cura, opera, diligentia, studioque, quo incessanter & ardenter inuigilat, quemadmodum placeat Deo, æque hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promissionis eius: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Et paulo post: *Ergo ex proprijs, quæ sunt penes Deum, agnoscit, neque dubitat se amari, quæ amat,* Et statim: *Igitur qualē te parauerit Deo, talis, oportet, appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris. Quid ni æque & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & solicitus cum solicito? Denique ait: Ego diligentes me, diligo: & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me.*

Vides quomodo non solum de amore suo certum te reddat, si quidem tu amas illum, sed etiam de solicitudine sua, quam pro te gerit, si quidem te senserit solicitum sui. *Vigilas tu, vigilat & ille. Consurge in nocte, in principio vigiliarum tuarum. Accelera, quantum vis, etiam ipsas anticipare vigilias: inuenies eum, non præuenies. Temere in tali negocio vel prius aliquid tibi tribuis, vel plus & magis amat & ante: Si hæc anima scit, immo quia scit, miraris quod illa maiestatem quasi cætera non curantem, soli sibi intendere glorietur, cui soli ipsa, postpositis curis, tota se deuotione custodit.* Hæc Bernardus.

Ex quibus manifeste patet, Bernardum sensisse, posse viros spiritales ex suis affectibus certitudinem assequi, & scientiam aliquam amoris & solicitudinis Dei erga ipsos. Expresse enim dicit, viros sanctos certos à Deo reddi, indubitanter agnoscere & scire se à Deo diligi, neque dubitare aut ambigere ea de re, dum sentiunt sibi aperiri diuina secreta, & amare se Deum, & ei intendere. Et de istis perinde loquitur, ac de illis, quæ possunt spiritales viri de se experiri.

Atque hanc certitudinem videntur requirere multa, quæ supra de testimonio Spiritus sancti interius exhibito sanctis viris, ex eodem citauimus.

Verum illa præcipua sunt, quæ in trigesimoseptimo sermone in Cantica, scribit: *Ideo spes non confundit, quia caritas certitudinem infundit. Per hanc enim ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Et alias: *Spiritum nouum aduenisse, certissime noua conuersatio testatur.* Sed neque illa sunt intermittenda, quæ alibi de peccatore, qui amore seculi & suæ carnis retentus, in vmbra mortis sedet, sic loquitur: *At vero si superna eum miseratio dignanter quandoque respexerit, immiseritque spiritum compunctionis, quatenus ingemiscat & resipiscat, mutet vitam, domet carnem, amet proximum clamet ad Deum, proponatque de cætero viuere Deo, non seculo: ex qua deinde superni luminis gratuita visitatione & subita mutatione dexteræ excelsi agnoscat se merito quidem non iam iræ sed gratiæ filium, quippe qui paternum erga se diuinæ bonitatis experitur affectum, quod se vtique hactenus in tantum latuerat, vt non solum nesciret, vtrumnam dignus foret amore, an odio verum etiā odium magis, & non amorem, propria conuersatio testaretur. Erant enim tenebræ adhuc super faciem abyssi, nonne is tibi videtur quasi de abysso profundissima & tenebrosissima horrendæ ignorantiæ, in aliam quandam quoque trahi abyssum è regione amœnam & lucidam claritatis æternæ? Et tum demum quasi diuidit Deus lucem a tenebris, cum peccator, Sole illucescente iustitiæ, abiectis operibus tenebrarū induitur arma lucis, & is, quem prior vita ac propria conscientia, tanquam reuera filium gehennæ, deputauerat ardoribus sempiternis, ad tantam visitantis se, orientis ex alto, dignationem respirans, gloriari etiam incipit præter spem in spem gloriæ filiorum Dei, quam iam nimirum è vicino, reuelata facie exultans, nouo in lumine speculatur, & dicit: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine dedisti lætitiam in corde meo. O Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Iam se o bone Pater, vermis vilissimus, & odio dignissimus sempiterno, tamen confidit amari quoniam se sentit amare: immo quia se amari præsensit, non redamare confunditur. Iam apparet in lumine tuo, o inaccessibilis lux, quid boni penes te, etiam cum malus esset, miserum maneret homunculū. Amat proinde non immerito, quia amatus est sine merito. Amat sine fine, quia sine principio se cognoscit,*

Serm. 1. in 8. Paschæ.

Signa gratiæ.

Amor noster signum est Dei amoris in nos.

Amati sumus sine merito. *gnoscit amatum. Prodit in lucem, ad miseri consolationem, magnum consilium, quod ab æterno latuerat in sinu æternitatis, quod nolit videlicet Deus mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Habes homo huius arcani indicem spiritum iustificantem, eoque ipso testificantem spiritui tuo,* Testimonium Spiritus Sancti. *quod filius Dei & ipse sis. Agnosce consilium Dei in iustificatione tui. Confitere, & dic: Consilium meũ iustificationes tuæ. Præsens namque iustificatio tui, & diuini est consilij reuelatio, & quædam ad futuram* Psalm. 118. *gloriam præparatio.* Hæc Bernardus.

Ex quibus patere potest, ex sententia Bernardi, posse iustificatos ex his donis Dei, quæ in se experiuntur, certitudinem aliquã de sua iustificatione habere.

CAPVT XLVII.

De Tribus Differentijs certitudinis moralis & fidei.

NE vero quispiam hanc certitudinem, cum fidei certitudine confundat, aut eam, qualisqualis sit, definitioni sanctæ Synodi, aut illis, quæ ad eam confirmandam inducta sunt, aduersari existimet: placet ad absolutionem huius libri, quibus & quantis inter se istæ certitudines distinguantur, explicare.

Differen. 1. Et primum quidem discrimen, quod inter eas occurrit, est, quod huic certitudini morali simpliciter & absolute subesse falsum potest, certitudini autem fidei nullo modo. Itaque qui moraliter certus est de sua gratia, certus quidem est se non decipi: sed non est certus, se non posse in eo assensu decipi: qui vero per fidem certus esset se habere gratiam, certus esset neque decipi se, neque posse decipi in eiusmodi assensu.

Et ratio huius discriminis est, quia certitudo fidei innititur vel soli reuelationi Dei, qui neque fallere, neque falli potest: vel reuelationi Dei, & alicui propositioni euidenter cognitæ. Quod autem euidens vel relatum est, neque falsum est, neque esse potest, vt cap. 40. docuimus. Certitudo vero moralis quamuis in proposito colligatur ex aliquibus propositionibus reuelatis, tamen pendet etiam à propositionibus, in quarum assensu posset contingere deceptio, etiam in homine, qui se suosque omnes affectus videretur sibi optime explorasse. Nam qui moraliter certus esset, & plane absque vlla formidine assentiretur se esse in gratia: in eam certitudinem induceretur ex his propositionibus de fide, Facienti quod in se est, aut conuertenti se in Deum toto corde, Deus impartitur suã gratiam: Deus diligentes se, diligit: Sacramenta conferunt gratiam deuote & reuerenter illa suscipientibus: & similibus: & ex his propositionibus, Ego facio quod in me est, Ego diligo Deum toto corde, Ego me sufficienter disposui, & deuote & reuerenter suscepi sacramenta.

Quamquam autem in prioribus propositionibus quæ sunt de fide, nulla potest esse falsitas: tamen in posterioribus, etiam qui maxime sibi videretur ita in se experiri, ac per illas significatur, posset omnino decepi. Non quidem vt diximus, quia non possimus habere euidentiam de actibus & affectibus nostris, sed quia, facere quod in nobis est, & conuerti ad Deum ex toto corde, & legitime nos pparare ad suscipienda sacramenta, non vnum aliquem actum significant, sed obseruationem omnium mandatorum Diuinorum, & dolorem de omnibus peccatis, & in nullo peccato perseuerare, neque per ignorantiam, neque per negligentiam, neque per obliuionem aut inconsiderationem.

Quis vero tam certus sit de sua iustitia, Deo non illustrante intellectum nostrum, & peculiariter eam reuelante, vt non solum certo credat se ista omnia fecisse, sed & in eo assensu sibi persuadeat, se non posse decipi? Cum tam multi, qui ista sibi de se persuadebant, vehementer decepti fuerint, & per illusionem dæmonis possint peccatores de aliquibus veritatibus illustrari, & pacati esse & læti in conscientia, & affectus spiritalissimos in se sentire, cumque & alios nos baptizasse aut absoluisse, solum sit certum per fidem humanam: quę temeritas est, putare non posse decipi nos, vbi tam multis vijs falli & hallucinari omnes possumus?

Equidem neque intelligentia mysteriorum diuinorum, neque spiritalium charismatum abundantia, neque experientia qualiscunque dulcedinis, neque quantacunque vitæ mutatio, ex quibus certitudinem hanc probauit Bern. infallibilia signa sunt gratiæ, sed si permittente Deo transfiguret se satanas in angelum lucis, possit peccator hæc omnia se videre & experiri existimare, & tamen esse extra gratiam Dei.

Obiectio. Responsio.

Cur ergo propter hæc certo credimus nos non decipi? Quia non tantum illis certo possumus assentiri, in quibus scimus nos non posse decipi, sed & illis, quæ sic vera apparent, vt ne minima quidem occurrat causa de illorum veritate dubitandi. Et propter hanc tam latam & prægrandem differentiam certitudinis moralis à certitudine fidei, crediderim Diuum Bernardum, ne certitudinem fidei videretur docere, addidisse in epist. 107. iam citata, etiam aliquid dari iustis præsentire de sua beatitudine, ita tamen, vt de sui percepta ex parte notitia, interim quidem glorientur in spe, sed non in securitate. Illo temperamento, *Ex parte*, & illo verbo *Præsentire*, satis indicauit, neq; gratiam neque gloriam iustorum esse prorsus & absolute ipsis certas in hac vita, sed duntaxat quantum satis est, vt confidant se amari à Deo, & ab omni anxietate & formidine de sua salute liberi incipiant gloriari in spe gloriæ filiorum Dei.

Nemini licet iurare, se esse in gratia.

Et quoniam iuramentum propter honorem nominis diuini arctissime veritatem requirit, quantumcunque certi simus de nostra iustitia, & de susceptione baptismi sacramenti, non careret culpa eam sub iuramento asseuerare. Atque ideo satis esse potuit Innocent. 3 certitudo de impossibilitate certitudinis fidei de gratia, vt sicut c. 18. monuimus, velut temerarium damnauerit iuramentum de absolutione vel immunitate ab omnibus peccatis.

Diff. 2. Per fidem infusam solis reuelatis, & ex eis deductis assentimus.

Sed est & alia non parua distantia inter has certitudines. Ad ea, quæ sunt certa tantum moraliter, non concurrit fides infusa, sed duntaxat ad certa certitudine fidei, hoc est, ad ea, quæ vel reuelata sunt, vel euidenter inferuntur ex reuelatis.

Et quoniam in hoc nonnulli pij & doctissimi viri decepti sunt, atque ideo certitudinem fidei, possibilem de gratia defenderunt, quamuis non maiorem certitudinem crediderint esse in hac vita possibilem, quam eam, quam nos statim tradidimus, adnitar differentiam istam firmis argumentis ostendere.

Primo: Fides infusa ad hoc tantum datur nobis à Deo, vt per eam certo & indubitato assentiamur reuelatis ab ipso. Quandiu ergo non constiterit aliquid esse à Deo reuelatum, vel deduci ex reuelatis, nunquam per fidem infusam assentiemur illi. Argum. 1.

Deinde: Habitus nunquam concurrit ad illa, quæ non continentur sub ratione ipsius formali. Ratio autem formalis fidei infusæ, est reuelatio diuina. Argum. 2.

Insuper: Fides infusa, instrumentum est Spiritus sancti, nostræ potestati subiectum, & citra nostram voluntatem ad nullum assensum concurrens. Nunquam ergo per eam assentiemur illis, quæ possunt esse falsa, licet neque sint, neque futura sint. Quia neque nos imperabimus intellectui, vt plena certitudine eis assentiatur: neque si nos maxime imperemus, illa eorum assensum efficiet. Argum. 3.

Præterea: Omnis assensus fidei infusæ, certior est omni fide humana, idque non tantum secundum se, sed etiam quoad nos. Præbet enim maiorem certitudinem lumen fidei, quam omnis authoritas & ratio humana. Si autem per fidem infusam nos assentiremur etiam illis, quæ non constant nobis ex authoritate diuina, non semper esset maior certitudo, aut maior firmitas in eo assensu, quam in alijs tantum certis per authoritatem humanam. Quia cum nobis non constet eorum veritas ex reuelatione diuina, non plenam neque indubitatam fidem eis præstabimus, si sapimus, & possemus alijs certis ex fide humana plenius aut firmius assentiri. Argum. 4.

Item: Ea quæ per fidem infusam credimus, æquali quidem certitudine & firmitate videmur credere. Nam & fides, cum sit naturale agens, æqualem certitudinem præbet omnibus assensibus, quos nobis in Argum. 5.

coef-

coefficit, & nos æquali, immo eadem pia affectione præcipimus intellectui, vt ex æquo assentiatur omnibus, quæ nobis constat esse à Deo reuelata. Cum igitur nemo ex Catholicis æqualiter assentiatur se esse in gratia, quando non habet de hoc reuelationem, ac assentitur alijs fidei articulis, vel assentiretur se esse in gratia, si haberet reuelationem, vel hinc commoneri debemus, ne credamus à fide infusa esse assensum, quo assentimur nos esse in gratia, quantumcunque certo id credamus.

[illegible] Et quia fides infusa nullos gradus certitudinis daret huic nostro assensui aliunde certo, palam est etiam in hoc exuperari à certitudine fidei, quod illa multo maior & certior est.

Obiectio. Dices: Fides lumen quoddam spiritale est, & non tantum inclinat intellectum nostrum ad assentiendum reuelatis, sed & docet, quæ sint reuelata, & ita posset, testificante Spiritu sancto, quod sumus filij Dei, inflectere intellectum ad assentiendũ nos esse in gratia, etiamsi aliunde non constet nobis hoc testificari Spiritum sanctum.

Responsio. Sed si fides docere posset, quæ sint reuelata, infans baptizatus, & postea nutritus in nemore, nosse posset absque vllo doctore mysteria fidei supernaturalia, & frustra Paulus generaliter de omnibus pronunciasset: Quomodo credent, nisi audiant? Quomodo autem audient sine prædicante? Et qua ratione de vno aliquo supernaturali nos illustraret, vt illud certo ac firmiter credamus, illustraret & de omnibus: quod absurdum & contra experientiam est.

Quamuis autem fides infusa neque inclinet nos ad assentiendum, neque faciat nos certos, neque moueatur à Spiritu sancto, vt vllum coefficiat nobiscũ immediate assensum, nisi eorum, quæ ante ipsius concursum prius saltem natura constat nobis esse à Deo reuelata, vel ex eis deducta, tamen mediate ad certitudinem moralem de nostra iustitia concurrit, & ei debent bonã partem perfecti suæ certitudinis moralis. Nisi enim per fidem assentirentur illi maioribus illis propositionibus de fide, Faciẽti quod in se est, Deus non denegat gratiam: Conuertens se ad Deum ex toto corde, inuenit & obtinet gratiam ipsius, &c. nunquam illi certitudinem aliquam haberent de sua gratia.

Quare recte dixit Ioannes Bachonis, hanc certitudinem non esse certitudinem fidei, sed esse certitudinem consequentem fidem. Quod si hoc putas esse satis, vt vocetur certitudo fidei, non admodum repugnabo, sed vt pax sit, & omnes in vnum conueniamus, dico quod vis, & me volésque victusque remittam.

Illud tamen ex omnibus dictis dilucidũ esse potest, nihil istam certitudinẽ moralem aduersari definitioni sanctæ Synodi. Non enim negarunt Patres, posse nos certo scire, quod assecuti simus Dei gratiã. Et forte non solũ propterea, quæ cap 8. diximus, & quia nõ erat necessaria, intermissa est illa particula, Nisi ex speciali reuelatione, quæ adiecta est cap. 12. & can. 16. sed etiã, ne quis putaret, absq; Dei reuelatione neminem posse esse certum de sua gratia. Non aduersatur certitudo moralis definitioni Synodi.

Duntaxat autem negarunt Patres, posse quenq; eam scire certitudine fidei, cui non possit subesse falsum. Et hac periphrasi, omnem & solam, veram & legitimam rationem fidei excluserunt. Hoc quippe vnum, & propositum exigebat capituli, & non solum commodum, sed & necessariũ erat ad damnandum inanem & vanam hęreticorum fiduciam & certitudinem.

Sic vero nos asserimus gratiæ certitudinem moralẽ iustis esse possibilẽ, vt ei dicamus posse subesse falsum, neq; ad eã certitudinẽ fidem cõcurrere. Quorũ vtriusuis satis est, vt manifestũ sit Synodũ non hãc certitudinem dãnasse. Neq; opus est pro ea tuenda ad alia recurrere, ad quæ alij recurrerunt, quę & definitionem Patrũ vehementer infirmant, & authoritati Synodi, vt ca. 8. ostendimus, non parum derogant.

Non solum autem non damnauit sancta Synodus huiusmodi certitudinem ex gratia & benignitate Diuina, & ex experientia donorum ipsius, sed & velut dans locum ipsi, non dixit, neminẽ posse esse certum de sua gratia: sed, quemlibet posse for-

midare & timere de illa, dum seipsum suamque propriam infirmitatem respicit.

Obiectio. Dices: Non solum iusti possunt esse certi de sua gratia sic, vt certo sciant se in hoc non decipi, sed & possunt scire, se non posse decipi cum ea vere concurrunt, ex quib. colligitur certitudo gratiæ. Quanquam enim qui assentitur certo, Petrum esse, quē coram videt, possit in eius assensu decipi, tamen tum, cum eum videt, sicut cap. 40. docuimus. non potest decipi. Et alias n. q; certus tum esse, se non posse decipi.

Responsio. Sed hoc antecellit euidentia vel visio intuitiua argumenta, quæ præstant certitudinem moralem. Nam ista argumenta dāt certitudinem tantummodo de hoc, quod non decipimur. Visio vero intuitiua, dat etiam certitudinem tantam de suo obiecto vt certo assentiamur illud esse, & in eo tum nos non decipi, neque posse decipi. Ac vel hinc manifestum esse potest, quantum intersit inter virum spiritalem, qui ex argumentis factis certo assentitur se esse in gratia: & inter eum, qui huic assentiretur ex reuelatione: temerarium q; omnino esse & præceps, tantam fidem adhibere nostræ gratiæ, habita de ipsa reuelatione: quantam, non habita. Existente enim reuelatione, quæ induceret in certam gratiæ persuasionem, impossibile prorsus est, quenquam decipi: existentibus vero, & concurrentibus omnibus quæ inducunt viros spirituales ad certitudinem ipsius moralem impossibile est, neque alicui veritati necessariæ repugnat, ipsos decipi.

Potest igitur, vt tribus verbis concludamus totū hunc librum, haberi à nobis citra reuelationē Diuinam certitudo coniecturalis de nostra gratia. potest & à viris perfectis haberi certitudo moralis, aliena ab omni metu & formidine. Sed non potest haberi certitudo fidei, cui non possit subesse falsum, nisi ille reuelet, de quo dicitur: Est Deus in cœlo reuelans mysteria. In cuius gloriam ad ea exponenda hinc progredimur, quæ Patres cap. 10. tradidere.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE GRATIÆ ET GLORIÆ INÆQVALITATE, LIB. X. IN CAP. X. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

EXPLICATIS ijs, quæ ad acquisitionem iustitiæ spectant, de ipsius incremento pauca quædam, sed ea vtilissima & absolutissima, cap. 10. nobis tradidit sancta Synodus. Ita sane ordo doctrinæ poscebat, & incremento iustitiæ perquam belle conuenit numerus decimus, qui nota perfectionis est. Sed enim solida ac vera incrementa iustitiæ vnus elargitur Deus, & nisi ex illius dono, neque intelligi plene possunt, neque differi. Quare ipsius vnius fauore confisi, elucidare & firmare, quæ de his Patres statuere, aggrediemur. Et librum hunc 10. de inæqualitate gratiæ ac gloriæ iustorum, quem in hunc vsum lucubrauimus, ab ipsis eorum documentis, & definitis, quæ ita habent, incipiemus.

DE ACCEPTÆ IVSTIFICATIONIS INCREMENTO.

Caput Decimum.

SIc ergo iustificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renouantur, *vt Apostolus inquit*, de die in diem, *hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis iustificantur, sicut scriptum est*: Qui iustus est, iustificetur adhuc. *Et iterum*: Ne verearis vsque ad mortem iustificari. *Et rursus*: Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. *Hoc vero iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat*: Da nobis Domine fidei, spei, & caritatis augmentum. Ephes. 2. 2. Cor. 4. Apoc. 22. Eccl. 18. Iacob. 2

CAPVT I.

De expositione sententiæ Patrum, & erroribus ab eis damnatis.

NOn solum curarunt Patres docere fidei veritates, & damnare errores, ad hoc argumentum iustificationis spectantes, sed & illa studuerunt diserte tradere, ex quibus possent quiuis perdiscere, quemadmodum veram iustitiam & comparare, & augere, & conseruare possent. Quod vel ex hoc capite 10. luculenter esse potest. Nam in eo traditur in primis hæc veri as fidei: iustificati euntes de virtute in virtutem, renouantur de die in diem, & in ipsa iustitia crescunt, ac magis iustificantur. Et obiter quemadmodum in iustitia proficere debeamus, edocemur: Euntes, inquiunt, de virtute in virtutem, renouantur & crescunt, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum DEI, & Ecclesiæ, ac denique cooperante fide bonis operibus.

Definita veritas.

Modus proficiendi in

Atque vt liqueret, veritatem fidei quam docuerunt, traditam esse à Christo & ab Apostolis, & perpetuo retentam ab Ecclesia, tribus eam Scripturarum testimonijs communierunt, & communi quadam oratione Ecclesiæ, Dominicæ 13. post Pentec.

Ex plurimis autem scripturæ testimonijs, quibus luculenter poterat conclusio hæc firmari, delecta sunt potissimum illa tria, quia non solum veritatem doctrinæ cōstabiliunt, sed & docent, longe aberrare qui iustificationem putant duntaxat esse acquisitionem iustitiæ, & non etiam incrementum iustitiæ.

Et profecto superstitiosè trepidant, vbi nullus est timor, qui tunc solum dicū aliquos iustificari, cum ex iniustis fiunt iusti. Nam his testimonijs liquido constat, etiam eos iustificari, qui ex iustis fiunt iustiores. Et possunt ad hoc timore liberare nos hæc exempla. Ditari quippe dicimus & locupletari non solum eos, qui ex pauperibus fiunt diuites, sed qui ex diuitibus fiunt ditiores. Et mundari non eos solos asserimus, qui ex immundis fiunt mundi, sed & qui ex mundis fiunt mundiores. Et expoliri & ornari non eos solos affirmamus, qui ex impolitis & incultis fiunt politi & ornati, sed & eos etiam, qui ex politis & ornatis, fiunt politiores & ornatiores.

Et explicari dicuntur & illustrari non ea tantum, quæ ex obscuris fiunt explicita & clara, sed & quæ ex claris & apertis, fiunt apertiora & clariora. Et quemadmodum qui ditior fit, diuitias aliquas de nouo acquirit, & ideo ditari dicitur, & qui mundior vel ornatior, aliquam munditiam, vel ornamentum assequitur, & ideo mundari & ornari dicitur: ita qui iustior fit, nouum aliquem gradum iustitiæ adipiscitur, quem antea non habuerat, & idcirco merito iustificari dici potest.

Ac ſecundum quidem teſtimonium deſumptum eſt ex Eccleſiaſtici 18. cap. Vbi enim communia aliqua exemplaria Latina habent, *Ne vetetis vſq; ad mortem iuſtificari*: alia non minus communia, & aliqua antiquiora, habent: *Ne verearis vſq; ad mortem iuſtificari*. Et vtriuſque lectionis ſententia eadem eſt. Græca vero ſic habent, μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι hoc eſt, vt verbum verbo reddamus, *Ne ceſſes vſq; ad mortem iuſtificari*. Et quæuis iſtarum lectionum ſatis eſt ad confirmandam Patrum ſententiam, & oſtendēdum, poſſe iuſtos vſq; ad mortem proficere in iuſtitia. Neque minus id docte confirmarunt ex teſtimonio Iacobi. 3 loco inducti.

Quoniam vero digniſſima eſt animaduerſu expoſitio data illi à Patribus, & peculiares quaſdam habet difficultates, quæ circa illa notanda ſunt, in finem huius lib. differemus. Interim aduertamus, ex iſta patrum diffinitione manifeſte ſequi, non omnes iuſtos, æquales hic eſſe in iuſtitia & gratia Dei, & ex conſequenti, neq; omnes fore æquales in gloria. Si enim propter noua bona opera, qui iuſtus erat, fit iuſtior: tanto ergo erit quiſq; iuſtorum alijs melior quāto plura aut meliora opera, quam ipſi, fecerit. Quia ſicut ſeipſum exuperat iuſtus, & melior hodiè eſt, quam heri, quia vel alia vel meliora opera hodie facit, quam heri fecerat: ita & alios iuſtos ſibi heri æquales hodie exuperabit & vincet, ſi ipſis dormientibus præclara ille hodie opera fecerit, vel ſaltem meliora opera, quam illi. Et cum gloria commenſuretur gratiæ huius vitæ, quanta fuerit inæqualitas in gratia huius vitæ, tanta & conſequetur in gloria & beatitudine patriæ.

Tres errores hic damnati.

Itaque in his verbis damnati ſunt tres errores: Primus eſt negantium iuſtos pro-
1. ficere. Qui error ſequitur ex eo, quod Lutherus aſſerit omnes iuſtos æquales eſſe in gratia & in gloria. Et ne quiſpiam exiſtimet, gratis nos tantum ei errorem imponere, audiat, quid ille dicat in ſermone de natiuitate beatiſſimæ virginis Mariæ, ſi tamen Chriſtianæ aures ferre poſſunt tantam blaſphemiam. *Omnes*, ait, *Chriſtiani æque magni*

Blaſphemia Lutheri.

ſumus ſicut mater Dei, & æque ſancti ſicut ipſa.

Damnatus eſt etiam his verbis error Ioviniani, qui teſtibus Diuo Hieronymo in 2.
libris contra ipſum, & Auguſtino in libro de hæreſibus ad Quoduultdeum, æqualem aſſeruit, immo vnam fore omnium ſanctorum remunerationem.

Qui & conſequenter iuſtos omnes in 3.
via æquales fuiſſe, & eſſe in gratia docebat, vt manifeſte poteſt colligi ex argumentis, quæ ex illo citat ibidem Hieronymus. Quę ideo admonuerim, vt pretioſior ſit antidotus Chriſti, ſi diaboli venena non lateant.

Et manifeſte poteſt colligi ex Patrum diffinitione damnatio ſecundi erroris. Si enim non eſt æqualis gratia iuſtorum in hac vita, neque erit in cœlo æqualis eorum gloria. Exæquabit ſiquidem Deus, ſicut dicit Zacharias, gratiam gratiæ, hoc eſt, teſte communi Gloſſa, gloriam patriæ, gratiæ viæ. Neque dubitari poteſt, quin eos maioribus honoribus proſecuturus ſit Deus poſt hanc vitam, quos hic habuerit cariores, quoſq; præſtantiores nouerit fuiſſe in ſanctitate & iuſtitia. Ratio quippe iuſtitiæ diſtributiuæ exigit, vt maiora reſpondeant præmia maioribus meritis. Et natura ſeu lex gratiæ iuſtorum hæc eſt, vt quo fuerit maior, eo ad maiorem gloriam acceptos eos faciat.

Poſſuntque ad confirmationem huius doctrinæ iuuare, quæ lib. 6. cap. 41 diſſeruimus, cum interpretati ſumus, quod Patres aſſeruerunt, nempe vnumquemq; recipere iuſtitiam ſecūdum propriam diſpoſitionem ſuam & cooperationem. Et quæ nunc ad confirmandam præfatam concluſionem ſubnectemus, vtilia eſſe poterunt ad fulciendum & firmandum magis omnia quæ tum tradidimus. Coniuncta quippe ſunt hæc illis, & illa iſtis. Veruntamen quia ad hunc locum omnia magis ſpectant, quæ de inæqualitate gratiæ & gloriæ traduntur, hic rem totam exacte magis & omnino ad viuum diſcutiemus.

Neq; inanis, opinor, aut ſuperfluus noſter videbitur labor illis, qui Hieronymum & Auguſtinum, & alios Doctores Catholicos hac de re legerint: immo tāto (ſpero) magis

magis placebit, quanto eos accuratius perlegerit. Nam contentioso & concertatorio disputandi genere, quod alij, & præcipue Hieronymus secutus est, intermisso, vnum aliud scholasticum siue dogmatisticũ, hoc est, doctrinale disserendi genus secuti, aperte omnia & perspicue suoque ordine tradidimus, & quæ ad reuincendos aduersarios minus efficacia videri poterant, aut in totum reiecimus, aut certe alijs efficacioribus vt fideles obiter edoceremus, adiunximus, atq; ijs, quæ notatu in eis digna visa sunt, pleraq; alia nostro marte & ingenio, Deiq; in primis auxilio addidimus.

Quanquam autem connexa sibi sunt, & se mutuo inferunt tria ista, Iusti proficere possunt, & vere proficiunt in iustitia, Iusti non sunt hic æquales in iustitia, Iusti non erunt æquales in beatitudine: & quidquid ad confirmationem vnius valet, valet & ad cõfirmationem cæterorum: tamen quo omnia clariora & firmiora sint, singulum quodq; eorum seorsum firmabimus.

CAPVT II.

Quod iusti queant, dum hic viuunt, in iustitia crescere & proficere.

Conclus. 1 PORRO, iustos proficere posse, ac vere proficere in iustitia, præter argumenta à Patribus inducta, his potest argumentis edoceri. Primo: Apostoli petierunt Christo augmentum fidei his verbis, *Adauge nobis fidem.* Et non sunt de hoc reprehensi à Christo, sicut alias cum dixit eis: *Quid timidi estis? Necdum habetis fidem?* Nouerant ergo Apostoli, vel ex lumine naturali, vel ex doctrina Christi, posse se in fide proficere.

Argu. 1 ex Apostolis. Luc. 17.

Marc. 4.

Et ita intellexit hæc verba Ambrosius ad finem 74. Epistolæ, vbi ita scribit: *Apostoli qui futuri erant amici, dixerunt: Adauge nobis fidem petentes à bono medico, vt infirmantem in se fidem sanaret. Infirmabitur adhuc fides in eis, cum audiret etiam Petrus: Minimæ fidei, quare dubitasti.* Hæc Ambrosius.

Luc. 17.

Matth. 14.

Et pulchre Hieronymus 2. cõtra Iouini. *Quare dicunt Apostoli, Domine, adauge nobis fidẽ, si omnium vna mensura est?*

Et Gregor. in Ezechielem: *Si ipsa fides ad profectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti Apostoli minime dixissent, Auge nobis fidem.* Et ibidem hoc ipsum statim cõfirmat ex responsione illius, qui cum venisset ad Dominum, vt curaret suum filium, requisitus antecedere, respondit: *Credo, Domine: adiuua incredulitatem meam. Pensate*, inquit, *rogo, quod dicitur. Si credebat, cur incredulitatem dicebat? si vero incredulitatem se habere nouerat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum gradibus fides crescit, vno eodemque tempore, is qui nondum perfecte crediderat simul & credebat, & incredulus erat.* Hæc Gregorius. Matth. 9.

Quod si in fide proficere Apostoli poterant, poterant & in alijs virtutibus, & ex consequenti in iustitia, & gratia Dei. Par enim est ratio de omnibus. Et hunc fidei & cæterarum virtutum profectum Christus ipse dilucidum nobis fecit parabola illa: Sic est regnum Dei, quemadmodum, si iactet homo semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & crescat, dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde plenum frumentum in spica: & cum ex se produxerit fructum, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Quid hic aliud nobis à Christo explicatur, quam profectus iustorum per verbum Dei, diuina largitate immissum?

Sed vt dilucidior aliquatenus fiat tota hæc parabola, nõ grauabor expositionem illius ex Gregorio adijcere. *Semen, inquit, homo iactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit: & postquam semen iactatum est, dormit, quia iam in spe boni operis quiescit: nocte vero surgit ac die, quia inter aduersa & prospera proficit, & semen germinat, & crescit dum nescit ille: quia cum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur, & vltro terra fructificat, quia præueniente se gratia, mens hominis spontanea ad fructum boni operis surgit: sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicã, deinde plenum frumentum producit in spica.* Greg. in Ezech.

Herbam quippe producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere: ad spicam vero herba venit, cum se virtus animo concepta, ad profectum boni operis protrahit. Plenum vero frumentum in

tum in spica fructificat, quando iam tantum virtus proficit, vt esse robusti & perfecti operis possit. Sed cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus, producto fructu, falcem mittit & messem suam desecat: quia cum vnumquemque ad perfecta opera produxerit, eius temporalem vitam per emissam sententiam incidit, vt granum suum ad cœlestia horrea perducat.

Cum igitur desideria bona concipimus semen in terram mittimus: Cum vero operari recta incipimus, herba sumus. Cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam peruenimus. Cumque in eiusdem operationis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus. Hæc ille: Et aliquanto post. *Nullus itaque, qui per propositum bonum adhuc in mentis teneritudine est conspicitur despiciatur, quia frumentum Dei ab herba incipit, vt granum fiat.* Quæ & ipsi in Petro licet ostendi, & nos in Apostolis omnibus non obscure intuemur. Cum enim ante aduentum Spiritus sancti modicæ fuissent fide, magnaque debilitate & timore, & nonnullis imperfectionibus obnoxij, postquam illius illapsu roborati & perfecti sunt, tanta fuerunt fide, fortitudine humilitate & caritate, vt toti mundo terrori & stupori fuerint, & sicut eleganter persequitur Gregorius, hom. 30. in Euan. vires principum etiam cæsi prostrauerint. Quod perspicuum esse poterit cuiuis, si quidem, quæ de illis Euangelistæ commemorant, in vnum contulerit cum eis, quæ historia Actorum Apostolicorum de ipsis testatur.

Argu. 2. ex B. Virgine.

Eademque docere nos potest ipsa Deipara virgo. Quis namque neget ipsam sanctiorem & gratiorem DEO fuisse, postquam filium Dei concepit, peperit, nutriuit, & pro nobis patienter tulit in cruce mori? Si fieri potest, vt gratior sit aliquis apud Deum vno tempore quam alio, ne[illegible] quemadmodum possit quis credere, [illegible] apud eum fuisse tanta illa & tam [illegible] obsequia, vt non eam post ipsa, multo habuerit cariorem & gratiorem. Nam quod quidam existimant, datam ei esse in conceptione filij Dei totam gratiam, quam postea meritura erat, somnium est, absque vllo apparenti fundamento contra legem Dei effictum, quod eadem facilitate, qua dicitur, merito est contemnendum. Sed & in Abraham patre fidei nostræ, hoc idem contueri licet.

Argu. 3 ex Abraham.

Quandoquidem cum ob mandatum Domini egressus est de terra sua, & venit in terram, quam ei monstrauit Dominus, perfectior multo fuit & iustior, Deoque carior, quam fuerat ante. Vnde & maiora multo præmia tum à Deo accepit, & familiarior ei factus est post id temporis. Quod & ipse Deus pollicitus ei fuerat illis verbis: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum eritque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ.* Gen. 12. Et post aliquantum temporis, vbi iam ille obedierat mandato Domini, factus est rursus sermo Domini ad eum per visionem, dicens: *Noli timere Abraham. Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Ibid. 15. Eoque tempore iniuit Deus fœdus cum illo, & pollicitus est, semen eius multiplicare sicut stellas cœli, & sicut puluerem terræ, & dare terram illam totam Chanaan. Et quis possit dubitare, fuisse eum perfectiorem postquam audiuit iterum à Deo, *Ambula coram me. & esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Ibid. 17.

Quod autem mandato huic obedierit, scriptura statim indicat. Subdit enim, cecidisse mox eum pronum in faciem, & Deum ipsius humilitate commotũ, & mutasse ei nomen, & statuisse pactum circuncisionis inter se & ipsum, & totam progeniem ipsius. Etsi perfectus, sanctior est & iustior, vt in aperto est, quam imperfectus, cum Deus his verbis ad perfectionẽ vocauerit Abraham, & postea coruscante iam Euãgelio, & Apostolos, & adolescentem illũ, qui omnia mãdata seruauerat, ad idem hortatus fuerit manifestum est, posse eundem progressu temporis fieri iustiorem & sanctiorem.

Quod si Abraham non multò magis, quàm prius Deo placuisset, quando ad mãdatum ipsius districto iam gladio immolat

re ei voluit vnigenitum suum Isaac, nunquam profecto iuramento ei firmâsset magnificentissimam illam promissionem de
Gen. 22 assumptione carnis ex progenie sua: *Per memetipsum*, inquit, *iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo*, &c. Et statim: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Placuit nimirum hac obedientia plus Abraham, quam olim placuerat. Neque enim frustra bis asseritur ea vna fuisse causa tam magnificæ promissionis. Etsi attente legamus & reuoluamus libros sacros, hæc eadem incrementa & profectus iustitiæ licebit legere in Isaac, Iacob, Moyse, Samuele, & in alijs Prophetis.

Argum. 4. ex Psal. 83. Atque ideo à pluribus exemplis commemorandis supersedebo, & hunc iustorum profectum in gratia, ostendam ex verbis Dauidis. Graphicè enim videtur illum descripsisse, cum ait: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Sed expendamus aliquantum hæc verba, vt sensum & vim eorum magis penetremus. Ne quis putet, iustificationem opus Dei esse: profectum autem iustitiæ opus suum, *Beatus*, inquit, *vir cuius est auxilium abs te.* Qui dat enim velle, dat & perficere pro bona sua voluntate. Et qui incipit, ipse perficit, & incrementum dat solus. Eoque auxiliante fit, vt iusti in hac valle lachrymarum ascensiones in corde suo disponant: hoc est, meditentur in iustitia crescere & proficere. Norunt quippe ad progrediendum & proficiendum in iustitia, datam esse hanc vitam, verissimeque dictum à Gregorio: *In via Dei non procedere, retrocedere est.* Neque frustra hæc meditantur iusti. Vota Deus iustorum exaudit. Et qui tulit legem, ipse eis benedictionem impartitur, vt per viam mandatorum currant, & eant de virtute in virtutem, idque non ad horam, aut diem, vel annum, sed donec videatur Deus Deorum in Sion. Certe si non essent progressus & incrementa in iustitia, neque iusti ex auxilio Dei disponerent ascensiones in corde, neque ex benedictione ipsius de virtute in virtutem gradderentur.

Quare Gregorius hom. 15. in Ezech. *Siquidem gradus in cordis ascensione non essent, Psalmista non diceret: Ambulabunt de virtute in virtutem.* Psalm. 83 *Neque mirum, si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa vnaquæque virtus, quasi quibusdam gradibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur.* Paulus ad proficiendum hortatur. ** Alia namque sunt exordia virtutis, aliud virtutis profectus, aliud perfectio.* * Aliud Et his gradibus ibidem aptat illa verba Iob: *Per singulos gradus meos pronunciabo illum.* Iob 31 *Omnipotentem enim inquit, Dominum per singulos gradus suos ille pronunciat, qui per incrementa virtutum, quæ accipit, ei semper laudem suæ pietatis reddit.* Hactenus Gregorius.

Eandem etiam veritatem docuit Ecclesiam vas electionis Pauius, & non vno tantum in loco, sed multis. Argum. 5. ex Paul. testimoniis. Quosdam enim parturire se aiebat, donec formaretur Christus in illis. Alijs tanquam paruulis in Christo lac dabat potum, donec capaces fierent solidi cibi, & sapientiam loquebatur inter perfectos. Nonnullis incrementa frugum iustitiæ, & abundantiam omnium gratiarum, nomine Dei pollicetur. Alios beatiores fore pronunciat, si permanserint secundum ipsius consilium. Quibusdam excellentiorem viam demonstrat, & ad æmulandum charismata meliora inuitat. Et alibi ad hoc dicit præcellentissima dona à Christo data fuisse Ecclesiæ, vt iam non simus paruuli, sed veritatem facientes, crescamus in ipso. Et alias interiorem hominem renouari tradit de die in diem, licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur. Et sæpe affirmat, Deum esse, qui incrementa institiæ confert, quique perficit, quod in nobis incipit. Pro quibusdam etiam orat, vt charitas eorum magis ac magis abundet. Et de seipso manifestè testatur, nondum se perfectum esse, aut ad eum statum venisse, in quo non posset proficere. Et vt intelligas etiam eum, qui tanta gratia ab initio suæ conuersionis præfulserat, disposuisse ascensiones in corde suo: Vnum autem, addit, quæ retro sunt, obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora,

extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu.

Vnde & Diuus Hieronymus, secundo contra Iouinianum hæc verba eleganter exponens, sic scribit: *Apostolus Paulus præteritorum obliuiscitur, & ad ea quæ in ante sunt, se extendit, id est, quotidie proficit, nec seruat in sudario delicate gratiam, quam accepit, sed auarus negociator renouatur de die in diem, & decrescere se putat, nisi semper creuerit.* Hæc ex Hieronymo.

Et incredibile est profectò, ac planè impium, non eum in maiori gratia, quàm prius, apud Deum fuisse, post grauissimos illos & innumerabiles labores, quos se ob Christi gloriam pertulisse aliquando commemorat. Et quid aliud, rogo, quam hunc profectum & incrementum virtutis & gratiæ, significabant illa verba, quæ audire à Domino meruerit, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur?* Vnde & ipse de tanto beneficio exultans, gloriabatur, & placebat sibi in infirmitatibus & tribulationibus suis. *Cum enim infirmor*, inquit, *tunc potens sum.*

Argum. 6.

2. Cor. 12.

Et hanc immutationem & renouationem electorum, & præsertim Prædicatorum verbi Dei, explicat eleganter Gregorius in illa verba, *Mutaberis in virum alium.* Stabiliuit & hanc doctrinam Princeps Apostolorum Petrus, cum ad eos, qui recens erant per baptismi gratiam iustificati: *Quasimodo*, inquit, *geniti, infantes, rationabiles sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* Nunquam sane Petrus adiecisset illam particulam, Vt in eo crescatis in salutem, si non certo sciret, posse iustificatos proficere in iustitia. Quid est enim aliud, crescere in salutem, quam, proficere in iustitia & gratia apud Deum?

1. Reg. 10

1. Petr. 2.

Argum. 7.

Et ne quisquam dubitet, hanc etiam semper fuisse doctrinam Ecclesiæ, possumus hoc ipsum fulcire ex diffinitione Clementis quinti in Concilio Viennensi. Inter cæteros siquidem errores Begardorum & Beguinarum, in ea generali Synodo damnatos, vnus atque adeo primus hic fuit: Homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradũ potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & in gratia amplius proficere non valebit. Et commemoratur hoc in Clementina, *Ad nostrum. de hæreticis.*

Quod si bene expendamus argumentum, quo illi fuisse vsi asseruntur, verisimilimum erit, non damnasse Patres hunc errorem ea duntaxat ratione, quod asserent hæretici illi, posse homines tantum proficere, vt redderentur impeccabiles: sed & eo quoque nomine & titulo, quod ad talem & tantum perfectionis gradum venire posse homines in hac vita contendebant, vt amplius in gratia Dei proficere non valerent. Ratio enim eorum ibi subiecta, hæc est: Nam, vt dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inueniri.

Quod si illi, vt docet hæc ratio, in hoc potissimum suam referebant assertionem, vt crederent homines posse esse hîc ita perfectos, vt amplius proficere non possent, & Patres quoque minimè dubium est, damnationem huius erroris in hanc etiam assertionem retulisse. Et si tantum Patres illi profectum in iustitia, in nullo sanctorum ferre potuerunt, quando tulissent blasphemiam Lutheri, asserentis omnes iustos esse æquales in gratia, neque profectum vllum aut incrementum iustitiæ agnoscentis?

Sed pudet me iam dudum profectò, & tædet, in tam apertum & manifestarium errorem solis fidei argumentis pugnare. Ipsi lumini naturali hanc insaniam aduersari ostendamus. Rogo te Luthere, & vos ô quicunque huius factionem sectamini: Nonne iusti omnes possunt quandoque exercere, ac vere exercent opera aliqua virtutum, quæ ante non exercuerant? Et quæ prius operati fuerant, nonne possunt promptius, alacrius, feruentius, deuotius, ac denique perfectius operari? Certè hoc experientia constat omnibus, qui verisimiliter possunt credere se esse à Deo iustificatos. Cur non igitur per illa opera proficiant & crescant in iusticia? Annon tanto quis-

Argum. 8.

to quisque iustior & melior est, quanto plura vel meliora opera exercet? Annon natura nostra hoc comparatum est, vt tanto prompriores simus & procliuiores ad iustitiam & virtutes, quanto frequentius aut magis ex animo bonis operibus studemus? Nunquid vultis nos esse stipites & truncos, vt neque actus nostros, neque naturam nostram, neque ipsa, quæ patimur, quæque in nobis experimur, agnoscamus?

Argum. 9. Si in iustitia politica & morali proficere hoc modo possumus, idque de se & de alijs semper sensere omnes Philosophi probi, cur non poterunt omnes iusti similiter proficere in iustitia Theologica & Christiana? Nihil equidem minus perfectionis & virtutis habent, pietatis & religionis nostræ sancta opera, quam opera bona iustitiæ ciuilis, immo tanto plus, quanto ipsis sunt sanctiora & perfectiora. Et si Deus omnes bonos & iustos diligit, quis credat, non esse illi summæ bonitati tanto quenquam cariorem, quanto melior & iustior fuerit? Hominibus qui mali sumus, tanto sunt cariores amici nostri, quanto meliores sunt, aut saltem quanto plus de nobis merentur: & Deo qui summè bonus est, & supra modum, omnium qui se amant, amicus, non erunt iusti cariores etiam, si plus fuerint de ipso meriti? Enimuero hoc bonitati diuinæ manifeste repugnat, & contra omnem iustitiam & æquitatem est, & legibus amicitiæ palam dissonat.

Argum. 10. Ad hæc: In cæteris artibus & virtutibus sunt certi progressus & incrementa, & apud omnes amicos & fauentes nobis, proficere possumus in gratia & amicitia. Intolerabile est igitur, in vna iustitia Christiana, & gratia seu amicitia apud Deum, non posse quemque proficere, aut ad gradum superiorem conscendere, quantumcunque vehementer hoc contenderit.

Argum. 11. Deinde: Quamdiu in hac vita sunt iusti, perdere possunt gratiam Dei secundum communem legem. Ergo etiam proficere possunt in ea per obseruationem mandatorum diuinorum. Dura quippe esset, & iniqua nimium conditio Principis, & apud omnes haberetur inhumanus, si qui in eius sunt gratia, perdere illam possent per transgressionem mandatorum suorum, & non in ea proficere per eorum obseruantiam. Et contra rationem viæ videtur, vt retrocedere quis ab ea possit, non tamen vlterius progredi. Neque esset profecto gratiæ deputanda longiturnitas vitæ, sicut plerunque Scripturæ deputant, si perdere in ea possumus: & omnium bonorum, quæ in ea comparauimus, iacturam facere, & non vel aliquantum gratiæ incrementum lucrari.

Cumque vt lumen naturale, & experientia, & ipsa Scriptura passim docet, peccatores peiores in dies fieri possint, tantoque in dies peiores fiant, quanto peioribus vacant exercitijs: verisimile non est, non posse & iustos iustiores fieri & meliores, quamuis melioribus & sanctioribus studijs animum iugiter intendant. Annon eadem est natura contrariorum? Annon iniquum, negare virtutibus eam vim & potestatem ad nos perficiendum, quam vitijs concedis ad deturpandum & inquinandum? Argum. 12.

Sed si proficere possunt iusti in iustitia & gratia Dei, idque quamdiu fuerint in hac vita, vt argumenta facta luculenter ostendunt, poterit ergo, inquies, sicut argumentabantur Begardi, æquari aliquis in grat a Christo. At hoc nimium est humiliter sentire de augustissima Christi gratia. Non perueniet quispiam, etiamsi infinitis diebus proficiat in merito, ad tantam gratiam, quanta est gratia Christi. Non enim solum est infinita respectu suæ humanitatis, sed etiam respectu omnium hominum producibilium: & acceptum facit Christum, in quantum homo est, ad infinita, aut certe ad summa præmia respectu sui, & respectu omnium, quibus voluerit applicari sua præcellentia merita. Et de condigno meruit, quicquid alijs obtinet, & obtinuit. In hunc autem gradum nulla pura creatura potest peruenire. Obiectio. Respon. Immensitas gratiæ Christi.

CAPVT III.

De inæqualitate gratiæ iustorum in hac vita.

Conclus. 2. IVSTOS etiam non esse in hac vita æquales in iustitia & gratia, his argumentis monstrare possumus. Primo: Christus admiratus est fidem Centurionis, & aperte testatus est, non se inuenisse tantam fidem in Israel. Et Cananeæ dixit: *O mulier, magna est fides tua.* Et de Magdalena Simoni ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Atque statim subdidit: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

Argum. 1.

Matth. 8.15

Luc. 7

Manifestissime igitur docuit, neque fide, neque charitate iustos esse inter se æquales: sed quosdam parum credere & diligere, alios multum: & magnam esse inter hos & illos distantiam: & cum par sit ratio de alijs virtutibus, & habentes maiorem fidem & charitaté, in maiori sint gratia apud Deum, perspicuum hinc esse potest, non esse omnes iustos æquales in gratia.

Vnde & Hieronymus 2. contr. Iouin. ex his verbis, *Cui autem minus dimittitur, minus diligit:* recte sic colligit, *Qui minus diligit, & cui minus dimittitur, vtiq; in minori gradu erit.* Et aliquanto post: *Quare dicunt Apostoli, Domine, adauge nobis fidem si omnium vna mensura est? Et Dominus ad discipulum: Modica fidei, quare dubitasti?*

Argum. 2. Deinde: Ex Scripturis clàre constat, quosdam fuisse alijs sanctiores, & cum eis non esse cæteros comparandos. Christus enim de Ioanne asseruit, neminem fuisse maiorem Ioanne Baptista. Et de Iob Dominus dixit ad Satanam: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo?* Et de Saule palàm asserit Scriptura tempore quo electus est à Deo in regem, adeo bonum fuisse, vt non esset vir de filijs Israel melior illo. Et Dauid, tempore quo in regem electus est, fuisse multis alijs melioré, abunde patefaciunt verba illa Samuelis: *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum.* Et aliquanto magis idem docent illa Dei ipsius verba: *Inueni virum secundum cor meum.*

Iob 1.

Act. 13.

Et Augustinus tractat. 74. super Ioan. & Hieronymus 2. contra Iouin. quia Scriptura dicit fuisse in Elisæo duplicem spiritum Eliæ, concorditer colligunt, abundantius habuisse Elisęum ipsum Spiritum sanctum, quam Eliam. Vnde & Hieronymus dicit: *Duplex gratia fecit signa maiora. Ille, scilicet Elias, viuus mortuum: iste scilicet Elisæus, mortuus mortuum suscitauit. Ille famem imprecatus est populo, iste obsessæ ciuitati sub vna die hostiles copias præbuit.* 4. Reg. 2

Verum hoc exemplum de Elia & Elisæo, non satis, quod volumus, conuincit. Aliud enim est, Spiritum sanctum fuisse in aliquo abundantius ad miracula: aliud, ad faciendum eum gratum Deo. Et spiritum hunc duplicem Elisæi, rectius est, ad Prophetiam & ad miracula referre. Neque ego ausim Elisæum præferre Eliæ, præsertim in gratia apud Deum. Magnificentius namque de illo loquitur Scriptura, quàm de Elisæo. Et quidem Scriptura non dicit Elisæum habuisse abūdantius spiritum, quam Eliam: sed tantum ait, filios Prophetarum post discessum Eliæ, agnouisse spiritum Eliæ requieuisse supra Elisæum. Neque cum ille petijt, *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus*: verisimile est, petijsse, vt duplo copiosius haberet spiritum, quam Elias magister ipsius.

Non habuit Elisæus Spiritum sanctum abundantius quam Elias.

Dixit quidem hoc Rabbi Salo. & apparenter probauit, quia octo tantum miracula narrat Scriptura facta per Eliam, decem & sex vero per Elisæum. Sed profecto non congruit ea petitio cum modestia Elisæi. *Non est discipulus super magistrum*, ait Seruator noster: *perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Et verba ipsius petitionis, etiam vt Latine ea habemus, non hoc sonant, sed duntaxat, vt qui in Elia erat duplex spiritus, fieret etiam in ipso Elisæo. Vnde & nulla nota distinguitur verbum, *Duplex*, à verbo, *Spiritus tuus*. Et illis qui norunt vel Hebraice, vel Græce, perspicua hæc esse possunt. Hebraica enim ad verbum sic possunt reddi: *Fiant, obsecro, super me vtraque in spiritu tuo*: id est, vtraque dona, quæ sunt in spiritu tuo. Et Græca etiam sic: *Fiant super me, vel mihi, duplicia in spiritu tuo.* Et sensus ipse dehortari poterat ab alia expo-

Luc. 6.

expositione. Quia non dicimus, Spiritum sanctum habitantem in Petro, fieri duplicem in Ioanne, quamuis duplo abundantius communicetur Ioanni.

Et argumentum ex excessu miraculorum, siue in numero, siue in magnitudine, non est satis efficax. Nam forsan plura & maiora Deus fecit per Eliam, quæ tamen ob causam nobis ignotam subticuit scriptura. Et vt bene Nicolaus Lyranus dicit, exoluendo hoc argumentum, Ioannes Baptista, qui nullum signum fecit, minimus esset omnium prophetarum, qui aliqua miracula fecerunt, si quidem ex præcellentia in miraculis efficaciter probaretur præcellentia in sanctitate.

Ioan. 21. Possumus tamen ex Petro efficacius propositum nostrum conuincere. Cum enim Dominus rogasset ipsum, an plus eum cæteris diligeret, neque ille propter eximiam suam humilitatem aliud respondisset, quam, *Etiam Domine tu scis, quia amo te:* perinde tamen, ac si verissime respondisset, se eum amare præ cæteris, subiecit ilico Dominus: *Pasce agnos meos.* In quo formam dedit posteris, vt sicut communiter docent Theologi, non nisi digniorem, & plus alijs amantem Christum, dignitatibus & prælationibus Ecclesiasticis præficerent. Et si omnes sancti æquales fuissent in fide, nunquam Paulus peculiarem catalogum, epistolæ ad Hebræos intexuisset eorum, qui fide videntur præ alijs claruisse.

Necesse est eligere digniorem.

Qualitercunque tamen hæc se habeant, liquet satis ex inductis exemplis, contra Scripturam pugnare, qui asserunt iustos esse hic æquales in gratia. Et piaculum est profecto grande, Deiparæ virgini aliquem sanctorum æquare cum Gabriel plenam gratia & benedictam inter mulieres, id est, supra cæteras mulieres, pleno ore pronunciauerit, & eam vnam à Deo electam sciamus, vt per ipsam mundus acciperet suum redemptorem. Et si omnes sancti in hac vita fuissent æquales, nullum fuisset priuilegium eorum, quos scriptura ita magnifice commendat, vt Spiritu sancto plenos eos dicat fuisse. Item: Paulus constanter docet varia esse dona Spiritus sancti in Ecclesia, & quosdam maiora dona participare quam alios, & quosdam paruulos in Christo, & alios adultos & perfectos, & expresse quosdam alijs præfert, & se plus alijs Christo ministrasse, & in propagatione fidei laborasse asserit. Aduersantur igitur Paulo, qui omnes iustos æquales asserunt in gratia.

Lucæ 1.

Argum. 3.

Sed ipsa Pauli verba subiungam, quo res hæc tota manifestior sit. Cum in priore ad Timotheum, Ecclesiam Dei viui, domum Dei appellasset, ne in ea omnes esse æquales quis crederet, sed certo potius sciret, quosdam esse iustos, & alios peccatores, & inter ipsos iustos, quosdam alijs præcellere: & inter peccatores, alios esse alijs peiores & abiectiores, addidit in posteriore: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Certe peccatores neque vasa sunt aurea, neque argentea, & aurea longo interuallo præstant argenteis. Et alibi, ex iustis qui supra Christum fundati sunt, quosdam affirmauit ædificare supra illum aurum, alios argentum, alios lapides preciosos. 2. Tim. 2.

Vnde & Ambrosius in hæc verba Pauli, *In magna autem domo*: ita scribit, *Hoc dicto significauit Apostolus in Ecclesia diuersos esse homines, quosdam bonos & summos viros, quos in auro intelligi vult, quosdam bonos tantum, quos in argento designat: alios vero non bonos, quos vasa lignea & fictilia appellat, quod nulli ambiguum puto.* Hæc Ambrosius.

Ex comparatione etiam Ecclesiæ ad corpus naturale, sic docet Paulus, quosdam alios anteire, vt in corpore naturali quædam membra alijs præponuntur. *Sicut enim*, ait, *in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Et toto capite 12. prioris ad Corint. Rom. 12.

nihil aliud agit, quam vt ex eadem comparatione quosdam alijs præstantiores ostendat esse in Ecclesia, sicut quædam membra nobiliora sunt alijs. Et stultissime contra Apostolum & communem sensum dixit Iouinianus, nos omnia membra æqualiter diligere, neque vnum præferre alteri.

Et si in gratijs gratis datis tanta est distantia, erit & similis in gratia gratum faciente. Nam cæteris paribus, is diligitur plus à Deo, cui maiores gratiæ in suam & aliorum vtilitatem ab eo conferuntur, quique præcellentioribus studijs occupantur. Atque alibi idem Apostolus inquit: *Nam maior est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis.* Et rursus: *Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico, plus ego.* Et iterum: *Abundantius illis omnibus laboraui.* Et alio in loco, quosdam ait seminare parce, alios in benedictionibus, id est, large & affluenter. Et rursus ex viuificandis in Christo, vnumquemque in suo ordine resurrecturum tradidit, vt indicaret profecto, vt optime colligit Hieron. 2. contra Iouin. diuersa esse merita resurgentium. Neq; se minimum Apostolorum dixisset, nisi intellexisset, inter Apostolos posse esse quosdam alijs maiores. Et cum se & Apostolos dicit primitias spiritus accepisse, ostendit nimirum, non esse alios sanctos cum Apostolis comparandos. Et nisi beatissima Virgo diuina se gratia supra cæteros exaltatam nosset, nunquam de se cecinisset: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est.* Quod si non essent alij alijs meliores in Ecclesia & sanctiores, neque scripsisset Corinthijs Paulus, *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam*, præsertim cum statim præmisisset. *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

1. Cor. 14.
2. Cor. 11.
1. Cor. 15.
1. Cor. 3.
2.

Qua quidem ratione Ioannes Euangelista inter infantes, adolescentes, iuuenes, & patres, ac filiolos in Christo apertissime distinguit, dicens: *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius. Scribo vobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est: Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum: Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis patrem: Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* Et Petrus Apostolus: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*, vel sicut Hieronym. legit, *multiplicis*. Qui & significantius Græce admonet scriptum esse ποικίλης, id est, *varia*. Et Psalmographus hoc eodem consilio de Ecclesia cecinit: *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Et ad hoc designandum, Ioseph in forma Christi variam habuit tunicam. Et in arca Noe, quæ iuxta Apostolum Petrum, typum gessit Ecclesiæ, diuersa fuerunt animalia, & quædam alijs perfectiora. Et ideo plures habuit mansiones, & nidulos, & bicamerata, & tricamerata: & pro qualitate animalium, habitationes quoque vel maiores, vel minores, vt diuersitas illa mansionum, præfiguraret fidelium varietatem.

1. Pet. 4.
Hier. in Apoc. li. in Io.
Psal. 44.

Qua ratione etiam in templo Domini multæ fuerunt & variæ mansiunculæ, exterius atrium, interius vestibula, sanctum, sancta sanctorum, culinæ, cellariola, torcularia, & vasorum receptacula. Non enim, sicut sapientissime ex hoc colligit Hieronymus, æque Deus omnes inhabitat, neque ad eandem mensuram omnibus infunditur. Eandemque ob causam Ecclesia nunc soror, nunc sponsa, nunc mater, nunc filia, in scripturis appellatur, quia in alijs sponsa, in alijs soror, in alijs filia, in alijs mater est: & ex seruis Dei, quidam filij tantum, alij fratres, alij sponsi, alij patres, aut matres, pro suorum diuersitate profectuum merentur nuncupari.

Præterea scriptura manifeste docet, quædam opera alijs esse meliora, & quendam statum alio esse perfectiorem, & quosdam esse, qui virtutem & vitæ perfectionem magis sectentur quam alij. Paulus enim aperte præfert virginitatem nuptijs, & statum virginum statui coniugatorum, dicens: *Et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* Quæ verba docte ponderat Hieronymus his verbis: *Vbi bonum & melius est, ibi boni & melioris non vnum est præmium. Et vbi non vnum præmium, ibi vtique dona diuersa. Tantum est igitur inter*

Argum. 4.
Melior virginitas nuptiis.
Hieron. 1. cont. Iouí.

inter virginitatem & nuptias, quantum inter non peccare, & benefacere: immo, vt leuius dicam, quantum inter bonum, & melius. Monagamiam etiam siue viduitatem, digamię statim præfert idem Paulus, adijciens: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege. Cui autem vult, nubat, tantum in Domino Beatior autem erit, si permanserit secundum meum consilium.* Et hæc copiose docet Augustinus libro de sancta virginitate. cap. 26. Et acute Hieronymus idem ibidem colligit ex illis verbis, quæ in Paulo præcedunt. *Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Si eadem esset merces nuptiarum & virginum, nunquam dixisset,* ait Hieronymus, *post præceptum continentiæ: Sed vnusquisque proprium habet donum ex Deo. Vbi proprietas singulorum est, ibi altrinsecus diuersitas. Concedo & nuptias esse Dei donum: sed inter donum & donum, magna diuersitas est.* Et aliquanto post idem confirmat ex illis verbis Christi: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datũ est Sunt enim eunuchi &c. Qui potest capere, capiat. Et ideo,* inquit, *plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Maiorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris.* Et statim: *Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse, purissimum totum se holocaustum offerre Domino, & iuxta Apostolum, sanctum esse corpore & spiritu.* Et infra: *In lege præcipitur, vt pontifex nisi virginem non ducat vxorem, nec viduam accipiat. Si eadem virginis, viduæque conditio est, quare altera recipitur, altera reprobatur? Si soror virgo moritur sacerdotis, quomodo ipsa ad patris exequias, ita pater ad eam iubetur accedere. Si vero nupta sit, quasi aliena contemnitur.* Et infra: *Si non præfertur nuptijs virginitas, Spiritus sanctus cur maritatam, cur viduam non elegit? Et Christus vitam contemplatiuam vitæ actiuæ liquido prætulit, cum Marthæ, vacanti vitæ actiuæ, dixit: Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Melior monogamia, quam digamia.

Matth. 19.

Cõtemplatiua vita melior actiua.

Et alibi statum voluntariæ paupertatis, statu etiam bonorum diuitum præcellentiorem esse clare docuit, dicens adolescenti diuiti, quiq; omnia mandata seruauerat: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Et alio in loco maximam esse caritatem, animam ponere pro amicis, perspicue tradidit. Et hac de causa profecto quosdam è iustis peculiariter beatos etiam in hac vita affirmauit, & varia eis præmia, & alia alijs maiora & augustiora promisit, vt quos prædicabat beatos, sciremus superiores esse alijs, & inter se etiam inæquales, magnamque esse inter sancta iustorum exercitia disparitatem & inæqualitatem.

Melior paupertas diuitijs.

Cum igitur quidam è iustis vsque adeo diligant Deum, vt virginitatẽ seruent, paupertatem arctissimam sectentur, vitæ contemplatiuæ vacent, sanctissimis & beatissimis exercitiis perpetuo studeant, & pro Deo libenter animam ponant, aut certe paratissimi sint ponere, alij vero non eousq; progressi sint, sed quamuis Deum diligant, & mandata illius seruent, tamen in statu coniugali sint, & possessiones aliquas habeant, & soli vitæ actiuæ & inferioribus virtutum studijs intendant, erunt certe illi longe his superiores, si modo cætera sint paria. Fieri enim sane non potest, vt non sint, cæteris paribus, illi meliores & Deo gratiores, qui meliora opera exercent, & meliorem statum tenent, & magis assidue sese operibus virtutum totos impendunt. Nam si Deus diligit diligentes se, vt veteri & nouo testamento edocemur, diligit vtique magis eos, qui magis eum diligunt, iuxta regulam topicam: *Sicut simpliciter ad simpliciter &c.* Magis autem proculdubio eum diligunt, qui maiora propter ipsum contemnunt, quique laboriosiora & magis ardua, aut certe præstantiora & laudabiliora opera, vel æque laudabilia frequentius ob ipsius amorem exercent.

Et huiusmodi graduum disparitatem ostendit Bernardus, in illa verba Canticorum: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Neque currimus,* inquit, *omnes æqualiter in odorem omnium vnguentorum.* Ber. ser. 21.

Et super illa verba, *Introduxit me rex in cellaria sua,* diuersitatem cellarũ, ad quas Deus introducit suos, edisserens, tandem subdit: *Nam neq; vnius rursum dicat esse meriti, vniusve* 23.

virtu-

Virtutis, socialiter viuere, & vtiliter præesse Hæc Bernardus.

Vt quæ nihil aliud esset, vel hoc deberet deh vitari ab opposita opinione. Omnem quippe insaniam exuperat, omnes sanctos huius viæ æquare Apostolis & beatæ virgini Deiparæ, cum illi intervallis maximis omnes alios sanctitate & exercitio virtutum excelluerint, & Deus ipsos ad eximias & incomparabiles dignitates prouexerit, & admirandis prærogatiuis supra reliquos ornauerit.

Argum. 5. Insuper: Gratia noui testamenti maior multo est, quam gratia veteris testamenti. *Ego veni*, inquit Christus, *vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Ioan. 10. Et antecedit nouum testamentum longo interuallo vetus, sicut eleganter disserit Paulus tota pene epistola ad Hebræos & sæpe alias. Vnde & plura nobis sunt præstita & præcellentiora sacramenta, quæ gratiam possint conferre & augere, quam veteribus. Et maioris sunt valoris apud Deum, cæteris paribus, nostra bona opera, quam iustorum veteris testamenti: quia maiori est in precio apud Deum passio Christi exhibita, quam præmissa. Qui igitur sanctissimi fuere ex iustis noui testamenti, sanctiores multo hic fuere, quam sanctissimi ex iustis veteris testamenti, & infimi quam infimi, & mediocres quam mediocres. Itaque saltem sub diuersis temporibus fuerint iusti inter se inæquales, neque credendum est, omnes iustos fuisse in via æquales in gratia apud Deum.

Argum. 6. Postremo: Non sunt pares omnes qui obnoxij sunt peccato mortali, sed quidam rei sunt grauioris culpæ apud Deum, & magis Deo exosi quam alij. Nam & Christus aperte dixit, Ioan. 19. eos qui ipsum tradiderunt Pilato, maius peccatū habuisse quam ipsum Pilatum. Matth. 12. Et alibi manifeste asseruit, peccatum in Spiritum sanctum grauius esse peccato in filium hominis: & per reditum immundi spiritus ad locum, vnde exiuit, nouissima hominis illius, ad quem redit, fieri peiora prioribus. Neque dixisset Sauli Samuel, quasi peccatum ariolandi, esse repugnare: & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere, nisi ariolari & idolatrare, multo grauiora peccata essent, quam communia alia peccata. Et Hieremias indicauit, Hierem. 3. grauius multo idolatrasse regnum Iuda, quam regnum Israel. *Et dixit*, ait, *Dominus ad me, Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iuda.* Et Ezechiel Ezech. 16. ex præcepto Domini dixit ad Hierusalem, sceleratoria multo fecisse sororibus suis Sodoma & Samaria, & vicisse & iustificasse illas sceleribus suis, & Samariam dimidium peccatorum suorum non fecisse. Et de optimatibus qui cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei sui, aperte pronuntiat Hieremias: *Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.* Hierem. 5. Et loquitur de iugo Domini, & vinculis præceptorum ipsius.

Et opinio Stoicorum & Zenonis, quod omnia peccata sint paria, quam etiam secutus est Iouinianus, vt in locis supra citatis testantur Hieronymus & Augustinus, contra communem sensum est, & contra insitum nobis lumen naturale. Vt enim ille de solis peccatis lethalibus hæc docuerit, quod quidem Hieronymus non videtur de Iouiniano credidisse, certe non omnia talia peccata æqualem habent turpitudinem, neque ex æquo aduersantur rectæ rationi, sed quædam quibusdam magis pugnant contra reuerentiam & honorem Deo debitum, & quædam arctius sunt & strictius præcepta vel prohibita à Deo & principibus, & Ecclesiasticis, & secularibus: Et ad oculum videmus, quibusdam sceleribus Deum magis offendi & contemni, & ipsius honori & gloriæ plus vno detrahi, quam alijs: & quædam magis lædere proximos & Rempublicam, & religionem, magisque eis officere, aut certe nos magis coinquinare & deturbare, & à recta ratione & debito hominis statu alienare. Et apertum est, eadem peccata à quibusdam pluries patrari, quam ab alijs. Quamobrem iusta & sancta, indignatione commotus Hieronymus, ita alicubi Iouinianum alloquitur: 1. con. Io. *Audi, bone igitur Iouiniane sic negasse Petrum & cæteros Apostolos quos fugerunt quomodo Caipham & Pharisæos & clamantem populum, Crucifige, Crucifige talem? Et vt de Apostolis taceam eiusdemne tibi sceleris videbitur reus Annas, & Caiphas, & Iudas*

Iudas proditor, etiam & Pilatus, qui nolens compul sus est contra Dominum ferre sententiam? Quanto maioris meriti fuit Iudas, tanto maioris criminis est: & quanto maioris criminis, tanto maioris & pœnæ. Potentes enim potenter tormenta patientur. Sap. 6. Hæc Hieronymus.

Quod si non omnes peccatores sunt pares, neq; erunt omnes iusti pares. Par namque est de vtroque ratio, & si vnum contrarium suscipit magis & minus, suscipiet & alterum.

CAPVT IIII.

Non omnes iusti erunt æquales in gloria.

Ar. 1 ex te-stim. Christi. PROBEMVS igitur tertium quod firmare proposuimus, nempe iustos nequaquam fore æquales in gloria. Hoc autem his argumentis certum & indubitatū possumus facere: Primo: *In domo patris mei*, dicit Christus, *mansiones multæ sunt.* Ioan. 14. Non igitur omnium iustorum æqualis est gloria in regno cœlorum. Esset enim, si sic esset, in eo vna potius omnium iustorum mansio in Deo, & non multæ mansiones.

Neque tolerabile est, quod Iouinianus arbitratus est, multas mansiones apud patrem, Ecclesias toto orbe diffusas intelligi. Antecedentia quippe & consequentia, & ipsum verbum mansionis, manifestissime indicant, non de Ecclesiarum numero Christum locutum, sed de cœlorum mansionibus. Subdidit namque mox Christus: *Si quo minus, dixissem vobis, Vado parare vobis locum.* Hoc est, *Sin minus*, vel *sin aliter*. & quod Græce apertissimum est, εἰ δὲ μή, id est, si secus res se haberet, & non essent multæ mansiones apud patrem, dicerem vobis me ire ad parandum vobis locum.

Nihil autem impediebat hoc dicere, si Ecclesias toto orbe diffusas, in quibus habebant residere & præsidere Apostoli, mansiones in domo patris intellexisset. Erat enim & præter has locus eis parandus in cœlis: quia non ibat Christus ad Ecclesias toto orbe diffusas, sed relicto toto hoc mundo festinabat redire ad patrem, & transire in regnum cœlorum. Vnde & postea palam, & absque vllo ænigmate in codē colloquio dixit eis: *Exiui à patre, & veni in mundū: iterum relinquo mundū, & vado ad patrē.*

Et vt manifestius esset, de quibus mansionibus locutus fuisset, neq; quisquam sic illas paratas esse apud patrem crederet, vt non & ad eas comparandas permultum faceret discessus Christi à nobis, id est, mors, resurrectio, & ascensio ipsius, statim post illa verba, *Si quo minus, dixissem vobis, Vado parare vobis locum:* subiecit, *Et si abiero, & preparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego & vos sitis.* Quoniam & si mansiones multæ sint electis in regno cœlorum, nemo tamen ex nobis aliquam ex eis consequi potuisset, nisi Christo parante vnicuique per mortem suam locum, ei & suis meritis conuenientem.

Neque sic accipienda sunt illa verba, *Si quo minus, dixissem vobis, vado parare vobis locum:* quasi non potuisset Christus vere illa dicere, quia mansiones multæ in cœlis erant electis prædestinatæ. Non enim, si hoc esset, mox addidisset: *Et si abiero, & preparauero vobis locum, &c.* Nam hæc verba clare insinuabant, se abiturum, & præparaturum eis locum. Sed voluit eis verbis explicare eximium, quo erat in eos affectus, amorem, & paratissimum animum ad parandum eis locum, si non iam esset paratus. Et se ab illis verbis tam apertis temperare declarabat, quia iam erant in domo patris mansiones multæ, & propositæ erant omnibus coronæ & præmia, quæ vnusquisque bonis laboribus & præclaris operibus adniti deberet sibi comparare, neque omnia omnibus in verbis erant inculcanda.

Itaque vt possemus intelligere, amorem quem habebat erga discipulos, prædestinationemq; diuinam, & necessitatem nostrorum bonorum operum ad beatitudinem, abstinuit aperte statim dicere: *Vado parare vobis locum.* Sic etenim Christus electis omnibus mansionem parauit, transcundo ad patrem per mortem suam, vt tamen & prædestinatio patris antecedenter, & adiunctio bonorum operum consequenter necessaria sit, vt eum locum adipiscantur. Et sic Deus electis coronam suarum

virtutum parauit, & electi bonis operibus certarunt semper, & contendunt eam præripere, vt nemini tamen contingeret illam accipere prius, quam Christus eis locum suæ beatitudinis sua morte præpararet. Atque ideo, quod aperte tu n noluit dicere, mox insinuauit, adijciens: *Et si abiero, & praparauero vobis locum.* Et præparauit quidem Christus sua morte electis mansiones, quia meruit per illam & apertionem regni cœlorum, in quo ipsæ mansiones sunt, & gratiam electis, quia in illud iam apertum admittantur.

Vnde & Augustinus in hæc verba pulchre quærit: *Quomodo vadit, & parat locum, si iam mansiones multa sunt? Aut si adhuc parandus est, cur non merito dixisset, Vado parare?* Et ipse sibi statim respondet, has mansiones & esse iam in regno cœlorum, & parandas esse, & esse quidem prædestinatione, & eo modo parandas non esse, non esse vero operatione, & eo modo etiam tum parandas fuisse. Et subdit: *Parat quidem mansiones, mansionibus parando mansores.* Et propterea dicit Christum dixisse se vadere, vt pararet locum, quia dum id, ne videatur, latet, vt credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide viuatur. Creditus enim desideratur, vt desideratus habeatur, & credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Ipsum namque desiderium, viuis præparatio est mansionis. Et clarissime ibidem explicat, mansiones has multas, significare diuersas meritorum in vna vita æterna dignitates.

Et vt apertissimum esset, de domo cœlesti, & de mansionibus in æterna beatitudine sermonem Christum fecisse, continuo ille adiunxit: *Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Et eadem de causa cum præmisisset, *Creditis in Deum, & in me credite:* statim subiunxit: *In domo patris mei mansiones multa sunt.* Quoniam vel hac ratione, ad augendum suam fidem eos volu t cohortari, quod præcellentiori fide præcellentior quoque mansio apud patrem cœlestem parata esset.

Et quidem nomen ipsum mansionis, dehortari potuit Iouinianum ab absurda sua expositione. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem,* sicut dicit Apostolus, *sed futuram inquirimus.* Neque Christus extra regnum cœlorum mansionem vllam foret electis dixisset. Noluerat tandiu nos peregrinari, quandiu sumus in hoc corpore. Hic, si nescis, Iouiniane peregrinatio est, non mansio: labor & malitia, non quies: exilium, non patria. Nemini hic conquiescere concessum, nemini perpetuò manere, & immotum esse. Non huius vitæ hæc gratia est. Non huic valli miseriæ tanta contigit felicitas. Spectantur hæc in mansione cœlesti, & in regno cœlorum nobis promisso. Heb. 13.

Quanquam autem hæc satis possunt esse, vt non dubitemus his verbis Christi clare confirmatam veritatem, quam hic nitimur monstrare, vt omnia tamē communita mag s sint, adiungam his verba, quibus interpretatur hunc locum Hieronymus, quæ & ipsa dignissima notatu sunt. *Quis autem,* ait, *risum tenere queat in eo, quod multas mansiones apud patrem. Ecclesias arbitratu Iouinianus in toto orbe diffusas, cum manifestissime scriptura doceat secundum Euangelium Ioannis, non de Ecclesiarum numero, sed de cœlorum mansionibus, & æternis tabernaculis, quæ prophe... desiderat, Domino fuisse sermonem? In domo,* inquit, *patris mei mansiones multa sunt. Si quo m nus, dixissem vobis, quia vado vobis parare locum: & si abiero, & praparauero vobis locum, iterum veniā, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Locus & mansiones, quas praparare se dicit Christus Apostolis, in domo vtique sunt patris, id est, in regno cœlorum, non in terra, in qua prasens Apostolos relinquebat. Simulque sensus scriptura intuendus. Dicerem, inquit, vobis, quia vado, & praparabo vobis locum, si non mansiones multa essent apud patrem, hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex proprijs operibus praepararet: & ideo non est meum parare, sed vestrum: quia & Iuda nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit.* 2. Con. Iouin. Ioan. 14.

Et vt vnum locum scripturæ ex altero exponat, continenter adnectit: *Iuxta quem sensum & illud intelligendum quod ad filios dicitur Zebedai, quorum alter à sinistris, alter cupiebat sedere à dextris: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem à dextris m... a sinistris, non est meum* Matth. 20.

dare

dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo Et ilico quæstionem sibi huiusmodi proponit Hieronymus: *Non est filij dare? & quomodo est patris præparare? Hoc est: sed si non esset filij dare, quomodo patris esset præparare? Omnia enim, quæ pater præparauit, habet dare filius.* Et ipse sibi quæstionem diluit statim ex hoc, quod non dixit Christus, *Non est meum dare*: sed *Non est meum dare vobis.* Sunt vero hæc verba Hieronymi: *Paratæ, inquit, sunt in cœlo diuersæ & plurimæ mansiones plurimis, diuersisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Frustra ergo à me petitis, quod in vobis situm est, quod pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem.* Hæc Hieronymus.

Ex quibus abunde constare potest, etiam his verbis, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo*: Christum clare docuisse, non fore æqualem omnium sanctorum beatitudinem, sed quosdam quidem à dextris ei consessuros in regno cœlorum, quosdam autem à sinistris: & alios neq; tam sublimia loca habituros, sed longe inferiora. Et ipsis quoque filijs Zebedæi, tametsi præcellentibus Apostolis, videntur ea loca Christus abnegasse. Idque fortassis, vt de beatissima virgine taceamus, quod Petrum & Paulum sciebat longe illis fore superiores & præstantiores, & eorum insignibus & eximijs meritis nobilissima illa loca deberi.

Pet. & Paul. præcellentiores alijs Apostolis.

Veruntamen vt aliquorum merita & præmia maiora fore, quam filiorum Zebedæi, his verbis insinuauit, ita & Apostolos digniorem locum, quam cæteros in cœlo habituros esse, illis ad eos verbis significauit: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel* Non enim omnium iudices in illo certissimo & exactissimo iudicio constituerentur, nisi omnes magno interuallo præcelluissent. Et falsarij vel imperitiæ reus tenetur Iouinianus, qui Apostolis, qui vniuersa bona sua propter Christum reliquerunt, nunc centuplum, nunc septuplum dicit esse repromissum, ne videlicet ex centupli verbo, excessum eorum supra alios colligeremus. Et hoc illum vel imperite vel malitiose dixisse, possumus ostendere, quia in nullo Euangelistarum habetur *Septuplum*, sed in Matthæo & Marco habetur duntaxat, *Centuplum*: in Luca vero, *Multo plura*: in Ioanne vero, nihil de hoc habetur.

Apostoli inter sanctos omnes eximii.

Matth. 19.

Marc. 10.

Luc. 19.

Eandem etiam beatorum inæqualitatem Christus ipse perspicuam fecit parabola illa de præclaro illo rege, qui constituit supra decem ciuitates seruum illum, qui ipsius mna acquisiuit decem mnas: & supra quinque ciuitates seruum alterum, qui mna domini sui acquisiuit quinque mnas. Ne enim aliquis ex officina Iouiniani & Lutheri æqualem esse omnium iustorum remunerationem ex eo machinaretur, quia eisdem verbis gratulatur Dominus apud Matthæum & seruo, qui lucratus est quinque talenta, & seruo qui lucratus est duo: huic errori obuiam iuit ista alia parabola, in qua clare redditur maius & sublimius præmium ei, qui talento sibi credito maius lucrum fecit, & plus sibi meritorum in hac vita comparauit.

Et hoc ipsum luculentius Christus fecit parabola illa de semente iacta in terram bonam, cuius pars centesimum, pars sexagesimum, pars trigesimum fructum attulit. Non enim potest respondere rei ipsi parabola, si æqualiter fructificat in omnibus bonis verbum Dei, & idem est vitium seminis quod cecidit secus viam, & super petram, & super spinas. Et stultum sane erat, vt verissime dicit Hieronymus, si nulla erat inæqualitas neq; in bonis, neque in malis, pro duabus speciebus sex species numerare. Faciamus tamen hæc testimonia Pauli clariora. In priore ad Cor. aperte docet, non fore æqualem omnium iustorum gloriam corporis, his verbis: *Stella a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Quòd si ex his verbis liquidum est, inæqualem fore gloriam corporis sanctorum, erit profecto & inæqualis gloria animæ. Par quippe est de vtraque ratio: & indecens profecto esset, vt habentes æqualem gloriam in anima, nō haberent æqualem in corpore. Absurdum quoque est, ac pla-

13.

Argum. 2.

ne intolerabilis expositio Iouiniani, qui dicebat, vt testatur Hieronymus, stellam differre à stella in claritate, quia spiritales differunt à carnalibus. Nam de solis iustis hæc dicit Paulus. Carnales etenim in cœlestibus futuri non sunt, & tenebræ sunt, & in tenebris ambulant: tantum abest, vt stellis queant comparari. Atque vt hoc esset magis perspicuum, mox subdedit Paulus: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* 1. Corint. 15. Quę quidem referri nullatenus possunt ad corpora, in quibus resurgent mortui in peccato mortali: quippe, quæ animalia, corruptibilia, ignobilia, grauia & infirma futura sunt.

Et recte Hieronymus Solem & Lunam dicit præmisisse Apostolum, cum dixit: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum*, ne Stellam & Stellam, totú quisquam intelligeret humanæ multitudinis genus: sed ex coniunctione Solis & Lunæ, quæ referri nequeunt ad malos, admoneremur & Stellas ad solos bonos referre. Itaque quod dicit Apostolus, Sic & resurrectio mortuorum: ita est intelligendum, vt alius videlicet claritate Solis luceat, alius Lunæ splendore rutilet, alius Lucifer sit, alius Arcturus, alius Orion, alius Mazuroth, & alij cæteræ stellæ, quæ sacratæ in Iob volumine continentur.

Et pulcherrima sane allusio hæc est Pauli ad intelligendum pro meritorum varietate & inæqualitate, diuersas fore & inter se impares glorias iustorum. Vt enim astra omnia recipiunt quidem à Sole suum splendorem, quodlibet tamen secundum probabiliorem philosophorum sententiam, iuxta suam qualitatem, & prout magis, minusve solidum est & diaphanum, plus vel minus refulget: ita & quamuis omnes iusti de plenitudine Christi, qui Sol est fulgentissimus, gloriam animæ & corporis participaturi sint, nequaquam tamen ex æquo, sed iuxta quantitatem & modum suæ dispositionis, hoc est, bonorum operum & meritorum suorum, gloriam animæ & corporis recipient. Dabit namque Deus pro bona voluntate sua, sicut & ibidem dicit Paulus, vnicuique seminum corpus proprium. Et sicut tanto melius & perfectius est corpus cuiuis semini respondens, quanto melius & perfectius fuerit semen in terram iactum, vnde illud prodit: tanto nobiliora & splendidiora corpora Deus iustis dabit, quanto illi meliores & perfectiores fuerint, cum absoluto huius vitæ cursu, fuerint terræ velut semina mox victura, mandati.

Vnde & Daniel, cum eos qui dormiunt in terræ puluere, euigilaturos pronuntiasset, alios quidem in vitam æternam, alios vero in opprobrium, vt declararet eximiam fore gloriam bonorum Doctorum, & multo maiorem quam aliorum, euestigio adiecit: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. Præcellētia gloriæ Doctorum. Iustitia etiam distributiua seruanda in bonorum remuneratione, manifeste exigit, vt inæqualis sit gloria iustorum. Vnde vtriusque testamenti pagina palam edocemur, reddendum esse vnicuique præmium in iudicio diuino iuxta mensuram suorum operum. Argum. 3. Ideo Daniel libros dixit esse aperiendos in iudicio, quia omnia nostra opera exactissime tunc expendentur, & iuxta eorum merita suum vnicuique præmium, vel pœna retribuetur. Et Paulus disertissime, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*: vel, vt legit Hieronymus, 2. con. Iouin. & magis conuenit cum communibus modò Græcis exemplaribus, *vt recipiat vnusquisque, quæ gessit per corpus, siue bonum, siue malum.* 2. Corinth. 5. Et alibi: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1. Cor. 3.

Et Ioannes Apostolus in Apocalypsi aperte pronunciat, mortuus in Domino opera sua consequi, nempe, vt iuxta eorum bonitatē præmium à iusto iudice recipiant. Apoc. 14. Et cum alibi dixerit Paulus, *Nolite errare: Deus non irridetur: Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua,* Galat. 6.

de car-

de carne metet corruptionem: & qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam æternam: ne quis hinc putaret, tantum fore huiusmodi duos gradus in retributione, alibi huic errori occurrit, & luculentissime exposuit, non omnes iustos æqualem messem collecturos. *Qui parce* inquit, *seminat parce & metet: & qui seminat in benedictionibus*, hoc est, benigne & abundanter, *de benedictionibus & metet*, id est, etiam benigne & abundanter colliget. Et hoc ipsum ipsa similitudo seminis iacti in terram, nos poterat admonere. Cæteris siquidem paribus, qui plus seminat, plus colligit. Vnde & Psalmista absolute inquit de iustis: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Itaque cum perspicuum sit, non omnes iustos in hac vita æqualia semina bonorum operum seminare, sed quosdam alijs iustiores esse & religiosiores, & virtutum magis studiosos, & plura & meliora virtutum opera exercere: ambigendum non est, quin ad patriam alij alijs maiores relaturi sint & preciosiores manipulos, & in ea ex consequenti beatiores sint futuri. Non est enim iniustus Deus, sic ut sapienter dicit Hieron. 2. cont. Iouin. vt obliuiscatur operis Pauli, qui cunctis amplius laborauit, & dispar meritum æquali mercede compenset.

Psal. 125

Ideo namque cum Dominus disposuerit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere, & ille non abutebatur hac licentia, sed laborabat manibus suis, ne quempiam grauaret, & die ac nocte operabatur, & ministrabat illis qui cum ipso erant, & cum liber esset ex omnibus, omnium se seruum faciebat, vt plus laborans, plus quoque placeret Deo, & maiorem mercedem acciperet. Et Deus ipse, qui per Apostolos loquebatur, per Prophetas olim perspicue monuerat, maiora se præmia melioribus operibus impertiturum in regno cœlorum. Quoniam enim, vt Christus per se & per Paulum explicuit, virginitas melius quid est castitate coniugali, de Eunuchis illis, qui se sponte sua spiritaliter castrauerunt propter regnum cœlorum, sic per Esaiam pronunciat: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus*, hoc est, iuxta phrasim Hebraicam, quam filiorum & filiarum, id est, quam sit nomen eorum, qui Patres filiorum vel filiarum appellantur. Et ne nomen hoc, carnalis aliquis temporale aliquid vel carnale præmium interpretaretur, cum manifeste in eo præcellentia gloriæ, aut aureola virginum designetur, additur continenter: *Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*.

Esa. 56

Adhæc: In regno cœlorum diuersi sunt ordines beatorum spirituum. Alij angeli sunt, alij archangeli, alij throni, alij dominationes, alij principatus, alij potestates, alij virtutes, alij cherubim, alij seraphim. Igitur & diuersa quoque est, & dispar eorum gloria. Sine causa quippe, vt pulchre dicit Hieron. diuersitas nominum est, vbi non est diuersitas meritorum. Neque verisimile est, tantam fore disparitatem in officijs, si non & æqualis esset disparitas in gratia apud Deum & in gloria. Absonum etenim, in ciuitate illa Domini, vbi summus est & omnino admirandus omnium rerum ordo, eos cedere præfectos esse alijs, qui non etiam in gratia & familiaritate apud Deum eos excedant. Etsi non esset tanta mansionum diuersitas in regno cœlorum, neque in veteri testamento, neque in nouo alium ordinem Pontifex teneret, alium sacerdotes, alium Leuitæ, alium ianitores, alium æditui. Descendit namque nostra Ecclesia, sicut Ioannes vidit, à cœlesti Hierusalem, & typus quidam & vmbra ipsius est. Vnde & in volumine Ezechielis vbi futuræ Ecclesiæ & cœlestis Hierusalem ordo describitur, sacerdotes qui peccauerant, regradantur in æditues, & cum sint in templo Dei, & à dextris ipsius non sinuntur amplius esse inter arietes, sed constituuntur inter minimas oues. In fluuio quoque illo, qui de templo egreditur, & irrigat salsum mare, & postea vniuersa viuificat, plurimæ species piscium describuntur futuræ, in symbolum videlicet & adumbrationem huius veritatis. Et disparitatem beatitudinis ciuium cœlestium expressius idem Propheta designauit in illis verbis: *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi adspectus*

Argum. 4.

2. contr. Iou.

lapidis Saphiri, &c. Quod optimè exposuit Greg. hom. 8. super Ezech. ex verbis Pauli ad Colossenses, *Siue throni siue dominationes, &c.* Et doctè quidem Hieronymus Ioniniano dicit: *Tota Iudææ terra, tribuumq; descriptio, futuræ Ecclesiæ in cœlis typus est. Legamus Iesum Naue, legamus Ezechielis extremas partes, & videbimus quicquid in altero quasi per historiam in terra distribuitur, in altero in cœlus spiritaliter repromitti. Quid sibi volunt in descriptione templi, septem & octo gradus? Quid rursum, quod in Psalterio post elementa centesimi octaui decimi Psalmi, quibus mysticum erudimur alphabetum per 15. gradus vsq; illuc peruenimus, vt possimus canere, Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini: Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri? Quare duæ & semis tribus trans Iordanem habitant, vbi plurima sunt iumenta, & nouem & semis reliquæ vel excellunt priscinos habitatores de sedibus suis, vel cum ipsis habitant? Cur Leuitica tribus in terra partem non accipit, sed Dominus pars eius est, & inter ipsos Leuitas & Sacerdotes ad sancta sanctorum, vbi Cherubin & propitiatorium est, Pontifex solus ingreditur? Quare reliqui Sacerdotes, lineis tantum vtuntur vestibus, & non habent indumentum auro, hiacyntho cocco, purpura, byssoq; contextum? Inferioris gradus Leuitæ & Sacerdotes plaustra & boues ac ipiunt: Maioris ordinis, gestant arcam Domini humeris suis. Si tollis ordinem tabernaculi, templi, Ecclesiæ, si omnes qui à dextris sunt, corpus vnum, & vt vulgò dicitur, ...ὸν, ne quicquam Episcopi, frustra Presbyteri, sine causa diaconi sunt. Quid perseuerant virgines? Quid laborant viduæ? Cur maritatæ se continent? Peccemus omnes, & post pœnitentiam idem erimus quod Apostoli sunt.* Hæc ille.

Argum. 5. Præterea: Non erit æqualis damnatorum pœna, sed eodem igne & eadem diuinæ visionis carentia quidam acerbius, alij mitius cruciabuntur. Et hoc Christus disertissime expressit, cum dixit Apostolis suis:
Matth. 10 *Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati, quæ scilicet non receperis vos.* Et alibi Corozain
11. & Bethsaidæ dicebat: *Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis.* Et mox ad Capharnaum sic locutus est: *Terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.* Et alio in loco disparitate reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis, idem ipsum ostendit his verbis: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Graue siquidem est, reum esse iudicij: grauius concilij: grauissimum, Gehennæ ignis. Aliâs etiam palam docuit, peccatum ex malitia, grauius esse puniendum, quam peccatum ex ignorantia. Et vt ostenderet etiam, eos grauioribus pœnis esse mulctandos, qui maiora dona à Deo acceperunt, & ingrati illis fuerunt, subdidit statim: Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Et hoc est, quod & Salomon olim docuerat, dicens: *Iudicium durissimum in his, qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem, potenter tormenta patientur.* Sap. 6 Et post paululum: *Fortioribus enim fortior instat cruciatio.* Paulus item grauioribus pœnis esse mulctandos Christianos peccatores, quam alios, si modo cætera sunt paria, eleganter diffinit, & probat in epist. ad Heb. Et Petrus idem ipsum manifeste docet his verbis: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Heb 10 2. Pet. 2 Contigit enim eis illud ver Prouerbij. *Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Prou. 26 Et sufficere possunt ad hanc inæqualitatem pœnarum constabiliendam illa prorsus testimonia: *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus. Quantum se quisq; glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentorum.* Deut. 25 Apoc. 18 Apertissimũ namq; est, non omnes peccatores ex æquo delinquere, neque ex æquo se glorificare, & delicijs vacare. Atque ideo neque paria erunt eorum supplicia. Et iam inde à principio mundi sic iuste iudicaturum se, & animaduersurum in peccatores, per Lamech Deus ostenderat. *Occidi, inquit, virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies.* Gen. 4 Quantum enim numero pœnæ distabant, tantum & crimina. Quod si

tan-

tanta erit inæqualitas in pœnis, & vnicuique malorum iuxta magnitudinē suorum peccatorū iustissimus iudex retribuet, neq; erunt æqualia præmia bonorum, sed recipiet vnusquisque secundum suum laborem, sicut iam citauimus ex Paulo.

CAPVT V.

De profectu iusti, & inæqualitate gratiæ & gloriæ Sanctorum.

AD pleniorem omnium, quæ diximus, confirmationem, placet tria hæc in commune probare, quæ seorsum iam firmauimus, iustos videlicet, quamdiu sunt in hac vita, proficere posse in gratia & virtutibus, neque æquales hîc esse in gratia, neque æquales post hanc vitam futuros in gloria.

Argum. 1. Matth. 20. Et primo quidem hæc omnia constabilire possumus ex verbis Christi ad Apostolos suos: *Quicunq́ voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Non diceret Christus, *Quicunq́ voluerit inter vos maior fieri, & qui voluerit inter vos primus esse:* nisi quilibet proficere posset, & alios exuperare valeret & hîc & in gloria. Et qui dixit, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo:* indicauit profecto, & in regno cœlorum, & in hac vita alios esse alijs minores. Non est quippe locus minori vel maiori, vbi omnes sunt æquales. Etsi omnes sancti hic sunt pares, nulla sane est gloria Ioannis Baptistæ, quod nullus eo maior surrexerit. Quod perspiciens Hieronymus 2. contr. Iou. & 2. cont. Pelag. docte ex hoc loco colligit, Ioann. Baptista cæteros fuisse minores, & inter Angelos ipsos multiplicem esse & infinitam diuersitatem.

Hæc etiam ipsa luculenter tradiderat suis Apostolis in sermone habito ad illos in monte. Nam & eos turbæ longe prætulit, & præclarissimis elogijs insigniuit, & sal terræ, & lucem mundi, & ciuitates supra montem, & lucernas supra candelabrum positas appellauit. Et vt spe præmij ad virtutes & labores doctrinæ accenderet, continuo subdidit. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et alibi: *Quicunq́ humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.* Quomodo Christus bonum Doctorem, magnum fore in regno cœlorum pronunciasset, quomodo humiliantes se instar paruulorum, maiores in eo fore asseruisset, nisi & hîc & ibi & magni & parui futuri essent, & parui in gradum maiorem possent proficere?

Concinit his testimonijs Christi Hieremias, quippe qui perspicue, vt patet ex contextu, de futuri Christi regni felicitate disserens, in ea cætera hæc quoque loquitur: *Et non docebit vnusquisq́ proximum suum, & vnusquisq́ fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me, à minore vsq́ ad maiorem:* vel, vt legit Hieronymus, *à minimo vsq́ ad maximum.* Qui autem consequentia ibi erunt maximus & minimus, si omnes æquales futuri sunt? Qui possint maximus & minimus ibi esse, si omnes hîc fuerint pares, neque promouere quispiam sic potest, vt è minore fiat maior?

Atque hæc omnia ipsi sacramentorum efficacia mirifice confirmat. Aut enim oportet dicere contra Scripturam, & contra totius Ecclesiæ sententiam, sacramenta non causare gratiam in iustis, qui bene se ad ea recipienda præparant: aut si quidem hoc fateamur, sicut concedendum est ab omnibus fidelibus, necesse erit fateri, per susceptionem saltem sacramentorum fieri posse, vt iustus fiat iustior, & exuperet alios, hîc quidem in gratia, & postea in gloria. Argum. 2.

Possumus item hunc progressum iustorum, & excessum vnius supra alterum, in gratia & in gloria, inde ostendere, quod ex sacris literis & tritu Ecclesiæ, multisque fide dignissimis sanctorum virorum testimonijs scimus, quosdam iustos vno in tempore maiori fuisse in precio, quam alio apud Deum, & plura apud Deum suis orationibus & in hac vita, & post illam impetrasse, & ob eorum gratiam maiora nobis à Deo beneficia conferri, atque eos ex ... & singulariter præ alijs commendari. Hæc quippe haudquaquam fierent, si non ipsi acceptiores mansissent in gratia ... Argum. 3.

iustius

quibus ea beneficia propter illos conferuntur, magno interuallo exuperarent.

Sed faciamus hoc argumentum exemplis Scripturæ aliquanto dilucidius. Et quoniam solos iustos iustis nunc comparamus, intermittam modo beneficia peccatoribus propter iustos exhibita, quæ passim occurrunt in Scripturis, & ea duntaxat attingam, quæ iustis Deus propter iustos exhibuit, vt monstraret & ex ipsis, alios se alijs pluris facere. In diluuio liberatus est Noe, & tota domus ipsius, reliqui periêrunt. Et filios quidem, tametsi iusti tum fuerint, non tamen suis meritis, sed propter parentem liberatos esse: dicit beatus Hieron. Et id potest colligi, quia cum dixisset Dominus, *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam*: vt intelligeremus propter Noe liberari domum ipsius, subdidit statim: *Te enim vidi iustum in generatione hac.* Et paulo ante: *Ponam fœdus meum tecum & ingredieris in arcam tu & filij tui, vxor tua & vxores filiorum tuorum tecum.* Et aliquanto ante de eo solo dicitur: *Noe vero inuenit gratiam coram Domino.* Vides cum eo solo iniri fœdus, & de eo solo asseri, quod inuenerit gratiam coram Domino: & dubitas eum fuisse maioris meriti apud Deum, quam suos filios, etiam si illi iusti tum fuerint, vt verisimilimum est, saltem de Sem & Iaphet?

Genes. 6

Et Loth quidem iustus erat, vt patere potest ex testimonio Petri, & tamen meritis Abrahæ liberatus est, cum subuerteret Dominus ciuitates in quibus habitauerat, vt sciremus profecto iustiorem fuisse eo Abraham. *Cum enim subuerteret Dominus ciuitates regionis illius recordatus est Abrahæ*, dicit Scriptura, *& liberauit Loth de subuersione vrbium, in quibus habitauerat.*

Puniuit & Deus Abimelech & domum ipsius, quia voluit Saram vxorem ducere: & quia simplici corde hoc fecerat, custoditus est, ne peccaret. Orante autem Abraham, sanatus est à Deo Abimelech, vxorque & ancillæ ipsius. Num dicere poterimus æquali fuisse Abimelech gratia apud Deum cum Abraham, tametsi tum ille ad vocem Dei pœnitentiam egerit? Si ita esset, non ei dixisset Deus per somnium: Nunc ergo redde viro suo vxorem, & orabit pro te, quia Propheta est, & viues. Non enim ita Abimelech ab orationibus Abrahæ dependisset, si non fuisset multo eo iustior Abraham. Et hanc tantam gratiam habuisse illum ante, quam Deus diceret illi, *Ambula coram me, & esto perfectus*, non est vnde colligamus. Egisse etiam scimus pœnitentiam amicos Iob sui peccati ad cohortationem Domini, & Dominum conuersum esse ad pœnitentiam Iob, & faciem illius suscepisse, cum oraret ille pro amicis suis: & tamen illos, etiam post suam iustificationem, nemo sanæ mentis audebit cum Iob comparare. Quod si non fuissent cæteris sanctiores, Abraham, Isaac & Iacob, nunquam toties sancti viri, & tota synagoga Iudæorum, merita illorum Deo in suis tribulationibus allegasset, & propter illos liberari se petijsset. Et si non antecelluisset multis parasangis totum suum populum Moyses, nunquam tam crebro ad ipsius preces temperasset Dominus iram suam contra populum, neque Psalmista diceret de illo caneret: *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius: Vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.* Deus etiam, sicut Paulus ait, testimonium præcellentis Dauidis sanctitatis exhibuit, dicens: *Inueni Dauid filium Isse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et in eius gratiam etiam multis & grauissimis peccatis prouocatus à filijs ipsius, noluit, sicut Scriptura aperte dicit, disperdere Iudam propter Dauid seruum suum, sicut promiserat ei, vt daret illi lucernam & filijs eius cunctis diebus. Et promissionem eleganter ipse cecinit in Psal. his verbis: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, &c. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit.*

Psal. 1..
Act. 13
Psal. 88

Neque tantum Dauidi & Abrahæ sub iuramento pollicitus esset Dominus incarnationem suam, si non illi sanctiores plurimis alijs fuissent.

Et quod de spiritu Moysi aufertur, & LXX. Presbyteris datur, satis indicat excessum Moysi supra alios. Alia enim, sicut Hieronymus bene dicit, abundantia est flumi-

num,

num, alia riuulorum. Etsi non habuisset complurimis alijs cariores Noe, Danielem, & Iob, nunquam ad Ezechielem dixisset peculiariter de eis, ne illos quidem suffecturos ad liberandum terram præuaricantem contra ipsum: *Si fuerint*, inquit, *tres viri isti in medio eius*, scilicet terræ, *ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.* Et qui sæpe Hieremiæ dixit, vt non oraret pro populo, neq; obsisteret ei, indicabat quidem, multo esse eum alijs sanctiorem, & orationes illius maiori in precio esse solere apud ipsum, quam orationes aliorum. Sed transeamus ad nouum testamentum. Cum ad preces Centurionis sanauit Deus puerum, ad preces Cananææ filiā eius, certe & Centurionem suo puero, & Cananæam suæ filiæ Christus prætulit. Alioqui non eorum duntaxat fidem suscepisse se dixisset, sed & pueri Centurionis, & filiæ Cananææ. Quis autem tantum potest insanire, vt Apostolos cæteris æquet, cum per Apostolos facta fuerint plurima signa, & prodigia toti orbi stupenda adeo, vt & ad preces eorum, & contactum suorum vestimentorum, immo etiam ad vmbram ipsorum, sanarentur infirmi?

Ezech. 14.

Cumq; meritis Pauli in naufragio ducentæ & 76. animæ fuerint donatæ, vt & ipse expresse eis asseruit argute rogat Iouinianum Hieronymus, 2. cont. Iou. Nunquid is, cui donantur, & qui donantur, vnius meriti sunt? Quod si omnes sancti pares sunt post hanc vitam, cur Paulus, cur Ecclesia, cur demum tota scriptura quosdam eorum nobis præ alijs commendat, idq; de illis, quæ maiorem gratiam arguunt apud Deum? Atque vsus totius Ecclesiæ hæc nos potest abunde docere. Frustra equidem & stulte Ecclesia quosdam sanctos præ alijs coleret, & quorundam solennitates arctius iuberet obseruari, & quorundam præ alijs intercessionibus vteretur, & vti fideles doceret, si omnes essent in æquali gratia apud Deum, & non potius certissime sciret dari profectus in gratia, & Deum quosdam habere alijs cariores. Vnde aduocatam nostram antonomatice appellat Deiparam virginem, quod & plus eam precari pro nobis, & gratiores esse in conspectu Dei preces ipsius, non dubitat. Scit quippe exaltatam ipsam supra choros angelorum. Et saltem in aliqua beneficia impartienda, quosdam sanctos à Deo præ alijs exaudiri, ita certis miraculis perspicuū factum est, vt nefas sit de hoc dubitare. Sed qui negant orandos esse sanctos, qui iam sunt in gloria, videntes hæc non vident, & audientes hæc non audiunt, neq; intelligunt. Atque ideo non mirum, si hoc argumento non conuincantur. Si tamen resipiscere velint, & ad Deum pleno corde conuerti, auferetur ab eorum cordibus velamen, & veritatem ipsam ex alijs argumentis, quæ quidem fortissima & validissima facta sunt à catholicis, qui de orandis & colendis sanctis scripserunt, satis superque poterunt intelligere.

Adijciam tamen his aliud, quod quidem vel solum deterrere omnes deberet ab errore, in quem modo pugnamus. Et hoc alta in mente reponerent aduersarij, optarim. Cunctorum sanctorum, excepto infimo, in commune hostis est, qui omnium asserit æqualia esse merita. Omniq; ordini, omni statui, omni conditioni, cunctis virtutibus, exceptis infimis, & ipsi suæ naturæ, suæque famæ & honori aduersatur, qui sic sentit. Nam qui asserit, omnium æqualia esse merita, non vnum ordinem angelorū alteri præfert, non Ecclesiasticum laico, non religiosum seculari, non doctorē idiotę, non martyrem confessori, non virgines viduis, non viduas coniugatis, non vnius vxoris viros digamis, aut trigamis, non polygamum scortatori pœnitenti, non caritatem fidei aut spei, non iustitiam temperantiæ, & ne reliqua persequar, omnia confundit, omnia conturbat, decorem vniuersi in spiritalibus tollit, suam naturā accusat, suæ industriæ inimicatur, suā famā & honorē perdit. Quippe qui, in qua re maxime oportet proficere, videlicet in gratia Dei & virtutibus, in ea neq; proficere, neque alios exuperare posse existimat. Et quæ potest esse verior antichristi prædicatio? quæ pernicies maior? quæ doctrina homines, alioqui satis per se torpentes & remissos ad virtutes,

Argum. 4.

tutes, segniores potest aut magis pigros efficere, & in vitia plenius laxare, quam quæ inter Ioannem & infimum pœnitentē, nullam prorsus facit destantiam?

CAPVT VI.

Confirmatur profectus iustorū & inæqualitas ipsorum in gratia & gloria, ex consensu Ecclesiæ Catholicæ.

QVAMVIS autem plurima sint sanctorum testimonia pro veritatibus, quas docuimus, & pleraq; iam citauerimus in confirmationem & illustrationem argumētorum, quæ fecimus, vt tamen clarior sit omnibus cōsensus totius Ecclesiæ de his, adiungam & alia quædā, quæ alijs in locis occurrerunt. Tertull. l. de fuga in persecut. augmētum dari in virtutibus, & Ecclesiam in tribulationibus proficere. his verbis declarat: *Quādo Deus magis creditur, nisi cū magis timetur? nisi in tēpore persecutionis? Ecclesia in attonito est. Tunc & fides in expeditione solicitior, & disciplinatior in ieiunijs, & stationibus, & orationibus, & humilitate in alterutra diligentia & dilectione, in sanctitate & sobrietate. Non enim vacatur, nisi timori & spei.*

Cypr. sæpe hanc eandem veritatē docet. Idq; manifestum esse potest, cum ex alijs, quæ alias ex eo citauimus, tum vero ex illis, quæ de laude virginitatis & martyrij scribit. Nam omnia vult martyrio cedere, & ipsius esse centesimum fructum, virginitatis autē sexagesimum. Et ad quosdā egregios Confessores l. 2. epist. 4. sic scribit: *Tot vestræ laudes, quot dies: Quot mensium curricula, tot incremēta meritorū: Quo lōgior vestra pugna, hoc corona sublimior.* Et alibi: *Tobias inquātum patienter cæcitatem tulit, intantū granditer Deū patientiæ laude promeruit.*

Serm. 3. Ambrosius in sermone quodā resurrectionis, iustos omnes, quādiu sunt in hac vita, proficere posse in gratia & mūditia, clare tradit his verbis: *Quis in hac vita tā mūdus, qui amplius mundari nō possit, magis magisq; mūdandus nō sit?* Et sequitur: *Vt tāto sint fœcundiores, quāto mundiores. Nedū inter virtutes, sed etiam in virtutibus eisdem gradus esse probantur.*

Et præter loca, quæ iā citauimus ex Hieronymo ex secūdo contra Iouinianum, vbi ex professo disputat contra hunc errorem de æqualitate gratiæ & gloriæ sanctorum, est locus quidam ipsius valde notandus de hoc, quem non grauabor hic transscribere. Cōfirmant enim mirifice illius verba, multa ex argumētis iam factis, & quę faciet semper germana expositio multorum locorum scripturæ, quæ supra induximus, perspicue ostendunt.

Cum igitur in primo libro cōtra Pelagianos dissereret, nullū hominem posse esse in hac vita sine peccato, nisi ex speciali priuilegio, ne per hoc oēs videretur æqualiter sanctos, aut peccatores constituere, ita subdit: *Ego hoc sentio, nullā creaturam, secundū veram cōsummatamq; iustitiam, posse esse perfectam.* Cæterum alium differre ab alio, & diuersas esse in hominibus iustitias, nulli dubium est, & vel maiorem esse alium, vel minorem: & tamen secundū statum & mensuram suam, posse iustos nominari, qui aliorum comparatione iusti non sunt. Verbi gratia, Paulus Apostolus, vas electionis, qui plus omnibus Apostolis laborauit, vtique iustus erat, scribēs ad Timotheum, *Bonum certamen certaui, cursum cōsummaui, fidem seruaui: de cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. nō solum autē mihi, sed * omnibus, qui diligunt aduentum eius.* 2. Tim. 4. * & iis, qui Iustus erat & Timotheus, discipulus eius & imitator, quem docet, quid agere debeat, & quem modum tenere virtutum. Putamus vnam & eandē in vtroque fuisse iustitiam, & non plus habere meritorum eū, qui plus omnibus laborauit?

Multæ mansiones sunt apud patrē, quia & merita diuersa. Stella à stella differt in claritate, & in vno ecclesiæ corpore membra diuersa sunt. Habet sol fulgorē suum, luna quoq; noctis tenebras tēperat & quinque sidera alia, quæ vocātur errātia, diuersis & cursibus & luminibus cœlū peragrāt. Innumerabiles sunt aliæ stellæ, quas micare in firmamento cernimus. In singulis diuersa sunt lumina, & tamen in suo vnaquęque perfecta est, ita duntaxat, vt comparatione maioris, perfectione careat.

In corpore quoque cuius mēbra diuersa sunt, aliud oculus, aliud manus, aliud pes

agunt.

1. Cor. 12. agunt. Vnde & Apostolus dicit *Nō potest oculus dicere manui, Non es mihi necessaria: aut iterū caput pedibus, Non desidero operam vestram. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes prophetæ? Nunquid omnes magistri? Nunquid omnes cunctas habent virtutes? Nunquid omnes donationes habēt sanitatum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Aemulamini dona maiora. Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidēs propria vnicuiq; prout vult.*

In quo diligenter attende, quod non dixerit, Secundum quod vnumquodq; mēbrum cupit: sed *Secundum quod ipse vult spiritus.* Rom. 9. Isai. * ita vel *Neque enim dicere potest vas figulo suo, quare* vel *ita me fecisti? An non habet figulus potestatem, de eorum luto aliud vas facere in honorem, aliud in cōtumeliam?* Vnde & consequenter adiecit, *Aemulamini dona maiora.* vt in fide & industria plus cæteris charismatibus habere mereamur, melioresque simus his, qui comparatione nostri, in secundo vel tertio gradu 2. Tim. 2. positi sunt. *In magna domo vasa diuersa sunt, alia aurea, alia argentea, ænea, ferrea, ligneaque.* Et tamen secundum modulum suum, cum æneum vas perfectum est, comparatione argentei vasis imperfectum dicitur: rursumque argenteum, aurei collatione, deterius est. Atque hoc modo, dum sibi inuicem comparantur, imperfecta & perfecta sunt oīa. In agro terræ bonæ, ex vna semente tricenarius, & sexagenarius, & centenarius fructus exoritur. Ipsis numeris indicatur impar esse quod nascitur, & tamen in suo genere perfecta singula.

Elizabeth & Zacharias (quo testimonio quasi impenetrabili vteris clypeo) nos docere possint, quanto inferiores sint beatæ Mariæ matris Domini sanctitate, quæ conscientia in se habitantis Dei libere procla- Luc. 1. mat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius: Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: Fecit potentiam in brachio suo.* In quo animaduerte, quod beatam se esse dicat, non proprio merito atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia.

Ioannes cæteris maior. Ipse quoque Ioannes, quo maior non fuit inter natos mulierum, parentibus suis melior. Nō enim solum hominibus, sed & angelis testimonio Domini comparatur & tamen qui cunctis hominibus erat maior in terra, minimo in regno cœlorum minor fuisse perhibetur. Quid mirum in collatione sanctorum, alios esse meliores & alios inferiores, cum econtrario in collatione peccatorum hoc intelligi possit?

Ad Hierusalem dicitur, quæ multis peccatorum erat confossa vulneribus: Iustificata est Sodoma ex te, non quod Sodoma per se iusta sit, quæ in æternos collapsa cineres, audit per Ezechielem: *Sodoma restituetur in antiquum:* sed quod comparatione sceleratioris Hierusalem, hæc iusta videatur. Illa enim Dei filium trucidauit, hæc propter abundantiam panis & per luxuriæ magnitudinem, excessit modum libidinis.

Publicanus in Euangelio, qui percutiebat pectus, quasi thesaurum cogitationum pessimarum, & conscientia delictorum oculos non audebat attollere, superbientis Pharisæi collatione fit iustior. Et Thamar sub specie meretricis fallit Iudam, & ipsius sententia qui deceptus est, meretur audire: *Iustificata est Thamar magis quam ego.*

Ex quibus omnibus approbatur, non solum ad comparationem diuinæ maiestatis homines nequaquam esse perfectos, sed ne angelorum quidem, & cæterorum hominum, qui virtutum culmina conscenderūt, cum & tu qui melior es, alterius collatione, quem imperfectum esse monstraueris, rursum ab alio te præeunte vincaris, ac per hoc non habeas veram perfectionem, quæ si perfecta sit, nulla re indiget. *Hactenus Hieron.*

Augustinus etiam tractans illa verba Ioannis, *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis:* pulchre quærit, quomodo pro- Ioan. 14. & 16. mitteretur Spiritus sanctus discipulis, cum ipsum iam haberent. Et ipse sibi respondet, ideo ista Dominum dixisse, quia habentes Spiritum sanctū, possunt eū habere adhuc perfectius: & qui habebāt occulte, vt ipsum diligerent, & mandata ipsius seruarent, accepturi eum erant manifeste.

Verba Augustini, post tractatam hincinde quæstionem, sunt hæc: *Restat ergo vt intelligamus Spiritum sanctum habere, qui diligit, &*

habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Iam itaq; habebant Spiritum sanctum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant, neque tamen eum adhuc habebant, sicut Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minus, dandus erat eis amplius. Habebant occulte, accepturi fuerant manifeste. Et subdit: Proinde non solum non habenti, verum etiam habenti non incassum promittitur: non habenti quidem, vt habeatur: habenti vero, vt amplius habeatur. Et idem multis alijs locis constanter docuit.

Philipp. 1. Protrita sunt illa ipsius verba, *Caritas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici: cum autem perfecta fuerit, clamat, Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et super epistolam Ioannis, de eadem caritate sic scribit: *Vt perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectum venerit, quid dicis? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum* Et ibidem augmẽtum caritatis, dicit esse diminutionem cupiditatis & timoris.

Tract. 9. Et rursus: *Quantũ caritas crescit, timor decrescit: & quantũ illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor. Minor caritas, maior timor* Et ibidem: *Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa caritas est animæ pulchritudo.* Et de Paulo subdit: *Ideo erat omnibus superior, quia caritate optabat omnes esse sibi æquales.* Et alibi: *Cæterum qui futuri sint pro meritis præmiorum, etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, nõ est ambigẽdum.*

21. de ciuit. cap. 30.

Et in libro de inquisitione Trinitatis, cum quæreret, an omnes sancti æqualiter Deum videbunt vel intelligent, ita respondet: *Nullatenus æqualiter omnes vel angeli, vel animæ sanctorum, Deum vel nunc vident, vel post resurrectionem videbunt, sed secundum donatoris dispensationem & meritorum qualitatem.* Et 13. de ciuit. Dei, cap. 7. per martyrium dicit peccata dimitti, & merita cumulatius augeri. Et tract. 7. in Ioan. *Non omnes sancti*, ait, *paria merita habent. Sunt alij alijs sanctiores.*

Chrysost. etiam exponens illa verba, *Sedere à dextris atq; à sinistris, non est meum dare vobis*: ita scribit, *Propter me quidem, ac prædicationis meæ gratia moriemini, & meæ passionis participes eritis: sed non est id satis ad primum locum atque ordinem obtinendum. Nam si quis postea veniet martyrio, & aliorum omnium numero virtutum ita decoratus, vt non parum excedere vos videatur, nolite credere, quia vos amo, cæterisque antepono, idcirco eo, qui maioribus nitet operibus, expulso, vobis primum me locum daturum.* Et in hom. 22. in epist. ad Hebr. *Quanto quis acerbiora passus, tanto gloria eius excrescit.*

Theophylactus in illa verba Matthæi, de semine iacto in terram bonam, quod facit fructum, aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero tricesimũ: *Variæ*, inquit, *virtutis species sunt, varij & qui proficiunt.* Et in Lucæ parabolam, de seruis cõstitutis pro meritis suis in plures vel pauciores ciuitates, sic scribit: *Quando apparebit Christus rex cum angelis in gloria patris veniens, & omne genu flectetur ei, tunc sane ad rationem adiget & eos qui dona acceperunt: & inuenietur vnus quidem multis profuisse, & duplicasse donum: alius autem profuisse quidem & ipse, sed paucioribus profuisse: alius autem nemini profuisse, sed ignauiter transiuisse negociationis tempus. Proinde qui decuplicauit quod acceperat, super decem ciuitates constituitur, hoc est, multiplices retributiones accipit, & alius deinceps iuxta suam recipit proportionem. Qui autem nihil lucratus fuit, condemnatur.* Et paulo inferius: *Tollitur donum ab ignauo, & datur bono negociatori. nam licet is habeat, propter istuc ipsum tamen magis debet plura accipere. Habenti enim dabitur, hoc est, ei qui ex negociatione boni multa lucratus fuerit, illi dabitur & amplius. Nam si parua in decupla fecit crescere, manifestum est, quod & plura decuplicabit, maioris lucri author domino futurus.* Hæc Theophylactus.

Et Gregorius in illa verba Ezechielis, *Et ascendit per gradus eius*: cum exposuisset, portæ nomine fidem intelligi à propheta, quia eam primam contingimus, vt ad virtutum ædificia intremus: *Quid*; subdit, *sunt gradus huius portæ, nisi merita virtutum? Siue enim in cognitione mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi, seu in scientia diuini eloquij, seu in ipsa fide, quam de illo accipimus, quibusdam gradibus ad altiora incremẽta peruenimus Nemo enim repente fit summus, sed in bona cõuersatione à minimis quisq; inchoat,* Homil. 15.

inchoat, vt ad magna perueniat. Et his gradibus aptat illa verba Psalmistæ: *Deus in gradibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Et Ecclesiæ profectum & cuiusque animæ sanctæ, his verbis declarat: *Cum sanctā Ecclesiā Dominus suscipit, in gradibus eius dignoscitur, quia eius gloria per illius incremēta declaratur. Quantum enim Ecclesia ascendendo proficit, tantum Deus hominibus ex eius virtute innotescit.* Addit & his pulchriora alia & apertiora, quæ ad longum renarrauit Gratianus.

Psalm. 47.

De pœn. d. 2. cum sancta.

Bernardus etiam in epist. quadam Abbatibus Suessione congregatis, sic scribit: *Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Et alias: *Cum in nobis deficimus, tunc coram Deo per desiderium proficimus: quia non attendit Deus quod es, sed quod esse desideras.*

epist. 91.

Et his consona sunt illa peruulgata verba Augustini: *Vbi dixisti, Sufficit, ibi defecisti.* Neque minus illa, *Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. Quomodo proficis, si iam sufficis tibi?* Et alibi: *Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod non es:* Et Greg. *In via Dei non procedere, retrocedere est.* Et tandem omnibus his suffragatur illa cōmunis apud omnes Ecclesiasticos Doctores distinctio, qua iusti diuiduntur in incipientes, proficientes, & perfectos.

De verb. Apost.

Sed ne quispiam amplius de his dubitet, quia profectus iustorum in gratia apertissime diffinitur in hoc capitulo, & inæqualitas gratiæ iustorum apertissime etiam cap. 7. diffinita est; sciat inæqualitatem meritorum & peccatorum, gloriæque & pœnæ inferni, apertissime etiam esse diffinitam in Concilio Florentino his verbis: Diffinimus illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Hæc ibi.

Conc. Flor.

Et inæqualitatem præmiorum & meritorum olim diffinierat Concilium Thelēse in Aphrica, authoritate Syricij Papæ congregatum. In epistola enim quadam ita inter cætera Patres illius Concilij ad eū scripsisse legimus: Agrestis vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullumque castitatis ordinem reseruare, promiscue omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christo vna sit palma quam tribuat, & non plurimi abundent tituli præmiorum. Et approbauit hanc sententiam idem Syricius, quantum ad præcellentiam virginitatis supra matrimonium, vt constanter videlicet posset defendere inæqualia esse omnium merita & præmia.

Præstat virginitas matrimonio.

CAPVT VII.

Respondetur Argumentis Iouiniani.

QVONIAM vero iam hunc errorem feliciter, Deo auxiliante, expugnauimus, & contra vtriusque testamenti paginam, & contra sanctorum Patrum, immo etiam contra totius Ecclesiæ authoritatem, & contra communem hominum sensum, eū esse ostendimus, vt nihil neque pij, neque impij hic à nobis iure desiderare queant, ad ea respondebimus, quibus eum errorem adnixus est tueri Iouinianus. Nam Lutherus quibus argumentis ad id vteretur, me fugit.

Sed argumenta Iouiniani tam putida sunt, tam leuia, tam nullius ponderis, vt me pigeat singulatim referre. Leuauit nos hoc labore beatus Hieronymus, qui propter vtilitatem Christi fidelium, non grauatus est eam molestiam subire. Poterit, qui volet, in eo ea legere in secundo libro contra ipsum in examinatione quartæ propositionis ipsius.

Sciat tamen, cui non placuerit, aut non vacauerit ea legere, omnia illa huc recidere, vt ex multis parabolis & exemplis, in quibus duo tantum ordines ponuntur bonorum & malorum, colligere velit, nullos gra-

Obiect. 1.

gradus fore in ipsis, nulla interualla, nulla discrimina.

Neque aduertit miser & insipiens homo, non omnibus in locis omnia posse aut debere edoceri, & vnamquamque parabolam, seu similitudinem, ad id referendam esse, cuius similitudo est. Conuenientissimum namque fuit, & nostræ imbecillitati necessarium, vt quibusdam parabolis, figuris, exemplis, & similitudinibus traderetur bonorum & malorum distantia, in alijs vero & gradus explicarentur, quibus distant boni inter se, & è contrario mali. Exempli gratia: Parabola quinq; virginum sapientum & quinq; stultarum, docet, quãtum sit inter solicitos & pigros interstitium. Parabola duorum fratrum, diuersitatem explicat frugi & luxuriosi, & non ad merita totius generis humani, sed vel ad Iudæi pertinet, Christianique personas, vel sanctorum & pœnitẽtium. Parabola drachmæ perditæ & inuentæ, & similis parabola de oue, reparationem humanæ naturæ, & cõiũctionem ipsius cum angelis explicat, neque merita hominum exæquat meritis angelorum.

Et hoc ipsum docere possumus in figuris. Quod enim in diluuio, & apud Sodomam & Gomorrham omnes iusti seruantur, peccatores in commune pereunt, & postea omnes Aegyptios tenebræ cooperiunt & vbicunq; habitabant filij Israel, lux est, & in mari rubro iusti pariter transeunt, peccatores pariter obruuntur: & in iudicio omnes vel oues sunt, & à dextris ponuntur, & ad possidendum regnum cœlorum vocantur: vel hirci, & à sinistris sunt, & vt discedant in ignem æternum, præcipiuntur: hoc nimirum Deus nobis significauit, nullum fore medium, neque in hac vita, neq; in alio inter filios regni & filios perditionis & omnes vel in luce, vel in tenebris esse, & vel perire, vel saluari.

Sed ne ex istis parabolis omnes bonos inter se, aut malos ediuerso æquaremus, parabolis alijs & exemplis & figuris, quas supra induximus, & diuersa talenta hic bonis distribui, & imparia præmia postea reddi, & verbum Dei inæquales in bonis fructus facere, & quosdam iustos à Deo præ alijs honorari, & quosdam peccatores, acerbius alijs, & hic & in alio seculo puniri, per eandem scripturam est monstratum.

Et peculiariter in his licet admirari, & adorare prouidẽtiam Spiritus sancti. Quoniam enim futurum erat, vt Iouinianus ex parabola Christi de ouibus & hircis, argumentaretur vnam duntaxat fore hominum distantiam, malorum videlicet à bonis, iam olim huic errori Deus prospexerat per Ezechielem, qui oues rationabiles, & diuersitatem inter pecus & pecus, suæ prophetiæ authoritate demonstrat, dicens: *Ecce ego iudico inter pecus & pecus, & inter arietes & hircos, & inter pecus pingue & macilentum. Pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora donec dispergerentur.* Et vt sciremus, quæ ista sint pecora, intulit statim: *Vos autem greges mei, oues pascuæ meæ, homines estis.* Ezech. 34.

Cum igitur præter distantiam inter arietes & hircos, clare distinxerit propheta inter pecus & pecus, & inter pecus pingue & macilentum, & ex natura ipsa manifestum sit permultum interesse, an in pecore aliquis aries sit, an ouicula, & an primam lanam habeat, an secundam, & vtrum infirmum sit & fragile, an vegetum & subsultans, contra authoritatem Scripturæ & cõtra rationem ipsam manifeste pugnant quicunque omnes homines oues dicunt esse, & à dextris: vel hircos, & à sinistris, & nullam esse aliam inter eos diuersitatem.

Verum vnum illud argumentum, quod Iouinianus contra nos intorsit ex parabola Euangelica de vno denario, reddito operarijs primæ horæ, & tertiæ, & sextæ, & nonæ, & vndecimæ, quia multo cæteris apparentius est, libet aliquanto accuratius tractare. Et quia tela aduersariorum nihil timet veritas, quæ semper vincit, roborabo ipsum, & vigentius faciam: Cur itaque si inæqualia sunt præmia sanctorum inæqualiter laborantibus in excolenda vinea Domini, vnum tamen & eundem denarium dedisse dicitur paterfamilias in parabola Euangelica, neque plus accipiunt qui Obiect. 2.

qui toto die laborauerunt, quam qui vna duntaxat hora?

Responsio. Voluit hac parabola Christus ostendere, vnius & eiusdem DEI participes fore omnes beatos, & eandem vitam æternam esse in præmium omnibus dandam, licet pro diuersitate meritorum, alius alio clarius Deum videbit, & alius alio plenius & suauius eo fruetur. Sicut enim idem est cęlum commune omnibus fidelibus, & tamen stella à stella differt in claritate: ita quamuis eadem vita æterna, & idem regnū cœlorum idemque denarius beatis omnibus concedatur, quia idem Deus omnibus se benignissimè præstabit videndum, fruendum, participandum, tamen pro diuersitate meritorum alius alio clarius in eodem denario honorabitur, quia quidam intimius & perfectius eum participabunt.

Denarius vnus ad totum. Et hunc in modum respondent huic obiectioni Hieron. Aug. & Grego. *Vnus denarius*, ait Hieronymus vbi supra, *non vnum est præmium sed vna vita, & vna de gehenna liberatio. Cæterum quomodo ad indulgentiam principalem, diuersorum criminum rei dimittuntur de carcere, & vnusquisque pro labore vel operibus suis, in hoc vel in illo statu vita est, ita & denarius quasi indulgentia veri principis omnes per baptismum emittit de carcere. Iam nostri laboris est, pro diuersitate virtutum, diuersa nobis præmia præparare.* Hucusq; Hieronymus.

Augustinus vero in illa verba Ioannis, *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, sic inquit, *Eo vtique denario vita significatur æterna, vbi nemo amplius viuit alio, quia viuendi non est diuersa in æternitate mensura: sed multæ mansiones, diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates. Alia enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria Stellarum. Stella enim a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Tanquam stellæ sancti diuersas mansiones diuersæ claritatis, tanquam in cœlo, sortiuntur in regno, sed propter vnum denarium nullus separatur a regno. Atque ita Deus erit omnia in omnibus, vt quoniam Deus caritas est propter caritatem fiat, vt quod habent singuli, commune sit omnibus. sic enim quisque etiam habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Non erit itaq; inuidia imparis claritatis, quia regnabit in omnib. vna caritas.* Hæc Aug.

Et in libro de sancta virginitate, in eandem sententiam sic scribit: *Quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mãsiones apud patrem.* Et hæc eodem Pauli testimonio confirmat, quo & proxime citato loco vsus est. Cap. 26.

Eademq; & in eundem sensum eleganter persequitur Gregorius in illa verba Iob 3. *Paruus & magnus ibi sunt*: Quia in hac vita, inquit, nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Vnde in Euangelio veritas dicit: *In domo patris mei mansiones multæ sunt*. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æque laborantes in vinea, æque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud patrem mansiones multæ sunt, & tamen eundem denarium dispares laboratores accipiunt, quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ quamuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ. Ioan. 14.

Replic. Superesse tamen adhuc videtur vnus scrupulus. Cur enim qui pondus diei & æstus portauerunt, quererentur, pares sibi effectos esse, qui vna duntaxat hora laborauerãt, si in eodem denario dispar erat eorum & aliorum gloria, & eodem denario perinde inæqualiter præmiati sunt, ac si distincta præmia & suis laboribus proportionata, eis concessa & distributa fuissent, quæ poterat iusta esse ratio querelæ?

Responsio. Regula [illegible] intelligendis parabolis. Posset quidem referri hæc querela ad eiusdem præmij, & eiusdem diuinitatis denarij participationem. Sed commodius est dicere cum Chrysostomo, satis esse, si ex parabolis explicetur propositum ad quod afferuntur, neque opus esse, vt omnia quæ in eis dicuntur, examussim & per omnia veritati respondeant. Et hoc ex multis parabolis apud Matthæum colligi potest. Et vna hæc parabola nobis hoc luculẽter potest ostendere. Non enim erunt querelæ aliquæ,

aliquæ, aut indignationes in beatis, neque quispiam eorum grauiter ferret, si alios eis impares Deus æquaret, neque vnquam data fuit, aut dabitur beatitudo nouissimis prius quam primis. Verum cum parabola, vt patet ex antecedentibus & consequentibus, in hoc vnum proposita fuerit, vt docerentur præferendi esse, qui tempore legis gratiæ vocati sunt ad vitam perfectam, eis qui ante illam vocati fuerant ad consequendum regnum cœlorum, cum hoc explicetur parabola ista, debemus eo esse cōtenti, neque solicitari, si non omnia alia veritati respondeant. Transeamus ergo ad ea, quæ circa verba Iacobi disserere, cap. 1. promisimus.

CAPVT VIII.

De pulcherrima via conciliandi paulum cum iacobo, quæ nobis ex doctrina sanctæ Synodi illuxit.

GRAVITER quidem torsit plerosque ex Ecclesiasticis Doctoribus diaphonia illa, quæ inter Paulum & Iacobum esse videtur, dum Iacobus in tertio testimonio citato à Patribus in hoc capite, clare asserit ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantum: Paulus vero in omnibus pene suis epistolis, & præcipue in illis, quas ad Rom. & ad Galat. scripsit, contra affirmat, homines per fidem iustificari, & non ex operibus. Et cum certo scirent omnes Catholici, nullam inter eos esse dissonātiam, vtpote qui vno & eodem Spiritu sancto inspirante locuti sunt, pro suo quisque captu & ingenio pie conatus est omnem istam amoliri difficultatem, & Catholicis ostendere eximios hos Apostolos penitus sibi consensisse, & per omnia fuisse concordes.

Sed ex omnibus vijs ad concordiam istā conficiendam excogitatis, illa mihi aptissima & præstantissima videtur, quæ ex sententia Synodi in hoc capit. potest colligi. Sed quo dilucidior illa sit, & pleniori applausu excipiatur, maiorique precio, sicut par est à cūctis habeatur, proponā inprimis varias huius conciliationis vias, quas in diuersis authoribus legi.

Quidam contrarietatem istam, quæ inter Pauli & Iacobi verba citata statim occurrit, diluere tentarunt, dicentes Paulum de operibus legalibus locutum esse, quæ neminem potuerunt iustificare, Iacobum vero de operibus caritatis, pietatis & obedientiæ, quæ ad omnium iustificationem nimium conducunt. *Prima via, conciliandi Paulum & Iacobum.*

Quamuis autem Paulus aliquando locum dederit huic expositioni, quia diserte dixit, ex operibus legis neminem iustificari, & absque operibus legis per fidem hominem iustificari: tamen ne legis nomine sola lex Mosaica intelligeretur, alias palam asseruit sine adiectione verbi, Legis, neminem ex operibus iustificari, sed per fidem & gratiam Christi. Quare & Hieron. in epist. ad Ctesiphontem, & August. in de spiritu & lit. cap. 4. 13. 14. & 29. nomine operum legis, non tantum legalia & cæremonialia opera præscripta in lege Mosaica, sed etiam moralia intelligunt à Paulo exclusa, quæ lege naturali comprehenduntur. *Impugn.*

Alij, sequentes August. in lib. 83. q. q. 76. dixerunt Iacobum locutum esse de operibus sequentibus fidem, Paulum vero de operibus antecedentibus fidem. Hæc enim neminem iustificant, illa vero iustificationi cooperantur. *Via 2.*

Alij generaliter Iacobum dicunt locutum esse de operibus sequentibus iustificationem, Paulum vero de operibus antecedentibus ipsam. Nam hæc putāt, siue antecedant fidē, siue sequantur, aliena prorsus esse ab omni coefficientia ad iustificationē. *Via 3.*

Possent & alij dicere, Paulum de operibus per legem vel naturam factis agere, & ea sola excludere à iustificatione: Iacobum vero de operibus agere generaliter: & quia quædam ex eis, ex gratia & Dei auxilio facta, ad iustificationem possunt cooperari, & in Abraham talia opera fuerunt, & in quouis alio possunt similia esse, ideo dixisse Abraham iustificatum ex operibus, & hominem quēuis iustificari similiter ex operibus, & non ex fide tantum. Sed Paulus & Iacobus generaliter & absque vlla limitatione locuti sunt. Cur non igitur eorum verba sic excipiantur, vt habentur? *Via 4.* *Impugnatio 2. 3. & 4 viæ.*

Dein-

Deinde: Secundum legem Dei, ita sunt ad iustificationem nostram necessaria & requisita bona opera antecedentia gratiam & fidem, & ita necessarium est, vt nos faciamus quod possumus, vt iustificemur: ac necessaria sunt bona opera ex Dei auxilio, siue antecedentia fidem & iustificationem, siue sequentia. Non ergo illa magis, quam ista: neque ista magis, quam illa, à iustificatione exclusa esse sunt credenda.

Via 5. Nos igitur in libello de iustificatione, quæstione 2. ad 1. aliter dissoluimus hanc apparentem discordiam. Diximusque particulam, Ex, diuersimode acceptam esse à Paulo & Iacobo: & apud Paulum quidem, meritum & debitum significare: apud Iacobum vero, tantum cooperationem & coefficientiam: ita videlicet, vt Paulus cum dixit, neminem ex operibus iustificari, vt ex alijs Pauli testimonijs docuimus, hoc senserit, neminem ex meritis aut debito suorum operum iustificari: cum vero Iacobus dixit, hominem iustificari ex operibus, & non ex fide tantum: hoc significauerit, opera ad iustificationem concurrere, & non solam fidem. Et sic etiam particulas illas, *Ex* & *Per*, accepit Paulus, cum asseruit homines per fidem, & ex fide iustificari. Neque enim merito fidei, aut ex debito iustificari nos aiebat, sed per fidem assequi iustificationem.

Via 6. Quinto vero commodior & dilucidior via diimendi omnem istam dissonantiam nobis illuxit ex eo, quod Patribus nostris visum est, iustificationis incrementum ex hoc testimonio Iacobi approbare. Dicere enim possumus breuiter, Pauli verba ad primam iustificationem esse referenda. Iacobi vero, ad secundam, hoc est, ad iustificationis incrementum. Sicut autem bona peccatorum opera, prima iustificatione indigna sunt, atque eam minime merentur, eaque ratione à Paulo merito exclusa fuerunt à iustificationis efficientia: ita bona opera iustorum, iustificatione secunda dignissima sunt, & eam ex condigno merentur, atque ideo ex eis hominem iustificari Iacobus constanter asseruit. Et Iacobum de secunda iustificatione locutum esse in illis verbis, *Vides quoniam ex operibus iustificatur homo*, rectissime intellexerunt Patres. Intulit quippe hæc verba ex eo, quod mox dixerat, Abraham ex operibus iustificatum esse, cum obtulit filium suum Isaac. (Iacobus de 2. iustificatione pcipuè agit.)

Constat autem ante illud tempus iustũ fuisse Abraham, neque incepisse iustificari per oblationem filij sui. Immo si ea, quæ de illo commemorat scriptura, pro meritis expendamus, non aberrabimus à vero, si illum iam tum credamus, fuisse omnium hominum suæ ætatis iustissimum & religiosissimum. Nullum enim scimus aut audiuimus, tot & tantis prærogatiuis eo tempore à Deo insignitum. Sæpe familiarissime iam cum eo locutus fuerat Dominus & ex iussu ipsius peregrinatus fuerat in terram Chanaan, peragraueratque Aegyptum & Australem plagam, & auxilio Dei quatuor debellauerat reges. Quater etiam ei pollicitus fuerat Deus multiplicationem nimiam sui seminis, & semel ei dixerat, in ipso benedicendas esse omnes cognationes terræ, & ad perfectionem eum vocauerat Dominus. Circuncisusque tum erat, immo & pactum circuncisionis cum eo Deus pro ipso & tota ipsius posteritate inierat. Neque segniter ille aut remisse, vocationi suæ & eximijs Dei in ipsum beneficijs responderat, sed strenua & præclarissima obedientiæ, caritatis, fortitudinis, & contemptus mundi opera ediderat. Et Deus se protectorẽ ipsius, mercedemque & Deum ipsius affirmauerat, & propter illum in subuersione Sodomæ & Gomorrhæ, Loth fratruelem ipsius seruauerat. Et Melchisedech sacerdos Dei altissimi, benedictum illum Deo excelso dixerat. Scriptura insuper de illo adiecerat, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Gen. 15.

Itaque ex omnibus his constat, de secũda prorsus iustificatione intelligi præcedentia illa verba Iacobi: *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Quare & quæ ex his inferuntur, sapientissime secundæ iustificationi sancta Synodus aptauit.

Accedit que ad hæc, quod sicut Paulus in omnibus pene epistolis suis, & præcipue (Paulus de 1. iustif. præcipuè agit.)

ad Romanos & Galatas, hoc agit, & omni vi & ope sua adnititur, vt persuadeat cunctis, neque Iudæos propter opera legis, neque gentiles propter bona opera venisse ad gratiam legis Euangelicæ, sed per fidem & gratiam Christi, atque ideo vbique omnia opera à iustificatione excludit: ita Iacobus cum fidelibus & iam iustificatis agebat, & ideo ex operibus iustificari homines asserebat, quia non tantum vtilia, sed prorsus necessaria sunt ad perseuerandum & proficiendum in accepta gratia, & ipse per bona opera profectus, iustificatio quædam est, & plenioris iustitiæ acquisitio. Et videre hic licet, ac par est omnes admirari atque exosculari benignissimam & propensissimam in nostram salutem prouidentiã Dei. Duo quidem necessarium fuit fideles scire.

1. Primum est, iustificationem primam nemini contingere ex merito suorum operum, & ad eam posse homines nonnunquã venire per fidem vel solam, vel certe absq; operibus exterioribus. Et hæc nobis explicuit Deus clare per Paulum.

2. Alterum est, ad iustificationem secundam necessaria esse bona opera etiam exteriora, si vita aliquando longior sit, & eam posse nobis ex merito & debito bonorum operum contingere: & hæc per Iacobum sumus à Deo edocti.

Vt infideles ad fidem allicerentur, neq; desperarent de sua salute, quantumcunq; grauibus essent obruti peccatis, iustificationem posse per fidem absque operibus contingere, annunciauit Deus per Paulum.

Ne vero, qui receperant fidem, & iustificati iam erant, audientes ex Paulo, per fidem se iustificatos fuisse absque operibus, torpescerent, & segnes fierent ad exercitia virtutum, putarentque ad perseuerandum & proficiendum in iustitia, satis sibi esse fidem, quæ vel per se solam, vel saltem absque bonis operibus exterioribus, ad assequendum iustitiam eis suffecerat, per Iacobum exposuit nobis idem Deus necessitatem bonorum operum.

Et obiter etiam insinuatum est augmentum iustificationis, quod acquirebamus per illa, vt vel huius spe præmij incitaremur & extimularemur ad ipsa. Et propterea dilucide & palam admonuit. Vides quoniam ex operibus iustificatur homo, & nõ ex fide tantum?

Et in hanc viam conciliandi Iacobum cum Paulo, tendebant quidem, sed à longe, neque eam assequebantur aliæ pene omnes viæ, quas statim retulimus. Nam & Augustinus, si bene animaduertantur, quæ in loco citato dicit, inuenietur, opera antecedent a fidem, vocasse ea opera, quæ antecedunt iustificationem, quæ habetur per fidem. Et Paulus nunquam exclusit à iustificatione opera ex gratia Dei facta, de quibus potissimum videtur locutus Iacobus, sed cum fide, quæ opus est Dei, videtur ea adnumerasse. Verissimumque est, meritum simpliciter inueniri in bonis operibus sequentibus iustificationem, non autem in illis, quæ ipsam antecedunt.

Eaque de causa Paulus dicere potuit, neminem ex operibus iustificari, quia de prima iustificatione loquebatur, quam nemo meretur, neque facere potest sibi debitam. Contra vero Iacobus, homines ex operibus iustificari, etiamsi particula Ex, meritum simpliciter & debitũ requireret: quoniam de secunda iustificatione præcipue loquebatur, quam iusti operibus bonis merentur simpliciter, & debitam sibi vere faciunt.

Non sistet tamen hic curiosus scripturarum scrutator, sed si ita est, inquiet, neque quæ Paulus scripsit, ad 2. iustificationem: neque quæ Iacobus asseruit, ad primam referri poterunt: Et frustra graues Doctores ex verbis Iacobi probauerint, necessaria esse ad primam iustificationem alia bona opera, vt pœnitentiam, spem, dilectionem Dei. Obiect. 1.

Longe tamen hæc à veritate & à nostra sententia absunt. Iacobus enim generaliter intulit, ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantum, neque limitauit verba ad secundam iustificationem. Generaliter item dixerat: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eũ?* Quibus verbis satis indicabat, neque fidem sine operibus posse Responsio. Iacobus etiam de iustificatione 1. locutus est. Argum. 1. Argum. 2.

Argum. 3. ad primam iustificationem sufficere. Nam salua esse posset, si posset ad eam sufficere. Et ideo statim subiecit, fidem destitutam bonis operibus, mortuam esse & ociosam, vt non solum intelligeremus, necessaria esse bona opera ad perseuerandum & proficiendum in gratia, sed & ad eam obtinendam. Mortua siquidem non esset neque ociosa fides sine operibus, si ad primam saltem iustificationem posset homines perducere.

Argum. 4. Et in hoc induxit exemplum Raab, neque contentus fuit exemplo Abrahæ, vt ad vtramque iustificationem referremus ipsius verba. Quippe vt Abraham ante oblationem filij sui iustificatum certo scimus, ita de Raab nihil est, vnde ante piam susceptionem exploratorum Israel, iustificatam eam fuisse asseuerare possimus.

Neque Patres eo animo vsi sunt testimonio Iacobi ad stabiliendam secundam iustificationem, vt excluderent sensum alium, quem plerique Doctores Catholici secuti sunt, aptantes verba Iacobi etiam primæ iustificationi. Nouerant, vnius & eiusdem loci scripturæ plures esse, iuxta sententiam Augustini & illustriorum Theologorum, sensus etiam literales. Et verba Iacobi, non dubitabant etiam de prima iustificatione vera esse. Eum tamen, absque præiudicio alterius, elegere sensum, quem collatis antecedentibus & sequentibus nullus iure posset repudiare. Et Paulus sic in epistola ad Romanos, de prima iustificatione magis, quam de secunda, ex professo disputat, & ei aptat verba Geneseos, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*: vt tamen neque de secunda omnino taceat, neque ei eadem verba aptare intermittat. Nā cum in principio quarti capituli, hæc verba eo induxisset, vt probaret, nullam esse veram iustitiam apud Deum, quæ non sit per fidem, aut eam prærequirat: mox magnitudinem fidei Abrahæ ex eo commendauit, quod iussus sacrificare filium suum Isaac, in quo acceperat repromissiones, non hæsitauit diffidentia, sed contra spē in spem credidit, & confortatus est, in fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunq; promisit Deus, potens est & facere. Et hic

Paul. etiam de iustif. 2. locutus est.

rursus adiecit: *Ideo & reputatum est illi ad iustitiam.* Vt intelligamus profecto dari suos progressus in iustitia, & vtrique iustificationi conuenire illa verba, & non tantum imputari nobis fidem ad iustitiam, cum per eam primo iustificamur, sed etiam cū propter eādem augetur à Deo nostra iustitia. *Non est enim tantum*, subdidit, *scriptum propter ipsum, sed & propter nos, quibus reputabitur credētibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis.*

Et manifeste hanc secundam iustificationem nobis explicuit illis verbis, quibus ex parte vsi sunt Patres in principio huius ca. *Sed licet is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.* 2. Cor. 4. Quid enim est aliud, renouari de die in diem, quam, meliorem & cumulatiorem donis spiritalibus in dies fieri? Et sic hunc locum exponit August. 1. de moribus Manichæorum, cap. 35. & ex eo probat contra illos, non perfici hominem in baptismo, sed inchoari renouationem interioris hominis, vt proficiendo postea perficiatur.

Obiect. 2. Cur tamen, inquies, quæ scriptura Geneseos, & post eam Iacobus de secūda iustificatione dixerunt, ad primam transtulit Paulus?

Respons. Hoc est profecto, quod plerisq; difficilimam facit inductionem huius testimonij, factam à Paulo. Et demiror sane, à nemine hactenus, quod sciā, hunc nodū fuisse explicatum. Et me reuera multum ac diu torsit, & inter varias rationes & causas ancipitē & ambiguū sæpe tenuit. Atq; ita sum modo animat⁹, vt doceri hac de re maluissem quā nisi suscepta prouincia me cogeret, aliquid de re tanta proferre.

Cur Paulus aptarit iustificationi primæ verba illa, Credidit Abraham Deo &c. Dicam tamē sub cēsura cuiuscūq; rectius sentientis, quod nunc magis nobis arridet. Certus quidem fuit Paul. iam tū iustificatū fuisse Abraham, cū hæc de illo dicta sūt. Sed altissimo suo sēsu intellexit, & ad primā iustificationē posse trāsferri, quæ ad iustitiā dicūtur imputari, etiā iā iustificatis. Quæ n. sufficiunt ad augendū iustitiam, sufficerēt, aut certè cōducerēt ad eā obtinendā, si iam nō inesset. Ac proinde, cū in superiorib. illius ep. satis stabilisset, nullū neq; Iudæū, neq; Gentilem

tilem potuisse vnquam ex suis operibus iustificari, & de industria constituere vellet contra Iudęos, nullam veram iustitiam potuisse pręstari ab operibus legalibus sine fide, & fidem sine illis potuisse vere iustificare, vtrunque credidit idoneè posse probari: quia scriptura longe quidem ante legem iustificatum dicit his verbis Abraham, idq; non ex operibus, aut ex debito, sed ex gratuita fidei ipsius imputatione ad iustitiam.

Quod scriptura tacens de operibus, vnam fidem Abrahæ commendaret, suadere apparenter poterat, neminem ex operibus, sed ex fide duntaxat, apud Deum iustificari. Sed altius penetrauit ingenium Pauli: & verbo illi, *Reputatum est ad iustitiam*, magis videtur inniti argumentum ipsius, quam verbo, *Credidit*.

Et duo quidem videtur in his verbis vidisse. Vidit primo, gratuito & non ex debito, neque suapte natura, imputari ad iustitiam ea opera, quæ simpliciter dicuntur ad eam esse à DEO reputata. Nam si ex debito & suapte natura tantum præmium merebantur, nihil erat opus reputatione diuina. Atque ideo constanter dixit: *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Vt enim statim subijcit, gloria seu iustitia, quæ est ex operibus, est debita. Deus autem nulli est iustitię seu gloriæ debitor. Et in principio capituli in hoc tantum vsus est hoc scripturæ testimonio, vt ostenderet neminem ex operibus apud Deum iustificari. Ad quod probandum nihil obest, sed prodest potius, & validius facit argumentum, quod scriptura de fide iā iustificati Abrahæ hæc dixerat. Nam si fides iam iustificati Abrahæ, imputatione gratuita Dei indiguit, vt sufficeret ad augendam ipsius iustitiam: quantum abesse existimanda sunt omnia opera peccatorum ab hoc, vt facere possint sibi debitam iustitiam.

Sed cum fides hîc dicatur reputata fuisse Abrahæ ad iustitiam, idque ante circuncisionem & legem, intellexit secundo in his verbis Paulus efficaciā, quam habet fides ad comparandam nobis iustitiā, & propter nos etiam ea esse scripta asseruit. Et ne quisquam ad fidem iam iustificatorum eam efficaciam coarctaret, coniunxit hæc verba cum illis, quæ citat ex Dauide, quæ manifestè de prima iustificatione loquuntur, & ex illis nullam esse veram iustitiam ex operibus collegit, & omnibus credentibus vniuersaliter intulit reputandam esse fidem ad iustitiam.

Quod autem, quæ dicuntur reputari ad iustitiam sint etiam ex ea imputatione, & ad eam obtinendam sufficientia, vel saltem efficacia, si quidem aliunde non apponatur impedimentum, sic possumus suadere: Quæ sufficiunt ad augendam aliquam formam, sufficiunt & ad eam intro ducendam, si non sit impedimentum. Neque est luminosum quod augere possit lumen, quod non etiam tenebrosa possit illuminare. Neque est ignis tam paruæ virtutis, qui possit calidum facere calidius, & non possit etiam, non calidum calefacere, si non sit impedimentum aliquod in passo. Dicta de iustif. 2. trāsferri queūt ad 1. Argum. 1.

Etsi quæ dicuntur reputari ad iustitiam ijs, qui sunt iustificati, nō essent, etiam cessante impedimēto, ad eam obtinendam reputanda, cur dicerentur reputari ad iustitiam? Non est enim reputari ad iustitiam, esse actum iustitiæ, meritoriumq; & Deo acceptū, sicut opus iusti, sicut quidā nimiū frigide & perperam modo exposuit. Nam & conuersionem peccatoris Deus imputat ad iustitiam, & tamē non est illa actus meritorius & acceptus Deo, sicut opus iusti præsertim in opinione ipsius, qui negat etiā merita ex congruo, respectu primæ gratiæ. Argum. 2.

Sed reputari à Deo aliquod opus ad iustitiam, est, acceptari sic ab ipso, vt propter illud iustificet ipsum operantem, siue iustitiam ei largiatur, qua opus ex sua natura non erat dignum. Vnde & Glossa interlinearis verba illa, *Et reputatum est illi ad iustitiam*, sic exponit: Id est, Fuit ei causa sufficiens ad iustitiam, & est etiam alijs. Et eandem expositionem sequitur Glossa ordinaria: sed prouide propter hęc tempora adiecit, sufficere quidē solam fidē ad iustitiam sed ei qui non habet tempus operādi. Et est eadem limitatio Iacobi secundo in Glossa inter-

interlineari, & haberi potuit ex Aug. in lib. 83. q. q. 76: *Si cum quis crediderit*, inquit, *mox de hac vita decesserit, iustificatio fidei manet cum illo, neq; praecedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia peruenit: neq; consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.* Hæc Aug.

Argum. 3. Et quidem nulli diceremus ad redemptionem à captiuitate, imputatum esse à rege aliquod egregium ipsius facinus, si non tanti fuisset apud regem, vt eum à captiuitate eriperet. Et ad diuitias & nobilitatem minime diceremus à rege imputata Petro opera ipsius, si rex propter ipsa auxisset ei quidem diuitias & nobilitatem, non tamen tantopere, vt ex paupere & ignobili, diuitem eum & nobilem illud augmẽtum posset facere.

Argum. 4. Item: Gratiam primam posse ab aliquo sacramento præstari, recte quis colligeret ex hoc, quod ad gratiam ipsius susceptio sufficisse, vel imputata fuisse iam iustificato diceretur. Potuit ergo Paulus similiter fidei sufficiẽtiam ad iustificationem primam sine operibus colligere, quia iam iustificato Abrahæ dicitur, fides ipsius reputata fuisse ad iustitiam. Itaq; ex authoritate Apostoli colligere possumus, transferri posse recte, quæ de secunda iustificatione dicuntur ad primam, & econuerso, & ex vna posse nos ad alteram argumẽtari. Et Iacobus hoc forte secutus, dicta de vna iustificatione secunda, transtulit ad aliam secundam. Nam cum certo sciret, dictum fuisse de Abraham antequam offerret filium suum, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, tamen & eam scripturam etiam tum impletam esse dixit.

Quomodo & si factum aliquod egregiæ simplicitatis, factum à Nathanaele decursu temporis narraremus, dicere & nos possemus. Et impleta est scriptura, dicens: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Et facto ex vna iustificatione in alteram transitu, quia iustificatio secunda non fuit in Abraham sine adiunctis operibus, satis idonee edocere se existimauit Iacobus, fidem non posse impetrare salutem, sed ociosam esse & mortuam, nisi viuificetur, adiunctis illis operibus, quæ sunt velut spiritus eius. Et hæc fortassis intellexerũt, qui & testimonio Iacobi vsi sunt vt ad primam iustificationem non esse satis fidem solam probarent. Atque hæc satis erunt pro elucidatione testimonij Iacobi, quo vsi sunt Patres ad confirmandum doctrinam in hoc ca. definitam. Quamobrem ad ea opera explicanda, quæ hanc iustificationem secundã in nobis perficiunt, de quibus in cap. 11. Patres agunt, Dei freti auxilio, transibimus. Ioan. 1.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE OBSERVATIONE MANDATORVM, LIBER XI. IN CAPVT XI. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

NON minima pars iustitiæ nostræ, sed magna & omnino maxima, in obseruatione mãdatorum Dei consistit. Omnia in se Dei promissa continent. Omnium bonorum sunt causæ. Cuncta commoda nostra tuentur, ornant, perficiunt. Et abs q; illis nemo hactenus iustificari potuit, neque vnquam poterit. Euangelica præcepta fratres dilectissimi, ait eleganter & pientissime Cyprianus, nihil sunt aliud, quam magisteria diuina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis, quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cœlestia

lestia regna perducunt. Et ob hanc sanè causam, & iustitiæ & iustificationes nostræ sæpè in scripturis appellantur. Certissima quippe sunt via acquirendæ, augendæ, perficiendæ & conseruandæ salutis.

Quare Patres, quo plenam iustificationis doctrinam traderent, explicandæ obligationi, possibilitati & facilitati eorum, & quo illa fine possint & debeant seruari, capitulum hoc XI. prudenter dicarunt. Et nos ipsorum vestigia secuti exponendis & tuendis illius sententijs, quæ quidem multæ & grauissimæ sunt, libellum iam XI. Deo auspice, consecramus.

Ades ó lector quisquis es, nostraque studia tuis orationibus apud Deum adiuua, & his Ecclesiæ, immo Dei in ipsa loquentis, definitionibus libenter & alacriter intẽde. Non n. mẽtitus est ille, qui dixit: *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnẽ viã iniquitatis.* Et iterũ: *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.*

DE OBSERVATIONE MANDATORVM, DEQVE ILLIVS NECESSITATE ET POSSIBILITATE.

Caput Vndecimum.

NEMO autem quantumuis iustificatus, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubẽdo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possis. Cuius mãdata grauia non sunt, cuius iugum suaue est, & onus leue. Qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt: qui autem diligũt eum, vt ipsemet testatur, seruant sermones eius quod vtiq; cum diuino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumuis sancti & iusti, in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quãdoq; cadãt, non propterea desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est, & humilis & verax, Dimitte nobis debita nostra. *Quo fit, vt iusti ipsi eo magis se obligatos ad ambulãdum in via iustitiæ sentire debeãt, quo liberati iam à peccato, serui autem facti Deo, sobriè, iustè & piè viuẽtes, proficere possunt per Christum Iesum, per quẽ accessum habuerũt in gratiam istam Deus nanq; sua gratia semel iustificatos nõ deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaq; nemo sibi in sola fide blandiri debet putãs fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemq; consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, vt & conglorificetur. Nam &* Christus ipse, *vt inquit Paulus,* cum esset filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam: & cõsummatus, factus est omnibus obtẽperantibus sibi causa salutis æternæ. *Propterea Apostolus ipse monet iustificatos, dicens:* Nescitis, quod hi, qui in stadio currũt, omnes quidem currũt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehẽdatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertũ: sic pugno, non quasi aerem verberãs, sed castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo, ne forte, cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. *Item Princeps Apostolorum Petrus:* Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. *Vnde constat, eos Orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt, iustũ in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, æternas pœnas mereri. Atq; etiam eos qui statuũt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currẽdum in stadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoq; intuentur æternam. Cum scriptum*

Matth. 6. Roman. 8. Hebr. 5. 1. Cor. 9. 2. Petr. 1.

sit, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem, *Et de Mose dicat Apostolus, quod respiciebat ad remunerationem.* Psalm. 118.

CAPVT I.

Breuis summa capituli, & de quatuor erroribus damnatis in primis illius verbis.

DVÆ sunt in summa conclusiones, in ipso huius capitis frontispicio à Patribus diserte & clarissime expositæ. Earumq; probationi ac explicationi quatuor, vt scholastice loquamur, notanda mox appendūtur corollaria. Quæ omnia, quia facilime possunt ex textu ipso colligi, contenti fuimus vnumquodq; eorum in margine textus signare. Vt autē confirmatiora sint, pleniusq; intelligātur, & auidius (vt par est) ab omnibus suscipiantur, aliquāta de cunctis singulatim differemus. Sed ipsa Patrum inprimis verba audiamus. *Nemo autem quantūuis iustificatus, liberum se esse ab obseruatione, mādatorum putare debet.* Habes hic conclusionē priorem, tam iustos, quā peccatores omnes tam perfectos, quam imperfectos, mandatorum obseruationi subijcientem, Nemo quantumuis, asserunt, iustificatus, liber ab obseruatione mandatorū reputatur. Et qui affirmāt neminem, aperte docent nullum excludi. Et. Quātumuis iustificatus, addūt, vt nemo sibi de sua iustitia, aut perfectione blandiatur. Conclus. 1.

Quatuor vero in his verbis condemnati sunt errores aduersus obligationē mandatorum pugnantes. Primus error est eorū, qui solam fidem asseuerant sufficere ad salutem. Quid enim aliud est, asserere, fidem solám sufficere ad salutem, quam firmare, reliqua omnia neq; præcepta esse, neq; prohibita? Et hunc errorem tenuerūt quidam, vt supra monuimus, etiam viuentib. Apostolis, Aug. teste. Et postea eum errorem secutus est Eunomius, vt idē dicit. Et hoc est quod Aetius etiam docuit, cum dixit, nullū peccatum quātumlibet graue, imputari homini habēti fidē. Eamq; hæresim iā olim sepultā, exsuscitauit Lutherus nostris temporibus. Nam in libello de libertate Christiana docet, eum qui habet fidem, per eam liberum esse ab omni lege. Et in commentarijs epistolæ ad Galatas, solam fidem, ait, esse necessariam, cætera omnia liberrima, neq; præcepta neq; prohibita. Et in sermone, quo explicat illud Euangelij: *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Et in libris aduersus Carolstadium, nullum esse affirmat peccatum nisi incredulitatē: nullā iustitiā nisi fidem. Errores 4. damnati in concl. 1. Error 1. De Fid. & oper. c. 14. de hær. Ioan. 3.

Et nonnulli eum in hoc errore secuti sunt, & nominatim Melanchthon in locis communibus. Illiusq; verba hæc sunt: Sicut Euangelio sola fides iustitia est, vt scilicet, si omnia omnium peccata feceris, tamen credis misereri tui patrē propter Christum saluus sis: ita ecōtra Euāgelio sola incredulitas peccatū est. Sed iā ab hoc errore videtur resiliisse. In cōfessione enī Aug. fatetur cū cæteris Protestātibus, salutem quidem acquiri sola fide, posse tamē malis operib. amitti. Quod etiam Ioānes Riuius in opusculo de fide & operibus, docet. Error secūdus in hac cōclusione dānatus, est eorū, qui propter quędā Pauli testimonia perperā intellecta, iustificatos saltē asseuerarūt liberos esse ab omni lege. Quo in errore Martinus etiā est Lutherus. Vndè in libello de libertate Christiana, fidem qua credit homines iustificari, ita magnificat, vt p eam dicat impleri totā legē, & à lege liberari. Et hinc sumpserūt Protestātes, vt fidei iustificāti illud priuilegiū tribuāt, quod quidā beatificæ visioni cōcessere, vt liberos nos faciat à tota lege. Et in eodē libro Luther9 illā statuit antithesim: Christianus homo domin9 est omniū liberrim9, nulli subdit9, sed tamen omniū officiosissim9, & ideo omnib. subiect9. Et iustū, addit, nō operari ex obligatione, sed tantum ex amore. Error 2.

Et Bucer9 in cōcordātia hui9 cōtrouersię idē sequit, & hoc argumēto leuissimo cōfirmat: Quia qui fide viua credit, nihil aliud potest quam gloriā Dei quærere, & hac fide metit necessario omnia. Ex cōmentarijs etiam Diui Hieron. in illa verba Apostoli, *Per caritatem spiritus seruite inuicem*, satis liquet, fuisse olim qui senserint, ei qui semel spiritu viuens, opera carnis mortificauit, & à

saluatore dilectus, nequaquam seruus, sed amicus vocatur, non esse legem positam.

Error 3. Beghardorum.

Tertius error damnatus hic à Patribus, est error Beghardorum & Beguinarum, qui non quoslibet iustos, sed perfectos duntaxat, liberos dicebant ab obseruatione mandatorum humanorum, neq; subditos esse alicui humanæ obedientiæ. Et vt error iste in hac conclusione damnaretur, prouidentia Spiritus sancti factum est, vt non tantum diceretur, Neminem etiam iustificatum, liberum esse ab obseruatione mandatorum: sed & absolute diceretur, Neminem quantumuis iustificatum, hoc est, neminem quantumuis sanctum & iustum, liberum esse ab obseruatione mandatorum. Et quanquam nulla fit in conclusione mentio mandatorum Ecclesię, à quibus solis liberos esse perfectos docuere Beghardi, tamen hoc ipso quod asseritur, nemo quantumuis sanctus, liber esse à mandatis: manifeste traditur, neminem esse liberum à mandatis Ecclesiæ. Siquidem & mādata Ecclesiastica & ciuilia, vere & proprie sunt mandata, neque illi hoc vnquam negarunt.

Error 4.

Aduersari etiam huic doctrinæ palam videntur nonnulli scholastici, qui nescientes explicare quemadmodum confirmati in obseruatione mādatorum meruerint, & tamen non potuerunt de lege peccare, hoc sibi tandem asylum inuenerunt, vt dicerēt, nullis eos adstrictos fuisse vinculis ad mandata affirmatiua seruanda. Deberētq; post hac magis sobrie sapere, & vel eo nomine ab eiusmodi commentis abstinere, quod huic patrum diffinitioni talis libertas manifeste repugnat. Nam qui quantumuis iustificatos, liberos esse ab obligatione mandatorum negant, & cōfirmatos, & nō confirmatos, mandatorum vinculis profecto subijciunt.

CAPVT II.

De certa distinctione mandatorum à consilijs.

NE vero ignoremus, quæ sint mandata, à quibus neminem esse liberum Patres affirmant, & Andabatarum more contra hæreticos pugnemus: commodum erit ante omnia lectorem monere, mādata hic vocata à patribus, esse regulas seu leges viuendi, quas non licet absq; culpa præterire. Quanquam enim apud Latinos, & in scripturis large quandoque accipitur hoc vocabulum, & quæcunq; viuēdi documēta, mādata nonnunquā vocātur: tamen ex more communi recepto iā apud omnes sapientes, illa sola mādata appellamus, quæ indicta nobis sunt, & sub præcepto obligāte ad culpam præscripta.

Mandata proprie.

Mandata large.

Eoq; nomine potissimum distinguuntur à consilijs, quod cōsilia neminem obligant, sed adoptioni & arbitrio cuiusq; permittuntur: liberumq; est nobis, ea pro voluntate & libito nostro vel exequi, vel intermittere. Et licet commodissimæ regulæ sint ad mandatorum custodiam, non sunt tamen tanti existimandæ, vt eorum aliquod præterire, faciat aliquem minimum in regno cœlorum.

Distinctio potissima consiliorū à mādatis.

Quare vehementer meo sane iudicio errat quidam pius author, qui putat consilia dicta esse à Christo mandata minima, cum dixit: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Nam si præterire minimum consiliorum, facit minimum in regno cœlorum, nullus erit qui non sit minimus. & falso Christus addidisset statim: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Quis est enim, aut fuit vnquam tā sanctus, excepta Deipara virgine, qui omnia consilia Dei seruauerit, & ne minimum quidem ex eis intermiserit?

Consilia nō sunt mādata minima.

Matth. 5.

Qua ratione & illud constare potest, neque minima mandata dicta esse, quæ dūtaxat obligant sub veniali. Multi quippe magni in regno cœlorum, ea quoque prætetiere. Sed mandata minima, dicta sunt minima ex mandatis, quæ sub mortali culpa obligant. Et sensus germanus illorum verborum, *Qui ergo soluerit vnū de mādatis istis minimis, &c.* hic est, Quantumcunq; aliquis præcellēti doctrina fulgeat, vel minimi horū mādatorū trāsgressio satis est, vt cōstituat illū minimū apud Ecclesiā militātem, & trium-

triumphantem. Nam nomine regni cœlorum, non solum Ecclesia triumphans intelligitur: sed, vt alias sæpe, etiam Ecclesia militans. Quod & August n.& Chrysost.& Greg. non semel admonent.

Et quanquam transgressor mandati minimi, cœlum ingressurus non est, nisi eius forte transgressionis pœnitentiã dignam fecerit, tamen hoc non impedit, quin apud ciues regni cœlorum minimus habeatur. Quæ vero in peculiari sint minima hæc mandata, parum profecto ad intelligentiã genuinam huius loci spectat.

Veruntamen, si quem ea cura solicitat, sciat mandata minima dupliciter à Chrysostom.ho.10.& 11. in Matth. exponi. Primo mandata minima interpretatur, quæ Christus mox subiecit de non irascendo,& non concupiscendo: quia licet magna quidem sint renumeratione, tamen quia difficilia sunt seruatu, transgressores suos minimæ culpæ reos faciunt. Secundo mandata minima dicit esse præcepta legis, de quibus statim eximius magister dixerat: Non veni soluere legem, sed adimplere. Etenim ista iure minima mandata dici potuerunt, quia licet liberabant à culpa, neminem tamen introducebant ad regnum. Atque huic expositioni posteriori consentit Augustinus 9. de ciuit. Dei.

Sed in genere mãdata minima, illa sunt, quæ transgressores suos minimæ culpæ reos constituũt: & de per se quidem hoc faciunt mandata, quorum impletio vel minus est necessaria, vel ad minorem virtutẽ spectat, De per accidens vero hoc efficient, quæ fuerint seruatu magis difficilia.

CAPVT III.

Distinctio mandatorum à consilijs, probatur ex scripturis, & sacris doctoribus, ac consensu totius Ecclesiæ.

Distinctio mandatorũ à consiliis ex Script.

PORRO distinctio hæc mandatorum à Cõsilijs recepta est nõ solum ab Scholasticis & antiquis Ecclesiæ Doctoribus, sed ab vniuersa prorsus Ecclesia. Neq; eam nobis Catholici capite ex nostro confinximus. Habet illa fundamenta aptissima in scripturis. Nam & Paulus, *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et luculenter explicat, non peccare qui matrimonia ineunt vel prima, vel secunda, etiamsi contra consilium faciant, quod ipse dat non nuptis & viduis, de non contrahendis matrimonijs. Testim. 1. Cor. 7.

Vnde Ambrosius lib. de viduis. in hæc verba: *Integritas non imponitur, sed præponitur. Præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur. Vbi præceptum est, ibi lex est: vbi consilium, ibi gratia est.* Et statim: *Præceptum ibi est, vbi est pœna peccati. Alibi etiam, quas nuptias adolescentulis nullo voto adstrictis Paulus permittit, lethales esse viduis, voto continentiæ ligatis, manifeste indicat.* Votorum continentiæ obligatio. *De viduis voto continentiæ constrictis, dicit: Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerũt. De liberis vero viduis ait: Volo iuniores nubere, sicut de virginibus liberis dixerat alias: Si nupserit virgo non peccauit.* Atq; ita hæc exposuit Hieronymus Edisserens enim hæc, *Si nupserit virgo, non peccauit:* sic scribit, *Non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit. Harum enim siqua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum obiecerit Iouinianus, quanto magis de virginibus præualebit, cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ.* Hæc Hieronymus. 1. Cor. 7.

Et magister noster Christus adolescentem, qui eum rogauit de necessarijs ad consequendum regnum cœlorum, diserte docuit, quantum inter mandata & consilia interesset. Nam de mandatis dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Testim. 2. Matth. 19.

Quibus verbis explicuit, mandata necessaria esse ad salutem. Et cum nemini occludatur ianua regni cœlorum, nisi propter culpam: satis inde aperte colligitur, ad illa nos sic esse adstrictos, vt si ea prætereamus, in peccato simus & culpa. Consilia vero non sub ea cõditione tradidit: sed, *Si vis*, dixit, *perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Si vis*, inquit, *perfectus esse.* Ergo hic liber est à præcepto, optime colligit Ambr. libr. de vid. cuius defertur arbitrio. Abdicatio temporalium bonorum nõ est in præcepto.

Enimuero si abdicatio proprietatis bonorum temporalium esset necessaria ad salutem, & qui ea non abdicaret, peccaret, & eam quoque abdicationem connumerasset Christus inter illa, quæ explicuit necessaria ad salutem, neq; sub noua & non necessaria conditione seorsum ab illis eam tradidisset. Et qui putant hoc consilium, mandatum esse, & necessarium ad salutem, geminam culpam Christo, dum non aduertunt, inurunt. Siquidem & insufficientem eum coarguunt in connumerandis mandatis, & imprudentem ac parum prouidũ faciunt in eo, quod tam diuersis & tam distantibus conditionibus discriminauit renunciationem bonorum temporalium à mandatis. Nam si renunciatio illorum, ad salutem necessaria est, sub mandatis illa cõtinetur, neque ab eis debuerat distingui.

Quoniam igitur hæc Christo tribuere nefas & omnino impium est, merito Ecclesia olim hæreseos damnauit Iulianum apostatam, Manichæos, pseudoapostolos, Apostolicos, & Pelagianos, qui asseuerarunt necessariam esse paupertatem omnibus Christianis ad cõsequendum regnum cœlorum. Perspicue etiam distinxit Christus inter præceptum, quo coniugati adstricti sunt ad non dimittendum vxorium torum, nisi ob fornicationem, & consilium de non contrahendis nuptijs. Nam de primo ait, *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: Ecce adulterij eum damnat. De secundo vero dicit, *Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.*

Hæretici damnantes proprietatem temporalium. Teitim. 3.

Matth. 5. & 9.

Matth. 19.

Vides vt in arbitrio relinquat nostro, velimus, necne, perpetuam seruare castitatem? Et ita intellexerunt hunc locum doctores antiqui, colligentes ex eo, virginitatem rem esse cõsilij, & non præcepti.

Virginitas res est consilii.

Sed ex multis vnum duntaxat testimonium hic subscribam ex mirifico illo virginitatis præcone Hieronymo: 1. cõ. Iouin. *In propatulo est, ait, cur Apostolus dixerit, De virginibus præceptum Domini non habeo. Profecto quia præmiserat Dominus. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: &, Qui potest capere, capiat. Proponit agonothetes præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit, veniat, & bibat. Qui potest capere, capiat. Non dicit, velitis nolitis, bibendum vobis est atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Maiorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris.* Hactenus Hieronymus.

Et eodẽ modo exponit hæc verba Christi Cyrillus libro quarto in Ioan. 21. cap. Et qui virginitatem, aut cælibatum hic consultum à Christo, in præcepto esse putarẽt, manifeste aduersarentur Christo, ibidem approbanti matrimonium, & Paulo alias id mirifice cõmendanti, & in hæresim antiquam damnantium nuptias, inciderent. Quæ iam sæpe damnata est ab Ecclesia cõtra Marcionem, & Tatianum Encratitarũ principem, & Apostolicos.

Nuptiæ licitæ sunt.

Atque ex his patere potest, quam sit cauendum dogma illud Protestantium, qui asserunt omnia consilia esse præcepta, si nõ in particulari, saltem in genere, in præcepto, dilectionis Dei super omnia. Cum enim nemo possit in hac vita satisfacere huic præcepto, quidquid enim faciat, plus debet: omnia, quæ in Dei obsequium facere possumus, præcepta esse existimant, & nos irrident, quod cogitamus non solum posse satisfacere legi, verum aliquid vltra supererogare. Quamobrem, cum ad instantiam Ioannis Eckij in libello imperatorio scriptum esset, opera quidem à nobis fieri bona, quæ à Deo sunt mandata & commendata: Bucerus circa finem libri de concordantia controuertens, reclamauit, & satis esse asseruit verbum, *Mandata*: quia nihil est, ait, in Euangelio, quod non procedat de mãdato dilectionis. Sed vtcunque illi senserint, certum est, de hoc dogmate non constare inter eos & suum magistrum Lutherum. Is enim paupertatem mendicantium, quam in verbis statim paulo ante citatis Christus consuluit, nõ solum non putat esse in præcepto, verũ & prohibitã existimat, sicut & ante eũ censuerant Vuiclephus & Vuilielmus de sancto amore.

Error Protestantium

Hæretici damnantes paupertatem.

Sed

Sed quid mirum, si à suo præceptore hic dissentiant? Dissentiunt plane & à seipsis. Quid enim potest esse magis alienum à libertate Euangelica, quam se vbique prædicare iactant, quam omnia Dei consilia, mãdata facere, & ad ea Christianos omnes cõstri[illegible] gere? Quod quidem non est aliud, quam nouum Euangelium orbi tradere, immo non Euangelium, sed antiquum legis Mosaicæ importabile pondus renouare. Consuluit quippe Christus non resistere malo & si quis nos percusserit in dexteram max[illegible], præbere illi & alteram: & ei, qui vult nobiscum in iudicio contendere, & tunicam nostram tollere, dimittere & pallium: & quicunque angariauerit nos mille passus, ire cum illo & alia milie, longe dif[illegible]

Veruntamen nemo fuit vnquam tam i[illegible] [illegible] rudis, tam mandatorum d[illegible] [illegible] qui hæc putauerit Christianis esse in præcepto, nisi in animi præ[illegible] pro articulo necessitatis, hoc est, [illegible] fuerint hæc necessaria, vel pro gloria Dei, vel pro salute proximorum.

Quod & Augustinus Ecclesiam docuit in expositione sermonis Domini in monte. Et ex ecclesiæ communi cõsuetudine possumus hoc intelligere. Nunquam enim ficientes [illegible] contraria damnauit, neq; à p[illegible] [illegible] sacramentorum re[illegible] [illegible] prævaricatores mandatorum. Et [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ribus in tota Ecclesia [illegible] [illegible] præcepta A[illegible] [illegible] [illegible] iam olim here[illegible] [illegible] obiiciebãt, cum in initio [illegible] conuersis ex Gentilibus [illegible] *Visum est Spiritui sancto & [illegible] [illegible] imponere vobis oneris, quam hæc necessaria [illegible] [illegible] ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato & fornicatione.* Cu[illegible] hæc sola necessaria dixerint, manifesto indicarunt, hæc præcepta [illegible] alia vero, quæ commoda forte fuissent ad pacificam eorum cõuersationẽ [illegible] præcepta minime fuisse. Nam proprie [illegible] dicuntur, nisi quæ ne[illegible] est facere.

Testim. 4

Et quamuis Hieronymus in libris contra Iouinianum, & in dialogis aduersus Pelagianos, & in alijs forte locis, quorũ modò non recordor, sæpe confundat præcepta cum consilijs, & vtraque nomine communi præcepta seu mandata appellet: tamen in libro primo contra Iouinianum, vbi res poscebat sua quibusque accommodare vocabula, aperte distinguit, sicut & nos fecimus, p[r]æcepta à consilijs. Verba illius hęc sunt: *Quod præcipitur, imperatur: quod imperatur, necesse est fieri. Quod necesse est fieri, nisi fiat, pœnam habet. Frustra enim iubetur, quod in arbitrio eius ponitur, cui iussum est.* Et paulo inferius: *Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est, vbi præceptum necessitas est seruientis.* Hæc Hieronymus.

Porro quæ in hanc tam certam & tam solidam veritatem obijci possunt ab hæreticis, tam sunt leuia & inania, vt me pigeat vel tantisper in e[i]s diluẽdis immorari, Eãq; ob causam ad alia commodiora festinabimus.

CAPVT IIII.

De triplici via dignoscendi mandata à consilijs.

QVONIAM vero, dum eodem persæpe verborum tenore mandata tradũtur in scriptura & consilia, incertum fit & ambiguum, qua via discerni queant inter se, & hoc plerosq; catholicos, & quidem non iniuria, solicitos nonnunquam habet: cõmodum erit ante omnia, aliquas statuere regulas, quibus mandata distinguamus à consilijs. Et prima quidem via ad ea distinguendum, sumenda est ex scripturis. Idem est, scio, quando[q]; mandatorum & consiliorum tenor. Sicut tradens consilia patientiæ, dixit Christus: *Ego autem [d]ico vobis, non resistere malo. sed si quis te percusserit in dexterã maxillam, præbe illi & alteram:* & quę sequuntur: ita tradens mandatum dil[i]gendi inimicos, mox subdidit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, &c.* Attamen & ipsæ scripturæ aliquando sese aperiunt, & Deus misertus nostri, inspirauit prophetis, vt ea hincinde adiungerent, ex quibus facile elle[illegible]

Via 1. distinguendi mãdata a consilijs.

Matth. 5.

esset studioso lectori intelligere, quædam nobis in eis suggeri vt consilia, alia vero vt præcepta.

Præceptorum autẽ signa certissima sunt, necessitas ad vitam æternam, vel ad proficiendum, aut perseuerandũ in Dei gratia, & comminatio grauium pœnarum. Itaque manifestum est, ea esse præcepta, quæ nobis præscribuntur, vt necessaria ad consequendum vitam æternam, vel ad habendum, tuendumve Dei gratiam, aut certe sub interminatione grauium pœnarum, vel temporalium, vel æternarum.

Et econtrario illa duntaxat, vt consilia nobis proponuntur, quæ sic constat ex circuniacentibus nobis proponi, vt prætereuntes illa, nulla maneat pœna, nulla vindicta. Et hoc modo in testimonijs ex Euangelio & ex Paulo, & ex actis Apostolorum mox citatis collegimus, Christum & Apostolos distinxisse præcepta à consilijs. Nam Christus præcepta decalogi necessaria ad ingrediendum ad vitam asseruit: de paupertate vero Euangelica tantum dixit, *Si vis perfectus esse &c.* Et de virginitate: *Qui potest capere, capiat.* Et Paulus expresse dixit: *Si nupserit virgo, non peccauit.* Et alibi opera carnis liquido asseruit excludere à regno Dei. Et Apostoli tantum tradiderunt, vt necessaria, abstinere ab immolatis simulacrorum, sanguine & fornicatione.

Matth. 19.
1. Cor. 7.
Galat. 5.

Via 2. Secunda via dignoscendi mandata à cõsilijs, ex ipsa natura eorum, quæ nobis per ea præscribuntur, capienda est. Quod enim huiusmodi est, vt dilectioni Dei & proximi habendæ & seruandæ, necessarium esse videatur, id proculdubio mandatum esse nobis censendum est. Quod vero promouendæ illi commodum est & conueniens, haudquaquam tamen necessarium, id consilij loco duntaxat est habendum. Atq; hac regula vsos fuisse Doctores Ecclesiæ crediderim, vt mandata distinguerent à consilijs, quando in ipsis Scripturis nihil elucebat, vnde hæc distinctio colligeretur.

Et hanc nobis distinctionem ipsum lumen naturale à Deo inditum, subministrare videtur. Cum enim omnia, quæ in hoc mundo sunt, propter Deum sint in p rim is, & deinde propter nos & angelos, ea sola officia necesse est in operibus erga proximos districte nobis esse præcepta, quæ necessaria sunt ad acquirendam amicitiã seu caritatem inter nos inuicem. In operibus vero erga Deum, ea duntaxat nobis ab illo sub præcepto edicta sunt, quæ ad amandũ ipsum, sicut par est, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex totis visceribus nostris, & ad habendum, & tuendum amicitiam nostram seu caritatem inter nos & ipsum, necessaria aut prorsus commodissima sunt. Non enim voluit Deus ex magnitudine suorum in nos beneficiorum obligationem nostram metiri, sed suauiter cuncta disponens, ad ea tantum voluit nos esse sub præcepto adstrictos, quæ nobis possibilia, & factu non admodum difficilia, quocunque loco & tempore possent esse, quibusq; seruatis, & vnitas & pax totius mundi, satis posset constare.

Habet etiam hæc regula disseparandi mandata à consilijs, fundamentum, & sane non exiguum, neq; parum firmum, in scripturis. Christus enim ad compẽdium duorum præceptorum diligendi Deum & proximum, omnia præcepta reduxit. Et Paulus ait: *Plenitudo legis est dilectio.* Et rursus: *Finis præcepti est caritas.* *Rom. 13.* *1. Tim. 1.*

Atq; his concinunt illa, quæ hinc docte collegit Gregorius: *Omne mandatum, de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt: quia quicquid præcipitur, in sola caritate solidatur.* Ex quibus omnibus videtur satis constare, illa esse prohibita, quæ dilectioni vel Dei, vel proximi, aduersantur: illa præcepta, quæ ad eam necessaria sunt: illa consilia, quæ congruentia illi sunt, neq; tamen necessaria, neq; repugnantia. Nam nisi hæc regula suscipiatur, non est modus, quo defendi possit, omnia præcepta, sub præceptis diligendi Deum & proximum, contineri.

Occurrit & tertia via distinguendi præcepta à consilijs, nẽpe ex ipsa Ecclesiæ consuetudine, quæ optima est legũ interpres, & ex communi bonorum & Doctorum Christianorum existimatione. Nam quæ vt præcepta communiter seruantur in Ecclesia, ea vere pro præceptis habenda sunt: Via 3.

Quæ

Quæ vero duntaxat vt consilia, illis vim non inesse præceptorum, certo existimandum est. Et vt hanc velut certissimam regulam habeamus ad dignoscendum consilia à mandatis, duplex subest, & vtraq; iudicio nostro iustissima, causa. Non enim in re tanta errare permitteret Deus dilectissimam suam sponsam, quam semper sua & Spiritus sancti illustrare præsentia pollicitus est. Et ab ipsis Apostolis, immo & ab ipso Christo legislatore nostro, credere par est dimanasse opiniones & consuetudines, quas tanto consensu & constantia creditas semper scimus & traditas ab vniuersis Ecclesiæ Doctoribus: neque alias verisimile est, tanto eos tempore vbique gentium potuisse perseuerare. Et tribus his regulis, vt inferius latius ostendemus, dignoscere etiam possum peccata venialia à mortalibus, & mandata præcipua seu grauia, quorum transgressio mortalis est, à mandatis non ita grauibus, si quæ tamen talia sunt, quorum transgressio venialis est. Et de vtrisque mandatis, siue quæ obligant sub mortali culpa, siue quæ obligant sub veniali, si tamen hæc propriè dicenda sunt mandata, intelligenda est prima conclusio à patribus in hoc capite diffinita, qua asseritur nullus, quantumuis iustificatus, liber ab obligatione mandatorum. Et quando illam iam satis ex dictis cunctis fecerimus perspicuam, superest, vt & eam aduersus commemoratas hæreses verissimam esse, & à Christo nobis, & Apostolis, & perpetuo Ecclesiæ consensu traditam ostendamus.

CAPVT V.

De tribus, quæ in genere ostendunt, & perfectos & iustificatos omnes subditos esse mandatis.

QVOD diffinientes Patres, nullum quantumuis iustum, liberum esse ab obseruatione mandatorum, nullam ei sententiæ adiunxerint probationem, arbitror illam fuisse causam, quod tam constanter vbiq; & ab scripturis vtriusque paginæ, & à tota Ecclesia, & ab omnibus ipsius doctoribus tradita est, vt superuacaneum visum fuerit in re adeo aperta immorari. Tam frequentia etiam & tam efficacia testimonia pro illa passim occurrunt, vt velut in dubia cœna, nescias quæ quibus anteponas.

Et quidem neminem, siue iustificatum, siue non iustificatum, liberum esse à præcepto credendæ fidei nostræ, tam perspicuũ est ex illis verbis Christi, *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*: vt neminem hactenus legerim, siue catholicum, siue hæreticum, qui ea de re dubitauerit. Omnes qui Christi susceperunt Euangelium, vnanimiter intellexerunt, necessitatem credendi indictam omnibus fuisse in his verbis. Præceptum fidei etiam hæretici receperunt. *Marc. vlt.*

Verum de alijs mandatis longe diuersa à catholicis tradiderunt hæretici, quos citauimus. Quoniam vero in illo libro, quẽ de iustificatione edidimus, errorem illum affirmantium omnia alia à fide, libera esse, abunde satis confutauimus: & ex sex capitibus, ad quæ omnia testimonia scripturæ reduximus, fidem solam non sufficere ad salutem, luculenter ostendimus: hoc loco contra errores absoluentium à præceptis iustificatos omnes, vel saltem perfectos, duntaxat pugnabimus. quæst. 1.

Et primo quidem tria velim in genere attenderent, qui vel omnes iustificatos, vel saltem perfectos, liberos esse docent à mãdatis. Primum est: Mandata omnia, præsertim diuina, generaliter esse omnibus data, neque abrogata fuisse vnquam, neque restricta ad non iustificatos, vel ad non perfectos. Et naturalia præcepta omnium sunt mentibus à natura ipsa impressa, neque verisimile est, Deum naturæ perfectorem, ea pro suis iustis abrogasse. Quod si neque legislator, neq; lex, vt manifestum est, excipit aliquos: qua quispiam temeritate hos vel illos audeat excipere? Argum. 1.

Secundum, quod hic cuperem aduerti, est, non minus generaliter, neq; minus stricte tradita esse aliqua alia præcepta, quam præceptum de fide. Et patet hoc in præceptis de Baptismo & de Pœnitentia. Cũ igitur à præcepto fidei nullus credatur esse li- Argum. 2.

ber quantumcunq; iustus, quantumcunq; perfectus, neq; ab alijs erit credendus esse liber. Qui enim dixit, *Qui vero non crediderit, condemnabitur*: dixit etiam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Et iterum: *Nisi pœnitentiā egeritis, omnes similiter peribitis* Et similia sunt alia non pauca.

Marc. vlt. Ioann. 3. Luc. 13.

Argum. 3. Tertio illud etiam hic ob oculos habēdum est, necessario consequi, vt asserant, non posse iustos vel perfectos peccare saltem mortaliter, quicunque affirmant, eos liberos esse ab omni lege. Omne enim peccatum, dictum est, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, vt Augustinus contra Faustum dicit. Et *vbi non est lex, neque præuaricatio*, teste Apostolo. Et si fides aut gratia iustificans nō facit hominem impeccabilem, sicut aperte Lutherani fatentur, neque faciet profecto iustos credentes, liberos ab omni lege. Itaque qui dicunt, vel omnes iustificatos, vel perfectos saltem esse liberos ab omni lege, plane illos faciunt impeccabiles.

Roman. 4.

Esse autem omnes iustos impeccabiles, fuit hæresis Iouiniani iam olim, testantibus Hieronymo 3. con. Pelag. & Augustino, damnata Romæ & in Aphrica. Neque distantia inter perfectos huius viæ & imperfectos tanta est, vt non idem sit habendum iudicium de asserentibus hoc conuenire perfectis omnibus huius vitę. Quod quidē ex inferius dicendis patebit. Possent vel hęc tria ad expugnationem horum errorum sufficere. Sed adijciam & alia, quæ seorsim contra vnumquemque istorum errorum militant.

CAPVT VI.

Iustificatos non esse liberos à mandatis.

Argum. 1. Et quidem iustificatos, subiectos mandatis docere in primis possum⁹ ex verbis Christi ad adolescentem, qui eum rogauit: *Quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Legimus apud Matthæum respondisse ei Saluatorem: *Si vis ad vitam ingredi, serua mādata.* Hic autem adolescens fidem habebat & iustificatus iam tum erat. Omnia etenim mandata custodierat, vt ipse mox de se subiecit Et quanquam Augustinus epist. 89. & Chrys. Hil. Amb. arrogantius hoc putant, quam verius eum dixisse, tamen, sicut Bas. & alias idem Chrys. & alij Doctores non minoris nominis tradunt, dubitādum non est, quin vere ille & syncere hoc de se dixerit. Alioqui nunquam subdidisset Marcus: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest, &c.* Non sic humane & benigne, vt hæc verba innuunt, cōiecisset Christus in eum placidissimos suos oculos, non eum dilexisset, neque perfectionis semitam ei tradidisset, & ad eam vocasset, nisi vere illum & ex animo, & absque vlla iactātia ea de se affirmasse intellexisset. Auertit Deus oculos suos à peccatoribus, exosos eos habet, & ad maiora nō vocat, quos & minora videt non præstare. Etsi iustificatus non fuisset, non vnum adhuc ei deesse magister veracissimus dixisset. Quoniam eis verbis responsum illius confirmabat, & velut eum, qui iam minora impleuerat, ad superiora & difficiliora vocabat. Et Hierony. non ab hac abfuit sententia. Quidquid enim alias dixerit, certe in secundo contra Pelagianos, de hoc adolescente sic scribit: *In lege doctissimus, omnia mādata se fecisse dicit: quam ob rem & amatur à Domino, & tamen plenam iustitiam non habuit, quia noluit substantiam suam pauperibus erogare.* Hæc ille.

Matth. 19. Adolesc. in euangelic. vere dixit, se seruasse omnia mādata. Marc. 10.

Argum. 2. Quibus verbis iustitiam ei tribuit, sed plenam abrogat. Possumus & hanc obligationem iustorum ad mandata firmare, quia discipulis inter se disputantibus de primatu in regno cœlorum, tametsi fidem habebant & iustificati iam erant, humilitatem tamen esse necessariam ad salutem Christus docuit, dicens: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli nō intrabitis in regnum cœlorum.* Et alibi: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

Matth. 18. Ioan. 13.

Argum. 3. Cūq; Christus clare asseruerit Pharisæis, primum & maximum mandatum, esse mandatum de dilectione Dei ex toto corde. & vt est videre apud Marcum, adiuncto præcepto diligendi proximum, mox subdi-

subdiderit, nullum esse mandatū his duobus maius, absurdum est profecto, & omnino intolerabile, eo præterito, vnum mandatum de fide, docere necessarium esse & sufficere ad salutem. Nam vtique illud maximum mandatum est censendū, quod vnum sufficit sine alijs ad salutem, cum reliqua sine ipso non sufficiant. Iustificati etiam erant Corinthij, & credebant, & tamen constanter eis prædicabat Paulus: *Circuncisio nihil est, & præputium nihil est sed obseruatio mandatorum Dei.* Et sæpe alibi neque iustis, neque alijs exceptis, omnes mandatorum transgressores manifeste excludit à regno Dei. Et tam ipse, quam cæteri Apostoli palam docuerunt, adeo non esse liberos à lege credentes in Christum, vt grauioribus esse(?) mulctandi supplicijs, si quidem deprehenderentur mandatorum diuinorum præuaricatores.

Argum. 4.

1. Cor. 7.

Qui cunque igitur omnia alia præcepta abrogant vel certe ad non iustificatos, aut ad non perfectos arctant: aut doceant vbi Deus eam abrogationem, vel limitationem fecerit, aut iuxta antiquum Dei mandatum lapidibus obruantur, vt Pseudoprophetæ fingentes somnia, & volentes nos abstrahere à via, quam præcipit nobis, qui cum omnium esset liberrimus, pro nobis tamen sub lege factus est, & discipulis suis dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Et Iudæis ait: *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

Matth. 5.

Ioan. 5.

CAPUT VI.

Perfectos subditos esse mandatis.

Argum. 1.

ATQVE vt ad expugnationem tertij erroris liberantium perfectos à mandatis, aliqua subnectamus, certe Christus, vt cap. 21. ostendemus, tanto arctius ad mandata quemque adstrinxit, quanto perfectior & sanctior fuerit. *Nisi abundauerit*, inquit ad suos Apostolos, *iustitia vestra*, &c. In quæ verba Hilarius: *Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere aditum in cœlum Apostolis, nisi iustitiā Pharisæorū anteirēt, denūciās non futurum.*

Matth. 5.

Et alibi palam asserit, necessarium esse omnibus ad permanendum in sui dilectione, seruare sua præcepta, & ab illis solis se diligi, qui ea seruant. Tuba etiam illa cœlestis, ac plane prodigium & miraculum mūdi Paulus, perfectionis culmen tenebat, & tamen nunquam hanc libertatem à præceptis Dei in se agnouit, sed adstrictum se ad prædicandum, & ad seruandum castitatem palam confitetur. *Væ, ait, mihi si non euangelizauero.* Et paulo post: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans. Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Argum. 2.

1. Cor. 9.

Perfectio etiam quantacunq; viatoris, non facit quenquam subditorum, parem vel superiorem suo prælato.

Argum. 3.

Neq; igitur eximet eum ab obedientia ipsius. Item facilius, qui perfecti sunt, possunt, cæteris paribus, seruare præcepta generaliter omnibus lata. Et maius scandalum est, si ipsi non seruent, quam si alij ea negligant. Neq; propter perfectionem desinit quispiam esse pars Ecclesiæ & societatis, in qua viuit. Adstrictus ergo erit perfectus quiuis legibus & mandatis humanis ad suum statum & conditionem spectantibus. Vnde & in Concilio Viennensi, inter cæteros Beghardorum errores, hic quoque tertius in ordine damnatus est: Illi qui sunt in gradu perfectionis & spiritu libertatis, non sunt humanæ subiecti obedientiæ, neque ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligātur. Porro gradus ille perfectionis, de quo loquebantur Beghardi, ad quē pertinentes, ab obedientia humana liberos faciebant, nemini hactenus contigit in hac vita, neq; potest contingere de lege. Nullus in hac vita fuit, neque potest esse, qui neq; peccare possit, neque proficere, & in quo sensualitas ita perfecte rationi & spiritui subiecta sit, vt homo possit libere corpori concedere quidquid placet. Hæc patriæ sunt priuilegia, non huius viæ. Si tamen hæc in aliquo viatore inuenirentur, argumenta facta probant, eum non esse liberum ab obedientia humana. Et quia ipsi putabant ea reperiri in viris perfectis, merito

Argum. 4.

Argum. 5.

Clem. ad nostram de hær.

rito potuimus dicere, errorem eorum in Concilio illo damnatum, licet ipsi solos eos exemerint ab obedientia humana, in quibus illa tria inueniebantur. Fuitque hæc doctrina semper recepta & tradita ab Ecclesiasticis doctoribus.

Cyprianus lib. 1. epist. 4. fortissimos illos Christi athletas, qui pro confessione fidei vincti & grauibus tormentis pressi erant, ad patientiam & perseuerantiam, velut ad rem omnino necessariam, passim cohortatur. Et ad quosdam ex eis, sic scribit: *Quid enim petitu de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini, qui sic Domini mandata seruatis?* Hilarius in illa verba, *Clamaui in toto corde meo:* Psalm. 118. *Hæc fidei nostra militia est, custodire mandata, & secreto fidelissimo hunc thesaurum depositi & commendati nobis præcepti reseruare* Et in illa, *Viuifica me, & custodiam sermones tuos*: ideo vitam resurrectionis postulatam dicit à Dauide ad custodiendum mandata Domini, quia hic non est perfecta eorum custodia: tunc autem vere viuemus, & mandata Dei sequemur.

Hieronymus quæstione octaua ad Algasiam: Matth. 5. *Et præceptum est Apostolis, Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Nunquam autem Apostolis hoc imperaret, nisi sciret hominem posse esse perfectum.* Et addit: *Sed Apostolis, non pueris, verum iam ætatis robustæ, præcipitur, vt assumant perfectionem, quam & nos confitemur in ætate esse perfecta.*

Augustinus de spir. & lite. cap. 10. *Iusto, inquit, lex est necessaria, non qua iniustus ad iustificantem gratiam perducatur, sed qua legitimè iam iustus vtatur.*

Cyrillus in illa verba, Cyril. 9. in Ioan. c. 9. Ioan. 13. *Amen amen dico vobis Non est seruus maior domino suo, &c.* legibus quasi firmis exempli virtutem confirmat, detrimēti plenam præuaricationē præcepti ostendēs Et mox subdit: Ita mihi non aliud dicere videtur, quā, non paruā hominibus imminere pœnā, si, cū natura serui sint, ea tamē facere alter in alterū nolint, quæ ipse, cū natura Deus ac Dominus sit, in discipulos fecit. Et propterea adiectū putat, Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea: quia melius quodammodo, inquit, est nescire, quam, cum scias, per ignorantiam negligere.

Greg. hom. 38. in Euang. pulchris allegorijs explicat, omnibus esse necessarium seruare præcepta diligendi Deum & proximum, & aliter ad cœlum peruenire neminem posse atque inter alia dicit: *Duo ergo hæc necesse est vt caritatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptijs vestem nuptialem curat.* Et hom. 17. eleganter docet, labrum æneum, in quo habebant Aaron & filij eius lauare manus, antequam accederent ad altare ad offerendum thymiama, figuram tenuisse legis: & propterea illud ex speculis mulierum factum, quæ excubabant in ostio tabernaculi quia specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus sanctæ animæ semper adspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt.

Sed quid necesse est, plura in re adeo aperta sanctorum testimonia congerere? Nunquam aliquis eorum vel iustos, vel pfectos à mādatorum obligatione exemit, sed generaliter ad omnes spectare intellexerunt & docuerunt Dei mandata. Nam cum Deus omnium sit Dominus, & mandata ad subditos & seruos dirigantur, non putarunt quēquam adeo fore insanum, vt propter iustitiam vel perfectionem se à Dei præceptis exemptum putaret, cuius potestati & iurisdictioni nihil potest esse subtractum. Eademq; ratione cum Ecclesiæ nossent subiectos esse omnes Christianos, & scripturis Euangelicis & Apostolicis nobis commendatam esse obedientiam principum & prælatorum, neminem ex Christianis propter quantamcunq; sanctitatem liberum putarūt à positiuis Ecclesiæ aut principum mandatis. Itaq; toties pro nobis illi stant, quoties aliqd diuinum aut humanum præceptū vel annunciant, vel edisserunt.

Et vt plenius & manifestius eliminarentur omnes prædicti errores, confirmarunt Patres hanc doctrinam tribus canonibus. In can. 19 sic inquiūt: Canon. 19. *Siquis dixerit, Nihil præceptū esse in Euāgelio præter fidē, cætera esse indifferētia, neq; præcepta, neq; prohibita sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Quibus verbis damnarunt err. 1. Lut. & sequacium, cōmemoratum 1. c. huius lib. Et peculiariter decem præceptorum

facta

facta est mentio, quia non puduit Melanchthonem in locis communibus ab illis Expo. cano. 20. absoluere Christianos. In can. 20. ita statuunt: *Si quis dixerit, Hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, non teneri ad obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad* Euang. non est promissio absoluta vitæ æternæ. *credendum: quasi verum Euangelium sit, nuda & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione obseruationis mandatorum, anathema sit.* Et hic damnati sunt 2. 3. 4 errores citati in eod. cap. 1. Et ex illis verbis, *Quasi verum Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum*: liquido colligitur, verum Euangelium non esse nudam & absolutam promissionem vitæ æternæ, sed cum conditione obseruationis mandatorum. Quod quidem verissime statutum esse à Patribus, his possumus argumẽ-

1. Matth. 19. tis docere: Adolescenti Euangelico dixit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ecce adiectam conditionem. Apostolis in cœna similiter sub conditione promisit

Ioan. 13. 2. beatitudinem: *Si hæc scitis,* inquit, *beati eritis, si feceritis ea.* Et iterum: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Quid exprimi potuit

3. apertius? Et cum ipse & Ioannes Baptista appropinquasse regnum cœlorum annunciarent, atq; inde exordirentur prædicationes suas, vt conditionẽ tacite exprimerent, præmittebant: *Pœnitentiam agite.*

Quo consilio Paulus, cum constanter traderet nos esse filios & hæredes Dei, & cohæredes Christi, ne quispiam putaret, nihil aliud esse opus, vt hæreditatem æternam assequeremur, adiecit: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et alibi, cum di-

4. Heb. 3. xisset nos esse domos Dei, in quibus habitaret Christus, adiecit: *Si tamen fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* Et statim: *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus, dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis &c.*

5. Et cum princeps Apostolorum ad scientiam, abstinentiam, pietatem, & caritatem Christianos omnes cohortaretur, mox ad-

2. Petr. 1. iecit: *Hæc enim si vobiscum adsint & superent, non vacuos, neque sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.* Et per Ioannem Dominus ait: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Apoc. 3. 6.

Atque his Christi & Apostolorum testimonijs, & hac Ecclesiæ doctrina edocti & admoniti sumus, omnes promissiones vitæ æternæ factas credentibus, quantumcunq; absolutæ videantur, sub hac conditione intelligere. Et licet ipsa tam dilucide non fuisset expressa, colligenda nimirum erat ex eo, quod alia præter fidem nobis indicta sunt, & alia ab incredulitate prohibita. Qua etiam ratione promissiones omnes de conferenda gratia, & perducendis nobis ad beatitudinem per sacramenta, merito intellexerunt Doctores omnes Catholici sub hac conditione, Si quidem non opponatur obex sacramentis, aut gratia per ipsa recepta, propter ingratitudinem non perdatur.

Ac ne quispiam liberum se à præceptis Exposi. c. no. 21. putaret, quod Christum crederet redemptorem tantum fuisse, & non legislatorem: & venisse ad liberandum nos, & reconciliandum nos Deo, & explendum oracula prophetarum, & non ad ferendum aliquam legem, iuxta illud Ioan. Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, adiecit S. Syn. can. 21. huiusmodi: *Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo* Christus legislator. *hominibus datum fuisse vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Et hanc Christi prærogatiuam, quod Argum. 1. legislator sit cui obedire teneamur quæ illi & secundum naturam diuinam, & secundum humanam conuenit: primo docent illa eximiæ authoritatis verba, quibus legem Euang Apostolis suis in monte denunciauit: *Audistis quia dictum est antiquis &c. Ego* Matth. 5. *autem dico vobis.* Non enim (vt & ante nos sancti Doctores optime expenderunt) dicebat, quemadmodum prophetæ, *Hæc dicit Dominus*: sed Dominum se & authorem legis indicans, aiebat: *Ego autem dico vobis.* Matth. 7. Vnde & admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens. Et cum vbique gloriam Argum. 2. patris manifestaret, vt tamen agnoscere-

tur ipse esse, de quo Esaias dixerat : *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster. Ipse saluabit nos:* aperte quando-
Ioan. 14. que dixit, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et rursus : *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Et statim: *Si quis diligit me, sermonem meum ser-*
Ioan. 15. *uabit.* Et aliquanto post: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione.* Et mox : *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Agnouitq; Cyrill. in hæc verba, istam Christi potestatem. Et
Argum. 3. ne putaretur decem illa præcepta abrogare, roganti adolescenti, quid faciendo, vitam æternam posset acquirere: *Mandata,* inquit, *nosti.* Quibus ex verbis improperat Tertul-
Tert. 4. in Marc. lianus Marcioni & eius affeclis, existimantibus alium esse Deum legis, alium patrem Christi: Recognosce, ait, Christus præcepta non occidendi, non adulterandi, non falsum testandi, diligendi patrem & matrem? Ante & illa seruauit, & quæ deerant, adiecit. Et continuo : Saluum est & hoc in Euang. *Non veni dissoluere legem & prophetas, sed potius adimplere.* Atque iterum illic repetit, Christum præcepta patris adimplendo confirmasse & auxisse. Et Hilarius illa verba, *Qui ergo soluerit vnũ de mandatis istis minimis &c.* ita exaggerat, Ne minima quidem mandatorum Dei, nisi cum piaculo Dei, constituit esse soluenda, futuros minimos, nouissimos, ac pene nullos denuncians, minima soluentes.

Vide quam longè tempore Tertulliani & Hilarij aberat Ecclesia ab errore isto, quem hæretici nostri hoc temporis docuerunt, asserentes Christum nullam legem tulisse, & omnia nunc præter fidem libera esse, atque ideo statum nostrum dici statum libertatis & gratiæ.

Argum. 4. Sed & ipse Christus, ne tam perniciosus error suis suaderetur fidelibus, tum cùm in cœlos ascendebat, hanc veritatem, vtpote maxime necessariam, stabiliuit, & com-
Matth. vlt. mendauit nobis, dicens Apostolis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.*

Quæ omnia erudite, vt assolet, exponit Hieron. his verbis: Ordo præcipuus. Iussit Apostolis, vt primum docerent vniuersas gentes, deinde fidei intingerent sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent obseruanda, præciperent. Ac ne putemus leuia esse, quæ iussa sunt, & pauca, addidit: *Omnia quæcunque mandaui vobis.* Vt quicunque crediderint, quia in Trinitatẽ fuerint baptizati, omnia faciant, quæ præcepta sunt. Et firmauit hæc omnia Paulus Argum. 5.
tum in locis supra citatis, tum vero cum ait: Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus. Nam vere legem statuebant per fidem, siue, vt dicit August. de spir. & lit. quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur : siue quia impleta explicabant omnia prædicta à lege, & quam ipsa præstare non potuerat, iustificationem per fidem offerebant : & quo ad moralia, in perpetuum : quo ad alia vero, ad tempus, vt sanctam & bonam, eam esse seruandam incunctanter affirmabant.

Et qui dixit, Translato sacerdotio, ne- Argum. 6.
cesse est vt & legis translatio fiat : palam indicauit, non sic Christum abrogasse veterem legem, quin nouam tulerit. Nam translatio legis non est, nisi vni succedat altera. Neque, vt in hæc verba dicunt Chrysostomus & Theophylactus, sacerdos potest esse sine testamento, aut sine lege & prophetis. Quod & aliquanto apertius fe- Argum. 7.
cit idem Paulus, cum non vtcunque legem mandatorum euacuasse dicit, sed decretis. Quæ Theophylactus refert ad mandata, data ab ipso Christo in monte.

CAPVT VIII.

Diluuntur obiectiones hæreticorum, contra obligationem mandatorum.

QVID ergo, inquiunt hæretici, voluit Pau- Obiect. 1.
lus, cum dixit, *Christus nos redemit de ma-* Galat. 3. 5.
ledicto legis, factus pro nobis maledictum? Et rursus : *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Et iterum : *In libertatem vocati estis fratres.*

Ad seruitutem, iugum maledictum, &c. Responsio.
im-

importabile ... veteris legis, quæ morte Christi, quo ad legalia & cæremonialia, abrogata est, referenda hæc sunt omnia. Galatis ea scripsit Apostolus, qui seducti à falsis prophetis, legem simul & Euangelium volebant obseruare, vt patet toto penè epistolæ decursu. Vnde & ibidem ne hanc libertatem ad alia præcepta naturalia extenderent: In libertatem, inquit, vocati estis fratres, tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis. Quæ verba Hieronymus sic edisserit in commentarijs, vt Apostolum doceat ea dixisse contra illos, qui occasione libertatis Euangelicæ extorquere volebant, licere sibi, vt libertati conuenit, viuere, neq; aliquibus præceptis teneri. Et quoniam sciebat Apostolus abusuros quosdam hac libertate, eamque auidissime in velamen malitiæ arrepturos, adiecit, ait: Tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis. diligenterque ibidem docuit, quæ essent opera carnis, & eos qui ea seminant in carne sua, regnum Dei non assecuturos, sed ex carne messuros tandem corruptionem: Verum fortius & apertius in nos videntur militare testimonia alia tria Pauli. Ad Corinthios, qui non leguntur errore Galatarum decepti, generaliter scribit: *Vbi spiritus Domini, ibi & libertas.* Ad Timotheum. *Iusto non est lex posita, sed iniustis & non sub ditis.* Et ipsis Galatis: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.*

cap. 5.

cap. 6.

Obiect. 2.

1. Tim. 1.

Galat. 5.

Responsio.

Absit tamen, vt Paulus his aut alijs similibus verbis credatur libertatem docuisse à præceptis naturalibus & diuinis. Ira, inquit, & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci Et mox *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.* Et se dicit alias non esse sine lege, sed in lege esse Christi lex quidem neque esse potest nec quæ dici. quæ non obliget eos, quibus fertur. Et alio in loco non tantum Diuinis præceptis, sed humanis vult omnes esse subiectos, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Et Thessalonicensibus aperte legem Dei exponit, dicens: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra vt abstineatis vos à fornicatione &c.* Sed cum generoso & libertimo esset animo, cunctos volebat in spiritu libertatis Deo seruire, nō pœnæ scilicet metu, sed virtutis & gloriæ Dei amore, & ad hanc libertatem cunctos passim exhortabatur. Et in citatis testimonijs hoc agit, vt omnes edoceat, nihil generosæ libertati præiudicare legem diuinam, neq; officere Christianæ libertati, subiectos esse mandatis: immo hoc ipso posse iustos esse liberiores, quo diuinis mandatis plenius & promptius obsequerentur. Pœnas etiam docet Deum neque parasse, neque comminatum fuisse propter iustos, sed propter rebelles & inobsequentes, qui non nisi verberibus & flagellis ad virtutis studia inducuntur. Ideo dixit, iusto non esse legem positam, quia iustus sponte sua, quæ sunt legis, obseruat, neque pœnis & comminationibus, quas leges comminantur, vt stimulis ad virtutem indiget.

Paulus omnes subiecit legibus etiam humanis.

Rom. 2.

Studium Pauli.

Exposit. 2. testimonii.

Et hoc est quod quidam scholastici dicunt, iusto esse legem positam, quo ad vim, quam habet lex, directiuam: non autem, quo ad coerciuam: Quia licet adstricti sint ad seruandum leges, & pœnis illarum subiaceant, si quidem dereliquerint, tamen pœnæ non propter illos adiunguntur legibus, qui amore virtutis ea seruant, sed propter peccatores pertinaces & rebelles, qui non adiguntur ad virtutem, nisi pœnarum formidine.

Et vbi est spiritus Domini, libertatem veram esse, propterea asseruit, quia liberi sunt iusti à seruitute dæmonis & mundi, & à vitijs & prauis affectibus, quibus seruiunt peccatores: neque timore, sed amore & suapte voluntate, obediunt legi.

Exp. test. 1.

Et qui spiritu ducuntur, eam ob causam non esse sub lege, tradidit, quia qui spirituales sunt, & spiritualiter viuunt, non velut adacti ac pressi sub iugo legis, sed libere & sponte eam implent.

Exposit. 3.

Seruiunt peccatores dæmoni, facientes ipsius voluntatem. Seruiunt mundo, duro scilicet & difficili tyranno. Seruiunt carni & cōcupiscentijs eius. Seruiunt & suis ipsorum peccatis, & partim vt ea perpetrent, partim quia ea patrarunt, multis sunt obnoxij & subiecti seruitutibus, nihilque prope-

Seruitus peccantiū.

modum boni, nisi inuiti ac velut coacti, & humanis quibusdam respectibus operantur.

Libertas iustorum. At iusti quicquid faciunt, libertime & cum magna voluptate, & solo Dei & virtutis amore faciunt. Dæmonem respuunt, mundum contemnunt, carnem despiciunt, præcepta, quia placent, & iusta & sancta sunt, implent: & hoc ipsum, quod lege se ad hæc constrictos norunt, gratum habent. *Liberum est*, inquiunt philosophi, *quod gratia sui est. Et violentum* id esse diffiniunt, *cuius principium est ab extra, passo non conferente vim.*

Quoniam igitur iusti virtutem propter ipsammet & Dei gloriam colunt, & voluntatie præceptis Dei sunt subiecti, & ea vsque adeo libenter opere perficiunt, vt etiam cessantibus omnibus pœnis, & mandatis eadem præstarent, merito liberi à legibus, neque tam esse sub lege, quam in lege, prædicantur. Vsique sunt sancti Doctores hoc Paulino loquendi modo in eundem prorsus sensum.

De spir. & lit. cap. 9. Eaque de causa dixit Augustinus: *Sanata per gratiam voluntas, implet legem, non constituta sub lege, neque indigens lege.*

Galat. 5. Sancti veteris testamenti non fuerunt sub lege, sed quasi sub lege. E Hieron. exponens illa verba, *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*: hac, opinor, ratione absolute affirmauit, sanctos veteris testamenti spiritu ambulantes, & spiritu viuentes, non fuisse sub lege, sed quasi sub lege, vt alios lucrifacerent, sicut & de se aperte testatus est Paulus. Vel certe eo spectant, cum illa scripsit Hieronymus, quod sancti veteris testamenti in exequendis mandatis diuinis, magis spiritum viuificantem, & latentia in eis mysteria & promissa, eorum expletioni reposita, sanctitatemque ipsorum magis spectabant, quam literam occidentem. Dicit enim ibidem, eos illa seruasse, vt ab humilitate literæ ad altitudinem spiritus prouocarent, & Paulum ideo se dixisse fuisse quasi sub lege, quia non veritatem legis, sed similitudinem custodiuit.

Galat. 5. Planius tamen est & simplicius, quod subdit in illa verba, *Aduersus huiusmodi non est lex*. Nam ideo hæc dicta esse putat, & legem iusto non esse positam, quia superflua sunt recepta legis illis, qui regnante in se charitate, ea faciunt. Et sapientes mundi, addit, de philosophia si opinari sunt, vt quod leges publicæ facere homines necessitate cōpellunt, hoc illa persuadeat fieri voluntate. Atque ex hoc approbare possumus, iustos, qui soli vere sapientes sunt, libere implere præcepta. *Præceptum namque*, sicut dicit Augustinus, *liber facit, qui libens facit.*

Quare vehementer deceptus est Lutherus, qui existimauit contraria inter se esse, aliquid facere ex obligatione, & ex amore: cum tamen iusti, vt Dei sint per omnia voluntati conformes, eo ex maiori amore faciant aliqua, quo se vident ad illa arctius ab eo esse constrictos. De gratia Christi cōtra Pelag.

Et ipse Apostolus hanc esse libertatem, quam in iustis prædicabat, exposuit, cum ad Romanos scripsit: *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Quibus verbis luculenter expressit eos esse seruos, & ad veterem legem pertinere, qui timore implent præcepta: eos vero liberos, & plane Euangelicos, ac filios potius Dei quam seruos, qui amore. Vnde & Diuus August. non minus docte quam iucunde: *Breuis differentia legis & Euangelij, timor & amor.* Atque hæc satis poterunt esse pro explicatione principij huius capituli. Rom. 8.

CAPVT IX.

De Possibilitate mandatorum, ex Doctorum Ecclesiæ concordi testimonio.

NEMO, inquiunt Patres, temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti, subaudi, debet, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet &c. Conclu. 2.

Ex his verbis colligi potest secunda conclusio huiusmodi: Nulli iustificato præcepta sunt impossibilia. Hæc autem conclusio aperte militat contra errorem Lutheri, qui (vt est videre in libro de libertate Christiana) diserte affirmat impossibile esse nobis, præcepta Dei implere in hac vita. Et idem

idem tuetur in art. 2. & 31. suarum assertionum contra bullam Leonis X. & latissimè in libro de decem præceptis.

Securique videntur eum Protestantes. Nam in Confessione Augustana palàm asserunt, non posse nos in hac vita satisfacere legi, neque eam implere, sed duntaxat ipsius impletionem inchoare. Et Melanchthon nominatim in apologia, titulo de dilectione & impletione legis, improperat nobis, quod prædicemus nos legem implere, cum in hac vita non possimus legi satisfacere, sed tantum inchoare, & imperfectè implere.. Atque idem latius persequitur in locis communibus, tit. de impletione legis.

Art. 6.

Et Bucerus quantumcunque resulter, & ipsa quasi veritatis virtute compulsus, horrere tantam blasphemiam videatur, tamen in eandem volens nolens incidit, neque eluere satis potest errorem, quo semel à suo magistro tinctus est. Ait enim in lib. de concordia controuers. in conciliatione art. de iustificatione, blasphemum quidem esse, asserere Deum aliquid præcepisse, quod in se esset impossibile: verum præcepisse, quod homini erat impossibile, possibile autem Deo: vt concluderentur omnia sub peccato, & homo recurreret ad misericordiam Dei, & hîc impleat homo legem ex parte, in patria vero ex toto.

Quibus verbis satis indicat, ne per auxilium quidem diuinum, & recursum ad misericordiam Dei, posse à nobis mandata Dei secundum ipsum impleri in hoc seculo, nisi ex parte. Senserint tamen illi quod voluerint. Vtinam fieri possit, vt vel argumentis suis, vel nostrorum conuicti, aliquando resipiscant, & nobiscum conciliemtur, de quo libr. 14. nonnihil attingam.

Modo ad expositionem nostri decreti redeamus, videamusque, quibus argumentis Patres approbent diffinitionem hanc tam claram & perspicuam: Mandata Dei sunt homini iustificato possibilia. Primo antiquos Patres pro se inducunt, qui sub anathemate cauerunt, ne quis diceret, Deum præcepisse aliquid impossibile. Neque primi hoc fecerunt huius Concilij Patres, vt veritatem fidei, antiquorum Patrum authoritate communirent. Fecerunt & hoc ipsum olim Patres in sexta Synodo, actione 10. dum veritatem constabiliêrunt duarum voluntatum, & duarum operationum Domini ac Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Porro ex multis Patribus, qui possibilia esse mandata tradiderunt, non grauabor aliquorum testimonia subijcere, vt manifestum sit, verum esse quod citatum est à Patribus: & vel hinc constet, hanc veritatem perpetuo fuisse creditam & traditam ab Ecclesia.

Hieronymus in explanatione symboli, ad Damasum Papam sic scribit: *Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo praeceptum esse, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari.*. Et infra: *Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichaeo dicunt, hominem peccatum vitare non posse: quam illos, qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare. Vterq; enim tollit arbitrij libertatem. Nos vero dicimus, hominem semper peccare, & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij.*. Quod si, vt quidam non omnino sine causa existimant, hæc explanatio non est Hieronymi, haudquaquam desunt nobis testimonia alia ipsius, quibus idem asseratur. 1.

In libro primo aduersus Pelagianos, nomine sui Attici sic ait: *Possibilia Deus praecepit, & ego fateor.* Et ibidem: *Reseruato igitur hoc, quod fatemur, possibilia Deum dedisse mandata, ne ipse author iniustitiae sit si id exigat fieri, quod fieri non potest, nunc illud imple, quod proposueras, posse hominem sine peccato esse si velit.* Et in 2. aduersus eosdem, cum difficultatem exaggerat illius consilij, quo iubemur reconciliari fratribus, antequam munera Deo offeramus, subdit: *Non quod impossibilia Deus praeceperit sed in tantum patientiae culmen ascendit, vt prope impossibilia pro difficultate nimia praecepisse videatur ad destruendam sententiam tuam qua scribis, facilia Dei esse mandata.* Et paulo post principium tertij libri, Critobulo colligenti hominem posse esse sine peccato, si velit, 2.

nam aliâs frustrà data essent mandata, si ea implere non possumus: sic sub nomine Attici respondet: *Deus possibilia mandauit, hoc nulli dubium est: sed quia homines possibilia non faciunt, idcirco omnis mundus subditus est Deo, & indiget misericordia eius.* Hæc Hieron.

Aug. ser. 61 Augustinus in quodam sermone ita scribit: *Deus neq; impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est: neq; damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius est.* Et in
c. 16 libro de gratia & libero arbitrio: *Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.* Et il-
De natura & grat. c. 43 lius sunt verba illa, quibus Patres hîc suam confirmârunt conclusionem. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possis. Et de natura & gratia, cap. 69. *Firmissimè creditur*, inquit, *Deum bonum & iustum, impossibilia non potuisse præcipere.*

Chrysostomus hom. 7. de laudib. Pauli, idem testatur his verbis: *Possibile est Dei iussa perficere, si modò velimus omnem naturæ trepidationem alacriter superare, nihilq; impossibile est eorum, quæ à Christo hominibus imperantur.*

Accedit & his Basil. in reg. monach. c. 83. Dilectionem quippe inimicorum probat esse nobis possibilem, quia præcepta est. *Nunquam*, inquit, *præciperet hoc iustus & clemens Deus nisi vtiq; etiam possibilitatem nobis donâsset.*

In Concilio Arausicano secundo Can. 25. sic legimus: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Omnia etiam Doctorum testimonia, quibus dicitur, omne peccatum esse voluntarium, & neminem peccare in eo, quod vitare non potest, pro his stant. Omnis enim inobedientia & transgressio mandati, peccatum est: & voluntariè non potest dici illud fieri, quod ineuitabile est.

Sed ex multis testimonijs, quibus constanter hoc asseritur, sufficiant in præsenti hæc pauca. Tertullianus libr. 2. aduersus Marcionem: *Neq; boni, neq; mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.* Ambrosius libr. de Iacob & vita beata, cap. 3. *Non est, quod cuiquam nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen, quæ inseruntur reluctantibus.*

Quis etiam, ait Augustinus, *peccat in eo, quod caueri nullo modo potest? Peccatur autem, caueri igitur potest.* Et in quodam sermone: *Ser-* Disputat. 2. contra Fortunatum.
uum pigrum non damnaret, si ea quæ fieri nullo modo poterant, imperaret. Et alibi: *Ego dico peccatum non esse, nisi propria voluntate peccetur.* Et in libro de duabus animabus, peccatum diffinit, esse voluntatem retinendi vel consequendi quod iustitia vetat. Et in de vera religione, vbi propriè de hoc disputat, ita concludit: *Nunc vsq; adeò peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestum est, vt nulla huic Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi: aut fatendum est, voluntate committi. Non enim, nisi voluntate, peccatur.* Hactenus August.

Et vt intelligamus idem fuisse Augustino, voluntate peccare, & liberè seu spontaneè peccare: subdit, *Voluntas autem est animi motus, nullo cogente, ad aliquid vel non admittendum, vel non adipiscendum.* Et in hoc totum pene librum de gratia & libero arbitrio insumpsit, vt ostenderet hanc veritatem omnibus receptissimam, quod sola propria voluntate peccemus. Sunt verò hæc satis de testimonijs Doctorum. Transeamus ad fontes, vnde huius saluberrimæ doctrinæ fluenta dimanârunt.

CAPVT X.

De testimonijs Scripturæ pro mandatorum possibilitate.

PROBANT Patres secundo, possibilia esse mandata, ex testimonio Christi, & ipsius dilecti Apostoli & Euangelistæ Ioannis. Et in testimonio Christi, affirmantis Argum. 1.
iugum suum suaue esse, & onus ipsius leue: animaduertendum est, ipsis etiam vocabulis oneris & iugi, quibus Christus appellauit (secundum omnes Doctores) suam legem, satis indicatum nobis esse, eam volenti-

lentibus ſe ei ſubijcere, non eſſe impoſſibilem. Quis enim bobus ſuis iugum imponit, quo vti non poſſunt? Quis iumentis onera importabilia? Neque leuis aut ſuauis lex Chriſti dici poſſet, ſi ſeruatu eſſet impoſſibilis. Quid enim grauius aut moleſtius eſſe poteſt ſubditis, quam ſi exigantur, quod præſtare non poſſunt? Et qui ſtatim
Matth. 11. dixerat, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis*: ſatis ſignificauit, multo ſuauiorem eſſe ſuam legem, & faciliorem, quam fuerint omnes leges ſiue Iudæorum, ſiue Gentilium: neque poſſe quempiam tanta ſuauitate perfrui, dum vel ſub onere aliarum legum preſſus militat, vel per abrupta & lubrica vitiorum difficiles oberrat vias, quanta, ſi ſub iugo & onere Chriſti vitam ſpontaneus agat. Nam labor, ad moleſtias vitæ, præſertim peccatorum, refertur: onus autem, ad pondera & vincula legum.

Argum. 2. Cùm vero Ioannes ait, Mandata Dei grauia non eſſe: ſatis explicuit, ea non eſſe impoſſibilia. Nullum quippe grauius pondus, quam id quod portari nequit.

Argum. 3. Confirmatur inſuper tertio à Patribus hæc concluſio, argumento ſatis forti, de-
Ioan. 14. ſumpto ex verbis illis Chriſti: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit.* Nam cum iuſtificati, filij ſint Dei, & Chriſtum diligant, conſtat ex his verbis, eos ſeruare mandata Dei: & ex conſequenti, non eſſe eis mandata impoſſibilia. Et quid neceſſe eſt, ex verbis adeo apertis ratiocinari? Ipſa per ſe verba ſatis indicant, poſſe mandata ſeruari: quandoquidem, ſi nemo poſſet ſeruare mandata diuina, neque ſic Chriſtum diligere, vt ea expleat, non dixiſſet Chriſtus, *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit.* Et paulò ante: *Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* Nemo quippe ſic loquitur de re, quam credit eſſe impoſſibilem.

Argum. 4. Et quid eſt, quod alibi Chriſtus dicit:
Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* Si nullus eſt hominum, qui poſſit ſeruare mandata Dei, nullus erit qui vim poſſit inferre cœlo, nullus qui illud rapere. Fortiter namque clauſum eſt, & vectibus ferreis obſeratum, atque vna mandatorum obſeruatione reſerari poteſt. Non enim mentitus eſt ille, qui dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth. 19

Qui etiam in his verbis luculentum & Argum. 5.
perſpicuum fecit, volentibus mandata eſſe poſſibilia. Vtrunque ſiquidem voluntati noſtræ perinde ſubiecit, & ingreſſum ad vitam, & obſeruationem mandatorum. Et alioqui nullam hîc viam, ad ingrediendum ad vitam, patefeciſſet illi adoleſcenti, qui ea vna de re ipſum rogauerat. Quod quidem de tanto & tam benigno magiſtro nefas eſt credere.

Apertum inſuper huius doctrinæ teſti- Argum 6.
monium ſunt omnia Scripturæ loca, quibus aliqui viri ſancti aſſeruntur diuina mandata ſeruâſſe. Nam quæ ſeruata ſunt, ſeruatu profecto impoſſibilia non ſunt.

Et vt à lege naturali, ad quam totus ſpectat præceptorum Decalogus, exordium faciamus, Paulus quidem obſeruabilem fuiſſe, & obſeruatam legem naturalem á multis ante legem Moſaicam perſpicuè de-
monſtrat, dicens: *Non enim auditores legis iuſti* Rom. 2.
ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter, hoc eſt, citra vllam reuelatam & poſitiuam legem, *quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendit opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.*

Et quis ambigat legem naturalem ſeruaſſe Enoch, quem liber Geneſeos tradit ambulaſſe cum Deo? Quis Noe, quem eadem Scriptura virum iuſtum & perfectum
vocat? Quis Abraham, cui dixit Deus, *Am-* Iob 1.
bula coram me, & eſto perfectus? Quis Iob, cui Scriptura teſtimonium perhibet, quod fuerit vir rectus & timens Deum, & recedens à malo?

Et conſtanter Dauid explicat, ſe ſeruaſſe, & ſeruaturum omnia mandata Dei, & in toto corde ſuo exquiſiuiſſe Dominum his
verbis: *In toto corde meo exquiſiui te: Da mihi in-* Pſal. 118.
tellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Ab omni via mala prohibui pedes meos. Ad omnia

manda-

mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua & testimonia tua.

Neque his contentus, aliâs dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et agnoscens donum Dei, addit, *cum dilatâsti cor meum.* Et clarissimum Dominus per Ahiam Prophetam testimonium ei perhibuit, quod seruauerit mandata ipsius, & secutus ipsum fuerit in toto corde suo.

De Aza etiam scriptum est, cor eius fuisse cum Deo perfectum. De Ezechia item, quod rectum fecerit coram oculis Domini. Et ipse de seipso dixit, ambulâsse se in conspectu Domini in veritate & corde perfecto.

De Ioanne etiam Baptista impium est dubitare, an seruauerit omnia mandata,
Matth. 11 cum Christus dicat, *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Et Zacharias & Elizabeth omnia Dei mandata seruauerant,
Luca 1. rant, cum de eis dicit Scriptura: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.*

Argum. 7. Atque vt nemo causari posset impossibilia esse præcepta, aut se hoc tueretur, ab eorum transgressione, prætextu, & vt à Moysis tempore fortissima & lucidissima nobis arma subministrarentur contra hæreticos nostri temporis, Deus per illum iam
Deut. 30 olim dixit: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, neq; in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atq; opere compleamus: neq; trans mare positum, vt causeris & dicas, Quis è nobis poterit mare transfretare, & illud ad nos vsq; deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum.*

Equidem nihil poterat neque expressius, neque elegantius dici, ad ostendendum præcepta Dei impossibilia non esse, neque posse quempiam aliquam excusationem obtendere iustam, quo minus opere legem compleat, & ipsi satisfaciat. Quid est enim aliud, mandata non esse super nos, neque procul posita, neque in cœlo, aut trans mare sita, quàm, non excedere vires nostras adiutorio diuino subnixas? Et quid est aliud, iuxta nos esse in ore & in corde, quàm, in promptu nobis esse & ad manum, illa perficere, sicut & nostræ subest potestati, & procliue est, & ore & corde & illis, quæ in ipsis sunt, cum volumus vti?

Eandemque facilitatem mandatorum diuinorum agnouit Psalmista, cum dixit: *Latum mandatum tuum nimis.* Neque opus est profectò, vt aliunde possibilia legis gratiæ mandata doceamus. Si enim hæc dicta sunt de veteri lege, quam Petrus clarè dixit fuisse & sibi & Patribus veteribus iugum importabile, quid censendum est de noua lege, quam benignissimus & mitissimus magister noster, & Dominus, ad differentiam præcipuè ipsius legis Iudaicæ, & vitæ laboriosæ peccatorum, leuem & suauem appellauit? Argum. 8.

CAPVT XI.

De difficultate mandatorum, & necessitate gratiæ ad ea seruanda.

NON autem, vt hoc obiter, ne quispiam decipiatur, notemus, his testimonijs hoc agimus, vt facilia nobis Dei mandata absque ipsius gratia ostendamus. Nouimus Hieronymum in Dialog. 2. contra Pelagianos copiose eius dogmatis falsitatem ostendisse, & luculenter sæpe monstrasse, temerè Pelagium scripsisse, facilia esse Dei mandata, & erubescere debere de ea sententia, immo radi ab eo oportere de libro, quem iam euulgauerat.

Angusta, teste Christo, *& arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam,* Matth. 7
multoque pauciores, qui ingrediuntur per eam. Et *propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*, ait Dauid. Et aliâs: *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* In quæ verba Hieronymus: Omnia Psal. 16. 93
præcepta Domini habent laborem. Sine labore non possumus possidere regnum cœlorum. Et sicut idem alio ex loco Scripturæ citat, Vir in dolore laborat sibi, & vim facit perditioni suæ, vt oppressâ videlicet

licet & subiugata, & moriente carne, viuat in eo spiritus. Atque vt idem ait, manifestum est, esse difficile, quod rarum est. Certo etiam scimus, vt idem Hieronym. in loco citato latissime disserit, non solum non esse mandata seruatu facilia, sed prorsus esse nobis factu impossibilia, nisi Deus sua ope & gratia imbecillitatem nostram adiuuet.

Et hoc testimonijs apertis Scripturæ, Concilijque Mileuitani, & cuiu dam Concilij Carthaginensis, Arausicanique secundi, ac Innocentij primi, & Cœlestini primi, necnon & ex Cypriani & Augustini authoritatibus, ac nonnullis alijs argumentis perspicuum fecimus in opusculo de iustificatione. Amisit enim homo per peccatum, vt bene explicat Richar. de S. Victore, non libertatem, sed potestatem, qua potuit omne debitum soluere, & omne malum cauere. Et cum audimus, vel legimus liberum arbitrium esse captiuum, nihil aliud, vt idem admonet, intelligere debemus, quam infirmum, & huius natiuæ potestatis virtute priuatum. Et qui hoc negaret, errori Pelagij, damnato à prædictis summis Pontificibus & Concilijs, & à Palæstino quodam Concilio, sine dubio consentiret.

Neque dubitamus, quin & iustificatis ipsis necessaria etiam sit auxilij specialis gratia præter gratiam gratum facientem, vt diuina omnia mandata impleant, & in accepta gratia perseuerent. Et hoc etiam satis, abundeque ex Innocentij primi, Cœlestini primi, Cypriani, & Augustini testimonijs, in eodem opusculo demonstrauimus. Et definitum id videtur in Concilio secundo Arausicano. Quare Patres post verba, ex quibus secundum conclusionem, quam modo tractamus, colligimus, non simpliciter & absolute dixerunt, iustos posse seruare mandata, sed adiecerunt hoc temperamentum, *Cum auxilio diuino*. Verba vero decretili habent: Quicunque enim sunt filij Dei, Christum diligunt. Qui autem diligunt eum, vt ipse semet testatur, seruant sermones eius. Quod vtique cum auxilio diuino præstatur.

Et vt sciremus hoc auxilium tam potens, quam necessarium, nulli deesse iustorum, mox subiecta sunt illa verba totius suauitatis plena, ex Augustino desumpta: Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Quæ quidem verba fundamentum habent in illis non minus suauibus Scripturæ sanctæ verbis: *Dominus vobiscum est, quamdiu vos estis cum eo. Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et hanc in iustos gratiam explicuit Christus, cum non contentus dicere, se simul cum patre ad eum venturum, qui sermonem ipsius seruauerit, adiecit: *Et mansionem apud eum faciemus.* Nunquam siquidem adeo liberaliter, adeo absolute, & absque vlla restrictione mansionem suam in iustis polliceretur, nisi tamdiu in eis esset mansurus, quamdiu ab ipsis non expelleretur.

Et ab hac felici præsentia habent iusti, vt seruare possint mandata, & occurrentes deuincere tentationes. Vnde & Paulus de ea gloriabundus & exultans, ait: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et iterum: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et rursus: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi.* Neque aliud modo contendimus perspicuum facere, quam per hanc Dei gratiam, qua omnes paratissimus est iuuare, nobis possibilia esse mandata.

CAPVT XII.

Iustis facilia esse & suauia Dei mandata.

NEQVE solum sunt per Dei gratiam mandata possibilia, addam & hoc, sunt etiam per Dei gratiam seruatu suauia, & adimpletu facilia. Et hoc postulant verba Christi, & Ioannis, & Moysi, & Dauidis statim citata. Nisi enim mandata possent fieri iustis facilia, profecto neque latum diceretur mandatum Domini, neque leue & suaue, & iuxta nos valde. Neque dixisset Ioannes, Mandata eius grauia non sunt, nisi intellexisset mandata, illas semitas illas æquitatis, de quibus Salomon nomine Dei ad iustos dicit: *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus*

Fff tui, &

Margin notes (left): [illegible] — c. 8. — [illegible] de sta[tu] [i]nte[rior]i ho. c. … 21 & 22 — 9.14. — … 19

Margin notes (right): Donat. 1. cr grat. c. 10 — 2. Paral. 15 — Ioan. 14 — Philip. 4 — Rom. 8 — Dei mandata facilia & suauia iustis. — Prou. 4

tui, & currens non habebis offendiculum. Nam & ideo angusta via cœli dicitur, quia non nisi angusto initio incipitur, processu vero temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur.

Et iugum quidem Domini graue est detrectantibus, sed non dilatato iam corde viam Domini percurrentibus. Quia quantumuis grauia sint mandata, est in iustis persæpe per diuinam gratiam tantus affectus ad eorum obseruationem, & tanta auiditas iustitiæ ac sitis exequendi in omnibus diuinam voluntatem, vt omnia sint eis & leuia, & iucunda. & sicut in Scripturis Deus pollicetur, super omnipotentem & delectentur, & delicijs affluant, atque animæ eorum sicut iuge sint conuiuium, nihilque eis sit dulcius, quam respicere in mandatis altissimi.

Et hæc diserte tradit August. de natura & gratia his verbis: *Omnia facilia sunt charitati, cui vni sarcina Christi leuis est.* Et pulchre subdit: *Aut enim quisquam non diligit, & ideo graue est: aut diligit, & graue esse non potest.* Et iterum: *Præcepta legis per charitatem impleta sunt, quæ per timorem non poterant.* Et ideo affirmat non fuisse impletam legem à veteribus, quia nondum erat charitas, quæ dilectione teneret interiora mentis.

Cap. 66 Refut. 7. Fusius tamen & operosius hæc docet in de perfectione iustitiæ: Adhibet, inquit de Cœlestio, testimonia, quibus ostendat, non esse grauia diuina præcepta. Quis autem nesciat, cum præceptum sit generale charitas, quia finis præcepti est charitas, & plenitudo legis charitas, non esse graue quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere. Sed perfecta charitas foràs mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem, non solùm non prementem onere ponderum, verum etiam subleuantem vice pennarum. *Et paulopost:* Cui grauia sunt præcepta, intelligat nondum se accepisse donum, quo grauia non sint, nec arbitretur ea se perficere, quando ita facit, vt grauia sint. Hilarem enim datorem diligit Deus.

Nec tamen, cum ea grauia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandumque cogatur. Et statim hoc approbat ex testimonijs legis, Euangelij, & Apostolorum. Et inter alia dicit, charitati Dei non esse graue mandatum Dei, debere omnes persuaderi ex verbis Ioannis: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* 1. Ioan. 5. Et testimonia Scripturarum, quibus aliquando duræ, aliquando leues dicuntur viæ Domini, eleganter capite sexagesimo nono de natura & gratia, conciliat: Vtrunque, ait, verum est. Duræ enim sunt timori, leues amori. Quam concordiam insinuant verba illa Dauidis: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Nam amoris proprium est, corda dilatare.

Conciliantur testimonia, quibus vix Domini nunc leues, nunc duræ dicantur.

Psal. 118.

Et vt verissime dicit Bernard. Solus spiritus promptus experitur iugum Domini esse suaue & onus leue. Eximium etiam præmium nostris operibus repositum, faciebat sanctis videri leuia mandata. Ber. de præcep. & dis.

Vnde Cyprianus elegantissime virgines alloquitur in tractatu de habitu virginum: Arcta & angusta via, quæ ducit ad vitam: durus & arduus limes, qui tendit ad gloriam. Per hunc viæ limitem martyres pergunt, eunt virgines, iusti quique gradiuntur. Lata & spatiosa itinera viæ lethalis: illic illecebræ & mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, vt fallat: arridet, vt noceat: illicit, vt occidat. Primus cum centeno martyrum fructus est, secundus sexagenarius vester est. Vt apud martyres non est carnis & seculi contagio, nec parua & leuis & delicata congressio, sic & in vobis, quarum * ad gratiam merces secunda est, sic & virtus ad tolerantiam proxima. Non est ad magna facilis ascensus. Quem sudorem perpetimur, quem laborem, cum conamur ascendere colles & vertices montium? Quid, vt ascendamus ad cœlum? Et vt emolliret difficultatem castitatis, subdidit: Si præmium pollicitationis attendas, minus est quod laboras. Immortalitas perseueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum Dominus pollicetur. Et in sermone de stella & Magis, si tamen illius est, propterea iuxta tropolo-

fort.* vt ad

Non est ad magna facilis ascensus.

pologiam dicit Magos non eadem via rediisse qua venerant, quia necesse est, vt qui credunt ad iustitiam, ore etiam confessi sunt ad salutem, deinde vias eligant arctiores, & se districtioribus mandatis obligent. Quoniam per vias arctas, descensúsque præcipites itur, inquit, ad inferos: Per arctas vero & difficiles, reditur ad superos. Et addit: Propter verba labiorum Dei, religiosus quisque vias duras ingreditur, & regulator voluptatum stantem ex diuerso hostem securus aggreditur. Arcta via, est castitas: trames strictus humilitas: ieiunio affligi & carnem in seruitutem redigere, scopulosæ sunt semitæ: sed ad patriam superiorem, nonnisi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Quamuis igitur mandata Dei ex se, & ad exiguas vires nostras comparata, difficilia sint, peradiutorium tamen Dei, diffundentis in nobis suam charitatem ad ea implenda, & spe magnorum præmiorum animos nostros erigentis, fieri possunt, fiuntque iustis persæpe & leuia, & omnino iucundissima.

Leuia sunt præcepta charitate & spe.

CAPVT XIII.

Possibilia esse Dei mandata, ex lumine naturali.

SED quid opus est Scripturis, vt possibilia esse Dei mandata doceamus? Ipsum lumen naturale nobis à Deo inditum, ipsa scintilla rationis, mentibus nostris impressa, ipsa naturæ nostræ vis & conscientia, satis nobis potest esse ad expugnandum hunc errorem. Quæ namque fuit vnquam gens tam barbara, quis hominum tam stolidus & stupidus, vt putaret se in culpa esse aut in crimine propterea, quæ vitare non posset? Quis etiam tam durus fuit vnquam, tam crudelis, tam immanis, & ab omni humanitate alienus tyrannus, vt ea suis subditis imperauerit, vel ab eis exegerit, quæ præstari ab ipsis non poterant?

Certe præpositi filiorum Israel, iure se naturæ tuebantur, cum vociferabantur ad Pharaonem, dicentes: *Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* Et vel hoc solo titulo, vbi alij, qui fuerunt, cessassent, iustum habuissent bellum contra Pharaonem, & quo iure, quaque iniuria se ab illa ferrea seruitute, vtcunque licuisset, potuissent eripere.

Exod. 5

Quorsum etiam Deus ea imperaret, vel postularet ab hominibus, quæ præstare ipsi non possunt? Neque bonorum nostrorum indiget, neque frustrà nouit aliquid facere, neque inuidus aut malignus est, vt credere possit quispiam querelas in nos eum inquirere, & occasiones, vt nos opprimat, captare. Saluare vult omnes, & neminem perire. Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui similis est tibi, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia tua. Longe abest ab illo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Neminem condemnabit frustrà. Ipsa enim iustitia est. Neque omnipotens subuertet iudicium.

Quis est autem, aut fuit vnquam virorum, vt Lutherus, qui bibit subsannationem quasi aquam, & graditur cum operantibus iniquitatem, & blasphemat cum viris impijs? Dixit enim: Non placebit vir Deo, neque illius mandatis faciet satis, etiamsi cucurrerit cum ipso, & quantum maxime possit, ei seruiat. Et vbi est, impie, libertas Euangelica, de cuius prædicatione te vbique iactabas? Quæ durior, aut ferrea magis potest esse seruitus? Si exactio grauissimorum & difficillimorum tributorum, inclementiam & crudelitatem arguit quouis in Principe, quis ferat, Deo optimo, maximo, benignissimo & suauissimo, dominantium omnium Domino, tantam iniuri blasphemiam, vt exigat ab imbecillis & misellis hominibus etiam impossibilia?

Profecto, vt cum stomacho pro Dei gloria loquar, nihil magis impium aut blasphemum in Deum comminisci potuit humana mortalitas, neque quid magis mentes hominum omnium ab illius amore posset auocare. Quid mihi prodest, si omni-

potens Deus meus sit, & infinitæ virtutis, nisi sit etiam benignus & bonus? Aut quomodo bonum & benignum possum credere, si à me exigat, quod exhibere ei non valeo? Quemadmodum eum amabo, quem amando, quantum possum, promereri non possum, vt me vel tantillulum amet?

Paulus ipso lumine naturali admonitus, constanter asserit, fidelem esse Deum, & negare se non posse, & iniustum fore, si oblitus fieretur obsequiorum, quæ ei impendunt sui serui, vel laborum, quos pro ipsius gloria tolerarunt. Et Hieronymus eum secutus, dicit: *Neq; enim iniustus est Dominus, vt tantum peccata condonet, & bonorum operum non meminerit.* Et alibi: *Reuera grandis iniustitia, si tantum peccata puniret, & bona opera non susciperet.*

Hieron. l. 2. Pelag. & contr. Iouin.

Et audet, qui se Euangelicum, & Apostoli Pauli imitatorem profitetur, de illa summa bonitate tantam impietatem docere, vt exigat à suis impossibilia? Non tibi satis erat, ô Luthere, de virginibus, de coniugibus, de Christi sacerdotibus, de Ecclesiæ Doctoribus, de sacramentis, de sanctis imaginibus, de præceptis, de Scriptura, de traditionibus Ecclesiasticis, ac denique de omni ordine & conditione hominum, de ipsis hominibus & operibus eorum, & de omnibus rebus sacris malè esse meritum, nisi etiam os poneres in cœlum, & Deo ipsi impingeres blasphemiam, quam nunquam barbari, nunquam sacrilegi, nunquam vlli impij, immo ne ipsi quidem Gentiles & idolatræ suis dijs & idolis, quod sciam, sunt ausi tribuere.

Extant vbique argumenta mirifica diuinæ in nos dilectionis, diuinæ suauitatis & benignitatis. Patent vbique miserationis ipsius erga nos viscera. Plena est terra, quoquouersum spectes, misericordia ipsius. Et tu nobis seueriorem eum facis in præcipiendo, quam benignum in adiuuando, vt quæ præcipit, à nobis impleantur? Credat vnusquisque, cui volet. Ego quidem in eum Deum neque credo, neque credam, neque Dominum eum, vel Principem pati vnquam potero, qui, quæ fieri non possunt, suis præcipiat. Quod si Deus exigeret à suis, quæ ipsi implere non possent, absit impietas verbo, audacter dicerem, neque bonum eum esse, neque iustum, sed iniquum & iniustum & impium, ac per hoc iam non Deum.

Quid, quod non solum iniurius est in Dei bonitatem Lutherus, sed & nostræ ipsorum naturæ, & diuinæ omnipotentiæ palàm in hoc errore aduersatur, & Manichæorum hæresim non tantum renouat, sed etiam exuperat, & nonnihil ei absurditatis accumulat. Quod enim illi voluntati nostræ, quam à malo principio conditam crediderè, tribuebant, vt peccatum vitare non posset, hoc Lutherus & ipsius sequaces voluntati nostræ impingunt, quàm à Deo optimo creatam cognoscunt. Et id quidem non solum nudæ voluntati abrogant, sed etiam voluntati iustificatæ, & diuina ope subnixæ, vt naturæ videlicet & conditoris ipsius manifestos aduersarios se probent, qui tantam vtriusque imbecillitatem tanta obstinatione profitentur.

CAPVT XIV.

De argumentis Lutheri contra possibilitatem mandatorum.

ACCEDAMVS tamen propius, & cominus cum hoste confligamur. Non reticebo quibus argumentis tantam sibi insaniam persuaserit Lutherus, & Germanos suos non fuerit veritus tam multis in libris edocere.

Primum & vltimum præceptum Decalogi potissimum profert, quæ constanter asserit nobis esse seruatu impossibilia. Manet, ait, etiam post baptismum in nobis concupiscentia carnis, quæ est transgressio ineuitabilis præcepti, *Non concupisces.* Argum. 1.

Et propter rixam & contentionem carnis fit, vt non possimus Deum diligere ex toto corde, sicut primo præcepto adstringimur. Quinimmo, quia contra omnia alia præcepta concupiscentia carnis inclinat: colligit, eam concupiscentiam, etiam citra consensum voluntatis, omnium esse virtute præceptorum transgressiones ineuitabiles. Et possumus hæc Lutheri argumenta sic corroborare. Argum. 2.

Nul-

Argum. 3. Nullus in hac vita potest, sicut præceptum est, Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota virtute sua. Necesse est enim, dum peregrinamur à Domino, aliqua præter Deum amare, aut saltem cogitare, & meminisse. Necesse est etiam alijs rebus, quam amori diuino, intendere. Eáque cum facimus, iam non Deum ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota nostra virtute amamus.

Argum. 4. Insuper: Non potest quispiam, dum hanc vitam agit, secundum legem communem, ita emortuum habere suum corpus, vt non aliquando caro concupiscat aduersus spiritum, reluctetúrque ei. *Caro siquidem* ait Paulus, *concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Galat. 5. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis.

Argum. 5. Item: Paulus, qui iugiter mortificationem Christi in suo corpore circunferebat, tamen adeo non erat liber ab hac concupiscentia, vt qui sibi placebat in persecutionibus & afflictionibus innumeris, tamen ea molestia grauatus, & vel ob eam, vitæ huius pertæsus, cogeretur sæpe exclamare: Rom. 7. *Infelix ego homo. quis me liberabit à corpre mortis huius?* Quis igitur tantum sibi arroget in hac peregrinatione, vt à transgressione huius præcepti possit esse liber?

Verum hæc argumenta non erit operosum diluere ei, qui sanum horum præceptorum sensum assecutus fuerit. Procedunt quippe ex ignoratione veræ eorum & germanæ intelligentiæ. Eamque ob causam dabimus nunc operam, & vt ea dilucide & clare exponamus, eorúmque declaratio, responsio erit ad hæc argumenta.

CAPVT XV.

De expositione illius præcepti, Non concupisces.

Propo. 1. ET vt à præceptis, carnalia nobis prohibentibus, incipiamus præcepto illo, *Non concupisces*: hoc in primis statuamus & certum habeamus, non esse nobis prohibitam concupiscentiam carnis, quæ naturalis est. Nam illa rebellio carnis ad spiritum, & furiosi illi motus & indomiti ardores libidinis, quos plerunque nolentes & inuiti patimur, quique sublimem illum & diuinum spiritum Pauli, ad ea quæ oderat, sæpe degrauabant, & ad ea quæ fugiebat, plerunq; deprimebant, nostræ potestati subiecti non sunt, & communes sunt nobis cum brutis & homini creato in puris naturalibus minime defuissent.

Sed enim prohibita est hoc præcepto Propo. 2. concupiscentia libera & voluntaria, qua quis, siue per appetitum intellectiuum, siue etiam per sensitiuum, libere sponteque sua mulierem non suam concupiscit. Atque ita Paulus velut fulgentissimum sidus, ac verus vtriusque testamenti sol, exponens hoc præceptum, non iussit, vt non inhabitaret in nobis hæc concupiscentia. Nouerat hoc metas excedere præcepti, neque à nobis id fieri, neque à Deo præcipi posse, pro hoc statu. Sed quid ait? *Non ergo regnet peccatum* Rom. 6. *in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.*

Quod igitur hoc præcepto est prohibitum, id duntaxat est, ne patiamur nobis sic dominari concupiscentiam carnis, vt sponte nostra acquiescamus & consentiamus illi, & eos affectus & motus turpes libenter & voluntarie continuemus, quos ipsa per se caro ad malum prona, in nobis naturaliter excitauerit. Tunc etenim vere regnat in nobis & dominatur concupiscentia carnis, quam peccatum aperte hic appellat Paulus, cum nos ei obedimus, & sponte nostra nos illius concupiscentijs subdimus, & naturalia carnis desideria, spontanea & voluntaria facimus. Itaque vt vno verbo dicamus, non pugna carnis contra rationem, sed victoria ipsius de nobis, prohibita est, & seruitus nostra.

Et ita intellexit hæc verba Pauli Gregorius: *Peccatum*, inquit, *in mortali corpore non* Gregor. 21. Mo. c. 3. *esse, sed regnare, prohibuit: quia in carne corruptibili non regnare potest, non esse non potest.* Et subscribit Richardus de sancto Victore, his Rich. 2. de Emanu. cap. vlt. verbis: *Ceteris sanctis in commune præcipitur, vt in mortali corpore peccatum non regnet: soli isti (loquitur de Deipara virgine) singulariter datur, vt mortale corpus eius peccatum non inhabitet.. Non*

regnet, inquit Apostolus, peccatum in vestro mortali corpore. Ecce pracipit, vt non regnet: sed nunquid, vt non inhabitet? Hæc ille.

Neque mouere quenquam debet, quod Paulus concupiscentiam hanc appellauit peccatum. Varie namque accipitur peccatum in scripturis. Et quamuis proprie peccatum idem sit, quod culpa aut offensa Dei, vel sicut Ambrosius diffinit, cœlestium inobedientia mandatorum: tamen aliquando peccatum abusiue vocatur hostia pro peccato, & frequenter sic vsurpatur in veteri testamento. Et Paulus more Hebræorum appellauit Christum peccatum, dicens de patre cœlesti: *Eum qui non nouerat peccatum*, scilicet Christum, *pro nobis peccatum fecit.* Et alibi: *De peccato damnauit peccatum in carne.*

Peccati acceptiones 3.

1.

2.

2. Cor. 5.

Rom. 8.

3.

Aliquando etiam vocatur peccatum, quod affectus est vel sequela seu pœna peccati, vel quod trahit, aut allicit, vel inclinat ad peccatum. Consuetum namque est & in scriptura, & in communibus nostris colloquijs, vt effectus appellentur nominibus causarum, & econtrario. Et hac ratione vocauit Paulus concupiscentiam carnis, peccatum: quia effectus est & pœna peccati, vel certe quia trahit & inclinat peccatum: non autem quod eam crediderit proprie esse peccatum, id est, diuini transgressionem mandati.

Qua de re copiose differuit Diuus Augustinus multis in locis, sed præcipue in libro de nuptijs & concupiscentia ad Valerium per multa capita, & lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 24. & lib. 14. cap. 10. Et ex multis quæ eleganter super hac re dicit, duntaxat subijciam hic quædam illius verba ex capit. 13. libri primi contra duas epistolas Pelagianorum: *Hæc, inquit, concupiscentia carnis, etiamsi vocatur peccatum, non vtique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur. Sicut scriptura, manus cuiusque dicitur, quod manu eam fecerit.*

Et vt omnis cesset iam ambiguitas, confirmata est hæc expositio à Patribus in hoc Concilio Tridentino Sess. 5. canon. 5. & definitum est, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse hanc concupiscentiam appellari peccatum, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quod ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Itaque ex hoc præcepto, *Non concupisces*: male colligit Lutherus, Deum præcepisse nobis aliquid impossibile. Non enim prohibita est hic concupiscentia carnis, quæ inevitabilis est, sed spontanea & voluntaria.

CAPVT XVI.

Expugnantur aliena quædam intelligentia præcepti diligendi Deum.

NEQVE firmior est aut validior collectio, quam ex primo præcepto idem Lutherus fecit. Quod quidem in procliui fuisset illi agnoscere, si superbum illum suum & arrogantem spiritum ad hoc inflectere voluisset, vt quam non assequebatur præcepti intelligentiam, eam ex sanctis Doctoribus, aut certe ex aliorum scripturæ locorum collatione mendicare maluisset, quam ex suo cerebro.

Ne vero nos etiam à germana huius præcepti intelligentia aberremus, in quo, teste August. epist. 120. summa & vera sapientia est, operæ precium erit in primis, falsas quorundam ipsius interpretationes impugnare.

Ac primo quidem illud certissimo statuendum est, non exigi à nobis hoc præcepto, vt Deum solum cogitemus & amemus, vel vt vni solummodo ipsius amori studeamus. Quis amens ita desipiat? An non statim subiectum est præceptum de dilectione proximi, & particulatim de honorandis parentibus? Ipse certe Deus, qui iussit vt se amaremus, iussit vt amaremus & proximum, & vt honoraremus parentes. Porro amor proximi, si verus est & non simulatus, aliquam partem cordis, mentis & animæ nostræ requirit. Et necesse erit, si aliud dicamus, concedere, præcepta inter se repugnare, neque beatos hoc præceptum implere: Quoniam licet beati hac gaudeant felicitate, qua nos caremus, vt semper & absque vlla intermissione supra se, & omnia alia à se, & ex totis viribus suis Deum diligant, & per omnia illius sint voluntati conformes, hisque de causis perfectius hoc impleant præceptum, quam nos, Propos. 1.

tamen

tamen & aliis etiam cogitare, & seipsos & hos maxime amare certum est.

Nequeid vetat, quo minus verissime & perfectissime Deum censeantur amare ex toto corde. Amant enim, quæ amant, in Deo, & ad Deum, & propter Deum. Immo amor ipse aliorum à Deo, amor quoque ipsius Dei in ipsis est. Perfectissimus namque proximorum amor, quem non est dubium eos habere, est amor quo gaudent vel cupiunt Deum ab eis amari, & ipsius gloriæ per omnia eos seruire.

Prop. 2. Neq; hoc præcepto nobis est indictum, vt Deum sic diligamus ex omnibus viribus nostris, vt nulla in nobis vis, ipsius mandatis obluctetur. Nouit Deus figmentum nostrum. Nouit carnem nos esse. Neque ignorat, quod nobis persæpe inuitis caro resultat spiritui, & nunc in vetita infrenis & indomita fuerit, nunc ad præcepta languescit & obmurmurat. Et si hæc nobis sub præcepto isto indicta essent, nemo profecto hactenus præcepta Dei in via, excepta solum Deipara virgine, seruasset. Cuius contrarium cap. 10. luculenter satis commonstrauimus. Quis fuit enim mortalium, qui non aliquam carnis seu fomitis incursionem passus fuerit? Qui non aliorum à Deo motum habuerit? Qui denique non de aliquo nonnunquam sollicitus fuerit? Sane si hæc necessaria essent, vt toto corde Deum diligeremus, eadem & necessaria forent, vt Deum toto corde quæreremus. Et frustra dixisset Deus per Mosen: *Inuenies Deum, si tamen toto corde, & tota tribulatione animæ tuæ quæsieris eum.* Siquidem possibile non est vt sic quispiam in hac vita cum requirat.

Propos. 3. Tantum vero hæc omnia absunt à fidelitate & suauitate Dei, & ab eximia charitate, qua nos prosequitur, vt non dubitem pro certo & constanti ab omnibus esse credendum, asserere, neque hoc quidem his verbis, *Toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus*, à nobis Deum exegisse, vt quanto maximo poterimus, nixu & conatu eum amemus. Nihil equidem habuisset Lutherus à nobis requisitum, esse impossibile, si hoc nobis Deus sub præcepto edixisset.

Sed non est adeo difficilis & [illegible] illa summa benignitas. Leuioribus & [illegible]ribus contenta est. Ne ipso quidem profecto tempore, quo ad eum amandum tenemur, ad tantum feruorem & intensionem amoris obligat. Sicut alia amare & curare, quæ nobis commoda sunt, permisit: ita qui bonorum nostrorum non indiget, nec ipsum amoris præceptum graue esse, & aliquam quoque partem conatus nostri & facultatis, ab eo mandato suspendere indulsit. *Sentite*, inquit Salomon, *de Domino in bonitate.* Sap. 1. Et bonum & clementem principem haudquaquam tam graue præceptum de sui dilectione decet. Quæ posset esse pax in conscientia, quæ lætitia, quæ tranquillitas, si tam graue nobis esset iugum impositum? Nullus quippe nostrum, ne probabiliter quidem potest scire, sic se Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex totis visceribus dilexisse. Quia nemo scire potest, quantæ intensionis sit feruentissimus, quem habere potest, amor.

Quid ergo tandem, inquies, hæc tanta tam grauia verba sibi volunt? Quid à nobis exigunt, & postulant? Nunquid & hæc quoq; hyperbolice dicta accipienda sunt, sicut & illa quæ mox subiecit scriptura? *Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostiis domus tuæ.*

Quibus quidem verbis non illa præcepta sunt, quæ superstitiosi Pharisæi dicuntur intellexisse, dum iuxta corticem & verba ipsa literæ ea seruabant, alligantes mandata manibus, appendentesque fronti & oris vestimentorum: sed iugis duntaxat & assidua quædam præscripta est memoria, & meditatio, & traditio perpetua mandatorum diuinorum ad posteros. Nunquid igitur & his verbis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, hoc solum nobis præceptum est, vt Deum studiose, solicite, intente, & feruenter diligamus?

Absit, vt primum & maximum manda- Expositio [illegible]
tum.

tum hyperbolice nobis traditum esse credamus. Non conueniunt hi tropi mandatis. Et cum Christus hoc mandatum, primum & maximum dicit, aliquid nobis maius illis verborum circumstantijs commendatum esse nobis & impositum significauit.

Exposit. 5. Neque probare possum, quod quidam adeo frigidè hoc mandatum interpretantur, vt propter quædam verba Bernardi, asseuerent tantam Dei dilectionem, ex toto scilicet corde, mente, anima, & vniuersis viribus, non esse viatoribus iussam affectu, sed in actu: proximorum vero dilectionis mandatum, affectu magis quam operibus esse implendum.

Ser. 50. super Can.

Profecto verbum dilectionis seu amoris, animum magis respicit, quam exteriores vires. Et præcepta hæc duo diligendi Deum, & proximum, amoris sunt & charitatis præcepta. Et eodem modo, quod attinet ad substantiam operis, in eis præscripti, sunt interpretanda. Neque difficultatem, quæ nos vrget, hac via euadimus. Siquidem non est difficilius in effectu seruire Deo ex toto corde, anima, mente, & cæteris viribus, quam in affectu. Et male sane officia charitatis proximis ex hibebimus, si non intus viuida sit in nobis, & feruens erga illos charitas. Beneficentia nimirum ex beneuolentia oritur.

Exposit. 6. Neque oportet Catholicum, ne per somnium quidem, credere, præceptum diligendi Deum, ad affectus interiores duntaxat referri: præceptum vero diligendi proximum, ad officia exteriora. Quid hoc esset aliud, quam in eam sententiam declinare, quam nonnulli ex Protestantibus inuehere orbi moliuntur, dum præcepta primæ tabulæ, à præceptis secundæ tabulæ per opera interna & externa distinguunt?

Error Lutheranorũ. Equidem ne in adeo peruersam expositionem laberemur, adiectum esse crediderim ab Spiritu sancto verbum illud, Ex omnibus viribus tuis. Qui enim non contentus corde, mente, anima, sed insuper & vniuersis viribus nostris petit se amari, profecto etiam officia exteriora, quæ amoris interni & signa sint & effectus, à nobis efflagitat. Et distinctio ista primæ tabulæ à secunda, per opera interna & externa, noua est, & de suo ab eis capite conficta, & vt nihil grauius dicam, est certe iudicio nostro illa ineptissima.

Et sane demiror homines, qui vel tantisper gustarint sacras literas, in tantam potuisse incidere cæcitatem. Neque nos sine causa reos eos facimus vsque adeo ineptæ distinctionis. In colloquijs suis & apologijs, & nominatim in Apologia Augustana, frequens est, posse à nobis per libertatem arbitrij nostri absq; gratia diuina fieri opera externa & ciuilia secundæ tabulæ, non tamen illa, quæ ad primam tabulam pertinent, & sunt proprie legis diuinæ: videlicet diligere Deum ex toto corde, timere Deũ, confidere Deo, credere verbo Dei, firmare fiduciam, ne vincat dubitatio de adepta gratia, & de promissionibus diuinis, & huiusmodi. Et Philippus in loco communi de bonis operibus, & Bucerus in concordantia controuersiarum, accusant & insimulant nos, quod doctrinam operum præclare tradimus, de externa scilicet hypocrisi, deque humanis cæremonijs, opera vero primæ tabulæ & fontem bonorum operum ignoramus & obruimus.

Et sæpe etiam alibi suggillant nos, quod tantum intueamur præcepta politica & externa, quæ pertinent ad secundam tabulam, & iustitiam philosophicam: non autem interna, quæ pertinent ad primam tabulam, & in quibus proprie est lex diuina. Et hausisse videntur huius doctrinæ partem aliquam à suo præceptore Luthero, qui in libro de libertate Christiana nihil ait prodesse opera externa, versari in locis & officijs sacris, ieiunare, voce orare, immo neq; interiores speculationes vel meditationes, præter vnam fidem & fiduciam.

Sed quanta hic sunt hæreseon monstra & commenta? An non qui primam tabulã nobis dedit, dedit & secundam? Cur igitur audetis, ô cæci, externam hypocrisim appellare, quæ dicitis spectare ad secundam tabulam? Quod si non vestros ad eiusmodi opera externa refertis sermones, cur ea contra primam tabulam distinguitis? Impug.

Hypo-

Hypocrisis certe simulatio est exterior eius, quod non habetur in corde.

Opera externa cur a nobis requirantur.

Opera autem seu officia externa charitatis ex corde & interiori in ipsos amore procedunt. Et non tantum signa sunt interiorum affectuum, neque solum à Deo requiruntur vt protestationes latentium virtutum, fidei, spei, & charitatis, sed etiam vt officia, quæ par est eos exercere, qui ex corpore & anima constant. Nam constitutis huiusmodi partibus, Deo omnium authori vtrisque in primis seruiamus oportet, & cor nostrum & caro nostra, iustissimum est, exultent cum Dauide in ipsum, qui vtrunque dedit. Et anima corpus, & corpus animam his assolent se ad Deo obsequendum alacrius & licentius congaudendum ipsius gloriæ, & præstandum quæ exigimur, vicissim fouere & excitare. Ac deinde proximis, qui vtriusque partis subsidijs & adiumentis indigent, necesse est & vtraque parte nostra pro virili inseruire, & eos nobis non tantum affectu intimo, sed officijs & obsequijs externis palam & aperte, vt pax constet & charitas, conciliare, delinire, promereri, ac vincere.

Non distinguitur tab. 1. & 2. per opera interna & externa.

Si iustitia Christiana in obseruantia mandatorum Dei consistit, vt iam ipsi vtcunque fatentur, consequens est omnino, vt non tantum ad iustitiam Philosophicam, sed etiam ad Christianam & Euangelicam pertinere opera externa, quæ in secunda tabula sunt præcepta, fateantur. Et quæ ista stultitia est, intima opera ad primam duntaxat tabulam referre, extera vero ad secundam?

Argum. 1.

Nonne primæ tabulæ præceptum requirit, vt diligamus affectu & effectu?

Argum. 2.

Argum. 3.

Et tertium præceptum primæ tabulæ, an non manifeste est de cultu exteriori Dei? Et secundo quid cauetur aliud, quam ne exterius nomen eius periurio aut blasphemia prophanetur?

Argum. 4.

Præceptum etiam secundæ tabulæ, *Non concupisces* concupiscentiam interiorem certe prohibet.

Argum. 5.

In præcepto primo de honorandis parentibus, pius in parentes affectus indicitur.

Argum. 6.

Et mandatum nouum Christi, quodque vnum signaculum esse voluit & certissimum symbolum, quo discipuli sui à cæteris dignoscerentur, mandatum nimirum fuit de interiore dilectione cordis. Hoc mandatum habemus à Deo, inquit Ioannes, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. & multa in ea epistola replicat, quo ostendat nihil nobis esse sanctius aut religiosus mandatum à Christo, quam mutuam animorum nostrorum charitatem & dilectionem.

Et Paulus cum præstanda omnibus exteriora officia tradidisset illis verbis, *Redditeomnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, &c.* Rom. 13. mox adiecit, *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Sed quid mirum, si transgressores mandatorum diuinorum, tam multis in eis exponendis labantur? Errant & in exponendis internis ipsis operibus, quæ in prima tabula præcipiuntur, & quorum sibi doctrinam intolerabili supercilio arrogant. Non enim spectat ad primam tabulam persuasio illa certa de adepta iam iustificatione & gratia diuina, quam nunquam non inculcant. Non hoc nobis edixit vnquam Deus sub præcepto, vt credamus, vt libro nono abunde ostendimus: sed credere ei, fidere ipsi, timere illum, laudare, diligere, colere, nullum alium Deum nosse, nomen illius sanctificare, & non prophanare.

Distinctio vera tabulæ 1. & 2.

Et distinctio certa primę tabulæ à secunda, ex illis demum, circa quæ versantur, colligenda est. Quæ enim nos instruunt in his, quæ ad cultum, gloriam, pietatem, & amorem Dei pertinent, quæque his aduersantia, interdicunt, præcepta sunt primæ tabulæ, siue ad interna referantur opera, siue ad externa. Quæ autem in proximos nos instituunt, & vel interiores erga ipsos animi affectus, vel exteriora eis debita officia præscribunt, aut his contraria vetant, ea nimirum ad secundam tabulam spectant.

Neq; ignoramus, vt calumniantur Protestantes, internam iustitiam; quin illam multis nominibus præferimus externæ. Neque præcepta secundæ tabulæ præcipue intuemur, sed illa necessaria omnibus, venetanda, seruanda & amplectenda esse tradimus: verum longissimis interuallis exu-

peraci à præceptis primæ tabulæ, certo scimus & constanter docemus.

Et hoc tandem, vt ad propositum nostrum regrediamur, modo contendimus, non esse affectu & effectu distinguendum præceptum diligendi Deum, à præcepto diligendi proximum, sed vtrunque vtroque esse implendum, & affectum & effectum ad vtriusq; impletionem esse necessarium. Et id confidimus, ipsis vel repugnantibus, vel inuitis, Catholicis omnibus ex prædictis esse persuadendum.

CAPVT VII.

De legitima intelligentia præcepti diligendi Deum ex toto corde.

INTERMISSIS igitur his & alijs distortis & adulterinis expositionibus, quantum possum ex multis alijs scripturæ locis, & ex Ecclesiasticis doctoribus, & nonnullis efficacibus argumentis colligere, genuinus huius præcepti diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omnibus viribus nostris, sensus est, vt Deū sic diligamus & colamus, si quæ ei credamus & seruiamus & in eo speremus, vt non partem nostrorum affectuum & virium, ipsius cultui & amori impendamus, & partem alienis & factitijs dijs.

Voluit quippe Dominus hoc præcepto à nobis exigere, vt non eum diligamus & colamus, sicut gentes illæ, quas Regum historia commemorat, Dominum quidem coluisse & timuisse, sed nihilominus & idolis suis seruisse. Patiebantur quidem alij dij, quos stulti Gentiles colebant & adorabant, alios deos secum coli. Quia dæmones, quorum impulsu ea illi vel patiebantur, vel pati videbantur, se sibi vtcunq; voti compotes fieri agnoscebant. Nam in omnibus & ita in illis atque in dijs, vel idolis se coli sciebant: & quarumcunque creaturarum adorationem persuasa, habebant quod volebant, nempe vt auerterent homines à vero Dei cultu.

At vero Deus, qui optime nouit, se vnum esse verum Deum, neque alium posse esse ei parem, se solum diligi & coli, vt verum Deum, semper voluit, idq; hoc primo præcepto ab omnibus requisiuit. Eaque ratione, vt doctissime adnotauit diuus Augustinus prudentes Romani, tametsi Fortunæ & Quartanæ templa dicarunt, & omnibus dijs ceterarum, quas suæ ditioni subiugabant, templa vel statuas mox consecrabant, nunquam tamen Deo Israel templum erexerunt, neque eum coluerunt, aut receperunt. Intellexerunt enim sapientes viri, cum non posse rite & iuxta suas leges coli, nisi abiectis omnibus alijs dijs. *Aug. de consen. Euang. lib. 1. c. 12.*

Et cùm nondum ea virtute & sapientia præditi essent, vt eum solum Deum colerent, & colendum esse intelligerent, ne alios omnes deos ex quadam rationis consequentia, à se expellere cogerentur, eum nunquam ante susceptam Christi fidem receperunt.

Non prohibuit itaque Deus hoc præcepto alia à se, amari, cogitari, aut appeti, neque voluit, vt vni ipsius amori, & quam ardentissime possemus, vacaremus: Sed voluit, neque affectu, neque appetitu, neque sensu, neque viribus nostris exterioribus alij à se, vt vero Deo, nos seruire. Totum certe, idem est quod integrum, perfectum, non diuisum. Is ergo demum censendus est Deum diligere ex toto corde, qui non diuidit suum affectum in alium Deum. Et is tota mente, qui non adhibet fidem alijs sectis & doctrinis repugnantibus fidei diuinæ. Et is tota anima, qui non diuidit sensum & appetitum sensitiuum in aliqua à Deo prohibita. Et is tota virtute, qui non diuidit suæ animæ vires in cultum aut obsequium alterius Dei. Nam qui amat aut colit creaturas propter Deum, vel sub Deo, quique illis seruit, aut alia à Deo cogitat, aut alijs operibus, quam amori Dei, studet, propter Deum tamen, vel sub Deo, aut saltem non contra Deum, neque ea Deo præferens aut exæquans, is non potest dici diuidere affectum suum. Vt enim Philosophus inquit, vbi vnum propter alterum, ibi tantum vnum. Et vide vt hæc quæ obscura esse poterant, alijs in locis scripturæ nobis palam disseruit. Propterea Samuel cum ad huius præcepti obseruationem suum populum.

lum Iſraeliticum hortabatur, dicebat: *Si in* 1. Reg. 7. *toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri Baalim & Aſtaroth, & preparate corda veſtra Domino, & ſeruite ei ſoli.* Et cum idem faciebat Elias, aiebat: 3. Reg. 18. *Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini eum.* Et quia Hieroboan coluit vitulos aureos, & ad eos colendos induxit populum Iſrael, tametſi non legatur à Dei cultu & fide ex toto receſſiſſe, factus eſt ſermo Domini ad eum per Ahiam prophetam, di- 14. cens: *Non fuiſti ſicut Dauid ſeruus meus, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo.*

Ecce Dauid dicitur ſecutus Dominum in toto corde ſuo, quia cuſtodiuit mandata Domini, & non erexit ſibi deos alienos & conflatiles. Et Hieroboan, quia illos erexit, aſſeritur non fuiſſe ſecutus Deum in toto corde ſuo. Et hac de cauſa etiam Ec- Eccleſ. 47. cleſiaſticus ſcripſit de Dauid: *De omni corde ſuo laudauit Dominum, & dilexit eum, qui fecit* Pſalm. 118. *illum.* Et ipſe Dauid, quia conſcius ſibi erat, non ſic diuiſiſſe cor in duas partes, confidenter dicebat: *In toto corde meo exquiſiui te.* Et rurſus: *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo*: Quia videlicet, non ad alium Deum confugiebat, neq; ab alio auxilium 2. Par. 6. ſibi poſtulabat. Et ſic accepit Salomon, ambulare in toto corde, cum ad Deum orauit, dicens: *Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui in cœlo & in terra qui cuſtodis pactum & miſericordiam cum ſeruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde ſuo.* Et alibi, cum dixiſſet, *Habe* Prouerb. 3. *fiduciam in Domino ex toto corde tuo*, velut explicans quid eſſet, confidere in Domino ex toto corde: mox adiecit, *Et ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et quoniam rex Aſa abſtulit idola de omni terra Iuda & de Beniamin, & ex vrbibus, quas ceperat montis Ephraim, & dedicato altari Domino, intrauit ex more in templum ad corroborandum fœdus inter Deum & populum, vt quærerent Dominum in toto corde & in tota anima ſua, ſubdit ſcriptura, eos iuraſſe voce magna in iubilo, & inueniſſe Deum, quia in omni corde ſuo iurauerunt, & in tota voluntate ſua quæſierunt Deum.

Et de Iehu rege Iſrael, quamuis aliqua recte & ſtudioſe iuxta voluntatem Domini fecerit, quia tamen non dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel & Dan, ſic loquitur ſcriptura: *Porro Iehu non cuſtodiuit,* 4. Reg. 10. *vt ambularet in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo. Non enim receßit à peccatis Hieroboan, qui peccare fecit Iſrael.* Et quia Moſes dixerat, *Inuenies Deum ſi tamen toto corde & tota tribula-* Deut. 4. *tione animæ tuæ quæſieris eum*, Salomon exponens quid eſſet, In toto corde quærere Dominum, dixit: *In ſimplicitate cordis quærite il-* Sap. 1. *lum.* Et vt hanc ſimplicitatem, quæ duplicitati & diuiſioni cordis opponitur, explicaret, adiecit ſtatim: *Quoniam inuenitur ab eis, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.*

Et vt ſciremus hunc eſſe germanum huius præcepti ſenſum, poſt illa verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: ſtatim in Deuteronomio ſubiecta hæc legimus: *Caue diligenter ne obliuiſcaris Domini Dei tui, qui* Deut. 6. *eduxit te de terra Ægypti: Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis. Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis. Cuſtodi præcepta Domini Dei tui, ac teſtimonia & cæremonias, quas præcepit tibi, & fac, quod beneplacitum eſt & bonum in conſpectu Domini, vt bene ſit tibi.* Indicatum quippe eſt nobis in his verbis, cum vere diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute, qui ſic eum diligit, colit, obſeruat, ac præ oculis habet, & in eo confidit, vt nulli alieno Deo ſeruiat, ſed vnius ipſius Dei mandata obſeruet.

Quo verò apertius hoc eſſet, Deum velle, vt & alia mandata ex toto corde ſeruaremus, expreßit Moſes, dicens: *Hodie Do-* 26. *minus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc atque iudicia, vt cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Et concinit ei regius propheta, his verbis: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Quid eſt a- Pſalm. 118. liud, *Nimis*, vel, *Ex toto corde* ſeruare mandata diuina: quàm, Sic ea ſeruare, vt nihil eis aduerſum & repugnans admittamus? Profecto ab obſeruatione alicuius man-

dati ex toto corde, non recedit, qui alia mandata implet, aut quæuis alia facit, quæ illi mandato non aduersantur. Neque igitur præteribit mandatum de diligendo Deum ex toto corde, nisi qui aliqua, repugnantia vnius Dei dilectioni, aut crediderit, aut amauerit, aut fecerit.

Et licet Christus dixerit, mandatum hoc de diligendo Deum ex toto corde primum esse & maximum mandatum legis, tamen in Exodo, vbi primum legimus decem præcepta decalogi, neque amor, neque memoria creatarum interdicitur, neque studium aliarum rerum ab amore diuino prohibetur: sed expresse & aperte duntaxat id stricte cauentur, quæ ad idolatriam spectant, ne habeantur dij alieni, ne fiant sculptilia, aut imagines creaturarum, ne adorentur ea aut colantur. Vt intelligeremus nimirum, ab eis diligi Deum ex toto corde, qui sic diligunt eum, vt neque actu, neque virtute aliquam creaturarum ei præferant, aut ex æquo cum illo ament, vel colant.

Neque aliud profecto fuit, quod Dominus à suo populo exigebat, cum ei per Mosen dicebat: *Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.* Vt enim antecedentia & consequentia manifeste indicant, & sua nobis authoritate exposuit Hieronymus, 1. con. Pel. *Perfectus ibi dicitur, non qui cunctas virtutes habet, sed qui perfectum & vnum sequitur Deum.* Et ideo Ezechias in oratione sua dixit: *Obsecro Domine, memento quomodo ambulauerim in conspectu tuo in veritate & corde perfecto.* Dissipauerat quippe excelsa contriuerat statuas, succiderat lucos, & omnem denique idolatriæ ritum à populo abstulerat.

Deut. 18.

4. Reg. 20.

CAPVT XVIII.

De quadam expositione præcepti diligendi Deum, neque omnino eadem, neque in totum, ab statim tradita, diuersa.

HVic expositioni conueniunt aliquantulum, qui asserunt his verbis, *Ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota virtute:* hoc esse nobis præscriptum, vt Deum sic diligamus, vt neque affectu, neque intellectu, neque sensu, neque vi aliqua exteriori, aliquod Dei præceptum mandatum, sed his potius potentijs omnibus, omnia singulis præscripta mandata, suo loco & tempore compleamus. Et quia in idem recidebat, aliquando sic laudat Deus regem Dauidem, vt dicat illum secutum fuisse Dominum in toto corde suo: aliquando vero sic, vt dicat illum custodisse omnia mandata ipsius. Et insigne illud & eximium testimonium Ezechiæ perhibuit scriptura: *Similis illi non fuit ante illum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua & vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* Et hanc esse veram Dei dilectionem, quæ facit, vt omnibus nostris viribus affirmatiua mandata nobis imposita seruemus, & ab omnium negatiuorum transgressione abstineamus, Christus ipse explicuit, cum dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et iterum: *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* Et Ioannes idem exponit, dicens: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Et rursus: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua sed opere & veritate.* Et his concinit verbum Gregorij: *Vere Deum diligimus, si ad mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus.* Atque hæc expositio nonnihil conuenit cum ea, quam statim præmisimus aut certe nihil ei repugnat. Nam qui sic affecti sunt, Deum ita diligunt, vt nihil ei neque anteferant, neque exæquent. Sicut & qui aliquid contra Dei voluntatem & præceptum vel opere, vel affectu scientes admittunt, illud vtique illi præferunt, cuius gratia sic operantur, & iam Deum quendam alium, recentem actu vel virtute sibi constituunt. Vnde & Paulus hac ratione auaritiam dicit esse idolorum seruitutem, & gulosis Deum esse suum ipsorum ventrem asseuerat. Et huc spectat, quod Augustinus dicit nobis esse præceptum his verbis, *Ex toto corde, Ex tota anima, Ex tota mente:* vt nulla alia re velimus frui, neque aliqua vitæ nostræ pars vacet, & quasi locum det, vt alia re fruamur: sed quicquid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur, quo impetus

Ioan. 14.
Ibidem.
1. Ioan. 5.
Hom. 30. in Euang.
1. de doct. Chr. c. 22.

tus dilectionis currit. Dixi autem nonnihil conuenire hanc expositionem cum ea, quam ante statueramus, & non dixi eandem esse, aut ex toto cum ea conuenire: quia si quis quærat à nobis, quid formaliter nobis hoc præcepto sit mandatum, non dicam mandatum esse, vt seruemus omnia mandata diuina, aut quod nulla alia re fruamur, hæc tantum virtute & velut ex consequenti sub eo continentur: mandatum vero, formaliter per hoc præceptum, est, vt Deum amemus & colamus, vt solum verum Deum: & vt nulli alteri, vt Deo, actu & vere seruiamus. Et aliàs oportebit duo fateri, quorum vtrumque est absurdum.

Primum est, omnem peccantem contra aliquod mandatum, peccare contra primum mandatum, & consequenter contra duo præcepta. Secundum est, hoc mandatum non esse primum, neque distingui à cæteris. Ab his autem incommodis liberi erimus, si distinguamus illud quod formaliter, ab eo quod virtute & interpretatiue per hoc præceptum nobis est præscriptum. Nam ex parte eius, quod formaliter sub hoc cadit præcepto, primum & maximum est, & à cæteris distinguitur. Ex parte autem illius, ad quod duntaxat virtute pertingit, non est aliquod peculiare præceptum, sed est quoddam velut genericum præceptum, distributum, & explicatum per cætera præcepta. Et ex hac parte Christus, & Ioannes, & Augustinus, & Gregorius, subiecêre huic mandato obseruantiam omnium mandatorum in locis statim citatis. Et qui hæc non assecutus est, ausus est dicere, hoc præceptum non contineri intra Decalogum, sed esse præambulum toti Decalogo, & primum præceptum non esse formaliter dilectionis, sed esse ipsius explicationem, & principium esse, Vnum cole Deum. Quod si verum esset, nunquam Christus dixisset, primum & maximum mandatum esse, Diliges Dominum Deum tuum: neque distinxisset contra mandatum de dilectione proximi. Et si ob id negabat, hoc præceptum diligendi Deum, primum esse, quia non sic formaliter habetur in Exodo: neque debuisset etiam primum dicere, Vnum cole Deum, quod ibi non sic expresse habetur, & ad tertium præceptum potius spectat. Etsi præceptum de diligendo Deo, non sic expresse ponitur, vt primum in Exodo, satis est, omnibus alijs præmitti in Deuter. vt à Christo diceretur primum. Et aliàs cogeremur vndecim præcepta ponere. Neque negatur enim, neque potest negari, distinctum esse à cæteris præceptum de dilectione Dei. Itaque, vt compendio dicamus, præceptum hoc ex parte est affirmatiuum, & ex parte negatiuum. Affirmatiuum est, quia exigit, vt Deum diligamus & vt ei omnibus nostris viribus, & interioribus & exterioribus, suo tamen loco & tempore, vere & non ficte seruiamus. Negatiuum est, quia cum totum cor, totam animam, totam mentem, & totam virtutem requirat, eo ipso postulat, vt nulli alij vt Deo, actu vel virtute istis viribus nostris seruiamus. Licet igitur beati perfectius impleant hoc præceptum quam nos, quia nos hîc sicut ex parte cognoscimus, ita etiam ex parte diligimus: tamen qui Deum sic diligunt in hac vita, vt nullum sibi alium Deum constituant, nullum ament, nullum colant, nullum sibi alium persuadeant, aut in aliquo alio confidant, licet tepidè, & non absque intermissione Deum ament, & alijs rebus amore & studio inhæreant, aliaque nonnunquam cogitent & operentur, & nonnullas tentationes aduersus Dei mandata patiantur, implent reuera & ipsi, vt ex omnibus his patet, hoc præceptum, quantùm satis est pro ipsius obligatione. Itaque cùm hæc omnia factu sint possibilia, &, si velimus, facilia, nihil habet ex hoc præcepto Lutherus, quo cuiquam persuadere possit, Deum nobis aliquid mandasse impossibile.

Præceptum diligendi Deum, & generale, & peculiare diuersis rationibus.

Præceptum diligendi Deum, partim est affirmatiuum, partim negatiuum.

CAPVT XIX.

De manifesta quadam Lutheri circa hæc contradictione.

NEQVE silentio prætereundum est, manifeste sibijpsi in his contradixisse Lutherum, dum seruatu impossibile hoc

præceptum tradit. Nam cum de peccatorum confessione differit, ita probat non oportere confiteri venialia, immo neque omnia mortalia, quia impossibile est omnia mortalia cognoscere, ad impossibile autem, dicit, nemo obligatur. Et alibi contra primatum Petri sic argumentatur: Omnia quæ Deus præcepit, sunt ab aliquibus impleta. Primatus Petri ne vna quidem hora impletus est. Non est igitur ille à Deo præceptus vel promissus.

Est etiam hic error repugnans errori, quo tuetur homines iustificari per solam fidem. Immo plane omnem iustificationem tollit. Etsi ad iustificatos hoc dogma suum de impossibilitate præceptorum extendit, vt quidem extendisse videtur, quia generaliter & indistincte omnibus dicit, primum & vltimum præceptum esse impossibilia, ipse etiam error manifeste sibipsi aduersatur & repugnat. Quomodo enim iustus aut iustificatus quispiam esse potest, qui non modo præceptum hoc primum & maximum de diligendo Deo, non impleuit, verum in ipsius perpetua transgressione semper est? Iacobus dicit: *Quicunq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus.* Qui ergo omnium mandatorum est reus, iustus esse qui potest? Iacob. 2

Deinde quod satis est ad perdendum gratiam, satis est profecto & ad impediendum ipsius acquisitionem. Si igitur iustificati gratiam perdimus, mox vt incidimus in quancunque præcepti transgressionem: nunquam certe eam acquiremus, qui iugiter permanemus in huius præcepti transgressione. Nunquid Deus aliquando peccatorem, perseuerantem in peccato, iustificat? Nunquid gratia & peccatum mortale, simul possunt esse? Nunquid Deo quisquam potest esse simul carus & exosus? Ego quidem nulla ratione possum intelligere, quorsum Deus aliquem iustificat, quin plane mihi videre videor, fieri non posse, vt quemquam Deus è nobis iustificet, si præcepta, ea præsertim, quæ pro omni tempore nos obligare creduntur, iustificatis sunt impossibilia. Necesse est quippe, iustificationem donatam statim perdere, & qua ratione quisquam è nobis crederetur perdere, eadem omnino necesse est fateri, neque vnquam illam acquisisse. Tam enim reus erat mandati, cum eam consecutus existimaretur, ac cum creditur perdere. Insuper: Omnes iustos Deus diligit, & omnes præuaricatores odio habet. Qui ei sunt cari, iusti sunt, & præcepta ipsius implent. Qui ipsius mandata transgrediuntur, neque iusti possunt esse, neque summæ illi bonitati grati. Si nemo igitur implet hoc præceptum, sed omnes sumus in iugi ipsius transgressione, nemo ex nobis iustificatur: aut si iustificamur, implemus profecto præceptum. Manifeste ergo sibipsi repugnat, qui dicit hoc præceptum seruari non posse à iustificatis. Et mirabilis sane transgressio præcepti est, quam hic adinuenit Lutherus, quæ neque iustitiam impedit acquirere, neque acquisitam tollit. Pugnat etiam hic error cum illis, quæ in libro de libertate Christ. tradit, vbi expresse dicit: Quia sunt nobis impossibilia præcepta, fit, vt vnico actu fidei impleamus illa.

Sed quæ ista sunt verborum portenta? Ipsa secum aperte pugnant, & diffident. Si enim mandata sunt impossibilia, quomodo ergo fide implentur? Et si fide implentur, quomodo sunt impossibilia? Etsi fides iustificans, omnia præcepta implet, non est ergo impossibile, præceptum de diligendo Deum ex toto corde implere. Aduersantur etiam ista verbis illis ipsius in libro de libertate Christ. Ipse qui solus præcepit solus quoque implet. Si enim per fidem iustificantem nos omnia implemus præcepta, non ergo solus Deus implet.

CAPVT XX.

Quod nos impleamus legem Dei, & non ipse solus.

QVONIAM vero hinc hausisse videntur, qui dicunt in operibus gratiæ nihil liberum arbitrium cooperari, & Deum per filium suum in credentibus solum legem implere, quo in errore non solum hæretici nostræ tempestatis sunt, sed nonnulli etiam, Non solus Deus implet legem, sed nos cum ipsius numine.

vt audio, Catholici: libet hîc obiter ad expugnationem huius tantæ ineptiæ, immo inſaniæ, aliqua adijcere illis quæ ſupra cap. 13 ſcripſimus. Et quæ lib. 2. in confirmationem noſtræ libertatis tradidimus, etiam huic propoſito vehementer poſſunt conducere.

Arg. 1. m. 1. Et primo, quæ, vos obſecro, quicunque tanto errori aſſenſiſtis, ſtultitia eſt, credere Deum optimum & ſapientiſſimum dediſſe aliquibus leges, quas non ipſi, ſed ipſe ſolus deberet implere? Quis ita ineptiat legislator?
2. Cur non eadem opera diuitis & brutis dediſſe leges & cunctis creaturis? Nam in omnibus ipſe voluntatem ſuam
3. implet.. Quid item nobis opera legis præcepiſſe putatis, potius quam pecoribus, ſi non magis in noſtra ſunt poteſtate quam illorum?

4. Quorſum & ſuam nobis adiuuantem & cooperantem gratiam impartitur, ſi neque cum illa ſuam voluntatem poſſumus explere? Nonne manifeſta irrogatur gratiæ, immo Deo ipſi, iniuria, cum & aſſerentes non nos, ſed eum implere in nobis legem, tamen nec hæc quidem ab eo perfecte, ſed ex parte fieri dicitis? Certe Dei perfecta ſunt opera, neque ſi ille implere haberet legem, imperfecte, vt nos, ſed perfectiſſime impleret.

5. Deinde: Si ipſe ſolus implet legem, nulla igitur eſt laus obſeruantium mandata, neque ea de cauſa digni ſunt aliquo præmio, neque eſt quod bonos malis præferamus, immo neque bonus aliquis erit. Siquidem bonus dici non poteſt, qui legem
6. Domini ſui non ſeruat. Adhæc: Non magis profecto nobis videmur opera naturalia, aut peccata facere, quam opera præſcripta à lege. Aut ergo ne illa quidem nos faci-
Lib. 2. c. 15 mus, ſed patimur, quod impium iam oſtendimus: aut iſta non tantum fiunt à Deo in nobis, ſed & nos ea quoque operamur. Perinde enim vtraque ſubeſſe noſtræ poteſtati experimur, & per fidem tantum habemus, ad ſeruanda præcepta nos indigere diuino auxilio.

7. Videre tamen hîc licet & exoſculari prouidentiam Scripturarum, immo Dei per ipſas commonentis ſuam Eccleſiam. Nondum ita aliquis delirauerat, nec quiſquam aduerſus libertatem noſtram, immo aduerſus gratiam Dei, & contra Deum ipſum ora ſua laxauerat, & iam nobis Spiritus ſanctus arma proſpexerat, quibus tantum errorem debellaremus. *Hæc ſunt*, inquit Moyſes, *præcepta & cæremoniæ atque iudicia,* Deut. 6
quæ mandauit vobis Dominus Deus veſter, vt faciatis ea in terra, ad quam transgredimini poſſidendam, vt timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia mandata & præcepta eius. Et ſtatim: *Audi Iſrael, & obſerua, vt facias quæ præcepit tibi Dominus.* Cur Moyſes non fuit contentus dicere, illa eſſe mandata, quæ præcepit Dominus: ſed adiecit bis, *Vt facias*, & ſemel, *Vt cuſtodias*: & ſimilia poſtea non ſemel repetit, niſi vt intelligeremus, non Dei ſolius ſubeſſe poteſtati, ſed & noſtræ quoque, implere præcepta: neque ipſum ſolum, ſed & nos quoque cum ipſius adiutorio ea facere, & cuſtodire?

Et validiſſima ſunt ad hoc confirmandum illa verba, quæ vel de primo & maximo mandato, vel, vt probabilius videtur, de vniuerſa lege poſtea adiecit: *Iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Quamobrem Paulus non dixit, Argum. 8.
Deum velle per voluntatem noſtram, ſed eum dare nobis & velle, & operari, & perficere. Et alibi, omnia quæ facimus, in gloriam Dei, & in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti docet facere. Et Theſſalonicenſibus gratias agit, quod quæcunque præceperat, fecerant. Et Galatis ait: *Bonum autem* Galat. 6
facientes, non deficiamus omni tempore. Atque vt intelligeremus ſic Deum facere in nobis, quæ ſibi placent, vt & nos ei in illis cooperemur, ad Hebræos ſcribit: *Deus* Hebr. 13
autem pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe.

Et ne ſuperfluis teſtimonijs vtamur, ſatis deberet profecto eſſe ad eliminationem huius erroris, perinde Scripturam aſſeuerare ſanctos viros mandata feciſſe & impleſſe, ac aſſeuerat omnes homines, immo omnes creaturas, & Deum ipſum aliqua facere. Quare neceſſe erit, aut omnem Argum. 9.

omni-

omnibus abrogare efficiens tam, aut tribuere iustis impletionem mandatorum.

Docuitque ista, & mirifice confirmauit Augustinus, in hæc verba: *Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.* Et subdit: *Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Et illa verba Pauli, *Iustificati gratis per gratiam ipsius*: ita exponit, *Non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, vt sanet gratia voluntatem, & sanata voluntas impleat legem.* Et paulo inferius: *Non quia legem impleuimus, gratia data est: sed datur gratia, vt legem implere possimus.*

August. de gra. & lib. arb. c. 16
Ezech. 36.
De spirit. & lit. c. 9
c. 10

Ex quibus omnibus liquere potest, summo iure sanctam Synodum, in loco quem modo exponimus, & in canone decimo octauo prohibuisse assertionem illam, Dei præcepta homini iustificato esse ad obseruandum impossibilia, neque locum iam esse vllum suffugio, quod adinuenit Buccerus in conciliatione artic. de iustificatione. Ait enim blasphemiam esse, dicere, id quod Deus præcepit, esse impossibile: pie tamen dici, esse homini impossibile. Neque hoc eo sensu dicit, quia homini sine auxilio Dei est impossibile. Sic quippe nulla inter nos & ipsum esset controuersia. Sensus vero illius est, legem, quam nos implere non possumus, Deum per filium suum in credentibus implere in præsenti, ex parte: in futuro, in totum.

Vt hoc autem occluderet diuerticulum sancta Synodus, non contenta fuit statuere, præcepta Dei esse possibilia, sed anathema indixit asserentibus homini iustificato esse ad obseruandum impossibilia. Voluit quippe certissimum esse, iustificatos posse Dei præcepta implere. Et in hunc sensum sua authoritate exposuit accipiendum esse anathema, olim indictum à Patribus contra asserentes Deum præcepisse aliquid homini impossibile.

Obiect. 1.
Matth. 19

Quid igitur quærentibus Apostolis, *Quis poterit saluus esse?* respondit Christus. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia sunt possibilia?*

Responsio.

Nempe vt intelligeremus opus esse diuina gratia, vt castitatem & paupertatem seruemus. Nam quod non voluerit his verbis nostram nobis cooperationem abrogare, Petrus manifeste ostendit, subiungens statim: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Non dixit, Tu reliquisti in nobis: sed, *Nos reliquimus*: & velut pro opere ab ipsis facto præmium reposcens, addidit: *Quid ergo erit nobis?* Quod & Christus recte dictum confirmauit, subijciens: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, &c.* Et alioqui, *Impossibile*, vt ex antecedentibus patet, non metaphysice capitur in hoc loco, pro eo, quod nullatenus potest fieri: sed moraliter, pro eo, quod arduum & difficile est.

Obiect. 2
Ioan. 15
1. Cor. 12
1. Cor. 15
Gal. 2

Cur igitur Christus ait *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos?* Et Paulus: *Deus est qui operatur omnia in omnibus.* Et rursus iuxta Græcam lectionem, quam sequitur Hieronymus secundo contra Iouinianum: *Abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, sed gratia Dei quæ est in me.* Et aliàs: *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Quod quidem & ad singula opera nostra quidam ita referebat, vt assereret nos posse dicere: Oro ego, iam non ego, orat vero in me Christus: Abstineo ego, iam non ego, abstinet vero in me Christus. Et huc videtur pertinere, quod idem Paulus dicit: *Ipse spiritus postulat in nobis gemitibus inenarrabilibus.* Augustinus etiam de gratia & libero arbitrio, cap. 7. ait; *Non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Verum hæc & similia lib. 2. satis copiose ostendimus, propterea à Christo, Apostolis, & sacris Doctoribus esse dicta, vt ostendatur principatus gratiæ diuinæ in operibus mandatorum, & Deo potius quam in nobis tribuenda esse opera gratiæ. Et August. quidem, ne quisquam aliter exciperet sua verba, ibidem c. 6. prædixerat: *Si merita ita intelligantur esse nostra, vt etiam dona esse Dei cognoscantur, non est reprobanda sententia.*

Rom. 8
Respon.

Defensio communis translationis.

Neque satis profecto firmo argumento Laurentius reuincit Augustinum & Scholasticos authores, qui gratiam cooperantem adstruunt ex illis verbis: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Nam quod ait, Græce

pro

pro *Mecum*, haberi, hoc est quæ mihi est, vel quæ est in me: non satis, quod vult conficit. Etenim præpositio illa Græca, *σύν*, aux lium & opitulationem significat, quæ non excludunt operam eius, qui adiuuatur. Et hoc liquet in illis Prouerbijs vulgatissimis, *σὺν τῷ θεῷ. σὺν ταῖς μούσαις.*

Vt igitur fauor gratiæ hic insinuatus, nobis non esset occultus, optime Interpres noster Græcam lectionem illis verbis reddidit *Quæ mecum est*, Et potuisset vertere, *Quæ in me adest*: vel apertius *Quæ mihi auxilio est*. Et communi lectione communiter Doctores sancti vsi sunt, & nominatim Greg. hom. 9. in Ezech. & ipse Hieron. in Dialog. in Pelag. Quamuis autem Paulus rectissime dixerit, *Viuo ego, iam non ego viuit vero in me Christus*, non est tamen hæc forma loquendi ad omnia opera nostra transferenda: sed videndum est diligenter, quatenus, & quousque, & in quibus hoc sine absurditate vlla fieri possit. Quare cum Abstinere, non sit mera negatio, lapis quippe non abstinet, sed sit priuare nos concupitis cibis vel voluptatibus, & Deus nihil tale concupiscat: non recte, meo iudicio, ille quisquis fuerit, aiebat: Deum in nobis abstinere & ieiunare. Cum quæ alius sit, qui meretur, ab eo apud quem meretur, quis dicat, Deum in nobis mereri apud se? Vnde recte Augustinus: Quamuis Deus dicatur operari omnia in omnibus, tamen non dicitur omnia in omnibus. Non enim ipse sibi, sed nos ipsi credimus. Neque se per charitatem, quæ in nobis est, amat ipse, sed nos ipsum. Neque sibi ipse loquitur, dum oramus, sed nos secum. Atque hæc poterunt nunc esse satis pro huius erroris confutatione, immo & pro diluendis argumentis omnibus Lutheri contra possibilitatem mandatorum, &c. Nam alia quæ obijciuntur ex Augustino, vt doceatur ille sensisse hoc præceptum diligendi Deum esse nobis in hac militia, vt præcipitur, factu impossibile, lib. 15. cap. 21. luculenter dissoluimus.

Aug. 1. Ret. c. 23

CAPVT XXI.

Peccatoribus etiam possibilia esse mandata.

QVIA vero non est simpliciter dictum in hac conclusione, Præcepta esse homini cuius possibilia: sed dictum est, homini iustificato esse possibilia: dubitare posset, qui bene expenderet verbum illud, *Iustificato*, an aliqua sint præcepta, quæ nequeant impleri ab eis, qui non sunt iustificati. Non enim credendi sunt Patres Concilij sine causa adiecisse illud verbum. Verum ab hoc dubio facile se explicabit, qui legerit quæst. 13. opusculi nostri de iustific. Ex ea siquidem intelliget, peccatores, quamdiu manent in peccato, neque omnia posse implere Dei mandata, neque singula. Nam impletio omnium mandatorum, ad vitam sufficit æternam, teste Christo, qui dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Causæ 1. ob quas additum est verbum hoc, *Iustificato*. Matth. 19

Vita autem æterna nemini potest, nisi ex gratia Dei, contingere. Vt enim Paulus dicit, *Gratia Dei vita æterna*. Et aliqua sunt præcepta, quæ ad sui impletionem, saltem veram & fructiferam, prærequirunt gratiam, vt præcepta de suscipiendis vel administrandis sacramentis. Neque desunt præcepta, quæ si impleantur, mox reponunt peccatores in gratia, vt præcepta de martyrio, pœnitentia, ac fortassis etiam de dilectione Dei. Et apud grauiores authores receptum est, non posse peccatores diu perseuerare in conscientia peccati mortalis, quin & nouam aliquam adijciant transgressionem alicuius peccati mortalis. Causa 2. Rom. 6

Ac ne alicui horum contraria persuaderentur, prouide cautum est adiectione illius particulæ, *Iustificato*.

Sunt insuper etiam nonnullæ opiniones protritæ in Scholis, quæ impedimento potuerunt esse, quominus generaliter diffinirentur præcepta Dei cuius esse possibilia. Siquidem Dionysius Cistertiensis ausus est asserere, nullum præceptum posse impleri à perseuerante in peccato. A qua sententia non absunt Lutherani, qui asserunt, non posse impleri præcepta, nisi ametur Deus ex toto corde: & in quocunque opere hominis quantumcunque iusti, necessario inesse omissionem præcepti illius dilectionis. Causa 3.

Et Marsilius in 2. Sent. credidit, posse a-

liquem

liquem nonnunquam perdere gratiam Dei per omiſſionem alicuius præcepti pro eo tempore ineuitabilem. Et ponit exemplum de dormiente, qui propoſuit non ſurgere ad dicendum officium matutinum, cum teneretur ad illud perſoluendum ſurgere, idque potuiſſet & debuiſſet ante præcauere. S. Thomas etiam ſæpe tuetur, amentes, ebrios, furioſos, & dormientes, poſſe peccare in eo, quod vitare non poſſunt, ſi ex culpa ſua & voluntate in eam impoſſibilitatem ſic inciderint, vt antecedenter ſaltem cenſeri poſſit tranſgreſſio materialis præcepti, fuiſſe illis voluntaria. Ad hæc: Aliqui pij Doctores tuentur aliquas eſſe ita graues tentationes, vt vinci non poſſint ab exiſtentibus in peccato, niſi illi

Adr. Quodlibeto 4. toto corde ad Deum reuertantur. Et felicis memoriæ Adria. 6. probabile putat, eſſe aliquas ignorantias culpabiles in peccatoribus, quæ vinci non poſſunt, neque fieri inuincibiles, niſi illi ſe in Deum perfecto &

Greg. 2. d. 28 q. 1. & 2 pleno animo conuertant. Deinde Gregorius Ariminenſ. etiam nouum peccatum admittit, & nonam pœna imputabile in peccatoribus, qui ob culpam ſuam deſtituuntur auxilio Dei ſpeciali, neceſſario (ſecundum illum) ad implendum quoduis præceptum.

Roff. ar. 36 Et ſanctus Epiſcopus Roffenſis in libro, quo impugnat aſſertiones Lutheranas contra bullam Leonis X. videtur ipſius opinioni ſubſcripſiſſe. Tenet namque, omnes induratos & traditos in reprobum ſenſum, carere ob ſua peccata auxilio neceſſario ſecundum patres ad bene operandum moraliter. Ad quod conſequens eſt, vel eos credere liberos eſſe à præceptis, neque in eorum tranſgreſſione peccare: aut certe illis eſſe impoſſibilia præcepta, ad quæ tenentur, & in ea, quam nequeunt iam vitare, præceptorum tranſgreſſione peccare. Cum igitur tot & tam variæ ſcholaſticorum Doctorum eſſent opiniones de hac quæſtione, Annon iuſtificati poſſint Dei mandata ſeruare, ne in dubijs non neceſſarijs ad fidem, ſuam interponeret authoritatem Concilium, & vel huic, vel illi opinioni præiudicium faceret: commodum viſum eſt, adijcere verbum illud, *Iuſtificato* Sat. quippe habuerunt Patres, hæreſibus noſtri temporis obuiare. Et Scholis crediderunt poſſe reliqua abſque animarum diſcrimine permitti. Ad hæc: Si non fuiſſet adiectum Can. 5. verbum illud, *Iuſtificato*, potuiſſent forte videri aduerſari antiquis Patribus, qui aſſeruerunt, non poſſe omnia mandata ſeruari abſque gratia, qua liberamur à peccatis, & iuſtificamur. In Conc. Mileu. ſic legimus: I- Can. 3. tem placuit, vt quicunque dixerit, gratiam Dei, in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema ſit. Et inferius, multo apertius: Item placuit, vt qui- Can. 5. cunque dixerit, ideo nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam, tanquam & ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus ſine illa implere diuina mandata, anathema ſit. Et approbatus eſt hic canon, & vt canon Apoſtolicæ Sedis receptus à Cœleſt. 1. can. 10. ſuæ 1. epiſt. decretalis. Et in Can. 25. Conc. Arauſic. 2. tantum video diffinitum, omnes baptizatos poſſe Chriſti auxilio & cooperatione & debere implere, quæ ad ſalutem pertinent. Aug. etiam non tantum dicit ad hæreſim Pelagij pertinere, vt credant ſine gratia hominem poſſe facere omnia diuina mandata, quod quidem ad gratiam gratis datam refertur: ſed in lib. de ſp. & lit. ſæpe repetit, ſanari voluntatem per C. 9. 10. 19. gratiam, vt voluntas ſanata, impleat legem: & gratiam dari nobis, non quia legem impleuimus, ſed vt legem implere poſſimus. Et lib. 1. ad Simpl. q. 2. lib. voluntatis arbit. plurimum valet, immo vero eſt quidem, ſed in venundatis ſub peccato, quid valet? Et paulo poſt: *Sed quis poteſt rectè viuere, & bene operari, niſi iuſtificatus ex fide?* Et aliquanto ante: *Quomodo poteſt iuſtè viuere, qui non fuerit iuſtificatus? Quomodo ſanctè viuere, qui non fuerit ſanctificatus? Vel omnino viuere, qui non fuerit iuſtificatus? Iuſtificat autem gratia, vt iuſtificatus poſſit viuere iuſtè.* Hæc ille. Et huc ſpectant iſta, quæ vel in eo, vel in alio magni nominis authore, legiſſe me recolo: *Peccata non poſ-*

ſunt:

sunt vitare, cum volunt, qui nolunt, cum possunt, nisi filius eos liberauerit. Magnus etiam pater ille Cyrillus, Conc. 1. Ephesini præses, sic scribit: *Impoßibile est quicquam boni à nobis peragi, neq; perturbationes animi superari, neq; acres diaboli laqueos euitari, nisi gratia spiritus muniti, ipsum hac de causa in nobis habeamus.* Et inferius: *Corda spiritus habentes vacua & propterea orphanorum protectore priuati, ab omni dæmonio, aut turbatione animi, aut quauis alia cupiditate facilè rapiuntur & ad peccata impelluntur.*

9. super Io. an. c. 45.

Cap. 48

Et Basilius ser. de lib. arb. ad vincendum incursus & insidias diaboli, virtutem Christi & armaturam Spiritus sancti necessariam esse, apertis Scripturæ testimonijs confirmat.

Crediderim vero præcipue appositum fuisse hoc verbum, *Iustificato*, propter primam causam iam dictam, ne quispiam scil. crederet, posse omnia præcepta impleri, aut saltem singula, à perseuerante in peccato mortali. Quorum primum ad Pelag. hæresim putant nobiles authores pertinere. Secundum autem præcepta irritat de martyrio, pœnitentia, & dilectione Dei super omnia, aut certe eorum obseruantiæ virtutem & efficaciam eneruat. Ita ergo omnia temperata sunt huius particulæ, *iustificato*, adiectione, vt ne Momus quidem aliquid hic possit habere, quod reprehendat: & omnis est præclusa occasio hæreticis calumniandi Ecclesiam Catholicam, sicut sæpe faciunt, quod conueniat cum Pelag. Aggrauata est insuper his verbis, & aliquanto apertior facta blasphemia Lutheri, qui etiam iustificatis præcepta Dei dixit esse impossibilia. Nihil enim dici aut esse potest iniquius, quam & ab amicis impossibilia requirere, eo præsertim rigore, vt ea non præstantes, de amicitia perdenda periclitentur. Quæ vero Scholasticorum authorum placita retulimus, non arbitror alicui ex Patribus tanti momenti fuisse visa, vt propter illa, à generali definitione huius veritatis de possibilitate mandatorum fuerit temperandum. Aut enim ad quæstionem de nomine spectant, aut certe omnes illæ opiniones, quæ ad præceptorũ impletionem gratiam præ-requirunt, dignæ etiã quæ autho-

Tho. in 2. d. 29. art. 1

Hen. Quodlib. 5. q. 10

Marsil. q. 34. a

ritate Concilij de scholis exterminarentur. Exceptis namque fortassis præceptis de cõferendis, vel suscipiendis sacramentis, quibus non qualiscunque susceptio, vel administratio præcepta esse videtur, sed munda & impolluta, ad nullum aliud præceptum implendum requiritur gratia gratum faciens, & gratis fingitur, & absq; fundamento vllo in Scriptura, Deum requisiuisse in aliquo præcepto, vt impleretur ex gratia. Quod quidem, spero, intelliget, quicunq; citatam statim quæstionem perlegerit. Et vel hac ratione deberet quiuis Catholicus à praallegatis opinionibus lõge esse, quod omnes illæ affines esse videntur errori Lutheri, quem paulo ante confutauimus. Et quanquam hoc habeat peculiare præceptum diligendi Deum, vt & modus ille, *Ex toto corde*, cadat sub eo præcepto, tamen non cadit sub ipso, vt impleatur ex gratia. Vere namque impleret præceptum illud, qui sic Deum ex toto corde diligeret, vt per eam dilectionem assequeretur Dei gratiam, etiamsi eiusmodi dilectio antecederet naturaliter ipsam gratiam. Neque debet hic modus, *Ex gratia*: cum illo, *Ex toto corde*, confundi, sicut plerique, parum hæc expendentes, faciunt. Dicet tamen aliquis: Cur ana hema indicitur Luthero, quod impossibilia seruatu dixerit præceptum primum & vltimum, si verum est, peccatores non posse seruare omnia præcepta? Annon idem qui præcepit singula, præcepit omnia? Nunquid non contentus erit Deus singulorum obseruatione, nisi etiam præstemus & omnia? Minorne est, & non potius maior & importabilior iniquitas, exigere à subditis aliqua coniunctim, quæ coniunctim exhiberi non possunt, quàm exigere vnum aliquid factu impossibile? Vrgeri etiam potest hoc argumentum & premi aliquanto magis: Quia nos non tantum fatemur, non posse peccatores seruare omnia præcepta, sed & dicimus, neque posse ab eis impleri singula. Et constanter defendimus, neminem diu perseuerare posse in peccato lethali, quin aliquod nouum mandatum transgrediatur.

Præceptum diligendi Deum non prærequirit gratiam.

Obiectio.

Præterea: Licet maior sit tyrannis, exi-

gere à seruis bonis & fidelibus, quæ facta sunt impossibilia, quam si eadem exigantur à seruis malis & perfidis, tamen non videtur tyrannide, & quidem magna, carere, si quis Dominus exigat à seruo, quantumcunque malo & exoso, quod ipse præstare non potest. Atque ideo ne diuinæ bonitati & suauitati iniurij essemus, perinde deberemus cauere, ne diceremus eum præcepisse peccatoribus aliqua ab eis inobseruabilia: ac cauendum esse docuimus, ne quispiam crederet Deum iustis præcepisse, quæ

Responsio. ab ipsis nequeunt fieri. Cogunt hæc argumenta concedere, absolute & generaliter potuisse dici à Concilio, & sub anathemate interdici, ne quis diceret, præcepta Dei esse homini impossibilia. Atque ita video Doctores sanctos, quos supra citauimus, vniuersaliter & generaliter dixisse. Neque nos diximus esse aliqua præcepta, quæ non possent seruari à peccatoribus, immo neque absolute asseruimus, eos non posse seruare omnia præcepta coniunctim: sed diximus, non posse ab eis seruari omnia, immo neque singula, si perseuerarent in peccato. Possibile namque est eis, seruare & singula, & omnia. Quia vt iam Ecclesia c. Firmiter, de summ. Trin. & fid. Cath. diffiniuit, potest quicunque peccator per veram seu per pœnitentiam reparari. Et si ad hoc adnitatur, vt debet, implebit & singula, & omnia, & perueniet statim ad gratiam.

Itaq; tam peccatoribus, quam iustis concedendum est simpliciter, præcepta Dei & omnia & singula, esse possibilia. Neq; verbo illo, *Iustificato*, fuit opus: sed adiectum est ob causas quidem iam dictas, ac fortassis etiam, vt satis fieret scrupulosis quibusdam, trepidantibus vbi nullus erat timor. Qua forte ratione adiecta sunt illa verba, *Cum auxilio diuino*: cum dictum est, Iustos posse cum auxilio diuino præstare, vt seruent sermones Christi. Intrepide enim potuit absolute dici, iustos hoc posse: Quia quæ per amicos, nostro præsertim auxilio promptos & paratos, possumus, per nosipsos possumus. Sed addita sunt illa verba, vt omnis adimeretur occasio errandi. Verum de his satis. Pergamus ad illa verba exponenda, quæ statim subiecêre Patres.

CAPVT XXII.

Explicatur Patrum responsio ad argumentum ex frequentia venialium.

AMOLIRI voluit hæc pia & sacrosancta Synodus difficultates omnes & remoras, quæ fideles possent impedire, quô minus obuijs (quod aiunt) manibus vniuersam hanc doctrinam exciperent. Ac propterea curauit, vt & illud dilueret argumentum, quod cuiuis posset contra statim dicta, ex frequentia venialium peccatorum occurrere. Quomodo enim credamus iustos, sicut statim dictum est, seruare sermones Dei, cum tam frequenter incidant in peccata venialia? Huic autem argumento respondent Patres his verbis: *Licet enim in hac mortali vita quantumuis sancti & iusti, in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoq; cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam & iustorum illa vox est & humilis, & verax: Dimitte nobis debita nostra.* Et quod his verbis præfato argumento respondent, eiusmodi est: Esto, incidant iusti frequenter in peccata: at ea leuia sunt & minuta, neque tanti apud Deum momenti, vt propter illa desinant esse iusti, aut de eis possit dici, quod non seruant sermones Dei vel mandata.

Arg. 1. contra possibilitatem mandatorum.

Et ex hac responsione quinque possumus colligere singulares doctrinas. Prima est: Venialia peccata non repugnant iustitiæ, seu amicitiæ diuinæ, neque desinit aliquis esse iustus, quia labitur in peccata venialia. Et hanc doctrinam possumus his approbare. Primo: De huiusmodi peccatis scriptum est, *Septies cadet iustus, & resurget.* Et iterum: *Iustus in principio est accusator sui.* Et rursus: *In multis offendimus omnes.* Hoc est, siue iusti, siue peccatores. Atque hoc tradit non semel Hieronymus in Dial. contra Pelagianos, & Augustinus multis in locis, & præcipue libr. de natura & gratia, cap. 36. vbi inter alia de multis Sanctis dicit: *Quia sæpe in leuissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & iusti*

Doctrinæ quinque ex resp. Patrum collectæ. Prima.

Prou. 24.

Iac. 3.

& iusti fuerunt, & sine peccato non fuerunt. Et confirmata est hęc doctrina sub interminatione anathematis in Concilio Mileuitano, can. 6. 7. & 8. Doctrin. 2. Secunda, quæ hinc potest colligi doctrina, est: Multum interest inter peccata venialia & mortalia. Mortalia enim iustitiam tollunt, & gratiæ Dei repugnant: neutrum vero, vt statim dictum est, conuenit venialibus.

Doctrin. 3. Docuit & tertio hic sancta Synodus, iustos debere semper agnoscere infirmitatem suam, & veraciter & ex corde posse & debere dicere, *Dimitte nobis debita nostra*. Et cum Doctrin. 4. non contenta est dicere, iustos quandoque cadere in venialia peccata: sed dixit, quantuncunque sanctis & iustis id contingere: in ea particula quantumuis Sancti & iusti: docuit quarto, longe à vero aberrasse omnes illos hæreticos, qui tenuerunt, ad tantam perfectionis celsitudinem & fortitudinem posse iustos in hac vita peruenire, vt vltra peccare non possint. De quo errore in expositione 12. Cap. copiosius agemus.

Doctrin. 5. Potest & quinta hæc doctrina ex verbis his decreti colligi: Tametsi peccata venialia vere sint & proprie peccata, tamen nunquam propter illa dici potest quisquam transgressor esse mandatorum diuinorum, aut non seruare sermones Christi. Nam hæc nomina conuenire nequeunt iustis. Et peccata venialia prope nihil sunt respectu arctę obseruationis mandatorum, q̃ Deo præstant iusti. Quare cum à pręstantiori fiat denominatio, absolute asserendum est, eos seruare mandata, etiamsi nonnunquam incidant in peccata venialia. Et ex his potest patere optima & facillima via dissoluendi argumentum quoddam apparentissimum, & longe certe apparentius quam duo argumenta Lutheri contra possibilitatem mandatorum.

Argum. 4. Argumentari enim aliqui possint hoc pacto: Iusti quantumuis sancti & perfecti, incidunt quotidie in peccata. Neq; est Prouerb. 20. qui possit dicere, *Mundum est cor meum, purus sum à peccato*. Quo ostenditur euidenter, vel nullis esse Dei mandata possibilia: Si possibilia essent Dei mandata, cauerent vtique omnia peccata, qui tantam adhibent diligentiam & curam eis, obseruandis quã-tam iusti & perfecti adhibent. Nam peccatum non est, vbi nulla est transgressio mandati. Estque hoc fortassis argumentum, quod Patres in his verbis, quæ nunc elucidamus, voluerunt dissoluere.

Responsio. Et non opus est, pro hoc argumento explicando, eo diuertere, vt dicamus, venialia non esse contra mandata. Hoc enim infra ostendemus esse falsum. Trepidare etiam videntur, vbi nullus est timor, qui dicunt, satis esse, quod mandata seruare possumus, quatenus satis est ad perseuerandum in iustitia & amicitia diuina. Siquidem in promptu est iam ex prædictis via euadendi hoc argumentum, ea scilicet, quam collegimus ex verbis Patrum. Seruant namque iusti mandata, etiamsi labantur in venialia.

Si quis vero roget, an possibile sit saltem iustificatis seruare sic mandata, vt ne minimam quidem culpam admittant contra ipsa, huic nos quæstioni faciemus satis, Deo auspice, inferius lib. 14. vbi & omnia, quæ hic collegimus, ex sententia Patrum copiosius explicabimus, & fortius communiemus. Videamus ergo, quæ post hæc subiunxerint.

CAPVT XXIII.

Quod arctius teneantur iusti seruare mandata.

VT plenius instruerentur fideles de obseruatione mandatorum diuinorum, illis quæ de necessitate & possibilitate ipsorum tradita sunt, appenderunt Patres quasdam perquam vtiles doctrinas, quæ nos, quoniam ex prædictis inferuntur, & velut auctaria quædam sunt, eis pro ornamento & firmamento pleniori adiecta, vsitatissimo scholarum vocabulo corollaria, seu appendicia nominabimus.

Et quod primo ex dictis colligunt, est huiusmodi: *Quo fit, vt iusti ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant.* Et, si clariora verba requirimus, quod Iusti arctius adstricti mandatis. primo inferunt, est: Iusti ſi..ati sunt magis

 obli-

quàm olim, cùm erant peccatores.

Et tres causas insinuarunt hic Patres, propter quas iusti plus tenentur ad seruandum mandata, quam peccatores.

Argum. 1. Prima, quia à Deo habuerunt beneficium suæ iustificationis. Lege enim naturali ei tenemur magis obedire & obsequi, qui pluribus nos sibi obstrinxit beneficijs. *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum*, ait Gregorius. Greg. hom 9. in Euang. Et subdit: *Tanto ergo esse humilior atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto obligatiorem se esse conspicit in reddenda ratione.*

Argum. 2. Secunda causa propter quam iusti magis tenentur ad obseruantiam mandatorum, est, quia ipsi melius & facilius ea possunt implere. Per gratiam enim diuinam, & habitationem Spiritus sancti in ipsis, potentiores sunt ad virtutum exercitia, & fortiores ad resistendum peccatorum incursionibus. Postulat autem hoc ratio bonitatis & suauitatis diuinæ, & naturale lumen id docet, vt ad ea sit quisque minus adstrictus, quæ difficiliora sunt ipsi: & contra ad ea magis, quæ commodius & leuius potest præstare.

Vnde Tertull lib 2. ad vxorem: *Omne delictum voluntariũ in Domino grande est.* * *Quanto enim potestas vitandi fuit, tanto contumaciæ crimen oneratur.* Et Bernar. *In difficilioribus agendis obeditio gratior, quã grauior præuaricatio iudicetur: & in facilioribus minusq; onerosis contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æstimetur.*

Argum. 3. Tertia eiusdem veritatis causa est, quia à Deo hanc habent iustificati gratiam præter suam iustificationem, vt ab eo non deserantur, nisi prius ipsi illum deserant. Qua ratione duplex ipsis nomen videre mihi videor custodiendi mandata accrescere: videlicet ne & tanto beneficio sint ingrati, & ne tam fidelis & benignus hospes eos deserat, & tantum beneficium perdant, si obtorpere cœperint in via iustitiæ, quam vnam ille à nobis exigit, vt nobiscum maneat. Et sicut cap 12. admonuimus, sunt hæc verba, Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur, desumpta ex Augustino. Et fundamentum habent in scripturis.

... idoneè probant maius hoc vinculum, quo iusti adstringuntur ad obedientiam Deo exhibendam, possumus & hanc sententiã apertis testimonijs scripturarum confirmare: *Nisi abundauerit iustitia vestra*, ait, Christus Matth. 5. ad suos Apostolos, *plus quam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

In quæ verba Theophylactus vbi exposuisset iustitiam dici omnem virtutem, sicut cum Iob dictus est iustus, subdit: *Horresce homo, animaduertens quanta à nobis repetantur.* Et alibi Christus generaliter pronunciat: *Omni autem, cui multum datum est, multum petetur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Luc. 12. Et Paulus inquit: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hebr. 10. Et Petrus dicit: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi his rursum implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitam retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato.* 2. Pet. 2. Confirmant etiam hanc doctrinam omnia, quæ docent, maiora esse, cæteris paribus, nostra peccata, quam Iudæorum viuentium sub lege Mosaica.

Quod & Paulus eleganter docet in epistola ad Hebræ. præcipue vero in illis verbis: *Videte ne recusetis loquentem.* Si enim illi Hebr. 12. non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de cœlis loquẽtem nobis auertimus. Quæcunque etiam probant maiora fuisse cæteris paribus, peccata Iudæorum, quam Gentilium: quia sicut Psalmista dicit, *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*, Psal. 147. stabilire queunt præsentem diffinitionem. Si enim propter beneficium præcellentioris legis & perfectioris pastoris, inducitur maius vinculum ad obseruantiam mandatorum, multo magis hoc fiet propter beneficium iustificationis.

Et si peccata principum & prælatorum gra-

Sap. 6. grauiora sunt, iuxta illud : *Potentes potenter tormenta patientur* : & si peccata sacerdotum & Ecclesiasticorum maioris sunt reatus apud Deum, iuxta verbum Christi, *Hi accipient damnationem maiorem* (Luca 20) : erunt igitur & peccata iustorum, cæteris paribus, culpabiliora : Quandoquidem omnia principum & Ecclesiasticorum beneficia, antecellit gratia iustificationis.

Acceptaruntq; doctrinam istam, & docuerunt concorditer omnes Ecclesiastici Doctores & antiqui, & scholastici : quippe qui vbiq; asseuerant, maiora esse (cæteris paribus) & grauiora peccata fideliũ, quam infidelium : & iustorum, quam peccatorum : tanto q; vnumquemque apud Deum grauiorem esse debere & criminis reum, quãto maioris erat meriti antequam caderet. Et hæc satis possunt esse manifesta ex his, quę de inæqualitate bonorum & malorum meritorum lib. 10. tradidimus. Quæcunque enim docent grauiora esse peccata iustorum, quam peccatorum, docent & eos ad legis præcepta fortius adstringi.

Et præter ibi citata, expressus est locus Hieronymi in illa verba Apostoli, *Manifesta autem sunt opera carnis* (Galat. 5.) : Vbi sic scribit, *In eo fornicator maioris est criminis, quia tollit membra Christi & facit ea membra meretricis. Erunt quippe duo in carne vna. Qui non est fidelis, neque credit in Christo, sua membra facit membra meretricis: qui vero, & fornicatur, Christi membra facit membra meretricis. Econtrario infidelis in fornicatione sua, vtrum violet an ædificet templum idolo, nescio. Per vitia quippe maxime dæmones coluntur. Hoc vnum scio, quod qui post fidem Christi fornicatur, violat templum Dei.* In illa etiam verba, *Si ecclesiam non audierit, fit tibi sicut ethnicus & publicanus* (Matth. 18.), sic scribit : *Quando autem dicitur, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus: ostenditur maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quam hi, qui aperte Gentiles sunt.*

CAPVT XXIV.

Nemini satis est fides sola ad consequendum regnum cælorum.

SECVNDA doctrina, quam his appenderunt Patres, quæque aperte sequitur ex priore conclusione huius cap. est hæc: Nulli satis est sola fides, vt hæres constituatur regni cœlorum, & eam hæreditatem consequatur. Verba Decreti sic habent : *Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutũ, hæreditatemque consecuturum.* Firmatur autem doctrina hæc duobus Pauli testimonijs, & alio Petri. Atque illis verbis, *Etiamsi Christo non compatiatur, vt & conglorificetur*, innuitur aliud, quod & eandem veritatem luculenter confirmat. Ait quippe Paulus : *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* (Rom. 8.)

Quibus verbis docemur, necessarium esse nobis præter fidem, pati aliqua aduersa & laboriosa cum Christo, vt simul cum illo glorificemur. Si enim oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam : multo magis oportet nos pati, sicut dicit eleganter Bernardus, vt intremus in gloriam alienam, supernaturalem videlicet nobis & indebitam, ac nostris meritis longe maiorem. Vnde & idem Apostolus alibi ait : *Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus : si sustinebimus, & conregnabimus.* (2. Tim. 2.) Et paulo ante : *Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certauerit.*

Et merito Patres tam multis vtuntur testimonijs. Conueniebat siquidem fortius hic figere pedem, & apertiorem facere & firmiorem doctrinam traditam, quia articulus iste inter Ecclesiam Catholicam & hæreticos nostri temporis, & fuit, & est etiamnum in primis controuersus. Ambigere tamen potest, qui hanc diffinitionem attente legerit, an hoc loco diffinierint Patres, neque fidem solam sufficere, vt quis hæres constituatur : neque satis esse ad hæreditatis assecutionem, an postremum hoc duntaxat. Distincta enim hæc sunt, & posset quis defendere, solam fidem satis esse ad iustitiam, nec tamen esse satis ad beatitudinem.

Et Patres non dixerunt sub disiunctione, Nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitu-

tum;

tum, aut hæreditatem consecuturum: sed copulatiue adiunxerunt, Hæreditatemque consecuturum.

Ac Protestantes quidem sola fide tuentur impios iustificari, nequaquam tamen assentiuntur suo præceptori Luthero, asserenti in lib. de captiuitate Babyl. solam fidem satis esse ad beatitudinem, & promissionem ipsius iustificatis factam, nullis peccatis esse commutabilem, nisi sola incredulitate. Et cum dicunt, sola fide impium iustificari, tantum sentiunt sola fide apprehendi iustitiam, neque negant alia esse impio necessaria, vt assequatur iustitiam. Nam hoc quid aliud esset, quam asserere, fidem solam sufficere ad beatitudinem? Quod enim sufficit ad introducendam aliquam formam in subiectum, si non superueniat fortius aliquod agens, quod inde ipsam pellat, sufficiet & ad eam conseruandam vt dicunt physici. Et si ad acquirendam iustitiam non requiritur pœnitentia peccatorum, sed sufficit sola fides, neque amittetur profecto iustitia per alia peccata, sed manebit, quandiu manserit integra fides.

Quamuis autem in hunc potissimum errorem, vtpote omnium perniciosissimum, verba sua Patres direxerint, & testimonia ex Petro & Paulo huic soli videantur aduersari, tamen si aliquanto penitius hæc & pro dignitate expendamus, & errorem quoque Protestantium intelligemus hic esse ab ipsis damnatum. Quoniam qui dicunt, fide sola apprehendi iustitiam: fide sola dicunt, impios fieri hæredes, & hæreditatem consecuturos. Iustificati quippe, si moriantur, nullo opere indigent, vt consequantur beatitudinem. Et licet iustis in hoc mundo manentibus necessaria sit, ad perseuerandum in iustitia, obseruatio mandatorum: tamen si fide sola apprehenderit quisquam iustitiam, fide sola perueniet, si statim moriatur, ad beatitudinem.

Cum igitur monuerunt Patres, ne sibi quispiam in sola fide blandiretur, putans ea sola hæredem se constitutum, hæreditatemque consecuturum, tametsi hæc non sub disiunctione, sed copulatiue in vnum coniunxerint, non solum damnarunt dicentes, satis esse fidem solam ad iustificationem & beatitudinem: sed etiam illos, qui dicunt, eam solam satis esse ad comparandam iustitiam, vel certe ea sola comparari iustitiam. Nam ex quacunque istorum trium, definitio ipsorum palam eneruatur. Sed enim, vt nullus esset tergiuersationibus locus, & omnibus extinctis erroribus, sola veritas in fidelibus regnaret: in Canonibus huic diffinitioni respondentibus, omnia hæc clare & dilucide diffinita sunt, & anathema indictum est tam asserentibus, fide sola impium iustificari: quam contendentibus, fidem satis esse ad æternam beatitudinem assequendam. Canon. 9. 19. 20.

Quoniam vero errorem Protestantium lib. 6. cap. 31. & lib. 9. c. 17. Deo fauente extirpauimus, & fidem solam non satis esse ad beatitudinem, quod præcipuum est huius loci, q. 2. libelli de iustificatione, apertissimis Christi & Apostolorum sententijs, & ex lumine naturali luculentum fecimus, hoc ipsum perpetuo Ecclesiam Catholicam credidisse & docuisse, contenti erimus nunc monstrare. Et id quidem ex vniuersis pene Concilijs, & generalibus & prouincialibus, ostendi potest. Vt enim omittamus prouincialia, in omnibus generalibus, excepto Ephesino primo, quædam inuenimus spectantia ad mores, statuta & diffinita & tradita, velut necessaria ad salutem: aut certe prohibita, vt noxia & mortifera. Sed ne fastidium faciamus lectori, sat fuerit pauca quædam velut indicare. In Niceno quidem multa talia licet legere, canone 2. 3. 4. 9. 10. 12. 16. 18. in primo Constantinopolitano præcipitur, vt Episcopi suam diœcesin gubernent, neque ad alias non inuitati accedant. In Chalcedonensi actione 5. patet, damnatum esse Dioscorum, non propter fidem, sed quia ausus est excommunicare summum Pontificem Leonem. In quinta Synodo generali, quæ est secunda Constantinopolitana, canone nono anathematizatur, qui non vna adoratione adorat Deum verbum incarnatum cum eius carne. In septima Synodo, quæ est 2. Nicena, approbatur & religiosus diffinitur cultus imaginum consuetus in Ecclesia, & repro-

Summa quædam eorum, quæ de operum necessitate habentur in Concil. generalibus.

reprobantur sacrilegia execranda, quæ his temporibus non sunt veriti Lutherani patrare cõtra imagines Christi & Sanctorum. In octaua damnatus est Photius propter ambitionem Patriarchatus Constantinopolitani. In Lateranensi sub Innocentio 3. Canone 1. damnata est expresse hæc hæresis in hæc verba, quæ relata sunt extra de summa Trinitate & fide Cathol. cap. Firmiter. Non solum autem virgines & continentes, verum etiam coniugati, per fidem rectam & operationem bonam, & sic placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

Vides vtrunq; oportere coniungi, & fidem rectam, & operationem bonam, vt veniatur ad beatitudinem? Et in Canone 6 ad hoc præcipiuntur concilia prouincialia singulis annis, vt de reformandis moribus præsertim cleri, diligens habeatur cum Dei timore tractatus. Si vero sola fides satis esset ad salutem, non esset necesse, nisi pro vna causa fidei cogi concilia, & nullæ essent leges neque Ecclesiasticæ, neque ciuiles, quæ obligarent in conscientia, neque puniri quispiam posset grauiter, nisi pro incredulitate. Quod quidem non aliud est, quam, fontes & sceleratos homines aduersus iustos & innocentes armare, pacemque & tranquillitatem, & omnem cõmmodam administrationem ex ciuitatibus tollere: ac denique sacra & secularia, cœlestia & terrestria diuinaque & humana omnia miscere, turbare, & sub teterrima quadam caligine & vertigine confundere.

In Constantiensi Concilio multa damnantur, spectantia ad mores, contra Ioannẽ Vuicleffum & Ioannem Hus. In concilio Florentino, & Lateranensi vltimo, pleraque spectantia ad mores, velut necessaria ad salutem, sancita & definita sunt.

Ex doctoribus autem sanctis tam frequentia passim in ipsis obuia sunt testimonia pro hac veritate, & tam multa, dum alias communimus, iam citauimus, vt me pigeat & tædeat, nouas alias eorum sententias hic adijcere. Si quis de re adeo manifesta hæsitat, deponet suum dubium, si legat commentarios eorum, siue in ea loca, quæ ex nouo testamẽto citauimus, siue in complurima, quæ tertia quaque pagina in veteri testamento, & præcipue in prophetis, occurrunt, quibus obiurgantur transgressores mandatorum Diuinorum, & Væ illis & ardores sempiterni prædicuntur, nisi resipiscant.

Integro volumine disputauit Augustinus contra hunc errorem, sub titulo, de fide & moribus. Multa cõtra eundem scripsit Hieronymus in libris contra Iouinianum, & contra Pelagian. Et pulchre idem in illa verba Matthæi, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c.* Sicut supra dixerat eos, qui haberent vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatũ nequitiam: ita nunc econtrario, ne his quidẽ accommodandam fidẽ, qui cum polleant integritate fidei, turpiter viuunt, & doctrinæ integritatem malis operibus destruunt. Vtrunq; enim Dei seruis necessarium est, vt & opus sermone, & sermo operibus comprobetur.

Et tractantes illa verba Pauli, Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi: Orig. in Psal. 37. & Iob. 1 Cyp. in serm. 5. Chrysostomus, Theophyl. in hæc verba, & August. in serm. de cœna Domini, & Cassianus, & denique quotquot legi Catholicos Doctores, aperte confitentur, non satis esse fidem rectam ad sumendam Eucharistiam, sed necessariam etiam esse mentem puram & nouam, & magnam examinationem conscientiæ: & ideo multos ex Christianis ægrotare & debiles esse & morte mulctari, quia indigne & irreuerenter ea sumunt. *Orig. Cypr. ser. de mor. Chryf. Theo. Aug. Cassi.*

Et ipse Lutherus in sermone quodam de Eucharistia, referente Roffensi, asserit necessariam esse cunctis, communicare volentibus, confessionem omnium peccatorum, quæ manifeste sunt mortalia, & maxime eorum quæ inuidiam, displicentiam, & amaritudinem habent in proximũ. Quæ manifeste pugnant cum illis, quæ ex eo sæpe retulimus. Si enim necessaria est confessio aliquorum mortalium ad dignam susceptionem Eucharistiæ, & qui illam indigne sumit, iudicium sibi manducat: non ergo vna fides sufficit ad salutem, & cætera liber- *Ros. art. 6. contr. Luter.* *Cõtradict. Lutheri.*

 rima,

tima, neque præcepta, neque prohibita. Aduersantur etiam hæc illis, quæ in art. 15. contra bullam Leonis X legimus. Ait enim ibi: *Qui ad sacramentum Eucharistiæ accedunt, si credant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides eos facit puros & dignos.*

Sed frequens hoc est Luthero, vt secum ipse pugnet & dissideat. Sola veritas constans est, & perpetuo eadem. Porro ad argumenta, quæ ex scripturis nobis obijci possunt, copiose, vbi supra, respondimus. Nunc igitur, quoniam tantum contendimus, consensu Ecclesiæ Catholicæ communire definitionem Patrum: quæ ex Doctoribus Ecclesiasticis torqueri in nos queunt, vt ostendatur fides sola ad salutem posse sufficere, curabimus pro nostra excogitare explicare. Nam ex lumine naturali, scripturis sanctis adiuro, nulla nisi futilia argumenta, neque in Luthero, neque in ipsius sequacibus leg. Traditi quippe in reprobum sensum, lumen naturale neque agnoscunt, neque quanti opus est, faciant, sed resistunt & reluctantur ipsi.

Futilia Lutheri argumenta omnia.

CAPVT XXV.

Quo sensu Doctores Ecclesiastici aliquando dixerint, fide nos sola iustificari & saluari.

AC primo quidem induci contra nos potest Origen. qui 3. comm. epist. ad Roman. sensum Pauli in illis verbis, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*: hunc in modum interpretatur, Dicit Apostolus sufficere quidem solius fidei iustificationem, ita vt credens quis, tantummodo iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Et statim ipse sola fide sine operibus iustificatum dicit latronem, & Magdalenæ ex nullo legis opere, sed pro sola fide dixisse Christum, *Remittuntur tibi peccata tua*. Et mox, *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Sed & in multis Euangelij locis addit, Hoc sermone usum legimus saluatorem, vt credentis fidem, causam diceret esse salutis ipsius.

Luc. 7.

Sed ne quis resoluatur, & bene agendi negligentiam capiat, audiens, ad iustificandum, fidem solam sufficere, mox admonet indulgentiam non futurorum, sed præteritorum esse criminum, & nemini dari licentiam peccandi ex iustificatione. Quibus verbis innuere videtur errorem Protestantium, hoc est, fide sola comparari iustitiam, tametsi amitti iustitia possit per alia peccata ab incredulitate. Sed & illa vrgere videntur, quæ continenter adijcit: Iustificatur homo per fidem, cui ad iustificandum nihil conferunt opera legis. Et paulo post, quia nemo iuxta prophetam potest gloriari castum se habere cor, & omnis iustitia nostra, est iuxta Esaiam, sicut pannus mulieris menstruatæ: sic infert, Sola igitur iusta gloriatio est in fide Christi crucis, quæ excludit omnem illam gloriationem, quæ descendit ex operibus legis.

Hilarius in illa verba Christi, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: Mouet scribas remissum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Iesu Christo contuebantur, & remissum ab eo quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat. Et quoniam cæci, quia crediderunt, viderunt: colligit, fide merendum esse quod petitur, & ex ea salutem esse expectandam.

Hil. can. 8. in Matth.

Ambrosius in sermone 45. dum felicitatem explicat latronis, qui meruit à Christo audire, *Hodie mecum eris in paradiso*: ita scribit, *Sed hanc tantum gloriam, vt non in alterum diem differretur, sed eadem die, qua paradisus Deum suscepit susciperet & latronem. fides latroni præstitit. Fides enim est, quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes. Quamuis enim delinquentium grandis sit culpa, fidei tamen maior est gratia.* Et eue ftigio addit, quod magis videtur vrgere. *Sicut sufficit Iudæ ad scelera Christum deseruisse: ita sufficit latroni ad innocentiam, Domino credidisse.* Et in epist. quæ est ad Irenæum: *Nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificabitur. Sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrum iustificatus est. Fides ergo est quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur.* Et 1. de pœnitentia, cap. 10. *Qui fidem habet, habet vitam æternam. Qui vitam habet, non est exclusus à venia. Omnis, inquit, qui credit in eum, non pereat: cùm omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur.* Et cap. 11. *Vbi quis credit,*

Conc. 45. Ambros.

Epist. 76.

Ioan. 3.

credit, ira Dei discedit, vita autem accedit. Et lib. 2 cap 8 *Fœtorē habet peccator, tamen fidei pretiosa emendatur vnguento. Tantum enim gratiæ fides habet, vt vbi ante diem fœtebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus.* In art. item 5. confess. Augustanæ citantur hæc eiusdem verba: *Hoc constitutum est à Deo, vt qui credit in Christum, saluus sit sine opere, sola fide accipiens remissionem peccatorum.* Neq; dissimilia videntur tradi à Chrysost. in serm. quodam de fide, & lege naturæ, & Spiritu sancto. Hoc enim nomine fidem præstare operibus ostendit, quia fides sine operibus sufficit ad salutem, non autem opera sine fide. Sed verba illius subscribam: Eum, *ait*, qui operatur opera iustitiæ sine fide, non possum probare viuū fuisse, fidelē autem absq; operibus possum monstrare, & vixisse, & regnum cœlorum assecutū. Nullus sine fide vitam habuit, latro autem credidit duntaxat, & iustificatus est à misericordissimo Deo. Atque hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iuste viueret, & honesta faceret opera. Neq; enim de hoc contenderim ego, sed vnum illud asseuerauerim, quod sola fides per se saluum fecerit. Nam si superuixisset, fideique & operum fuisset negligens à salute excidisset. Hoc autem nunc quæritur & agitur, quod & fides per seipsam saluum fecerit, opera autem per se nullos vnquam operarios iustificarunt. Et hoc probat ex Cornelio, in quo dicit ante acceptam fidem Christi bona quidem opera fuisse, sed mortua, quia fidem non habebat Christi, licet in Deum crederet. Nondum enim, *addit*, habebat ex operibus salutem, donec operibus suis fides acquirendum præmium offerret. Oportet enim ante opera lucere fidem, & fidei pedissequa esse opera.

Augustinus super Psalm. 31. tractans illa verba Apostoli, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* (Rom. 3.) *Noli*, inquit, *præsumere de operibus ante fidem. Noueris, quia peccatorem te fides inuenit. Et si te fides data fecit iustum impium inuenit, quo faceret iustum.* Et ibidem ex fide dicit iustificatum esse Abraham, *& si fidem*, ait, *opera non præcesserunt, tamen secuta sunt.* Et iam vt citauimus, q. 76. lib. 83. q. expressissime dicit, aliquem iustificari posse per fidem sine operibus bonis præcedentibus, atq; ita putat debere interpretari testimonium Pauli statim citatum: & addit, iustificationem fidei manere in illo, neq; operibus bonis præcedentibus, neque consequentibus, si mox vt crediderit, de hac vita discesserit. Ac ex illis verbis Christi, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet:* (Ioan. 11.) sic colligit, *Crede ergo, & si mortuus fueris, viues. Vnde mors in anima? Quia non est fides. Vnde in corpore? Quia non est ibi anima. Ergo anima tua anima, fides est.* Et 1. contra 2 epist. Pelag. cap. 21. *Quantalibet fuisset virtutis antiquos iustos, non eos saluos fecit, nisi fides mediatoris.* Et sæpe alias constanter dicit, per fidem Iesu Christi nos impetrare salutem.

Leo etiam in serm quodam de Epiphania: *Hoc est*, ait, *quod iustificat impios hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in vno eodemq; Domino Iesu Christo & vera Deitas, & vera credatur humanitas.*

Præcipue vero videntur vrgere verba illa Bernardi ad Deum, serm. 22. in Cantic. *Tam validus es ad iustificandum, quam multus ad ignoscendum. Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus, esurit & sitit iustitiam, credat in te, qui iustificas impium. & solam iustificatus per fidem, pacem habebit ad te.* Et in epist. 77. ita scribit: *Cum Christus dixisset, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: caute non repetijt,* (Marc. vlt.) *Qui vero baptizatus non fuerit: sed tantum, Qui vero non crediderit, condemnabitur: nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine illa sufficere nihil.*

In bulla etiam Mart. 5. qua condemnati sunt Ioan. Vuicleffus & Ioan. Hus, dilucide asseritur fides sola Catholica saluare, & sine ipsa nulli subsidium salutis contigisse. Neque ista tamen aut alia similia satis debent esse Catholicis, vt credant fide sola (Exposit. 7. iustificationis per solam fidem.) posse impium iustificari, aut tueri & conseruare iustitiam, vel deniq; beatitudinem adipisci. Dum enim ecclesiastici tractatores secuti in speciem Apostolum Paulum, fidei soli iustificationem tribuere, & necessitatem aliorum operum negare videntur, non sic intelligendi sunt, vt opera ex gratia & auxilio Dei facta, quæ scriptura ad salutem impiorum exigit, illis verbis excludant.

1. Excludunt vero aliquando sola opera exteriora. Et hoc volunt duntaxat pro certo statui, non esse opus exteriori sacramentorum susceptione, vbi eam articulus ne-
2. cessitatis excludit. Ac quandoque ad opera tantum cæremonialia, vel iudicialia veteris legis, quæ proprie legalia dicuntur, sermonem referunt, & ea sola affirmant
3.&4. necessaria ad iustitiam non esse. Et nonnunquam de operibus agunt ante fidem, vel certe de operibus, quæ fiunt vel per legem, vel per naturam sine gratiæ præuenientis auxilio: & illa duntaxat, vt ad iusti-
5. ficationem parum vtilia, reijciunt. Interdum etiam hoc vnum eis verbis volunt explicare, non præcedere iustificationem aliqua opera, quæ sint proprie ipsius merita,
6. quibusque ipsa vere debeatur. Vel quia fides, sicut dicit Chrysostomus, in serm. statim citato, per seipsam plena est operibus, & vbi primum credimus, nisi nos eam impedierimus, simul & operibus eam ornamus: fide omnia complectuntur, quę ipsam sequuntur vel comitantur, quæq; ipsa præscribit necessaria ad iustificationem: & fide sola aiunt nos iustificari, vt intelligamus non iustificari nos, nisi illis, quæ ipsa in nobis & efficit, & præstituit.
7. Et aliquoties fidem non operibus, sed nefarijs infidelium & hæreticorum sectis opponunt: & dicentes solam fidem nostrã saluare, tantundem exprimunt, ac si apertius dicerent, In nulla alia secta vel religione posse quempiam saluum fieri, sed solummodo in fide Christi, & extra illam nemini posse salutem contingere. Et hic est sine dubio sensus Martini V in bulla citata, & August. in vlt. ipsius testimonio. Sed hæc apertiora fient, si singulatim ad aliqua ex locis citatis respondeamus.

Et Origenem quidem, manifestum est, non exclusisse per illud verbum, *Sola fide*, opera ex fide prouidentia, videlicet, dilectionis, confessionis, orationis, aut pœnitentiæ interioris, sed exclusisse duntaxat opera exteriora, vel legalia Mosaicæ legis. Nam vt sola fide monstraret posse homines sine operibus legis iustificari, inducit exempla latronis sancti & Magdalenæ, & vtrunque dicit sola fide iustificatum, cum tamen ex Luca constet, & Latronem suorum peccatorum pœnituisse, & Magdalenæ remissa esse peccata, quia dilexit multum.

Hilarius vero propterea dixit fidem solam iustificare, quia absque illa, lex nunquam potuit præstare iustitiam: illa autem cum illis, quæ ipsa & facit & præcipit, credentes passim iustificat. nam verbo, *Solam*, tantummodo legem excludit. Et hoc nimirum videtur ille dixisse, quod Theophylactus in illa verba Christi, *Coram te comedimus:* Lucæ 13. minus scrupulose, & aliquanto apertius, sic dicit: *Non sufficiebat Iudæis ad iustificationem cultus ille per sanguinis effusionem, non accedente fide, quæ iustificat impium.* Vnde & ipse Hilarius, ne libertatem ab alijs præceptis videri posset docuisse, can. 10. subdit: *Fides nostra omnibus præceptis diuinæ voluntatis intenta est.*

Et Ambrosium in latronis iustificatione non exclusisse opera interiora procedentia à fide, manifestum est: quia in loco citato deuotionem fidei, & spem & orationem ipsius mirifice commendat, & eum sua oratione iustificatum aperte dicit. Et serm. 44. ne putaretur nomine solius fidei exclusisse confessionem latronis, quę actus fidei est aut Dei dilectionem, aut alios præclaros animi affectus, quos ille habuit in cruce: expresse dicit, eum plus amasse in cruce Christum, quam Iudas amauerit in cœna: & cum à Iuda pacis blandimenta fuerint vendita, à latrone crucis vulnera constanter prædicata: & despexisse eum vitam præsentem, & pro sola futura Christum orasse, & se quidem accusasse grauiter illis verbis: *Et nos quidem iuste, Nam digna factis recipimus.* Lucæ 23. Et addit, plus amare Christum ipsum cœpisse, ex quo intellexit, vulnera illius, esse vulnera sui ipsius, non Christi. In alijs vero testimonijs ex eodem citatis, perspicuum est, ipsum sola opera legis veteris excludere, & fidei nostræ sufficientiam ad salutem ostendere.

Ideo insuper & ipse, & Chrys. & Aug. & Bern. in locis allegatis, cum & in ipsis fateantur distincte operum necessitatem, soli fidei iustificationem tribuit, quia alienum esse

esse putarunt, vt illo verbo, *Sola fide*, excludi crederentur opera, quæ ab ea procedunt: & plerunque euenire intellexerunt, vt positis illis operibus, quorum ipsi meminerunt, nihil amplius ad iustificationem deesset, quam sola fides, & præter eam statuere volebant, neminem posse iustificari.

Ad Chrys. August. & Bernard. Et de Chrysostomo hoc liquet, quia nihil aliud dicit defuisse Cornelio ad salutem. Et in hom. 20. in Ioan. ex illis verbis Christi, *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei*, sic Luc. 11 colligit: *Hinc intelligimus fide semper nobis opus esse, & vita, quæ virtutibus luceat. Hæc duntaxat saluos nos facere poterit.*

De Bernardo etiam apertum idem est. Quid enim aliud desit compuncto corde, & esurienti iustitiam, quam fides & spes in Deum? Qua ratione in verbis supra libr. 6. cap. 27. citatis ex sermon. 3. de Annunciatione, sola spe impetrari dicit miseratio nem apud Deum. Fides siquidem & spes, si veræ sint, & non inanes, possunt cum illis, quæ ex eis sequuntur, vel quibus innituntur, impetrare Dei gratiam, non autem alia opera sine ipsis.

Atque ita dicimus, sola Dei misericordia nos ipsi reconciliari & saluari, quia illa ad hoc sufficit ex lege, cum illis, quæ requirit & in nobis efficit, nihil autem sufficit sine illa. In testimonio autem 2. ex Bernardo perspicuum est, solam fidem ab eo appellari fidem, quæ non habet exteriorem sacramenti baptismi susceptionem. Etenim & ibi meminit conuersionis ad Deum, & desiderij percipiendi baptismum, & tantum promittit salutem sine baptismo, si non desit fides recta, pia spes, & charitas syncera. Et in multis locis, quæ libr. 14. citabimus, palàm dicit, fidem non posse quemquam efficere rectum absque mandatorum obseruatione.

CAPVT XXVI.

Expressis Scripturæ testimonijs ostenditur, aliqua fuisse opera iustorum, aliena ab omni sorde peccati.

Corol. 3. Confirmatio. TERTIA doctrina, quam ex secunda conclusione colligerunt Patres, est huiusmodi: Iustus neque in omni bono opere venialiter peccat, neque, quod intolerabilius esset, meretur pœnas æternas.

Sed præstat ipsa verba Decreti audire: *Vnde constat, eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri.* Et manifestè hæc sequuntur ex possibilitate præceptorum. Si enim præcepta Dei possibilia sunt, poterunt igitur absque culpa veniali, & multo magis absque merito æternarum pœnarum impleri.

Et ex his verbis, *Aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri*, perspicue possumus colligere, quod & circa cap. 15. magis firmabimus, venialia peccata, neque mereri pœnas æternas, neque eis digna esse. Alioqui non intolerabilius esset, asserere iustum in omni bono opere pœnas æternas mereri, quam, iustum in omni opere bono venialiter peccare. Est autem hæc doctrina contra Martinum Lutherum. Eius quippe articulus 31 damnatus à Leone X. est hic, Iustus in omni opere bono peccat. Et 32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum. Et illius errorem integris voluminibus defenderunt Andreas Carolstadius & Ioannes Dolitius. Eundemque errorem tribuit quidam Erasmo Roterod. in Compendio Theologico, & in adnotationibus in illa verba Matth. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Matth. 19

Pugnarunt vero contra hoc peruersum dogma, immo vere de illo palàm triumpharunt præclari Ecclesiæ Doctores: Episcopus Roffensis, eruditione & vitæ sanctitate, & sanguine pro Christo effuso illustris, in art. 31. & 32. confutationis Lutheranarum assertionum. Iodocus Clichtoueus in lib. 1. Antilutheri. Ioannes Eckius in Enchiridio. Frater Alphonsus * Castro in præclara summa aduersus omnes hæreses, in verbo, *opus*. Gaspar Sagerus in Scrutinio Scripturæ conatu tertio. Et nouissime Frater Dominicus Soto, in lib. & pio & doctissimo de nat. & grat. f.* à Castro

Ex quibus optima quæque decerpens, & quædam alia à Patre luminum nobis

suppeditata, adijciens, primo admirat ostendere, doctrinam hîc traditam à Patribus, in sacris Scripturis disertè & expressè contineri, & ab vniuersa Ecclesia perpetuo fuisse creditam, Lutheranorumque errorem etiam ipsi lumini naturali repugnare. Deinde vero & veritatem fidei ab impugnationibus Lutheranis defendemus, & vindicabimus.

Sed vt distinctiora omnia sint, suis quæque capitibus distinguemus. Libet hîc, vt sanctitatem & ingens meritum operum iustorum, contra hæreticos nostri temporis & tueamur, & monstremus, aliquanto longiùs per amœnissima Scripturarum prata expatiari.

Argum. 1. à Scripturis. Atque vt à clarioribus testimonijs, sicut par est, exordiamur: apertissime docuit Scriptura, non omnia opera iustorum esse peccata, cum enumeratis grauissimis Iob tentationibus, & admirabili patientia ipsius in verbis & operibus, subdidit: *In omnibus his non peccauit Iob in labijs suis.* Iob 1 & 2

Matth. 6 Et manifesta sunt verba illa Christi, *Lucerna corporis tui est oculus tuus: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Si enim oculi simplicitas, hoc est, simplex & recta intentio, totum corpus illustrat, non ergo erunt peccata, opera ex bona intentione promanantia, & multo minus ipsa pura & recta intentio, quæ omnia elucidat. Nam peccata vtique tenebræ sunt, eoque elogio notantur in Scripturis: tantum abest vt alia illuminent.

Paulus etiam & ipsum contractum matrimonij, quem docet non esse opus admodum perfectum, luculenter exprimit non esse peccatum illis, qui non sunt alteri alligati. *Solutus es*, inquit, *ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccâsti: & si nupserit virgo non peccauit.* Et paulo inferius: *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, faciat. Non peccat si nubat.* Et alibi aduersus fructus spiritûs dicit non esse legem. Ex quo perspicuum est, eum docere, fructus spiritûs nulla ratione posse censeri peccata. Nam aduersus omnia peccata lex est aliqua. Siquidem peccatum non est, vbi nulla est legis transgressio. Et lex Dei perfecta non esset, nisi omnibus aduersaretur peccatis. Et vt ostendat alia esse opera bona, & alia peccata: alio in loco palam distinguit inter aurum, argentum, & lapides preciosos, ac ligna, fœnum, & stipulam. 1. Cor. 7

Apertissima item sunt verba Petri, ex quibus Patres hanc collegerunt doctrinam. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* 2. Petr. 1

Neque frustrà Iacobus, *In multis offendimus omnes.* Non ait, *In singulis.* Et cum subdit, *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir:* perspicue indicauit, esse aliquos viros perfectos, qui aliquo saltem breui tempore, verbo non labuntur, neque Deum offendunt. Iacob. 3

Cumque Ecclesiasticus dicit, *Omne opus electum iustificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo:* profectò ostendit, esse aliqua opera electa, & laude & honore dignissima, & nullatenus pœna aut vituperio. Sæpenumero etiam Deus per se & per suos Prophetas & Apostolos hortatus est omnes, & ad hoc suis nos præceptis constrinxit, vt vitemus peccatum: *Ecce sanus factus es*, dixit paralytico, *noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et Paulus omnibus iustis loquitur: *Euigilate iusti & nolite peccare.* Et iterum: *Irascimini, & nolite peccare.* Et Ioannes: *Hæc scribo vobis, vt non peccetis.* Eccles. 14 Ioan. 5 1. Cor. 15 Ephes. 4 1. Ioan. 2

Cum igitur, vt iam copiosè docuimus, Deus neque hortetur quenquam, neque adstringat ad impossibilia, inane quippe hoc esset & vanum, poterunt iusti aliquando vitare omne peccatum. Et alioqui frustrà à Deo peteremus, *Sanctificetur nomen tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Fidelis etiam Deus est*, ait Paulus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Matth. 6 1. Cor. 10

Profectò si nulla diei hora, nulla temporis particula, nullo vitæ momento possumus Dei mandata seruare absque ipsius offensa, semper tentaremur vltra id, quod possumus, semperque essemus perplexi, & adim-

ad impossibilia & importabilia coarctari. Quæ quidem de diuina maiestate absurdum est & nefas sentire.

Obiectio. Dixerit forte quispiam: Possumus nos quocunque momento, & quauis vitæ particula omne vitare peccatum, haudquaquam tamen id facimus: neque Lutherum

Respon. negasse potentiam, sed factum. Verum hoc alienum esse à mente Lutheri, conspicuum potest esse ex locis citatis. Vtrunque siquidem negat, & potentiam, & factum: & omnia opera nostra contendit esse peccata, & nihil nos ita bene operari posse, vt non eodem bono & sancto opere peccemus. Si quis est tamen, qui potentiam concedit, & factum negat, atque hoc prætextu Lutherum vult tueri, libenter eum rogarem: Vnde scis hoc nunquam esse, siquidem semper potest esse? Quid vetat, quo minus aliquando fit, quod quocunque in tempore posse esse concedis? Cur non saltem aliquorum iustorum opera ab ea communi lege excipis, eorum videlicet, qui quantam maximam queunt, diligentiam adhibent, vt omnem Dei euitent offensam? Vbi est etiam fidelitas Dei? vbi gratia? vbi auxilium? vbi cum tentatione prouentus? Si nullus vnquam sic vicit aliquam tentationem, & obsecutus est consiliis & præceptis diuinis, vt euaserit omnem culpam, nullus omnino plene & quantum necesse habuit, adiutus est à Deo. Et quid, cedo, minus possemus, si Deus pateretur nos tentari supra id quod possumus, si destitueret, si non adiuuaret, neque curaret, vt bene nobis cederent tentationes? Si autem valemus, Deo fauente, omnes tentationes sustinere, & vt Græce magnificentius Paulus dixit, ὑπενεγκεῖν, hoc est, sic ferre, vt eis diutius & importunius ferendis superesse, & superare valeamus: non ergo semper corruimus & succumbimus, neque sunt omnia opera nostra peccata. Cumque de ratione peccati sit, vt sit voluntarium, quod paulo ante luculenter probauimus, & iusti obfirmatissima sint plerunque voluntate vitandi omnia peccata, vitabunt quandoque illa, & facient aliquod opus bonum, liberum prorsus ab omni macula peccati.

CAPVT XXVII.

De repugnantia bonitatis & malitiæ.

POSSVMVS & aliqua opera iustorum euincere non esse peccata, ex ipsa boni ac mali, iustique & iniqui contrarietate. Nam cum multa opera, bona dicantur in Scripturis, & præcepta ac consilia non sint, nisi de bonis operibus: si nequit idem opus simul esse bonum & malum, certum erit, aliqua iustorum opera non esse peccata. Porro hanc repugnantiam bonitatis moralis, de qua sola modò agimus, cum malitia seu peccato, sic cunctis perspicuam & indubitatam valemus facere. Nequit idem opus simul esse bonum & malum.

Argum. 1. Bonitas moralis habet se in operationibus nostris, sicut pulchritudo in corpore humano. Sicut igitur non stat, idem corpus pulchrum esse ac deforme: quicquid enim desit ei ex requisitis ad pulchritudinem, siue ex parte quantitatis, siue ex parte coloris, aut figuræ vel proportionis membrorum inter se, mox teste Aug. desinit esse pulchrum: ita profecto & eundem actum humanum, bonum esse & malum, impossibile est: quia bonitas mox ab operibus nostris abscedit, vbi vel aliqua eis accesserit mala circumstantia, vel ex illis quæ ad bonitatem requisitæ sunt, aliqua defuerit. August. 8. de Trin. c. 3.

Vnde & Dionysius dicit, bonum esse ex integra causa, & malum ex circumstantia. Dion. 4. de diuin. nom. Et Philosophus inquit: Vno namque modo bonus est, videlicet actus noster, multisque nefandus. Receptissimumque est & indubitatum apud bonos omnes Philosophos, non tantum omnem circumstantiam malam superuenientem cuicunque operi bono, reddere illud vitiosum, & ab eo tollere præexistentem totam bonitatem, verum & idem efficere cuiuscunque circumstantiæ debitæ inesse defectum, siue in productione operis, siue etiã in cõtinuatione.

Argum. 2. Et communis animi conceptio videtur, bonum opus non esse malum, neq; malum esse bonum. Et lumẽ ipsum naturale, quod bonum esse faciendum, & malum fugiendum dicit, bona certe discriminat à malis. Et hac luce nobis indita, admonitæ omnes gentes, bona semper à malis distinxerũt: &

quæ

Digitized by Google

quæ bona censebant, & laudi tribuebant, ea mala dicere & vitio vertere, nefas & absurdissimum putarunt.

Adam Go. in fine 2. Guillel. de bell. mon. Mona. Almay. cap. 12. Metalium. David Castren. Et quanquam inter Scholasticos nonnulli authores tenuerunt, eundem actum humanum, posse simul esse bonum & malum, eum videlicet, qui ob malum & ob bonum finem fieret, & à bona & mala intentione prodiret, tamen eis semper aduersati sunt meliores & primæ classis Theologi. *Thom. in 2. d 40. art. 4. Bon. dist. 41. q. 1. Sco. d. 40. Dur. d. 40. q. vlt. Greg. d. 42. q. 1. art. 1* Et in schola tàm Philosophorum, quàm Theologorum, semper pro comperto & certo habitum est, eundem actum non posse esse simul bonum & malum. Manifestam enim contradictionem videtur hoc habere: & eiusmodi contraria sunt bonitas & malitia in eodem genere, vt nullis in gradibus simul possint esse in aliquo subiecto. Et qui ad actus interiores hoc restringunt, & in actibus exterioribus secus esse posse existimant, inconstantissime nostro iudicio loquuntur. Sunt quippe vtrique actus, humani & liberi, ac eisdem legibus & regulis subiecti, & possunt ex æquo ob malum etiam ob bonum finem fieri simul, & à bona & mala intentione trahere originem.

Argum. 3. Et vtrosque vel hoc possumus argumento expugnare: Quis enim non videat absonum esse, vt idem actus donum sit Dei, & peccatum: lege Dei sit prohibitus, & eadem præceptus: placeat Deo, & displiceat: Dei instinctu & dæmonis simul fiat, & vtrique simul sit gratus: ascensus sit mentis in Deum, & descensus seu recessus ab eo: meritum præmij, & simul meritum pœnæ laudabilis, & vituperabilis: conformis legi diuinæ, & difformis: virtus & vitium, & causa virtutis & vitij, & denique iustitia & iniquitas? Quæ omnia manifeste sequuntur, si idem actus simul sit bonus, & peccatum.

Argum. 4. Ex Scripturis item docere possumus hanc repugnantiam bonitatis & malitiæ moralis in eodem opere. Nam Christus dicit, *Nemo potest duobus Dominis seruire.* *Matth. 6. 24* Et alibi: *Qui non est mecum contra me est: & qui non colligit mecum, spargit.* *Marc. 9* Et rursus: *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Quanto igitur minus credendum est, eodem nos opere posse Deo seruire & dæmoni: esse cum Christo, & contra illum? Christi & suorum Apostolorum mandata & vestigia sequi, & aduersus eorum doctrinam & exempla facere?

Pulchre nimirum Paulus: *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial?* *2. Cor. 6.* Et paulo ante aperte distinguit bona à malis, dicens: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et aliàs longe docet inter se distare fructus spiritus, & opera carnis, & alia esse horum, alia illorum stipendia.

Ac Petrus pollicetur nos nunquàm peccaturos, si quidem per bona opera certam nostram vocationem faciamus. Ait quippe: *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Quod vtique nequaquam satis esset, si eadem opera & bona possent simul esse, & mala ac peccata.

Huc etiam profecto Psaltes egregius allusit, cum dixit: *Declina à malo, & fac bonum.* *Psalm. 36* Sed expressius est illud Esaiæ, quod ad se dictum iuste putare deberent Lutherani: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* *Esai. 5*

Argum. 5. Diuus etiam Augustinus contra mendacium sic probat, nullum mendacium esse iustum, quia aliàs aliquod peccatum esset iustum. Quod absurdissimum esse, statim confirmat: quia nihil aliud est dicere, aliqua peccata esse iusta, quam, aliqua iusta esse, quæ iniusta sunt. *Quo quid absurdius, ait, dici potest? Vnde est enim peccatum, nisi quia iustitiæ contrarium est?* Et subinfert: *Dicantur ergo alia magna alia parua esse peccata, quia verum est: neque auscultandum est Stoicis, qui omnia paria esse contendunt. Dicere autem, quædam iniusta, quædam iusta esse peccata: quid est aliud, quam dicere quasdam iustas, quasdam iniustas iniquitates, cum dicat Apostolus Ioannes, Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas?* *1. Ioan. 3* Et rursus: *Quod aliquis faciendo quod debet, peccet: & quod non peccet, omittendo quod debet, scelus est dicere.*

Quare non immerito quidam eximij Lutheri antagonistæ cum arguunt, quod si *Cōtra dictū Lutheri.*

bijpsi aduersatus fuerit in articulis, quos modo impugnamus. Si enim aliqua iustorum opera, bona sunt, non ergo erunt peccata. Etsi omnia sunt peccata, nulla ergo bona sunt: & falsum est quod ait, Iustus in omni opere bono peccat.

Insuper: Si aliquod opus bonum optime fit, ita fiet igitur, vt debet fieri, & nihil ei deerit necessarium ad ipsius bonitatem, neque aliquid circumstabit, quod ipsum vitiet. Ac proinde apertam claudit repugnantiam, quod dicit: Opus bonum optime factum, est veniale peccatum. Quicquid namque vituperatur, ideo vituperatur, teste Augustino, quia non est ita vt esse debuit.

Roff art. 19. contr Luth. *Contradictio altera Lutheri.* Quod si apud Lutherum, vt testis est Roffensis, Nullum est peccatum veniale, sed omnia peccata sunt mortalia, alia item hîc latet contradictio. Aduersantur quippe gratia & iustitia peccato cuiuis mortali: & si iustus quis est, non peccat mortaliter: & si peccat mortaliter, non est iustus, sed eo ipso perdit iustitiam, quam prius habebat.

Non video sane vel rimulam, qua possit elabi & has contradictiones vitare, nisi forte dixerit, bona se opera appellasse, non quæ sint, nulla enim apud eum talia sunt, sed quæ bona communiter videntur, & à malis discernuntur operibus: & opus bonum optime factum se dixisse, non quod optime fiat, nihil namque secundum eum à nobis optime fit, sed quod fit à nobis quam optime possumus: & iustum se dixisse, non qui sit, nullus quippe apud eum erit iustus, sed qui fecit, quod potuit, vt esset iustus. Sed si in eum sensum vel ipse, vel sequaces ipsius interpretentur præcitatos articulos, dupli i se malo & incommodo obnoxios facient. Nam naturam nostram cogentur cum Manichæis malam, & à malo conditam principio asserere, quippe quam nullum bonum posse operari asseuerant. Et sexcentis locis Scripturæ aduersabuntur, quibus multi, iusti, sanctiq́ue, amici Deo, & amici & filij ipsius, & multa hominum opera, bona & Deo grata affirmantur. Pergamus vero ora eorum omni ex parte obturare, & opera bona ab iniquitate & vitio defendere, quæ nunquam ipsi tam obstinate oppugnarent, nisi procul ab ipsis essent.

CAPVT XXVIII.

De præmijs, operibus iustorum repositis.

EX præmijs etiam, quæ aliquibus nostris operibus à Deo & pron issa sunt, & passim exhibentur, docere possumus, multa esse opera bona in iustis, quæ nulla adspergantur labe peccati. Quid enim summa illa & incomprehensibili Dei bonitate indignius, quam asserere, eum præmiare mala opera & peccata? Dæmones hoc faciunt persæpe, & qui sunt ex parte illorum. Deus autem, *Absit ab eo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. Vindex ille est profecto in iram eis, qui malè agunt. Vultusq; illius super facientes mala, vt disperdat de terra memoriam eorum. Atq; odio sunt ei impius & impietas eius.* Et sicut dicit Abacuck, *Mundi sunt oculi ipsius, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non potest.* *Argum. 4.* *Iob 34* *Psalm. 33* *Sap. 14* *Abac. 1*

Et quamuis multa sæpe bona Deus peccatoribus contulerit, & conferat, non peccata tamen in eis, sed bona, quæ alioqui fecerant, opera in eis remunerabat. Et hoc sæpe Deus in Scripturis explicuit. Et vel verba illa ad Iosaphat regem Iuda, hoc nos possunt docere: *Iram quidem merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.* Atque hinc sunt illa verba Augustini de obstetricibus Pharaonis: *Non est itaq; in eis remunerata fallacia, sed beneuolentiæ & benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Et alibi gloriam illam præcellentis imperij concessam dicit à Deo esse Romanis propter quædam bona opera, quæ in eis fuerunt. *2. Paral. 19* *Aug. contr. mend.* *Idem 5. de ciuit. Dei, c. 15*

Quod autem multa sint opera iustorum, quibus magna Deus & contulerit, & pollicitus sit præmia, luculentissimum est ex Scripturis: Oblationem Isaac factam à Patre suo Abraham, magnificentissima illa præmiauit Deus suæ incarnationis promissione. Et quidem si vel tantillulum malitiæ & culpæ in ea oblatione fuisset, nunquam dixisset, *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti* *Genes. 22*

 filio

filio tuo vnigenito, benedicam tibi, &c. Et mox, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Neque descendisset filius Dei ad liberandum nos propter gemitus & suspiria Sanctorum, neque de beatissima Virgine propter fidem & humilitatem ipsius carnem sumpsisset, sicut sæpe asserunt Doctores sancti, neque absque authoritate Scripturarum, si gemitus illi & suspiria Sanctorum, & fides & humilitas Virginis, culpæ & peccata fuissent. Non tam leue est beneficium incarnationis, quod omnem gratiam exuperat, vt præmium fuisse malorum operum, Christianus homo vel suspicari debeat audere.

Et vt de alijs beneficijs taceamus, nonne absurdissimum dictu est, nos Deum placare, vel mitigare iratum, aut iustificationem nostram, & reconciliationem cum ipso, ac remissionem peccatorum nostrorum, per peccata comparare, & pro peccatis Deo per peccata satisfacere? Non placatur homo per suam ipsius offensam. Non alicui condonamus iniurias nostras propter nouas nobis illatas iniurias. Neque aliquem ad gratiam nostram recipimus propter opus, quo malè de nobis meretur.

Illa igitur opera, quibus Deus in Scripturis sæpe est placatus & reconciliatus nobiscum, quibusque nobis suam gratiam & beneficentiam pollicetur, longe absunt, longeque abesse fateri oportet ab omni culpa. Subijciamus tamen aliquot Scripturæ testimonia, quæ sua luce & fulgore, errorem hunc magis faciant perspicuum.

Iob 22. *Si reuersus fueris ad omnipotentem,* ait per spiritum Domini Eliphaz Themanites ad Iob, *ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. Eritq; omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi. Tunc super omnipotentem delicijs afflues, & eleuabis ad Deum faciem tuam. Rogabis Deum, & exaudiet te & vota tua reddes. Decernes rem, & veniet tibi, & in vijs tuis splendebit lumen.*

Potest tantopere quis desipere, vt tanta & tam eximia beneficia reposita esse à Deo credat operi malo? Et quomodo qui reuertitur ad Deum, longe facit iniquitatem à tabernaculo suo, si ipsa reuersio, & quicquid posteà facit, peccatum est? Certe omne peccatum iniquitas est.

Quam longe vero aberat ab hac insania Sophar Naamathites, qui in spiritu Domini confidenter dicebat eidem Iob, & in illo omnibus nobis: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absq; macula & eris stabilis, & non timebis. Miseriæ quoque obliuisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, non recordaberis,* & reliqua lætissima, quę ibi sequuntur. Iob 11

Quæ libertas vnquam à macula, quæ stabilitas, quæ securitas, quæ miseriæ obliuio potest esse, si omnia opera nostra sunt peccata?

Et iterum per Esaiam Deus clamat: *Lauamini, mundi estote auferte malum cogitationum vestrarum. Quiescite agere peruerse discite benefacere. Quærite iudicium subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Esa. 1

Et similia, his, aut certe magnificentiora, postea per eundem Prophetam operibus pœnitentiæ & misericordiæ pollicetur, inter quæ illa præcipuum locum tenent: Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Porro neque iusti possunt esse mundi & nitidi sicut nix, aut sicut lana alba, neque auferre possunt malum cogitationum suarum, si neque carere queunt, vel ad modicum tempus, culpa aliqua, neque habere aliquam cogitationem, quæ non sit peccatum. Et si omnia iustorum opera sunt peccata, non ergo eorum tenebræ sunt sicut meridies, sed meridies potius ipse est tenebræ & caligo.

Et vtcunque ista se habeant, certe nulli iustorum iure possunt vnquam Dominum arguere, aut cum illo ob bona negata, vel ob mala inflicta merito expostulare, si omnia eorum opera sunt peccata. Quam enim iustitiam apud Deum habeant, & nobis comparent opera, quæ ipsa sunt mala & ini-

iniqua, ac per hoc iram potius quam præmium merentur?

Et Esaiæ quidem & Paulo aperte concinit Ioannes his verbis: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Vtque omnem tolleret euasionem, statim adiecit: *Et emundet nos ab omni iniquitate.* Et ne in aliud fortassis seculum hæc promissio referretur, statim præmiserat: *Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Emundat, inquit, *ab omni peccato.* Sunt ergo aliquando iusti in hac vita sine peccato: & confessio ipsa peccatorum, qua tantam gratiã obtinent, omni prorsus vacat culpa.

1. Ioan. 1

Idemque postulant illa verba Ezechielis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam,* re scilicet vel voto, *vitâ viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Sed & aliquanto expressiora sunt illa alia eiusdem Prophetæ verba: *Si dixero impio, Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamq; reddiderit, in mandatis vita ambulauerit, neq; fecerit quicquam iniustum: vita viuet, & non morietur.*

Ezech. 18

33

Nunquam sane Deus propter opus malum suam reuocaret sententiam, neque diceret. Neque fecerit quicquam iniustum, si non hoc subesset cum Dei auxilio impij potestati. Et qui pollicetur omnium se iniquitatum obliturum, satis indicat, impium aliquando immunem fieri ab omni peccato propter suam conuersionem & pœnitentiam. Quare vel ex hoc apertum esse potest, eam pœnitentiam non esse peccatum. Non enim fieri potest, vt per aliquod peccatum etiam ipsius remissionem assequamur. Neque tam sæpe & Christus, & Apostoli, iustificationem nostram, & multa miracula quæ faciebant, fidei tribuissent, si illa in nullis fuisset opus bonum.

Certe qui dixit, *Quoniam in me sperauit, liberabo eum:* & rursus: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* satis indicauit, & spem iustorum in Deo, & dilectionem Magdalenæ in ipsum, bona fuisse opera, neque quidpiam habuisse malitiæ. Alioqui non eas Deus vt causas allegasset liberationis & remissionis peccatorum. Ostendit & hoc ipsum olim Deus Eliæ, de pœnitentia Achab, dicens: *Quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Et alibi de zelo Iehu regis Israel, cum deleuit domum Achab & Baal de Israel, idem docuit his verbis: *Quia studiose egisti, quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.*

Psalm. 90

Luc. 7

3. Reg. 21

4. Reg. 10

In ipsa etiam retributione iustorum, vbi omnia ad viuum discutientur, & vniuscuiusque opus, quale sit, Christus, qui neque falli, neque fallere potest, lucidissimum omnibus efficiet: nunquam quidem opera misericordiæ, quæ iusti fecerunt in hac vita, vt causa beatitudinis ipsorum commemorarentur, si & ipsa quoque vitiosa fuissent. Quandoquidem non iusti & prudentis, sed iniqui, aut certe inepti iudicis officium est, eas causas in sententia absolutionis Rei allegare aut proferre, quæ condemnationem verius efflagitant, & misericordia & excusatione indigent.

CAPVT XXIX.

De fructibus bonorum operum.

HVc etiam spectant, & eandem veritatem egregie nos docent plurimi & eximij fructus, quos Scriptura commemorat à bonis operibus prouenire. Vt enim in genere prius dicamus, bonorum laborum gloriosus nimirum est fructus: & mensuram bonam & confertam & coagitatam & superfluentem dant in sinum nostrum: promissionemque habent vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Tantos autem & tam præclaros fructus ex peccatis sequi, quæ Deo sunt inuisa, quis nisi stultissimus possit credere?

Quoniam vero hæretici nostri temporis, dum fidem tantum necessariam ad salutem putant, operibus nostris & multum & in multis detrahunt, & in eo se egregios Christi gratiæ & fidei assertores & buccinato-

natores putant, si opera sugillent & contemnant, placet hîc sub compendio lectori subijcere aliquot bonorum operum fructus, quos sparsim in Scripturis nobis commendatos notaui.

Qui nôrunt ex paruis maiora coagitare, poterunt hæc copiosius persequi. Amœnissimus quippe & latissimus est ad expatiandum campus, si quis velit singulos bonorum operum fructus vel illis testimonijs Scripturarum illustrare, quæ nos, aliô properantes, contenti erimus hîc *(a)* indicare. Implent opera bona præcepta, eoque vitant peccata, & tollunt pœnas peccatoribus paratas, atque eos qui illa operantur, bonos & laudabiles efficiunt. Iucundant mœrentes, tranquillant commotos, sedant turbatos, corroborant debiles, confortant timidos, accendunt segnes, & deiectos erigunt. Ægrotos sanant, mortem depellunt, vitam prolongant, pauperes ditant, steriles fœcundant, superbos humiliant, humiles exaltant, & ad cœlos vsque extollunt. Domos ædificant, honores & famam comparant, à periculis & tribulationibus eripiunt, victorias, dignitates, & principatus pariunt, ac regna & imperia constabiliunt. Quin & peccatores iustificant, animæ sordes lauant, debita relaxant, satisfaciunt pro peccatis, & reatum ipsorum minuunt, & nonnunquam in totum delent, Deoque nos reconciliant, iram ipsius mitigant, & sententiam vindictæ iam ab eo latam reuocant. Augent gratiam & virtutes, mentium tenebras fugant, splendoribus & delicijs animas complent, carnem mortificant, contra hostes spiritales muniunt, ab eorum insultibus protegunt, & mirabiles de ipsis triumphos nobis reportant. Proximos ædificant, Deum glorificant, Prophetas constituunt, miracula faciunt, mundum ad fidem conuertunt, errantes ad veritatem reuocant, angelos & beatos omnes lætificant, & quod omnium maximum est, Deum hominem fecêre, & vitam & beatitudinem æternam apud eum impetrant & merentur. (a) 2. *Petr.* 1. *Iacob.* 2. 1. *Corinth.* 9. *Deuteronom.* 28. 1. *Ioann.* 3. *Sapient.* 3. *Esa.* 54. *Iob* 22. *Deuteronom.* 28. 4. *Reg.* 20. 1. *Reg.* 20. *Exod.* 1. 14. 17. *Deuteronom.* 28. 3. *Reg.* 20. *Num.* 25. *Esa.* 37. 38. 1. *Machab.* 2. *Rom.* 2. *Luc.* 7. *Dan* 4. *Esa.* 1. *Matth* 18. 2. *Reg.* 12. *Exod* 20. 1. *Par.* 12. 19. *Ioan.* 3. *Iud.* 8. 2. *Petr.* 1. *Esa.* 58. *Iob* 11. & 22. *Coloss.* 3. *Eccles.* 20. *Rom.* 12. *Matth.* 5. 4. *Reg.* 2. *Mar.* 16. *Iacob.* 5. *Luc.* 16. *Genes.* 22. *Luc.* 1. *Matth.* 19. 22. 25.

Fructus bonorum operum 40.

Eant nunc hæretici, & bonis operibus obloquantur & insultent, quæ tantos nobis fructus conciliant. Nec danda illis venia est, quia existimant laudem operum in Christi iniuriam & gratiæ & fidei ipsius redundare. Quippe, si rem bene perpenderent, agnoscerent proculdubio, Christi & donorum ipsius verissimam esse & certissimam commendationem, ipsam nostrorum operum laudem. Quia tum demum vere intelligimus, quanta sit virtus fidei & gratiæ Christi, quanta & illius in nos beneuolentia & magnificentia, cum agnoscimus, quanta ipsius ope, & quam frugifera & præcellentia opera possimus facere, qui per nos ne cogitare quidem aliquid boni sufficimus.

Neque alia nos modò magnificamus opera, quam ea, quæ ob Dei misericordiam & Christi merita per gratiam & fidem efficimus. Didicimus enim ex Chrysostomo Iudæorum fuisse, spem salutis in operibus ponere, & non in fide, & hoc eis & gentibus impedimento fuisse, teste Apostolo, ne ad veram iustitiam peruenirent, primamque esse iustitiam, fidem: secundam verò, quæ ex illa sequuntur, opera.

Chrys. hom. 11. in Matt.

Quia vero tantum est, vel certè fuit, inter nos & hæreticos nostri temporis controuersia de eo, quod asserimus iustificare bona opera peccatores, & promereri vitam æternam, & de priore ex his duobus lib. 6. 8. & 9. satis egimus, de posteriore vero agunt Patres in 16. cap. contenti erimus hîc ista attigisse & monuisse. Et alioqui ad euertendum hæresim, quam modo oppugnamus, non satis esset, opera nostra etiam vitæ æternæ meritoria probare. Nam qui absurdum non putant, opus idem simul esse bonum & malum: neque vererentur concedere, & simul esse meritorium, & peccatum.

Quia-

Quare ad alium pergemus locum vnde errorem hunc reuincamus.

CAPVT XXX.

De laudibus bonorum operum.

PORRO aliqua fuisse opera iustorum, nulla peccati immunditia inquinata, docere nos queunt laudes, quibus scriptura nobis prædicat & commendat multa talia, sicut Abrahæ fidē, obedientiam Moysi, Dauidis mansuetudinem, Eliæ & Phinees zelum, Ioannis Baptistæ constantiam & vitæ rigorem, Petri perfectam dilectionem, Magdalenæ religionem & pœnitentiam, Cananeæ & Centurionis fidem, & similia. Nunquam equidem scriptura, hæc & alia pleraq; laudasset si non procul fuissent à peccati labe. Nemini adulari nouit, nemini blandiri. Quidquid commendat, certissimum est inculpatum esse & irreprehensibile: longissime enim abest Deus, qui in illa loquitur, ab assentatione & dolo. Et Paulus, qui de se fiducialiter aiebat, *An experimentum quaritis eius, qui in me loquitur Christus?* (2. Cor. 13.) nunquam tam multa bona opera sua, tam interiora, quam exteriora, magnanimiter prædicasset, si non illa proculdubio credidisset sic fuisse bona, vt nihil eis adhæsisset malitiæ. An vero quisquam tam impius erit, vt & illam reprobet flagrantissimam in Christum & in proximos charitatem, qua succensus & exæstuans dicebat, *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* (Rom. 8.) Et alijs in locis: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* (1. Cor. 9.) *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Ministri Christi sunt, & ego. Vt minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* (2. Cor. 11.) Et cætera, quæ ibi admiranda commemorat. Multo reuera aliter & de se, & de alijs persuasus ille erat. *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (2. Cor. 1.) *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* (Galat. 2.) Et iterum: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* (Hebr. 10.) Et alibi in suis sibi gloriabundus tribulationibus, confidenter dicebat: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* (2. Tim. 4.) Quæ quidem haudquaquam dixisset, si vel tantisper hæsitasset, an fides sua, an cursus, an prædicatio, & iugis tribulationum & laborum pro Christo & pro Ecclesia tolerantia, fuissent peccata. Quod enim ius tribuerent peccata ad beatitudinis coronam?

CAPVT XXXI.

De quibusdam alijs, quæ ostendunt aliqua opera iustorum omni culpa vacasse.

IPSA insuper gratiæ potentia, quæ cum iustis, teste Paulo, operatur, ipsa Dei in nos beneficentia & sanctitas, ipsa salus, quā Christus attulit mundo, & scintilla rationis mentibus nostris inserta, & communia Ecclesię dogmata reuocare potuerunt Lutherum & sectatores ipsius ab hac insania, qua omnia omnium hominum facta condemnant. Nam gratia ad peccatum non concurrit. Quid enim tam alienum à gratia, quam peccatum? Si virtutibus nemo male vtitur, teste Augustino, & philosophis, quanto minus id est concedendum de gratia?

Deus etiam ad peccandum nos non adiuuat, adiuuat tamen ad multa opera. (Potentia gratiæ.) *Perditio tua Israel*, inquit, *tantummodo in me auxilium tuum.* (Osea 13.) *Beatus vir, cuius est auxilium abs te.* (Psal. 83.) Et si Christus naturam nostram sanauit, vt supra certum esse ostendi: poterimus ergo, redempti & iustificati, aliqua opera facere aliena ab omni sorde peccati. (Efficacia meritorum Christi.) Profecto aut oportet dicere, gratiam nihil posse in iustis efficere, & Deum nunquam eos adiuuare ad operandum, neque Christum naturam nostram sanasse: aut si hæc, quæ aperto Marte pugnant contra fidem, & contra mille scripturarum loca, negantur, concedantur, necesse est aliquando iusti aliqua bona

natores putant, si opera sugillent & contemnant, placet hîc sub compendio lectori subijcere aliquot bonorum operum fructus, quos sparsim in Scripturis nobis commendatos notaui.

Fructus bonorum operum 40.

Qui nôrunt ex paruis maiora coagitare, poterunt hæc copiosius persequi. Amœnissimus quippe & latissimus est ad expatiandum campus, si quis velit singulos bonorum operum fructus vel illis testimonijs Scripturarum illustrare, quæ nos, aliò properantes, contenti erimus hîc (a) indicare. Implent opera bona præcepta, eoque vitant peccata, & tollunt pœnas peccatoribus paratas, atque eos qui illa operantur, bonos & laudabiles efficiunt. Iucundant mœrentes, tranquillant commotos, sedant turbatos, corroborant debiles, confortant timidos, accendunt segnes, & deiectos erigunt. Ægrotos sanant, mortem depellunt, vitam prolongant, pauperes ditant, steriles fœcundant, superbos humiliant, humiles exaltant, & ad cœlos vsque extollunt. Domos ædificant, honores & famam comparant, à periculis & tribulationibus eripiunt, victorias, dignitates, & principatus pariunt, ac regna & imperia constabiliunt. Quin & peccatores iustificant, animæ sordes lauant, debita relaxant, satisfaciunt pro peccatis, & reatum ipsorum minuunt, & nonnunquam in totum delent, Deoque nos reconciliant, iram ipsius mitigant, & sententiam vindictæ iam ab eo latam reuocant. Augent gratiam & virtutes, mentium tenebras fugant, splendoribus & delicijs animas complent, carnem mortificant, contra hostes spiritales muniunt, ab eorum insultibus protegunt, & mirabiles de ipsis triumphos nobis reportant. Proximos ædificant, Deum glorificant, Prophetas constituunt, miracula faciunt, mundum ad fidem conuertunt, errantes ad veritatem reuocant, angelos & beatos omnes lætificant, & quod omnium maximum est, Deum hominem fecêre, & vitam & beatitudinem æternam apud eum impetrant & merentur. (a) 2. *Petr.* 1. *Iacob.* 2. 1. *Corinth.* 9. *Deuteronom.* 28. 1. *Ioann.* 3. *Sapient.* 3. *Esa.* 54 *Iob* 22. *Deuteronom.* 28. 4. *Reg.* 20. 1. *Reg.* 20. *Exod.* 1. 14. 17. *Deuteronom.* 28 3. *Reg* 20. *Num.* 25. *Esa.* 37. 38. 1. *Machab.* 2. *Rom.* 2. *Luc.* 7. *Dan* 4. *Esa.* 1. *Matth* 18 2. *Reg.* 12 *Exod* 20. 1. *Par.* 12. 19 *Ioan.* 3. *Iud.* 8. 2 *Petr.* 1. *Esa.* 58. *Iob* 11. & 22. *Colcss.* 3. *Ecclesi.* 20. *Rom.* 12. *Matth.* 5. 4. *Reg.* 2. *Mar.* 16. *Iacob.* 5 *Luc.* 16. *Genes* 22. *Luc.* 1. *Matth.* 19. 22. 25.

Eant nunc hæretici, & bonis operibus obloquantur & insultent, quæ tantos nobis fructus conciliant. Nec danda illis venia est, quia existimant laudem operum in Christi iniuriam & gratiæ & fidei ipsius redundare. Quippe, si rem bene perpenderent, agnoscerent proculdubio, Christi & donorum ipsius verissimam esse & certissimam commendationem, ipsam nostrorum operum laudem. Quia tum demum vere intelligimus, quanta sit virtus fidei & gratiæ Christi, quanta & illius in nos beneuolentia & magnificentia, cum agnoscimus, quanta ipsius ope, & quam frugifera & præcellentia opera possimus facere, qui per nos ne cogitare quidem aliquid boni sufficimus.

Neque alia nos modò magnificamus opera, quam ea, quæ ob Dei misericordiam & Christi merita per gratiam & fidem efficimus. Didicimus enim ex Chrysostomo Iudæorum fuisse, spem salutis in operibus ponere, & non in fide, & hoc eis & gentibus impedimento fuisse, teste Apostolo, ne ad veram iustitiam peruenirent, primamque esse iustitiam, fidem: secundam verò, quæ ex illa sequuntur, opera.

Chrys. hom. 11. *in Matt.*

Quia vero tantum est, vel certè fuit, inter nos & hæreticos nostri temporis controuersia de eo, quod asserimus iustificare bona opera peccatores, & promereri vitam æternam, & de priore ex his duobus lib. 6. 8. & 9. satis egimus, de posteriore vero agunt Patres in 16. cap. contenti erimus hîc ista attigisse & monuisse. Et alioqui ad euertendum hæresim, quam modo oppugnamus, non satis esset, opera nostra etiam vitæ æternæ meritoria probare. Nam qui absurdum non putant, opus idem simul esse bonum & malum: neque vererentur concedere, & simul esse meritorium, & peccatum.

Quia-

Quare ad alium pergemus locum vnde errorem hunc reuincamus.

CAPVT XXX.

De laudibus bonorum operum.

PORRO aliqua fuisse opera iustorum, nulla peccati immunditia inquinata, docere nos queunt laudes, quibus scriptura nobis prædicat & commendat multa talia, sicut Abrahæ fidē, obedientiam Moysi, Dauidis mansuetudinem, Eliæ & Phinees zelum, Ioannis Baptistæ constantiam & vitæ rigorem, Petri perfectam dilectionem, Magdalenæ religionem & pœnitentiam, Cananeæ & Centurionis fidem, & similia. Nunquam equidem scriptura, hæc & alia pleraq; laudasset si non procul fuissent à peccati labe. Nemini adulari nouit, nemini blandiri. Quidquid commendat, certissimum est inculpatum esse & irreprehensibile: longissime enim abest Deus, qui in illa loquitur, ab assentatione & dolo. Et
2. Cor. 13. Paulus, qui de se fiducialiter aiebat, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* nunquam tam multa bona opera sua, tam interiora, quam exteriora, magnanimiter prædicasset, si non illa proculdubio credidisset sic fuisse bona, vt nihil eis adhæsisset malitiæ. An vero quisquam tam impius erit, vt & illam reprobet flagrantissimam in Christum & in proximos charitatem, qua succensus & exæstuans dicebat,
Rom. 8. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et alijs in lo-
1. Cor. 9. cis: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Quis infirma-*
2. Cor. 11. *tur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Ministri Christi sunt, & ego. Vt minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Et cætera, quæ ibi admiranda commemorat. Multo reuera aliter & de se, & de alijs persuasus ille erat. *Gloria,*
2. Cor. 1. inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ no-*
Galat. 2. *stræ. Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chri-*
Hebr. 10. *stus.* Et iterum: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Et alibi in suis sibi gloriabundus tribulationibus, confidenter dicebat: *Bonum certamen* 2. Tim. 4. *certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Quæ quidem haudquaquam dixisset, si vel tantisper hæsitasset, an fides sua, an cursus, an prædicatio, & iugis tribulationum & laborum pro Christo & pro Ecclesia tolerantia, fuissent peccata. Quod enim ius tribuerent peccata ad beatitudinis coronam?

CAPVT XXXI.

De quibusdam alijs, quæ ostendunt aliqua opera iustorum omni culpa vacasse.

IPSA insuper gratiæ potentia, quæ cum iustis, teste Paulo, operatur, ipsa Dei in nos beneficentia & sanctitas, ipsa salus, quā Christus attulit mundo, & scintilla rationis mentibus nostris inserta, & communia Ecclesiæ dogmata reuocare potuerunt Lutherum & sectatores ipsius ab hac insania, qua omnia omnium hominum facta condemnant. Nam gratia ad peccatum non concurrit. Quid enim tam alienum à gratia, quam peccatum? Si virtutibus nemo male vtitur, teste Augustino, & philosophis, quanto minus id est concedendum de gratia?

Deus etiam ad peccandum nos non adiuuat, adiuuat tamen ad multa opera. *Perditio tua Israel,* inquit, *tantummodo in me auxilium tuum. Beatus vir, cuius est auxilium abs te.* Et si Christus naturam nostram sanauit, vt supra certum esse ostendi: poterimus ergo, redempti & iustificati, aliqua opera facere aliena ab omni sorde peccati. Profecto aut oportet dicere, gratiam nihil posse in iustis efficere, & Deum nunquam eos adiuuare ad operandum, neque Christum naturam nostram sanasse: aut si hæc, quæ aperto Marte pugnant contra fidem, & contra mille scripturarum loca, negantur, concedantur, necesse est aliquando iusti aliqua bona

Potentia gratiæ. Osea 13. Psal. 83. Efficacia meritorum Christi.

bona opera facere, quæ nulla sint inquinata peccati macula.

Si Lutherani vbique iactant se Christi & ipsius gratiæ prædicatores, vel hoc nomine agnoscere deberent, ne suo instituto aduersari probarentur, aliqua opera iustorum munda esse ab omni culpa. Nam si omnia eorum opera mala asseuerant, nulla re magis gratiam possunt infirmam, imbecillam, ac prorsus eneruem ostendere. Quamobrem prædicatores eos verius dixerim fomitis peccati, quam gratiæ, quando eum ita potentem faciunt, vt omnia inficiat nostra opera, & ne minimo quidem tempore patiatur se deuinci à gratia.

Sed quod de gratia tam male mereantur, mirandum non est, qui & in hoc errore etiam Dei sanctitatem infamant. Quid namque potest in Deum esse magis blasphemum, quam eum vsqueadeo difficilem & morosum facere, vt cum apud homines multa nostra opera bona sint, & omnino ipsis grata, tamen apud Deum nullum nostrum opus sic possit omni ex parte bonum esse, vt non aliquando malum sit & ei ingratum? Et nonne in Dei iniuriam & contumeliam cedit, eum, qui in omnibus operibus suis laudandus est, vsq; adeo malam & imperfectam fecisse naturam nostram, vt nihil à nobis possit procedere, quod non sit illius offensa & peccatum?

Dei sanctitas.

Et qui libertatem nobis abrogant, & Deum ad omnia opera nostra, saltem bona & pia, necessitatem nobis affirmant inferre, dum omnia opera quantuncunque sancta damnant, suis verbis compellentur concedere illam orationem esse malam, per quam spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & Deo authore, fieri homines deteriores, ac vere adigi ad peccandum. Quæ horrenda vel dictu sunt. Et nisi rebelles essent lumini naturali & infesti, vel eo admoniti, ab hoc errore resipiscerent. Nam & lumen naturale docet, certum esse, & nostræ potestati subiectum numerum circumstantiarum, qui necessarius sit & sufficiat, vt opus aliquod virtus sit, & non vitium.

Nemo recte culpatur, ait Cyril. 5. in Ioan. 5. *ob id, quod in sua non est situm potestate.* Et Bern. de præc. & disp. *Si volumus*, scilicet, *aliquid facere, & non possumus, securi sumus.* Et philosophi hæc abunde & consentienter in moralibus tradidere. Vnde & apud omnes etiã barbaras nationes, aliqua fuerunt semper laudi & decori virtutis officia, & ab omni vituperio & opprobrio aliena, sicut amor patriæ, honor parentum, subuentio miserorum & pauperum, fidem seruare, neminem lædere, de omnibus bene mereri, & quæ volumus vt faciant nobis homines, eadem & nos illis efficere, & similia.

Quocirca hæc modo damnare, & vitiosa existimare, aut in parte vitiorum ponere, inuertere est & accusare naturam, & omnium iudicium damnare, immo verius omnium seculorum & ætatum hominum odium & inuidiam contrahere. Nam qui omnium omnia opera damnant, omnium sibi merito odium & indignationem conciliant. Deinde: Si omnia opera iustorum sunt peccata, neque adulti, qui mox post susceptum baptismum de hac vita decedunt, neque martyres pro Christo occisi, statim in cœlum peruenirent, sed & ipsis necessarium esset purgatorium, vt expiati à culpa baptismi & martyrij, in illam ciuitatem intrarent, in quam nihil coinquinatũ introibit. Quod & baptismi & martyrij prærogatiuis derogat, & expressis Ecclesiæ definitionibus, & alijs ab eodem Luthero traditis aduersatur. Et si hæc pergit, vt pergit quidem, etiam ad animas Purgatorij protendere, quas dicit art. 39. in bullam Leonis, sine intermissione peccare, quando (precor) Purgatorij erit finis? Nonne noua peccata nouis satisfactionibus indigent, & in illis tanto erunt grauiora, quanto liberiores iam sunt ab infirmitate carnis, quæ excuset? Polluentur sane magis, quam mundabuntur illæ animæ, si hoc verum esset, & nihil minus ei loco conueniret, quàm nomen Purgatorij, quod hactenus tota Ecclesia illi tribuit.

Cum Martha. de celeb. miss. debitum de baptis. & eius eff. Concil. Floren.

Atque vt tandem finiamus, ipsa opinionis Lutheri absurditas dehortari & deterrere omnes ab ea potest. Putat quispiam forsan, dum tantum in genere audit ipsius sen-

ſententiam, leuem eſſe hominis blaſphemiam.

Videamus igitur in ſpecie, quid ad illius opinionem conſequatur. Non ſolum, aduertamus bene, in iudicium vocantur, ſed & damnantur ab eo, & mala eſſe affirmantur, omnia omnium pœnitentium ieiunia, afflictiones & carnis mortificationes, conſilia prudentium, præcepta & piæ ſolicitudines ſuperiorum, ſanctiones legum, patrocinia omnia & auxilia miſerorum & afflictorum, coniugatorum nuptiæ, vota virginum, profeſſiones monachorum, doctorum lectiones, ſcripta, vigiliæ, prompta obedientia, pura caſtitas, arcta paupertas, ardens & iugis oratio, totus Dei & ſanctorum cultus, & venerandorum ſacramentorum pia & deuota ſuſceptio & adminiſtratio, feruentiſſimæ etiam Eliæ, Ioannis, & Apoſtolorum omnium prædicationes, ac denique omnia fortium virorum præclara geſta, & ipſa ſacratiſſima & ſtupenda omnium martyrum martyria.

Quid his abſurdius, quid magis impium, aut magis alienum & à fide, & à ratione naturali, dici poteſt? Verum & qui ita eſt in omnes omnium hominum ordines blaſphemus, audebit & (opinor) os ponere in intemeratam virginem. Neque ſolum vituperabit omnia ipſius in Chriſtum recens natum obſequia ſanctiſſima, cum eum, vt pia & ſedula mater, lactabat, nutriebat, & proprio labore partis alebat: ſed & alia præcellentia opera, ex quibus beatam dici meruit in omnibus generationibus, & illum ſummum amorem, quem ſemper in Deum geſſit, perfricta fronte & impudenti ore accuſabit: neque parcet admirabili virtuti, qua Chriſto pendenti in cruce gladio quidem doloris transfixa, ſed immota, adſtitit. Quid autem hoc eſt, ô Luthere, quam laudes omnium ſanctorum labefacere, exempla virtutum tollere, pacem & lætitiam conſcientiæ auferre, excuſationes peccatis ſuggerere, & cohibere homines à virtute, atque habenas ad vitia laxare? Qui perſuaſus fuerit, ſe nulla ratione poſſe peccatum vitare, quantumuis ſolicite & diligenter virtutem & mandata Dei obſeruet: quid ſupereſt, niſi vt virtutem negligat, mandatorum ſemitam contemnat, ac de ipſorum obſeruantia deſperans, in latam & ſpatioſam peccantiũ viam migret, & ſe in eam præcipitem dedat? Et vbi eſt, ô infelix, & omni lachrymarum fonte plangende, libertas illa Euangelica, quam tantopere prædicaſti? Vbi pax & lætitia conſcientiæ, quam te vnum docuiſſe mundum iactabas? Quod iugum grauius & durius, quam nunquam poſſe vitare peccatum? Quæ pax, quæ lætitia conſcientiæ poteſt eſſe, tot ſemper obruentibus noſtras mentes, alio poſt aliud, peccatorum fluminibus.

CAPVT XXXII.

Ex conſenſu Doctorum, aliqua iuſtorum opera non eſſe peccata.

HÆc nimirum, aut his ſimilia, tam fortia tam aperta, tamque efficacia ſanctis Eccleſiæ Doctoribus viſa ſunt, vt non dubitauerint veritatem traditam hoc in corollario à patribus, vt certam & indubitatam, in his quæ ediderunt, voluminibus, ſummo conſenſu affirmare. Et vnanimis eorum in his ſententia conſtare poteſt, partim ex multis, quæ iam hoc eodem lib. citauimus, partim ex his, quæ modo adijciemus.

Tertullianus Marcionem contra Chriſtum, Paulũ, & Moſen dicit pugnare, quia omnem concubitum peccatum aiebat. *Tert. l. in Marcion.* Quando igitur toleraſſet Lutherum, dicentem omnia opera noſtra eſſe peccata? Et his fauent, quæ ſupra ex Ipſo & Cypr. & alijs Doctoribus allegauimus ad probandum, poſſe Dei præcepta impleri, & à quibuſdam eſſe impleta. *Nam iuſtitia*, teſte Aug. ſer. 59. de tempore, *non aliud eſt quàm non peccare: non peccare autem, legis præcepta implere.* Orig. hom. 2. in Lucam, ex propoſito diſputat contra eos, qui peccatis ſuis excuſationem hanc obtēdebant, quod omnia hominum opera eſſent peccata. Hilarius illorum verborum Chriſti, *Nemo poteſt duobus dominus ſeruire* ad veritatem compro-

probat, quia idem opus nequit conuenire diuersæ dominorum voluntati.

Chrys. hom. 16. in Matt. Chrysost. *Qui habet oculum animæ simplicem*, id est, mentem mundam & spiritalem, *nec terrena, sed cœlestia meditantem, ille potest corpus suum seruare lucidum*, id est, sine peccato. Theophyla. illa verba Apostoli, *Non peccat, si nubat*: sic explicat, *Si eam locare maluerit, nihil, cum id egerit, peccat*. Et mox: *Non enim nubendo delinquitur*. Ambros. in illa verba Apostoli, *Si acceperis vxorem, non peccasti: Non vtique peccat, quia quod concessum est, facit*. Et idem postea in similibus verbis Apostoli repetit. Hieron. contra Pelag. copiose & diserte tradit, posse hominem per gratiam Dei esse sine peccato aliquo breui tempore. *Qui cautus*, inquit, *& timidus est, potest ad tempus vitare peccata*. Et postea pro loco & tempore, & quandiu animus intentus est, & chorda nullo vitio relaxatur in cithara, multo posse facere affirmat, quæ non sint peccata August. de natura & gratia, & de gratia Christi, & de gratia liberi arbit. & de spir. & lit. & lib. contra duas epist. Pelag. & in Hypog. sicut ex professo contendit contra Pelagianos non posse hominem per sui liberi arbit. vires vitare in totum peccata: ita constanter vbiq; tradit, hoc posse per gratiam Dei, & sæpe facere.

Cyril. 5. in Ioan. 5. posse hominem declinare à malo & facere bonum, non tantum asserit, sed & egregie probat, quia Deus hoc nobis præcepit, & nihil in possibile factu nobis præceptum est. Quod & eisdem testimonijs confirmat, quibus Patres in hoc cap. Et manifeste asserit, Deum probari iniustum, si hoc non subdit nostræ potestati.

Greg. 2. Mo. 8. 18. Gregor. *Si in sermonibus suis dicimus Iob deliquisse, quod sentire nefas est, Deum dicimus in sua propositione victoriam perdidisse*. Et in illa verba. *In omnibus his non peccauit Iob: Beato Iob & ore testimonium perhibetur. & cordis. Prius enim dicitur, Non peccauit: & tunc demum subditur, Neque stultum aliquid contra Deum locutus est. Qui enim stultum locutus non est, culpam à lingua compescuit. Sed cum præmittitur, Non peccauit: constat, quod murmurationis vitium etiam à cogitatione restrinxit*. Idem Respon. 10. ad Aug. *Bonarum mentium est, etiam aliquo modo culpas suas cognoscere, vbi culpa non est. Quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Vnde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est, vt esuriremus*. Hæc ille. Quibus nescio quid expressius aut asseuerantius requiratur.

Veruntamen audiamus & Bernardum de præce. & disp. *Non tangere mulierem, meriti est*, inquit, *non medioris: & nullius tamen delicti, propriam amplecti coniugem*. Et mox: *Istiusmodi sunt, quæcunque Euangelico illi capitulo congruere possunt: Qui potest capere, capiat*. Matth. 19

Et faciunt pro his canones Concilij Mileuitani, quibus asseritur, gratia, qua iustificamur, adiuuare nos ad implendum Dei mandata, & non peccandum.

Expressissime etiam distinxerunt Patres in Concilio secundo Arausicano Can. 22. 23. & 25. inter opera & bona, quæ ex Dei dono habemus & facimus: & mala, quæ ex nobis.

Et ne plura ex superfluo coaceruemus testimonia, quotiescunque vel sancti Doctores vel Concilia, opera bona à malis distinguunt, quotiescunque aliqua bonorum opera laudant, quotiescunque Deum vel gratiam ipsius nobis ad aliqua bona perficienda opem ferre testantur, quotiescunq; ad virtutum cultum, & ad auxilium Dei pie implorandum & diligenter quærendum nos extimulant: quid aliud, quam hanc doctrinam, confirmant? Non enim laudant peccata, neque ad peccata exhortantur, & vbique Deo authore docent neminem fieri malum, aut ex malo deteriorem.

CAPVT XXXIII.

De legitimo sensu testimoniorum, quæ Lutherus prosert adfert ex Genesi.

OPERÆPRECIVM tamen fuerit videre & singulatim diluere argumenta, qui bus tantum detrimentum moliti sunt Lutherani & sibi & alijs persuadere. Neque enim putat Lutherus se in articulis citatis damnatum esse, sed Esaiam, Dauidem, Salomonem, Paulum, Christum, & ex do-

ctori-

ctoribus sacris Cyprianum, Augustinum, & Gregorium.

Obiect. 1. Ac primo quidem multa complicat aduersum nos testimonia ex Genesi. Nam capite sexto sic scribitur: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra &c.* Gen. 6. Et statim prætexerat, *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et capite octauo subdit: *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines.* Sensus enim & cogitatio cordis humani, in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Ex his autem locis colligit, eos qui asserunt hominem posse aliqua bona opera facere, aduersari palam scripturæ, quæ hominem carnalem mortuum, & spiritu Domini destitutum, nobis hic declarat, & cunctas operationes ipsius damnat. Quid, ait, boni queat caro operari? Quid homo mortuus, & Spiritu Domini destitutus?

Respons. Lapsus tres Luthen. In hoc tamen argumento tot ipsius hallucinationes & lapsus, immo errores propalare possumus, quot nobis obijcit testimonia. Labitur primo, ac plane cæcutit, dum malitia propria excæcatus non aduertit, priora duo loca manifeste intelligi de hominibus istius seculi Noe, neque posse, neq; debere ad vniuersum hominũ genus, & omnes ipsius ætates referri. Et hoc omnia circumiacentia verba luculenter demonstrant. Nam ibi aperte describitur maxima corruptio & deprauatio hominum illius seculi. Ea asseritur fuisse causa indignationis Domini, & diluuij inducti super terram. Non poterant vero esse causa tãti mali peccata hominum, qui nondum erant.

Secundo labitur Lutherus, dum ex illis verbis colligit, omnes cogitationes hominis esse malas, quia cuncta cogitatio ipsius intenta esse dicitur & prona ad malum omni tempore. Aliud quippe est, nos esse semper ad malum procliues & intentos: aliud, semper malum operari. Nam per liberrate arbitrij, resistere possumus prauæ nostræ inclinationi. Et vel ipsa absurditas sententiæ, ad monere debuit Lutherum, ne sic interpretaretur, quæ ex capite 8. Gen. citauit, Non est enim rationi consentaneum, vt Deus * cum assignaret causam, propter quam non vltra terram esset propter homines maledicturus, quod omnia opera eorũ sint peccata ab adolescentia sua. Hoc enim potius diuinam maiestatem ad seueriorem vindictam irritasset. * fort. *eam.*

Allegauit vero pronitatem & propensionem nostram ad malum, in causam mitioris sententiæ, quam in posterum statuebat. Aequum enim est, & diuinam condecet misericordiam, vt mitius sese gerat in homines, ab adolescentia sua perinde ad malum propensos. Neque consueuit scriptura huiusmodi generales & vniuersales sententias eo in rigore accipere, vt quamuis cunctas cogitationes hominis malas esse dixisset, aduersari eis verbis deberet censeri, qui diceret etiam tum aliquas bonas cogitationes fuisse. Nam & Noe scriptura ibi subdit inuenisse gratiam coram Domino, & à Deo laudatum vt iustum. Satisq; est pro huiusmodi vniuersalibus ex cõmuni more & inter vulgares & inter sapientes recepto, si pene omnes cogitationes essent malæ. Neq; illa collectio quicquã valet: Omnes homines sunt caro, id est, carnales & mali, ergo & omnes operationes hominum sunt carnales. Regula pro vniuersalibus propositionibus Scripturæ. Tertio errauit hic Lutherus, & à seipso dissensit, dum illa verba, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum:* perinde cõtra nos inuertit, ac si in eis Domin⁹ significasset, nunquam se permansurum in nobis. Absit à Domino tanta seueritas. An non tunc mansit Spiritus Domini in Noe, & vel te teste Luthere, in iustis manet per spem & gratiam? Quid, quod ne sic quidem conficeres, quod vis? Nam & peccatores, in quibus Spiritus Domini non manet, operãtur aliqua bona, vt lib. 6. c. 39. docuimus. Et non dixit Deus, In æternum non permanebit Spiritus meus in homine: sed dixit, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum.* Hoc est, Non semper, neque in perpetuum manebit. Et hoc quo sensu dixerit, statim dilucidius fecit illis verbis: *Et præcauens in futurũ, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo,* inquit, *hominẽ, quem creaui, à facie terræ.* Ideo enim Spiritum suum non semper mansu- Contradictio Luth.

delere à facie terræ.

CAPVT XXXIV.

De vera intelligentia testimonij Dauidis, citati à Luthero.

Obiect. 2. Psalm. 142. SECVNDO citat contra nos Lutherus Psalmistam, dicentem: *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Cum enim bonū opus Deus damnare non possit, constare putat ex his verbis, aut esse omnia opera nostra peccata aut multos viuentes posse coram Deo iustificari, & iustum damnationis Dei iudicium iure posse euadere. Et huc alludunt verba Chrys. *Quis est homo natus de muliere, qui credat, iustum se inueniendum in conspectu Dei?*

Respons. Diuersa tamen sunt, hominem in aliquibus non peccare, & hominem in nullo peccare. Et qui dissentimus Luthero, asserenti hominē in omnibus peccare: haudquaquam consentimus Pelagio & Iouiniano, dicentibus hominem baptismo iustificatum, in nullo peccare. Sed media incedimus via inter vtranque hæresim, concedentes, iustos omnes aliquando non peccare. Porro Psalmista ideo dixit, secundum Augustinum in enarratione eiusdem psalmi neminem viuentium in conspectu Dei iustificari, qa nullus est, qui sic possit apud Deum iustificari, vt possumus apud homines. Nam apud homines sic possumus ex nostris viribus aliquam mereri mercedem, vt proprio eam iure & ex rigore iustitiæ valeamus eam reposcere. Non sic autem est apud Deum, Nullus enim prior dat ei aliquid, vt retribuatur ipsi.

Facilius tamen est, & pro tenuitate nostri iudicij, antecedentibus & consequentibus quadrantius, si dicamus, ob id Psalmistam dixisse, neminem nostrum in conspectu Dei iustificandum, quia nullus ad plenum iustus est, sed omnes potius alicui peccato obnoxij vel sumus, vel certe fuimus. Et vt hunc sensum innueret, peccata sua ibi enumerat Dauid, & Dominum humiliter precatur, ne intret in iudicium cum seruo suo.

Itaque cum causam huius suæ petitionis explicat, dicens, *Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens:* satis innuit, non ea ratiōe se deprecari iudicium Domini, quia non habebat merita aliqua sua, ob quæ iure posset iustitiam & beatitudinem postulare. Quanquam enim hoc verum esset, non tamen eo in allegatis verbis videtur spectasse, sed ad peccata potius, quorum sibi conscius erat, & à quibus nullum sciebat esse omnino liberum. Et quod dicit, huiusmodi est: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nemo est qui apud tuam iustitiam, *quem nihil fallit, ita omni ex parte sit iustus, vt nō aliqua proferre queas aduersus illum, propter quæ merito possis eum tibi reum declarare. Et in hūc sensum exposuit hæc verba Hieronymus epistola ad Ctesiphontem, & primo contra Pelagianos. Et in eundem sensum exponenda sunt citata ex Chrysostomo, & pleraque alia similia, quæ in lectione Ecclesiasticorum doctorum passim occurrunt. Atque ipse Psalmista, quam longe esset à sensu, in quem eum exposuit Lutherus, satis dilucide alibi exponit, cum ait: *Beati immaculati in via.* Et alibi: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Et iterum. *Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.* Psalm. 48. 29.

Et ipse Augustinus Respon. 17. in libro de perfectione iustitiæ, in eundem sensum nobiscum exponit hæc verba: *Ne intres in iudicium. Sic namque ibi scribit: Iudicium timet, quia misericordiam desiderat, qua super exultat iudicio. Hoc est enim, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: noli me iudicare secundum te, qui es sine peccato; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quod de hac vita dictum sine difficili quæstione intelligitur. Et quod ait, Non iustificabitur, ad illam perfectionem iustitiæ retulit, quæ in hac vita non est.* Hucusque Augustinus.

CAPVT XXXV.

Quis est genuinus sensus verborum Salomonis, quæ pro se inducit Lutherus.

OBIICIT insuper nobis verba sapientissimi Salomonis: *Non est homo iustus in terra*

terra, qui faciat bonum, & non peccet. Et similia his verbis referuntur dicta ab eodem Salomone, in libris Regum & Paralipo. Si autem aliquod hominis opus, peccatum non esset: homo qui faceret illud, non peccaret, ait Lutherus. Et concinere his videtur Ioan. *Si dixerimus,* ait, *quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Si enim aliqua opera nostra, peccata non sunt, aliquando dicere possemus, nos non habere peccatum, videlicet statim post baptismum, vel absolutionem sacerdotalem.

1. Ioan. 1.

Respons. Quinta tamen inscitia est, ab homine ad opus hominis argumentari? Ridicula sane collectio: Omnes homines peccant, Ergo omnia hominum opera sunt peccata. Ipse Salomon satis indicauit, posse homines aliqua bona opera facere, & omnia peccata aliquando vitare. *Ne festines* inquit, *recedere à facie Dei, neq; permaneas in opere malo quia omne, quod voluerit facere, faciet. Qui custodit præceptum non experietur quicquam mali.* Et alibi: *Qui custodit legem, beatus est.* Et iterum: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Et rursus: *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.*

Eccl. 8

Prou. 29.

Vides vt aperte distinguit opera bona à malis, Deo placentia à displicentibus, & clarissime, obseruabilia à nobis præcepta Dei, tradit. Quid igitur sibi vult cum ait, *Nō est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet:* Ad naturam auxilio Dei destitutam, iuxta quosdam pios & doctissimos viros, hæc verba referuntur. Et sensus est, neminem vitare peccata, nisi ope diuina adiutum & suffultum. Præcedunt enim statim hæc: *Sapientia confortabit sapientem super decem principes ciuitatis:* & ea causa ponitur, ob quā sapientia sic confortet sapientem. *Non est enim homo iustus super terram qui faciat bonum, & non peccet:* vel sicut significantius verti posse existimant, *Et non peccabit.*

Quomodo vero in his verbis nulla mētio fit auxilij diuini, sed generaliter etiam de ipsis, qui à Deo iuuantur, dicitur: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* melius arbitror & simplicius, si dicamus, his verbis significatam esse nobis fragilitatem humanam in hoc eodem capit. à Patribus expressam, quod nemo quantumuis iustus, in hac misera vita diu viuat absq; peccato, neque possit satis esse securus, sed semper metuere debeat in trāquilitate naufragium.

Et sic illa exponit Hieron. in dial. contra Pelag. & epistol. ad Ctesip. Et in eum sensum exposita hæc verba, optime respondent præcedentibus. Ideo namq; sapientia cōfortat sapientem super decem principes ciuitatis, quia sapientissimi quiq; sæpe peccant & labuntur, & ne inde animum despondeant, à Deo confortantur: ac plus, quam cōfortari possent ab vniuersis principibus ciuitatis, fortiores fiunt nonnunquam.

Et huic etiam alludit expositioni Hieronymus in hæc verba, quæ sic habent: *Propterea sapientia cōfortat iustum, & omnium principum ciuitatis super eum excedit auxilium: quia quamuis aliquis iustus sit, tamen dum in hac carne est constitutus, subiectus est vitijs atque peccatis, & maiore præsidio indiget.* Hæc ibi.

Itaq; non vniuersa opera, sed vniuersorum vita, labe aliqua peccati conspersa hoc loco indicatur. Et in ipsis his verbis, inter facere bonum, & peccare, distinguitur. Siquidem non est dictum. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non eodem in opere peccet: sed tantum dixit, *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et hoc est quod idem Salomon alibi explicuit, dicens: *Septies enim cadit iustus, & resurgit.* Si cadit sæpissime iustus & resurgit, nemo quidē à peccato immunis: sed quoniam neque semper cadit iustus, neq; semper resurgit, alius ipsius esse casus ostenditur, & alia resurrectio: neque eodem opere cadit, & resurgit: peccat, & bonum facit. Et vtrouis horum modorum respondere possumus ad Ioan. Pensatis enim omnibus & antecedentibus, & consequentibus, profecto eo præcipue videtur ibidem spectasse, vt ostenderet neminem esse, qui non subditus sit vt plurimum, vel fuerit saltem aliquando alicui culpæ, ac per hoc sanguine Christi indigeat, quo ab omni expietur peccato. Aliud est autem, mandari à Deo: aliud, per se esse sine vitio.

Prou. 24.

CAPVT XXXVI.

Eneruatur argumentum vteri ex prauitate fomitis, & verbis Christi de arbore mala.

Obiect. 4. EX iugi etiam pugna carnis in Spiritum, & ex verbis Christi, Non potest arbor mala bonos fructus facere, conuinci putat Lutherus, omnia opera nostra esse peccata. Nullus, inquit, iustus, est in hac vita ad plenum iustus: sed omnis iustus, partim iustus est, partim peccator. Mente enim seruit legi Dei, sicut Paulus de se ait, carne autem legi peccati, quæ est in membris suis: Et caro in omnibus concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem. Neque est in hac vita, qui ab hac pugna & concertatione sit ex integro liber, vt potest colligi ex eodem Paulo. Cum igitur ex testimonio Saluatoris, arbor mala non possit bonos fructus facere, neque poterit quisquam, ait etiam iustus, facere aliqua bona opera, quæ ex toto libera sint á culpa: sed opera quantuncunque bona, erunt etiam quadantenus mala, ea scilicet ex parte, qua sunt á fomite.

Respons. Lapsus Lutheri sex. Verum hoc argumentum in multis peccat. Primo, omnem concupiscentiam carnis aduersus Spiritum, immo & ipsum fomitem, seu appetitum sensitiuũ ad malũ procliuem, proprie esse peccatum supponit. Vtrunque autem satis confutauimus cap. 15. Secundo: Quamuis omnis talis concupiscentia, immo & ipse fomes peccatum esset, cum non semper eiusmodi concupiscẽtias patiamur, neque semper fomes obluctetur Spiritui, neque á talibus concupiscentijs, aut ab earum corrupto principio procedant omnia opera, quæ facimus: sed interim dum eas patimur, multa bona possimus mente, lingua, manibus, & alijs organis corporeis operari, absque vlla profecto apparentia: inde colligitur, omnia opera nostra esse peccata. Nequeunt siquidem á concupiscentia, vel á fomite vitiari, quæ nec ab eis procedũnt, nec ordinem ad illũ habent.

Tertio: Cum Christus iustos ac veraces prophetas bonis arboribus hoc loco comparauerit, iniquum est & ad eos transferre, quæ de malis arboribus dicuntur.

Quarto falsum & illud est, á malo principio non posse bonum aliquod prodire. Potest enim peccator, vt iam ostendimus, aliqua bona operari. Et ab eo principio, quod non omnino, sed aliqua duntaxat ex parte malum est, potest aliquod bonũ proficisci. Neque Christi verba, *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: sic sunt accipienda, quasi nequeat vlla mala arbor vel minimũ facere fructum bonum. Arborum quæ ex sua specie malæ sunt, hoc proprium est, vt similes sibi fructus semper efficiant, hoc est, malos, acidos, acerbos, amaros, & imperfectos. Lib. 6. c. 19 Expositio duplex illorũ verborũ. Non potest arbor mala, &c.

Et de his locutus videtur Christus, quia statim prædixerat, *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* In arboribus vero ex sua specie bonis, sed aliquo casu aut accidente nonnihil viciatis, satis est, si vt plurimum & maxima ex parte fructus eius sint mali. Nam & á sic vitiatis arboribus nonnunquam prodire videmus aliquem bonũ fructum. Quare cum homines etiam existantes in peccato, bonæ sint arbores, & ad vtrunliber liberæ, quãuis interueniẽte culpa deprauentur & vitientur, non necesse est, vt constet Christi metaphora, omnia opera eorum esse vitiosa & peccata, sed satis erit, si maxima ex parte, vel præcipua saltem, opera eorũ sint mala. Namque comparatio Christi, applicanda est nostræ voluntati, quatenus illi potest cõpetere, esse accidenti aliquo arbor mala.

Atq; vt generaliora sint, & in vniuersum vera verba Christi, qui falsos prophetas arborib⁹ cõparauit ex specie sua malis: possumus libere dicere, solum haberi posse ex hac metaphora, quod & nos libenter dabimus, ea opera & in iustis & in peccatoribus mala esse, quæ ab eis prodeunt, quatenus vel simpliciter, vel secundum quid sunt mali. Itaq; cum nullus adeo grauibus sit obrutus peccatis, vt sit in hac vita in totum deprauatus, & iusti maxima ex parte bonæ arbores sint, ea parte, qua rationis scintilla, quæ semper deprecatur ad optima, in verisq; adhuc viuit, & nonnullas virtutes, siue acquisitas, siue infusas habent, pote-

poterunt vtrique boni aliquid perficere, quod ex omni parte consentaneum sit rationi, & alienum ab omni malitia. Et iustos saltem talia nonnunquam facere, satis & in hac parabola ostendit Christus. Quippe inter veraces & falsos prophetas, & inter fructus bonos veracium, & fructus malos falsorum discernit.

Quod si ex hoc, quod Christus dicit, Non potest arbor bona malos fructus facere: non putat Lutherus conuinci, iustos non operari aliqua mala, tametsi illi sint aliqua ex parte boni, & certe plus boni quàm mali: cur ex istis verbis, *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, nobis vult obtrudere, nõ posse iustos aliqua bona operari, quæ non sint etiam & mala? Christus profecto vtrũque perinde asseruit. Atq; ideo & vtrumq; necesse est similem, immo eandem, intelligentiam patiatur.

Et sane intelligentia vtriusq; est, præcipua opera bonarum arborum, bona esse: & malarum, mala: vel certe ea esse bona, qua à bonis arboribus, quatenus tales sunt, prodeunt: & ea omnia mala, quæ à malis, quatenus malæ sunt, proficiscuntur.

Et hanc expositionem Hieronymus innuit in expositione huius loci, his verbis: *Tandiu ergo bona arbor fructus non facit malos; quandiu in bonitatis studio perseuerat & mala arbor tandiu manet in fructibus peccatorum, quandiu ad pœnitentiam non conuertitur.*

Sed expressius multo pro nobis faciunt, & omnem tollunt difficultatem, quæ in illa verba Apostoli, *Fructus autem spiritus, caritas*, scribit: *Illud quoq;*, ait, *quod à Saluatore dicitur, Nõ potest arbor bona fructus malos, neq; mala fructus afferre bonos: non tam de hominibus, quam de fructibus carnis & spiritus arbitror pronuntiatum quia neq; spiritus potest vnquam illa vitia, quæ in carnis operibus numerata sunt, facere: neque caro his fructibus, qui oriuntur ex spiritu, redundare. Potest autem fieri per negligentiam possidentis, vt spiritus, qui versatur in homine fructus non habeat suos & econtrario caro, operibus suis mortificatis, peccare desistat. Non tamen illo vsq; procedunt, vt & neglecta arbor spiritus, opera carnis afferat: & arbor carnis exculta, fructus germinet spirituales.* Hæc Hieronymus. Galat. 5.

Et huic sensui bene concinunt verba illa Christi, *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Peccat & quinto argumẽtum Lutheri. Perinde quippe contra illum militat, ac contra nos: immo magis profecto contra ipsum. Si namq; simul quis est, vt ait, bonus & malus: & ea ratione, qua malus est, aliqua facit mala opera, quæ nullam habent bonitatis moralis partem: poterit igitur & ea ratione, qua bonus est, aliqua bona opera efficere, quæ nihil habeant malitiæ. Non enim minus potens est virtus, quam vitium: neq; gratia, quam peccatum: neq; Deus minus est misericors & fidelis adiutor, quam dæmon promptus & validus seductor.

Sexto: Neque hoc dandum est, aliquos homines simul esse bonos & malos. Aut enim peccatores sunt, & in mortali vel in originali existunt: & non boni sunt simpliciter & absolute, sed mali simpliciter & in speciem, vel secundum aliquam virtutem boni. Aut iusti sunt & in gratia Dei, & non mali simpliciter, neq; peccatores simpliciter, sed boni sunt simpliciter, licet ex parte & quadantenus possint dici peccatores, cum in aliquas leues culpas incidunt. Et hæc ex testimonijs illis possunt constare, quæ superius citauimus, vt doceremus propter venialia peccata non amittere iustos nomen iustitiæ. Nullus simul bonus est & malus.

Et nouum nimirum cõmentum est hoc Lutheri in iniuriam Sanctorum, vt & alia eius dogmata, ab eo confictum. Nam aliqua ex parte esse aliquos iustos, & aliqua ex parte peccatores, apud Hieronymum legi: & per aliquid esse aurum, per aliquid volutum, apud Gregorium: & simili temperamento scio sanctos semper esse vsos, sed ante eum, ne inter Philosophos quidem quemquam noui, qui eundem simul hominem bonum & malum absolute esse, aut esse posse diceret.

Et vel hoc argumento, quam sit hoc absonum, & sibi repugnans, possumus docere. Cum enim Deus odio habeat omnes peccatores, & diligat omnes iustos, vt ex Scripturis constat, si simul quis esset bonus & malus, iust⁹ & peccator, simul ergo quis Contradictio Luth.

esset in odio & in gratia Dei. Cum DEVS bonus natura, & fons atque origo virtutis sit, ait Cyrill. 10. in Ioan. 4. c. virtutis amatores amplectitur, & impuros atque sordidos depellit. Simul etiam erunt homines templa Dei, & habitacula dæmonum. Siquidem iusti templa sunt Dei, & peccatores habitacula dæmonum, vt libro quarto tradidimus, & Cyr. bene probat ex verbis Christi, Vulpes foueas habent, &c.

Quin & ex hoc commento manifeste sequitur, inhabitari homines à Deo & non inhabitari. Nam si iusti sunt, inhabitantur à Deo: Si vero peccatores sunt, non inhabitabuntur ab ipso. Si enim, vt pulchre dicit idem Cyrillus nos quoque ipsi ab omni sorde mũdam habitare domum studemus, quomodo Deus, qui sanctissimus est, sordibus obuolutam animam non abijciet? quomodo peccatis inuolutam non aspernabitur. Et vide quantum aberat hic magnus patriarcha ab insanijs Lutheri. Quia contraria in vno eodemq; subiecto simul conspici non possunt, & virtus & vitium inter se maxime distant, infert statim, neminem posse simul vtrumque habere, sicut neque eodem temporis momento lux & tenebræ in eodem subiecto possunt esse.

Et Christus quidem, ne in hanc tantam absurditatem quis incideret, iustis peccatores opposuit, dicens: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Et alibi iustos iniustis, & malis bonos ex aduerso statuit, asserẽs de patre suo: *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos.* Et Paulo aduersatur Lutherus, cum iustos propter fomitem vult dici & esse simpliciter peccatores. Nam & ille dicit, iustos per baptismum mortuos esse, & consepultos peccato, & iustificatos, & liberatos ab eo, cuius ante erant serui, & veterem hominem nostrum simul crucifixum esse cum Christo, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. Et propterea neque poterit iam fomes infamia illa elogia peccatorũ, & seruorum peccati, iustis accersere.

Matth. 9.

Sed & quæ subdit ibi Paul. á nobis stant. *Gratias, ait, ago Deo, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eã formam doctrinæ, in qua traditi estis. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ, humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ* Hæc Paulus.

Ex quibus liquidũ est, ita docuisse Paulum repugnare, aliquem esse peccatorem & iustum, vt & repugnat, esse simul viuentem & mortuum, esse liberum & seruum, & diuersissima esse inter se, neq; stare simul, seruire iniquitati & iustitiæ. Neq; obstant illa verba Christi, *Si ergo vos cum sitis mali, &c.* Sub persona quippe Apostolorum, ait in expositione Hieronymus, omne hominum damnatur genus, cuius, ad comparationem diuinæ clementiæ, ab infantia cor ad malum pronum est.

Expositio duplex verborũ Christi, *Si ergo vos cum sitis mali,*

Neque mirum, si homines huius seculi dicit malos, cum & Paulus Apostolus memoret, *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Et malos potuit Christus Apostolos dicere, quia in illis loquebatur omnibus, & ea appellatione nominari potest quæcunque multitudo, quæ maximæ ipsius parti conuenit.

Possumus etiam ex superfluo cum Augustino de perfect. iustitiæ Respon. 71 adijcere, malos Christum suos Apostolos dixisse, quia etiam ipsi filij Dei comparati sibijpsis, quales in illa perfectione æterna futuri sunt, ita boni sunt, vt adhuc & mali sint. Nam alioqui, addit, hoc de illis dicere nõ auderem. Quis enim audeat dicere malos esse, quorum pater est Deus, nisi ipse Dominus diceret: *Si ergo vos cũ sitis mali, &c.*

Et quanquam diuus Hieronymus in dialogis contra Pelagianos, nonnunquam ita loquitur, vt in speciem videri posset fauisse huic commento Lutheri tamen aduertat pius lector, sic sua in 2. libro temperasse verba, vt diceret, nullum ad perfectum hic esse iustum, sed omnes esse aliqua ex parte peccatores. Et rursus: *Absq; vitio*, quod græcè *κακία* dicitur, hominem posse esse aio: *ἀναμάρτητον*, id est, *sine peccato* esse, nego. Et ibidem non inquit, absolute omnia sanctorum lumina maculata esse: sed tantum ait,

nullas

nullas tenebras in Dei lumine reperiri, sed omnia sanctorum lumina aliqua sorde maculari. Et rursus, non ideo peccatores esse iustos, aut iustitię nomen amittere, quia aliqua parua peccata peccauerint, sed ex eo iustos permanere, quod multis virtutibus floreant.

CAPVT XXXVII.

Ex præcepto diligendi Deum, non colligi, omnia opera nostra esse peccata.

Obiect. 5. QVIN & ipsum præceptum diligendi Deum ex toto corde, pro se allegat nobis Lutherus. Cum enim teneamur Deum ex toto corde & ex omnibus viribus nostris diligere, & hoc nullus sanctorum in hac vita impleat, vel hoc nomine, inquit, omnia opera nostra erunt peccata, quod omissio sint illius præcepti.

Responsio. Sed primum omnium quod assumitur, nempe nullum sanctorum hoc præceptum implere, falsum esse, satis paulò ante monstrauimus.

2. Deinde hoc argumentum videtur inniti peruersæ huius præcepti intelligentiæ, qua existimatur, omni tépore & pro quolibet tempore hoc præceptum obligare omnes ad Dei dilectionem. Quod & fundamento caret, & vel hinc potest constare esse falsum, quia Dei mandata non repugnát sibi inuicem. Repugnarent autem, si pro quolibet tempore ad hoc essemus adstricti. Necesse siquidem est, propter ipsum Deum auocare ab eo aliquando animum, vt seruemus alia ipsius mandata.

3. Et vbi hæc duo vera essent, quę quidem sunt falsissima, sequeretur quidem omnes esse in perpetua huius præcepti omissione, atque ideo multos esse bonos; non posset autem quis inde apparenter inferre, omne opus nostrum, quantumcunq; bonum, esse malum, & omissionem eius præcepti. Multa quippe bona opera facimus, quæ nó impediunt, sed adiuuant potius & fouent, atque augent obseruantiam eius præcepti, vt quę propter Deum & ipsius gloriá fiant, & in eius cultum & laudé cedút, quæcunq; ex ipsa dilectione consequuntur.

Itaque quamuis verum esset, neminem implere hoc præceptum, & omnes esse in continua transgressione ipsius: qua inde cósequentia sequatur, omnia opera nostra esse peccata? Nisi forte quis ita desipiat, vt dicat ideo ab ea omissione omnia nostra opera vitiari, quia aliquam partem cordis nostri quælibet talia sibi vendicant, & vel ea ratione impediunt, ne feramur in Deum toto corde. Verum opera consequentia ex dilectione Dei, & propter ipsum facta, non vsquequaq; certum est quod requirant nouum conatum: & vtcunq; de hoc sit, non tam videntur impedire, quam iuuare, vt Deum diligamus ex toto corde. Quomodo enim impediát Dei dilectionem, quæ ex ea sequútur, & ab ea præcipiútur, & ad eam tuendam commodissima, & persæpe necessaria sunt?

Neq; mihi profecto placet, quod Roffensis. art. 31. con. Lut. alioqui doctissimus & pientissimus, concedit Luthero, veniale culpam admisisse Paulum, cum animum adeo remisit, vt Timotheo scriberet: *Penulam, siue lacernam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.* 2. Tim. 4. Vt enim alia taceamus, quæ in excusationem tanti Apostoli possemus pie & verisimiliter dicere, certe eiusmodi cura, vbi ad corporis vitam & sanitatem tuendam commoda esset, ne in nobis quidem accusari potest, neque est aliquid vnde queat ostendi esse prohibita.

Neq; D. Hier. Pelagio dicenti, hominem posse esse sine peccato, hác Paulini animi à cœlestiú cogitatu remissioné in hoc obijcit vt in his vel tátisper innuat se sensisse eum peccasse, sicut in imprecationib. quibusdá, quas ibi videtur vt humanos lapsus tacite accusare. Adducit tamé hæc vt ostédat fragilitaté humaná ad perpetuo durandú in cótemplatione cœlestiú mysteriorum, & homines in hac vita, volétes nolétes à cogitatione sæpe diuelli virtutum. Voluit namque his Pauli verbis infirmare fundamentum, quo Pelagiani poterant vti, vt ostenderent posse hominem viuere absque pec- Hier. 3 in Pelag.

cato.

cato, quia poteſt ſemper Deo, aut certe cogitatibus de virtute excolēda, intentus eſſe.

Eoque conſilio ſupra multa & facta, & verba ipſius Chriſti obiecerat, teſtantia ipſius carnis imbecillitatem, vt os obſtrueret Pelagij, immodice & in gratiæ iniuriam, iactantis potentiam libertatis humanæ. Vnde & ſtatim in hunc ſcopum reſpiciens, ſubnectit: Da mihi hominem, qui non eſuriat, non ſitiat, neque algeat, non doleat, non febricitet, non torminibus & vrinæ difficultatibus torqueatur: & ego tibi concedam, poſſe hominem nihil niſi de virtutibus cogitare.

Neque propter hæc oportet confugere ad id, quod quidam putant Bernardū ſenſiſſe, vt hoc præceptum dicatur non eſſe de affectu, ſed de actu caritatis. Iam hoc, capite 16. impugnauimus. Et ipſe Bernardus in libro de diligendo Deo, vbi erat proprius locus hæc explicandi, diſerte docet, affectū

Reſponſ. 4. præcipue eſſe nobis hic indictum. Eſto tamen, verum eſſet, omnem animi remiſſionem à Dei contemplatione & amore, & omnē aliarum rerum curam ſeu ſolicitudinē peccatum eſſe, & tranſgreſſionem præcepti diligendi Deum ex toto corde: adhuc tamen non ſequeretur, ipſam dilectionem Dei eſſe malam. Nam ea neque omiſſio eſt eius præcepti, neque cauſa omiſſionis, ſed impletio ipſius potius.

Quod ſi eam quis & malam nitatur oſtendere, quia imperfecta eſt, & non ex toto corde: iam hoc ſupra inualidauimus, cū oſtendimus, non ad quantam maximā poſſumus dilectionem, hoc nos præcepto alligatos. Saltemque hoc habebimus, eas Dei dilectiones malas nō eſſe, quæ fuerint ardētiſſimæ & feruentiſſimæ, & ex toto noſtro conatu. Quales multos fuiſſe in Deipara virgine, & in Ioanne Baptiſta, & in Pro-

Caritas ſuo in genere perfecta eſt etiā in hac vita.

phetis & Apoſtolis conſtantiſſimum eſt. Et ſi tandem vel hoc nomine & hæ quoque dilectiones reprobæ habentur, quod quātælibet ſint, ſemper imperfectæ ſunt in hac vita, facile & hanc quoque oppoſitionem diluere poſſumus. Eſto enim, non ita perfectæ ſint, ac erunt in patria, ac proinde & in eius comparatione dici queant imperfectæ: ea tamen imperfectio culpa non eſt, neque vitio nobis dari poteſt, quando noſtræ poteſtati non ſubeſt, & alia ſunt viatorum, alia beatorum præcepta. Nam Deus ſuauiter omnia diſponit, neque ita rigidus exactor eſt, ſed noſtræ ſe infirmitati benigniſſime attemperat.

Quare ſatis eſt pro quocunque opere noſtro, vt peccatum non ſit, ſi ſuopte in genere, & quantum noſtra imbecillitas patitur, bonus & perfectus ſit. Et vt nemo de hoc ambigeret, ſpirante Spiritu ſancto dixit Ioannes: *Qui autem ſeruat verbum eius vere in hoc caritas Dei perfecta eſt.* Et rurſus: *Si diligamus inuicem, DEVS in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta eſt.* Et niſi poſſet in nobis perfecta eſſe caritas, non hortatus fuiſſet Chriſtus ad ipſius perfectionem, dicens: *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* 1. Ioan. 2.

Quanquam autem Paulus, dum ſe ad perfectionem patriæ conferebat, cōſtanter aiebat: *Non quod iam acceperim, aut quod iam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam*: tamen ne quis inde occaſionem errandi arriperet, & aſſereret nulla ratione poſſe viatores dici perfectos, mox ſubiecit: *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus*: Et alias, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et iterum, *Perfectorum eſt ſolidus cibus.* Phil. 3. 1. Cor. 2. Hebr. 5.

Reſpon. 5. Atque, vt vndique argumentum hoc infirmemus, & aduerſariorū errorem cōſpicuum cunctis faciamus, adijciam hoc vnū: Si eo tandem peruicacia hæretica proruat, vt dicat, nos ad perfectionem ſolis beatis poſſibilem, hoc præcepto coarctari, neque ſic habebit, peccata eſſe dilectiones Dei perfectas, quas habuerunt ſancti in hac vita: ſed duntaxat, eos fuiſſe ſemper in peccato. Nam per eiuſmodi dilectiones non trāſgrediebantur profecto hoc præceptum, ſed verius ad ipſius obſeruantiam pro ſua quiſque virili nitebatur.

Et poſſum' hæc declarare tali exemplo: Si præceptum eſſet Petro, vt in mōtem aliquem ita celeriter conſcenderet, vt in vna hora ad ipſius cacumen perringeret: & ille quantum velociſſime poſſet conſcendens, non eò ante vnam horam & quartam partem

tem alterius peruenirct, accusari posset de omissione illius præcepti, si ad impossibile potest quis obligari: sed ille assensus celerrimus, quo ipse enixus est totis suis viribus præceptum implere, neque accusari posset, neque malus aliqua ex parte censeri. Quare & omnibus erroribus, quos Lutherus supponit in hoc argumento, concessis, adhuc non euincit quod cupit, videlicet, omnia opera hic peregrinantium esse peccata.

CAPVT XXXIII.

De verbis Esaiæ, quasi pannus menstruatæ, omnes iustitiæ nostræ.

Obiect. 6. VALIDISSIME & (vt ingenue fateamur) satis apparenter nobis obiectat Lutherus verba illa Esaiæ, *Facti sumus vt im-*
Esai. 64. *mundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Et vtranque vniuersalitatem aduersum nos exaggerat. Nam & se aliis coniunxit propheta, & ad iustos & peccatores, & ad cuncta cunctorum opera sermonem suum direxit. Et ne ipsa quidem opera, quæ adeo bona & perfecta sunt, vt & ipsa iustitiæ appellari queant, ab hac generalitate excepit. Et hoc testimonio triumphare sibi de nobis videtur. Et Esaiæ aduersari putat, qui non intrepidus fatetur, & omnes homines in hac vita immundos esse, & omnia omnium opera, immunda & aliqua peccati labe sordidata.

Responsio. Quo tamen Lutheri immodicam & insolentem petulantiam fortius retundam, & quantum ille à vero prophetæ sensu aberrauerit, apertius faciam: libet expositionem horum verborum aliquanto accuratius tractare. Ac legem commentariorum secutus, qua se sæpe tuetur Hieronymus, subijciam lectori & multas, & varias Doctorum Catholicorum expositiones. Et cum eas quadrantissimas & conuenientissimas docuerimus, agnoscet (velit nolit) hæreticus, multas nobis patere vias elabendi retia, quibus nos implicitos & circumscriptos putat.

Exposit. 1. Ac primo quidem dicere possumus, hæc Esaiam dixisse, non quidem, quod omnes hic viuentes immundi simus, & omnia opera nostra peccata: sed quod ad supremam illam & purissimam Dei iustitiam & bonitatem collati, etiam ipsi viri sanctissimi, immundi sunt, & perfectissima eorum opera, quasi pannus prorsus menstruatæ. Quemadmodum enim minus album, ad albissimam niuem collatum, nigrum videtur: & diuitiæ huius mundi, ad diuitias cœlestes collatæ stercora sunt verius, quam diuitiæ: ita ad iustitiam Dei, cum quo hæc loquebatur propheta, iustitiæ nostræ comparatæ, pollutæ sunt & immundæ. Atque in his omnes docebamur, quam sumus indigni, quantumcunque iusti, vt à Deo audiamur. Et hanc expositionem sequitur Iodocus Clichtoueus in suo Antilutero.

Secundo possunt explicari hæc verba de iustitijs legis veteris. Et ita Diuus Hieronymus in commentarijs huius loci exponit. Vere namque quasi pannus menstruatæ sunt iustitiæ veteris legis, siue quia ad puritatem Euangelicam comparatæ, immunditia quędam sunt, siue quia pro tempore isto coruscantis legis gratiæ, immundæ & abominabiles sunt coram Deo. Exposit. 2.

Tertio in persona peccantium, quorum tum maxima erat multitudo, videri queunt dicta fuisse hæc verba. Frequens enim hoc est in prophetis, vt nomine peccatorū pleraque loquantur. Vnde & Hieremias ait: *Dormiemus in confusione nostra, & operiet nos ignominia nostra, quoniam Domino Deo nostro peccauimus nos. & Patres nostri ab adolescentia nostra vsque ad diem hanc, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri.* Cum enim ipse ab vtero matris sanctificatus fuerit, ac propterea merito communiter credatur tota sua vita peccato caruisse mortali, non videtur hæc nomine suo dixisse, sed nomine peccatorum, quibus loquebatur, & quorum peccata sua existimabat, & vt propria lugebat. Exposit. 3. Hierem. 3.

Et verba, quæ modo tractamus, sic esse exponenda docent, quæ statim sequuntur: *Et cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Et hanc expositionem amplectitur etiam Hieronymus. Et sicut, quia paucissimi sunt

Mmm boni,

Psalm. 13. boni, Dauid dicit, *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*: & Micheas, *Periit sanctus de terra & vir rectus in hominibus non est*: & Hiere-
Mich. 7. Hierem. 8. mias, *à minimo vsque ad maximum, omnes auaritiam sequuntur*: ita quia pauci sunt, qui bona bene faciãt, vniuersas iustitias dixit propheta quasi pannum esse menstruatæ.

Exposit. 4. Quarto possunt intelligi hæc dicta, non quod omnes iustitiæ nostræ sint peccata, sed quod omnibus ipsis aliquæ imperfectiones sunt admixtæ, vel aliqua venialia peccata, aut eodem tempore, aut certè paulo post, aut ante. Namque hoc satis est, vt merito iustitiæ nostræ pannus dici possint menstruatæ, in quo si quid forte reperiri contigerit purum & mundum, tamen adiunctione circumstantium sordium, totum aliquo modo defœdatum & deturpatum videtur. Atque hanc expositionem sequitur etiam Clichtoueus, vbi supra.

Alludunt etiam eo verba Hieronymi in Pelagianos. Ideo enim fuisse immundos dicit, non paucos, sed omnes, & quasi pannum menstruatæ, reputata esse in lege omnia opera nostra, quia nullum Deus reperit, qui iudicaret iustè, & suam in omnibus faceret voluntatem. Et manifestum est, pannum menstruatę non sic in totum semper fœdari, vt omnes ipsius partes sint impuræ & sordidatæ.

Exposit. 5. Quinto hę verba in eum sensum queunt accipi, vt propheta non intellexerit nomine iustitiæ opera nostra iusta, neq; hæc pannum menstruatæ dixerit: sed iustitiam appellauerit, sicut & sæpe fit in scripturis, sanctitatem & iustificationem, quam operibus nostris acquirimus, & hanc dixerit esse velut pannum menstruatæ. quod nullius iusti vita sic splendeat, vt non eadem multis venialium peccatorum maculis respergatur. Omnia quippe sanctorum lumina, aliqua sorde maculantur: & nemo est hic ad plenum purus & perfectus, sicut paulo ante ex Hieronymo citauimus.

Exposit. 6. Sexto: Cum frequenter prophetæ nomine Ecclesiæ loquantur, quod & factitari sæpe videmus à prædicatoribus, qui eorum nunc personam referant in Ecclesia, non absurde hic locus poterit sic intelligi, vt vniuersæ iustitiæ Ecclesiæ militantis, velut pannus dicantur menstruatæ: quia iustis & mundis, peccatores & immundi sunt commixti. Quo fit, vt Ecclesia suis nullatenus fidere possit iustitijs, sed potius cum propheta dicere, vniuersas illas velut pannum esse menstruatæ, quousque de seculo isto translata, immaculata appareat, & absque vlla ruga conspectui Dei præsentetur. Et consonat hæc expositio verbis omnibus sequentibus, & proposito toti Esaiæ.

Septimo, ad perfidos Iudæos referri possunt hæc verba pro isto tempore, quo illorum iustitiæ, à superueniente sanguine & reatu suorum peccatorum, & potissimum mortis Christi, pollutæ sunt & turpiter inquinatæ. Nam cum sępe eorum malum pro isto tempore & lugeant, & prædicent prophetæ, haud incommode huc & ista quoq; verba referentur. Et nonnulla ex sequentibus huc vocant lectorem, qualia sunt vel maxime illa, quæ in fine cap. legim, *Ciuitas sancti tui facta est deserta. Sion deserta facta est, & Hierusalem desolata: domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ. vbi laudauerunt te Patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinam.* Exposit. 7.

Quibus nimirum verbis satis videtur docere propheta, hæc verba de quibus agimus, ad tempora iam quandam calamitatem populi Israelitici referenda esse, & non ad omne tempus. Sequunturque istam expositionem tum Nicolaus super hunc locum, tum Roffensis vbi supra. Sed Nicolaus alia ratione iustitias Iudæorum putat dictas esse pannum menstruatæ, quam hactenus exposuerimus, neq; mihi eius ratio displicet. Ait siquidem, iustitias Iudæorum huius temporis, ideo à propheta appellatas esse pannum menstruatæ, quia cum nequeant extra Hierusalem sacrificia facere, quibus suas aspergere solebant immunditias, necesse est, vt toto nunc orbe dispersi, & à terra illa sancta extorres, immundi & quasi pannus maneant menstruatæ.

Octauo, & literalius, possunt ac debent exponi nostro iudicio ista verba de iustitijs populi Iudaici pro tempore, quo ad illum ea loquebatur Esaias. Non in eum sensum Exposit. 8.

tamen,

tamen, vt iustitiæ, id est, opera iusta, quæ tum operabantur, immunda essent, ac velut pannus menstruatæ: sed sic, vt vniuersa, quæ ante bene fuerant & sancte operati, delictis, quæ tunc inundabant in populo, inquinata essent & sordidata, ac velut pannus effectu menstruatæ.

Et hunc sensum expostulant præcedentia verba, *Ecce tu iratus es, & peccauimus, & in ipsis fuimus semper.* Et multo magis quæ sequuntur: *Et cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te. Abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.* Ex quibus luculenter patet, iustitias, quas propheta dicit quasi pannum factas esse menstruatæ, non fuisse illa opera, quæ tum Iudæi operabantur, cum hæc ad eos ille dicebat, sed ea potius, quæ olim pie & sancte fecerant, cum Deus ipsis propitius erat. Siquidem & hoc propheta tum dolebat, quod nullæ pene erant iustitiæ in populo, neq; fere erat qui inuocaret nomen Domini, & consurgeret, & teneret ipsum.

Et vt intelligas, longe abfuisse prophetam à sensu Lutheri, aperte hic docet fuisse tempus, quo Iudæi perstabant constantes & firmi contra peccata, & quo Deus non erat eis iratus, neque abscondebat faciem suam ab eis, neque labi eos permittebat, & allidi in iniquitatibus suis vsqueadeo, vt non esset qui inuocaret nomen eius. Quod tempus fuit nimirum illud, de quo per Ezechielem ad Iudæorum Synagogam loquitur: *Perfecta eras in decore meo.* Quare & eo quo ; tempore affirmare, nihil fuisse in Iudæis liberum à sordibus & immunditia, nihil est aliud, quam Dei testimonio aduersari, & illius in nos beneficijs ingratos esse.

Ezech. 16.

Cōtradict. Lutheri.

Et Lutherus sibijpsi dissentit, cum huic tempori applicat hæc verba. Ipse namque fatetur, hoc tempore peccatores horrore peccatorum suorum nomen Christi inuocantes, & ad ipsius misericordiam confugientes, fide iustificari. Ac proinde apertum est, neque secundum ipsum illa conuenire huic tempori: *Non est qui inuocet nomen tuum.* Et manifesta profecto non solum impietas, sed & repugnantia est, illam fidem peccatum dicere, qua ipsa fatetur vniuersa impleri præcepta, ac proinde & impium iustificari: Quia si per illam implentur omnia præcepta, nulli igitur ipsa præcepto aduersabitur, & ex consequenti nec erit peccatum. Etenim vt Ambrosius, Augustinus, Cyrillus 10. in Ioan. 4. & de præcep. & disp. Bernardus, & omnes Doctores, quos legi constanter tradunt, omne peccatum inobedientia est, & à contemptu mandatorum originem trahit. Sed vide dementiam & insaniam Lutheri. Quod propheta manifestissime dixit pro tempore, quo exigua vel nulla erat iustitia in Dei populo, ipse etiam pro eo tempore, quo plurima fuit in eo iustitia, putat ipsi conuenisse, & Ecclesiæ nostræ pro quocunque tempore huius viæ contendit verissime posse aptari. Quod si verum esset, menstrua & sordes & immunditias commodius, eas dixisset propheta, quam quasi pannum menstruatæ.

Cōtradict. Lutheri.

CAPVT XXXIX.

Ex Cypriano & Augustino nihil habet contra veritatem fidei Lutherus.

NON contentus Lutherus scripturas, qui mos fuit semper hæreticorum, deprauare: contendit & sanctorum testimonia inuertere, qui nobis eas exposuere. Cumq; alias non semel floccifaciat, & pro nihilo habeat ipsorum authoritatem, nunc cum maxime sanctitati illorum derogat, eorum affectat videri studiosus obseruator & lector. Et pulcherrima quædam verba, quibus Cyprianus elegantissime nostram expressit miseriam, in testimonium sui erroris in primis vsurpat. Sunt autem hæc verba Cypriani ser. 4. *Obsessa mens hominis, & vndique exabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: Si libido compressa est succedit ambitio: Si ambitio contempta est, ira exasperat, superbia inflat, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit.*

Obiect. 9.

Verum hæc verba pro nobis profecto faciunt. Nam in eis aperte Cyprianus fatetur, nos occurrere & resistere aliquibus

Responsio.

tentationibus, & nonnulla vitia deuincere, & victoriam eorum laudi certe, & non vitio, ducit. Possent quidem eo adhiberi hæc verba, vt probarent nos nunquam carere peccato: neque si aliquam noxiam animi affectionem superare, vt non & ab alia vincamur. Sed ne hoc quidem satis hinc euincitur. Qui enim ait, vix occurrere nos singulis: ostendit, difficulter quidem, sed aliquando tamē ocurrere. Et non dixit Cyprianus, vno à nobis vitio deuicto, mox ab alio nos vicissim superari: sed tantū ait, vno vitio prostrato & cōpresso, aliud exurgere: & vna triumphata pugna, in aliud mox certamen prouocari, & alia pene semper nobis ineunda esse de integro prælia & cōflictus.

Obiect. 8. Augustinum insuper 9. Conf. cap. 13. inducit pro se Lutherus dicentem Deo *Væ hominum vitæ quantuncunque laudabili, si remota misericordia discutias eam.* Ex quibus verbis colligit Lutherus, non solum opera nostra quantuncunque bona, mala esse, sed & æternas pœnas mereri, si remota misericordia iudicentur. nam *Væ*, hoc in scriptura significare solet. Per misericordiam vero diuinam fieri putat, vt quæ de se digna essent cruciatibus æternis, non imputentur nobis, nisi ad pœnas temporarias.

Responsio. Longe vero fuit Augustinus ab eo sensu, in quem eum interpretatur Lutherus. In eo loco, vnde hoc testimonium depromitur, asserit multa bona opera ab ipsius matre effecta, de quibus Domino gratias agit: & ea manifeste distinguit ab alijs malis operibus, quæ non dubitabat eam per fragilitatem admisisse, quorumq; remissionem à Deo postulat. Et quia remissio quoruncunque peccatorum misericordia indiget, & nisi illa remittantur, væ erit quibuscunque hominibus, qui cum eorum reatu inuenti fuerint in diuino iudicio, subiecit ipse verba illa: *Væ enim hominum vitæ &c.* Et non dixit, vt bene ante nos adnotarunt viri doctissimi: Væ hominum quibuscunq; operibus quantuncunque laudabilibus: sed, *Væ hominum vitæ, quantuncunq; laudabili.* Non enim omnia opera nostra indigere misericordia putauit, vt non imputarentur in pœnam, sed duntaxat omnium vitam.

Iod. Cast.

Et hoc non ob aliud, nisi quia nullius vita tam pura est & sancta, vt non aliquibus interdū inquinetur sordibus peccatorum, quibus abluendis necessaria sit misericordia diuina. Et væ illud, quo vsus est Augustinus, & cui Lutherus maxime est nixus, licet sæpius in scriptura de æterno luctu, quā de præsenti soleat intelligi, vt bene notauit Gregorius in illa Ezechielis verba, quibus asserit, in libro sibi ostenso scriptas fuisse lamentationes, carmen, & Væ: tamen manifestum est, non semper pœnam gehennæ æternam sonare, neque apud Latinos Ecclesiasticos scriptores, neq; in ipsis scripturis sanctis: quandoquidem cum Christus dixit, *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*: non sane pœnam illis æternam comminabatur, sed labores prædicebat temporarios, quos in excidio Hierosolymitano postea passæ sunt. Et cum Esaias dicebat, *Væ mihi, quia tacui*: non sibi pœnam æternam impendere significabat, & aliquando tantum dolorem cordis exprimit hæc particula. Et sic Hieremias dixit: *Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos* Et Michæas: *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Et Matathias: *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei?*

Væ nō semper notat æternam pœnam.

Greg hom. 9. in Ezech.

Matth. 24.

Esai. 6.

Hiere. 4.

Mich. 7.

1. Mach. 2.

Et Augustinum in verbis citatis non significasse pœnam æternam per illam particulam, *Væ*, vel inde possumus euincere, quia nonnullos ipse credidit nunquam admisisse peccatum mortale: quales communiter creduntur fuisse Iob, Hieremias, Ioannes Baptista. Qui autem nunquam patrauerunt peccatum mortale, nequaquam pœnis æternis digni inuenirentur, etiamsi iudicarentur remota misericordia. Porro, q in hoc argumento innuit Lutherus, non solum opera nostra mala esse, sed & æternas pœnas mereri, si remota misericordia discutiantur: multo sane est absurdius, quam ea, quæ hactenus refellimus. Verum illud cōmodius circa ca. 15. impugnabimus.

CAPVT XL.

De verbis Iob & Gregorij, quæ in specie videntur fauere Luthero.

INTOR-

Obiect. 9. INTORQVET tandem aduersum nos Lutherus verba illa Gregorij in Iob 9. Mor. cap. 1. *Quia sanctus vir omne meritum virtutis nostræ vitium esse conspicit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur: ideo rectè subiungit: Si voluerit* (Iob 9) *contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Hæc Greg. Et pensanda hîc sunt primo verba illa generalia, *Omne meritum virtutis*: deinde verbum illud, *Conspicit*. Nullum quippe actum nostrum quantumcunque bonum, videtur excipere. Et cum dicit, *Conspicit*, liquido asserit, ita vere esse, & non tantum ob humilitatem tale iustis videri. Quæ enim conspicimus, perinde sunt ac videntur. Nec minus vrgent, quæ eodem in libro subdit: Explicans quippe (Cap. 14.) causam, ob quam dixerit Iob, *Si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor*; ita scribit: *Vt enim sæpius diximus, omnis humana iustitia iniustitia esse conuincitur, si districtè iudicetur.*

Respon. Sed cum Iob palàm in his verbis fateatur, se potuisse quippiam iustum habere, & nulla ex parte culpabile: & Gregorius in eodem loco clare concesserit, posse iustos facere aliqua opera, quæ non sint mala, vt patet ex verbis supra citatis: dubitandum non est quin alium in sensum hæc ille dixerit, quàm accepta fuerint à Luthero. Quis tamen sit genuinus eorum sensus, non est admodum facile explicare.

Exposit. 1. Gregor. Quidam putant ideo ista dixisse Gregorium, quia vt plurimum nullius iusti vita tantopere virtutum fulgoribus splendet, vt non eadem multis sit obnoxia peccatorum venialium maculis. Nam iustitiam, in illis verbis, *Omnis humana iustitia*: non pro iustis actibus humanis accepisse videtur, sed pro iustitia, quam nobis per eos comparamus. Et quantamuis iustitiam, merito dixisse, iniustitiam esse, si districte iudicetur, possumus, si hunc sensum sequamur, explicare & approbare: Quia plura sunt iustorum peccata, quàm bona opera: & plus illi deficiunt, quam proficiunt in via Dei. Quare si Deus districte vellet iudicare vitam nostram, plus in nobis inueniret iniustitiæ & culpæ ad reatum, quam iustitiæ & bonitatis ad præmium & coronam. Ac proinde iure potuit dici nostra iustitia esse iniustitia, si Deus districte iudicaret.

Impugnat. Subtilis quidem & in speciem plausibilis videtur hæc euasio, sed minus habet soliditatis, quam apparet, si quidem verba Gregorij, & rem ipsam totam attentiùs & penitiùs dispiciamus. Nam ille de omnibus iustis, etiam perfectissimis, loquitur: Contra libertatem autem Euangelicam esse videtur, & contra suauitatem Dei & legis gratiæ, & contra id quod omnes credimus de multis iustis, asserere etiam eiusmodi iustos plus peccare & deficere, quam bene operari, & proficere. Etsi hoc verum esset, etiam modo cum Deus neminem districte iudicat, plus esset in eis iniustitiæ ad reatum, quam iustitiæ ad coronam: itaque & modò nostra iustitia esset iniustitia, quod Gregorius minime dicit.

Deinde: In eundem sensum & priora & posteriora citata verba dixit. Vtrobique namque verba Iob idem significantia exponit. Vbi vero hæc satis essent pro illis verbis, Omnis humana iustitia, iniustitia est, si districte iudicetur: equidem satis non sunt pro illis verbis, Vir sanctus omne meritum virtutis nostræ conspicit esse vitium. Si dixisset ille, virum sanctum omne meritum conspicere esse vitium, vtcunque posset defendi hoc vere dictum: Quoniam in meritis nostris, vt meritum bona & mala merita complectitur, plus est vitij, quam virtutis: & denominatio fit à maiori parte. Sed cum dicat omne meritum virtutis nostræ esse vitium, non solum vitam cuiuscunque iusti, obnoxiam vitijs declarat, sed & singulum quodque virtutis opus vitio dare & reprobare, immo & vitium plane appellare videtur, perinde ac facit Lutherus.

Exposit. 2. Greg. Diceret forte aliquis, hæc dicta esse à Gregorio illo loquendi tropo, quo diuitias huius mundi, quæ quidem bonæ sunt, & diuitiæ possunt appellari, tamen stercora sæpe dicimus: & paupertatem potius quam diuitias, dum de eis agimus, quatenus conferuntur ad regni cœlorum diuitias. Et ipse quidem eo tropo credit esse vsum Iob in (9. Mor. cap. 3.) verbis illis, *Si lotus fuero, quasi aquis niuis, & ful-*

 serint

ferint velut mundissimæ manus meæ, &c. Atque ideo appositum ab eo putat temperamentum illud, velut: quia quantumlibet rectis operibus insudemus, veram iustitiam nequaquam apprehendimus, sed tantum imitamur: & quanto ad Deum verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab eius munditia discordamus. Et tandem sensum eorum verborum sic explicat: *Ait ergo, si lotus fuero, &c. Ac si apertè dicat: Quamuis lamentis supernæ compunctionis infundar, quamuis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video, quia mundus non sum. Intenta quippe Deo anima, in ipsam adhuc corruptibilis caro diuerberat, eiusq; amoris pulchritudinem obscœnis & illicitis cogitationum motibus fœdat.* Hactenus Gregorius.

Et hac vsitata figura diceret aliquis forsan Gregorium merita nostra, vitia appellasse: & iustitias, iniustitias. Quoniam sicut quo sanctior quisque est & iustior, eo clarius & dilucidius culpas suas agnoscit, & grauitatem earum magis perpendit: ita reuera quo sancti in Dei celsitudinis & bonitatis cognitione magis proficiebant, eo vtique magis opera sua quantumcunque bona despiciebant, & vitiosa ea esse & sordida, id est, imperfecta & deficientia, & indigna Dei conspectu & approbatione, agnoscebant. Et verissimum nimirum est, omnia merita nostra & iusticias & vitia & iniustitias & sordes posse appellari, non solum si ad munditiam & iustitiam diuinam, sed etiam si ad sanctitatem & iustitiam humanitatis Christi, immo & cuiusuis beati, conferantur. Et aliàs hoc loquendi tropo scio Gregorium dixisse, omnem humanam iustitiam, iniustitiam esse. Sic namque 17. Mor. ca. 8. scribit: *Omnis vir iustus, Dei illustratione iustus est, non comparatione. Humana quippe iustitia authori comparata, iniustitia est: quia etsi in ipsa sui conditione homo persisteret, creatori non posset æquari creatura: Cui tamen ad grauiora defectûs pondera accessit & culpa, quam serpens insidians intulit, & mulier infirmata persuasit.*

Impugnat. Sed in his locis, quæ modo tractamus, illa verba ab ipso Gregorio adiuncta, *Si districtè iudicetur*: manifeste indicant, non ea loquendi figura cum esse vsum. Nam si ea fuisset vsus, nihil erat opus hoc temperamento. Et Deus quidem, quantacunque districtione & rigore iudicare vellet, exigere certe à nobis non posset iustitiam & munditiam, quæ ad suam, vel humanitatis Christi, vel beatorum collata, iustitia nihilominus esset. Nam hoc præstare, aperte est nobis impossibile. Neque ideo succumbere timuisse Iob dixisset Gregorius, quia tantam iustitiam præstare non poterat. Aliò ergo nimirum spectauit Gregorius, cum hæc scripsit.

Et cum diu, multumque mecum de his verbis hæsitauerim, tandem fauore ipsius opinor me inuenisse germanam eorum expositionem. Sed ante omnia, vt argumentum Lutheri confringamus, & omnibus pateat, nullum eum apparens fundamentum suæ vesaniæ hinc habere: aduertendum est, non dixisse absolute Gregorium, omne meritum virtutis nostræ vitium esse, & omnem humanam iustitiam iniustitiam esse: Immo adiecit hoc temperamentum commodissimum & necessarium, *Si districtè iudicetur*. Itaque pro nobis facit hoc testimonium, hoc est, pro veritate, non pro errore. Cum enim Deus modo non districtè iudicet, nec virtutes nostræ erunt modo censendæ vitia, neque iustitia iniustitia, secundum Gregorium. Expos. germana Gregor.

Ideo vero si districtè Deus nostra opera iudicaret, si spectemus quidquid id est laudis, quod à nobis habent merita nostra, possunt dici esse vitia, & iustitiæ nostræ esse iniustitiæ: quia multa, quæ nunc sunt bona opera & iusta & meritoria, ad eam sanctitatem & puritatem exacta, qua Deo deberemus seruire, quamque Deus à nobis posset ex rigore exigere, tum propter suam bonitatem, tum propter eximia sua in nos beneficia, vere vitia essent, & mala opera, & iniustitiæ. Non solum enim verum est, vitam quorumuis iustorum multis peccatis venialibus iugiter sordidari & deturpari: sed ipsa etiam perfectorum opera, à bonitate illa longe deficere, qua deceret nos Deum colere, laudare & honorare. Sunt quippe multis imperfectionibus, quoad [illegible] hic vi-

Hic viuitur, coniuncta: neque tam pura, neque tam sancta & feruentia, quam magnitudo diuinæ bonitatis & beneficentiæ in nos exigeret. Et cum Deus modo propter eximiam suam in nos dulcedinem & suauitatem, ne ad culpam quidem venialem eos nobis defectus & imperfectiones imputet, posset tamen culpæ eos nobis tribuere, si districte & præter suauitatem suam & benignitatem, nobiscum vellet agere.

Ac præter hæc talia sunt profecto nostra opera, vt si Deus districte vellet agere, neque ad futuram gloriam, neque ad obtinendum veniam peccatorum nostrorum sufficerent. Et ideo Iob dixit in illo loco, quem exponit Gregorius in verbis citatis: *Vere scio, quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo non poterit respondere ei vnum pro mille.* Et cum magnitudinem sapientiæ & omnipotentiæ diuinæ ostendisset, & nihil eum posse fallere aut impedire, quo minus debita animaduersione vniuscuiusque culpam feriat, & ne angelorum quidem iustitiam, iustitiam esse, si Deus districte vellet iudicare, infirmitatem nostram agnoscens, qui multo inferiores sumus angelis, & corruptione corporis, à puritate & perfectione, Dei obsequio debita, impedimur, subdit: *Quantus ego sum, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?* Et de iustitiæ suæ meritis non confidens, ad solam se spem postulationis conferens, mox adiunxit: *Qui etiamsi habuero quippiam iustum, non respondebo sed meum iudicem deprecabor.*

Sed & de ipsa quoque postulatione pauidus, statim subnectit: *Et cum inuocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam.* Et continuo, vt suam & perfectissimi cuiusque iustitiam, apertius iniustitiam esse monstraret, si Deus districte iudicaret, adiecit: *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Et propterea Gregorius affirmat, omne meritum virtutis nostræ, vitium esse: quia nullum opus nostrum tam pure, tam sancte, tam feruenter, tam omni ex parte perfecte fit à nobis, quàm fieri deceret, vt Deo iuxta magnitudinem suæ bonitatis & suorum in nos beneficiorum seruiremus, & quam ipse à nobis posset exigere, si vellet districte iudicare.

Et quia, qui tantam sibi iustitiam arrogat, authorem suorum bonorum Deum non agnoscit, & magnæ se superbiæ reum facit: audi, quæ ante hæc ipsa verba absque vllis interpositis præmittit, & quemadmodum verba illa Iob exponit: *Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Homo quippe*, ait, *Deo non compositus, iustitiam percipit: compositus amittit: quia quisquis se authori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, priuat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Vnde ergo despectus erigitur, dignum est, vt erectus inde destruatur.* Hæc ille.

Quoniam vero huic tantæ superbiæ obnoxius, toto cœlo errat, & non solum non est perfectus, verum neque perfectionem inchoauit, vide quid è vestigio subnectat, & quemadmodum interpretetur consequentia verba Iob: *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Nam cum exposuisset vnius appellatione, bene viuendi initium, millenarij vero numeri ampliatione, eiusdem bonæ vitæ perfectionem, iuxta tropologicum sensum designari, sic subiungit: *Cum Deo autem contendere, est, non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, quia & qui summa iam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta, quæ acceperat, amittit: & dicat, Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille. Qui enim cum authore contendit, vnum pro mille respondere non sufficit: Quia qui de perfectione se erigit, habere se bene viuendi neque initium ostendit. Vnum namque pro mille respondere non possumus: quia cum de bonæ vitæ perfectione extollimur hanc nos neque inchoàsse monstramus.* Hæc Gregorius.

Et cum hæc, quæ Lutherus pro seipso citauit Gregorius dixerit, ed [illegible] rens verba illa Iob *Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo*: ho[c] ipso, pro magnifico [illegible] sen[su], excitauit nos ad veram eorum intelligentiam.

N[illegible] germanus horum verborum [illegible], non iustificari hominem compositi-

Quo sensu dixerit Iob non iustificari hominem compositum Deo.

positum Deo, hoc est, non habere eum iustitiam, quæ collata ad diuinam, sit iustitia: in quem sensum communiter solent exponi hæc verba: sed sensus est, quod homo, quamuis compositus hominibus, possit iustificari, quia eis tantam iustitiam & obsequia tanta præstare potest, quanta debet, & ab eo iuste possunt exigi: tamen cum Deo compositus homo, nequaquam potest sic iustificari. Non enim tantam habet vnquam iustitiam, quantam debet præcelsæ illi bonitati & singularibus illius in nos beneficijs, neque quanta necessaria esset ad promerendam ipsius gratiam, & assequendam veniam de peccatis, si Deus ex rigore iudicaret.

Et hunc sensum abditum & occultum postulabant illa verba, *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille.* Nec minus quæ subintulit, *Si habuero quippiam iustum, &c.* Immo vere totum propositum Iob & scopus, in quem illa omnia dirigebantur, hunc sensum requirebant. Quorsum namque erat, fateri hominem non habere iustitiam, quæ diuinæ sit exæquabilis? Nunquid tam stultus fuerat Baldath Suites, cui ibi respondet, vt eam stultitiam, immo insaniam, persuasam esse Iob putaret, vt crederet suam iustitiam comparabilem esse diuinæ? Non hoc sane inter eos agebatur. Sed hoc tractabant, an tanta esset in quoquam iustitia, quantam Deo deberet mortalis, ita vt etiamsi Deus eum puniret, neque supplantare tamen iudicium esset censendus, neque subuertere quod iustum est. Et quia Iob videbatur tantam sibi iustitiam tribuisse, atque ideo & iudicium in se diuinum reprehendere, obuiam ei iuit ille amicus eius. Quod tamen neque tantam sibi vnquam arrogauerit iustitiam, his verbis luculenter exposuit. Noluit enim tantæ calumniæ & notæ sibi iniustæ non respondere, ne videretur taciturnitate sua apertæ illi blasphemiæ consentire. Et propterea Gregorius in verbis secundo allegatis à Luthero, omnem humanam iustitiam fatetur iniustitiam esse, si districte iudicetur: quia neque tanta est, quanta à Deo possit exigi ad impetrandam veniam peccatorum, & promerendam gratiam ipsius: & quantumcunque aliqui per donum spiritus adiuti, aduersus infirmitatem suæ carnis sese erigant, virtutibus emineant, signorum miraculis coruscent, nullus tamen est, vt ipse alibi dicit, qui sine culpa vitam transigat, quousque carnem corruptionis portat.

Et in hunc sensum dixisse Gregorium 7. Moral. cap 8. omnem humanam iustitiam iniustitiam esse, si districte iudicetur, satis indicant verba circumiacentia. Subdidit enim statim post illa: *Prece ergò post iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, ex sola iudicis pietate conualescat.* Et mox: *Dicat ergo: Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Velut si apertius fateatur, dicens: Et si ad opus virtutis excreuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia conualesco. Prece ergo innitendum est cum recta agimus, vt omne, quod iustè viuimus ex humilitate condiamus.* Et in consequenti capitulo apertius explicat, ideo se dixisse omnem humanam iustitiam esse iniustitiam, si districte iudicetur, quia insufficiens est ad veniam & gratiam coram iusto iudice impetrandam.

Enarratis quippe & expositis omnibus sancti viri timoribus. *Cur, inquit, tanta circumspectione trepidat? cur tanta solicitudine formidat, nisi quia terrorem iudicis in extrema districtione considerat, & vim discussionis illius non ferens omne quod gerit, esse sibi insufficiens pensat?* Et 17. Mor ca. 8. dicit: *Rectè nunc dicitur, Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo. aut apparere mundus natus de muliere? Ac si apertè diceretur: Ne contra authorem suum homo superbiat, consideret vnde huc venit, & intelligat quid sit.* Hæc ille. Neque ex Iob ergo, neque ex Gregorio Lutherus habere potest, bona opera iustorum esse mala, aut quæ mala sunt, ex misericordia diuina non imputari ad pœnas æternas. Sed habere potest, quod tamen assecutus non est, multa nunc fieri à nobis bona opera, & absque vlla macula peccati, quæ tamen, si Deus districte vellet nobiscum agere, vitia & iniustitiæ essent, ac mala, & non bona, probarentur.

C A-

CAPVT XLI.

Expositio corollarij quarti de intuitu mercedis æternæ.

VERVM iam cœpimus terram prospectare de pelago, & post montes gurgitum, & spumosos fluctus, & nauim vel in sublime subrectam, vel in ima præcipitem, fessis ac languentibus portus aperitur. Tradita quippe & exposita à Patribus necessitate & possibilitate mandatorum, & sanctitate operum, quibus illa seruantur, vt iacentes animos, remissas manus, & soluta genua ad currendum per viam mandatorum Dei erigamus, de mercede æterna, quæ ipsorum obseruantiæ est reposita, edisserunt, & quatenus liceat eam intueri in nostris operibus, exponunt. Verba decreti sunt hæc: *Atq; etiam eos,* subaudi, constat, *orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui statuunt, in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

Expositio Corol. 4. Ex quibus verbis licet colligere hanc quartam doctrinam: Non vitiantur opera iustorum ex eo, quod illa faciant intuitu mercedis æternæ. Et quamuis Deus ipse merces sit æterna iustorum, nam & Abrahæ ipse dixit: *Ego protector tuus, & merces tua* Genes. 15 *magna nimis*: tamen cum Patres eam à Deo distinxerunt, dicentes: *Cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoq; intuentur æternam*: satis indicarunt, in proposito mercedem æternam vocari beatitudinem, quam Deus elargitur iustis, dum se illis intuendum & fruendum præbet. Itaque, vt protritis Scholæ verbis rem aperiamus, non hîc agimus de mercede æterna obiectiua, quæ Deus est, sed de mercede æterna subiectiua & formali, quæ est actus seu affectus interiores beatorum, visio scilicet Dei, & fruitio ipsius, & gaudium cum securitate, & dotes exteriores corporis, immortalitas, claritas, subtilitas, agilitas, & denique omnia illa, quæ iustis in æterna beatitudine donabuntur, & eos formaliter efficient corpore & anima beatos.

Et hanc doctrinam videntur Patres intulisse ex illis verbis Pauli statim citatis: *Nescitis, quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.* 1. Cor. 9 Beatitudo quippe brauium est & corona, obseruationi mandatorum reposita, cuius amore & desiderio, sicut Rachelis Iacob, omnes dies & labores huius vitæ, pauci & leues veris Israelitis videntur.

Quamuis autem solum videantur aduersarios doctrinæ Catholicæ eos diffinire, qui asserunt iustos peccare in omnibus operibus, si mercedem intueantur æternam, cum tamen par sit ratio, quoad hoc, de vno opere & de omnibus, non minus debet censeri hîc esse diffinitum, eos aduersari fidei Catholicæ, qui vel minimum alioqui opus bonum, ea ratione damnant, quod ex intuitu mercedis æternæ fiat.

Neque illa verba, *Si in illis suam socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus*: in hoc adiecta sunt, vt doctrinam hoc loco traditam, limitarent. Quasi certum videlicet non sit, ea esse bona opera, quæ intuitu mercedis æternæ fiunt, nisi eo intuitu fiant, vt socordiam nostram excitemus, & expeditiores viam mandatorum curramus, & præter hoc, Dei in primis gloriam, & non commodum nostrum, spectemus. Non ea de causa profecto hæc adiecta sunt. Ac valde nimirum fuisset imperfecta doctrina, si solum traderentur ea esse opera bona, quæ intuitu mercedis æternæ fiunt, cum tam multis circumstantijs. Vnde & in Canone Canon. 31 huic doctrinæ respondenti, vt omnis tolleretur ambiguitas, absolutè & absque vlla circuitione dictum est: *Si quis dixerit, iustum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Adiecta vero sunt illa pauca verba à Patribus, vt docerentur omnes, quorsum & quomodo mercedem deberent in suis operibus intueri æternam. Ad hoc namque in eum scopum subinde respectare debemus, vt dum tam grande & tam eximium præmium bonis propositum esse operibus, mentis oculis adspicimus, vel inde ignauiam & socordiam nostram

excitemus, & ad illud assequendum animos nostros in dies magis ac magis extendamus.

Sic autem oportet in præcelsum beatitudinis nobis promissæ præmium respicere, & animos nostros ad illud persequendum & comprehendendum iugiter accendere, vt semper tamen Dei gloriam in primis spectemus, & non tam commodum captemus nostrum, quam statum illum felicissimum solida fide, alacri spe, & flagranti charitate adipisci connitamur: quem si consecuti fuerimus, Deum promptius, alacrius, magnificentius, ac omnino sine fine laudabimus, & proximos nostros ad idipsum faciendum potentius & certius excitabimus.

Et ex hac doctrina sic exposita, aperte colligitur, hæreticum esse, quod quidam Bugaurius de monte Falcone, in Cataloniæ regno docuit, nempe nullum opus esse bonum, nisi fiat ex puro & syncero amore, quacunque ex causa fiat, etiam spe mercedis æternæ. Damnatusque ille fuit cum suo errore per quendam Tarraconensem Archiepiscopum, Sancium nomine, vt refertur in Catalogo hæreticorum, edito à fratre Bernardo de Lutzemburgo.

CAPVT XLII.

Confirmatio doctrinæ Patrum de intuitu mercedis æternæ, ex Scripturis, vsu Ecclesiæ, & consensu Doctorum.

PORRO præter Scripturarum testimonia, à Patribus inducta pro hac doctrina, tria alia apertissima in Paulo occurrunt. Non solum enim laudat Paulus Mosen, quod adspiciens in remunerationem, constanter negauit se esse filium filiæ Pharaonis, & cum populo Dei affligi maluit, sed & ea ratione Abraham affirmat labores peregrinationis suæ tolerasse, & patientiam ipsius commendat: *Fide*, inquit, *commoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus.* Hebr. 11

Et Magistrum nostrum, singulare, viuificum, & prorsus admirandum omnium virtutum exemplar, eadem ratione labores crucis magnanimiter perpessum fuisse, statim asseuerat, dicens: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, omni confusione contempta.* Et ad Col. apertissime scribit: *Gratias agimus Deo & patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis.* Hebr. 12 Coloss. 1

Et quid aliud sibi volunt vniuersæ admonitiones, quibus legimus in Scriptura Deum homines cohortatum fuisse ad virtutem & obedientiam spe regni cœlorum? Quales quidem illæ sunt: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis est. Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Quin vero & omnes cohortationes siue ad quærendum faciem Domini, siue ad obediendum spe aliorum præmiorum, vel timore malorum, cõstabilire possunt hanc sententiam. Nunquam enim spe alicuius præmij Deus excitasset ad mandatorum obseruantiam, si illa vitiaretur ex intentione illud consequendi. Etsi intentio assequendi præmia alia, non vitiat bona opera, multo minus id faciet intentio adipiscendi regni cœlorum. Etsi timor malorum non vitiat bona alioqui opera, vt libr. 6. ostendimus, neque vitiabit spes, aut intentio bonorum: quia non minus est licitum dare operam, vt bona consequamur, quam adniti, ne in mala incidamus. Communire etiam hæc omnia potest vsus receptissimus in Ecclesia & ante legem, & sub lege, & in statu gratiæ. Nam ex magno omnium bonorum consensu, & Christi Apostolorumque ipsius institutione, omnes fideles consueuimus à Deo postulare panem nostrũ quotidianum, & cætera bona temporalia, & liberationem ab aduersitatibus & malis, qui- Matth. 4 Luc. 16 1. Tim. 4

bus premimur: & hac de causa iugiter fiunt in Ecclesia orationes, supplicationes, & sacrificia. Quod si hæc licet intueri, multo magis licebit spectare sufficientissimum illud & perfectissimum & consummatissimum beatitudinis bonum, quod omnia conciliabit bona suis possessoribus, & mala cuncta procul relegabit.

De libellis d. 10 Et vide quanto consensu Doctores Ecclesiæ hæc eadem nobis tradiderunt. Nam & per eorum scripta definiri controuersias voluit Leo huius nominis quartus, vbi nequeunt neque ex Scripturis, neque ex statutis Conciliorum expediri.

Cyprianus sæpe in epistolis suis illustres illos Christi milites, qui pro ipsius confessione in carceribus detinebantur, ad patientiam & perseuerantiam spe coronæ cœlestis hortatur, & expectatione futurorum, præsentia supplicia calcanda esse docet. Vnde & ad Seagrium & Rogatianum inter alia scribit: *Superuentura claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes & persecutiones calcare nos conuenit.* Et lib. 2. epist. 4. *Vbi nonnisi Dei præcepta, & Christi præmia cogitantur, voluntas est illic tantum Dei.* Et cum tantum dicat in his esse voluntatem Dei, non solum aduersatur errori, quem nũc oppugnamus, sed & procul ostendit se fuisse ab errore Lutheri, damnantis omnia opera nostra: Quia peccatum omne contra voluntatem est Dei.

Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, verba citata à Patribus ex Dauide, perinde atque ipsi interpretantur, & manifeste affirmant, eximium hunc regem inclinasse cor suum ad seruandum Dei mandata, vt mereretur accipere vitam æternam. Et Chrysostomus & Theophylactus similiter, ac nos, exponunt loca supra pro his citata ex Paulo ad Hebræos. Et peculiariter Theophylactus expresse dicit de sanctis Patriarchis: *Eò in tabernaculis habitabant, quæ minùs subsisterent, quia cœlestem ciuitatem opperiebantur, quæ veris esset fundamentis, perpetuis ac validis stabilita.*

Anselmus item perinde exponit loca Pauli ex cap. 11. ad Hebræos, & ex cap. 1. ad Colossenses. Augustinus insuper in Psalm. 14. sic scribit: *Non faciamus aliquid, nisi spe cœlestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum.* Et Hieronymus 2. contra Iouinianum diserte dicit, Paulum ideo plus laborasse, vt plus placeret Deo, & maiorem mercedem acciperet.

Gregorius alicubi hortatur ad patientiam, quia pro labore patientiæ, bona speranda sunt sequentis vitæ, iuxta illud Psalmistæ: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Psal. 9. Et inter alia subdit: *Æterna præmia pro damnis temporalibus quærite.*

Et quis vnquam inter sanctos Doctores fuit, qui non diligenter exhortatus fuerit fideles, vt animos suos in illam beatitudinem, quam per Dei gratiam speramus, iugi & ardenti desiderio semper suspendant, atque eo conatus & studia sua dirigant, vt ad speciosæ tandem Rachelis amplexus peruenire mereantur?

Pulchre nimirum Richard. de sancto Victore: *Ad hoc infunditur æternorum intelligentia, vt sciamus, quid indefessè debeamus per studium quærere, vel per desiderium suspirare.* Richard. de Benia. ma. cap. 10 Receperunt & hanc doctrinam celeberrimi quique ex Doctoribus Scholasticis in 3. distinct. 27. ac nominatim sanctus Thomas, sanctus Bonauentura, Scotus, & eorum sectatores.

CAPVT XLIII.

Bona opera non vitiari ex intuitu mercedis æternæ, argumentis Scholasticis declaratur.

ATQVE vt nemo cunctetur indubitatam fidem Patrum sententiæ adhibere, confirmabimus ipsam argumentis apertissimis, partim ex alijs fidei dogmatibus à cunctis receptis, partim ex notis lumine naturali desumptis.

Argum. 1. Primò: Licitum est peccatori dolere de peccatis, & piè & reuerenter sacramenta suscipere, vt assequatur gratiam diuinam. Hic est enim potissimus finis, in quem peccatores adspicere debent in sua conuersione, & in quem Deus & pœnitentiam à nobis exigit, & religiosam baptismi & sacramenti pœnitentię susceptionem. *Conuertimi-*

Ezech. 18 *timini*, ait, *& agite pœnitentiam ab omnibus peccatis vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Hierem. 3 Et iterum: *Reuertere auersatrix Israel, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis.* Disertè etiam docuit Christus in parabola filij prodigi, non vitiari conuersionem peccatoris ex intentione assequendi gratiam, & alios prouentus & fructus spiritales, qui Luc. 15 eam consequuntur. *In se*, inquit, *reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.*

Vides vt spe præmij reuertitur ad patrem? Audi ergo quæ mox sequuntur, & videbis, quam non displicuerit huiusmodi pœnitentia: *Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Quid potuit manifestius dici ad ostendendum non vitiari pœnitentiam ex intuitu mercedis? Et simili argumento ostendi possunt non vitiari opera nostra ex intuitu satisfaciendi Deo, & euadendi pœnas Purgatorij, & acquirendi aliquam virtutem, & proficiendi in amore & gratia Dei. Quod si persanctum est, intueri hæc commoda nostra in bonis operibus, quæ facimus, & propter ipsa indesinenter vacare studio & exercitio virtutum, licebit vtique multo magis intueri mercedem æternam, quæ bonis operibus reposita est, & vtilius atque honestius, & omni ex parte præcellentius bonum est, & nos plus Deo coniungit, præsertim cum & in eam propensiores simus ex natura nobis à Deo indita.

Argum. 2. Ad hæc: Deus in hoc impendit nobis auxilium suum ad bene operandum, vt per bona opera consequamur beatitudinem. Quia benignissimus pater nutrit, vegetat, roborat, & perficit hîc filios suos, vt hæreditate æterna digni inueniantur. Et gratia, & merita nostra, effectus sunt diuinæ prædestinationis, sicut in primo Sententiarum traditur. Ac Deus factus est homo, & filius Dei, filius hominis, & in carne innumeros labores & supplicia pertulit, vt homines filiosque hominum, filios Dei, immo & Deos aliquo modo faceret. Cur igitur & nobis non liceat, eadem intentione & eodem intuitu bene operari, & ad patris cœlestis & Christi exemplum actiones nostras & studia componere? *Estote*, dicit, *perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5 Et iterum: *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Insuper: Perfectorum est, desiderare præsentiam Dei. Argum. 3. Quid enim magis deceat verum amicum, quàm desiderare præsentiam amici? Et *charitas, cum perfecta fuerit, clamat*, sicut dicit August. epist. ad Paulin. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et Christus hæc nos docuit petere in particula illa orationis Dominicę. *Adueniat regnum tuum.* Et concinit Psaltes noster, dicens: Psal. 26 *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Erit igitur non solum licitum, sed & sanctum & perfectum, laborare & certare diu ac noctu, æstuque vri & gelu, vt tandem intremus in potentias Domini, & habitemus in domo ipsius in æternum.

Præterea: Licitum est amare Deum vt Argum. 4. summum commodum nostrum, & vt remuneratorem & glorificatorem nostrum. Cur enim minus hoc liceat, quam amare vt creatorem & redemptorem?

Quod si, vt naturalis ratio ostendit, licitum est, Argum. 5. sanitatem, robur, argutum ingenium, sapientiam, industriam, & similia bona, commoda nobis, optare: multo magis licebit beatitudinem optare, quę summum commodum nostrum est, & summa delectatio & perfectio, & quies nostri appetitus, ac cumulus & complementum omnium bonorum. Et si eam optare licet, licitum etiam erit & sanctum, bene operari propter eam assequendam. Ordo quippe naturæ exposcit, vt liceat exercere propter assequendum finem, quæ media sunt, & natura sua ad eum comparandum ordinata. Et minora bona semper licet referre in assecutionem maiorum. Ac vnicuique mercenario concessum est, propter expectatam mercedem laborare. Generaleque est, & in vniuersum verum, vt si finem quempiam optare, bonum sit: bonú sit etiam, ad eum

asse-

assequendum adniti, & propter illius assecutionem media ad id necessaria adhibere.

Neque fieri profecto potest, vt electio alioqui bona, à superueniente intentione, quæ & ipsa quoque bona est, deprauetur. Et absurdissimum reuera quacunque in materia esset, vt quæ ex se bona sunt, vel tantillulum vitientur à relatione in bonum finem, cum præsertim, in quem ipsa à Deo vel natura ipsa sunt destinata.

Sed exemplis faciamus ista aliquanto dilucidiora. Si licitum est optare sanitatem, & aliqua ad eam assequendam necessaria vel facere, vel pati: licitum erit proculdubio & ea facere, vel pati, vt consequamur sanitatem. Si licitum est optare sapientiam, & media necessaria ad eam assequendam, sunt oratio, lectio, meditatio, & iugis cum doctis viris collatio: licitum erit nimirum orare, legere, meditari, & disputare cum doctis, vt sapientiæ compotes tandem efficiamur. Si licitum est, bonas terræ fruges optare, ad hoc autem necessarium est aratro proscindere terram, & mandare illi semina, & collectas fruges triturare: licitum erit & hæc omnia propter spem fructuum facere. *Debet*, ait Apostolus, *in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe. fructus percipiendi.* Neque alia est vtrique ratio de istis, & de operibus mandatorum, respectu vitæ æternæ. Ipsa quippe est velut fructus bonorum operum. Quod & Apostolus docuit, dicens: *Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes.*

1. Cor. 9.

Galat. 6.

Argum. 6.

Item: Licitum est & sanctum, benefacere aliis, & eorum conuersioni & ædificationi diligenter operam nauare, vt consequantur & ipsi beatitudinem. Hic fuit finis, & hæc præcipua causa prædicationis Christi, Prophetarum, Apostolorum, & omnium suorum successorum. Hæc legislatorum omnium, & principum, & prælatorum bonorum intentio. Et si non vitiatur, sed perficitur potius, & multo laudabilior fit doctrina & ædificatio aliorum, ex relatione ad eorum beatitudinem: neque vitiabitur nostræ salutis studium & cultus, ex relatione ad nostram ipsorum beatitudinem. Diliges enim, ait Deus, proximum tuum sicut teipsum, & eadem videtur vtriusque dilectionis ratio & regula.

CAPVT XLIV.

De mercenario beatitudinis amore.

Obiect. 1.

OPPONET tamen his aliquis: Christus apud Ioannem inter verum pastorem & mercenarium distinguit, sicut inter bonum & malum. Qui igitur mercedis causa operantur, mali sunt. Sunt etenim mercenarij, & ex consequenti malum erit, mercedis causa operari. Neque videtur quicquam interesse, an ea temporaria sit, an æterna. Vnde & antiquiores ex doctoribus scholasticis, videlicet, Alex. Hal. colla. 60. ar. 2. S. Thom. 2. 2. quæst. 19. artic. 4. ad 3. sanctus Bona. in 3. d. 27. q. 2. ex ista Christi parabola de vero & mercenario pastore generaliter colligunt, amorem mercenarium non stare cum charitate.

Responsio. Prop. 1.

Multum tamen differt inter mercenarium, quem Christus apud Ioannem damnat: & eum, qui mercedis causa operatur, quem nos laudamus. Ille tantum mercedis causa operatur, & mercenarius appellatur ab ea intentione, qua sic propter mercedem operatur, vt ea semota, non pasceret gregem: Hic vero, quem nos excusamus, sic mercedis causa operatur, vt ea tamen sublata, nihilominus bene operaretur.

Ioan. 10.

Et vt agnoscamus non damnari huiusmodi mercenarios, multum animaduertenda sunt verba illa Saluatoris; *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Ex his enim patet, non censuisse Christum eum esse mercenarium, qui sic spectet mercedem, vt etiam ea sublata, persisteret in custodia ouium, & ad se illas crederet spectare.

Vnde Cyril. 7. in Ioan. cap. 5. *Mercenarius dicitur is, qui oues Dominicas, non pro amore salutis earum, sed ad temporalem mercedem pascit. Et quia plus terrenam substantiam, quam oues diligit, merito nomen pastoris perdit.* Et statim: *Neque stare in periculo ouium potest, qui in eo, quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit.*

Eademq; eisdem pene verbis docet Gregorius in homilia. 14. in Euang.

Quare Hieronymus in quæst. 9. ad Algasiam, & in fine lib. 6. in Esa. & in principio 11. in Ezech. mercenarios colligit non vere diligere Dominum, sed lucra tantum de gregibus considerare, & ideo sanctorum non esse participes. Et Ambr. 7. in Luc. c. 66. dicit: *Mercenarij qui sunt, nisi qui ad mercedem seruiunt, qui sunt ex Israel, non id quod bonum est, probitatis studio persequentes, ne virtutis gratia, sed vtilitatis studio prouocati?* Et communis vsus huius vocabuli, hoc ipsum nos potest admonere. Non enim vocamus mercenarios, omnes qui spe alicuius mercedis laborant: sed eos tantum, qui nulla alia ratione id facerent.

Propo. 2. Consilia licet implere tantū propter beatitudinem.

Atque opera quidem, quæ non sunt in præcepto, sed duntaxat in consilio, licitum est facere præcise propter beatitudinem æternam, immo etiam propter bona temporalia, quæ licite possunt appeti, & conuenientia videntur ad exercitia virtutum. Neque enim ab obiecto, aut à fine, aut alia mala circunfluentia vitiantur. Quin vero sicut licet facere aliquos virtutis actus propter assecutionem eorum finium, ad quos ipsi natura sua sunt ordinati, vt sumere potionem amaram propter sanitatē, belligerari propter iustam victoriam, legere propter obtinendam scientiam, & similia: ita & licere videtur, orare, & sacrificium Deo offerre propter ista assequenda, quandoquidem ex misericordia diuina commoda sunt & conuenientia media ad hæc omnia adipiscenda.

Dur. in 3. d. 29. q. 3.

Et falsum est, quod quidam contra hoc assumit, non licere maius bonum ordinare in minus. Nam & orationem, & contemplationem, & misericordiam licet ordinare ad habendum temperantiam, vel mortificandum carnem.

Proposi. 3. Illicitū est nolle seruare mandata, nisi propter beatitudinem.

Verum est tamen, non sufficere ad consequēdam gratiam diuinam, implere mandata solummodo propter mercedem æternam: immo qui sic implet, non omnia implet. Nam Deus ex primo & maximo mandato diligendus est propter se, & alias non amatur ex toto corde. Neque seruatur à sic affecto obedientia debita mandatis diuinis. Siquidem Deus mandata sua vult à nobis seruari absolute: & contra illius obedientiam aperte facit, quicunq; deliberat, ea non seruare sub conditione possibili, neque tollente mandatum: Qualis certe est hæc, si Deus non daret beatitudinem propter obseruationem mandatorum. Et quis alius vere ac proprie operarius mercenarius sit, qui distinguitur in citatis verbis Saluatoris à vero pastore, sicut bonus à malo? Certe qui eiusmodi affectum habet ad mercedem æternam, vt nolit, nisi ea contingat, seruare mandata, videtur ea frui, & in ea constituere suum finem vltimum, & Deo, aut saltem (quod apertissimum est) obedientiæ illius, ipsam præferre mercedem. Nisi enim perinde esset in eam affectus, nunquam sic esset animatus, vt nollet, nisi propter illam, Deo obedire. Et hęc quidem peruersa nolitio ab ea praua & immodica mercedis dilectione proficiscitur, quæ & omnia, quæ ex ipsa sequuntur, vitiat. Ac de huiusmodi affectu exponendi sunt Doctores sancti, nempe August. 2. de sermone Domini in monte, Bernar. de diligendo Deo, Thomas 2. 2. q. 19. art. 4. ad 3. & in 3. d. 29 art. 4. cum damnant amorem Dei propter bona temporalia. Quippe eum duntaxat amorem reprobant, quo sic vltimate & principaliter amatur propter ipsa, vt actu vel virtute sit voluntas non amandi eum alias, neq; seruiendi ipsi in præceptis. Nam certe ipsi eum amorem, quem damnant, mortale esse peccatum censent. Facere autem vnum aut alterum opus, alias bonum, propter bona temporalia, si malum esset, venialē duntaxat malitiam haberet, quandiu in illis non constitueretur finis vltimus. Non enim potest grauius censeri peccatum, quam si quis propter vanam gloriam faciat aliquod opus alioqui bonum. Quod quidem ex sententia omnium tantum est veniale, quando in ea non constituitur vltimus finis, hoc est, quando propter eam obtinendam non volumus transgredi aliquod præceptum. Quamobrem Bern. ibidem admonet quidem ad amorem gratuitum his verbis: *Non sine premio diligitur Deus,*

Argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

etsi

etsi absque præmij intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Quippe non quærit, quæ sua sunt. Sed ne in his videretur damnasse amorem Dei propter beatitudinem, vel alia præmia, qui potest stare cum amore Dei propter se, statim, subdit, animam aliud præter Deum sui amoris præmium requirentem, illud pro certo, non Deum, diligere. Nam quicquid propter aliud vltimate amamus, id plane amamus, quo amoris finis intendit, non per quod tendit. Vt autem sciremus, quando alieni sumus & nos, & opera nostra ab huiusmodi affectus mercenarij vitio, commodissime adiecerunt Patres, in corollario, quod modo exponimus, illa verba: *Cum hoc, vt in primis glorificetur Deus.* Liberi enim prorsus sumus ab omni eiusmodi malitia, cum Dei in primis gloriam volumus, & eam nostris commodis anteferimus. Vnde & alibi idem Bern. hac nota distinguit inter veros & mercenarios pastores, quod mercenarij plus terrenam mercedem, quam iustitiam quærunt

Ber. ser. 11. ex paruis.

Proposit. 3. Quamuis autem possit contingere peccatum, & mortale, & veniale in affectu mercenario ad beatitudinem, sicut etiam in affectu mercenario respectu bonorum temporalium, triplex tamen est differentia, quo ad hæc, inter beatitudinem & bona temporalia.

Differentiæ 3. inter amorem Dei ob beatitudinem & ob temporalia

Prima. Nam bona temporalia non sunt de se appetenda sicut beatitudo, neque habent de se rationem boni obiecti & honesti: sed duntaxat, vt sunt conuenientia ad exercitia virtutum. Quocirca amare beatitudinem, de se est bonum: non sic autem, amare bona temporalia: & ex consequenti, non sic facile inuenietur peccatum veniale, vel mortale in seruiente Deo propter beatitudinem, ac in seruiente propter bona temporalia.

2. Deinde: Bona temporalia haberi possunt & obtineri per mandatorum Dei transgressionem. Et inde oritur, vt nimius eorum affectus inducat ad transgressionem mandatorum. Sed beatitudo haberi non potest, nisi per obseruantiam mandatorum. Atque ideo ipsius amor, aut desiderium non inducet vnquam ad transgrediendum, sed potius ad obseruandum mandata, & tanto magis, quanto feruentior & maior fuerit ipsius amor.

Postremo: In bonis temporalibus constitui potest tripliciter vel saltem dupliciter vltimus finis. 3.

Primo quidem ex parte obiecti, vt cum aliena & prohibita cupiuntur, aut amantur.

Secundo ex parte modi & excessus affectus, vt cum ita ardenter appetuntur, vt ipsi Deo præferantur, & propter illa assequenda pro nihilo habeatur transgredi præcepta Dei. In beatitudine vero duntaxat constitui potest vltimus finis, si illam vsqueadeo amemus, vt Deo ipsi eam præferamus. Nam si hoc absit, tametsi vehementissime ametur, non assequor, quomodo possit in ea constitui vltimus finis. Quia neque illius appetitus est prohibitus nobis, neque propter ipsam adipiscendam, quis statuet mandata præterire. Quid enim magis ab ea consequenda potest auertere?

Et propter has fortassis tantas & tam apertas differentias cum Alexander Halen. & sanctus Bonauen. in locis statim citatis aperte damnauerint omnem amorem Dei mercenarium, & repugnare dixerint charitati, tamen licitum esse putarunt, Deum amare, Deoque seruire etiam principaliter propter beatitudinem, non autem propter bona temporalia: & tantum dixerunt esse amorem Dei mercenarium, cum amatur principaliter propter bona temporalia.

Obiect. 3. Aliunde etiam alij hanc Patrum diffinitionem infirmare conantur: *Deus*, inquiunt, *amandus est amore amicitiæ, & non amore concupiscentiæ, hoc est, propter se, & non propter alia.* Summa namque peruersitas est, sicut dicit Augustinus lib. 83. q. 30. frui vtendis, & vti fruendis. Et si amatur propter alia, alia plus amantur quam Deus: quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*, secundum Philosophum.

Responsio. Quamuis autem Deus amore amicitiæ, hoc est, propter se amãdus sit, & is sit amor

Dei

Dei perfectissimus, ad quem habendum nos iugiter assuefacere, & cohortari, & accendere habemus, non ideo tamen, vt & ante nos graues authores docuerũt, omnis amor concupiscentiæ erga Deum, hoc est, amor quo Deus amatur propter alia, malus est censendus. Potest enim licite amari amicus, vt bonum commodum nostrum, & propter bona, quæ ipse vult sequi ex sui amore.

Et stare quidem possunt simul vtrique Dei amores, & neuter alteri repugnat. Habent enim se perinde pene, ac charitas & spes. Neque Deus talem sui amorem alicubi legitur prohibuisse.

Nimisque scholastica est & scrupulosa, neque acceptanda distinctio Durandi *in 2. d. 38. quæst. 1. & in 3. d. 29. q. 3.* qui fatetur posse Dei dilectionem referri ad beatitudinem, non autem ipsum Deum. Non sunt Dei præcepta tam obscura, aut implicita,
Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum*, ait Psalmista. Cum autem Deus diligitur propter beatitudinem, vix distinguere scient in se Docti, an Deum, an dilectionem Dei referant in beatitudinem. Amor item Dei mercenarius, qui damnatur à Doctoribus, repugnat charitati, & amori amicitiæ in ipsum. Hunc vero amorem concupiscentiæ erga Deum, non repugnare amori amicitiæ, vel ex eo patere potest, quod in nobis ipsis experimur. Possumus enim eundem hominem, & propter ipsum, & propter alia ab ipso, amare. Ad eundemque modum nihil vetat, quo minus & Deum & Dominum nostrum amemus, & colamus propter ipsum, & propter beatitudinem: quia vna & eadem actio duos habere potest fines, quando vnus alteri non repugnat.

Et manifestissimum est, non repugnare hos duos amores Dei, sicut neq; repugnat, amor, quo Deus amatur vt summum bonum, amori, quo amatur vt summum commodum nostrum: quia potest vtraque ratione simul amari. Et tunc duntaxat amori amicitiæ in Deum, repugnaret amor concupiscentiæ in ipsum, quando amaretur Deus propter bonum aliud vltimate, sic videlicet, vt & ipsum illud bonum, neque actu, neq; virtute amaretur propter ipsum. Quod quidem tum contingeret, quando non in primis illud quæreremus, vt glorificaretur Deus, sed gloriæ Dei nostra commoda præferremus: neque alias euenire potest, quod obijcitur, vt creatura plus quam Deus ametur, & Deo, quæ summa peruersitas est, quis vtatur. Iusti vero dum Deum amant propter beatitudinem, longissime absunt ab hoc affectu. Deum plusquam seipsos amant, ipsius laudibus, obsequio, & amori toto pectore student, non quia ipsis bonus est, sed quia ipse bonus est, & omni laude, pietate, cultu, ac dilectione dignus. Ipsamque beatitudinem propter ipsum suum factorem desiderant, nempe, vt arctius, fortius, suauius, & sine intermissione ei, à quo conditi sunt, amoris vinculis inhæreant, & bonorum omnium fontem cum sanctis omnibus in perpetuum exaltent. Hic autem amor non solum licitus est & bonus ac iustus, sed est etiam sanctus, castus, & perfectus.

Et quia à fine fit denominatio, magis posset dici amicitiæ, quam concupiscentiæ, & liberalis, ac charitatis potius, ac gratuitus, & nullo modo mercenarius. Atq; hæc de obseruatione mandatorum, qua in terram promissionis tendimus, per 42. capita, velut per 42. mansiones verorum filiorum Israel, disseruisse sufficiat. Pergamus ad ea, quæ proximis duobus capitibus Patres tradunt de prædestinationis arcano, & perseuerantiæ munere, sine quibus nemo in beatam illam terram ingredietur vere manantem lac & mel.

AN-

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE INCERTITVDINE PRÆDESTINATIONIS ET PERSEVERANTIÆ LIB. XII. IN CAP. XII. ET XIII. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

MAgnam habent inter se cognationem prædestinatio & iustificationis gratia. Hoc duntaxat, teste Augustino, cap. 10. de prædest. sanct. inter vtramq; interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero est ipsa donatio. Frustra vero gratia accipitur, si ante huius vitæ terminum ignauia & culpa nostra amittatur. Atq; ideo Patres volentes plenam iustificationis doctrinam fidelibus tradere, nonnulla de ipso prædestinationis arcano, & de perseuerantiæ munere attingenda sibi esse prudenter censuerunt.

Quoniam autem prædestinati omnes aliquo saltem breui tempore, quod vitam istam concludit, in accepta iustificationis gratia perseuerant, & quicunque in ea perseuerant, prædestinati sunt, neque potest esse prædestinatus, quin huius vitæ circulum in gratia absoluat: neque rursus potest in gratia quis illud complere, quin sit prædestinatus: visum est, spectantia ad caput 12. quod de prædestinatione disserit, cum pertinentibus ad caput 13. quod de perseuerantia tractat, in vnum librum compingere.

Adeste ô fœlices vos prædestinati, & perseuerantes. Fauete nostris laboribus. Omnia enim propter vos fecit Dominus. Et nostrum ad illius exemplum, vobis quod potest, exile desudat ingenium.

PRÆDESTINATIONIS TEMERARIAM PRÆSVMPTIONEM CAVENDAM ESSE.

Caput Duodecimum.

NEmo quoq; quandiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ Prædestinationis mysterio vsqueadeo præsumere debet, vt certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

DE PERSEVERANTIÆ MVNERE.

Caput Decimumtertium.

SImiliter de Perseuerantiæ munere, de quo scriptum est: qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit, *quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est,* Matth. 10. & 24. *eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum, qui cadit, restituere nemo sibi aliquid certi absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum,*

ſerint velut mundiſſimæ manus mea, &c. Atque ideo appoſitum ab eo putat temperamentum illud, velut: quia quantumlibet rectis operibus inſudemus, veram iuſtitiam nequaquam apprehendimus, ſed tantum imitamur: & quanto ad Deum verius per bona opera ſurgimus, tanto ſubtilius vitæ noſtræ ſordes agnoſcimus, quibus ab eius munditia diſcordamus. Et tandem ſenſum eorum verborum ſic explicat: *Ait ergo ſi lotus fuero, &c. Ac ſi apertè dicat: Quamuis lamentis ſuperna compunctionis infundar, quamuis per ſtudia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video, quia mundus non ſum. Intenta quippe Deo anima, in ipſam adhuc corruptibilis caro diuerberat, eiuſq́; amoris pulchritudinem obſcænis & illicitis cogitationum motibus fœdat.* Hactenus Gregorius.

Et hac vſitata figura diceret aliquis forſan Gregorium merita noſtra, vitia appellaſſe: & iuſtitias, iniuſtitias. Quoniam ſicut quo ſanctior quiſque eſt & iuſtior, eo clarius & dilucidius culpas ſuas agnoſcit, & grauitatem earum magis perpendit: ita reuera quo ſancti in Dei celſitudinis & bonitatis cognitione magis proficiebant, eo vtique magis opera ſua quantumcunque bona deſpiciebant, & vitioſa ea eſſe & ſordida, id eſt, imperfecta & deficientia, & indigna Dei conſpectu & approbatione, agnoſcebant. Et veriſſimum nimirum eſt, omnia merita noſtra & iuſticias & vitia & iniuſtitias & ſordes poſſe appellari, non ſolum ſi ad munditiam & iuſtitiam diuinam, ſed etiam ſi ad ſanctitatem & iuſtitiam humanitatis Chriſti, immo & cuiuſuis beati, conferantur. Et aliàs hoc loquendi tropo ſcio Gregorium dixiſſe, omnem humanam iuſtitiam, iniuſtitiam eſſe. Sic namque 17. Mor. ca. 8. ſcribit: *Omnis vir iuſtus, Dei illuſtratione iuſtus eſt, non comparatione. Humana quippe iuſtitia authori comparata, iniuſtitia eſt: quia etſi in ipſa ſui conditione homo perſiſteret creatori non poſſet æquari creatura: Cui tamen ad grauiora defectus pondera acceſſit & culpa, quam ſerpens inſidians intulit, & mulier infirmata perſuaſit.*

Impugnat. Sed in his locis, quæ modo tractamus, illa verba ab ipſo Gregorio adiuncta, *Si diſtrictè iudicetur*: manifeſte indicant, non ea loquendi figura eum eſſe vſum. Nam ſi ea fuiſſet vſus, nihil erat opus hoc temperamento. Et Deus quidem, quantacunque diſtrictione & rigore iudicare vellet, exigere certe à nobis non poſſet iuſtitiam & munditiam, quæ ad ſuam, vel humanitatis Chriſti, vel beatorum collata, iuſtitia nihilominus eſſet. Nam hoc præſtare, aperte eſt nobis impoſſibile. Neque ideo ſuccumbere timuiſſe Iob dixiſſet Gregorius, quia tantam iuſtitiam præſtare non poterat. Aliò ergo nimirum ſpectauit Gregorius, cum hæc ſcripſit.

Expoſ. germana Gregor. Et cum diu, multumq́ue mecum de his verbis hæſitauerim, tandem fauore ipſius opinor me inueniſſe germanam eorum expoſitionem. Sed ante omnia, vt argumentum Lutheri confringamus, & omnibus pateat, nullum eum apparens fundamentum ſuæ veſaniæ hinc habere: aduertendum eſt, non dixiſſe abſolute Gregorium, omne meritum virtutis noſtræ vitium eſſe, & omnem humanam iuſticiam iniuſtitiam eſſe: Immo adiecit hoc temperamentum commodiſſimum & neceſſarium, *Si diſtrictè iudicetur*. Itaque pro nobis facit hoc teſtimonium, hoc eſt, pro veritate, non pro errore. Cum enim Deus modo non diſtricte iudicet, nec virtutes noſtræ erunt modo cenſendæ vitia, neque iuſtitia iniuſtitia, ſecundum Gregorium.

Ideo vero ſi diſtricte Deus noſtra opera iudicaret, ſi ſpectemus quidquid id eſt laudis, quod à nobis habent merita noſtra, poſſunt dici eſſe vitia, & iuſtitiæ noſtræ eſſe iniuſtitiæ: quia multa, quæ nunc ſunt bona opera & iuſta & meritoria, ad eam ſanctitatem & puritatem exacta, qua Deo deberemus ſeruire, quamq́ue Deus à nobis poſſet ex rigore exigere, tum propter ſuam bonitatem, tum propter eximia ſua in nos beneficia, vere vitia eſſent, & mala opera, & iniuſtitiæ. Non ſolum enim verum eſt, vitam quorumuis iuſtorum multis peccatis venialibus iugiter ſordidari & deturpari: ſed ipſa etiam perfectorum opera, à bonitate illa longe deficere, qua deceret nos Deum colere, laudare & honorare. Sunt quippe multis imperfectionibus, quoad

hîc vi-

hîc viuitur, coniuncta: neque tam pura, neque tam sancta & feruentia, quam magnitudo diuinæ bonitatis & beneficentiæ in nos exigeret. Et cum Deus modo propter eximiam suam in nos dulcedinem & suauitatem, ne ad culpam quidem venialem eos nobis defectus & imperfectiones imputet, posset tamen culpæ eos nobis tribuere, si districte & præter suauitatem suam & benignitatem, nobiscum vellet agere.

Ac præter hæc talia sunt profecto nostra opera, vt si Deus districte vellet agere, neque ad futuram gloriam, neque ad obtinendum veniam peccatorum nostrorum sufficerent. Et ideo Iob dixit in illo loco, quem exponit Gregorius in verbis citatis: *Verè scio, quod ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo non poterit respondere ei vnum pro mille.* Et cum magnitudinem sapientiæ & omnipotentiæ diuinæ ostendisset, & nihil eum posse fallere aut impedire, quo minus debita animaduersione vniuscuiusque culpam feriat, & ne angelorum quidem iustitiam, iustitiam esse, si Deus districte vellet iudicare, infirmitatem nostram agnoscens, qui multo inferiores sumus angelis, & corruptione corporis, à puritate & perfectione, Dei obsequio debita, impedimur, subdit: *Quantus ego sum, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?* Et de iustitiæ suę meritis non confidens, ad solam se spem postulationis conferens, mox adiunxit: *Qui etiamsi habuero quippiam iustum, non respondebo sed meum iudicem deprecabor.*

Sed & de ipsa quoque postulatione pauidus, statim subnectit: *Et cum inuocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam.* Et continuo, vt suam & perfectissimi cuiusque iustitiam, apertius iniustitiam esse monstraret, si Deus districte iudicaret, adiecit: *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Et propterea Gregorius affirmat, omne meritum virtutis nostræ, vitium esse: quia nullum opus nostrum tam pure, tam sancte, tam feruenter, tam omni ex parte perfecte fit a nobis, quàm fieri deceret, vt Deo iuxta magnitudinem suæ bonitatis & suorum in nos beneficiorum seruiremus, & quam ipse à nobis posset exigere, si vellet districte iudicare.

Et quia, qui tantam sibi iustitiam arrogat, authorem suorum bonorum Deum non agnoscit, & magnæ se superbiæ reum facit: audi, quæ ante hæc ipsa verba absque vllis interpositis præmittit, & quemadmodum verba illa Iob exponit: *Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Homo quippe*, ait, *Deo non compositus, iustitiam percipit: compositus amittit: quia quisquis se authori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, priuat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Vnde ergò despectus erigitur, dignum est, vt erectus inde destruatur.* Hæc ille.

Quoniam vero huic tantæ superbiæ obnoxius, toto cœlo errat, & non solum non est perfectus, verum neque perfectionem inchoauit, vide quid è vestigio subnectat, & quemadmodum interpretetur consequentia verba Iob: *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Nam cum exposuisset vnius appellatione, bene viuendi initium, millenarij vero numeri ampliatione, eiusdem bonæ vitæ perfectionem, iuxta tropologicum sensum designari, sic subiungit: *Cum Deo autem contendere, est, non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, quia & qui summa iam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta, quæ acceperat, amittit: & dicat, Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille. Qui enim cum authore contendit, vnum pro mille respondere non sufficit: Quia qui de perfectione se erigit, habere se benè viuendi neq; initium ostendit. Vnum namq; pro mille respondere non possumus: quia cum de bona vita perfectione extollimur hanc nos neq; inchoâsse monstramus.* Hæc Gregorius.

Et cum hæc, quæ Lutherus pro seipso citauit Gregorius dixerit, ed [illegible] verba illa Iob *Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo*: hoc ipso, pro magnifico suo sensu, excitauit nos ad veram eorum intelligentiam.

Non [illegible] germanus horum verborum sensus est, non iustificari hominem compositi-

Quo sensu dixerit Iob non iustificari hominem compositum Deo.

positum Deo, hoc est, non habere eum iustitiam, quæ collata ad diuinam, sit iustitia: in quem sensum communiter solent exponi hæc verba: sed sensus est, quod homo, quamuis compositus hominibus, possit iustificari, quia eis tantam iustitiam & obsequia tanta præstare potest, quanta debet, & ab eo iuste possunt exigi: tamen cum Deo compositus homo, nequaquam potest sic iustificari. Non enim tantam habet vnquam iustitiam, quantam debet præcelsæ illi bonitati & singularibus illius in nos beneficijs, neque quanta necessaria esset ad promerendam ipsius gratiam, & assequendam veniam de peccatis, si Deus ex rigore iudicaret.

Et hunc sensum abditum & occultum postulabant illa verba, *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille.* Nec minus quæ subintulit, *Si habuero quippiam iustum, &c.* Immo vere totum propositum Iob & scopus, in quem illa omnia dirigebantur, hunc sensum requirebant. Quorsum namque erat, fateri hominem non habere iustitiam, quæ diuinæ sit exæquabilis? Nunquid tam stultus fuerat Baldath Suites, cui ibi respondet, vt eam stultitiam, immo insaniam, persuasam esse Iob putaret, vt crederet suam iustitiam comparabilem esse diuinæ? Non hoc sane inter eos agebatur. Sed hoc tractabant, an tanta esset in quoquam iustitia, quantam Deo deberet mortalis, ita vt etiamsi Deus eum puniret, neque supplantare tamen iudicium esset censendus, neque subuertere quod iustum est. Et quia Iob videbatur tantam sibi iustitiam tribuisse, atque ideo & iudicium in se diuinum reprehendere, obuiam ei iuit ille amicus eius. Quod tamen neque tantam sibi vnquam arrogauerit iustitiam, his verbis luculenter exposuit. Noluit enim tantæ calumniæ & notæ sibi inustæ non respondere, ne videretur taciturnitate sua apertæ illi blasphemiæ consentire. Et propterea Gregorius in verbis secundo allegatis à Luthero, omnem humanam iustitiam fatetur iniustitiam esse, si districte iudicetur: quia neque tanta est, quanta à Deo possit exigi ad impetrandam veniam peccatorum, & promerendam gratiam ipsius: & quantumcunque aliqui per donum spiritûs adiuti, aduersus infirmitatem suæ carnis se erigant, virtutibus emineant, signorum miraculis corusceant, nullus tamen est, vt ipse alibi dicit, qui sine culpa vitam transigat, quousque carnem corruptionis portat.

Et in hunc sensum dixisse Gregorium 7. Moral. cap 8. omnem humanam iustitiam iniustitiam esse, si districte iudicetur, satis indicant verba circumiacentia. Subdidit enim statim post illa: *Prece ergò post iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, ex sola iudicis pietate conualescat.* Et mox: *Dicat ergo: Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Velut si apertius fateatur, dicens: Etsi ad opus virtutis excreuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia conualesco. Prece ergo innitendum est cum recta agimus, vt omne, quod iustè viuimus ex humilitate condiamus.* Et in consequenti capitulo apertius explicat, ideo se dixisse omnem humanam iustitiam esse iniustitiam, si districte iudicetur, quia insufficiens est ad veniam & gratiam coram iusto iudice impetrandam.

Enarratis quippe & expositis omnibus sancti viri timoribus. *Cur,* inquit, *tanta circumspectione trepidat? cur tanta solicitudine formidat, nisi quia terrorem iudicis in extrema districtione considerat, & vim discussionis illius non ferens omne quod gerit, esse sibi insufficiens pensat?* Et 17. Mor ca. 8. dicit: *Rectè nunc dicitur, Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparére mundus natus de muliere? Ac si apertè diceretur: Ne contra authorem suum homo superbiat, consideret vnde huc venit, & intelligat quid sit.* Hæc ille. Neque ex Iob ergo, neque ex Gregorio Lutherus habere potest, bona opera iustorum esse mala, aut quæ mala sunt, ex misericordia diuina non imputari ad pœnas æternas. Sed habere potest, quod tamen assecutus non est, multa nunc fieri à nobis bona opera, & absque vlla macula peccati, quæ tamen, si Deus districte vellet nobiscum agere, vitia & iniustitiæ essent, ac mala, & non bona, probarentur.

C A-

CAPVT XLI.

Expositio corollarij quarti de intuitu mercedis æternæ.

VERVM iam cœpimus terram prospectare de pelago, & post montes gurgitum, & spumosos fluctus, & nauim vel in sublime subrectam, vel in ima præcipitem, fessis ac languentibus portus aperitur. Tradita quippe & exposita à Patribus necessitate & possibilitate mandatorum, & sanctitate operum, quibus illa seruantur, vt iacentes animos, remissas manus, & soluta genua ad currendum per viam mandatorum Dei erigamus, de mercede æterna, quæ ipsorum obseruantiæ est reposita, edisserunt, & quatenus liceat eam intueri in nostris operibus, exponunt. Verba decreti sunt hæc: *Atq; etiam eos,* subaudi, constat, *orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui statuunt, in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

Expositio Corol. 4. Ex quibus verbis licet colligere hanc quartam doctrinam: Non vitiantur opera iustorum ex eo, quod illa faciant intuitu mercedis æternæ. Et quamuis Deus ipse merces sit æterna iustorum, nam & Abrahæ ipse dixit. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*: tamen cum Patres eam à Deo distinxerunt, dicentes: *Cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoq; intuentur æternam*: satis indicarunt, in proposito mercedem æternam vocari beatitudinem, quam Deus elargitur iustis, dum se illis intuendum & fruendum præbet. Itaque, vt protritis Scholæ verbis rem aperiamus, non hîc agimus de mercede æterna obiectiua, quæ Deus est, sed de mercede æterna subiectiua & formali, quæ est actus seu affectus interiores beatorum, visio scilicet Dei, & fruitio ipsius, & gaudium cum securitate, & dotes exteriores corporis, immortalitas, claritas, subtilitas, agilitas, & denique omnia illa, quæ iustis in æterna beatitudine donabuntur, & eos formaliter efficient corpore & anima beatos.

Genes. 15

Et hanc doctrinam videntur Patres intulisse ex illis verbis Pauli statim citatis: *Nescitis, quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.* Beatitudo quippe brauium est & corona, obseruationi mandatorum reposita, cuius amore & desiderio, sicut Rachelis Iacob, omnes dies & labores huius vitæ, pauci & leues veris Israelitis videntur. 1. Cor. 9

Quamuis autem solum videantur aduersarios doctrinæ Catholicæ eos diffinire, qui asserunt iustos peccare in omnibus operibus, si mercedem intueantur æternam, cum tamen par sit ratio, quoad hoc, de vno opere & de omnibus, non minus debet censeri hîc esse diffinitum, eos aduersari fidei Catholicæ, qui vel minimum alioqui opus bonum, ea ratione damnant, quod ex intuitu mercedis æternæ fiat.

Neque illa verba, *Si in illis suam socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus*: in hoc adiecta sunt, vt doctrinam hoc loco traditam, limitarent. Quasi certum videlicet non sit, ea esse bona opera, quæ intuitu mercedis æternæ fiunt, nisi eo intuitu fiant, vt socordiam nostram excitemus, & expeditiores viam mandatorum curramus, & præter hoc, Dei in primis gloriam, & non commodum nostrum, spectemus. Non ea de causa profecto hæc adiecta sunt. Ac valde nimirum fuisset imperfecta doctrina, si solum traderentur ea esse opera bona, quæ intuitu mercedis æternæ fiunt, cum tam multis circumstantijs. Vnde & in Canone huic doctrinæ respondenti, vt omnis tolleretur ambiguitas, absolutè & absque vlla circuitione dictum est: *Si quis dixerit, iustum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Adiecta vero sunt illa pauca verba à Patribus, vt docerentur omnes, quorsum & quomodo mercedem deberent in suis operibus intueri æternam. Ad hoc namque in eum scopum subinde respectare debemus, vt dum tam grande & tam eximium præmium bonis propositum esse operibus, mentis oculis adspicimus, vel inde ignauiam & socordiam nostram Canon. 31

excitemus, & ad illud assequendum animos nostros in dies magis ac magis extendamus.

Sic autem oportet in præcelsum beatitudinis nobis promissæ præmium respicere, & animos nostros ad illud persequendum & comprehendendum iugiter accendere, vt semper tamen Dei gloriam in primis spectemus, & non tam commodum captemus nostrum, quam statum illum felicissimum solida fide, alacri spe, & flagranti charitate adipisci connitamur: quem si consecuti fuerimus, Deum promptius, alacrius, magnificentius, ac omnino sine fine laudabimus, & proximos nostros ad idipsum faciendum potentius & certius excitabimus.

Et ex hac doctrina sic exposita, aperte colligitur, hæreticum esse, quod quidam Bugaurius de monte Falcone, in Cataloniæ regno docuit, nempe nullum opus esse bonum, nisi fiat ex puro & syncero amore, quacunque ex causa fiat, etiam spe mercedis æternæ. Damnatusque ille fuit cum suo errore per quendam Tarraconensem Archiepiscopum, Sancium nomine, vt refertur in Catalogo hæreticorum, edito à fratre Bernardo de Lutzemburgo.

CAPVT XLII.

Confirmatio doctrinæ Patrum de intuitu mercedis æternæ, ex Scripturis, vsu Ecclesiæ, & consensu Doctorum.

PORRO præter Scripturarum testimonia, à Patribus inducta pro hac doctrina, tria alia apertissima in Paulo occurrunt. Non solum enim laudat Paulus Mosen, quod adspiciens in remunerationem, constanter negauit se esse filium filiæ Pharaonis, & cum populo Dei affligi maluit, sed & ea ratione Abraham affirmat labores peregrinationis suæ tolerasse, & patientiam ipsius commendat: *Fide*, inquit, *commoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus.* Hebr. 11

Et Magistrum nostrum, singulare, viuificum, & prorsus admirandum omnium virtutum exemplar, eadem ratione labores crucis magnanimiter perpessum fuisse, statim asseuerat, dicens: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, omni confusione contempta.* Et ad Col. apertissime scribit. *Gratias agimus Deo & patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, propter spem, quæ reposita est vobis in cælis.* Hebr. 12 / Coloss. 1

Et quid aliud sibi volunt vniuersæ admonitiones, quibus legimus in Scriptura Deum homines cohortatum fuisse ad virtutem & obedientiam spe regni cœlorum? Quales quidem illæ sunt: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis est. Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Quin vero & omnes cohortationes siue ad quærendum faciem Domini, siue ad obediendum spe aliorum præmiorum, vel timore malorum, cõstabilire possunt hanc sententiam. Nunquam enim spe alicuius præmij Deus excitasset ad mandatorum obseruantiam, si illa vitiaretur ex intentione illud consequendi. Etsi intentio assequendi præmia alia, non vitiat bona opera, multo minus id faciet intentio adipiscendi regni cœlorum. Etsi timor malorum non vitiat bona alioqui opera, vt libr. 6. ostendimus, neque vitiabit spes, aut intentio bonorum: quia non minus est licitum dare operam, vt bona consequamur, quam adniti, ne in mala incidamus. Communire etiam hæc omnia potest vsus receptissimus in Ecclesia & ante legem, & sub lege, & in statu gratiæ. Nam ex magno omnium bonorum consensu, & Christi Apostolorumque ipsius institutione, omnes fideles consueuimus à Deo postulare panem nostrũ quotidianum, & cætera bona temporalia, & liberationem ab aduersitatibus & malis, qui- Matth. 4 / Luc. 16 / 1. Tim. 4

bus

bus premimur: & hac de causa iugiter fiunt in Ecclesia orationes, supplicationes, & sacrificia. Quod si hæc licet intueri, multo magis licebit spectare sufficientissimum illud & perfectissimum & consummatissimum beatitudinis bonum, quod omnia conciliabit bona suis possessoribus, & mala cuncta procul relegabit.

De libello d. 10

Et vide quanto consensu Doctores Ecclesiæ hæc eadem nobis tradiderunt. Nam & per eorum scripta definiri controuersias voluit Leo huius nominis quartus, vbi nequeunt neque ex Scripturis, neque ex statutis Conciliorum expediri.

Cyprianus sæpe in epistolis suis illustres illos Christi milites, qui pro ipsius confessione in carceribus detinebantur, ad patientiam & perseuerantiam spe coronæ cœlestis hortatur, & expectatione futurorum, præsentia supplicia calcanda esse docet. Vnde & ad Seagrium & Rogatianum inter alia scribit: *Superuenturæ claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes & persecutiones calcare nos conuenit.* Et lib. 2. epist. 4. *Vbi nonnisi Dei præcepta, & Christi prænia cogitantur, voluntas est illic tantum Dei.* Et cum tantum dicat in his esse voluntatem Dei, non solum aduersatur errori, quem nũc oppugnamus, sed & procul ostendit se fuisse ab errore Lutheri, damnantis omnia opera nostra: Quia peccatum omne contra voluntatem est Dei.

Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, verba citata à Patribus ex Dauide, perinde atque ipsi interpretantur, & manifeste affirmant, eximium hunc regem inclinasse cor suum ad seruandum Dei mandata, vt mereretur accipere vitam æternam. Et Chrysostomus & Theophylactus similiter, ac nos, exponunt loca supra pro his citata ex Paulo ad Hebræos. Et peculiariter Theophylactus expresse dicit de sanctis Patriarchis: *Eò in tabernaculis habitabant, quia minùs subsisterent, quia cœlestem ciuitatem oppetiebantur, quæ veris esset fundamentis, perpetuis ac validis stab lita.*

Anselmus item perinde exponit loca Pauli ex cap. 11. ad Hebræos, & ex cap. 1. ad Colossenses. Augustinus insuper in Psalm. 14. sic scribit: *Non faciamus aliquid, nisi spe cælestium premiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum* Et Hieronymus 2. contra Iouinianum diserte dicit, Paulum ideo plus laborasse, vt plus placeret Deo, & maiorem mercedem acciperet.

Gregorius alicubi hortatur ad patientiam, quia pro labore patientiæ, bona speranda sunt sequentis vitæ, iuxta illud Psalmistæ: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Psalm. 9
Et inter alia subdit: *Æterna præmia pro damnis temporalibus quærite.*

Et quis vnquam inter sanctos Doctores fuit, qui non diligenter exhortatus fuerit fideles, vt animos suos in illam beatitudinem, quam per Dei gratiam speramus, iugi & ardenti desiderio semper suspendant, atque eo conatus & studia sua dirigant, vt ad speciosæ tandem Rachelis amplexus peruenire mereantur?

Pulchre nimirum Richard. de sancto Victore: *Ad hoc infunditur æternorum intelligentia, vt sciamus, quid indefessè debeamus per studium quærere, vel per desiderium suspirare.* Recepe- Richard. de Benia. ma. cap. 10
runt & hanc doctrinam celeberrimi quique ex Doctoribus Scholasticis in 3. distinct. 27. ac nominatim sanctus Thomas, sanctus Bonauentura, Scotus, & eorum sectatores.

CAPVT XLIII.

Bona opera non vitiari ex intuitu mercedis æternæ, argumentis Scholasticis declaratur.

ATQVE vt nemo cunctetur indubitatam fidem Patrum sententiæ adhibere, confirmabimus ipsam argumentis apertissimis, partim ex alijs fidei dogmatibus à cunctis receptis, partim ex notis lumine naturali desumptis.

Primò: Licitum est peccatori dolere de Argum. 1.
peccatis, & piè & reuerenter sacramenta suscipere, vt assequatur gratiam diuinam. Hic est enim potissimus finis, in quem peccatores adspicere debent in sua conuersione, & in quem Deus & pœnitentiam à nobis exigit, & religiosam baptismi & sacramenti pœnitentię susceptionem. Conuer-

Ezech. 18 *timini*, ait, *& agite pœnitentiam: ab omnibus peccatis vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Hierem. 3 Et iterum: *Reuertere auersatrix Israel, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis.* Disertè etiam docuit Christus in parabola filij prodigi, non vitiari conuersionem peccatoris ex intentione assequendi gratiam, & alios prouentus & fructus spiritales, qui eam consequuntur. Luc. 15 *In se*, inquit, *reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.*

Vides vt spe præmij reuertitur ad patrem? Audi ergo quæ mox sequuntur, & videbis, quam non displicuerit huiusmodi pœnitentia: *Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Quid potuit manifestius dici ad ostendendum non vitiari pœnitentiam ex intuitu mercedis? Et simili argumento ostendi possunt non vitiari opera nostra ex intuitu satisfaciendi Deo, & euadendi pœnas Purgatorij, & acquirendi aliquam virtutem, & proficiendi in amore & gratia Dei. Quod si persanctum est, intueri hæc commoda nostra in bonis operibus, quæ facimus, & propter ipsa indesinenter vacare studio & exercitio virtutum, licebit vtique multo magis intueri mercedem æternam, quæ bonis operibus reposita est, & vtilius atque honestius, & omni ex parte præcellentius bonum est, & nos plus Deo coniungit, præsertim cum & in eam propensiores simus ex natura nobis à Deo indita.

Argum. 2. Ad hæc: Deus in hoc impendit nobis auxilium suum ad bene operandum, vt per bona opera consequamur beatitudinem. Quia benignissimus pater nutrit, vegetat, roborat, & perficit hîc filios suos, vt hæreditate æterna digni inueniantur. Et gratia, & merita nostra, effectus sunt diuinæ prædestinationis, sicut in primo Sententiarum traditur. Ac Deus factus est homo, & filius Dei, filius hominis, & in carne innumeros labores & supplicia pertulit, vt homines filiosque hominum, filios Dei, immo & Deos aliquo modo faceret. Cur igitur & nobis non liceat, eadem intentione & eodem intuitu bene operari, & ad patris cœlestis & Christi exemplum actiones nostras & studia componere? *Estote*, dicit, *perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5 Et iterum: *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Argum. 3. Insuper: Perfectorum est, desiderare præsentiam Dei. Quid enim magis deceat verum amicum, quàm desiderare præsentiam amici? Et *charitas, cum perfecta fuerit, clamat*, sicut dicit August. epist. ad Paulin. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et Christus hæc nos docuit petere in particula illa orationis Dominicę. *Adueniat regnum tuum.* Et concinit Psaltes noster, dicens: Psal. 26 *Vitam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Erit igitur non solum licitum, sed & sanctum & perfectum, laborare & certare diu ac noctu, æstuque vri & gelu, vt tandem intremus in potentias Domini, & habitemus in domo ipsius in æternum.

Argum. 4. Præterea: Licitum est amare Deum vt summum commodum nostrum, & vt remuneratorem & glorificatorem nostrum. Cur enim minus hoc liceat, quam amare vt creatorem & redemptorem?

Argum. 5. Quod si, vt naturalis ratio ostendit, licitum est, sanitatem, robur, argutum ingenium, sapientiam, industriam, & similia bona, commoda nobis, optare: multo magis licebit beatitudinem optare, quę summum commodum nostrum est, & summa delectatio & perfectio, & quies nostri appetitus, ac cumulus & complementum omnium bonorum. Et si eam optare licet, licitum etiam erit & sanctum, bene operari propter eam assequendam. Ordo quippe naturæ exposcit, vt liceat exercere propter assequendum finem, quæ media sunt, & natura sua ad eum comparandum ordinata. Et minora bona semper licet referre in assecutionem maiorum. Ac vnicuique mercenario concessum est, propter expectatam mercedem laborare. Generaleque est, & in vniuersum verum, vt si finem quempiam optare, bonum sit: bonú sit etiam, ad eum asse-

assequendum adniti, & propter illius assecutionem media ad id necessaria adhibere.

Neque fieri profecto potest, vt electio alioqui bona, à superueniente intentione, quæ & ipsa quoque bona est, deprauetur. Et absurdissimum reuera quacunque in materia esset, vt quæ ex se bona sunt, vel tantillulum vitientur à relatione in bonum finem, cum præsertim, in quem ipsa à Deo vel natura ipsa sunt destinata.

Sed exemplis faciamus ista aliquanto dilucidiora. Si licitum est optare sanitatem, & aliqua ad eam assequendam necessaria vel facere, vel pati: licitum erit proculdubio & ea facere, vel pati, vt consequamur sanitatem. Si licitum est optare sapientiam, & media necessaria ad eam assequendam, sunt oratio, lectio, meditatio, & iugis cum doctis viris collatio: licitum erit nimirum orare, legere, meditari, & disputare cum doctis, vt sapientiæ compotes tandem efficiamur. Si licitum est, bonas terræ fruges optare, ad hoc autem necessarium est aratro proscindere terram, & mandare illi semina, & collectas fruges triturare: licitum erit & hæc omnia propter spem fructuum facere. *Debet*, ait Apostolus, *in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe. fructus percipiendi.* Neque alia est vtrique ratio de istis, & de operibus mandatorum, respectu vitæ æternæ. Ipsa quippe est velut fructus bonorum operum. Quod & Apostolus docuit, dicens: *Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes.*

1. Cor. 9.

Galat. 6.

Argum. 6. Item: Licitum est & sanctum, benefacere alijs, & eorum conuersioni & ædificationi diligenter operam nauare, vt consequantur & ipsi beatitudinem. Hic fuit finis, & hæc præcipua causa prædicationis Christi, Prophetarum, Apostolorum, & omnium suorum successorum. Hæc legislatorum omnium, & principum, & prælatorum bonorum intentio. Et si non vitiatur, sed perficitur potius, & multo laudabilior fit doctrina & ædificatio aliorum, ex relatione ad eorum beatitudinem: neque vitiabitur nostræ salutis studium & cultus, ex relatione ad nostram ipsorum beatitudinem. Diliges enim, ait Deus, proximum tuum sicut teipsum, & eadem videtur vtriusque dilectionis ratio & regula.

CAPVT XLIV.

De mercenario beatitudinis amore.

Obiect. 1. OPPONET tamen his aliquis: Christus apud Ioannem inter verum pastorem & mercenarium distinguit, sicut inter bonum & malum. Qui igitur mercedis causa operantur, mali sunt. Sunt etenim mercenarij, & ex consequenti malum erit, mercedis causa operari. Neque videtur quicquam interesse, an ea temporaria sit, an æterna. Vnde & antiquiores ex doctoribus scholasticis, videlicet, Alex. Hal. colla. 60. ar. 2. S. Thom. 2. 2. quæst. 19. artic. 4. ad 3. sanctus Bona. in 3. d. 27. q. 2. ex ista Christi parabola de vero & mercenario pastore generaliter colligunt, amorem mercenarium non stare cum charitate.

Responsio. Prop. 1. Multum tamen differt inter mercenarium, quem Christus apud Ioannem damnat: & eum, qui mercedis causa operatur, quem nos laudamus. Ille tantum mercedis causa operatur, & mercenarius appellatur ab ea intentione, qua sic propter mercedem operatur, vt ea semota, non pasceret gregem: Hic vero, quem nos excusamus, sic mercedis causa operatur, vt ea tamen sublata, nihilominus bene operaretur.

Ioan. 10. Et vt agnoscamus non damnari huiusmodi mercenarios, multum animaduertenda sunt verba illa Saluatoris; *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Ex his enim patet, non censuisse Christum eum esse mercenarium, qui sic spectet mercedem, vt etiam ea sublata, persisteret in custodia ouium, & ad se illas crederet spectare.

Vnde Cyril. 7. in Ioan. cap. 5. *Mercenarius dicitur is, qui oues Dominicas, non pro amore salutis earum, sed ad temporalem mercedem pascit: Et quia plus terrenam substantiam, quam oues diligit, merito nomen pastoris perdit.* Et statim: *Neque stare in periculo ouium potest, qui in eo, quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit.*

Eademq; eisdem pene verbis docet Gregorius in homilia. 14. in Euang.

Quare Hieronymus in quæst. 9. ad Algasiam, & in fine lib. 6. in Esa. & in principio 11. in Ezech. mercenarios colligit non vere diligere Dominum, sed lucra tantum de gregibus considerare, & ideo sanctorum non esse participes. Et Ambr. 7. in Luc. c. 66. dicit: *Mercenarij qui sunt, nisi qui ad mercedem seruiunt, qui sunt ex Israel, non id quod bonum est, probitatis studio persequentes, ne virtutis gratia, sed vtilitatis studio prouocati?* Et communis vsus huius vocabuli, hoc ipsum nos potest admonere. Non enim vocamus mercenarios, omnes qui spe alicuius mercedis laborant: sed eos tantum, qui nulla alia ratione id facerent.

Propo. 2. Consilia licet implere tantũ propter beatitudinem.

Atque opera quidem, quæ non sunt in præcepto, sed duntaxat in consilio, licitum est facere præcise propter beatitudinem æternam, immo etiam propter bona temporalia, quæ licite possunt appeti, & conuenientia videntur ad exercitia virtutum. Neque enim ab obiecto, aut à fine, aut alia mala circunfluentia vitiantur. Quin vero sicut licet facere aliquos virtutis actus propter assecutionem eorum finium, ad quos ipsi natura sua sunt ordinati, vt sumere potionem amaram propter sanitatẽ, belligerari propter iustam victoriam, legere propter obtinendam scientiam, & similia: ita & licere videtur, orare, & sacrificium Deo offerre propter ista assequenda, quandoquidem ex misericordia diuina commoda sunt & conuenientia media ad hæc omnia adipiscenda.

Dur. in 3. d. 29. q. 3.

Et falsum est, quod quidam contra hoc assumit, non licere maius bonum ordinare in minus. Nam & orationem, & contemplationem, & misericordiam licet ordinare ad habendum temperantiam, vel mortificandum carnem.

Proposi. 3. Illicitũ est nolle seruare mandata, nisi propter beatitudinem.

Verum est tamen, non sufficere ad consequẽdam gratiam diuinam, implere mandata solummodo propter mercedem æternam: immo qui sic implet, non omnia implet. Nam Deus ex primo & maximo mandato diligendus est propter se, & alias non amatur ex toto corde. Neque seruatur à sic affecto obedientia debita mandatis diuinis. Siquidem Deus mandata sua vult à nobis seruari absolute: & contra illius obedientiam aperte facit, quicunq; deliberat, ea non seruare sub conditione possibili, neque tollente mandatum: Qualis certe est hæc, si Deus non daret beatitudinem propter obseruationem mandatorum. Et quis alius vere ac proprie operatius mercenarius sit, qui distinguitur in citatis verbis Saluatoris à vero pastore, sicut bonus à malo? Certe qui eiusmodi affectum habet ad mercedem æternam, vt nolit, nisi ea contingat, seruare mandata, videtur ea frui, & in ea constituere suum finem vltimum, & Deo, aut saltem (quod apertissimum est) obedientiæ illius, ipsam præferre mercedem. Nisi enim perinde esset in eam affectus, nunquam sic esset animatus, vt nollet, nisi propter illam, Deo obedire. Et hęc quidem peruersa nolitio ab ea praua & immodica mercedis dilectione proficiscitur, quæ & omnia, quæ ex ipsa sequuntur, vitiat. Ac de huiusmodi affectu exponendi sunt Doctores sancti, nempe August. 2. de sermone Domini in monte, Bernar. de diligendo Deo, Thomas 2. 2. q. 19. art. 4. ad 3 & in 3. d. 29 art. 4. cum damnant amorem Dei propter bona temporalia. Quippe eum duntaxat amorem reprobant, quo sic vltimate & principaliter amatur propter ipsa, vt actu vel virtute sit voluntas non amandi eum alias, neq; seruiendi ipsi in præceptis. Nam certe ipsi eum amorem, quem damnant, mortale esse peccatum censent. Facere autem vnum aut alterum opus, alias bonum, propter bona temporalia, si malum esset, venialẽ duntaxat malitiam haberet, quandiu in illis non constitueretur finis vltimus. Non enim potest grauius censeri peccatum, quam si quis propter vanam gloriam faciat aliquod opus alioqui bonum. Quod quidem ex sententia omnium tantum est veniale, quando in ea non constituitur vltimus finis, hoc est, quando propter eam obtinendam non volumus transgredi aliquod præceptum. Quamobrem Bern. ibidem admonet quidem ad amorem gratuitum his verbis: *Non sine præmio diligitur Deus,* etsi

Argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

etsi absque premij intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Quippe non quærit, quæ sua sunt. Sed ne in his videretur damnasse amorem Dei propter beatitudinem, vel alia præmia, qui potest stare cum amore Dei propter se, statim, subdit, animam aliud præter Deum sui amoris præmium requirentem, illud pro certo, non Deum, diligere. Nam quicquid propter aliud vltimate amamus, id plane amamus, quo amoris finis intendit, non per quod tendit. Vt autem sciremus, quando alieni sumus & nos, & opera nostra ab huiusmodi affectus mercenarij vitio, commodissime adiecerunt Patres, in corollario, quod modo exponimus, illa verba: *Cum hoc, vt in primis glorificetur Deus.* Liberi enim prorsus sumus ab omni eiusmodi malitia, cum Dei in primis gloriam volumus, & eam nostris commodis anteferimus. Vnde & alibi idem Bern. hac nota distinguit inter veros & mercenarios pastores, quod mercenarij plus terrenam mercedem, quam iustitiam quærunt.

Ber. ser. 21. in parua.

Proposit. 5. Quamuis autem possit contingere peccatum, & mortale, & veniale in affectu mercenario ad beatitudinem, sicut etiam in affectu mercenario respectu bonorum temporalium, triplex tamen est differentia, quo ad hæc, inter beatitudinem & bona temporalia.

Differentię 3. inter amorem Dei ob beatitudinem & ob temporalia

Prima. Nam bona temporalia non sunt de se appetenda sicut beatitudo, neque habent de se rationem boni obiecti & honesti: sed duntaxat, vt sunt conuenientia ad exercitia virtutum. Quocirca amare beatitudinem, de se est bonum: non sic autem, amare bona temporalia: & ex consequenti, non sic facile inuenietur peccatum veniale, vel mortale in seruiente Deo propter beatitudinem, ac in seruiente propter bona temporalia.

2. Deinde: Bona temporalia haberi possunt & obtineri per mandatorum Dei transgressionem. Et inde oritur, vt nimius eorum affectus inducat ad transgressionem mandatorum. Sed beatitudo haberi non potest, nisi per obseruantiam mandatorum. Atque ideo ipsius amor, aut desiderium non inducet vnquam ad transgrediendum, sed potius ad obseruandum mandata, & tanto magis, quanto feruentior & maior fuerit ipsius amor.

Postremo: In bonis temporalibus constitui potest tripliciter vel saltem dupliciter vltimus finis. 3.

Primo quidem ex parte obiecti, vt cum aliena & prohibita cupiuntur, aut amantur.

Secundo ex parte modi & excessus affectus, vt cum ita ardenter appetuntur, vt ipsi Deo præferantur, & propter illa assequenda pro nihilo habeatur transgredi præcepta Dei. In beatitudine vero duntaxat constitui potest vltimus finis, si illam vsqueadeo amemus, vt Deo ipsi eam præferamus. Nam si hoc absit, tametsi vehementissime ametur, non assequor, quomodo possit in ea constitui vltimus finis. Quia neque illius appetitus est prohibitus nobis, neque propter ipsam adipiscendam, quis statuet mandata præterire. Quid enim magis ab ea consequenda potest auertere?

Et propter has fortassis tantas & tam apertas differentias cum Alexander Halen. & sanctus Bonauen. in locis statim citatis aperte damnauerint omnem amorem Dei mercenarium, & repugnare dixerint charitati, tamen licitum esse putarunt, Deum amare, Deoque seruire etiam principaliter propter beatitudinem, non autem propter bona temporalia: & tantum dixerunt esse amorem Dei mercenarium, cum amatur principaliter propter bona temporalia.

Aliunde etiam alij hanc Patrum diffinitionem infirmare conantur: *Deus, inquiunt, amandus est amore amicitiæ, & non amore concupiscentiæ, hoc est, propter se, & non propter alia.* Summa namque peruersitas est, sicut dicit Augustinus lib. 83. q. 30. frui vtendis, & vti fruendis. Et si amatur propter alia, alia plus amantur quam Deus: quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*, secundum Philosophum. *Obiect. 5.*

Quamuis autem Deus amore amicitiæ, hoc est, propter se amãdus sit, & is sit amor *Responsio.*

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE INCERTITVDINE PRÆDESTINATIONIS ET PERSEVERANTIÆ LIB. XII. IN CAP. XII. ET XIII. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

MAgnam habent inter se cognationem prædestinatio & iustificationis gratia. Hoc duntaxat, teste Augustino, cap. 10. de prædest. sanct. inter vtramq; intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia vero eſt ipſa donatio. Fruſtra vero gratia accipitur, ſi ante huius vitæ terminum ignauia & culpa noſtra amittatur. Atq; ideo Patres volentes plenam iuſtificationis doctrinam fidelibus tradere, nonnulla de ipſo prædeſtinationis arcano, & de perſeuerantiæ munere attingenda ſibi eſſe prudenter cenſuerunt.

Quoniam autem prædeſtinati omnes aliquo ſaltem breui tempore, quod vitam iſtam concludit, in accepta iuſtificationis gratia perſeuerant, & quicunque in ea perſeuerant, prædeſtinati ſunt, neque poteſt eſſe prædeſtinatus, quin huius vitæ circulum in gratia abſoluat: neque rurſus poteſt in gratia quis illud complere, quin ſit prædeſtinatus: viſum eſt, ſpectantia ad caput 12. quod de prædeſtinatione diſſerit, cum pertinentibus ad caput 13. quod de perſeuerantia tractat, in vnum librum compingere.

Adeſte ô fœlices vos prædeſtinati, & perſeuerantes. Fauete noſtris laboribus: Omnia enim propter vos fecit Dominus. Et noſtrum ad illius exemplum, vobis quod poteſt, exile deſudat ingenium.

PRÆDESTINATIONIS TEMERARIAM PRÆSVMPTIONEM CAVENDAM ESSE.

Caput Duodecimum.

NEmo quoq; quandiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ Prædeſtinationis myſterio vſqueadeo præſumere debet, vt certo ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quod iuſtificatus aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam niſi ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

DE PERSEVERANTIÆ MVNERE.

Caput Decimum tertium.

SImiliter de Perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt: qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit, *quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum, qui ſtat, ſtatuere, vt perſeueranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere: nemo ſibi aliquid certi abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum,* Matth. 10. & 24.

ita perficiet, operans velle & perficere. Veruntamen, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore & tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in ieiunijs, in castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti: Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Roman. 8.

CAPVT I.

Compendiaria cap. 12. & 13. declaratio, & errores in eis damnati.

DVo sunt, quę Patres de mysterio prædestinationis diffiniunt. Primo statuunt, non omnem iustificatum esse prædestinatum, & iustificationis gratiam posse contingere etiam non prædestinatis, quia potest iustificatus acceptam iustificationē perdere, neque postea recuperare. Et hoc tradiderunt Patres illis verbis capitis duodecimi: *Quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit: aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat.* Sed multo adhuc apertius in can. 17. in hæc verba: *Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam, contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.*

Prædestinationis definitio. Et prædestinationis quidem nomine, hoc loco intelligunt æternam prædestinationem aliquorum ad beatitudinē: vel quod apertius & conformius Paulo est, propositum certum & firmū, quo Deus ab æterno voluit aliquibus impartiri beatitudinē.

Dum autē Patres statuere, non omnem iustificatum esse prædestinatum, duplici errori aduersati sunt, duasque hæreses vno ictu ferierunt, & eliminarunt. Altera est Iouiniani, qui, teste Hieronymo, & Romę à sede apostolica dānatus est, & in Aphrica à quodam concilio. Altera vero est Vuiclefi Anglici, damnati in concilio Constantiensi.

Asserit Iouinianus, eodem Hieronymo 2. cont. Iouin. attestante, tantam esse iustificationis gratiam, vt qui eam semel consecutus esset nunquam posset ab ea excidere. Ideoque aiebat, eos, qui baptizati fuerint, non posse à diabolo deuinci. Et nē hoc stulte dicere videretur, addebat eos, qui subuersi ab eo fuerint, aqua tantum, sicut Simon magus, sed non spiritu, esse baptizatos. Et Vuiclefus, non contentus illius hæresim iam olim opera sanctorū Doctorum sepultam, ab inferis reuocare, auxit eam mirum in modum, & omni ex parte aggrauauit: quia absolute affirmauit, prędestinatos semper esse in gratiaDei, neque posse esse extra illam: reprobos vero, perpetuo esse in Dei odio, neque posse ad illius gratiam venire. Et distinctionem illam irrisit, qua communiter solemus vti in scholis, dicentes, quosdam diligi à Deo, vel exosos ei esse secundum præsentem iustitiam duntaxat, alios secundum æternam prædestinationem, alios verō secundum vtramque. Semper proficiunt in peius hæretici. Semper peccata peccatis & tenebras tenebris adiungunt Secundum vero quod de prædestinatione S. Synod⁹ fideles suos hic edocuit, est, ita esse arcanum & occultum prædestinationis mysterium, vt nemo absque diuina reuelatione scire possit, quos Deus prædestinauerit. Verba, quibus caput 12. absoluitur, sic habent: *Nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.* Quare in principio capitis huius Patres saluberrime admonent omnes fideles, ne quispiam, dum in hac mortalitate viuitur, vsqueadeo præsumat, vt certo statuat se esse in numero prædestinatorum. Mos hæreticorum.

Atque in his aduersati sunt Patres errori, quem quidam tuentur, dicentes sine diuina reuelatione posse iustos certos esse non solum de sua gratia, sed etiam de beatitu-

dine.

dine. Quem errorem quidam vir doctissimus tribuit Bucero in concordantia artic. de iustificatione aut certitudine gratiæ. Et ab eo non admodum longe fuisse videtur quidā catholicus, qui ausus est dicere Paulum non propter aliquam reuelationem, sed propter conscientiam bonorum operum, asseruisse sibi esse repositam coronam iustitiæ.

De perseuerantia vero, duo etiam definita sunt. Constituitur primo, donum perseuerantiæ absque gratia Dei haberi non posse. Et hoc quidē explicatur illis verbis: *Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum qui stat, statuere, vt perseueranter stet: & eum, qui cadit, restituere.* Et aliquanto apertius idem confirmatum est canone 22. Qui sic habet: *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Et in his damnarunt Patres errorem Pelagianorum, asserentium, satis esse libertatem nostram naturalem ad perseuerandum in Dei gratia. De quo nobis erit infra copiosior & opportunior sermo. Ne vero iusti de perseuerantia sua plus iusto anxij & soliciti essent, aud ētes se eam non posse, nisi ex dono & auxilio Dei obtinere, mox eos cōsolati sunt Patres, exponentes, nemini defuturum hoc auxilium, nisi ei, qui sibijpsi defecerit. Verba sunt pulcherrima & suauissima decreti: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent, Deus enim nisi illius gratiæ defuerint, sicut cœperit opus bonū, ita perficiet, operans velle & perficere.* Et sunt hęc verba deprompta ex illo mirifico paruulorum omnium consolatore. Ad Philippenses quippe sic scribit: *Confidens hoc ipsum*, id est, persuasum habens hoc ipsum, *quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu*, Et rursus: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et paria his tradiderant Patres cap 11. illis verbis: *Deus namq́, sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Quæ & ex Augustino & ex scriptura desumpta esse ibi docuimus. Porro superbia exitiale est & omnino pestilentissimum malum. Omnem virtutum nitorem obnubilat, omnia lęta & florida bonorum operum facit marcescere, omnē gratiæ fructum depascit. Et propterea, ne iusti de hac tanta & tam benigna diuinę opis pręsentia superbiant, & dum certos & securos de sua perseuerantia se existimāt, in peccata labātur, & acceptā iustificationis gratiā deperdāt: consultissimè Patres subiecerūt statim secūdum, nempe certam absolute nemini posse esse suam perseuerantiam. De perseuerantiæ, inquiunt, munere, de quo scriptum est: *Qui perseuerauerit vsq, in finem, hic saluus erit*: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur. Quod & aliquanto dilucidius fecerunt in canone 16. sub his verbis:

Si quis magnum illud vsq, in finem perseuerantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit. Et hæc manifeste confirmant secundum, quod de prædestinatione traditū à Patrib. statim docuimus.

Causam autem, propter quam formidare debeant omnes iusti de sua perseuerantia, & nemo sibi huiusmodi tantam certitudinem arrogare possit, nisi ea ex diuina reuelatione contigerit, aperuere Patres illis verbis cap. 13. *Veruntamen qui se existimant stare, videant, ne cadant*, vsque ad finem capituli. Et assignata ea in summa est, quia quandiu mortalem vitam ducimus, viatores sumus, & militia est vita nostra super terrā: pugnaque prægrandis nobis imminet cum formidandis tribus hostibus, cum carne, cum mundo, cum diabolo. Et quæ his interposuerunt Patres: *Scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloria, renati sunt*, hunc sensum habent: Scire oportet iustos, non accipere se in iustificatione sua gloriam & beatitudinem, quæ certa erit & secura omnium bonorum possessio, & omnium malorum aduersantiumque omnium exclusio & exiliū, sed duntaxat gratiam, quæ arra est & pign⁹ gloriæ.

Itaque dum iustificamur, non talem nouam vitam inchoamus, qualis erit vita illa beata, quam adepti, nulli malo aut aduersitati poterunt subiacere, sed tantum inchoamus vitam, quæ habet spem gloriæ. Nam gratiam acceptam, per quam renasci-

mur in spem gloriæ, nisi solicite custodierint iusti, in procinctu erit perdere: quia vbique & semper insidiantur ipsis rapacissimi & prævalidi hostes, qui illum deprædari & auferre ab eis tota vi & ope sua connituntur. *Participes*, inquit Paulus, *Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Hoc est, si tamen fidem vsque ad finẽ præsentis vitæ inconcussam & illibatam seruemus. Nam fides, vt in hæc verba dicit Anselmus, initium est bonorum & incorporationis Christi, & per ipsam deificamur, & diuinæ substantiæ participes simus. quia fundamentum est & origo virtutum, per quas ipse existit in nobis, & nos membra eius efficimur. Dum autem hanc iustissimam causam timendi Patres edisserunt, testimonijs Pauli omnia communiunt, & remedia certissima ad defendendos nos ab hostibus nostris, immo & ad deuincendos illos luculenter aperiunt. Ea autẽ sunt labores, vigiliæ, eleemosynæ, orationes, oblationes, ieiunia, castitas. His enim edomanda est caro, his deuincendus mundus, atque his triumphandus est dæmon.

Hebr. 3.

Anselm. fidem initium substantiæ.

CAPVT II.

Reprobos aliquos fuisse nonnunquam in gratia.

BENE habet profecto, & agnoscenda in hoc est benignissima Dei misericordia in nos. Nam falsitas non habet tantas vires, quantos conatus: Diu subsistere non potest. Infirma est & imbecillis, & facile amittit nitorem & speciem veritatis, qua incautos & parum attentis illudit. Habemus certissima & fortissima argumenta, quibus doctrinam á Patribus hic traditam firmem⁹ & tueamur, ac tres, quas mox citauimus, hæreses eis aduersantes reuincamus. Vt tamen si miora sint omnia, ac cunctis dilucidiora, operæ precium erit singulatim ea firmare ac discutere.

Falsitas imbecillis.

Ac primo quidem ad confirmandam definitionem hanc Patrum, Non omnis iustificatus est prædestinatus: & euertendã hæresim Iouiniani & Vuiclefi, asserentium neminem posse perdere acceptam semel iustificationis gratiam: deseruire nobis possunt multa scripturæ loca, ex quibus constat, fuisse plerosque in gratia Dei, postea ab illa excidisse, & tandem fuisse condemnatos. Porro de Saule aperte testatur Scriptura, eo tempore, quo á Deo electus fuit in regem populi Israelitici, electum illum fuisse, & bonum vsque adeo, vt non esset vir de filijs Israel melior illo: Cumque bon⁹ & electus dicitur, ostenditur nimirum fuisse tum in gratia Dei. Non enim solet scriptura huiusmodi elogijs ornare eos, qui extra gratiam Dei sunt. Et Deus tantæ bonitatis est, & tantopere bonitatem amat, vt omnes bonos & gratos & caros, immo amicos habeat. Et si nullus de filijs Israel melior illo erat, erat igitur & ipse carus & gratus Deo. Nam vtique in populo illo Dei multi erant viri sancti & probi, & quos Deus magnopere amabat. Quod tamen in hac tanta gratia non perseuerârit Saul, eadem scriptura palam testatur: *Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, dixit ad eum Samuel, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* 1. Reg. 15.

Saul aliquãdo bonus.

Dicet aliquis abiectum eum esse à potestate regia, non tamen excidisse à gratia Dei. Verum antecedentia & consequentia, amplius aliquid, si bene expendantur, significant. Innuunt enim, ideo eum à potestate regia depositum, quia propter suam inobedientiam exciderat à gratia Dei. Neque tãta pœna mulctatus fuisset, si non prius violasset & perdidisset gratiam & amicitiam Dei. Sed ne quisquam dubitet eum amisisse gratiam Dei, audiat quid postea apertius de illo subiecerit scriptura: *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Et ipse Samuel postea ei dixit: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te?* Et quicquid Iudæi quidam & aliqui catholici de illius condemnatione addubitent, mihi sane certum videtur, eum fuisse reprobatum & damnatum: quippe post multa ipsius commemorata scelera, scriptura tandem subdit: *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud, sed insuper etiam phytonissam consuluerit, neque sperauerit in Domino.* Certe ista non diceret Scri-

1. Reg. 16.14.

Saul reprobatus est.

1. Par. 10.

ret scriptura de eo, qui vitæ huius statione in gratia Dei conclusisset.

Nemo morientium in gratia, claudit vitã absq; spe. Et qui suis sibi manibus vitam aufert, sicut certum est eum sibi ab stulisse, ipse suapte opera damnationi se perpetuæ addicit.

Vnde & Augustinus ad Simpl. q. 1. eum incunctanter reprobum pronunciat. *Et exemplum, ait, huius Saul. resistit superbis nonnullis hæreticis, qui vel aliquid boni de muneribus Spiritus sancti negant, posse dari eis, qui ad sanctorum sortes non pertinent.* Et Hieronymus in loco statim citando impijssimum regem dicit Saulem.

Salomon in gratia aliquando fuit in gratia. Salomon etiam in gratia vtique fuit Dei, cum apparuit ei Dominus per somnium, dicens: *Postula quod vis.* Vnde & postulante eo sapientiam ad iudicandum populum, placuit, teste scriptura, sermo illius coram Domino, & respondit ei Dominus: *Ecce feci* 3. Reg. 3. *tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, neque post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Si autem ambulaueris in vijs meis, & custodieris præcepta mea & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos.* Nunquam ita familiariter & benigne locuta ei fuisset, summa veritas, quæ neminem fallit, nisi eo tempore habuisset illum gratum. Sed & tum in Dei gratia illum fuisse liquidum est, cum, consummato templo, & introducta in illud arca Domini, ad ipsius orationes ignis descendit de cælo, & videntibus cunctis deuorauit holocausta & victimas, & Dominus ei apparuit in no- 2. Paral. 7 cte, & dixit: *Audiui orationem tuam.*

Et ideo ab Ambrosio sanctum appellatum crediderim, quia hoc tempore sanctus fuit, quia adeo electus & vnctus. Nam statim addit, posteriora eius graui errore non caruisse. Verba Ambrosij hæc sunt, *Quid de* 3. Reg. 11. *Salomone sancto loquar, cuius posteriora, cum graui errore non careant, vulgus tamen Iudaicum ipsum asseuerat venisse pro Christo? Quod vero non permanserit in hac gratia, satis manifeste ostendit scriptura, cum adeo inexplebilem illius libidinem fuisse commemorat, vt haberet vxores quasi reginas septingentas, & concubinas trecentas, & ex eis, alienigenis præcipue ardentissimo amore fuerit copulatus.*

Et vt intelligas verum esse quod Ecclesiasticus dicit, *Vinũ & mulieres apostatare faciunt sapientes*: addit etiam scriptura, cum iam Eccle. 19. esset senex, deprauatum fuisse cor illius per mulieres, vt sequeretur deos alienos, & coleret eos, & phana illis ædificaret: & iratum fuisse Dominum aduersus illum, eo quo auersa esset mens illius ab ipso, & increpasse illum: neque tamen adijcit aliquid, vnde eum vel tantisper commotum esse ad pœnitentiam tantorum scelerum colligamus. & per Ahiam Silonitem commemorauit rursum Dominus peccata illius, & vindictam, quã de illo parabat sumere, nulla facta mentione correctionis aut pœnitentiæ ipsius. Et post multas ipsius laudes, velut in eum indignatus, subiecit Ecclesiasticus: *Dedisti maculam in gloria tua prophanasti semen* Eccle. 47. *tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris stultitiam tuam.*

Quare non immerito Augustinus Fausto Salomon reprobatur. Manichæo, asserenti eum reprobum fuisse, consensisse videtur, libro 22 contra eundẽ Aug. c. 81. Faustum. *Nam de Salomone quid, ait, dicam, nisi quia grauius ipsis fidelis & sancta scriptura testimonio redarguitur, quam petulantibus & nugacibus Fausti conuicijs?* Et cap. 88. multo expressius: *De Salomone quid dicam? Quem vehementer arguit sancta scriptura atque condemnat, nihilque de pœnitentia eius, vel in eũ indulgentia Dei omnino commemorat.* Hæc Augustinus.

Et hoc ipsum satis innuerunt Cyprianus & Hieronymus, cum nulla facta suæ pœnitentiæ mentione, eum à Dei gratia & amore discessisse affirmant.

Verba Cypriani lib. 1. epist. 3. hæc sunt: *Salomon denique & Saul & cæteri multi, quandiu in vijs Domini ambulauerunt, datam sibi gloriam tenere potuerunt; recedente ab his disciplina Dominica, recessit & gratia.*

Hieronymus vero sic loquitur: *Salomon amabilis Domini, & cui bis Deus fuerat reuelatus: quia amator mulierum fuit, a Dei amore discessit.* Quod si quis ex eorum ingenio, qui librum de pœnitentia Salomonis, nomine Ambrosij euulgarunt, eum tandem egisse pœ-

nitentiam contenderit, contentionibus deseruire nolim. Saltem illius exemplum confundere poterit Iouinianum, qui iustos ab accepta semel gratia excidere posse in hoc statu, non credidit.

Neque silentio prætereundus est, dum de reprobis agimus, furcifer ille Iudas Iscariotes, inter reprobos omnes vel eo nomine insignis, quod & suum, & omnium Dominum & magistrum, nefario & execrando scelere ac dolo, ipsius hostibus & insidiatoribus vendere, & tradere non erubuit. Is quidem in gratia Dei fuit tempore, quo electus est à Christo in Apostolum. Non n. alias in tantam dignitatē promotus fuisset ab eo, qui suo exemplo habebat docere, nō esse, nisi bonos eligendos ad dignitates Ecclesiasticas. Et eum fuisse aliquando in gratia, & tamen eam perdidisse, luculenter ostendunt verba Christi ad patrem: *Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Nunquam traditum sibi à patre, & postea illum solum perijsse dixisset, nisi fuisset ante patrata proditionis impietatem in patris gratia. Ac manifestum reprobationis ipsius testimonium perhibuit Christus, dicens: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, Et iam olim condemnandū eum prædixerat Dauid illis verbis, quæ & Petrus de illo prædicta exposuit: *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius. Cum iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum: Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter.*

Ioan. 17.

Matth. 26.

Psalm 108. Actor. 1.

Et illum & Saulem apertissime Hieronymus in tertio contra Pelagianos asseuerat bonos & iustos fuisse, cum à Deo electi sunt, hic in Apostolum, ille in Regē. Quoniam vero ex verbis illius liquido constare poterit, non esse nouam distinctionem, qua vtuntur Scholastici de dilectione secundum præsentem iustitiam, & secundum æternam prædestinationem, placet hic illius verba subscribere: Argumentabatur Marcion & omnes hæreticorum canes, qui vetus laniarunt testamentum: Aut sciuit Deus hominem, in paradiso positum, præuaricaturum esse mandatum illius, aut nesciuit. Si sciuit, non est in culpa is, qui præscientiam Dei non posset scientia deuitare: si nesciuit, cui præscientiam tollis, aufers & diuinitatem. Huic argumento sic respondet Hieronymus: Hoc enim genere in culpa erit, qui elegit Saul, futurum postea regem impijssimum. Et Saluator aut ignorantiæ, aut iniustitiæ tenebitur reus, cur in Euangelio sit locutus: *Nonne vos duodecim ego elegi Apostolos, & vnus de vobis diabolus est?* Interroga eum, cur Iudam elegerit proditorem, cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat. Vis audire rationem? Deus præsentia iudicat, non futura. Nec condēnat ex præscientia, quem nouerit talem fore, qui sibi postea displiceat: sed tantæ bonitatis est & ineffabilis clemētiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conuersionis & pœnitentiæ, iuxta illum sensum Apostoli: *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundū opera eius. *Hæc Hieron.*

Ioan. 6.

Rom. 2.

Ex quibus manifestum est primo, iuxta sententiam illius, & Saulem & Iudam fuisse reprobatos, & tamen aliquando bonos: deinde, Deum iuxta præsentem iustitiam iudicare vnumquenque, non autem secūdum æternam prædestinationem. Ac subscripsit per omnia Hieronymi sententiæ Cyrillus 9. in Ioan. 10. & l. 11. c. 21. Qui & hoc nomine filium perditionis Iudam appellatum dicit, quia cum in suæ vocationis principio aptus esset, sua sponte perditionē elegit, & prauitate perijt sua. Et exēplo Saulis, & Adæ, & angelorum, non esse miranda s istas vicissitudines gratiæ in peccatum, confirmat.

Et vt alios intermittamus, qui docere nos valent, non omnes iustificatos esse prædestinatos, ipse omnium reproborum parens & caput, docere hoc abunde nos potest. Lucifer quippe fuit, atque adeo fulgentissimus in mane creationis suæ, sicut sub typo Regis Babylonis ei Esaias attestatur. Et tamen cecidit, eodem propheta testante

ſtante, & detracta eſt ad infernum ſuperbia eius, ad profundum lacus. Signaculum etiam fuiſſe eum ſimilitudinis, plenum ſapientia, perfectum decore, & in delicijs Paradiſi Dei verſatum, & aureā fuiſſe ipſius opera, & in medio lapidum ignitorum ambulaſſe, perfectum in vijs ſuis à die conditionis, ſub typo regis Tyri teſtimoniū perhibet Ezechiel. Sed nunquid hæc tanta gratia & perſeuerauit in eo in perpetuum? Abſit. *Donec inuenta eſt in te iniquitas*. ſubdit ſtatim propheta. Et paulo poſt: *In multitudine iniquitatum tuarum & iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationem tuam.*

Et ne tandem aliquando rediturum cū in gratiam Dei cum Origeniſtis dicas, mox addidit: *Producam ergo ignem de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terram in conſpectu omnium videntium te. Omnes, qui vident te in gentibus, obſtupeſcent ſuper te. Nihil factus es, & non eris in perpetuum.*

Et Hieronymus in commentarijs Eſaiæ & Ezech. ſuper hæc loca, perinde ac nos interpretatur, immo & Chriſtum ipſum vult vtrumque prophetam expoſuiſſe his verbis: *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.*

Cui & Auguſtinus concinit 2. de gen. ad lit. cap. 24 & in 3 cap. primæ Ioan. & 11. de ciuitate Dei cap 15. & 3. de doct. Chriſtiana cap. 37. Et ipſe Hieronymus 2. in Iouin. eleganti ſſime profecto in Iouinianum exemplum Luciferi torquet in hæc verba. *Et cecidit Lucifer, qui mittebat ad vniuerſas nationes*. Et ille qui in paradiſo deliciarum inter duodecim nutritus eſt lapides, vulneratus, à monte Domini ad inferna deſcendit. Vnde & Saluator in Euangelio, *Videbam*, inquit, *ſatanam quaſi fulgur de cœlo cadentem*. Si altiſſima illa ſublimitas cecidit, quis cadere non poſſit? Si in cœlo ruinæ, quanto magis in terra?

CAPVT III.

Prædeſtinati nonnulli, fuerunt aliquando extra gratiam Dei.

NON minus autem apertum teſtimonium huic veritati poſſunt nomina electi perhibere, quam reprobi, quos ſtatim allegauimus: immo tanto certe clarius & efficacius, quanto ipſi veritatem præ alijs in primis coluerunt. Vt autem vtramque ſimul hæreſim & Iouiniani & Vuiclefi expugnemus, illos duntaxat pro nobis nunc afferemus electos, quos conſtat aliquando habuiſſe gratiam ſaltem in pueritia, & illam amiſſam per peccata, poſtea per pœnitentiam vel ſacramenta recuperaſſe. Et vt quacunque poſſimus, tædio leuemus lectorē, vnum quaſi corpus argumenti ex illis omnibus efficiemus.

Ac primo quidem ſingulare illud pœnitentiæ exemplum Dauid, aperte à nobis ſtat. Nam & eum prædeſtinatum fuiſſe, ex multis locis ſcripturæ conſtat. Et cum à Deo in regem electus eſt, proculdubio in gratia ipſius fuit. De illo quippe dixit Dominus: *Inueni virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et rurſus: *Inueni Dauid ſeruum meum, & cæt.* Verum ab hac gratia eum excidiſſe, cum contempſit verbum Domini, & interfecit Vriam Ethæum gladio filiorum Ammon, & vxorem eius ſibi accepit, vel illa rigida & formidanda Dei ſententia, contra illum prolata, poteſt oſtendere: *Non recedet*, dixit ad eum Nathan propheta, *gladius de domo tua vſque in ſempiternum. Suſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius.*

Hæc quidem non gratiam, ſed iram: nō amorem, ſed odium: non caritatem, ſed indignationem indicare ſolent. Et poſtquam per ſuam pœnitentiam audiuit à Nathan: *Tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum*: non ſemper perſeuerauit in gratia Dei, ſed excitante ſatana fecit, vt numeraretur populus Domini: & vſque adeo prouocauit iram Domini, vt propter peccatum illud peſtis abſumſerit ſeptuaginta millia virorum Iſrael. Vnde & ipſe veriſſime de ſe cecinit: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum: Domine, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: Auertiſti tu faciem tuam, & factus ſum conturbatus.*

Et quis, niſi prorſus deſipiat, dicere au-

debit, fuisse in gratia Dei, Magdalenam, cum septem dæmonijs, id est, vniuersis vitijs, iuxta expositionem Gregorij, fuit obnoxia? Quis & Petrum credat perstitisse in Dei gratia & amore, cum vnius ancillulæ voce perculsus, dum mori timuit, vitam negauit? Quis Apostolos in gratia perseuerasse asserat, cum scandalizati sunt in morte Domini, & eum solum reliquerunt? Si tunc non perdiderunt gratiam Dei, quomodo erit verum, quod Christus eis prædixit, *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*? Scriptum est enim: *Percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis*. Equidem scandalum non patitur, nisi qui offendit, & cadit. Nam scolon siue scandalon Græce, ex offensione & ruina, teste Hieronymo, 2. cont. Pelag. nomen accepere. Et scandalon Græce idem est, quod Latine offendiculum.

Matth. 26.

Sed vt de Dauide, Magdalena, Petro, & alijs Apostolis sileamus, an non satis potest esse vel vnus Paulus ad confirmandum nos in hac veritate? Quis ambigat eũ fuisse extra gratiam Dei, cum blasphemus fuit, sicut ipse de se dicit, & persecutor, & contumeliosus? Profecto si in gratia Dei fuisset, cum spirabat minas & cædes in discipulos Domini, falsum esset quod Dauid dicit: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Quam longe vero fuerint sancti ab eiusmodi sententia, vel vno Hieronymi testimonio docere possumus. Is igitur in expositione illorum verborũ, *Non potest arbor bona malos fructus facere*: sic scribit, *Quæramus ab hæreticis, qui duas inter se contrarias dicunt esse naturas: Si iuxta intelligentiam eorum arbor bona malos fructus facere non potest, quomodo Moyses arbor bona peccauerit ad aquam contradictionis: & Dauid, Vriam interfecto cum Bersabea concubuerit: Petrus quoque in passione Dominum negarit: aut qua consequentia Iethro socer Moysi, arbor mala, qui vtique in Deum Israel non credebat dederit consiliũ Moysi bonum. Et Achior ad Holofernem aliquid vtile, & Comicus dixerit, quod bene dictum Apostolus comprobauit, Corrumpunt mores bonos colloquia praua? Et cum non inuenerint quid respondeant, nos inferemus & Iudam arborem quondam bonam, fecisse fructus malos, postquam tradiderit Saluatorem. Et Saulum arborem malam eo tempore, quo persequebatur, etiam fecisse fructus bonos, quanto in vas electionis de persecutore translatus est*. Hæc Hieronymus.

Psalm. 5.

Matth. 7.

CAPVT IIII.

Iusti possunt Dei gratiam amittere, & iniusti eam recuperare.

APERTISSIME etiam, vt veteranus miles iam olim in hoc ipsum paratus, vno rotatu gladij Vui lefum & Iouinianũ percutit: Ezechiel dicens: *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem moriétur in eis. In iniustitia, quam operatus est, morietur. Et cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam ipse animam suam viuificabit*. Nescio quibus verbis apertius nobis potuit significari, posse iustos iustitiam suam perdere, & impios, & qui extra gratiam sunt Dei, viuificari & saluari. Et quo omnibus testatissima esset hæc veritas, multo pluribus verbis eandem idẽ propheta, non semel repetit & explicat. Et Hierusalem, idem propheta clare testatur, lotam & mundatam ab immunditijs suis, & perfectam & ornatam à Deo, se rursum conspurcasse: & fœdasse adulterijs & fornicationibus: & tamen tertio ad pœnitent ã vocatam ab eodem propheta, & ab alijs. Ezech. 18

Et sæpe concinit illi mirifice Hieremias, cuius sit satis vnum ipsius testimonium. *Repente loquar, inquit, cõtra gentem & regnum, vt eradicem & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei*. Vides quemadmodum potest gens aliqua transire ex odio in gratiam Dei: Et ne dubites è diuerso summ venire posse, vt quis transeat à gratia in odium, audi quod statim subnectitur: *Repente loquar de gente & regno, vt ædificem & plantem illud, si fecerit malum in conspectu meo, vt non audiat vocem meam, agam & ego pœnitentiam super bono, quod locutus sum vt facerem ei*. Ecce ipsa præstitit hæc Dominus, dum conuersus est, & mitigauit iram suam propter pœnitentiam Dauid, Achab, Manassis, Nabuchodonosor, & Niniuitarum. Hierem. 18.

Verùm

Verum hæc latius & opportunius infra, circa capitulum decimum quartum, disseremus.

CAPVT V.

Prædestinati possunt esse extra gratiam Dei.

VT fidei tamen veritas dilucidior sit, & hæreticorũ falsitas manifestior, iuuat & seorsum hæreses istas impugnare. Et in primis Vuiclefum vrgebimus, & in quantum se blasphemiarum barathrum præcipitem dederit, monstrabimus.

Argum. 1. Si prædestinati semper sunt & fuerunt in gratia Dei, nullum igitur vnquam in vita commiserunt neque committent peccatum mortale, sed quæ grauissima alioqui sunt sacrilegia & piacula, & ab ipsa sacra scriptura, vt infra ostendemus, mortalia, & execranda, & abominanda dicuntur, quia sunt in prædestinatis, exitialia peccata non erunt. Itaque neque adulterium & homicidium Dauidis, neque Magdalenæ illecebræ, neque latronis furta, neque Apostolorum scandalum & incredulitas, neque Petri negatio, neque blasphemiæ & persecutiones Pauli, neque denique infidelitas idololatriæ, neque sacrilegia, neque incestus, neque peccata horrenda contra naturam, neque furor in Christianos, lethale peccatum fuerint in illis, qui tandem conuersi sunt ad fidem, & per eam & bona opera salui sunt facti. Siquidem in aperto est, lethale peccatum non esse, nisi quod gratiam Dei aufert, & nos in ipsius odio, qui vita animæ nostræ est, constituit.

Argum. 2. Habebit item Vuiclefus cõcedere, multos iniustos, iniquos, præuaricatores, blasphemos, & grauissimis obrutos sceleribus, in gratia Dei esse & fuisse. Scimus namque plerosque tales ad Deum aliquando fuisse conuersos, & tandem fuisse saluos. Eiusmodi vero homines asserere in gratia Dei fuisse, cum teterrimis obnoxij vitijs erant, bonitati & sanctitati Dei derogat, ac directe opponitur verbis illis Salomonis: *Similiter odio sunt Deo & impius & impietas eius.* (Sapient. 14.) Cõuenit enimque Deo, si ita esset, amarulenta illa verba, quæ Ioab obiecit Dauid: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* (2. Reg. 19.)

Argum. 3. Ad hæc: Si prædestinati semper sunt in gratia Dei, nunquam igitur remittitur eis aliquod mortiferum peccatum, nunquam reconciliantur Deo, neque per pœnitentiam, neque per sacramenta Ecclesiastica. Non enim reconciliatur, nisi qui est inimicus. Neque dimittitur peccatum mortale, nisi cum quis transit ex inimicitia ad amicitiam Dei. Profecto intelligere non possum, quomodo vere Christus remiserit Magdalenæ, Petro, Paulo, Dauidi, Latroni, & alijs prædestinatis sua peccata, si antequam eis illa remitteret, ipsi iam erant in ipsius gratia. Si Dauid erat in gratia Dei, antequam diceret, *Peccaui Domino*: quid ergo per eam pœnitentiam assecutus est, vt merito ei dixerit Nathan propheta, *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum?* (2. Reg. 12.) Si Paulus, cum persequebatur Christianos, erat in Dei gratia: quid habuit, cum est conuersus ad Christum, vt vere de se diceret, *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci?* (1. Tim. 1.)

Argum. 4. Quid, quod cum reprobi, iuxta ipsum Vuiclefum, nunquam sint in gratia Dei, cõsequenter habebit concedere, sacramenta Ecclesiastica non dare alicui primam gratiam, & claues sacerdotales, neque ad minimi peccati lethalis remissionem se extendere? Quod aperte est contra magnificas illas promissiones Christi: *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* (Matth. 18.) Et iterum: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* (Ioan. 20.)

Argum. 5. Est & præter hæc validissimum argumẽtum contra Vuiclefum, quodque vel solũ satis est ad euertendam ipsius insaniam. Etenim si prædestinatus nunquam est extra gratiam Dei, neque igitur Adam, quem ex sapientia Salomonis liquet fuisse saluum, fuerit aliquando Deo inimicus, aut extra gratiam ipsius. Et falso dixisset Paulus, *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis, reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* (Rom. 5.) Nullus etiam hominum natus esset aut nasceretur in peccato originali. Nam si Adam nunquam ob sua peccata fuit Deo inimicus, neque suam ergo posteritatem fecerit Deo inimicam & exosam,

neque nos eguissemus propter peccatum, illius redemptore aut mediatore, qui nos reconciliaret Deo, quique interficeret inimicitias nostras in semetipso. Siquidem qui ipse inuisus regi non est, nunquam faciet progeniem suam regi inuisam. Quid est aũt hoc, quam totũ nostræ redemptionis mysterium euacuare & irritare?

Faciamus tamen hoc aliquanto magis conspicuum, vt intelligant Vuicleфistæ hanc sui præceptoris doctrinam, aperto marte pugnare contra totum nostræ salutis mysterium. Reprobi nunquam sunt in gratia Dei. Prædestinati nunquam sunt, neque fuerunt extra ipsam. Et omnes homines vel sunt reprobi, vel prædestinati. Quibus ergo profuit filij Dei incarnatio? Quibus vitam attulit Christi mors? Quos redemit preciosissimi sanguinis agni immaculati & incontaminati effusio? Quos iustificauerit illa eximiæ caritatis oratio qua mox vt in crucẽ suspensus est, pro persecutoribus suis orauit? Nullos vtique Christus saluauerit, nullos viuificauerit, nullos reconciliauerit, nullos redemerit, nunquam & illius oratio audita fuerit, si vera est Vuiclefi sententia. Nulli siquidem prius inimici, per illum facti sunt amici: nulli perditi, salui: nulli mortui, viuificati: nulli sordidi, mundati: nulli captiui, redempti: nulli vincti, liberati.

2. Cor. 5. Et quid est ô miser, quod ait Apostolus, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi?* Quid aliud, quam beneficium, per quod viuimus, ingrate, *Gratias agentes Deo & patri,* Coloss. *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ?* Et paulo post idem Apostolus subdit: *Et vos cum essetis alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem.* Et alibi de eodem seruatore nostro dicit: 1. Cor. 1. *Qui factus est nobis à Deo sapientia & iustitia, & sanctificatio & redemptio,* & sexcenta alia sunt huiusmodi testimonia. Et quidem si prædestinati semper fuerunt & sunt in gratia Dei, & reprobi nunquam tantam perfectionem assequuntur, intelligere nõ possum, quos Christus sanctificauerit aut iustificauerit. Immo vere si ita esset, frustra in hoc mundo natus fuisset, frustra prædicasset, frustra mortem perpessus fuisset, & in cassum ipsius Apostoli tot labores pro conuersione mundi suscepissent: nulli quippe, neque ipse, neque illi, salutem potuerunt afferre, quã ipse non haberet. Et quid plura in hominem incommoda coaceruemus? Tam perspicue hæc omnia repugnant toti & nouo & veteri testamẽto, vniuersæ Christi Apostolorumque ipsius, & totius Ecclesiæ prędicationi, tam ingrata sunt diuinę in nos misericordiæ, tam inimica toti fidei nostræ, vt nihil plane dici possit magis absurdum, magis absonum, magis blasphemum. Quare à confutatione huius erroris hic supersedebimus, & ad Iouinianum transibimus.

CAPVT VI.

Adulti etiam sub lege gratiæ iustificati, amittere possunt iustificationem.

FVISSE quidem Adam in Dei gratia ante suam inobedientiam, lib. 7. cap. 3. ex authoritate August. & Cyrill. tradidimus. Et hoc ipsum Hieron. docet in epist. ad Damasum de filio prodigo, vbi ait, stolam, quam Adam perdidit, vestimentum esse nuptiale, & vestem Spiritus sancti. Nec si virtus Baptismi concedatur, dubitari potest, quin filij fidelium, maxima ex parte gratiã in ætate infantili per sacramenta Ecclesiastica assequantur. Quare multa incommoda ex ijs, quæ in Vuiclefum produximus, manifeste militant in Iouinianum. Sed ne qua ille possit elabi, ne ve ipsius fautores inuenisse se viam putent ad ipsius defensionem, si duntaxat ad gratiam adultis collatam in nouo testamento, opinionem illius coarctent, placet & eiusmodi quoque gratiam posse ab eis perdi, peculiaribus argumentis ostendere. Adam in gratia ante lapsum.

Si perdi non potest iustificationis gratia à Christianis adultis, frustra igitur constitutum est sacramentum pœnitentiæ, quod esset velut secunda tabula post naufragium. Quorsum remedium naufragio, si nullus potest naufragari? Petro item roganti. *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Frustra Arg. 1. in Iouin. Argum. 2. Matth. 18.

stra Christus dedisset illud eximiæ clementiæ & benignitatis præceptum *Non dico tibi, vsque septies: sed, vsque septuagies septies,* si non possumus deperdere semel acceptam iustificationis gratiam.

Argum.3. Atq; vt intermittamus testimonia à Patribus in 13. ap. inducta, vt probent, merito cuiuis iustificato timendum esse, ne perdat acceptam iustificationis gratiam: dicat mihi, velim, Iouinianus: Si Christianus adultus perdere non potest acquisitam gratiam, quid Paulus timebat, ne forte sine causa laborasset in Galatis? Quid illos insensatos appellabat, & fascinatos asserebat, vt qui bene prius cucurrerant, iam non obedirent veritati, & spiritu quidem cœpisse, carne vero consummari? Quid & illos admonebat vt starent in accepta ab illo doctrina, & Spiritu ambularent, neque se iterum iugo seruitutis Mosaicæ legis subijcerent? Quid coniugatis Corinthijs, vt prudens pater, prospicit & consulit, ne tentet eos satanas, vt reuertantur ad officium coniugale, si ad tempus illud propter orationem intermiserint? Quid omnes eos alibi hortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant? Quid timebat ne circumuenirentur à satana, & ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita eorum sensus corrumperentur, & exciderent à Christiana simplicitate: & paulopost, ne forte cum venisset, non quales vellet, eos inueniret, & lugeret multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam? Quid & alijs fortibus Christi militibus aiebat, *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem?* Et Hebr. 10. ne erres tu quisquis es, qui acceptæ iam iustitiæ confidis, & fiduciam habens in pulchritudine tua, putas tibi licere quidquid libeat, audi quid continenter adijciat: *Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem.* Et manifeste idem Apostolus prolapsos fuisse nonnullos asseuerat, postquam accepto sancto baptismate illuminati fuerant, & participes Spiritus sancti erant effecti. Et reprobationem, & maledictionem, & terribilem quandam expectationem iudicij, & ignis æmulationem, quæ eos consumeret impendere ipsis, euidentibus rationibus & similitudinibus commonstrat.

Et in eundem sensum Petrus, quia & eodem Spiritu scribebat, deteriora illis fore posteriora prioribus conspicue denunciat, ac subdi: *Et vos igitur, fratres præscientes, custodite, ne insipientum errore traducti, excidatis à propria firmitate.* 2. Pet. 3.

Et lucidissime Ioannes in Apocal. Immo Saluator in Ioanne, quasdam Ecclesias docet corruisse, & à caritate prima excidisse, & ad pœnitentiam eas exhortans: alias vero stantes solicite admonet, vt constanter retineant, quod habent, ne alij accipiant earum coronas. Et inter omnia, illa sunt pro nobis apertissima, quæ ad Ecclesiam Ephesiorum dirigit: *Sed habeo aduersum te pauca, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor itaque esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Cum enim dicit, Apoc. 2. *Memor itaque esto vnde cecideris, & pœnitentiam age, & prima opera fac: & caritatem tuam primam reliquisti*, ostendit proculdubio ad eam Ecclesiam se loqui, quæ ceciderat, & baptismum susceperat, ac stans quondam, tandē corruerat per delictum. Et cum Sardis paucos se habere dicit, qui non coinquinauerunt vestimenta sua, aperte significat multos alios ea coinquinasse, & à gratia accepta cecidisse. Miror vero cur inter Ecclesias, quæ ad pœnitentiam prouocantur, & quibus, nisi reuertantur ad opera pristina, Deus comminatur, Hieronymus 2. contra Iouin. computet etiam Smyrnam & Philadephiā, cum harum vtraque mirifice commendetur, & Smyrna diues vocetur, & non ad pœnitentiā, sed ad fidelitatem vsque ad mortem, excitetur: Philadelphia vero seruasse verbum Domini, & non negasse nomen ipsius dicatur, & vt teneat quod habet, ne alius accipiat coronam suam, moneatur.

Quod si iusti, vt cum sancta Synodo lib. 11. docuimus, & canone septimo & octauo Argum.4. sessionis septimæ huius Concilij Tridentini confirmatum est, adstricti sunt ad obseruandum mandata, cum nihil sit, quod eos compellat illa seruare, poterunt vtique ea prætermittentes, excidere á gratia Dei.

1. Cor. 9. Vnde & Paulus sibiipsi væ imminere asseuerat, si non euangelizaret. Et Iacobus inquit, *Estote factores verbi, & non auditores tantum: Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro, consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit & statim oblitus est, qualis fuerit.* Et continuo factores legis beatos prædicat, & qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno mandato, vniuersæ legis reum, & fidem sine operibus, inutilem ac mortuam affirmat. Frustra verò monuit, vt probe dicit Hieron. 1. cont. Iouin. vt adiungerentur opera fidei, si peccare non poterant, & à gratia decidere, qui baptisma plena fide susceperant. Frustra etiam Ioannes monuisset, debere, qui dicunt se in Christo manere, ambulare, sicut ille ambulauit: & si peccauerimus, habere eum aduocatum. Quid namq; opus aduocato eis, qui nequeunt deficere? Sane, quia iusti, dum adhuc viuunt, perdere possunt iustificantem gratiam, sapientissime iam olim sermo diuinus admonuit omnes, *Ne glorieris in crastinum, ignorans quæ superuentura pariat dies*: & alibi, *Ante mortem ne laudes quenquam hominem*, Vel, vt aliæ translationes habent: *Ne beatum dixeris quempiam*, Vel, *Ne laudaueris hominem in vita sua.* Quæ verba pulchre Ambr. in quodam ser. sic edisserit: Tanquam si diceret, Lauda post vitam, magnifica post consummationem, Lauda post periculum, prædica securum, Lauda nauigantis felicitatem, sed cùm peruenerit ad portum: Lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. *Et post pauca.* In huius itaq; mundi pelago volutantibus nobis valde pertimescendum est, ne nauem nostram aut procella tempestatis atripiat, aut fluctus absorbeat, aut in æternam prædam pirata crudelis abducat.

Prou. 27.

Eccle. 11.

Quod intelligens clarissimus ille Christi signifer Paulus, stigmata Domini & mortificationem ipsius iugiter in suo corpore circumferebat, & nihil de sua sibi blanditus iustitia, velut fortis athleta stabat iugiter in acie, & viriliter contra hostes suos dimicabat, & persistens in sua custodia, sed ad anteriora tamen iugiter proficiens, constãter aiebat, *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Et è vestigio: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè, cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar.*

1. Cor. 9.

Et vt nemo se liberũ ab hac pugna carnis & spiritus existimet, alibi generaliter pronunciat ea sibi inuicem aduersari, vt nõ quæcunque volumus, illa faciamus. Ex vtroque enim compacti, necesse est ait Hieronym. 2. cont. Iou. vt vtriusque contra se substantiæ bella patiamur, Et Iacobus vnũquenque dicit tentari à concupiscentia sua, & beatum prædicat virum, qui suffert tentationem. Et alibi iuxta antiquam trãslationem, *Tentatio est vita hominis super terram. Vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis. Fili, accedens ad seruitutẽ Dei, sta in iustitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* De dæmonis etiam sæuitia, & rabie animarum insatiabili formidãda, passim scribit Iob. Et Dauid sedere eum dicit in insidijs in occultis, vt interficiat innocentem. Et Christus Apostolis suis: *Ecce*, (vel, sicut Aug. 2. ad Sim. q. 1. legit, *Hac nocte*) *satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum* Et Petrus: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Et Paulus: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitia in cœlestibus.*

Iob 7. Eccli 27. Luc. 22. 1. Pet. 5. Ephes. 7.

Et existimat aliquis, securos & dormientes nos esse debere post baptismũ, atq; audet Iouinianus assentari nobis, & dicere eos, qui plena fide baptisma consecuti fuerint, à diabolo tẽtari, aut subuerti non posse? Cauete iusti, cauete sancti. Vigilate, & nolite peccare: viriliter agite, & nolite errare. Dum falsam securitatem nobis pollicentur, in præcipitium & apertam ruinam nos pertrahunt. Quandiu sumus in hac vita, nauigamus, luctamur, pugnamus: & donec perueniamus ad portum, & repositam nobis coronam accipiamus, nulla vsquam satis tuta statio, nulla certa securitas, sed omnes & prædestinati & iustificati, nisi aliquo speciali priuilegio fruantur, ab accepta à Deo gratia possunt cadere.

CAP.

CAPVT VII.

De consensu doctorum & Ecclesiæ totius, in Iouinianum & Vuiclefum.

PRÆDESTINATOS & iustificatos posse cadere á Dei gratia, & necessariam esse omnibus perseuerantiam vsque ad mortẽ, vt perueniatur ad palmam, satis potest ex prædictis constare. Sed vt constet consensisse semper huic veritati Ecclesiam, quod nos vbique ostensuros esse sumus polliciti, adiungam ijs, quæ iam citauimus, aliquot alia testimonia Doctorum, quæ hanc veritatem luculenter nos docent.

Cyprianus non contentus hanc veritatem sua authoritate tradere, optimis illam scripturæ testimonijs confirmat. Quare integrum quoddam capitulum ex libello ipsius de exhortatione ad Martyrium, hic subscribam: Insistendum esse & perseuerãdum in fide & virtute, & cælestis & spiritualis gratiæ consummatione, vt ad palmam & coronam possit perueniri. In Paralipomenon: *Dominus vobiscum est, quandiu & vos estis* 2. Par. 15. *cum ipso. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Item apud Ezechielem: *Iustitia iusti non* Ezech. 33. *liberabit eum, in quacunque die execrauerit.* Item Dominus in Euangelio loquitur & dicit: Math. 10. & 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Ioan. 8. Et iterum: *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos.* Præmonens quoque nos semper paratos esse debere, & expeditos in procinctu firmiter stare, adiecit, & dicit: Luca 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris; & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Felices serui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes.* Item beatus Apostolus, vt fides nostra proficiat & crescat & ad summa perue- 1. Cor. 9. niat, hortatur, dicens: *Nescitis, quoniam qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit coronam? Sic currite, vt comprehendatis. Et illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant,* 2. Tim. 2. *vos autem incorruptam.* Et iterum: *Nemo militãs Deo, implicat se molestijs secularibus, vt possit placere, cui se probauit. Sed & si certauerit quis, non coronabitur, nisi legitime pugnauerit.* Et iterum: *Oro autem vos fratres per misericordiam Dei, vt* Rom. 12. *constituatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, & ne configuremini huic seculo, sed transformemini in renouatione Spiritus ad probandum quæ sit voluntas Dei bona, & placens, & perfecta.* Et iterum: *Sumus filij Dei: Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem* Rom. 8. *Christi: si quidem compatimur, vt & commagnificemur.* In Apocalypsi eadem loquitur diuinæ prædicationis hortatio, dicens: *Tene quod* Apoc. 3. *habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quod exemplum perseuerandi & permanendi designatur in Exodo, vbi Moyses ad superandum Amalech, qui figuram portat diaboli, in signo & sacramento crucis alleuat supinas manus. Nec vincere aduersarium potuit, nisi postquam stabilis in signo, alleuatis iugiter manibus, perseuerauit. *Et factum* Exod. 17. *est*, inquit, *cum leuabat Moyses manus præualebat Israel: vbi autem submiserat manus, inualescebat Amalech. Et accepto lapide, supposuerunt sub eo & sedebat super eum. Et Aaron & Vr sustentabãt manus eius hinc & inde, & factæ sunt manus Moysi stabiles vsque ad occasum solis. Et fugauit Iesus Amalech & omnem populum eius. Et dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc, vt sit in memoria in libro, & da in aures Iesu, quoniam deletione delebo memoriam Amalech de sub cœlo.* Hæc ille.

Et Lib. 1. epi. 5. sanctos quosdam confessores sic alloquitur: Hortamur aũt per cõmunem fidem, per pectoris nostri verã circa vos & simplicem caritatem, vt qui aduersarium prima hac cõgressione vicistis, gloriã vestram forti & pseuerãti virtute teneatis. Adhuc in seculo sum⁹, adhuc in acie cõstituti, de vita nostra quotidie dimicamus: danda opera est, vt post hæc initia ad incremẽta quoque veniatur, & consummetur in vobis, quod iã rudimẽtis felicibus esse cœpistis. Parum est, adipisci aliquid potuisse: plus est, quod acceptum est, posse seruare. Sicut fides ipsa & natiuitas salutaris nõ accepta, sed custodita viuificat. Nec statim cõsecutio, sed consummatio hominẽ Deo seruat. Domin⁹ hoc magisterio docuit, dicẽs: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat. Puta aũt illum & cõfessori suo dicere: Ecce cõfessor factus es: iã

noli peccare, ne quid deterius tibi fiat. *Et statim*: Perseuerandum vobis est in arcto & in angusto itinere laudis & gloriæ. Qui & alibi docet iustos & fortes viros, immo iam egregios Confessores, à iustitia acquisi a nonnunquam excidisse.

Hilarius. Hilarius in illa, *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque*, cum doceret liberū à crimine esse oportere cœlestis doctrinæ prædicatorem, subdit: *Hinc illud est, quod Apostolus monet: Noli negligere, quod in te est, charisma, ne per negligentiam ac desidiam indigni prædicatione verbi Dei simus.* Vides, vt posse perdi gratiam semel acceptam, ex testimonio Pauli intellexit?

Ambrosius c. 4. Apo. Dau. exemplo Dauidis, Samsonis, Iephte, Aaron, probat alicubi hanc egregiam sententiam: *Culpam incidisse, natura est: delesse, virtutis.* Vbi & stantes posse cadere, & lapsos posse resurgere, palam docuit.

Hieron. Hieronymus ex statim citatis Salomonis verbis & Ecclesiastici, sic colligit: *Quandiu viuimus, in certamine sumus: & quandiu in certamine, nulla est certa victoria.* Et ibidem tractans illa verba Micheæ, *Indicabo tibi ò homo, quid sit bonum, & quid Dominus quærat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam & solicitum ambulare cum Deo tuo*, sic scribit: *Nunquid dixit, Habeto æqualitatem Dei: & non hoc, quod maximum est, solicitum ambulare cum Deo tuo? Vt nunquam securus sis, vt omni obseruantia custodias cor tuum, vt consideres, quoniam in medio laqueorum ambules & sub murorum pinnis ingrediaris, vt illud quotidie mediteris: Iuxta semitam scandalum posuerunt mihi. Superbis enim resistit Deus, humilibus autem dat gratiam. Qui cautus & timidus est, potest ad tempus vitare peccata: qui securus est de iustitia sua, repugnat Deo: illiusque auxilio destitutus, insidijs hostium patet.* Hæc ille. Mich. 6. Psalm. 139 Iacob. 4

Contra Vigilantium. Et alibi: *Monachus vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum, qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur. Vnde & mulierum, maximeque adolescentularum vitat adspectum, & intantū castigator sui est, vt etiam, quæ tuta sunt, pertimescat.* Et statim, ideo monachos in eremū fugere, quia nulla securitas est, vicino serpēte, dormire.

Augustin. libro de bono perseuerantiæ, cap. 8 sic scribit: Hominib⁹ videtur, omnes, qui boni apparent fideles, perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdā non perseueraturos, certo numero sanctorum suorū, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Et cap 13. ex hoc ostendit, inchoandi & vsque in finem perseuerandi gratiam, nō secundum merita nostra dari, quia ex regeneratis alij quidem perseuerantes hinc exeunt, alij quousque decidant, hic tenentur: alij vero iam lapsi, quousque in gratiam Dei redeant, non permittuntur exire de hac vita.

Gregorius 1. Mor. cap. 40. in illa verba, *Sic faciebat Iob cunctis diebus: Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur: quia & frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat, deficit. Hinc est enim quod de reprobis dicitur Væ ijs, qui perdiderunt sustinentiam. Hinc electis suis veritas dicit. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Hinc Ioseph qui inter fratres vsque in finem iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ terminū nos tegit. Hinc est quod per Moysem caudam hostiæ in altari offerre præcipimur, vt videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseuerantiæ fine compleamus.* Hactenus Gregorius. Eccles. 2. Luc. 22. Gene 37.

Et 34 Mor. cap. 10. reprobos hac ratione non sibi, sed electis viuere ostendit, quia dum electi eorum lapsum conspiciunt, de suo statu contremiscunt: & ruina, quæ illos damnat, istos humiliat. Et in quadā homil. In conuiuio nuptiali non initium, sed finis quæritur. Nam non solutus est à debitis, qui multa, sed qui omnia dedit. Et Lib 5. super 1. Reg. cap 3. propterea væ prædictum esse dicit ijs, qui perdiderunt sustinentiam, quia non solum incepti laboris mercedem perdunt, sed etiam apostatatus sui pœna feriuntur.

Anselmus in hunc sensum exponit verba Pauli Tim. ad quæ dilucide totū, quod volu-

volumus, confirmant: *Si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, ille negabit nos.* Neq; aliter quæ ad Hebr. *Nolite amittere confidentiã vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem.* Et frustra sane Paulus patientiam necessariam esse asseruisset, & ad eam cohortatus esset, & negantes Christum, negandos ab eo pronunciasset, si non possent iusti, victi malis & aduersitatibus, negare Christum, & patientiam amittere, atque ea ratione à Dei gratia excidere.

1. Tim. 2. Heb. 10.

Bernard. in lib. de præcep. & disp. in multis ostendit se certum fuisse, iustitiam posse à iustis amitti & reparari, & inter alia dicit: *Præceptis instituitur vita contra peccatum, remedijs restituitur post peccatum innocentia.* Et addit continuo hoc notatu dignum: *Solum censuerim fregisse votum, qui & præceptum contempserit, & remedium. Nam illum sane dico securum qui etsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ.* Hæc Bernard.

Atque idem nobiscum sensisse Doctores Græcos, liquere potest ex Chrysost qui causam Christi verborum, *Qui perseuauerit vsque in finem, hic saluus erit*, hanc reddit: *Quia incipere, multorum est: finire vero, paucorum.* Et subdit continuo: *Semper in principio dilectio est, in fine probatio. Nemo enim circa Deum vsque in finem potest perseuerare, nisi qui propter Deum tantummodo factus est Dei. Omne enim quod propter carnem fit, corporale est, quemadmodum & caro ipsa temporalis est: quod autem propter Deum fit, æternum est sicut & Deus æternus est. Cor bonæ fidei, est exitus bonus: quia non incipere aliquod bonum, gloriosum est: sed finire. Nam quod incipit, corporis voluptas est frequenter: quod autem finit, virtus est animi. Nam frequenter concupiscentia carnalis incipit bonũ, sed nõ finit nisi gratia Dei.* Hæc Chrys.

Chrys. hom. 24. in Mat.

Et subscribit Theophylact. vt assolet. Sic enim interpretatur Pauli verba, *Si sustinebimus & conregnabimus: Neque enim satis est, vt semel quis morti se offerat, sed semper id agat necesse est. Inquit enim: Quotidie morior. Est itaque patientia opus, vt queat quis euadere nobiscũ, & eo euadere, vt regnum cœleste adipiscatur.* Et eadem fermè repetit in illa verba Christi, *Qui perseuerauerit &c.* & in verba Apostoli ad Timoth. & ad Hebræ. mox citata. Et quia necessaria est omnibus perseuerantia in bono vsque ad mortem, & in hac vita nulla est securitas, vniuersa toto orbe dispersa Ecclesia edocta à Christo & ab Apostolis, filios suos omnes adhortari nunquam cessat, vt sobrij sint & vigiles, & armaturam Dei iugiter accipiãt, vt possimus stare aduersus insidias diaboli, qui tanquam leo rugiens circunquaque nos circuit, quærens quem deuoret.

Et ne quisquam de veritate ista dubitaret, iam olim prouisum fuit per Ecclesiam, damnato propter hoc Iouiniano à Sede Apostolica Romæ, & in Aphrica à Concilio quodam Aphricano.

Et in Concilio Lateranensi sub Innocẽtio 3. satis aperte significarunt Patres, posse iustificatos gratiã perdere, istis verbis, quæ habentur in capitulo Firmiter, de summa Trinitate & fide Catholica: *Et si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam potest semper reparari.* Hæc ibi.

Et cum ex actis ipsius Concilij Constantiensis constet, reprobatos esse in ipso ducentos sexagintasex articulos Ioannis Vuiclefi, dubitandum non est, quin & inter illos hic quoque, contra quem nunc disputauimus, fuerit damnatus. Nam diligentissimus scrutator & impugnator errorum ipsius Thomas Vualdensis, in libro de sacramentis, c. 156. eum illi imputat.

Habendaque est tanto viro fides, licet in actis Concilij Constantiensis & hic quoq; error, sicut & multi alij, præteritus sub silẽtio sit. Verũ est tamen, quod Ioannem Hus addictissimum ipsius discipulum ex eisdem actis possimus colligere, non fuisse secutũ i errorem Vuiclefi. Nam quamuis dixerit Paulum nunquã fuisse membrum diaboli, tamen expresse confessus est, præscitum, aliquando in gratia esse secundum præsentem iustitiã. & prædestinatũ excidere nonnunquam à gratia, quã dicebat, aduentitia, sed non excidere à gratia prædestinationis, à qua vna, secundum eũ, constabat vnitas Ecclesiæ: quia solam vniuersitatem prædestinatorum, credebat esse Ecclesiam.

Quanta vero hæc erat repugnantia.

quanta

Absurditas erroris Ioannis Hus. quanta absurditas, admittere præscitos esse in gratia secundum præsentem iustitiam, & tamen non concedere, eos esse partes Ecclesiæ? Certe hoc nihil aliud erat, quam asserere cum Vuiclefo, eos nunquam habere veram gratiam. Nam si vera esset, faceret nimirum eos partes ad tempus Ecclesiæ. Vnde Cyprianus, Augustinus, & quædam iuris pontificij definitiones, aperte dicunt, extra Ecclesiam nõ esse salutem. Quod non solum ad consummatam beatorum salutem referendum est, sed etiam ad salutem quæ constituit hominem in statu gratiæ, & à morte peccati mortalis eripit. Sed hæc satis sunt, vt verissimá esse nouerimus & à Christo Apostolisque ipsius, & à tota Ecclesia traditam & perpetuo retentam primam capitis 12. diffinitionem, qua asseritur, iustificatos posse etiam in perpetuum amittere suam iustificationem, neque iustificatos omnes esse prædestinatos, neq; ediuerso prædestinatos esse semper iustificatos. Vt autem partes defensoris ad plenum expleamus, ad ea iam respondebimus, quæ pro hæreticis cõtra ista afferri possunt.

CAPVT VIII.

De verbis Ioannis quæ videntur Iouiniano fauere.

Obiect. 1. POTISSIMVM quidem argumentum, quod pro Iouiniano torqueri in nos potest, ex verbis Ioannis est. Ait enim ille: 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Et non contentus sic vniuersaliter & indistincte asserere, peccatum non facere natis ex Deo cõtinenter adijcit: *Et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Et vt omnibus conspicuum esset, natos se ex Deo vocare omnes iustos, statim subiecit: *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo.* Et in eandem sentẽtiam addidit postea: *Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum.* In quibus verbis videtur potuisse Iouinianus aduersum nos exultare. Nam & Ioannes perinde aperte dicit iustos non posse peccare, ac ipse hoc asserebat Iouinianus. Quin & causas exposuit Ioannes, ob quas iusti neque admittunt neque admittere queunt peccatum: Quoniam ex Deo, inquit, nati sunt: Quoniam semen illius in ipsis manet: Quoniam generatio Dei conseruat illos, idque non vtcunque, sed ita fortiter & omni ex parte circumamiciens eos & protegens, vt malignus non tangat eos. Atque hac de causa ibidem dicis, *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum, quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo.* Quod si à maligni insidijs iusti sunt tuti, neque illius fraude aut instinctu flecti queunt ad peccata, erunt & ab alijs causis securi, quæ illicere ad ea nos solent & impellere: leuissimæ quippe omnes illæ sunt, si quidem ad dolos, artes, astum, rabiem, malignitatem, & potentiam diaboli conferantur. Neque vacant suo pondere illa verba: *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.* Si enim vtrique admittere valent peccatum, non erunt ergo peccata argumentum satis idoneum ad dignoscendum filios Dei á filijs diaboli. Quod enim aliquos inter se discernit, commune vtique illis non est.

Potest & vrgentior fieri hæc obiectio ex illis verbis eiusdem Ioannis: Confirm. 1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt*, subaudi Antichristi, *sed non erant ex nobis.* Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. Hic videntur à Ioanne asseri, ex nobis non esse, qui nobiscum non perseuerant: & vel eo nomine manifestum nobis esse posse, aliquos nunquam fuisse ex nobis, quia à nobis tandem recesserunt. Quare cum iusti proculdubio sint ex nobis, & vnius nobiscum corporis partes, quoàd in fide & iustitia persistunt, qui fuerint vere iusti, à nobis recedere non poterunt: & qui recedũt, speciem quidem iustorum habuerint, reuera tamen iusti non fuerint.

Quod si pro meritis testimonia hæc Ioannis expendantur, non Iouiniano duntaxat fauere videbuntur, sed etiam Vuiclefo: Quoniam si natus ex Deo, peccare non potest, omnis igitur ex Deo natus, prædestinatus est, & beatitudinẽ habebit & nullum

lum vnquam in eo erit lethale peccatum. Etsi, qui recedunt à nobis, nunquam fuerũt ex nobis, & omnes, qui sunt ex nobis, permanent nobiscum: nunquam ergo præsciti sunt ex nobis, licet videantur esse ex nobis: Quia par omnino est ratio, quo ad hæc, de recessu à nobis per apostasiã, siue defectionem à fide, & de recessu à congregatione iustorum per iniustitiam. Nam si perseuerantia in fide requiritur, vt quis censeatur fuisse de gremio fideliũ, requiretur & perseuerantia in iustitia, vt quis existimetur fuisse de societate iustorum. Etsi vera fides coniunctam habet secum perseuerantiam, habebit etiam & gratiam. Etsi gratia illam non habet annexam, neque habebit fides.

Atque his posterius ex Ioanne citatis innitebatur (opinor) Ioãnes Hus, qui omnes & solos prædestinatos membra esse Christi & Ecclesiæ, asseruit. Prioribus vero vtebantur Pelagiani, vt colligi potest ex Hieronymo lib. 1. aduersus illos, vt conficeret, iustos posse deuitare omne peccatum.

Respon. Verum nulli istorum hæreticorum, sensum Ioannis assecuti sunt. Neque mirum. Tollit namq; aliquando se Ioãnes vt aquila, multo sane altius, quam vt ab oculis repentinis hæreticorum possit comprehendi.

Et Pelagianis quidem bene obijcit in eo loco Hieronymus, necesse esse, si in eum sensum verba Ioannis exponant, paruam Euangelistæ epistolam sibi esse contrariã. Quandoquidem Ioannes ipse in ea dicit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et mox: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

1. Ioan. 1.

Quod si opposueris, qua re dixerit, Et non potest peccare, quia ex Deo natus est: audies, inquit, Et vbi erit præmium voluntatis? Si enim ideo non peccat, quia peccare non potest, liberum tollitur arbitrium, & nequaquam nostrum fiet, sed naturæ bonum, quæ præcepta non capiet. Hæc ille.

Et manifestum est in illis verbis quibus maxime potuerunt niti Pelagiani, maxime Ioannem eis aduersari. Non enim ad libertatem arbitrij iustorum refert, exitationem peccati, sed ad natiuitatem & generationẽ diuinam, eos conseruantem & tuentem. Iustitia quippe nostra, sicut ibidem dicit Hieronymus, non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia. Et hæc hominis summa est iustitia, quicquid potuerit habere virtutis, non suum putare esse, sed Domini, qui largitus est.

Resp. 1. ad Iouin. & Vuiclefu. Et Iouinianus & Vuiclefus nihil amplius ex eisdem habere possunt, quam, iustos neque peccatum admittere mortale, neque posse admittere, quandiu in iustitia & adoptione Dei perseuerant, & semen Dei, hoc est gratia, in illis permanent. Non enim ait Ioannes, iustos, siue ex Deo natos, iustitiam suam, seu natiuitatem diuinam amittere non posse. Non hoc profecto vsquam dixit. Si id sensisset, nunquam dixisset: Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in filio & patre manebitis. Et statim: Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, in vobis permaneat. Et sicut docuit vos, manete in eo.

Quorsum ad permanendum in gratia & doctrina accepta exhortatus fuisset, si perdere illam non possumus? Et multa alia ibidem legimus, ex quibus patet, Ioannem certum fuisse, posse à iustis perdi gratiam acceptam, nisi diligenter insu gilent caritati, & amori fratrum, & vniuersorum mandatorum obseruantiæ. Cum ergo ait, natum ex Deo, peccare non posse: sensus est, vt & ante nos Augustinus tract. 5 in hanc epistolam Ioannis, & authores glossæ ordinariæ, & interlinearis, & Nicolaus, & alij exposuerunt, stare simul non posse natiuitatem diuinam, & peccatum lethale. Nam de hoc viro ibi loquitur, quia de peccato veniali nõ diceret, quod ibi legimus: *Omnis qui peccat, non videt Deum, neque cognouit eum.* Et statim: *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Itaque vt verbis dialecticis & Scholasticis vtamur, non in sensum diuisum hæc verba accipienda sunt, quasi sensus Ioannis sit, iustos neque admittere posse peccatum, quo iustitiam suam perdant. Sed accipienda hęc sunt in sensum compositum, ita vt sensus sit, non posse iustitiam, seu natiuitatem di-

Impossibilia dicuntur in Scriptura, quæ tãtum sunt impossibilia in sensu composito.

Qqq uinam

unam stare cum peccato. Quem in sensum interpretatur Hieronymus illa verba Christi: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Nam sensus est, ait: Quandiu est arbor mali, ab ea non potest prodire fructus bonus. Necessarium est etiam, sic in sensum compositum accipere, quæ Paulus dicit de animali homine, nempe quod neque percipiat, neque possit intelligere, quæ Dei sunt. Intelligendum quippe hoc est, quandiu ab animali non transierit, & commutatus fuerit in spiritalem. Nec alius est sensus verborum Christi: Nemo potest duob. dominis seruire. Significauit quippe nobis impossibile esse, vt simul quis duobus dominis seruiat. Nam diuisim potest quiuis duobus dominis seruire, videlicet pro diuersis temporibus. Et ipse Hieronymus in principio primi dialogi contra Pelagianos, hanc expositionem innuit. Obijcienti namq; Critobulo hæc verba Ioannis, vt probaret, posse hominem esse sine peccato, ipse vicissim obijcit eundem Ioannem, dicentem: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt dimittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Atque vt obiectum exponat testimonium, & simul referiat aduersarium, e vestigio subnectit: Qui ergo natus est ex Deo, non peccat, quandiu semen Dei manet in eo, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Sed quia in agro Dominico, dormiente patrefamilias, inimicus homo Zizania superseminat, & frumento bono, dum nescimus, lolium, auenasque steriles sator nocturnus interserit, ideo parabola ista Euangelici patrisfamilias formidanda est, qui purgat aream, & frumento horreis condito, paleas ventorum flatibus dispergendas, & vrendas ignibus derelinquit. Vides quemadmodum in sensum compositum exponit? Quandiu semen Dei, inquit, manet in eo, nat⁹ ex Deo nō peccat.

Hier. in Mat. 7.

1. Ioan. 1.

Sed apertius & copiosius in principio libri 2. contra Iouinianum, eundem in sensum hæc exponit: Et vt non esset nobis ambiguus iste sensus, adiuncta sunt illa verba: Quoniam semen ipsius in eo manet. Et illa, Quoniam generatio diuina conseruat eum. Etenim hæc satis indicant sensum illorum verborum, quibus asseritur, natus ex Deo peccare non posse, hunc esse, quod iustus peccare nequit, quandiu in illo hæc perseuerant. Quæ enim communicatio luci & tenebris, Christo & Belial? Quomodo dies & nox misceri non queunt, sic neque iustitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Christus & antichristus. Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, ilico fugamus diabolum, & cum illo discedunt à nobis omnia peccata. Si peccauerimus, mox per peccati ianuam ingreditur ad nos diabolus, & protinus recedit Christus.

Et vt apertior hic sensus esset, præmiserat illa Ioannes statim: *Omnis qui manet in eo, non peccat:* Et mox subiunxit: *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.* Non tunc qui fuerunt, sicut perperam in argumento obiectabatur, sed qui sunt. Præsenti quippe tempore Ioannes vtitur. Et peccatum discernere non potest, qui fuerint filij Dei, & qui filij diaboli. Nam peccare possunt, qui fuerunt filij Dei, & qui fuerunt filij diaboli. Bene autem distinguit, qui actu sint filij Dei, & qui filij diaboli. Docet namq; tandiu nos in generatione Domini permanere, quandiu non peccamus. Quod vnum nostra interterat scire. Discernit autem hæc peccatum, quia peccatum nunquam est, nisi in filijs diaboli: & eo ipso quo peccatum in nobis incipit esse, desinimus esse filij Dei, & incipimus esse filij diaboli. Vnde & ibidem Ioannes ait: *Qui facit peccatum, ex diabolo est.*

Potest, qui voluerit, & aliter respondere ac dicere: Horum verborum, Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, & similium, sensum esse, secundum quod ex DEO nati sumus, & in Christo manemus, nos minime peccare: sed, secundum quod ex Adam nati sumus. Et hunc sensum sequitur Augustinus, epist. 95. Vbi ita dicit: Illud quod scriptum est, *Qui natus est ex Deo, non peccat:* secundum ipsam caritatem dictum est, quæ sola non peccat. Ad natiuitatem quippe, quæ ex Deo est, augenda & perficienda pertinet caritas. Et alibi sic putat debere exponi illa, Omnis q peccat, nō vidit

Resp. 2. ad Iouin. & vnclef.

diteum, neque cognouit eum: vt sensus sit, Secundum illam, ab sumendam infirmitatem ex Adam contractam, secundum quā peccamus, neminem cognouisse Deum. Nam & si aliquā vident per fidem peccatores id illi non habent ab Adam, sed à Christo. Et hanc Augustini expositionem necesse esset sequi, si etiam de peccatis venialibus accipienda essent verba Ioānis. Quod tamen nihil est necesse, vt perspicue ostendemus.

Resp 3 ad eosdē Bern. ser. 1. Sept. Licet & in Bernardo duas alias expositiones horum verborum difficilium legere: *Non peccat*, inquit, *qui natus est ex Deo, id est, non permanet in peccato, quia conseruat illum vtique. vt perire non poßit ea, quæ falli non potest, generatio cœlestis. Siue non peccat, id est, tantundem est, ac si non peccet pro eo scilicet, quod non imputatur ei peccatum. Generatio enim cœlestis etiam in hac parte conseruat illum.* Hæc Bernardus: Qui generationem cœlestem statim dilucide exponit, á se intelligi prædestinationem diuinam. Et ipse August. ca. 14. de na. & gra. refert & alias sic exposita esse illa verba, ac si diceretur: Qui natus est ex Deo, non debet peccare. Quis enim insanus dicat, debere peccari, cum ideo sit peccatum, quia non debet fieri? Quod vero dicit Ioannes, *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, &c.* tripliciter potest, & perquam commode, exponi.

Resp. 1 ad confirm. Primo dicere possumus, non negari á Ioanne posse aliquos à nobis recedere, qui prius fuerint ex nobis, & eiusdem corporis membra fide & gratia, sed hoc duntaxat asseri, neminem ab Ecclesia decedere, qui non & ipse prius suo animo ab ea se diuulserit & dissepatauerit. Nam qui non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret & permanet. Et quandiu é corpore Christi est, exire á nobis non potest, quia corporis integritas vniuersis membris constat, neque sibi sunt illa contraria. Atque hanc expositionē sequitur Augustinus tractatu 3. in primam Ioannis.

Resp 2. ad confirm. Secundo possunt referri hæc verba ad æternam prædestinationem. Sensusq; erit, Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis secundum æternam Dei prædestinationem. Prodeunt quippe ex nobis hæretici & schismatici, quia nostri fuerunt, non solum per communem creationem & propagationem & vocationem, sed etiam per communem regenerationem, renouationem, & iustificationem, & quia creati ab eodem DEO, & nati ex eodem parente Adam, & vocati ab eodem redemptore Christo, & iustificati per eundem baptismum sicut & nos, eisdem nobiscum sacramentis fruebantur, & eiusdem corporis mystici partes erant: sed ex nobis tamen non erant, quia non erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi ante mundi constitutionem, non erant in eo sortem consecuti, non erant in eo prædestinati secundum propositū eius, qui vniuersa operatur secundum consilium volūtatis suæ. Et in hunc sensum dicta hæc esse à Ioanne, docere videntur statim subiuncta: Nam si fuissent ex nobis, pmansissent vtique nobiscum. Nam vtiq; secundum præsentem iustitiā fuisse possunt ex nobis, qui non permanent nobiscum.

Quod vero Ioannes dixerit simpliciter & absolute, non fuisse ex nobis, quos sciebat potuisse sic esse ex nobis, mirandum non est. Possunt namque prophetæ illa affirmare aut negare, quæ norunt ita esse, aut non esse, siue secundum causas naturales, siue secundum supernaturales. Et sic scimus vere dixisse Ionam: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: & Esaiam ad Ezechiam, *Morieris tu, & non viues*: quia secundum merita Niniuitarum & Ezechiæ, ita erat iuxta communem ordinem & legem futurum. Id et secundum præscientiā Dei aliter. E contrario autem Christus vere dixit, *Non est mortua puella, sed dormit*: Quia licet mortua esset hominibus, & secundum causas naturales non esset amplius ab eo somno excitāda, tamē Deo nō erat mortua, sed velut dormiebat, ab eo statim potenti ipsi' virtute suscitanda. Qua ratione & alibi Ioannes filios DEI appellauit, quos sciebat nondum adeptos esse statum gratiæ, sed electos tamen á Deo, & tales tandem fore secundum æternum eius consilium. Atque istam expositionem citat Gratianus

Iona 3.

Esaiæ 38.

ex Augustino libr. de correct. & gratia, & eam licet legere in eodem capite 8. de bono perseuerantiæ.

Et hoc est arcanum, quod Ioannes docet quadantenus nobis manifestari ex eo, quod aliqui non perseuerant in fide nobiscum: Sed vt manifesti sint, inquit, quoniam non sunt omnes ex nobis. Certissimũ enim signum eorum, qui non futuri sunt secundum æternam Dei perscientiam partes Ecclesiæ iustorum, est, non permanere in fide nobiscum, sed tandem auulsos & alienos à fide nostra, vitam claudere.

Neque Ecclesia damnasset Ioannem Hus, si quidem asseruisset, Paulum semper spectasse ad Ecclesiam iustorum secundum æternam prædestinationem: & præscitum seu reprobum, nunquam secundum eam esse illius partem: sed propterea damnauit nonnullas illius circa hæc assertiones, quia, vt constat ex actis Consilij Constantiensis, Ecclesiam Catholicam ex omnibus & solis prædestinatis constare asserebat, & de il a vna esse articulum fidei contendebat, & absolute affirmabat, Paulum nunquam fuisse membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles: & præscitum nunquam esse partem sanctæ Ecclesiæ, & si aliquando sit in gratia secundum præsentem iustitiam. Ita vero oportet dicere, reprobos non spectare ad sanctam Ecclesiam secundum æternũ Dei consilium, vt tamen fateamur, eo ipso partes esse ipsius, quo sunt in gratia secundum præsentem iustitiam.

Reprobi sunt aliquando partes Ecclesiæ sanctæ.

Et sic concedendi sunt prædestinati semper spectare, secundum prædestinationem diuinam, ad Ecclesiam iustorum, vt tamen interim, dum sunt in peccato, fateamur, nõ solum fieri ab eis quosdam actus cõsimiles actibus Ecclesiæ malignantium, sed vere esse illos partes Ecclesiæ malignantium, & filios ac membra diaboli, neque esse partes Ecclesiæ, nisi sint fideles. Nam denominationes, quæ nobis conueniunt secundum æternam Dei prædestinationem, non tollũt eas, quas tribuit præsens iustitia, vel iniustitia. Immo cum absolute & simpliciter quærimus, qualis vnusquisque sit, bonus ne, an malus, filius Dei, an filius diaboli, pars Ecclesiæ iustorum, an pars Ecclesiæ malignantium, ad præsentem iustitiam vel iniustitiã spectandum in primis est, & iuxta huius vel illius præsentiã responsio est danda. Alioqui omnes prædestinatos licebit beatos & confirmatos in gratia absolute pronunciare, & reprobos omnes eadem ratione iam nunc dicere poterimus, damnatos esse & obduratos in peccatis. Si quidem tales sunt secundum æternam Dei præscientiam, cui, vt Hieron. Augusti. Gregori. & alij Doctores, communiter docẽt nihil est neque præteritum, neq; futurũ, sed omnia præsentia.

Si cui tamen non in totum satis faciat hæc communis expositio, quia Ioannes absolute & absque vllo temperamento locutus est, neque licent ista prophetali alias loquitur in epistolis, occurrit & alia fortassis aptior & commodior via elabendi hæreticorum obiectionem, & interpretandi hoc testimonium. Videtur quippe id ille spectasse, dum hæc diceret, quod semper ecclesia experta est in hæreticis. Qui prius quam aperte se proderent, & vt perfidi apostatæ parricidale ipsi bellum inferrent, iniquieti, superbi, arrogantes, inobedientes, seditiosi, & alijs id genus vitijs obnoxij, & à communibus bonorum Christianorum moribus longissime alieni deprehenduntur fuisse. Atque ideo dicit Ioannes, *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Ante suum enim à nobis manifestum recessum, iam illi vtcunque à nobis dissidebant. Nam si fuissent ex nobis, & non putrida iam membra, & ab ecclesiæ corpore diuisa, permãsissent vtique nobiscum, neque in tantum prorũpetent perfidiæ & sceleris, vt se ab ecclesia, quæ illos in Christo genuit, separarent.

Responsio ad Contr.

Neque nostra authoritate sic Ioannem interpretamur: gloriosus ille martyr Cyprianus, de simplicitate prælatorum, ita videtur intellexisse verba ista. Cum enim Spiritum sanctum in columbæ specie venisse super Christum doceret, vt indicaret non aliam se domum inhabitaret, quam eam, quæ pacem, concordiam, & vnanimitatem coleret, ita inter alia subdit: *Hæc est in ecclesia noscenda simplicitas, hæc caritas obtinenda, vt columb.ias*

dilectio fraternitatis imitetur, vt mansuetudo & lenitas agnis & ouibus æquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum lethale serpentum, & cruenta sæuitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi sæua sua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo æstimet bonos de ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apostolus, dicens Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis mansissent nobiscum. Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem. Hæc Cyprianus.

Ex quibus perspicuum est, sic eum, vt diximus, verba Ioannis intellexisse. Est que hoc nimirum rationi valde consentaneum: quia sicut nemo repente fit summus, ita nemo repente fit turpissimus: nec tantum quis sacrilegium committeret, vt ab ecclesia recederet, nisi prius minoribus vitijs sponte sua consensisset. Quod & idem eleganter Lib. 2. epi. 8. in Nouato ostendit in quadam epistola ad Cornelium: Vbi de omnibus in vniuersum hæreticis, ne miremur eorum ab ecclesia discessum, sic scribit: *Feruntur semper mali suo furore dementes & postea quam scelera fecerint, conscientia ipsa scelerata mentis agitantur. Neque remanere in ecclesia Dei possunt, qui deificam & ecclesiasticam disciplinam, neque actus sui conuersatione, neque morum pace tenuerunt.* Et infra in hoc propositum erudite inducit verba Christi, *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Et addit, *Qui plantatus non est præceptis Dei patris & monitis, solus poterit de ecclesia ille discedere: solus Episcopis derelictis cum schismaticis, & hæreticis in furore manere.*

CAPVT IX.

Non repugnat prædestinatio inimicitiæ ad tempus, neque gratiæ temporariæ reprobatio.

ERROREM autem Vuiclefi, asserentis prædestinatos semper esse in Dei gratia, & reprobos nunquam ad eam peruenire, inde præcipue confirmare quis potest, quod Deus semper vult prædestinatis dare suam gratiam & gloriam, semper vult illos beare & magnificare, & ad suum consortium admittere, & participes ac consortes suæ gloriæ in perpetuum facere. Reprobos vero semper Deus voluit, & vult procul à se & à sua præsentia habere, & grauissimis iisque perpetuis mancipare & mulctare pœnis. Quare & hi semper videntur esse in Dei odio, & illi in ipsius gratia. Non enim videtur esse locus gratiæ cum tanto & tam firmo, & tam inueterato reproborum omnium odio. Neque inimicitia videtur posse habere locum cum eximia illa, æterna, firmissima & immutabili dilectione, qua Deus in electos omnes afficitur. Obiect. 1.

Verum aliud est, vt statim dicebamus, quod alicui competit ab æterna Dei prædestinatione vel præscientia: aliud, quod à præsenti iustitia vel iniustitia. Et prædestinatos non ideo dicimus quandoq; esse extra gratiam Dei, quod sit aliquod tempus, in quo Deus non eos diligat, neque suam gratiam & gloriam eis velit impartiri. Quãuis possit Deus nunquam prædestinasse, quos prædestinauit, & ipsi prædestinati propter sui arbitrij libertatẽ possint facere, vt nunquam fuerint prædestinati, tamen ipsam Dei prædestinationem, firmam, certam, æternam, perpetuam, & incommutabilem esse scimus. Et quoscunque ille prædestinauit, semper voluit, & vult, & in æternum volet participes suæ gratiæ & gloriæ facere. Sed propterea dicimus, nonnunquã illos extra gratiam esse Dei, quia habent vel faciunt aliqua, quæ vsque adeo diuinæ maiestati displicent, vt quandiu ea in illis perseuerant, neque gratiam suam velit pro- Respons.

eo tempore eis impartiri, neque dignos sua amicitia & familiaritate eos habeat, quin potius tanto ipsos odio prosequatur, vt, si quidem in eis illa durauerint, & cum eis vitæ huius curriculum absoluerint, perpetuis eos velit addicere & punire pœnis. Et hoc odium cum illa dilectione non repugnat, quia ad diuersa referuntur tempora, odiũ ad præsens, dilectio ad futurum.

Non repugnat temporaria dilectio cum æterno odio, nec contrà.

Et dilectio etiam absoluta est, odiũ vero respectu æternarum pœnarum, dũtaxat conditionatum. Et dico respectu æternarum pœnarum, quia aliquod est etiam in Deo absolutum odium in prædestinatos, cum sunt extra ipsius gratiam. Sed id non est respectu æternarum pœnarum, sed duntaxat respectu illarum, quibus Deus etiamnum omnes peccatores castigat, auferendo ab eis suam gratiam, & indignos eos cẽsendo sua familiaritate & præsentia, & alijs bonis, quibus prosequi solet & honorare omnes iustos. Et eadem prorsus ratione, reprobos dicimus nonnunquam esse in gratia Dei, quia licet semper Deus velit eos æternis inferni aut limbi pœnis punire propter peccata, in quibus scit eos tandem de hac mil.tia discessuros, tamen interim pro sua summa misericordia & benignitate, eos ad suam gratiam & familiaritatem admittit. Et quia personarum acceptor non est, & affectus, non personas respicit, & præsentia iudicat & spectat, non futura, quandiu illi in fide & amore ipsius persistunt, & ipsius sunt beneuolentiæ & beneficentiæ non ingrati, eisdem illos beneficijs & muneribus, & spiritalibus, & temporalibus, honestare & exornare non cessat, quibus iustos alios, quos ad suam gloriam prædestinauit.

Quin & hoc animo in illos est, & hoc amore eos tametsi reprobos prosequitur, vt si quidem in obseruantia mandatorum vitam clauserint, etiam vitã eis donet æternam, & faciat, quod & suæ potestati subest, vt & ab æterno illos prædestinauerit. Et ista iam fundata in scripturis docuimus. Nec enim nouimus ita libere, vt nobis calũniantur hæretici, de rebus præsertim diuinis, & hoc ipso profundis & absconditis, philosophari. Mos hic est hæreticorum. Nam eodẽ in vitio illos sæpe manifeste deprehenderis, quod nobis præter ius & fas obijciunt. Verum vltra scripturæ authoritatem, quæ sola Christiano sufficere deberet, certe ratio etiam naturalis, quæ & ipsa à Deo est, perinde admonet de diuina benitate sentire. Officium est iusti iudicis, præsentia iudicare, non futura. Officium boni & æqui dispensatoris & gubernatoris est, præsentia spectare vel bona, vel mala merita: & quo quisque sit merito; non quo futurus est, despicere. Officiũ est boni & liberalis amici, imò probi cuiusuis, & ciuilis hominis, præsentibus capi & deliniri officijs, neq; irritari, aut ante tempus exacerbari successuris in posterum diffidijs. Et si nos futura, iuxta ac Deus, nosceremus, certo videlicet, distincte, clarissime, & infallibiliter, non minus deberemus præsentibus nos accommodare, quam nunc.

Mos hæreticorum.

Argum. 1.

Et prouidos alioqui parentes scimus sæpe ab se ablegare & amandare filios suos, præsentibus ipsorum peccatis prouocatos & offensos, quamuis, quæ illorum bona indoles appaiet, dubium eis non sit, bonis se postea eorum operibus alliciendos, vt & in suam gratiam illos accipiant, & suorum omnium bonorum participes & hæredes faciant. Et in eundem modum prouidentissimos sæpe homines videmus præsentibus nominibus & rationibus commotos, & inire nonnunquam, & tueri amicitias cum hominibus, quos sibi non omnino infirmis cõiecturis verisimiliter credunt perfidos & fœdifragos futuros. Et tandiu illis pro sua bonitate & iustitia inuiolatam fidẽ & amicitiam seruant, & quæ officia sunt amicorum, eis præstant, quandiu ipsi in pacta & iurata fide persistunt.

Argum. 2.

Et lumen certe naturale exigit, vt perinde nos in alios geramus: neque icta fœdera, aut initas amicitias violemus, nisi malis prius aliorum operibus prouocati, quicquid nobis in futurum non omnino falso, aut ex diuina reuelatione, aut prouidentia quadam humana de ipsis persuadeamus.

Argum. 3.

Et sicut in his stare possit præsens amicitia cum odio in futurum, & in benignis paren-

parentibus præsens odium filiorum cum dilectione pro tempore venturo, ita ipsa ratione naturali docemur, posse prædestinatos extra gratiam Dei esse ad tempus, propter mala aliqua præsentia ipsorũ merita: & præscitos è diuerso, in eius esse gratia propter nonnulla bona sua merita.

Quanquam enim Deus pro sua incomparabili bonitate & clementia, solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, & benefi ijs permultis omnes etiam male de se meritos prosequitur, & præclara sibi obsequia præstanda, sua benignitate quandoque præuenit, quæ & nos, quantum possumus & assequimur, prorsus imitari par esset, tamen in beneficio suæ gratiæ seu amicitiæ, hanc legem inuiolatam seruare nouimus, vt nemini eam vel neget, vel impartiatur, nisi iuxta ipsius præsentia vel bona, vel mala merita. Nam hoc est iusti iudicis officium & æqualis omnibus imperatoris & administratoris vniuersi.

Et hac re maxime intelligimus diuitias caritatis & clementiæ ipsius, quantopere omnes velles saluos facere, vt que ab omnibus participari & possideri percupiat. Nihil igitur impediunt argumenta hæreticorum, quominus incunctanter omnes assentiamur & prædestinatos nonnunquam esse extra gratiam Dei, & iustificatos quosnis posse, dum hic viuunt, ab ea excidere, ac tandem reprobari & condemnari, nisi speciali priuilegio Deus aliquos in sua gratia confirmauerit, sicut communiter scholastici Theologi credunt de Apostolis à die Pentecostes, & iam olim traditũ est à Cyrillo 9 in Ioan 29. *Non turbetur cor vestrum. Nondum ai, inerat Apostolis ne cadere possent, quod postea superiore virtute roborati, id est, Spiritus gratia muniti, habuerunt.*

CAPVT X.

Nemini posse suam ipsius prædestinationem, seu perseuerantiam constare, nisi per diuinam reuelationem.

ET vel hoc vno argumento certæ deberent esse omnibus, & indubitatæ secundæ cap. 12. & 13. diffinitiones de incertitudine prædestinationis & perseuerantiæ. Nam neque nostra potest nobis per fidem absque Dei reuelatione iustificatio constare, quemadmodũ lib. 9. copiose disseruimus, & vbi illa constaret, cui certum esse possit, in ea se pe seueraturum vsque ad mortem, cum permulti insignes & præstantes viri, vt ex statim dictis liquet, ceciderint, & ne nimimum quidem sit huius vitæ tempus, in quo non possimus iustitiam omnem nostram amittere? Possunt sane incertitudinem istam confirmare omnia, aut certe pleraque ex illis quibus & ex scripturis, & ex vnanimi consensu Doctorum luculenter docuimus, nullam satis tutam aut securam esse, in hac vita stationem, neque certam esse cuiquam mortalium suam victoriam, sed necesse omnino esse, vt solicite semper & studiose obseruationi mandatorum intendamus & inuigilemus, si peruenire debeamus ad coronam. *Incerta omnibus sua perseuerantia, nisi Deus eam reuelet.*

Vt tamen omnia firmiora & communitiora sint, subijciam aliqua, quæ peculiaria huius loci sunt. *Ne glorieris*, ait Salomon, *in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* Si ignotum est, quid de nobis crastina luce fiet: multo magis ignotus erit totus vitæ nostræ decursus, incertumque procul dubio cuius erit, quid de se futurum sit in æternis illis seculis, quæ post huius mundi transitum succedent. Et si gloriari nemini licet de præsenti felicitate, quod ea facile in diuersum mutari potest, nequit ergo sua cuipiam perseuerantia certa esse. Quid prohiberet etiam in Domino gloriari de nostra in ipsius obedientiæ perseuerantia, si de ea certi esse aliqua ratione possemus? An non sancte gloriabatur Paulus in infirmitatibus suis, in visionibus, in reuelationibus? Cur igitur minus liceret nobis gloriari in nostra perseuerantia, si eam certitudinẽ de ea haberemus? Equidẽ Christus hanc gloriã & exultationẽ non tantum non prohibuit, sed cõsuluit etiam, & laudauit in illis, qui eã per ipsius reuelationem habere potuerunt, ab eo nimirum audientes: *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* *Argum. 2.* *Prou. 28.* *Luc. 10.*

Non

Argum. 2. Non tamen contentus fuit Salomon omnem gloriam interdicere, ſed pleniſſime ſciens, tantæ certitudinis felicitatem non poſſe mortalibns contingere, ad timorem & pauorem omnes rurſus cohortatur, dicens: Prou. 28. *Beatus vir qui ſemper eſt pauidus.* Quod ſi ſemper eſt timendum, nunquam igitur quis poteſt hic eſſe de ſua prædeſtinatione ſeu perſeuerãtia ſecurus. Nam vtique pauor & ſecuritas ex diametro pugnãt Etſi beatus, qui ſemper eſt pauidus, vel hoc ipſo longe quis erit à beatitudine, aut certe longe ſe faciet, qu timoris omnis expers, certum ſe putat, & omnino ſecurum de ſua beatitudine.

Argum. 3. Et vt tandem præcipitem iſtam & temerariam de noſtra beatitudine præſumptionem, ab animis omnium auelleret, & impoſſibilem eſſe mortalibus tanti arcani certitudinem, apertiſſimum Salomon faceret, tertio adiecit, & de omnibus etiam iuſtis & ſapientibus abſolute & indiſtincte pronunciauit: Eccle. 9. *Neſcit homo an odio, an amore ſit dignus* P. ofecto qui ſciret ſe prædeſtinatum eſſe, ſciret ſe apud Deum d gnum eſſe habitum, qui ab ipſo amaretur. Atque vt nullus tergiuerſandi locus ſit, vide, quid mox adijciat: Sed omnia in futurum ſeruantur incerta. Si omnia, quanto m agis perſeuerantia? quantò magis occultiſſimum diuinæ prædeſtinationis myſterium? Et ne putes ex proſperis aut aduerſis vitæ ſucceſſibus, hæc poſſe ſatis colligi, vniuerſa eueſſigio docuit ęque euenire iuſtis & impijs bonis & malis, mundis & immundis.

E merito Bernardus ſerm. 1. ſeptuag. vel vnum, hoc ſcripturæ teſtimonium ſufficere putauit, vt nemo ſibi citra Dei reuelationem ſcientiam ſuæ prædeſtinationis vel perſeuerantię arrogaret. De cœleſti electorum generatione ſic alicubi ediſſerit: *Sed generationem iſtam quis enarrabit? Quis poteſt dicere: Ego de electis ſum: Ego de prædeſtinatis ad vitam. Ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere poteſt . reclamante ſcriptura: Neſcit homo, an amore dignus ſit, an odio? Certitudinem vtiq; non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos. ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur.* Hæc ille. Et vſus eſt eodem teſtimonio ad confirmandum, certitudinem nobis eſſe omnino negatam, ſermone ſecundo in octaua Paſchæ, & ſerm. 5. dedicationis Eccleſiæ.

Argum. 4. Et quæ iſta imprudentia eſt? Incerti ſemper ſumus & ambigui, quid poſt paululum volemus, quid probabimus, quid placebit. Hæremus animi, hæſitamus fluctuantes, pendemus iugiter, neque eſt qui ſatis certo ſciat, quid in proxima hora de ſe ſtatuet: & audet quiſpiam certitudinem ſibi de ſua beatitudine polliceri? Ipſa ſatis noſtri arbitrij libertas, ipſa naturæ noſtræ inſtabilitas, & perpetuis viciſſitudinibus & alternationibus obnoxia conditio, ipſæ carnis, mundi & dæmonis inges & irrequietæ pugnæ ac moleſtiæ, dehortari nos poſſunt ab inſipienti iſta & cæca temeritate. Enimuero qui iſtam certitudinem poſſibilem nobis volunt defendere, non tantum ſcripturas ſacras, & earum explanatores, ſed & ſeipſos mihi ignoraſſe videntur. Quam ſæpe in agro Dominico, dormiente patrefamilias, inimicus homo Zizania ſuperſeminat: & frumento bono, dum neſcimus, lolium, auenaſque ſteriles nocturnus ſator interſerit? Quam frequenter corruiſſe, & collapſos eſſe legimus, audiuimus, ſciuimus viros alioqui ſanctitate & pietate eximios?

Sed ſuper omnia deterrere omnes habet ab ſtulta iſta & ſuperba prædeſtinationis ſuæ & perſeuerantiæ certitudine, altitudo & profunditas conſiliorum diuinorum. Vnde ſcis ô homo, in hac tanta præſertim caligine, in his tantis tenebris, in hac tanta vitæ huius ignorantia, conſilia & placita Dei de te, quæ vt liberrima, ita & abditiſſima ſunt, ac plane inſcrutabilia? Si non poſſumus certo ſcire, quam perpetuo in nos habiturus eſt voluntatem vel rex, vel prælatus noſter, vel parens, vel amicus, vel ſeruus neque denique vllus proximus: quanta inſipientia eſt putare, poſſe nos ſcire, quid de nobis in perpetuum facere cogitauerit & ſtatuerit ille, cuius iudicia ſunt incomprehenſibilia, & viæ inperueſtigabiles?

Argum. 5. Eleganter profecto & erudite Gregor. 30. Mor. 32. c. cum dixiſſet Dominus S. Iob,

alijs quidem produci Luciferum, alijs vero consurgere Hesperum, ne perscrutari homo occulta Dei iudicia audeat, subiunctum
Iob. 38 ilico putat: *Nunquid nosti ordinem cæli, & ponis rationem eius in terra?* Quia supernarum dispositionum occultas prædestinationes nullus in hac vita positus intueri valet, neque ante humana corda talium secretorum causas aperire sufficit. Et cum multis exemplis imbecillitatem hanc nostram luculenter probet, tandem ad id, quo de agimus, descendens: Quis intelligat, inquit, quod alius Catholicæ matris ventre editus, iuxta vitæ terminum, erroris voragine deuoratur, alius aut vitam suam in Catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia, cum lacte matris hauserat virus erroris? Quis ista iudiciorum cælestium secreta discutiat? Quis intelligat discretam lancem æquitatis occultæ? Ad cognoscendos istos iudiciorum secretorum sinus nullus ascendit. Dicatur ergo homini, vt se nescire cognoscat: nesciendo enim vero se cognoscat, vt timeat: timeat, vt humilietur: humilietur, ne præsumat in se: non præsumat in se, vt conditoris sui auxilium requirat: & qui in se fidens, mortuus est, authoris sui adiutorium appetens, viuat. Audiat itaque vir iustus iam quidem se sciens, sed adhuc, quæ supra se sunt, nesciens. Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationes eius in terra? Idest, nunquid occultos ordines iudiciorum cœlestium comprehendis, aut aperire humanis auribus sufficis?

Et doctissime idem Gregorius lib. 6. in Reg. hoc ipsum alibi colligit, & omnia quæ
Ioan. 3. hactenus in hoc libro docuimus, ex verbis illis Saluatoris approbat: *Spiritus, vbi vult, spirat: & vocem eius audis, & nescis, vnde veniat, aut quo vadat. Spiritus quidem venit, & vadit,* inquit, *quia reprobos deserit, electos assumit. Et quia iudicium omnipotentis Dei imperscrutabile est, vnde veniat & quo vadat, homo nescit, quia sciri non potest, an quis in gratia, quam recipit perseuerare in perpetuum debeat. Ab eo igitur, qui defecit, venire spiritus dicitur: ire ad eum, qui perseueraturus est: quia alios in tempore deserit, alios assumit, nec tamen deserit* Hæc ille.

Diuus etiam Augustinus librum de bono perseuerantiæ sic pene auspicatur: *Asserimus ergo, donum Dei esse perseuerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est, ne cadatur. Itaque vtrum * quisque* *quisquam *hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est.* Et cap. 13. Ad vocationem illam pertinere, de qua dictum est, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: nullus est homo ab hominibus certa asseueratione dicēdus, nisi cum de hoc seculo exierit. In hac autem vita humana, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe, sicut iam supra diximus, non perseueraturi, perseueraturis prouidentia Dei, voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Et cap. 22 docet, sic prædicandum esse populo Dei, perseuerantiam esse donum illius, & neminem in hac vita esse posse de ea securum, vt tamen omnes moneantur bene sperare, & confidere in eo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Quod & secutos vidimus Patres in capitulo, quod modo exponimus.

Idem etiam Augustinus in epist. 121. ad Probam, tractans illud Pauli, *Nolite ante* Cor. 4. *tempus iudicare,* hæc scribit: *Sicut sibi quisque, nemo alter alteri notus est, & tamen nec sibi quisque ita notus est vt sit de sua crastina conuersatione securus.* Et 11. de ciuitate Dei, capit. 12. cum traderet non imprudenter nos beatos vocare, quos videmus iuste ac pie cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam, subdit de ipsis: *Qui licet de sua perseuerantia præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti.* Respondet Bucerus in concordantia artic. de certitudine gratiæ: Augustinum locutum esse in hoc loco de incertitudine & ignoratione, quæ opponitur scientiæ.

Sed quid cum tali interprete agas? Nunquid Bucere, cum dixit Augustinus iustos esse certos de suæ perseuerantiæ præmio, de certitudine agebat per scientiam, & non

potius de vna certitudine fidei? Cur igitur credas tam varium fuisse Augustinum, vt in statim subiunctis certitudinem negaret scientiæ, cum de illa nulla posset esse quæstio, & non potius certitudinem fidei, quam mox asseruerat haberi à iustis de suæ perseuerantiæ præmio? Quis ita vel mediocriter doctus loqueretur? Sed consuluisses, quæ statim adijcit Augustinus, & deposuisses tuum errorem, si Augustino velles acquiescere. Nullis quippe interiectis, mox subdit: *Quis enim hominum nisi in actione, profectuq; iustitiæ perseueraturum vsque in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentiq; iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit?* Vides Augustinum nullam certitudinem de his admittere, nisi ex diuina reuelatione? Et hoc exigunt testimonia Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, capit. 7 iam allegata. Quare dubium nemini esse debet, quin perpetuo tenuerit ecclesia Catholica quæ in secundis conclusionibus cap. 12. & 13. & in canonibus eis respondentibus, sancta synodus definiuit de incertitudine prædestinationis & perseuerantiæ, seclusa reuelatione.

CAPVT XI.

Quod aliquibus certa sua ipsorum prædestinatio fuerit ex diuina reuelatione.

CVM vero asseruerunt Patres, nemini mortalium esse posse certam suam prædestinationem, vel perseuerantiam, merito adiecerunt temperamentum illud, *Nisi ex speciali reuelatione*: quia per illam dubium non est, quemuis posse ea de re certum esse, quem Deus tanto beneficio & gratia dignũ fecerit. Et quamuis nonnulli ex antiquis doctoribus scholasticis constanter asseruerint, nemini posse suam damnationem absolute & certo interius reuelari, tamen de beatitudine nemo hactenus quod sciam, neque Catholicus neque hæreticus, in dubium vertit, quin Deus possit eam cuicunque prædestinato absolute & infallibiliter interius & exterius pro voluntate sua certam facere. Quid enim omnipotentem prohibeat, quod certo & infallibiliter nouit, certum alijs & manifestum facere? Potuit prophetis suis tam multa futura certa facere, vt vere Amos dixerit: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas.* Cur ergo non possit & hæc quoque futura de beatitudine vel condemnatione nostra, cuicunque sibi placuerit, reuelare? A multis retro seculis beatitudinem beatissimæ virginis, Ioannis Baptistæ, & Apostolorum suorum, prophetis suis reuelauit. Potuit igitur sine dubio, & illis iam natis, & ratione vtentibus eandem indubitatam, immo etiam euidentem & manifestam facere. Sed neque quisquam in dubium hoc vertat, & vt omnibus perspicuum sit, iustissime appositum esse à Patribus illud temperamentum, *Nisi ex speciali reuelatione*: placet hic subnectere catalogum quendam eorum, quos etiam dum hic viuerent, suæ prædestinationis conscios fecit & certos. Et cum illis reuelatione speciali fuerit opus, vt tantum cognoscerent secretum, hoc ipso colligere possumus, neminem absque illa potuisse tanti arcani ad ipsius cognitionem. Ac primo quidem magno illi fidei parenti Abrahæ reuelauit aperte Deus suam prædestinationem, & perseuerantiam in gratia ipsius, cum ei dixit. *Noli timere Abraham. Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Et post paululum: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Et cum constanter & aperte pollicebatur ei, facturum se illum patrem multarum gentium, & in semine ipsius benedicendas omnes gentes, futurumque ipsius Deum, & seminis ipsius post ipsum, certum eum citra vllam ambiguitatem faciebat de perseuerantia perpetua in ipsius gratia. Isaac etiam filius illius, & magnus quoque ipse patriarcha quandam certitudinem suæ perseuerantiæ in gratia diuina videtur quidem potuisse habere ex verbis illis Dei ad ipsum: *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroq; tecum, & benedicam tibi.* Et paulo post: *Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Daboq; posteris tuis vniuersas regiones has, & benedicam.*

Amos 3.

Electi qui fuerũt certi de sua prædestinatione.

Gene. 15.

Ibidem.

17.

22.

26.

dicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Et aliquanto apertior eiusdem secreti videtur facta esse reuelatio illi eximio luctatori Iacob, qui ab eo, quod contra Deum præualuit, Israelis nomen accepit. Ab ipso quippe Domino, quem scalæ à terra ad cœlum protensæ innixum vidit, inter alia magnifica promissa hoc quoq; audiuit: *Benedicentur in te & in semine tuo cuncta tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris.* Sed & præcellentissimi illi exercitus Israelitici duci Moysi apertissime hoc ipsum reuelauit Deus, dicens ei: *Inuenisti gratiam coram me & teipsum noui ex nomine. Ego ostendam tibi omne bonum.*

28.

Exod. 33.

Nouit & certo propheta Elias suam in gratia Dei perseuerantiam, cum certus factus, quod tollendus esset post paululum de hac vita, Elisæ successori suo dixit: *Postula quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te.* Hieremiæ insuper sua est prædestinatio reuelata, cum dixit ei Dominus: *Priusquam te formarem in vtero noui te, & ante quam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* Et post paululum: *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, vt eruam te. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te hodie super gentes & super regna vt euellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes.*

4. Reg. 2.

Et vt accedamus ad nouum testamentum, certa fuit facta proculdubio suæ prædestinationis gloriosissima Dei mater, cum ab archangelo Gabriele illa dulcissima salutatione salutata fuit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Et Elizabeth per Spiritum sanctum idem reuelauit, cum dixit: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Et ipsa se iam certam eius rei ab Spiritu sancto effectam mirifico illo suo cantico expressit. Exultans namque & iubilans in Domino, & pro hoc Dei beneficio, & alijs, quæ in se eximia agnoscebat, gratias agens, dicit: *Magnificat anima mea Dominum Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est &c.* Gratiæ suæ certitudinem professa est his verbis: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, fecit mihi Dominus magna, qui potens est.* Beatitudinis autem suæ certitudinem illis indicauit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Deipara.

Lucæ. 1.

Et cum Baptista ille Domini mirificus sciebat esse illum de quo Esaias dixerat: *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini.* certum se innuebat suæ electionis. Nam & eundé quem Deus vocem suam per Esaiam appellauerat, per Malachiam sciebat angelum suum dixisse. Eo vero elogio verisimile non est, fuisse Deum quenquam ornaturum, qui non perseueraturus esset in ipsius gratia. Et idem potuit intelligere cum se prophetam altissimi vocandum à parente suo audiuit. Quod si ad ipsum peruenerunt mirifica illa præconia, quibus Christus, turbis ad ipsum confluentibus, eum commendauerat, vel inde exultare & iubilare potuit in certitudine suę prædestinationis.

Ioan. 1.

Et discipuli omnes Christi certi potuerunt esse de sua prædestinatione, cum ab ipsa infallibili veritate audierunt: *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Reuelauit & idem arcanum firmissimis ecclesiæ columnis suis, s. Apostolis, cum egresso ab eis Iuda, pollicitus est daturum se illis Spiritum sanctum, qui maneret cum ipsis in æternum. Neque minus perspicua reuelatio illa fuit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, &c.*

Lucæ 10.

Lucæ 22.

Paulo etiam præcipuo exercitus Dominici militi, immo vexillifero, duci & mirifico antesignano, innotuit sane & constitit, Deo reuelante, hoc mysterium. Cum enim multa ei, & omnino grauia subeunda superessent, non dixisset, vt innuit Ansel. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui fidem seruaui: In reliquo reposita est mihi corona iustitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex:* nisi Deus, qui iam reuelauerat imminentem ipsi passionem, securum eum quoque fecisset, & certum de victoria impendentis certaminis. Atque ex hac reuelatione profectum est. vt alias certum se esse diceret, nulla aduersitate, nullo periculo, nullo timore aut molimine, nulla virtute aut potentia auelli se posse à charitate Dei,

2. Tim. 4.

quæ est in Christo Iesu. Et talem reuelationem habuisse videtur de beatitudine Clementis, & aliorum coadiutorum suorum, quorum nomina scripta dixit esse in libro vitæ. Et illi ex reuelatione Apostoli idipsum de se potuerunt certo credere. Sicut & nos modo propter authoritatem ipsius idem credimus. Certo quippe scimus, nihil eum neque in suis epistolis, neque in sua tota prædicatione vnquã affirmasse, quod non & verissimum sit, & verissimum esse constiterit.

Obiectio. Philip. 3. Cur igitur, inquies, trepidabat? Aiebat enim: *Sequor autem si quo modo comprehendam.* 1. Cor. 9. Et iterum: *Væ mihi est, si non euangelizauero.* Et quod magis vrget, statim addit: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte, cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Et alibi: Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Respons. Non hæc tamen dicebat Paulus, quod de sua beatitudine formidaret, sed quia molestum ei erat illas carnis tentationes, quæ eum diuexabant, pati, & quia sciebat se non posse ad gloriæ immarcescibilem coronam peruenire, nisi carnis tentationes deuinceret, & prædicationi euangelij fideliter & solicite, vt faciabat, instaret. Sic namque nouerat omnipotentem Deum perenne beatitudinis regnum electis suis prædestinasse, vt ad illud tamen per labores iuges & assiduas deprecationes perueniant. Neque enim reuelatio prædestinationis ab obligatione præceptorum absoluit, sicut neque ipsa prædestinatio.

Obtineri nequaquam possunt, ait Gregorius 1. Dialog. quæ prædestinata non sunt: sed ea quę sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Et erudite hoc ille ostendit, quia cum Deus Abrahæ semen in Isaac multiplicare prædestinasset, & promisisset, tamen Isaac oratione sua obtinuit, vt filios habere posset ex Rebecca.

Et D. Augustinus de bono perse. cap. 22. ita docet admonendum esse populum Dei, vt pro fidelibus oret: Si qui sunt nondum vocati pro eis, vt vocentur, oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua velint esse atque efficiantur electi. Possu nos etiam verbis illis, *Castigo corpus meum*, quæ magis premunt, aliter satisfacere. Fortassis eo tempore, quo illa scripsit Paulus, neque sua iustificatio, neque beatitudo fuerat reuelata. Aiebat enim eo tempore: *Nihil mihi conscius sum sed non in hoc iustificatus sum.* 1. Cor. 4. Et hanc, opinor, responsionem dedisset B. Gregorius. Nam is cum reprimere vellet sanctam quandam fœminam sibi deuotam, Gregoriam nomine, atque Augustæ cubiculariam, ab inutili desiderio & curiositate sciendi, an remissa sibi sua essent peccata, ita scribit 6. epist. c. 186. *Certe Paulus Apostolus iam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret, & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne forte alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui iam ad cælum ducitur: & iam timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur?* Hæc ille.

CAPVT XII.

Ex beatitudinibus Euangelicis probabilis potest colligi nostræ & aliorum prædestinationis seu perseuerantiæ opinio.

VERVM enimuero cum Patres non qualemuis prædestinationis nostræ aut perseuerantiæ persuasionem damnauerunt, sed certitudinem duntaxat, eamq; vt cap. 13 & can. 16. explicuerunt, absolutam & infallibilem, satis profecto innuerunt, posse nos aliquam ex scripturis, aut aliunde opinionem de hoc arcano adipisci. Et verissimum sane hoc est. Nam conditionalem omnes Catholici, & de nobis, & de alijs ex fide habemus. Ex verbis enim saluatoris constat, omnes eos futuros saluos, qui seruauerint mandata. Et probabilem quandam opinionem prædestinationis seu perseuerantiæ nostræ & aliorum assequi valemus ex signis electorum, quæ apud scripturam & sacros Doctores legimus. Non enim penitus, sicut vere dicit Bernardus

dus serm. 2. in 8. P s h. absque testimonio consolationis electos suos dereliquit hac in te Dominus. Sed ne semper inter spem & metum anxia solicitudine fluctuaremus, signa quædam proposuit, quibus cœli ciues futuros, à ciuibus inferni quadam tenus possimus dignoscere.

Et nisi fallor, inter omnia signa, quæ abditissimi huius arcani habere in hac vita possumus, primum atque adeo potissimum locum tenent omnia illa, quorum possessores Christus appellauit beatos. Nam cum non omnes iustos appellauerit Christus beatos, neque omnia etiam sancta opera hoc præcellenti beatitudinis elogio exornauerit, innuisse quidem, quantum pro nostra exiguitate assequi possum, videtur, eos se appellasse beatos, quos verisimilium sit, propter sanctitatem eorum operum, quibus student, tandem assecuturos beatitudinem, & ea præcipue opera beatitudines esse appellandas, quæ indicium qualequale, & persuasionem nonnullam faciunt prædestinationis eorum, qui ipsis ex animo & propensione quadam student. Vnde & cuilibet harum beatitudini promittitur patriæ beatitudo, sub ea tamen ratione, quæ maxime illi respondere videtur & congruere.

Et tanto quidem sub perfectiori ratione, quanto & illa perfectior est. Nam si subtiliter cunctas inter se beatitudines & præmia illis respondentia perpendamus, admirandum omnino ordinem inueniemus à Christo seruatum & inter beatitudines, & inter earum præmia, & aperte intelligemus semper Christum progressum esse à minoribus ad maiora, & aptissimum vnicuique beatitudini præmium reddidisse. Et Doctores, qui tradunt, his beatitudinibus explicuisse Christum præstantissima huius vitæ opera, & supremas perfectiones, quas hîc possumus habere, & propinquissima vitæ futuræ merita, atque adeò fines, in quos destinare debeamus reliqua huius militiæ studia, & regulas seu exemplaria, per quæ mensurare possimus profectus nostros & defectus, propemodum hanc nostram sententiam attigerunt. Quæ namque certiora beatitudinis patriæ signa credantur, quàm quæ meritoria sunt illius præstantissima, & certissimæ notæ beatitudinis huius vitæ?

Itaque ne in incertum hæc nostra meditatio progrediatur, ex multis signis prædestinationis, quæ & alij ante nos nunc sparsim, nunc coniunctim notauerunt, ea tantum persequemur, quæ ex beatitudinibus, à Christo Matth. 5. designatis, colligi possunt. Non enim nunc quærimus, quibus in genere daturus sit Deus suam beatitudinem. Scimus quippe eam dandam esse omnibus seruantibus mandata, & in ea obseruatione, siue in ipsius viuida & efficaci dilectione perseuerantibus. Quærimus autem quæ sint illa, quæ probabilem coniecturam faciunt de prædestinatione, vel perseuerantia in obseruatione mandatorum, & vera Dei dilectione.

CAPVT XIII.

Humilitas præcipuum est prædestinationis signum.

AC primum quidem diuinæ prædestinationis signum, est margarita Christianorum humilitas, quæ principium est, fundamentum, & firmamentum, atque adeo singularis & fidissima custos omnium virtutum. Reproborum cor tumidum & turgidum, ac rebus omnino nihili inflatum, non capit hanc tantam virtutem. * Seipsis, ac vanis de se ipsis persuasionibus pleni sunt. Obedire, aut humiliari alijs, nesciunt. Vinci aut cedere ignorant. Primos locos vbique & semper ambiunt & affectant. Signum prædest. fort. * Vanis de seipsis ac suis persuasionibus.

Atque ideo Gregorius dicit: Euidentissimum signum reproborum, superbia est: electorum, humilitas. Et Christus ipse hoc satis innuit, cum discipulis suis dixit: *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Et alibi: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Cum enim, testantibus hoc Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Gregorio, per superbiam eiectus fuerit è cœlo. Lucifer, & protoparentes nostri de paradiso, docuit Matth. 10. 18.

verus humilitatis magister & dux, non posse quemquam regni cœlorum possessionem assequi, & in amissam hæreditatem restitui, nisi per veram cordis submissionem & humilitatem, & eos futuros sui participes, qui ex corde fuerint humiles: contrà vero, reprobos esse superbos, & ad illius partes pertinere, de quo dicitur: *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Et rursus: *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte ipsius.* Etiam olim hoc signum electorum nobis indicauerat Deus per suos Prophetas. Nam Dauid dicit: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Et per Esaiam: *Ad quem autem respiciam*, vel, vt alia habent exemplaria, *Super quem requiescam*, videlicet hic per gratiam, & postea per gloriam, *nisi super humilem*, aut, vt alij legunt, pauperculum, *& quietum, & trementem sermones meos?*

Iob 41
Sap. 2
Psalm. 112
Esa. 66

Quocirca si aliquos videmus studio & affectu humiles, superiores omnes alios existimantes, honores mundi & prælationes fugientes, iudicio Maiorum & peritiorum acquiescentes, de nouissimo loco semper certantes, imbecillitatem suam & defectus agnoscentes, ac tandem se & sua omnia pro nihilo habentes, eos fore beatos iure conijcere possumus. Scriptum siquidem est: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur.* Et hoc signum colligi potest ex prima beatitudine, à Christo nobis præmonstrata, cum dixit: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Siue enim pauperes spiritu intelligamus eos, qui alienæ voluntati se propter Christum ad plenum subijciunt: siue eos qui modestissime de se sentiunt, & insufficientes ex se, & nihil omnino se esse existimant: siue voluntarios pauperes, & qui ex corde & affectu non tantum accipiant aut tolerant æquanimiter paupertatem, sed eam amant, colunt, amplectuntur & sequuntur: omnia ista profectò humilitatis opera sunt. Nam & studium paupertatis & obedientiæ, ex humilitate cordis proficiscitur. Et obedientia perfecta propter Christum, amorque seu obseruatio & cultus paupertatis, tantam in se habet libertatem, tantam magnanimitatem, & sanctitatem annexam, vt quos harum virtutum studiosos sectatores & obseruatores viderimus, non iniuria possimus destinatos æternis & immensis beatitudinis diuitijs conjectare.

Iob 22
Matth. 5
Triplices pauperes spiritu.

CAPVT XIV.

Mitem esse, prædestinationis signum est.

Signum 2. prædest.

SECVNDVM signum diuinæ prædestinationis, est facilitas quædam, & suauitas morum, miræ alacritati & tranquillitati coniuncta. Quæ quidem ita fulgent ac splendent, & in se quieti & imperturbato animo sunt, & alijs, quibuscum viuunt, placidi. Qui non solum non vincuntur à malis iniuriarum, iræ perturbationis & tristitiæ, quod & mansueti & clementes præstant: sed & vincunt in bono malum, & occurrentibus quibusuis aduersis, & suaues, & vtiles, & placidos etiam ipsis impugnantibus se præbent. Et tanta hæc & tam rara virtus est, vt non iniuria eam Christus hoc beatitudinis elogio exornauerit. Vnde & ipse se exhibuit peculiarem illius magistrum, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et Deum illa peculiarem habet Doctorem, iuxta illud: *Docebit mites vias suas.* Et Dionysius scribit, propter eam fuisse Moysen Deo familiarissimum. De illo namque scriptum est: *Erat Moyses mitißimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Et Gregorius 2 in Reg. c. 3. dicit: *Profectus conuersationis est, crescere meritis: placere Deo & hominibus, consummatio perfectionis.*

Matth. 11
Psalm. 24
Num. 12

Ac mites, iuxta Græci & Latini vocabuli significantiam, dicti sunt à Christo, non quiuis mansueti, sed ij duntaxat, de quibus locuti sumus, qui cum mansuetudine quandam etiam habent suauitatem, placorem, ac iucunditatem, & amœnitatem interius & exterius. Ex quibus fit, vt eis, qui illos bene nôrunt, non omnino obscurum suæ prædestinationis argumentum præbeant. Eo enim ipso, quò tranquilli ipsi

li ipsi in se & imperturbati, omnium se moribus accommodant, & per charitatem spiritûs omnibus inseruiunt, & tam verbis quam operibus omnibus se mitigeros, obsequentes, tractabiles, amabiles, & faciles atque suaues præstant, eius se filios ostendunt, qui imperturbabilis est, & supra quam dici potest, dulcissimus & suauissimus. Ac ciues se esse felicissimæ illius ciuitatis futuros probant, vnde omnis aberit perturbatio, & summa erit in omnibus & cum omnibus suauitas & iucunditas. Et hoc signum innuit nobis Christus dicens:

Matt. 5 *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Non enim de hac terra loquebatur, quæ cum operibus, quæ in ipsa sunt, teste Petro, exurenda est. Sed loquebatur de terra illa viuentium solidissima & firmissima, quæ in æternum stabit, in qua iustitia inhabitat, ob cuius spem & in hac vita dicuntur prædestinati beati.

CAPVT XV.

Lachrymæ piæ signum sunt prædestinationis.

Signum 3. prædest. TERTIVM diuinæ prædestinationis signum, sunt lachrymæ piæ & deuotæ.

Matth. 5 *Beati, ait, qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.* Et alibi væ illis comminatur, qui perpetuo risui & cachinnis vacant.

Luc. 6 *Væ (ait) vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*

Triplices lachrymæ sanctorum. Flent vero in hac vita prædestinati, & assidue fletibus student, non vna, sed multiplici ratione.

Genus 1. Flent primo propter peccata, quæ in Deum commiserunt. Sic flebat Dauid, cum lauabat per singulas noctes lectum suum, & lachrymis suis stratum suum rigabat, vt dilueret videlicet lachrymis, quas teterrimas maculas ex illicitis delicijs aspersiuerat suæ animæ. Sic fleuit & Magdalena, cum lachrymis rigauit pedes Saluatoris, & capillis suis tersit. Sic Petrus, cum respiciente illum Christo, compunctus est de sua in magistrum perfidia:

Matth. 26 *& egressus ab atrio Pontificis, fleuit amarè.*

Genus 2. Flent etiam prædestinati nonnunquam ex charitate, compassione, & blando quodam affectu erga eos, quos vident malis aliquibus pressos & afflictos.

Sic Christus fleuit, commotus lachrymis & mœrore Magdalenæ ob mortem Lazari. Sic fleuit, cum vidit ciuitatem Hierusalem, & quam certo impendentem ei calamitatem intuebatur, velut iam præsentem deplorabat. Et ex misericordia in humanum genus, cum aliàs sæpe, tum vero in cruce acerbe fleuit, cum holocaustum sui corporis pro nostra reconciliatione, cum lachrymis suo patri offerens, exauditus est, teste Apostolo, pro sua reuerentia. Et hæc misericordia causam præstitit nimijs illis threnis & lamentationibus Hieremiæ. Et Dauid videns præuaricantes, vt ipse de se ait, tabescebat, ac sæpe se similibus lachrymis perfundebat. Eademque prorsus ratione Paulus flebat multos apud Philippenses ambulare inimicos crucis Christi, & triennio integro non cessauit cum lachrymis monere vnumquemque Ephesiorum in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Et demque nomine, ne plura exempla persequamur, leguntur in Scriptura plorasse prædestinati, ac deflêsse damna & incommoda siue corporalia, siue spiritalia, proximorum. Et sic sancti, dolores omnes & labores Christi pro nobis suis lachrymis pientissime prosecuti sunt. Ac beatissima Dei mater, sic affatim, & supra omnes passionem vnigeniti sui filij luxit, cum gladio doloris transfixa, pendentem illum in cruce vidit nudum, despectum, nouissimum virorum, virum dolorum, & à planta pedis vsque ad verticem capitis, pro nostra salute vulneratum.

Tertiò flent prædestinati ob paruos profectus, quos vident in via Dei se facere, & propter iuges & molestias, & tentationes, & frequentia mala & pericula, quibus vident se vndique circumdari, & ad peccata & offensas Dei pertrahi, & tandem, quia abesse se vident à Deo, quem supra se diligunt. Ita flebat Paulus, cum aiebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Rom. 7 Et rursus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Philip. 1 Genus 3.

Ioa.

Ita flebat Dauid, cum de se dicit: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus?* Nam præ impotentia desiderij præsentiæ diuinæ, & ille, & sancti alij sæpe lachrymis perfundebantur, neque absque illis poterant perpeti prolongari mansionem suam in hac valle lachrymarum. Et statum lugendi pro omnibus his malis, & nostris & alienis, habemus religiosi, teste Hieronymo contr. Vigilant. Tam piæ autem omnes hæ lachrymæ sunt, & tam profundam pietatem, & tam sanctum & sensum & affectum arguunt, præsertim cum ex dolore de Dei offensis, & absentia, vel ex meditatione passionis Christi proficiscuntur, vt non leue indicium prædestinationis faciant. Qui enim tantis malis offensis non luget, aut insipiens, vel stultus, & stupidus, & insensibilis est, aut certe corrupto est affectu circa bona præsentis vitæ. Quo vero lachrymæ istæ piæ & sanctæ largius & vberius & frequentius ora nostra irrigant, eo apertius eos, qui hac gratia donantur, de numero indicant illorum esse, de quibus dicitur: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltrà, quæ prima abierunt.* Sicut enim cordis duritia testimonium est diuinæ reprobationis, iuxta illud, *Cor durum malè habebit in nouissimo:* ita teneritudo cordis, quam patiuntur, quibus assiduæ sunt lachrymæ, argumentum est suæ prædestinationis. Qui namque vsque adeo benignus est & tener, vt ad vnam nostram ex corde lachrymam temperet omnem indignationem suam, & sententiam reuocet, quam multa promeruerant delicta, eos nimirum sui consortij participes faciet, quos sua gratia in tantum affectu & sensu mellificat, vt sentire nequeant mala huius vitæ absque lachrymis.

Apoc. 21

Eccles. 3

CAPVT XVI.

Esuries & sitis verbi diuini, profectus iustitiæ, & cælestis beatitudinis, signa sunt prædestinationis.

Signum 4. prædest.

QVARTVM electorum signum, est esuries & sitis iustitiæ. *Beati, ait, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quia enim beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & qui eam habuerit, omnium suorum desideriorum complementum assequetur, nomine saturitatis ea nobis in præsentia describitur. Iustitia verò appellatur à Christo, non solum plena mandatorum obseruantia, sed & ipsa eorum prædicatio, & omnia, quibus ad ea opere perficienda inducimur. Matth. 5

Quare tres hominum ordines peculiariter intelligi possunt iustitiam esurire & sitire. Primò: Qui audiendi & legendi verbi diuini desiderio tenentur. Deinde qui hoc vnum optant & cupiunt, vt iugiter in via mandatorum Dei proficiant. Triplex esuries & sitis iustitiæ. 1. 2.

Et postremo, qui cœlestis patriæ, vbi iustitia erit plena, cupiditate flagrant & ardent. Et desiderium verbi diuini, & promptam illud audiendi & legendi voluntatem, dulcedinemque inde acceptam, signum esse diuinæ prædestinationis, docuit nos magister noster Christus, cum Scribis & Pharisæis dixit: *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Et vt intelligeremus è contrario magnum esse reprobationis signum, nolle audire verbum Dei, subdit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et alibi nolentes recipere Apostolos, neque audire se mones eorum, grauiores prædixit manere pœnas, quàm terram Sodomorum & Gomorrhæorum. Et Ioannes dicit: *Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos.* 3. Ioan. 8 1. Ioan. 4

Atque ita intellexit hæc loca Scripturæ magnus ille ac vere sanctissimus Pontifex Gregor. 4. in Reg. 4. c. Ait quippe: *Certissimum prædestinationis signum est, libenter audire verbum Dei.* Et ne vtcunque audire, aut legere, aut prædicare verbum Dei, signum putetur prædestinationis, sed tum solum, quando hæc fiunt cum aliqua mentis dulcedine & suauitate, alibi scribit: *Diuina eloquia etiam reprobi eloquuntur: sentire autem, nisi electi, non possunt. Sentitur enim ea res cuius virtus agnoscitur. Nam & ægri pisces comedunt, sed vis ægritudinis tollit eis experimentum saporis, vt quod videntur comedere, prohibeantur & sentire. Sic nimi-*

[illegible] carnales quiq;, dum cœlestia loquuntur, quæ [illegible] diligunt, velut ægri rebus vtuntur, quas sentire prohibentur. Contra verò per humilitatis [illegible] sancti viri cœlestia quæ loquuntur, magno affectu charitatis excipiunt, vt valdè dulce sit eis superna dicere, eo quòd dulciter ac valdè dulcius per amorem saturantur. Vnde etiam scriptum est:

Psalm. 21 *Edent pauperes, & saturabuntur. Diuites saturari non possunt. Quia nimirum electi viri, qui superna diligunt, quoties hæc audiunt, ad hæc feruentiùs incalescunt: reprobi superna loquuntur & audiunt, quæ in nulla dulcedine ad mentis suæ refectionem suscipiunt.* Hactenus Gregorius.

Et subscribit ei Bernardus in hæc verba: *Porro inter ea, quæ fiduciam præstant & materiam spei, vnum illud maximum est, de quo nunc cœpimus loqui. Qui de Deo est, verba Dei audit. Nonnullos enim sic interdum audientes inuenies, ac si nihil omninò ad eos pertineant, quæ dicuntur, non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, ne fortè, quod audiunt, dictum sit propter eos.* Ac mox subiungit: *In his ergò salutis signa non video, magis autem vereor, ne fortè propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo.* Hæc ille.

Nec sine causa communiter existimatur propensio ista ad audiendum attente vel legendum verba diuina, & suauitas, & dulcedo inde percepta, indicium esse diuinæ prædestinationis. Habent enim verba diuina nescio quid diuinum & paternum, quod Dei filij, qui ad æternam beatitudinem destinati sunt, in eis agnoscentes, gaudent, pascuntur, exultant, ac velut in suauissimi & benignissimi patris verbis recreantur. Et cum in verbis diuinis sint omnium languorum & malorum spiritalium remedia, & omnium virtutum, & totius profectûs spiritalis documenta, & ex eis maxime liceat cognoscere, quæ ad Deum, quæ ad angelos, quę ad sanctos omnes, & ad ciuitatem illam Hierusalem cœlestem spectant: dum ipsa legere & audire delectat, & eorum gustu & desiderio quis afficitur, hoc ipso & filium Dei, & consortem electorum, & ciuem illius supernæ ciuitatis secundum æternam prædestinationem se probat. Vnde & Dauid Dei electus

Psalm. 118 dicebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*

Desiderium vero & iuge studium proficiendi in iustitia, cultu, seu pietate in Deum, quæ præcipua pars est nostræ iustitiæ, electorum esse indicium, illa verba eiusdem Dauidis palàm indicant: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, &c.* Psalm. 83 Et Paulus de pietate, hoc est, de religione & cultu, seu obseruantia, quam Græcè eusebiam dicit, constanter affirmauit: *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* 1. Tim. 4 Et vt reproborum esse solet, peccata peccatis addere, & quæ praua egerint, contemnere, & cæca mente præterire, & si quando quid boni egerint, in eo sibi mire placere & conquiescere, ita electorum proprium est semper crescere, semper proficere, semper ad meliora & perfectiora animos suos extendere, & siti & fame iustitiæ ardere: neque contentos esse, quod boni & iusti sint, sed inopia iustitiæ angi, & ardenti semper desiderio esurire & sitire opera iustitiæ, & occasiones Deo inseruiendi vbicunque & vndecunque captare.

Vnde Gregorius 5. Mor. cap. 28. illa verba Iob, *De mane vsq; ad vesperam succidentur,* Iob 4 sic de reprobis interpretatur: *Omni tempore reprobi per augmentum malitiæ contra se ictus ingeminant, quibus succisi, in profundum ruunt.* Et à vitæ suæ exordio vsque ad terminum, docet ibi iniquitatis perpetratione eos vulnerari, & per prospera lasciuientes perire, & per aduersa ad insaniam exurgere, atque ideo sua ipsorum culpa iugiter succidi. Et alibi: *Reproborum esse proprium solet, semper praua agere, & nunquam, quæ egerint, retractare. Omne enim, quod faciunt, cæca mente pertranseunt, factumq; suum, nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. At contra electorum est, actus suos quotidiè, ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit, ab intimis exiccare.* Et aliàs de sanctis viris ita dicit: *Mentem discutiunt:* 21. Mor. c. [illegible] *inuenire, si qua deliquerint, quærunt: vt tanto fiant irreprehensibiles iudici, quanto semetipsos quotidiè & sine cessatione reprehendunt: nec tamen hac de re gaudia iam securitatis sumunt, qui ab illo se videri considerant, qui in eis & illa videt, quæ videre ipsi in semetipsis non valent.* Hæc ille.

Iob. 15. Causa verò horum omnium est, quia sicut verissime scribit Iob, *Cunctis diebus suis impius superbit*: Contra vero electi quo magis in virtute proficiunt, eo humilius de se sentiunt, & ad seruiendum Deo vehementius incalescunt: longe enim absunt ab errore Origenis, qui, teste Hieronymo in Apol. in Ruff. omnia credidit restituenda ad æqualem statum.

Sed certissimi sunt, tanto se maiorem gloriam in æternum habituros, quanto seueriores hic in se fuerint, & studiosiores cultus & obsequij diuini. Desiderium autem beatitudinis, in qua consummabitur omnis iustitia, siquidem vehemens, verum, integrum, ac perfectum sit, vt fames & sitis iustitiæ iure appellari queat, merito inter signa beatitudinis connumerandum est.

Nam vt idem Gregorius erudite admonet, hoc interest inter reprobos & electos, quod electorum mens nunquam in hac vita figitur, sed etiam dum cuncta ipsis blandiuntur, & ad votum succedunt, semper ad æternam vitam, quam speramus, suspirat: reprobi vero tanto amore erga dies huius carceris constringuntur, vt etiam, cum pessime omnia succedant, immo impendente iam morte, & vltore eos crudeli ad iudicium pertrahente, adhuc tamen hîc hærere indesinenter percupiant. Quod electi exilium & laborem importabilem putant, ipsi requiem & gaudium, immo etiam paradisum existimant. Et ipsum huius vitæ tædium,

Psal. 119. quo Dauid exacerbatus aiebat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Et illa flagrantia & irrequieta vota & suspiria, quibus pro cœlesti patria exæstuans, dice-

41 bat: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*: satis arguunt, eos, qui hæc patiuntur, ad dilecta illa tabernacula pertinere, & manentem illam ciuitatem eos expectare, cuius artifex & conditor est Deus. Quod si eo excreuerit hæc fames & sitis iustitiæ, vt non solùm nobis, sed & alijs etiam exoptemus, & sermonem Dei vbique currere, & radices agere, & ab omnibus glorificari, & insigniter omnes proficere, & ad beatitudinem venire cupiamus, tanto erunt prædestinationis certiora signa, quanto maior est & manifestior flamma, quæ ad plures se porrigit, quam quæ ad vnum.

CAPVT XVII.

Misericordia in proximos, signum est æternæ prædestinationis.

QVINTVM prædestinatorum signum, est misericordia, qua ex affectu & ex corde miserijs aliorum, vt proprijs condolentes, eas quacunque licet, subleuare studemus. *Beati*, dicit, *misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur*. Et alibi: *Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Habent vniuscuiusque exercitus milites sua peculiaria signa, & ea studijs, affectibus, & facinoribus cuiusque ducis sui consentanea. Et Deus propensissimus suapte natura ad benefaciendum omnibus, atque ideo eximius, immo nimius hominum amator, insigne suorum, voluit esse charitatem, misericordiam, beneuolentiam: *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis adinuicem.* Quare perire non patitur, quos propensos videt ad bene merendum de alijs: & tanto cariorem quemque habet, quanto maioribus ille charitatis facibus inflammatur. Signum 5. prædest. Matth. 5. Luc. 6. Ioan. 13.

Vnde Augustinus tract. 5. in 1. epist. Ioan. dicit dilectionem esse solam, quæ discernit inter filios regni, & perditionis. Et subdit: *Hæc est margarita preciosa charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris. Quam si solam habeas, sufficiat tibi.* Et alibi talem vnusquisque indulgentiam accipiet à Deo, qualem fecit proximo. Et sermon. de tempore: *Si totum genus humanum diligis, quomodo te: non remansit iamua, vnde peccatum intret ad te. Dilige, & quicquid volueris fac.*

Et Chrysostomus hom. 69 in Matth. *Sic animum misericordia confirmat, vt superari à diabolo nequeat.*

Et Gregorius 23. Moral. *Tanto quisque perfectior.*

ctior est, quanto perfectius dolores sentit alienos. Et alibi: *Quicquid misericorditer, ac respectu pietatis impenditur, & hic authorem suum adiuuat, & optatum ei præmium in die retributionis apportat.* Et manifestissimæ sunt illæ promissiones diuinæ: *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras: fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et rursus: *Eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.* Et iterum: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & posteà resurget, & retribuet illis retributionem vnicuique in caput ipsorum.* Et Dauid dicit: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Et cætera quæ sequuntur, quæ iuxta phrasim Hebraicam, per futurum etiam reddi possint, vt sint promissiones perseuerantiæ & reparationis post lapsum.

Tob. 4

12

Eccles. 29

Psalm. 40

E diuerso autem crudelitas & inhumanitas, signa sunt diuinæ reprobationis. *Iudicium sine misericordia fiet illi*, ait Iacobus, *qui non facit misericordiam.* Et aperta est illa sententia Saluatoris: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et Ecclesiasticus diserte pronunciat: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam: & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram: & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam: & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, reseruat iram: & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius?* Et Ambrosius ait: *Indignum est, illi Deum esse propitium, qui crudelis est ad proximum.* Et Gregorius: *Aliter membra nostri Redemptoris non efficimur, nisi proximo compatiamur.* Et aliàs: *Misericordiam Dei mereri non poterit, qui hic misericors non fuerit.*

Iacob. 2

Matth. 6

Eccles. 28

CAPVT XVIII.

Munditia cordis, signum est diuinæ prædestinationis.

SEXTVM signum electionis diuinæ, est cordis munditia seu puritas. *Beati*, addit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Placet Deo nimium munditia, quia & ipse mundissimus est, & ab omni non tantum sorde, sed putentia & imperfectione longe semotus. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* Neque alios Deus, quam qui suam nobis inditam imaginem, omni solicitudine mundam & puram seruare student, ad contuendum & fruendum se perducit. Et ideo cordis munditiam instanter petebat Dauid, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.* Et tam raram esse hanc virtutem Salomon credidit, vt rem rarissimam & difficillimam esse innuens, dixerit: *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* Neque mirandum sanè. Si enim, iuxta Iacobum, qui in verbo non offendit, perfectus est vir: quanto erit perfectior, qui non offendit corde? Quanquam autem puros, perspicuos, & ab omni vitio alienos oportet esse oculos, quibus videndus est Deus, qui tamen in omnibus alijs beatitudinibus præcipuam aliquam virtutem beatificauit, & his verbis quoque non solum munditiam ab omni sorde, & animum omni vitio vacuum, & omnis culpæ expertem beasse credendus est, sed potius ad singularem aliquam munditiam, quæ oculos mentis purificat & illustrat, sermonem suum videtur retulisse.

Signum 6. prædest.

Matth. 5

Prou. 22

Psalm. 50

Prou. 20

Et quantum assequi possum, duplex hoc loco beatificata est à Christo cordis munditia. Priorque illa est, quæ peccatis & inquinamentis carnis opponitur, quam communi nomine castitatem appellamus. Posterior autem, quæ prauis & sinistris de aliorum vita iudicijs contraria est, ac simplicitas ab omnibus vocatur. Et vtraque non exiguum diuinæ prædestinationis indicium est. Quamuis enim iuxta parabolam Euangelicam damnatæ sint virgines fatuæ, quia non sumpserunt oleum necessarium in lampadibus, tamen & multos verisimile

Duplex cordis munditia.

est, ex infidelitate ad fidem venisse, & ex alijs peccatis ad veram pœnitentiam perductos esse, & in gratia vsque ad mortem perseuerasse, quia singulari quodam affectu & studio in verbis, operibus & cogitationibus, castitatem amarunt & coluerunt. Et qui in carne præter carnem viuunt, ea re ostendere videntur de numero se esse eorum, de quibus dicitur: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.* Matth. 22

Vnde & angelus, qui Ioannem alloquitur, zona aurea super mamillas cinctus scribitur: quia quisquis supernæ patriæ ciuis est, non iam timore supplicij, sicut bene notauit Gregorius 21. Moral. cap. 2. sed amore charitatis immunditiam deserit. Et Christus lumbis præcinctis, hoc est, à carnis luxuria per continentiam coarctatis, expectari se à suis iussit. Et qui cordis munditiam adipisci non appetit, eiusdem munditiæ authorem à se repellit, & se ad eam ciuitatem non spectare demonstrat, in quam nihil intrabit coinquinatum. Quod & docte probat Gregorius, quia cum Iob dixisset: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine,* continuo adiecit: *Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem omnipotens de excelsis?* Ac si aperte dicat, ait Gregorius: *Si mentem cogitatione polluero eius, qui munditiæ author est, esse hereditas nequaquam possum. Nulla enim bona sunt cætera, si occulti iudicis oculis, castitatis testimonio non approbantur.* Hæc ille.

Iob 31

Neque minus prædestinationis argumentum est rara illa columbinæ simplicitatis virtus, ad quam Christus suos hortatus est, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Qui enim candide omnia, quæ vident, iudicant, & quantum possunt, in meliorem partem omnia semper interpretantur, nulloque sinistro iudicio cor, quo videndus est Deus, commaculari permittunt, ij proculdubio non leue suæ prædestinationis argumentum habent. Verissima quippe est illa sententia Saluatoris: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Et de ista simplicitate possunt illa ipsius verba intelligi: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Sicut enim reproborum proprium est, teste eodem Gregorio in Moralibus, etiam bona aliorum opera calumniari, & in peruersum rapere, & vel inde filios se diaboli ostendunt, qui à calumniando nomen habet: ita electi assolent bene de omnibus iudicare, & omnia in bonam partem accipere, & vt nubes à terrenis contagijs semoti, per charitatem volare: per simplicitatem vero, quasi columbæ, esse ad sui corporis fenestras. Siue autem ad castitatem, siue ad simplicitatem munditia cordis hîc beatificata referatur, illud pro certo tenendum est, nomine cordis non solum affectum, sed etiam intellectum, seu oculos mentis intelligi. Nam sicut nomine cogitationum, etiam affectus voluntatis designantur non raro in Scripturis: ita frequenter videmus nomine cordis & affectum, & intellectum, & omnes animæ interiores vires, comprehendi.

Matth. 7. Matth. 6.

Cordis nomine omnes vires interiores significantur.

CAPVT XIX.

Studium pacis, signum est prædestinationis.

SEPTIMVM beatitudinis assequendæ signum, est studium pacis. *Beati,* subdit Christus, *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Neque pacificos hoc loco appellauit eos, qui quieti ipsi in se, & suorum affectuum domini, mira pace iam à passionibus & molestijs huius vitæ * fruuntur, sed vt & verbum Græcum εἰρηνοποιοὶ aperte designat, eos qui pacem inter alios ex affectu & animo componunt. Neque sua enim sunt, qui huiusmodi sunt, pace contenti, neque sat habent, nullis negocium aut molestiam facessere, sed alios omnes, & inter se, & cum Deo in primis vnire & adunare student. Porro Deus singulari amore pacem prosequitur. Est namque pax tranquillitas ordinis, & ordo summum est bonum intrinsecum vniuersi.

Signum 7. prædest. Matth. 5.

fort. * fruuntur.

Et quoniam ordinem constituere & tueri, primum locum tenet inter ea, quæ ad munus gubernandi spectant, & qui cuncta mirabiliter creat, ipse vt creata sibimet conueniant, miro pacis studio disponit.

Ordi-

Ordinata esse non posset tanta & tam diuersarum mundi rerum moles & congeries nisi hanc superni moderaminis dispositio sibiipsi connecteret & colligaret. Atque ideo pacis rationem à cunctis haberi ante omnia vult Deus. Et dissipatores pacis, seueris & formidandis animaduersionibus semper puniuit, quin & eos seipsos confundere, & sib ipsis aduersari, & mille molestias inferre facit. Potuisset summus ille angelicus spiritus in culmine stare, si vo luisset in pace agere: sed quia Deo rebellauit, & seditionis & belli primus author extitit, dum cœlestium spirituum pacem turbauit, & eos ad intestina bella & dissidia coegit, intolerabiles ipse suæipsius consciētiæ cruciatus patitur, & vt cœlorum pax constare posset, proiectus est è cœlo cum magna ignominia, & compellitur cum magno cordis dolore errabundus foris vagari. Eaque in perpetuum pacis & belli differentia, ciuitatem diaboli à ciuitate sua distingui statuit Dominus.

Lucifer dissor. litis author.

Quapropter eos qui componendæ paci inter proximos student, vel hoc nomine conijcere possumus ad eam ciuitatem spectare, vbi abundantia erit, & omnino admirabilis multitudo pacis. Omnia quippe, quæ in illa felici ciuitate erunt, summa pace & concordia inter se, & cum authore ipsius connexa erunt. Econtrario autem qui seminant inter fratres discordias, quique seditionum ciuitatum, & bellorum turbinum authores existunt, ijs moliminibus & studijs satis indicant filios se esse diaboli, & illius ciuitatis membra fore, vbi nullus ordo erit, nulla quies, nulla pax: sed sempiterna potius & inter se, & cum alijs odia & dissidia. Non frustra Salomon: *Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

Prouer. 17.

CAPVT XX.

Patientia in tribulationibus, maximum prædestinationis signum.

Signum 8. prædest.

OCTAVVM eorum, qui futuri sunt beati, signum est patientia in persecutionibus propter iustitiam, aut propter Christum. Et de hoc signo subnectitur à Christo: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et quoniam singularis mysterij incarnationis nouitas, nouum etiam, atque adeo præcellentissimum martyrij genus attulit mundo, in ipsis Apostolis inchoandum, conuersus ad illos, adiunxit: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines,* siue (vt antiqua melius habebat translatio) cum vos oderint homines, *& persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me.* Explicuit enim his verbis Christus multiplices tribulationes, quas Apostoli & eorum sectatores propter suæ diuinitatis & humanitatis confessionem passuri erant, dum odijs & execrandis conuicijs, & grauissimis & acerbissimis cruciatibus pugnare inciperet orbis terrarum contra ipsum & suos omnes.

Matth. 5.

Et quia multo aliter hæc dixit Christus Apostolis, quam dixerat præcedentia: ac præmium huiusmodi passionum aliter explicuit, quam præmium aliarum beatitudinum: multa sane cum causa Cardinalis Caietanus in singulari illo ientaculo de beatitudinibus, distinguit patientiam in persecutionibus propter iustitiam, à patientia in persecutionibus propter Christum: ac nouem ex consequenti beatitudines, à Christo nobis esse designatas, contendit. Sed ad propositum nostrum parum refert, septemne sint, an nouem. Non enim de hoc nunc agimus, sed signa duntaxat explicamus consequendæ beatitudinis. Et quia eadem ratione vtraque patientia indicium est felicitatis, vtramque sub vno signo comprehendimus. Immo quamuis Christus de sola patientia in persecutionibus propter se vel iustitiam hic locutus fuerit, tamen generaliter indistincte omnem patientiam in tribulationibus & aduersitatibus, absolute asserimus signum esse prædestinationis.

Vnde & generaliter alibi Dominus dicit: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Et Raphael dixit ad Tobiam: *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Et Iob dicit: *Beatus homo, qui corripitur à Domino.* Et sancta Iudith multis exemplis docet, omnes, qui Deo placuerunt, per multas tribulationes

Apoc. 3. Tob. 12. Iob. 5.

2. Tim. 3. transisse fideles. Et Paulus: *Omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutiones patientur.* 2. Tim. 2. Et iterum generaliter pronunciat: *Si sustinebimus, & conregnabimus.* Et iterum: *Sicut socij* 2. Cor. 1. *passionum estis, sic eritis & consolationis* Et quoniam agnoscebat tribulationes dona esse Dei, & diuini in nos amoris indicia, & in Rom. 5. bonum electis cedere: *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, scientes quod tribulatio patiētiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Et Iacobus Iacob. 1. eadem de causa dicit: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.*

Sed tribulationes esse verum signum filiorum Dei, econtrariò autem perpetuam omnium rerum absque vlla vicissitudine prosperitatem, signum esse magnum reprobationis, multo luculentius docent illa Hebr. 12. Pauli verba: *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* In disciplina perseuerate. Tanquam filijs vobis se offert Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis. *Impossibile est*, dicit Diuus Hieronymus, *transire de delicijs ad delicias: hic implere ventrem, & ibi mentem.* Et Gregorius: *Continuus successus temporalium, est æterna reprobationis indicium.* Et super Ezechielem: *Nemo sanctorum ad cœlestem gloriam,* Homil. 5. *nisi patientiam seruando peruenit* Et alibi: *Si exceptus es à passione flagellorum, non eris hæres in regno cœlorum.* Et iterum: *Nemo potest hic gaude-* 5. Mor. cap. 14. *re, & illic regnare cum Christo.* Et alias: *Nunc flagellatur iustus, & verbere disciplinæ corrigitur, quia ad æternæ hæreditatis patrimoniū preparatur.*

In suis autem voluptatibus relaxatur iniustus, quia tanto ei temporalia bona suppetunt, quanto æterna denegantur. Iniustus, ad debitam mortem currens, effrenatis voluptatibus vtitur: quia & vituli, qui mactandi sunt, in liberis pastibus relinquuntur. At contra, iustus à delectationis transitoriæ iucunditate restringitur, quia & nimirum vitulus ad laboris vsum vitæ deputatus, sub iugo retinetur. Negantur electis in hac vita bona terrena, quia & ægris, quibus spes viuendi est, nequaquam à medico cuncta, quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, quæ in hac vita appetunt, quia & desperatis ægris omne, quod desiderant, non negatur. Et idipsum copiose etiam docet in 3. parte Pastoralis, admonitione 27.

Vbi & illud notandum adijcit, Salomonem ideo à tanta sapientia vsque ad idolatriam esse prolapsum, quia nulla vel minima tribulationis disciplina fuit prius, quam caderet, eruditus. Et alibi: *Nisi quosdam pœna præsens à supplicio æterno defenderet, Paulus minime dixisset: Cum iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Et alias apertissime: *Electorum est hic conteri, vt ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri. Nostrum est hic flagella percipere, quibus seruatur de æternitate gaudere.* Et pulcherrime de reprobis Iob dicit: *Ducunt in bonis dies suos*: Sed ne inuideas felicitati eorum, mox addit: *Et in puncto ad inferna descendunt.* Et Psaltes egregius de reprobis inquit: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia operti sunt iniquitate & impietate sua.* Et rursus de diuite glorioso ait: *In vita sua benedicetur.* Vt vero benedictionem istam & prosperitatem testimonium reprobationis indicaret, continenter subdit: *Et in æternum non videbit lumen.*

Salomon lapsus in idolatriam propter defectum tribulationis. 9. Mor. c. 10. 1. Cor. 11. 26. Mor. cap. 18. Iob. 21. Psalm. 72. 48.

Vnde Greg. 26. Mor. cap 26. *Manifestum perditionis indicium est quando affectatis iniquitatibus subsequens fauet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens peruersa concepit.* Et alibi: *Reproborū vita tanto sine flagello dimittitur quanto ad nulla præmia seruatur.* Et alias: *Electos ad vitam flagella reuocant, & à malis actibus reprobos nec flagella compescunt.* Sed cum videamus plerosque hac in vita tribulari, & vitam suam detestando omnino fine in sceleribus & flagitijs concludere, videri posset aliquibus, nullum posse ex tribulationibus haberi satis idoneum diuinæ prędestinationis argumentum. Et profecto ita est, si tribulationes ipsas nudas spectes. Nam & hic succenditur in quosdā reprobos ira furoris Domini, & ardebit vsq; ad inferni nouissima.

12. Mor. cap. 15. 15. Mor. cap. 24.

Et vt verissime dicit Gregorius, duobus modis Deus in hac vita hominem iudicat: quia aut per mala præsentia irrogare iam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequen-

Duplex Dei iudicium in hac vita

sequentia flagellis præsentibus extingui. Nisi enim delictis exigentibus, nunc & postmodum quosdam percuteret, Iudas Apostolus minime dixisset: Secundo eos, qui non crediderunt perdidit. Et de iniquis Psalmista non diceret: *Induantur sicut diploide confusione sua.* Alias tamen, vt erudite & eleganter idem Gregorius exponit 5. Moral. cap. 15. iustissima & prouidentissima Dei dispositione fit, vt via impiorum nonnunquam hic prosperetur, neque cum hominibus flagellentur. Neque nos tribulationes ex se signum diximus esse prędestinationis, sed patientiam in eis perferendis. Nam flagella benigni patris satis se esse aperiunt, cum mentem eorum, quos percutiunt, ad meliora commutant. Et qui pro peccato percutiuntur, eo ipso, teste Gregorio, iusti esse incipiunt, quo ferientis iustitiam murmurando non accusant, sed æqui tatem potius iusti iudicis sibi anteponunt.

Psal. 108.

Et hæc est distantia inter tribulationes prædestinatorum, & reproborum. Prædestinati agnoscunt eas esse iusti iudicis, aut certe benigni patris flagella, & ideo gratanter & iucunde, vel saltem non impatienter eas ferunt: & si peccatores sunt, per eas à peccatis corriguntur: si vero iusti, cautius per eas incedunt, & ad meliora in dies proficiunt. Reprobi vero, neque agnoscunt, se eas promereri, neq; illis ad pœnitentiam emolliuntur, immo impatienter eas tolerant, & peccata peccatis addunt, & in dies duriores & peiores efficiuntur. Atque ideo verissime dicit Gregorius 9. Mor. cap. 55 *Qui inter flagella deteriores fiunt, illis temporale supplicium fit æternæ pœnæ initium.* Et alibi: *Solos pœna à supplicio liberat, quos immutat. Nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequētia perducunt.* Et rectissime de illis dicit Iob: *Cor eorum longe fecisti à disciplina, propterea non exaltabuntur.* Iustum enim est, sicut exponit Gregorius cap. 16. vt ad felicitatem non exaltentur, qui tametsi corpore sub disciplina fuerint exterioris tribulationis, mente tamen longe ab ea fuerunt: neque humiliati præsentibus, ad æterna desideranda corda sua leuauerunt.

Tribulationum electorum & reproborum discrimen.

Iob. 19.

Ac pulchre nimirum Cyprianus ser 3, de bono pat. Neque aliud magis iniustos discernit & iustos, quam quod in aduersis per impatientiam queritur & blasphemat iniustus, patientia iustus probatur. Tum vero demum tribulationes huius vitæ manifestiora sunt & certiora diuinę prædestinationis signa, cum non solum patienter & æquanimiter, sed libenter, hilariter, & gaudenter tolerantur. Et cum maxime hoc indicabunt, ac velut ante oculos nobis exponent, cum propter iustitiam quispiam, aut propter Dei & Christi gloriam vel fidem illatas eas hominibus, iucundo & lætabundo animo pertulerit. Ea namque lætitia & gloria satis significabit consortem eum fore eorum, qui gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, quique cum maxime excruciabantur, eam esse gloriam constantissime dicebant, quam semper toto animo concupiuerant.

Et hoc intelligens gloriosus ille martyr Cyprianus, alibi ait: Quod vel feris corpus obijcitur, vel imminens gladius non timetur, dignationis ostenditur ratio, manifestatur electio. Et propterea Christus hanc vnam patientiam, vtpote cæterarum omnium præstantissimam, hoc loco duntaxat beatificauit. Et quoniam illa inter omnes alias beatitudines primum locum tenet, & certissimum est prædestinationis signum, & beatitudini nos maxime vicinos facit, conclusit, vt est apud Lucam, hanc doctrinam de beatitudinibus, in hæc verba: *Gaudete & exultate in illa die. Ecce enim merces vestra multa est in cælis.* Et alias absolute pronunciauit: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est.*

Idem de laude martyrij.

Matth. 10.

Et tanta quidem & tam probabilia diuinæ prædestinationis argumenta, hæc signa, quæ iam attigimus, Bernardo visa sunt, vt indubitabile asserat, eum esse de numero electorum, in quo hæc signa vsque ad mortem permanserint. Quod & mirifice confirmat, quod libro nono, capite sexto tradidimus, posse iustos in hac vita habere aliquam de sua gratia certitudinem omnis formidinis expertem. Nisi enim hęc signa

Bern. ser. 1. septuag.

Possunt iusti habere certitudinem de sua gratia.

signa certitudinem gratię præstare possent, nunquam perseuerantia eis adiuncta sufficeret ad certitudinem de electione seu prędestinatione.

Et quidem Cyprianus ser. 5. de lapsis huiusmodi certitudinem habebat non solum de sua, sed & de aliorum confessorum iustificatione, qui se morti pro fide Christi exposuerant. Constanter enim & se, & illos asseuerat tota mente dilexisse Deum. Quod nemini dubium est sufficere ad iustificationem.

Ac talem etiam de se certitudinem videtur habuisse Gregorius lib. 1. epist. 5. Qui statum suum in vita monastica, * Theotistæ sorori Imperatoris his verbis describit: *Nihil in hoc mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita vt in me pene impletum crederem, quod polliente Domino ex Propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ.* Et ne putes hanc certudinem in vita pastorali perdidisse, statim subdit: *Sed repente a rerum vertice, tentationis huius turbine impulsus, ad timores pauoresq; corrui: quia etsi mihi nihil timeo, eis tamen, qui mihi commissi sunt; multum formido.*

Esa. 58.

Vides vt asserit se omni de se vacasse timore, etiam post vocationem suam ad pastorale fastigium, quod tentationem appellat? Et quamuis sciret iustificationem aliorum minus posse nobis constare, quam nostram, tamen alibi aperte præcipit, ne dubitemus misericordiam apud Deum inuenisse, quem videmus pec[c]ata sua flendo delere. Et alias non impossibile dicit, sed valde difficile, purgatum se quenquam agnoscere, & ideo prædicationis officium tutius declinari.

Libr. 7. epist. 57.

Past. 1. par. cap. 7.

Suffraganturque his verba hæc Richardi: *Quanto vehementius de suo reatu interno dolore quis afficitur, tanto certior, tanto securior de indulgentiæ venia efficitur.*

Rich. c. ho. Beat. mat.

Nec minus illa Cassiani: Dum agimus pœnitentiam, & adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est, vt ignem conscientiæ nostræ, obortus ex confessione culpę, lachrymarum imber extinguat. Quum vero cuiquam in hac humilitate cordis & spiritus contritione desixo, atque in labore & gemitu perdurant[i], horum recordatio fuerit consopita, & conscientiæ spina de medullis animæ gratia Dei miserantis eulsa, certum est eum ad satisfactionis finem, atq; indulgentiæ merita peruenisse, & ab vniuersorum criminum labe purgatum. Neque his obstat, quod nonnulla istorum signorum aliquando videntur deprehendi in hæreticis, vel in infidelibus & alijs peccatoribus.

Cassia. col. 20.

Vt enim de quibusdam hæreticis, nomine Apostolicis, verissime dicit Bernardus serm. 66. in cant. *Nihil simile habet constantia martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contemptum in illis pietas, in istis duritia operatur. Et ideo propheta martyris forsitan voce dicebat: Coagulatum est, sicut lac, cor eorum, ego vero legem tuam meditatus sum: pro eo videlicet, quod etsi pœna eadem videretur, longe diuersa esset intentio, illo vtique durante cor contra Dominum, isto in lege Domini meditante.* Hæc Bern.

Psalm. 118. Discrimen passionum martyrum & hæreticorum.

Ac manifestum est, non talibus amoris aculeis excitari infideles aut peccatores, ac animas iustorum, in quarum persona dicitur: *Vulnerata charitate ego sum.* Sed de his copiosius egimus in lib. 9. Quia tamen neque ista præcellentia signa, de quibus tractauimus, neq; aliqua alia præter diuinam reuelationem, nos possunt facere de futura nostra conuersatione securos, nullatenus concedendum est, posse quenquam in hac vita consequi certitudinem vel moralem de sua prædestinatione aut perseuerantia.

Prudentissime profecto Augustinus cap. 12. de pastorib. Temeratijs iudi[c]ijs plena sunt omnia. *De quo desperauimus, subito conuertitur, & fit optimus: De quo multum præsumpsimus, subito deficit, & fit pessimus. Neque timor noster certus est, neque amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo, vix nouit ipse homo: tamen vtcunque ipse quid hodie, quid autem cras, nec aut ipse.*

Patiaque his tradit Bernardus ser. 1. septuag. in hæc verba: *Hoc est, vnde semper soliciti, & in timore & tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei: quoniam quales sumus, nosse possumus vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse, penitus nobis impossibile est. Itaque qui stat, videat*

videat ne cadat: & in ea forma, quæ salutis indicium est & argumentum prædestinationis, perseueret atque proficiat. Hæc ille.

Certitudo spei. Itaque cum sancti Doctores aliquando dicunt, viros spiritales in hac vita cum certitudine expectare beatitudinem, & propter hanc spei certitudinem, merito dici à Paulo, consedere in cœlestibus: aut loquuntur de certitudine conditionali, si quidem in illis, quæ faciunt, vsque ad mortem, vt confidunt, perseuerent: aut si ad absolutam certitudinem verba sua videantur referre, de certitudine coniecturali & probabili ea exponenda sunt. Nequit enim absoluta alicuius spes certa prorsus esse, nisi certo credamus, nobis illud adfuturum.

Atque ita interpretanda sunt hæc verba Gregorij 6. Mor. cap. 8. *Sancti viri fortis de spe. Et sunt. & velut indigni omnia tolerant: sed dignos se supernis sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine expectant.*

CAPVT XXI.

De necessitate diuinæ gratiæ ad perseuerandum.

ENVCLEANDVM tamen adhuc superest, vnde iusti habeant, quod in gratia Dei perseuerent, & qua potissimum ratione eximium hoc perseuerantiæ donum sibi possint comparare. Ac primum quidem diserte tradiderunt Patres in principio Capitis 13. vbi constanter aiunt, aliunde eam haberi non posse, nisi à Deo. Secundum vero paulo post nos colligemus, & fusius explicabimus ex his, quæ sparsim tradita sunt à Patribus in eodem capitulo. Et circa horum prius, nihil nobis est per Dei gratiam negocij cum hæreticis nostri temporis. Persuasissima est eis hæc Patrum sententia.

Vtinam sic in alijs sobrie & prudenter saperent, neque iniuriam gratiæ existimarent, quod libero nostro arbitrio gratia sanato & reparato, Ecclesia Catholica concedit. Facile sperarem, si in hoc modum scirent tenere, omnes controuersias, quæ de his sunt inter nos & illos, posse componi. At enim quamuis modo nullas molestias Ecclesia patiatur super hoc dogmate, passa tamen olim est tempore Pelagianorum non mediocres, vt constitueret, & persuaderet fidelibus, non posse quempiam, nisi ex gratia & speciali dono Dei, in accepta iustificatione perseuerare. Pelagius enim & Cœlestius, & qui eorum fuere factionis, vt ex Hieronymi dialogis contra ipsos & maxime ex Augustino, in de perfectione iustitiæ, constare potest, magno argumentorum volumine contenderunt, posse hominem per sui arbitrij libertatẽ vitare quodcunque peccatum, & implere omnia mandata. Ex quo consequens erat, vt nullam gratiam crederent esse necessariam ad perseuerandum in obseruantia mandatorum, & in amicitia diuina. Et ex his, qui non omnino ad partes Pelagianorum desciuerãt, neque eorum dogmatibus in totum consenserant, Diuus Augustinus commemorat fuisse suo tempore quosdam, qui initiũ fidei & perseuerantiam, à nobis esse asseuerarent: cætera vero opera bona, & alias virtutes, Dei dona esse faterentur. Lib. de bono perse.

Verum intellexit plane Ecclesia Catholica, idq; optime constabilierunt Hieronymus & Augustinus in citatis libris, Pelagianos esse simulatos, quicunq; contenderunt, libertatem arbitrij nobis inditi satis esse ad perseuerandum, & non peccandum. Et cõtra illos omnes tonant illa verba, quibus Augustinus conclusit librum de perfectione iustitiæ: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem: ab auribus omnium remouendum, & ore omnium anathematizandum non dubito.*

Sed possent aliqui alia via contendere, non esse necessarium fauorem diuinum specialem ad perseuerandum, ita scilicet, vt non hoc referrent ad nudam libertatem arbitrij, sed ad gratiam in iustificatione acceptam. Dicerentq; ex consequenti, necessariam esse gratiam Dei ad perseuerandum, sed non aliam, quam gratiam gratum facientem: & per eam posse omnes iustos, si velint, omnia mandata seruare, & omni-

bus tentationibus resistere, ac proinde nullam esse eis necessariam specialem aliquam gratiam ad vitandum peccata: sed si Deus iuxta legem communem, gratiam datam eis non auferat, posse illos per ipsam perseuerare in ipsius gratia. Et qui hoc defenderent, hac se ratione tuerentur à Pelagianis longe esse, quod illi ad potentiam & virtutem gratiæ hæc referrent, quæ Pelagiani libertati arbitrij imputabant. Sed siue illi cum Pelagianis sentiant, siue non, longe eos à veritate aberrare statim monstrabimus. Et quidem Patres in capitulo hoc, quod modo exponimus, ita voluerunt stabilire à Deo esse perseuerantiam. vt etiam iusti intelligerent, Dei se opere indigere ad perseuerandum. Vnde & Deum solum, aiunt, posse eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet: neque aliunde posse tantum donum haberi, & eum esse, qui dat velle & perficere: & in eo vno omnes, hoc est, tam iustos quam peccatores, sperare debere. Et in hunc sensum oportet hanc Patrum doctrinam interpretari. Et ne quispiam de hoc ambigat, hanc fuisse Christi, Apostolorumque ipsius & totius Ecclesiæ perpetuam doctrinam, contra Pelagianos & contra hos, quicunque sic sentiant, subiectis argumentis docebimus.

Necessaria etiam iustis specialis gratia ad perseuerandum.

Argum. 1.

Ac primo locupletissime hoc ostendit ipse author, reparator, ac perfector gratiæ Christus. In gratia nimirum erant ipsius Apostoli tempore, quo, instāte iam sua ipsius passione, ad eos dixit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Et tamen quia necessariam illis videbat opem diuinam ad perseuerandum & non corruendum, vt misericors & prouidentissimus magister & pastor, instanter patrem pro ipsorum perseuerantia rogabat, & inter alia dicebat: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.* Et vt agnoscerent, ab illius se præsentia & protectione habuisse, quod eousque perseuerassent, adiecit: *Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Et statim: *Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Et ad Petrum ait: *Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et ipsosmet Apostolos solicite bis admonuit, vt orarent, ne intrarent in tentationem. Quid vero tam solicitus erat, vt eis impetraret fauorem diuinum ad perseuerandum, & perseuerantiam eorum in id vsque temporis sibi tribuit, & pro Petri fide studiose rogat, ne deficiat, atque omnes Apostolos, vt pro se vigilent & orent, tam diligenter hortatur, si illi per accepta munera iam hoc habebant in sua potestate?

Lucæ 22.

Ioan. 17.

Lucæ 22.

Pulchre profecto Hieronymus 2. in Pelagianos exaggerat hæc verba: *Quid dormitis? Surgite, & orate, ne intretis in tentationem.* Debuit, inquit, iuxta vos dicere: Surgite, & resistite. Liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio. Et in eundem modum, eis qui dicerent, satis esse iustis gratiam acceptam, nos possemus dicere, Debuit iuxta vos dicere: Surgite, & viriliter resistite. In vobis enim est, vnde possitis de quouis hoste triumphare, & semel concessa vobis à Domino sua gratia, nullo amplius indigetis auxilio. Et patentissime hoc idem ostendit, cum Apostolos suos, & in illis omnes & iustos & peccatores, inter cætera patrem orare instituit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc est, sicut exponunt communiter Doctores, Ne patiaris nos induci seu inferri in tentationem, & in ea deficere. Hæc namque manifeste indicant, necessarium esse omnibus numen diuinum, ne incidamus in tentationem, & deuincamur à malo. Nam *alioqui*, vt perpulchre dicit Augustinus de natura & grat. cap. 18. *quid stultius, quam orare, vt possis, quod in potestate habeas, vt facias? Et cur oratur, vt accipiatur, si ab homine est, vt habeatur?*

Matth. 6.

Argum. 2.

Docuit & hoc idem miles ille acerrimus, & inuictissimus gratiæ defensor Paulus, cum & iustos, & peccatores orare omni tempore in spiritu hortatur, vt possint dæmoni resistere, & ipse pro quibusdam iam iustificatis, orare se dicit, vt nihil mali faciant: pro alijs vero, vt ambulent digne Deo. Et alias palam fatetur, non posse nos seruare gratiam acceptam absque nutu & ope-

2. Cor. 4. ope diuina. *Habemus*, inquit, *thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, non ex nobis.* Quæ & apertius, & significantius Hieronymus 3. contr. Pelag. sic legit, vt abundantia fortitudinis nostræ sit ex Deo, & non ex nobis. Et in alio loco retundens impudentiam hæreticorum, se nihil esse fatetur, & in vno Domino gloriandum docet, & qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse, inquit, se seducit. Et Deo tribuendum esse, si quando inuicti perseueremus in Dei gratia, his verbis tradit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum*, siue (vt Concilium Mileuitanum & alij legunt) exitum, *vt possitis sustinere.* 1. Cor. 10.

Idem etiam intellexit Augustinus de bono perseuer. c. 8. significatum nobis à Paulo in testimonijs citatis à Patribus in decreto. Sic enim scribit: *Multos à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus: Quapropter, qui videtur stare, videat ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit: & voluntate Dei stat, qui stat. Potens est enim Deus statuere illum. Non ergo ipse seipsum, sed Deus. Veruntamen bonũ est, non altum sapere, sed timere.* Et statim idem etiā confirmat ex illis verbis, quæ & ad iustificatos dixit: *Nõ sumus idonei cogitare aliquid à nobis quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nam vtique in cogitatione sua*, inquit, *vel cadit quisq; vel stat. Cogitãtes namq; credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus.* 1. Cor. 10. 2. Cor. 3.

Et vt magis hoc stabiliat, adducit ibi Ambrosium de fuga seculi, cap. 1. secutum Paulum, & dicentem: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum & nostra cogitationes. Quod omnis, qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.*

Argum. 3. Quin & ex mirifico Psalte Israel potuit etiam ante Christi aduentum discere Ecclesia hanc veritatem: Cum videret se vndique septum & vallatum hostibus validis, qui eum ad peccatum excitabant, rogat auxilium, & dicit: *Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?* Atque ipse sibi mox respondet, & clare confitetur vno Dei præsidio se protectum, & prohibitum à lapsu: *Nisi quia Dominus*, ait, *adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.* Et alias cum dixisset, *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam:* adiecit statim, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Psalm. 93. Ibidem.

Vt intelligeremus nimirum, & ad ineundum amicitiam diuinam, & ad perseuerandum in illa, necessariam esse gratiam & cooperationem diuinam. Siue enim ad terrestrem Hierusalem hæc verba referantur, siue non: dubium non est, vt & Hilarius in hunc Psalmum docet, ad animas iustorum hæc pertinere, quæ alibi templa, domus, & ciuitates Dei dicuntur.

Vnde & ipse Psalmista, vt hæc omnia dilucidiora faceret, generaliter dixit: *Salus autem iustorum à Domino: quia ipse illam dat, & ipse eam seruat.* Et iterum: *Pro nihilo saluos facies eos.* Haud dubium quin iustos, inquit Hieronymus 2. contr. Pelag. qui non proprio merito, sed Dei saluantur clementia. Quare & ipse Dauid, quanquam iudicij veritatem Dei misericordia temperabat, tamen quia ausus est dicere, *Ego autem in innocentia mea ingressus sum, & pes meus stetit in directo*: relinquitur, asserente Hieronymo, parumper fragilitati suæ & per adulterium lapsus in homicidium, postea loquitur: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Et alio in loco suam temeritatem aperte confessus, dicit: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum: Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: Auertisti tu faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Psalm. 36. Psalm. 55. Psalm. 50. Psalm. 29.

Et conscius iam bene, immo certus imbecillitatis suæ, Deo tribuit suam perseuerãtiam, dicens: Domine virtus salutis meæ, obumbrasti caput meum in die belli. Et pro ipsa, teste Innocentio, flebili sermone exorabat, dicens: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, nec despicias me Deus salutaris meus.* Et alias dicit: *In æternum misericordia ædificabitur. Nullum enim tempus est*, sicut ait Hieronymus 2. contr. Pelag. *quo non ædificetur misericordia in singulis quibusque sanctorum.* Et iterum: *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Nostra enim victoria* (addit Hieronymus) *& corona victoriæ, illius protectione & clypeo paratur.* Innoc. epist. ad Mileuit. Concil.

Et quid aliud omnibus pene Psalmis, & præcipue Psalmo 120. *Leuaui oculos meos in montes*, testatur, quum indesinenter se impetrasse & implorasse auxilium diuinum, & Deum absque intermissione vlla vigilare in suorum custodiam, & ab ipso habere iustos, vt non commoueantur, sed persistent, & iugiter proficiant in illius gratia?

Argum. 4. Et hoc insuper est, quod iuxta expositionem Hieron. in Pelagian. & August. de gratia & lib. arb. c. 6. nobis indicauit sapientissimus rex Salomon, cum de Ecclesia iam abluta & mundata per gratiam, dicit: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluēs, innixa super dilectum suum?* Vel, sicut ijdem legunt, *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata incumbens super fratruelem suum?* Siquidem non ob aliud ipsam, iam de luto & sordibus peccatorū in quibus iacuerat, leuatā & dealbatā, inniti dicit seu incumbere super dilectum suum, nisi vt intelligat, inde se habere vitā, inde robur & vires, inde quod in sua puritate & munditia perseuerat. Vt lota quidē sit, ait Hieronymus 3. in Pelag. sed custodire non valeat puritatē, nisi à Domino Deo sustentetur. Ascendit sane de deserto huius mundi Ecclesia, & iugiter in electis suis proficit, & delicijs affluit, sed si super eum, à quo dealbata est, perseueranter incumbat. Quod & Christus significauit non obscure in parabola vitis & palmitum. Siquidem non solum non potest palmes ferre fructum, nisi manserit in vite, sed neq; viuere potest, nisi vitam iugiter accipiat à vite, & à qua habuit viuere habeat & in vita persistere. Sicut rami & flagella vitium ilico contabescunt, cum fuerint à matrice præcisa, ita omnis hominum fortitudo, iuxta Hieronymum, marcescit & deperit, si à Dei auxilio deseratur.

Argum. 5. Confirmauit & hoc ipsum præcellens ille propheta Hieremias: de omnibus namque & iustis & peccatoribus constanter pronunciat: *Scio Domine quod non est hominis via eius, neque viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos.* (Hierem. 10.) Et alibi in nomine Domini: *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me nō recedant.* (11.) Quibus verbis hoc palam dicit: Tantus ac talis erit timor meus, quem dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant.

Ipsa etiam, quæ in se iusti experiuntur, quæque ex alijs communibus Ecclesiæ dogmatibus omnes recipimus, hanc necessitatem gratiæ diuinæ ad perseuerandum testantur. Argum. 6. Certe videmus non omnes iustos perseuerare, sed quosdam vsque ad mortem in accepta gratia firmiter & constanter persistere, alios vero corruere, & retro aspicere, & sicut est in Euangelio, ad tempus credere, & in tempore tentationis recedere. Quid est ergo, quod cum omnes æque ad malum proni & vertibiles simus, tamen cum eisdem occasionibus quidam cadūt, alij stant, nisi quod quosdā Deus misericorditer adiuuat, & benigna sua manu tenet, vt in gratia ipsis collata perseuerent, nec se in vitia præcipitent, alios pro peccatis suis & negligentijs, suæ permittit libertati, ac proinde à gratia donata excidunt. Et in ruina quorundam, & perseuerantia aliorum dilucide agnoscimus, verum esse illud propheticum: *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Oseæ 13.

Argum. 7. Et nisi ita esset, non plus deberent Deo iusti, qui perseuerant, quam debuerunt, qui non permanserunt in beneficijs acceptis, sed* per fidem reuersi sunt ad Ægyptum, quam deseruerant. *perfide

Argum. 8. Ac satis reuera explicari nequit, quam gratiam maiorem acceperint confirmati in gratia, quam reliqui perseuerantes, & tamen in illa non confirmati, nisi credamus ex dono esse Dei speciali vtrorunque perseuerantiam. Si enim vtrique ex libertate sui arbitrij, vel ex virtute gratiæ in sua iustificatione acceptæ perseuerare possunt vsque ad mortem, & à libertate vel gratia accepta habent quod perseuerent: quæ maior gratia his fit, quam illis, cum neutri nulla noua gratia ad perseuerādum indigeant? Hoc autem facilimum est declaratu, si quidem, vt patet, fateamur iustos omnes indigere gratia speciali ad perseuerandum. Maiora quippe eis dari & pleniora auxilia ad perseuerandum dicemus, & Deum eis ipsis promisisse, vel legem statuisse, qua se benignissime adstrinxerit ad protegendum eos, & adiuuandum sic iugiter & for-

titer

titer, vt nulla ratione in aliquod trahi possint peccatum mortale.

Argum. 9. Non opus est tamen, vt omnes agnoscamus necessariam esse specialem Dei gratiam ad perseuerandum, alia spectare, quam ea quæ semper & vbique patimur. Ipsa nos possunt plenius docere, & certius admonere nostræ imbecillitatis. Si fieri posset, vt aquæ baptismatis merlos nos tenerent, volitantia desuper peccata non tangerent, ipse nos defenderet, & tueretur spiritus, qui illas sanctificat.

Pericula & labores huius vitæ. Sed impugnat inimicus, neque victus recedit. Semper in insidijs est, vt sagittet in occulto rectos corde. Et aduersario sæuiente, error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat. Et magna est nobisipsis ex nostra natura congenita instabilitas. Eundem semper vultum habere non possumus, quod de Socrate Philosophi gloriantur, quanto magis animum? Multæ facies hominum, si & corda diuersa. Multa vndique pericula nos circumstant, multæ difficultates & molestiæ obsident, multæ insidiæ & offensiones passim occurrunt. Furit in nos nostra propria caro, fremit mundus, rugit dæmon. Lassamur, fatigamur, deijcimur, ægrotamus, deficimus. Scinditur, & dilaceratur, ac dilaniatur animus noster in plurimas & multiplices curas & studia. Plerunque dum minime volumus, minimeque cogitamus, terrenarum irrepit illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, & variæ cogitationes hinc & inde perstrepentes, & circumuolitantes animum confundunt, atque alio trahunt, quàm proposuerimus. Ad secularia reuocant, mundana inferunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt: ipsoque tempore, quo eleuare mentem paramus, inanibus degrauati ac implexi cogitationibus, ad terrena volentes nolentes deprimimur, & in hisipsis nos deprehendimus persæpe collapsos, quæ accurate vitare studebamus, & vbi rædebat cadere, iam libet iacere. Et causa omnium istarum miseriarum est, quia non plene sanatur natura, donec fides perueniat ad visionem. Et iustificatio huius viæ, neque extinguit fomitem repugnantem legi mentis nostræ, & captiuantem nos sub lege peccati, neque triumphat penitus de nostris hostibus, neque perfectè illustrat intellectum, neque in totum perficit appetitum.

Verum superbiunt & post ipsam, & multo magis insidiantur nobis inimici nostri, & in intellectu manent multæ ignorantiæ, & in vtroque appetitu, sensitiuo & intellectiuo, superest non exigua procliuitas in malum, ac difficultas & reluctatio seu renitentia ad bonum. Nam vt verissime nostro Salomoni concinit Flaccus, corpus onustum hesternis vitijs, animum quoque degrauat ipsum. Atque affigit humo diuinæ particulam auræ. Itaque cum in tam multis periculis, quamdiu sumus in hac vita, versemur, & inter tam multos hinc inde sæuientes hostes agamus, & ipsi alioqui plurimis nominibus fragiles, imbecilles, & instabiles simus, & nobisipsis graues, aduersi, & inimici, nisi clausis, quod aiunt, oculis, veritatis lumini velimus resistere, dubitare neque debemus, neque possumus, quin etiam iustificati, ad perseuerandum in Dei gratia, auxilio ipsius speciali indigeamus.

CAPVT XXII.

De consensu totius Ecclesiæ in necessitate gratiæ ad perseuerandum.

ET vide, vt magno & vnanimi prorsus consensu hanc doctrinam acceptauit & confirmauit, & fidelibus suis tradidit semper Ecclesia. In Concilio quodam Carthaginensi, tempore Innocentij huius nominis primi celebrato, dum confirmant Patres hanc veritatem ex verbis, quibus Christus nos docuit orare, ne intremus in tentationem, pulcherrima illa verba in epistola ad eundem Innocentium adiecêre: *Quis non videat, inaniter à Domino peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur, quæ natura iam condita sufficientibus viribus obtinentur, neq; debuisse dicere Dominum Iesum Christum, Vigilate & orate: sed tantummodo, Vigilate, ne intretis in tentationem?*

Concilium etiam Mileuitanum in epi-

stola ad eundem Innocentium satis innuit sibi certam fuisse hanc doctrinam. Nam inter cætera Pelagij non ferenda dogmata, hoc quoque commemorat, quod non sit opus poscere diuinum adiutorium, ne tentati decidamus. Et hoc confutant eodem orationis Dominicæ argumento, quo vsi sunt Patres Concilij Carthaginensis.

Sed apertior est Concilij Arausicani secundi diffinitio, quæ sic habet: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit: quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Hæc ibi. Et videntur hæc verba fauere opinioni Caietani, qui etiam homini in statu innocentiæ necessariam fuisse credidit gratiam specialem ad perseuerandum. Sed contrarium huius tuentur communiter Doctores Scholastici. Et pro eis Augustinus aperte est. Nam in de bono perseuerantiæ cap. 7. sic scribit: Qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sumus: fuerat in homine antequam caderet. Et hanc libertatem voluntatis in illius primæ conditionis præstantia manifestatam esse dicit in angelis, cum, diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. Et Concilium Arausicanum, si bene perpendamus verba statim citata, fatetur quidem, nos non posse sine gratia salutem custodire, sed de natura humana perseuerante in suæ conditionis integritate, tantum dicit, quod nullo modo seipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret. Quibus verbis non possibilitas, sed factum negatur, & forte ad adiutorium generale referri possunt.

Sed vtcunque se ista habeant, pro ea, quam stabilimus, veritate apertissimæ etiam præcesserant Apostolicæ Sedis diffinitiones. Innocentius I. in epistola ad Concilium Carthaginense suo tempore congregatum, de omnibus & iustis & peccatoribus sic scribit: *Nisi quotidianus, qua Christus contulit, remedijs freti confisiq; nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.* Et in epistola ad Concilium Mileuitanum apertius: *Necesse est gratiam, restituta nobis pristini status libertate, quæramus: quippe neq; *alias diaboli machinas, nisi eadem possumus iuuante vincere, neq; vitare.* *alias

Et paria his diffiniuit Cœlestinus primus epist. 1. can. 2. in hæc verba: *Nemo etiam baptismatis gratia renouatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adiutorium, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.* Et concinunt per omnia Concilijs his sacris, & summis Ecclesiæ Pontificibus sancti Ecclesiæ Doctores. Idque liquere potest tum ex iam citatis, tum ex illis, quæ nunc subnectemus.

Cyprianus in expositione orationis Dominicæ, multis verbis explicat in particula illa, *Sanctificetur nomen tuum*, hoc nos petere, vt sanctificetur Deus in nobis, & ea in nobis sanctificatio & viuificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius in nobis protectione seruetur & permaneat. *Id petimus*, inquit, *& rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseueremus.*

Et hæc verba August. in lib. de bono perseuer. c. 2. satis esse putauit, vt crederemus Cyprianum sensisse, perseuerantiam esse Dei donum. *Cur enim*, inquit, *perseuerantia poscitur à Deo, si non datur à Deo?* An & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante, esse in hominis potestate, sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donaui ipse, neque fecit? Et ibidem ostendit, non solum perseuerantiam esse Dei donum, sed & magnum Dei donum, quo cætera Dei dona in nobis conseruantur. Atque excepta quinta, in omnibus petitionibus orationis Dominicæ, maxime vero in sexta, quam sic legit: *Et ne nos inferas in tentationem*, erudite & pie docet, hoc donum nos à Deo postulare. Immo ideo adijcit Deum voluisse hæc à se posci, vt hoc ipso intelligeremus, vnde tantum beneficium habeamus. *A quo enim*, ait,

nisi ab

nisi ab illo accipimus, à quo iussum est, vt petamus? Et infrà: Non veras, sed prorsus perfunctorias esse dicit orationes eius futuras, qui hoc non crediderit se accipere à Domino. *Quis enim*, inquit, *veraciter gemat desiderans accipere, quod orat à Domino, si hoc à seipso se sumere existimet?*

Et eodem testimonio Cypriani firmauit Augustinus hanc eandem sententiam in de correctione & gratia, c.6. Vbi & illa nostro proposito apta eleganter dicit: *Perseuerantia, si ab homine homini esset, à Deo poscenda non esset.* Et de gratia & libero arbitrio, c.6. idem tradit. Et ne quis causetur, hæc dicta ab Augustino contra Pelagianos, qui libertatem arbitrij ad perseuerandum satis esse putarunt, audiat quid idem in de perfectione iustitiæ scribat: *Etsi tanta charitas habeatur, quanta in corpore mortis huius haberi potest, parum est nostra voluntatis arbitrium, nisi adiuuetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et ibidem docet, profiteri se, non esse Christianum, qui dicit alicui homini non esse necessarium orare orationem Dominicam. Non esset autem necessarium iustis dicere, *Ne nos inducas in tentationem*, si non indigerent ad id noua gratia diuina. Et in de natura & gratia, c.26. apertissime idem confirmat hac similitudine: *Sicut oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere: sic etiam homo perfectissimè etiam iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere.*

Et Hieron. in 2. contra Iouin. sic loquitur: *In bonis operibus perfector est Deus. Non est enim volentis neq; currentis, sed miserentis & adiuuantis Dei, vt peruenire valeamus ad calcem.* Et eruditissime, vt assolet, multis hinc inde prolatis Scripturarum testimonijs ostendit, Pelagianis in Dialogis contra ipsos necesse esse, vt semper & in singulis operibus, Dei ope omnes nitamur & auxilio. Et de iustis & peccatoribus aperte pronunciat & absolute in principio primi Dialogi: Non sic donata est liberi arbitrij gratia, vt Dei per singula tollatur adminiculum. Et in principio tertij, sic Critobulo loquitur: *Et tamen hoc sitio, Baptismum præterita donare peccata; non futuram seruare iustitiam, quæ labore & industria, ac diligentia, & super omnia, Dei clementia custoditur, vt nostrum sit rogare: illius, tribuere quod rogatur: nostrum, incipere: illius, perficere: nostrum, offerre quod possumus: illius, implere quod non possumus.* Et tandem prope finem tertij sic concludit: *Longum est, si voluero cuncta sanctarum Scripturarum exempla proferre. Totus sermo sanctorum ad Deum, oratio est. Tota oratio & deprecatio extorquet clementiam creatoris, vt qui nostris viribus & studio saluari non possumus, illius misericordia conseruemur.*

Cyrillus 11. in Ioan. c.21. & nostram cooperationem, & diuinæ gratiæ auxilium, necessarium ad perseuerandum ex eo approbat, quod Christus omnes suos Apostolos seruasse se asserit, & neminem ex eis perijsse, nisi vnum Iudam, qui non minus quam cæteri diuina gratia regebatur, & per patrocinium Christi stare potuisset, nisi vltro & sponte sua in perditionis se profundum demisisset. Verba Cyrilli, quæ ad propositum nostrum firmandum satis possunt esse, hæc sunt: *Salutem quidem vigilantes, attendentesq; diligenter acquirimus. Non sufficit autem id nobis, cum diuina gratia, quæ difficilia facilia faciat, & arduam iustitiæ viam planam nobis reddat, necessariò indigeamus. Nostra enim vis, nisi diuinitus sustentetur, nulla penitus est, quod Psalmista confirmat, clamans: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Quare necesse est, vt iugiter magnoq; animo ad acquirendam salutem studeamus, & opem Dei, qua protegamur, orando petamus.* Hactenus Cyrillus. Psal. 126.

Chrysostomus hom. 80. in Ioan. in eundem sensum interpretatur verba Christi exposita à Cyrillo, & nomen pro auxilio esse positum existimat, cum dixit: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo.* Et ibidem statim propterea dictum esse ab eo putat, *Omne quod dedisti mihi, non perdam ex eo*: & rursus apertius, *Quod venerit ad me, non eyciam foras*: quia quantum in se est, neminem perdit, neminem expellit, neminem derelinquit: sed sponte sua tamen resilientes à se, vi non trahit. Sequitur Chrysostomum more suo Theophylactus in Commentar. Ioan. Gregorius 23. Moral. cap. 28. *Tentati vniuscuiusq; iusti* Ioan. 6.

iusti anima corruptioni appropinquare dicitur, & vita illius mortiferis, quia ex suis se viribus perditioni proximum non ignorat & ex infirmitate carnis, proximum se peccatu, mortem ferentibus respicit. Et paulo post: *Quid sumus si à conditor nostri protectione deseramur?* A propterea mox explicat hanc protectionem vtiliter plerunque subtrahi, vt sibimetipsi homo quam sine illa nihil sit, ostendat. Quare continenter subnectit: Nemo ergo se alicuius virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest: quia si diuina protectio deserat, ibi repente eneruiter obruitur, vbi se valenter stare gloriabatur.

Iob 31

Bernardus serm 3. in Cant. *Qui dedit voluntatem pœnitendi, opus est vt addat & continendi virtutem, ne iterum pœnitenda committam, faciamq́; nouissima mea peiora prioribus. Va enim mihi etiam pœnitenti, si statim subtraxerit manum, sine quo nihil possum facere. Nihil inquam, quia nec pœnitere nec continere.* Et statim addit: *Non sum omninò contentus priori gratia, qua iam malorum sum pœnitens, nisi & secundam accepero, vt videlicet dignos faciam pœnitentia fructus, & deinceps non reuertar ad vomitum. Hoc ergò restat mihi priùs petendum & accipiendum, quam præsumam altiora & sacratiora contingere.* Hucusque Bernardus.

Richardus de sancto Victore de statu inte. ho. c.13. Sicut non potest homo per se gratiam semel amissam recuperare, sic quidem gratis recuperatam non potest, nisi ex aliena tutela, custodire. Ecclesiæ etiam toto orbe dispersæ vniuersalis consuetudo docere nos potest, & confirmare apud omnes hanc doctrinam. Semper enim Deum in adiutorium suum humiliter implorat. Semper de perseuerantia in obseruatione mandatorum gratias agit, & cum sancto Iob beneficium sibi exhibitum agnoscit, dicens: *Visitatio tua c[illegible] diuit spiritum meum.* Neque fuit vnquam inter Christianos tam parum pius, tam parum religiosus, aut tam perperam in disciplina Christiana institutus, qui non putaret sibi fore necessarium, vt Dei in se fauorem & propitiationem, quacunque liceret, impetrare & promereri *satagere, ac de præsentia, qua nos protegit & munit, sicut liberales & gratos

Iob 10

* satageret

seruos ac filios decet, gratias agere. Quis Christianus non aliquando p[illegible]se, vt in Domino permaneret, orauit? Quis parens tam parum dilexit filios suos, quis maritus vxorem, quis amicus amicum, vt non illis orando petiuerit, vt in gratia Dei persisterent? Quis inuocantibus Sacerdotibus super circumstantem populum, Da eis Domine, vt in te perseuerent vsque in finem, vel similia, super talem benedictionem non respondet corde credente & ore confitente Amen? Quis in Missarum solennijs, exhortantibus Sacerdotibus ad gratiarum actionem illis verbis, Gratias agamus Domino Deo nostro, non etiam & pro acceptæ perseuerantiæ beneficio respondet, Dignum & iustum est? Nunquid soli peccatores sic respondent? Nunquid soli peccatores sic orant? Annon etiam iusti eadem confitentur & precantur, & tanto feruentius & deuotius & sæpius, quanto vberiora in se dona diuinæ misericordiæ agnoscunt?

Pulchre profecto Augustinus de bono pe seu. cap. 6. perseuerantiam esse Dei donum, hac eadem ratione sic concludit: *Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, vt increduli accedant. Deus ergò conuertit eos ad fidem. Orat, vt credentes perseuerent. Deus ergò donat perseuerantiam vsq; in finem.* Et 22. & 23. c. dicit, has orationes habuisse, habituramq́ue Ecclesiam ab exordijs suis, donec finiatur hoc seculum, & in his natam esse, & crescere, & creuisse.

Itaque oratio Ecclesiæ, quæ & ipsa clarissima est gratia, apertissima est fidei & consensus Ecclesiæ de hac necessitate gratiæ testificatio.

CAPVT XXIII.

De argumentis contra necessitatem gratiæ ad perseuerandum.

NON fuerit tamen satis, diffinitionem Patrum de necessitate gratiæ ad perseuerandum, tam multis omni ex parte communisse, nisi etiam & illa diluamus, quæ aduersus hanc veritatem possunt obijci.

ijci. Porro quemadmodum diffinitionem istam aduersarij diximus & Pelagianis, asserentibus sufficere liberum arbitrium ad perseuerandum, & alijs, quibus videri possit in eam rem sufficere gratiam acceptam in iustificatione: ita & duplici via illa impugnari potest, & ab vtraque necesse est eam tueamur. Et Pelagiani quidem, vt est videre apud Augustinum de perfect. iustit. decem & sex rationibus, & sane non omnino infirmis, & multis & magnis Scripturarum testimonijs constabilire nisi sunt, per libertatem arbitrij posse nos implere Dei mandata, & in accepta gratia perseuerare. Et ad ea omnia copiose & erudite pro sua eximia doctrina respondit Augustinus. Quod si quis vult habere summam quandam omnium illorum argumentorum, & idoneam aliquam breuem responsionem, qua possit satisfacere & illis, & alijs omnibus, quæ pro ipsis circa præsentem articulum adduci valent, præ oculos habeat hæc pauca:

Obiect. 1. Pelagiani inducebant pro se omnia testimonia, quibus Deus per se vel suos præcepit, vt essemus perfecti, & immaculati, & irreprehensibiles. Et aiebant, impium esse credere, Deum præcepisse aliquid impossibile, neq; posse nobis culpæ imputari, quæ non possimus euitare.

Respon. Et hæc omnia verissime dicebant, neque in nos, sed in hæreticos nostri temporis, qui mandata Dei asseuerant impossibilia, ista militant. Nos enim, hoc est, Catholici fatemur constantissime, posse seruari ab omnibus mandata, neque vitio verti alicui posse, quæ non sunt ab eo euitabilia. Dicimus vero hæc nos posse non per vires naturales nostri arbitrij, sed per auxilium speciale Dei, qui iustos semper custodit & protegit, & omnes sua ope vti volentes paratissimus est adiuuare.

Explicatio nostræ libertatis. Ac ne, dum populis prædicamus, vel veritatem fidei de prædestinatione, vel necessitatem gratiæ ad credendum, diligendum, pœnitendum, perseuerandum, & similia, scandalum obijciatur infirmis, & impediri ea causa contingat, aut certe languescere studia virtutis: cuperem hoc clare & distincte tradi, perinde esse in nostra potestate omnia exercitia virtutum, ad quæ credimus necessariam esse Dei specialem gratiam, ac si solus generalis Dei concursus sufficeret, immo ac si non esset, nisi nostra sola voluntas ad ea omnia requisita. Quin perinde nostræ subesse potestati, & ea omnia, & ipsam consecutionem beatitudinis, etiamsi Deus neque prædestinauerit nos, neque præsciuerit nos tantam felicitatem habituros, ac si prædestinasset nos, & præsciuisset ea omnia habituros. Tam potentem enim fecit propter suam summam sapientiam & misericordiam, nostram voluntatem, & tam admirabiliter suum omnem concursum & omnem suam scientiam, & prædestinationem, & voluntatem illius arbitrio subiecit, vt possit ipsa de se quicquid voluerit, statuere, & per se censeri posse, quæ per vnum ipsum specialiter adiuuantem potest. Et ille ita scit & voluit omnia futura contingentia, quæ nostro arbitrio subiecit, vt illius scientia & voluntas nihil nostræ præiudicent libertati. Neque nos aliter nostræ saluti debemus per obseruantiam mandatorum intendere, & ipsius opem assiduis & importunis gemitibus flagitare, quam si nihil ipse prorsus de nobis neque sciuisset, neque statuisset, sed nostram prorsus expectaret ad omnia voluntatem. Potest namque, quod vt maxime mirabile, ita & verissimum & certissimum est, potest (inquam) absque vlla prorsus suî mutatione, & scire & velle, immo & sciuisse, & voluisse ab æterno opposita omnium eorum, quæ de nobis præsciuit & præuoluit.

Et hæc sæpe desideraui, vt Augustinus palàm & aperte respondisset obijcientibus ipsi, quod à prædicatione prædestinationis & gratiæ cessandum esset coram populo, quod ea officeret audientibus, & segniores eos & tardiores redderet ad studia virtutum magis, quam alacriores & ferueutiores. Quæ tamen in conspicuo est falsa esse, si prædicationi prædestinationis & gratiæ adiungantur ea, quæ diximus, & commodis similibus declarentur, vt ex parte fecimus in libello de iustificatione, & Interserenda concionibus de prædestinatione, in fine quæst. XL.

Domino dante, copiosius faciemus in tractatu de prædestinatione. Atque hæc satis possunt esse pro omnibus Pelagianorum argumentis.

Obiectio 2. Quod vero gratia gratumfaciens, iustis in sua iustificatione elargita, sufficiat ad perseuerandum, potest quis his argumentis suadere: In Concilio Mileuitano canone 3. sic legimus: *Item placuit vt quicunque dixerit, gratiam, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit.* Et approbatus est hic canon à Cœlestino I. canon. X. suæ primæ epistolæ decretalis. Cum igitur gratia, qua iustificamur, sit gratia gratumfaciens, ea sufficiet ad vitandum omnia peccata, & ex consequenti ad perseuerandum. Siquidem qui perseuerat, vitat peccata: & qui vitat peccata, perseuerat.

Verum his verbis dupliciter possumus satisfacere. Respon. 1. Primo: Non hîc manifeste asseritur gratia valere ad vitandum omnia peccata, sed solum dicitur valere in adiutorium, vt ea non committantur. Ad quod satis est, si, vt docuimus in opusculo de iustificatione, q. 14. aliqua peccata possit iustus vitare per solum gratiæ gratumfacientis adiutorium, quæ absque illa vel auxilio Dei speciali non posset.

Respon. 2. Deinde: Gratia, qua iustificamur, non comprehendit sub se solam gratiam gratumfacientem, sed comprehendit etiam gratias gratis datas, quibus Deus adiuuat infirmitatem nostram, vt iustificemur, & proficiamus in iustitia. Et sic acceperunt Patres gratiam iustificationis in eodem Concilio, can. 5. cum asseruerunt non posse impleri mandata absque gratia iustificationis. Non enim statuere volebant contra Pelagium auxilium gratiæ habitualis, sed duntaxat auxilium gratiæ. Neque de gratia gratumfaciente erat tum concertatio, sed tantummodo de gratia seu fauore & adiutorio diuino.

Obiectio. Obijci etiam nobis potest authoritas Augustini. Nam is non ... ene libro de perfectione iusti ... mandati, possibilia esse nobis mandata, ac per hoc posse nos esse sine peccato, aperte respondet, posse nos seruare mandata, si quidem sanemur & reparemur. Nam *si filius vos liberauerit*, ait Christus, *verè liberi eritis*. Ioan. 8 Neque videtur aliud exigere ad seruanda mandata, quàm sanationem & reparationem naturæ nostræ, læsæ & vitiatæ per peccatum. Sed vt hoc sit dilucidius, aliqua ipsius verba subijciam. In responsione ad ratiocinationem primam Cœlestij sic dicit: Respondemus vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur per gratiam. In secunda: Vt sanemur, inuocamus eum, cui dicitur in Psalmo: *De necessitatibus meis educ me.* Psalm. 24 In tertia: Naturale non est peccatum, sed naturæ præsertim vitiatæ. Parumque est ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiuta sanetur gratia Dei per IESVM Christum Dominum nostrum. In quinta, cum vrgeret Cœlestius, Si debet homo vitare peccatum, potest: Si non potest, neque debet: respondet ex similitudine claudi, qui debet quidem, si potest, vitare claudicationem: sed non potest, nisi adhibita curatione sanetur, & sanum recuperet pedem. In sexta consultissime dicit homini præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt cum se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ ad sanandum interioris hominis claudicationem gratia Dei est. In quarta, libertatem, qua caruit victa vitio natura, promissam esse credentibus dicit ab ipso liberatore in illis verbis: *Si vos filius liberauerit, &c.* Ioan. 8. Et tandem in 16. cum premeret Cœlestius, Quomodo mea culpa est, si esse non possum sine peccato? hoc solum respondet, *Si per seipsum potest homo esse sine peccato, Christus gratis mortuus est. Non autem gratis mortuus est: Non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adiuuet gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Itaque ex his omnibus videtur Augustinus non requisisse aliam gratiam ad implenda mandata post adeptam sanitatem & libertatem, quam acquirimus in iustificatione.

Respons. At enim cum in eodem libro palàm asseruerit idem Augustinus, vt iam ex eo citaui:

tauimus, non sufficere ad perseuerandum & vitanda peccata, etiamsi tanta habeatur charitas, quanta in corpore mortis huius haberi potest, sed parum esse nostræ voluntatis arbitrium, nisi adiuuetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, satis innuit in præcitatis responsionibus, non se appellasse gratiam sanantem & liberantem, gratiam gratumfacientem. Nam ea aut charitas est, aut certe semper est ei coniuncta. Quare perinde fuit dicere, Non sufficere arbitrium nostrum cum quantacunque charitate: ac si dictum fuisset, Non sufficere cum quantacunque eiusmodi gratia. Vocauit igitur profecto gratiam sanantem & liberantem, auxilium, quo Deus adiuuat voluntatem, ne claudicet & labatur in peccata. Et propterea ibi dicit, sanationem à peccatis fieri, cum in hominibus credentibus & proficientibus renouatur homo interior de die in diem per diffusionem Spiritus sancti, donec fiat perfecta iustitia tanquam sanitas plena, & hanc medicinam esse semper requirendam, quia non tota sanatur infirmitas, neque plena restituitur libertas, donec adueniat illa bene viuendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque beatitudinis, quam expectamus, necessitas.

Quod si quis contenderit Augustinum vocasse gratiam sanantem & liberantem, ipsam gratiam gratumfacientem, quia & illa hic quadantenus sanat & liberat: dicam, eum ita respondisse hæretico, tum quia qui habet eiusmodi gratiam, habet in sua potestate omnem aliam gratiam, quæ ad implendum præcepta requiritur, tum etiam, quia aliqua sunt præcepta, vt in proximo libro docuimus, quæ non possunt impleri, nisi veniamus ad statum gratiæ. Et ad retundendam impudentiam hæretici, qui assertores gratiæ criminabatur impossibilia facere Dei mandata, satis fuit Augustino, ostendere aliquo modo esse nobis ea seruatu possibilia, etiamsi non sit satis ad ea implenda voluntatis nostræ libertas, vt Cœlestius contendebat.

Obiect. 4. Superest tamen adhuc non leue argumentum contra istam necessitatem gratiæ ad perseuerandum, ex virtute & potentia gratiæ gratumfacientis. In iniuriam namque ipsius videtur, & commendationi illius non parum derogare, asserere, præter illam esse iustis ad perseuerandum necessariam aliam gratiam, & perinde iustos ac peccatores, nouo indigere fauore ad vitandum peccata, & implendum mandata.

Præstat tamen, Dei in nos ingem beneficentiam, vel potius indeficientem misericordissimam magnificentiam & largitatem commendare, quam gratiam gratumfacientem. Et iniuria non est auroræ, si dicamus eam non habere tantùm splendorem, quantum meridies. Neque derogat puero, qui præfert ei iuuenem. Neque fidei detrahitur, si magnificetur Dei visio. Quocirca cum status iustorum in hac vita asseratur in Scripturis esse status fidei, & pueritiæ & auroræ comparetur, nihil derogabimus nostræ gratiæ gratumfacienti, quæ hic est in statu sibi præternaturali, neque sinitur totas exercere vires suas: sed tantum datur, vt ex parte & quantum huic statui satis est, nos perficiat: si dicamus eam non habere perfectionem tantam, quantam habebit vel ipsa, vel certe Dei visio & fruitio in patria. Tunc namque plenissima erit omnibus beatis potestas & omnem iustitiam faciendi, & omnem iniquitatem vitandi. Neque sic dicimus requisitam esse specialem gratiam ad perseuerandum, vt non quandoque per leues tentationes occurrentes, & breue tempus vitæ, etiam sine alio auxilio perseuerent iusti per libertatem suam & auxilium gratiæ gratumfacientis vsque ad mortem. Neque parem tribuimus iustis & peccatoribus potestatem deuitandi peccata. Possunt siquidem iusti multa per gratiam gratumfacientem bona opera facere, & multa peccata vitare, quæ aliàs non possent. Quia tamen vita nostra, tametsi breuis, multos protenditur in dies, & grauiores sæpe in ea occurrunt tentationes, quam vt illis deuincendis sola gratia gratumfaciens sufficiat, & hoc ipsum quod talia pericula non occurrunt, plerunque munus est & beneficium Dei speciale: ideo generaliter dici-

Respon.

dicimus, & iustis & peccatoribus necessariam esse Dei gratiam ad perseuerandum, vsque ad mortem.

CAPVT XXIV.

De necessarijs ex parte nostra, ad obtinendum & promerendum perseuerantiam.

CVM tamen saluare possit Deus omnes, & præstare illis donum hoc eximium perseuerantiæ absque vlla cooperatione nostra, neminem tamen ex adultis beat, aut tanti doni participem facit, quin & ipse suæ quoque cooperetur saluti. Neque hoc statuit, quia auarus aut inuidus sit. Longe absunt ista humana vitia ab illa summa Dei bonitate, quæ bonorum nostrorum aut gloriæ nihil indiget. Plenissimam in se omnium bonorum sufficientiam habet, immo eminentissime omne bonum est, nec potest esse aliqua res bona, nisi ex participatione illius: & quo maius & plenius, & supra quam dici aut cogitari potest, bonum est, eo magis cupit in alios se diffundere, & suorum bonorum & incomparabilis gloriæ participes eos efficere. Atque inde est, vt coadiutores sibi nos esse voluerit, & in nostram & aliorum salutem cooperatores, vt & ea ratione aliqua in nos redundaret particula gloriæ, quæ perseuerantibus debetur. Et nostræ quidem libertatis cooperationem necessariam esse ad perseuerandum, sicut ex sententijs Patrum capit. 21. citatis satis liquet, manifeste probant omnia illa testimonia, quibus perseuerantia nobis præcipitur, & vt vigilemus, & oremus, & nobisipsis attente prospiciamus, ne intremus in tentationem, admonemur. Non enim hæc nobis preciperentur, neque ad ea nos Deus per se, & per suos interius & exterius, voce & Scriptura passim exhortaretur, nisi nostræ potestati nostra subesset perseuerantia, & aliquid quoque ad ipsam nostra esset ex parte requisitum. Verum enim necesse non est, in eis testimonijs allegandis immorari. Sunt enim frequentissima in Scripturis, atque ex dictis, & statim addendis, quiuis facillime plura poterit in vnum colligere: *Si manseritis in sermone meo*, ait Christus, *verè discipuli mei eritis*. Ioan. 8

Necessitas nostræ cooperationis ad perseuerandum.

In quæ verba Cyrill 6. in Ioan. c. 1. Non incipientibus sed perseuerantibus vsque in finem, salus æterna promittitur. Idque pulchris allegorijs nauis, domûs, & certaminis ostendit. Et vbi nulla alia essent, certe sufficere deberent illa tam variè commendata in Apocalypsi: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes.* Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Apoc. 2. & 3

Quoniam vero hæc doctrina nulli Catholicorum, immo neque hæreticorum quidem, qui agnouerunt libertatem nostram, est ambigua, & contra negantes libertatem copiose libr. 2. disputauimus, totam eam disputationem, vtpote superfluam, missam nunc faciemus, ac cum Catholicis solis agentes, vnum illud pro complemento huius libr. curabimus docere, quæ sit potissima & certissima via, à iustis omnibus tenenda & sectanda, vt inter tam multa huius vitæ discrimina & pericula, perseuerantiam obtinere ac promereri queant, & ad coronam sibi paratam peruenire.

Neque hoc intactum præteriêre Patres in nostro decreto: Contenti quippe non fuêre extirpare errores, sed & pro paterna charitate, quam gerebant in omnes filios Ecclesiæ, soliciti fuerunt ea tradere, quæ docere & erudire omnes in iustitia possent, vt perfecti videlicet sint, quicunque hac doctrina vti curauerint, & ad omne opus bonum instructi. Verba vero, quibus viam certissimam ad perseuerandum docuerunt, hæc sunt: *Veruntamen, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in ieiunijs, in castitate.* In his autem non omnia Patres expresserunt, quæ ad perseuerantiam conducunt, sed ea duntaxat, quæ potissima visa sunt, quæque maxime in terris

Necessaria ex nobis ad perseuerandum.

hæreticorum neglecta hoc tempore audimus. Et ex eis similia voluerunt intelligi.

Quod & factitasse nouimus vtrunque Apostolorum principem, cum & methodum tradiderunt certissimam ad perseuerandum. Petrus enim omnibus fidelibus sic scribit: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint & superent, non vacuos neque sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.*

2. Pet. 1.

Paulus autem volens nos vigiles, attentos, & nostræ salutis solicitos efficere, expressit primo formidandam hostium nostrorum potentiam & malitiam. Deinde vero, ne animum desponderemus, panopliam, hoc est, vniuersam armaturam spiritalem, qua nos ab eis protegere possemus, his verbis insinuauit: *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo & in omnibus perfecti stare* Ac mox speciatim arma, quibus & tegere nos & protegere ab inimicis, & illos impugnare & expugnare valeamus, discrete tradidit dicens: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate. & induti loricam iustitiæ. & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.*

Ephes. 6.

Quibus verbis indumenta significauit tria, quæ induere debemus, ne nudi congrediamur cum hostibus, balteum videlicet castitatis, loricam iustitiæ, & calceamẽta pedum, paupertatem & puritatem, vt & corporalia contemnamus & flagremus iugi desiderio bonorum spiritualium.

Indumenta tria, militaturis necessaria.

Sed enim non satis sunt ad tantam pugnam indumenta communia, quibus contra hyemis rigorem, vel ardores æstiui temporis, corpora nostra contegimus. Quare militiæ spiritalis peritissimus dux confestim addidit arma duo, quibus duas præcipue corporis partes, quæque principia vitæ existimantur à philosophis, cor scilicet & cerebrum, communire possimus: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite.*

Fides.

Merito autem fidem scuto comparauit. Munimentum namque est omnium virtutum, fides. Et si vera & viuida sit, facile omnia tela inimici repellemus, & ne quicquam noceant, extinguemus. Terrenis nõ capitur oblectamentis, qui vere credit cœlestia. Et temporaria non terrent supplicia, formidantem ex animo æterna. August. *Fides scutum est, sub quo tuta est iustitia, sicut sub munimine omnium virtutum.*

Nomine vero galeæ salutis, id est, iuxta phrasim Hebraicam, galeæ salutaris, spem iuxta quosdam intellexit: quia sicut galea capitis est munimentum, spes est de fine; qui caput est virtutum moralium. Secundum alios autem, caritatem galeam vocauit. Vt enim galea cæteris armis superponitur, ita caritas complementum est & perfectio & apex omnium virtutum. Sed nobis magis arridet, prudentiam in galea intelligere. Sedes namque prudentiæ, sicut & galeæ, caput est. Et prudentia sensum tuetur, & moderatrix est & auriga virtutũ, neque patitur in hoc vel illud extremum, torpore aut feruore nimio declinare, sed medium vbique tenet & sectatur.

Galea salutaris, spes, vel caritas, vel potius prudentia.

Non his tamen contentus vexillifer eximius & dux militiæ Christianæ Paulus, arma adijcit, quibus & de omnibus hostibus nostris magnifice possimus triumphare. *Et gladium,* ait, *spiritus assumite*, quod est verbum Dei. Quoniam vt Christus dæmonem lethalibus vulneribus testimonijs scripturarum in suis tentationibus transfixit. sic & nos (vt elegantissime docet Gregorius in pastorali, & Chrysostomus in multis homilijs, & Cassianus in collationibus) testimonia scripturarum peculiaria & propria contra vnamquamq; tentationem seposita & parata habere debemus, vt per ea deuincere & exuperare aduersarium nostrum facile valeamus.

Ac ne quidpiam desideres in hoc mirifico & ditissimo armorum omnium spiritalium artifice, vel doctore potius & subministratore, ac fidissimo custode, vide, vt continuo doceat viam, quæ & nobis & alijs

hæc arma possimus parare, & vt ad manum vbiuis sint, facere: Per omnem, subdit, orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me. Quia dæmones per nosipsos, per mundum, per seipsos nos infestant, quemadmodum de nobis, de mundo, & de illis, nostris viribus & diuino in primis adiutorio triumphare possimus, dil genter docuit.

Compendium omnium necessariorũ ad perseuerandum.

Vt vero & quæ traduntur in nostro decreto à Patribus, & quæ hæc duo fidissima & firmissima Ecclesiæ columina docuere, sub aliquo compendio habeamus, & facilius memoriæ mandemus: possumus hæc omnia ad tria illa capita reducere, ad quæ Doctores communiter, & Patres in proximo capitulo, omnia satisfactionis opera redigunt: Ad ieiunium, dico, eleemosynam, & orationem. Quæ sola in expositione iustitiæ Christus Matthæi sexto executus est, dum admonuit, ne cursum nostrum fine humanæ gloriæ metiremur.

Ieiunio namque vniuersa corporis castigatio, & mortificatio continetur. Eleemosyna, vt præcipua iustitiæ pars, omnem in proximos beneuolentiam, beneficentiam, iustitiam, & misericordiam comprehendit. Oratio vero omnia sub se complectitur, quæ ad cultum, pietatem, & religionem Deo* debitum spectant. Hæc nostra in hac peregrinat one iustitia, Hæc certissima ratio in ea perseuerandi.

Necessitas orationis.

Sed explicemus horum trium virtutem & necessitatem aliquanto diligẽtius. Quia imbecilles sumus & multis nomin bus impares host bus nostris spiritalibus, & præcipua pars nostræ perseuerantiæ ex Dei dono est, primum & ante omnia necessarium ad perseuerandum, est iugis, deuota, & feruens oratio. Vt enim quibus bellum imminet cum aliquo hoste potenti, si se impares agnoscunt ad ei resistendum, supplices confugiunt ad aliquem se potentiorem, & illius opem & suppetias humiles implorant: ita & nos, qu bus non bellum impendet, sed iugis conflictatio est & pugna cum potentissimis mundi principibus, qui parem potestatem non habent in terra, conscij nostræ infirmita is & exig æ virtutis, iugiter debemus ad Dominum recurrere, & illius fauorem & præsidium incessantibus gemitibus implorare, & cum Psalmista dicere: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Propter perseuerantiam, ait Augustinus dixisse Christum, *Oportet semper orare, & non deficere,* Et hoc verbo, *Non deficere*, satis innuebat, ad perseuerandum, & non deficiendum, necessariam esse orationem. Constat, Deum (ait etiam Augustinus) alia danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseuerantiam.

Psalm. 26. Luke 18.

Vt tamen apud Deum nostræ orationes efficaces sint, & ea impetrent, quæ volumus, necess rium est, mandatorum ipsius obseruationi toto corde intendere. *Si manseritis*, inquit, *in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis* Ac si apertius d ceret: Si vultis, vt quodcun ue volueritis, fiat vobis, manete in me, & verba mea in vobis maneant. Ita enim fiet, vt petentes, omnia quæ vultis, ad votum habeatis. Et Ioannes ait: *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, & accipiemus.* Augustinus cum doceret recens baptizatos neque dubitare, neque solicitos esse debere de peccatis commissis ante baptismum, quippe quæ instar Aegyptiorum in eo, vt in mari rubro, extincti & suffocati essent: tamen, ne omnino securi sint de sua perseuerantia, doctissime & pientissime admonet, non defuturum in itinere ad terram promissionis, hostem fortem Amalech: & hac vna ratione auxilio eius, qui eos liberauit ab Aegypto, & de illo quoq; triumphaturos, si imitarentur Moysen, & extentas haberent manus ad orationem & opera bona, neque ab his, neque à cruce Christi eas dimitterent. Dum enim extentis manibus in formam crucis orabat Moyses, vincebatur Amalech: dum deponebat, conualescebat.

Aug. de bono perse. c. 16. Ioan. 15. 1. Ioan. 3.

Quia vero sicut sub oratione, quæ Deo debe-

debentur, continentur: ita sub ieiunio, quæ nobilis in ipsis: & sub eleemosyna, quæ proximis: orationi adiungenda esse ieiunium & eleemosynam, quibus vniuersa disciplina erga nos & proximos seruanda concluditur, angelus Raphael vtrique Tobiæ expressit his verbis: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Et ieiunium quidem necessarium est, vt lasciuientem carnem castigemus, & sub iugo Christianæ disciplinæ, incursiones illius & insultus coerceamus & frenemus. Eleemosyna vero tum ad alia, tum ad hoc necessaria est, vt dum proximis officia debita præstemus, Dei in nos misericordiam certius prouocemus & obtineamus. Vt tamen his tribus optimis antidotis, contra omnem lapsum spiritalem fidelius & feruentius intendamus, neque quæ bonis operibus insidiatur, inanis gloria aut superbia, bona omnia nostra depascat, optimum est & tutissimum, omnia nostra humilitate quadam condire. Quare prudentissime secuti Paulum Patres nostri, admonuerunt inter alia, cum timore & tremore salutem nostram operari oportere. Multos quippe decepit & deiecit blanda quædam & perniciosa securitas, qua sibi iam victoriam & portum, cum adhuc in certamine & in tempestate essent, stulte promittebant. Et verissime dixit Ecclesiasticus: *Nisi in timore Domini continueris te instanter, cito subuertetur domus tua.*

Tob. 12.

Condienda omnia bona i pera humilitate

Eccles. 27.

Ac prudenter Hieronymus 2. in Pel. Psal. 38. tractans illa verba Dauidis, *Vniuersa vanitas omnis homo viuens,* sic scribit: *Vel viuens in corpore, vel viuens in virtutibus, & tamen omnia vanitas. Incerto enim statu fluctuat, & dum non timet, in sereno patitur tempestatem.* Et 2. cont. Iou. *Sicut baptisma priora peccata dimittit, sic in futurum seruare non potest, nisi baptizati omni custod a seruauerint cor suum.*

Et pulchre Cyprianus de simpl. Prælat. ne quispiam etiam optimorum operum sibi conscius, securitatem sibi promittat, de illis, qui iam præclari confessores extiterant, sic alicubi scribit: Quisquis ille confessor est, Salomone maior, aut melior, aut carior non est. qui tamen quamdiu in vijs Domini ambulauit, ... gratiam, quam de Domino fuerat consecutus, obtinuit. Postquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini: Et ideo scriptum est: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quod vtique Dominus non minaretur, auferri posse coronam iustitiæ, nisi quia recedente iustitia, recedat necesse est & corona. Confessio, exordium gloriæ est, non meritum coronæ: nec perficit laudem, sed initiat dignitatem. Cumque scriptum sit, *Qui perseuerauerit vsque in finem, is saluus erit*: quicquid ante finem fuerit, gradus est ad quo ad fastigium salutis ascenditur: non terminus, quo iam culminis summa teneantur. Confessor est, sed post confessionem periculum maius est, quia plus aduersarius prouocatus est. Confessor est, hoc magis stare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam consecutus a Domino. Et paulo post hoc exemplo Iudæ confirmat his verbis: Si confessor factus, fidem primam perfidia posteriore mutauerit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi electus ad gloriæ præmium, cum ex hoc ipso magis creuerint merita pœnarum. Nam & Iudam inter Apostolos Dominus elegit, & tamen Iudas postmodum Dominum prodidit. *Hac ille.*

Apoc. 3.

Confessio, gloriæ exordium.

Matth. 10.

Itaque quanto maiores progressus in via Dei & perfectionis disciplina fecerint, & quæ retro sunt, obliuiscentes, ad ea, quæ sunt priora, animos suos ferventius & magis extenderint, tanto magis oportebit eos ex corde humiliari, & imitari Paulum, & cum illo dicere: Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapimus, siue hoc sapiamus. Diuersa enim sunt exemplaria. Et quid sapimus, aut sapiamus? Vel quid potius sapere debemus? Quod nondum perfecti sumus, respondent Hieron. in Pel. & August. de bono perseu. quod necdum accipimus, quod necdum comprehendimus quod adhuc in acie & in mari sumus. Et subdit Hieronymus grauissime & pientissime: Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum se nosse: atque (vt ita loquar) cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est. An vero hæc pia studia, & ve-

& veriſſimæ noſtræ imbecillitatis perſuaſiones, in quibus præcipua conſiſtit gratiam conſeruandi ratio, donum perſeuerantiæ promereantur, non temere aſſeuerauerim.

Sanctus Thomas 1. 2. q. 114. art. 9. & illius ſequaces aſſerunt, neminem poſſe promereri perſeuerantiam viæ. Et pro illis duo potiſſima occurrunt. Primo enim nemo poteſt mereri aliquo modo ſuam confirmationem in gratia. Si vero quis ſemel meritus eſſet perſeuerantiam, is certe corruere iam & deficere non poſſet, ac meruiſſe eam cenſendus eſſet. Nam ſi corrueret, aut non meruiſſet perſeuerantiam, aut defraudaretur eo, quod ſemel promeruerat. Vnde & Auguſtinus de bono perſe. c. 6. affirmat, & ex profeſſo probat, contumaciter amitti non poſſe donum perſeuerantiæ, ſi datum fuerit. Deinde & illud vrget, quod nulla ſunt certa opera, nulli certi dies, quibus hoc tantum donum perſeuerantiæ mereri poſſimus. Poſt multa enim præclariſſima opera, multis diebus in gratia facta, ſcimus iuſtos multos corruiſſe. Quare videtur, non poſſe hoc donum cadere ſub merito.

Poſſunt iuſti ex congruo mereri ſuam perſeuerantiã. Sed his non obſtantibus adhuc videtur probabilius, quod in opuſculo de iuſtificatione tradidimus, poſſe iuſtos ex congruo ſuam perſeuerantiam mereri.

Et ne omnino trepidemus, habemus pro noſtra ſententia eximium Doctorem Eccleſiæ, & propugnatorem gratiæ Aug. ſt. de bono perſe. cap. 6. Verba illius ſunt *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cum datum fuerit amitti contumaciter non poteſt.* Et cap. 7. dicit: *Poſci à ſe Deus voluit, ne inferamur in tentationem: quia ſi non inferamur, nulla ab eo ratione diſcedimus.* Quod ſi, vt certiſſimum eſt, poſci à ſe Deus hoc donum vult, & id iuſti inſtanter & frequenter petunt, & quandoque obtinent, & propter egregia eorum opera & feruentiſſimas orationes Deus eis hoc donum impartitur, cur non & illud meruiſſe eos dicamus? Equidem nihil video, quod illis orationibus & pijs operibus deſit ad meritum ex congruo.

Studeamus ergo omnes certam facere per bona opera vocationem noſtram, & cum timore & tremore, per ieiunia, orationes & eleemoſynas, ſaluti & perſeuerantiæ noſtræ ſolicite inuigilemus. Hæc enim, ſi nobiſcum permaneant, non vacuos neque ſine fructu nos patientur apud Deum eſſe. Sed qui dedit hæc tanta & tam eximia velle, dabit quoque pro ſua benignitate perficere, & ad brauium ſupernæ vocationis, illis repoſitum, peruenire. Si tamen propter humanam fragilitatem quis peccauerit, & acceptam iuſtificationis gratiam perdiderit, *aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* 1. Ioan. 2. Ac meritis & interceſſione ipſius alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Et ne quiſpiam deſperet, quantumcunque grauibus obrutus ſceleribus, quemadmodum eximiam iſtam clementiſſimi patris indulgentiam lapſi omnes impetrare poſſimus, 14. capit. Patres ediſſerunt. Ad ipſiuſque expoſitionem, hic facto fine huic libro, Deo fauente, tranſibimus.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE LAPSIS ET EORVM REPARATIONE LIBER XIII. IN XIV. CAPVT DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

Nter alia mala, quæ ex protoparentis noſtri peccato contraximus, vnum eſt, atq; id non infimum, inconſtantia. Peccauit ille, dum neſciuit in ſtatione ſua conſiſtere, & felicitatem illam eximiam, in qua conditus fuit, inſtabilitate ſua male perdidit. Eoq; factum

factum est, vt & filios sibi similes generauerit, inconstãtes, irrequietos, varios, instabiles, quique nesciant vnquam in eodem statu permanere. Ac proinde summus ille Deus, patiens & multæ misericordiæ, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, nostræ vertibilitati & infirmitati compatiens, secundum diuitias bonitatis & longanimitatis suæ, remedium certissimum statuit, quo saluari & reparari possent, quicunque mutabilitatis suæ vitio, acceptam iustificationis gratiam perdiderint. Et huic vni remedio enucleando, roborando & tuendo, librum istum, quem iam exordimur, secuti vestigia Patrum nostrorum, consecrauimus. Legite hæc, & attenta mente reuoluite, ó quicunque estis humanæ miseriæ & imbecillitatis nostræ conditionis non ignari. Habetis hîc lapsuum & morborum nostrorum spiritualium præsentissima medicamenta, ac velut ex quadam diuite & probatissima apotheca, licet ex his Patrum diffinitionibus absque argento & absq; vlla commutatione vobis ea indubitatò comparare, quæ omne virus & venenum antiqui Serpentis de animis nostris eliminent. Ne tamen in incertum nostra vagetur lucubratio, proponam ante omnia, sicut & in alijs libris feci, ipsam S. Synodi diffinitionem, quæ sic habet. Psalm. 146

DE LAPSIS, ET EORVM REPARATIONE.

Caput Decimum quartum.

Qui verò ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ sacramẽtum merito Christi, amissam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro his, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramẽtum instituit pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. *Vnde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, multò aliam esse à baptismali, eaq; contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem aut cor contritum & humiliatũ, verùm etiam eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemq; satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritalis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto vna cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ (vt sacræ literæ docent) non tota semper, vt in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti. De qua pœnitentia scriptum est:* Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera *fac. Et iterum:* Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. *Et rursus:* Pœnitentiam agite. *Et* Facite fructus dignos pœnitentiæ. Ioan. 20. Apoc. 2. 2. Cor. 7. Matth. 3. Luc. 3.

CAPVT I.

Quid summatim contineat capitulum statim præmissum.

FIVNT, vt video, tria potissimum in hoc capitulo à Patribus. Nam & de possibilitate disserunt, & de qualitate curationis, & de ipsa medicina, qua debet lapsus curari. Et ex eis tres doctrinas seu conclusiones licet colligere, circa quas tota huius voluminis disputatio versabitur. Ac primo quidē, ne quispiam vel grauissimis obrutus peccatis, de curatione sua desperet, proponitur in genere possibilitas reparationis omniū, qui lapsi sunt à sua iustificatione. Et hoc fit his verbis: Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum merito Christi, amissam gratiam recuperare procurauerint. Et quæ statim sequuntur, Hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio, hūc sensum habent: Cum enim hoc modo homo iustificatur, lapsus reparatur, & lapsi dicitur fieri, & vere fit, reparatio.

Conclus. 1. Ex quibus colligere possumus hanc doctrinam, seu cōclusionem. Possunt omnes lapsi reparari. Tradita vero possibilitate curationis, docent statim Patres aliquanto particularius medicinā, qua qui lapsi sunt, reparari queunt, & in antiquam sanitatem restitui. Et eam, aiunt, sacramentum esse pœnitentiæ. Et vt de illius præsentissima & certissima virtute nemo dubitet, docetur ea medicina instituta fuisse ab illo magno medico animarum Christo Iesu saluatore nostro, cui nulla est ægritudo incurabilis. Atque vt constet omnibus, quibus sit ex Patribus, ista saluberrima medicina composita, explicantur distinctissime omnia, quæ ad eam spectant, ac quodam modo, vt postea explicabimus, partes illius sunt. Et in summa quinque hic subijciūtur, ex quibus vera constat pœnitentia: Cessatio à peccatis, detestatio eorum, sacramentalis confessio, sacerdotalis absolutio, itemq; satisfactio per ieiunium, eleemosynas, & orationes, & alia pia spiritalis vitæ exercitia. Et ex his declaratur, Christiani hominis pœnitentia post lapsum, multo alia esse à baptismali. Quæ omnia Patres tradidere ab illis verbis, Etenim pro his, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit pœnitentiæ &c. vsque ad illa, quæ nunc retulimus, Et alia pia spiritualis vitæ exercitia.

Et hinc secundam conclusionem huiusmodi possumus decerpere. Pœnitentia à Christo instituta, quinque in se complectitur. Postremo exponitur obiter, qualis sit ista lapsi reparatio, quæ fit per sacramentū pœnitentiæ. Conclus. 2.

Et hæc, in summa, statuitur conclusio: Per sacramentum pœnitentiæ, vel sacramēti votum, culpa & pœna æterna remittitur, non autem tota pœna temporalis, vt in baptismo, sed ea postea per satis factiones bonorum operum expiatur. Verba, quibus hæc continetur conclusio, sunt hæc: Non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto vna cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, vt sacræ literæ docent, non tota semper, vt in baptismo fit, dimittitur. Et vt constet integra sententia, supplenda sunt ex proximis verbis, & istis omnibus præponenda hæc verba: Itemque satisfactio facienda est. Ne vero istas diffinitiones ex capite suo finxisse Synodus existimetur, confirmantur omnia authoritate Pauli, & vtriusque Ioannis. Sed inest singulis horum verborum suum pondus, neque leui manu, aut perfunctorie tractanda sunt tanta nostræ salutis documenta. Quare de his omnibus speciatim & aliquanto operosius commodum erit disserere. Conclus. 3.

CAPVT II.

De varijs erroribus, possibilitati reparationis lapsi aduersantibus.

QVID est ergo, quod Patres diffiniunt, audiamus. Qui vero, inquiunt, ab accepta ab iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt: sicut optimi medici pollicentur inprimis omni-

omnibus ægrotis, quod sanari queant: ne desperent videlicet, ne diffidant, ne abijciant animum, ne addant morbos morbis, & fiat ægritudo & plaga eorum insanabilis. *Nemo potest facere pœnitentiam*, ait Ambrosius, 1. de pœnit. cap. 1. *& verissime, nisi speraverit indulgentiam.* Neque ægrotus parebit medico, aut diætam ab eo præscriptam seruabit, nisi confidat, posse se illa ratione sanari. Cum vero Patres acceptam dicunt iustificationis gratiam, satis indicant, nemini esse iustitiā suam naturalem. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei* Et nisi Deus gratis iustificet, vniuersus orbis obnoxius ei erit, & reus, atque expers omnis iustitiæ. Et hæc hominis summa iustitia est, quidquid habuerit virtutis, quidquid gratiæ & iustitiæ corā Deo, non suum putare esse, sed Domini, qui largitus est. Quod autem, aiunt, ab hac accepta seu donata iustificationis gratia homines per peccatum excidere, manifeste est contra errores Vuiclefi & Iouiniani, qui, vt in proximo libro docuimus, acceptam semel iustitiam saltem per baptismum, amitti non posse censuerunt. Rom. 3.

Atque his verbis indicarunt Patres, omnia quæ hoc in loco diffiniunt, ad eos peccatores spectare, qui post acceptam iam per fidem & baptismum iustitiam, ab ea deciderunt, & prolapsi sunt. Nihil itaque est nobis hic negocij cum iustis, aut perseuerantibus in gratia accepta, nihil cum infidelibus aut catechumenis, sed cum illis dūtaxat, qui quam acceperunt mundam & candidam iustitiæ vestem in baptismo, eam suis postea peccatis sordidauerunt, & commaculauerunt. Et illo verbo, *Per peccatum*, palam significatum est, neminem gratiam semel apud Deum adeptam, nisi ex culpa sua, deperdere. Sine pœnitentia enim, & (quod Græce significantius dicitur) impœnitenda sunt dona & vocatio Dei. Neque retractare Deus nouit, vt homines, sua beneficia, sed fidelissimus, est & constantissimus eorum amicus, quos in gratiam suam recipit, neque quenquam deserit, nisi prius ipse deseratur. Rom. 11.

Ac tota ista diffinitio, qua generatim omnes illos, qui à iustificationis gratia, culpa & peccato suo exciderunt, & acceptæ gratiæ ingrati fuerunt, nihilo tamen segnius iustificari posse affirmantur, viscera diuinæ misericordiæ & diuitias bonitatis & patiētiæ Dei ob oculos nobis ponit. Quid enim benignius, quid clementius, quid magnificentius, quid suauius esse aut dici potest, quam Deum & Dominum omnium, qui nullius obsequio aut subsidio indiget, omnes etiam pessime de se meritos, in suam gratiam paratum esse recipere, si modo illi ex corde velint ad eam redire?

Et vt iam hinc incipiamus exponere errores, qui contra possibilitatem reparandi lapsos pugnarunt, ex professo militat hæc doctrina contra omnes illos, qui affirmarunt, non semper toto huius viæ tempore posse quosuis peccatores redire ad gratiam diuinam, quam perdiderint, & quinque aut sex errores palam damnat. Errores 6. damnati in Concilio.

Primo pugnat contra Montanum, de quo & sectatoribus ipsius in epistola ad Marcellam, contra Montanum Hieronymus sic scribit: *Illi ad omne pene delictum, Ecclesiæ obserāt fores.* Et ne quis hunc rigorem ex innocentia proficisci crederet, cum verius ab hypocrisi dimanaret, subiecit statim: *Rigidi autem sunt, non quod & ipsi peiora non peccent: sed hoc inter nos & illos interest quod illi erubescunt confiteri peccata, quasi iusti: nos, dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur.* Error 1.

Secundo aduersatur hæc Patrum diffinitio Nouato, & ipsius asseclis Nouatianis, ab ipsius nomine sic appellatis. Illi enim, vt cōmuniter traditur, & potest ex Ambrosio, 1. de pœnitentia colligi, omne peccatum lethale, commissum post baptismum, irremissibile esse censuerunt. Et saltem, vt ex Cypriano, Eusebio, & Hieronymo constat, omnes negantes Christum post baptismum susceptum, extra statum salutis posuerunt, & quocunque, metu vel occasione Christum quis fidelis negasset, aut idolis sacrificasset, pœnitētiam ei & reditum ad cōmunionem, Ecclesiasticam negabant. Error 2.

Verba Cypr. l. 1. ep. 1. de Nouato ad Cornel. Papam, hæc sunt: *Neque vulnus suum mi-*

ser curat, sed adhuc grauius & se & suos vulnerat, in perniciem fratrum lingua sua perstrepens, & facundia venenata iacula contorquens, magis durus secularis philosophia prauitate, quam philosophia Dominica lenitate pacificus: desertor Ecclesia, misericordia hostis, interfector pœnitentia, doctor superbia, veritatis corruptor, perditor caritatis. Et lib. 2. epi. 2. ad eundem Cornelium, vbi & scelera Nouati commemorat, & suis eum titulis mirifice exornat, inter alia addit: *Damnare nunc audet sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est.*

Eusebius vero libro 6. eccl. histor. c 33. de eo sic scribit: Nouatus Romanæ Ecclesiæ presbyter, elatione quadam tumidus, spem penitus lapsis salutis ademerat, etiã si digne pœnituissent. Ex quo & principes hæreseos extitit Nouatianorum, qui ab Ecclesia separati, superbo nomine semetipsos Catharos, id est, mundos appellarunt. Et vt videas semper Catholicam Ecclesiam huic errori fuisse aduersatam, statim subdit: Ob quam rem Concilium sacerdotale in Vrbe Roma congregatum est, Episcoporum quidem sexaginta numero, presbyterorum quoque totidem, cum diaconis plurimis. Præterea etiam per singulas quasque prouincias de hac re magna deliberatione habita, decretis significatur, quid facto opus sit. Statuitur ergo, Nouatum quidem cum his, qui eum mentis elatione tumidum sequerentur, quique ad *humanam istam & nihil fraternæ caritatis seruantem, sententiam declinarent, alienum esse ab Ecclesia: eos vero, qui lapsi in certamine fuerint, fraterna miseratione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicandos.

Scribit & de hac re Cornelius Vrbis Romæ Episcopus ad Ecclesiam Antiochenam, indicans Fabiano eius episcopo, quid statuerit in Vrbe Roma Concilium congregatum, quid etiam Italis, Afris, cæterisque Occidentalibus visum sit. Cyprianus vero de his librum magnificentissime scriptum edidit, in quo & lapsos ad pœnitentiam cohortandos, & contradicentes alienos esse à Christi visceribus statuit.

Hieronymus etiam in quadam epistola ad Marcellam, de blasphemia in Spiritumsanctum, commemorat Nouatianum irremissibile docuisse peccatũ, atque ipsissimã Spiritus sancti blasphemiam, si Christianus aliquis Christum negaret, quantiscunque tormentis adductus hoc fecisset.

Tertio pugnat hæc nostri decreti assertio contra Armachanum, qui in quæstionibus Armenorum lib. 9. cap. 27. asseruit, aliquod peccatum esse in hac vita irremissibile, & cui non esset petenda à Deo venia. In quo errore, referente Athanasio, fuit nescio quis Origenes antiquus, & Theognostus quidam. Fuit etiam in eo errore Augustinus eo tempore, quo sermones scripsit in sermonẽ Domini in monte: sed cantauit eius erroris palinodiam libr. 1. Retractionum. Error 3.

Quarto opponitur hæc Synodi doctrina opinioni quorundam Iudæorum, qui propter verba Amos perperam intellecta, primo quidem, secundo, ac tertio peccato post acceptam gratiam, locum esse pœnitẽtiæ aiebant, sed quartum irremissibile affirmabant. Error 4.

A qua sententia non absunt, qui certum esse aliquem numerum peccatorũ asseuerant, in quem cum peccatores veniunt, desperati sunt, neque assequi veniam possunt, tametsi cursum huius vitæ non concluserint. Et sunt non mirum, qui Tertullianum putent semel tantum post baptismum, dedisse locum pœnitentiæ. Ac videntur hoc postulare quædam ipsius verba in libro de pœnitentia, nisi ad pœnitentiam publicam referantur, quæ tunc non fiebat secundo. Attamen, quia statim addit, non esse subuendum animum desperatione, si secundæ pœnitentiæ quis debitor fuerit, & recõciliari quemuis posse, si quod Dominus offert, non recusauerit, atque iterata valetudine mala, iterandam esse medicinam: & quia omnes indistincte peccatores ad pœnitentiam ibi hortatur, non ausim ei hunc errorem imputare. Error 5.

Quia vero generalis est, & absque vlla limitatione patrum sententia, & commune Dei legem de reparatione peccantium post Baptismum edidit, videtur & hic quoque, si verborum superficiem spectemus, conde- Error 6.

condemnata esse cuiusdam Catholici, & doctissimi, & probatissimi magistri opinio, qui asserit posse peccatores in hac vita tot & tam grauibus sceleribus impiari, vt iam de communi lege resurgere à peccatis non possint, sed duntaxat ex priuilegio superexcellentis misericordiæ diuinæ. Quæ verba, an in pium aliquem sensum recipi queant, postea videbimus. Hi sunt errores, qui reparationi eorum, qui post Baptismum lapsi sunt, hactenus obuiam iuerunt, & materna Ecclesiæ viscera peccatorib⁹ fidelibus, quātum in se fuit, occluserunt. Quos simul omnes vtile ratus sum, quasi instructam aciē contra nos ponere, & totum hostilem exercitū cum suis turmis ac ducibus congregare, ne post primam victoriam alia nobis deinceps prælia nascerentur. Igitur non dimicabo contra singulos, neque vnius aut alterius ero passim congressione contentus. Toto certandum est agmine, & vniuersos insimul, instructa tamen & ordinata acie, deuincere & prosternere conabor.

CAPVT III.

De Christi verbis pro reparatione lapsi.

APPROBARVNT Patres hanc doctrinam de possibilitate reparationis eorum, qui post baptismum sunt lapsi, primo quidem ex consensu Patrum, qui eam reparationem dixerunt esse secundam tabulam post naufragium: secundo vero, ex quatuor testimonijs noui testamenti, quibus & Paulus, & vterque Ioannes, omnibus peccatoribus idonee suorum peccatorum pœnitentibus, lucidissime pollicentur veniam. Nos autem, vt eandem ostendamus Christi, Apostolorum, totiusque ecclesiæ doctrinam fuisse, sicut à principio facturos nos esse promisimus, opponemus aduersantibus in prima fronte ipsum Saluatorem & salutem omnium Iesum: ac fortissimum ducem suis telis, hoc est, suis sententijs armabimus. Non sine causa publicanorum & peccatorum amicus dictus est, & ipse de se dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* (Luc. 5.) Vel vnum profecto ipse satis est ad reuincendum omnes hos errores. Quia enim omnes illi ex diametro pugnant contra incarnationis suæ finem, & fructum suæ passionis impedire conantur, testatissimū esse voluit suæ Ecclesiæ ex ipsissimis suis verbis, nulli ad eum reuertenti claudenda esse viscera misericordiæ. Et vide, vt ab initio suæ prædicationis vsque ad tēpus mortis hanc doctrinam firmauit. Post susceptū Ioannis baptisma, & quadragenarium ieiunium expletum, & deuictas in deserto diaboli tentationes, mundo se reuelare incipiens, ab exhortatione peccatorum ad pœnitentiam, prædicationem suam auspicatur. Atque omnibus indiscriminatim Iudæis, inter quos plerique erant, qui à gratia sibi elargita exciderant, aperta & clara voce intonat: *Pœnitentiā agite. Appropinquauit enim regnum cælorum.* (Matth. 4.) Et paulo post Matthæum publicanum ex teloneo ad se vocat & cum illo ac multis alijs publicanis & peccatoribus in domo ipsius discumbit. Cumque Pharisæi ea de causa aduersus illum murmurarent, & discipulis ipsius dicerent, *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* audiens ille eorum obtrectationem, dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos sed peccatores.* (Osee 6.) Et alias palam asserit: *Venit filius hominis quærere & saluum facere,* quod perierat. (Luce 19.) Et rursus: *Non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* (Matth. 18.) Et nullo excepto peccatore: *Gaudium,* ait, *erit in cælo coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* (Luce 15.)

Et hoc cōfirmant parabolæ ouis & drachmæ perditæ, & sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis: & infructuosæ ficus, ob preces cultoris vineæ, non eradicatæ. Et aliquanto apertius, Parabola filij prodigi, à patre ob pœnitentiam suam benignissime ad osculum & ad primā stolam, & ad conuiuium recepti: & parabola Pharisæi & publicani, quorum hic cū se peccatorem confitetur, iustificatus in domum suam reuersus est: & parabola patris familias, remittentis seruo decem millia talenta: ac rursus mittentis primum, secun-

dum ac tert'ũ seruũ, ac deniq; ipsum filiũ, vt acciperet fructus vineæ. Nec minus parabola regis, vocantis quoscunq; ad nuptias filij sui: & parabola descendentis ab Hierusalem in Hericho, qui expoliatus & vulneratus à latronibus, benignè à Samaritano fouetur, alligatoq; vulnere, in domum Ecclesiæ reducitur. Testabatur & hoc ipsũ palam diuertens ad Zachæum, & salutem ei & domui suæ annuncians: ac Magdalenæ, & vtrique paralytico remissionem peccatorum magna authoritate concedens, ac mulierem adulterij ream, à condemnatione liberans. Et ne vllus esset de re adeo necessaria ambigendi locus, Petro & reliquis Apostolis magnificentissimas claues ligandi & soluendi omnia in terris, promisit. *Amen*, ait, *dico vobis, quæcunque alligaueritis in terra erunt & ligata in cælis & quæcunque solueritis super terram erunt & soluta in cœlo.* Matth. 18.

Neque his contẽtus, disertissime eis hanc suam in omnes peccatores eximiam misericordiam, & illorum in omnia peccata admirabilem potestatem, statim aperuit. Rogauit Petrus, caput omnium mox futurus, & ad quem ea de causa hanc in primis veritatem scire spectabat: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsq; septies.* Ibidem. Quid verò ei respondit benignissimus Dominus? Nunquid certum aliquod peccatũ aut certum aliquem numerũ peccatorum à misericordia sua exclusit? Minimè gentium. Attende abyssum diuinæ miserationis & fontem misericordiæ in immensum profluentem. *Non dico tibi, ait, vsq; septies, sed vsq; septuagies septies.*

Quibus verbis, vt Origenes, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theophylact. & alij notarunt, non numerum aliquem certum præfixit remissioni peccatorum, sed omnia peccata, quæ committũtur in hac vita, quæ septenario numero dierum peragitur, dimittenda esse, & toties, quoties quis peccauerit, ac deniq; semper, & vt dicit Hilarius, sine modo ac numero dandam esse veniam in hoc seculo peccantibus expressit. Quare bene Nicolaus hos Patres secutus, numerum determinatum pro indeterminato hic esse positum notauit. Vnde & ipse Dominus testatissimam cunctis esse volens hanc suæ in nos clementiæ redundantissimam, vt sic dixerim, profusionem, discipulos suos omnes sic alias allocutus est: *Attendite vobis, si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit dimitte ei: & si septies in die peccauerit in te, & septies conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* Luc. 17. Et hæc de remissione peccatorum intelligi, quæ authoritate clauium ab eis erat postea facienda, satis indicant verba illa *Increpa illum.* Nam pro peccatis contra nos, & in nostram iniuriam commissis, nunquã increpare alium monuisset, qui consuluit & sinistram maxillam feriendam præbere, cum quis nobis alapam in dexteram impegerit. Sed & illud apertum est, quod ad omnes in vniuersum Christianos loquitur: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth. 18. Nam cũ ad omne lethale peccatum, & ad omnes peccatores correctio fraterna se extendat, qui dicit, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum:* manifeste ostendit, posse per huiusmodi correctionẽ omnem peccatorem sanari. Patefecit & hoc illis verbis *Si dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* Si nullum quippe est tempus, quo non dimittere possimus alijs, quæ in nos admiserunt: nullum ergo erit tempus, quo non & veniam peccatorum nostrorum obtinere possimus. Et generaliter alibi hortatur: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur.* Inter alia etiam omnes fideles, & iustos, & peccatores, & baptizatos, & non baptizatos, sic orare patrem instituit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Neque enim ad solos catechumenos hæc oratio spectat, sed ad omnes potius Christianos & fideles. Et quia frustra esse non potest hæc oratio, si ex corde dicatur, velint, nolint, Montanus & Nouatus, vel ex illa dilucidum esse valet, tandiu posse quemuis peccatorem in hac vita suorum veniam obtinere peccatorum, quandiu illam ex corde possint dicere.

Admo-

f. * diuitiarum istarũ suæ.

Admonuit & Hierusalem * diuitias istas suæ in illam & in omnes patientiæ, & benignitatis, & longanimitatis, cum ad eam dixit: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Et nisi omnes digne pœnitentes paratissimus esset Deus ad misericordiam recipere, & omnes possent, si velint, pœnitentiam suorum peccatorum facere, nunquam adeo amarulente exprobrasset impœnitentiam illis ciuitatibus, in quibus fecerat plurimas virtutes, neque tristia illa & formidanda Væ eis cõminatus esset: *Væ tibi Corozaim. Væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere pœnitentiam egissent.* Cur enim de impœnitentia sua aliqui obiurgentur, si vel pœnitere nequeant, vel per pœnitentiam non eis pateat via ad salutem?

Luc. 22. Et quid aliud Petrum docuit, cum prædicta ei trina sua negatione, *Et tu*, inquit, *aliquando conuersus, confirma fratres tuos?* Atque hoc idem manifestum fecit in scandalo, quod omnes Apostoli in sua passione iuxta ipsius prophetiam passi sunt. Nam & post resurrectionem suam omnes eos ad pœnitentiam recepit. In cuius signum, cum ad eos ianuis clausis ingressus est, ante omnia

Ioan. 20. dixit: *Pax vobis.* Ac velut confirmans & de-

Ibidem. clarans adhuc in eis integram manere authoritatem Apostolatus, addidit: *Sicut misit me pater & ego mitto vos.* Et vt omnem eis scrupulum auferret, & certos eos suæ iustificationis & remissionis suorum peccatorum faceret, insufflauit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum.* Vtque re ipsa præstaret, quam prius promiserat potestatem omnia ligandi & soluendi, subdit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Quibus verbis palam indicauit, nullum esse peccatum in hac vita irremissibile, nullumque peccatorem, qui non possit per claues sacerdotales inuenire veniam & indulgentiam suorum omnium peccatorum. Omnia siquidem peccata & omnes peccatores, eorum potestati manifeste his subiecit. Vnde recte Ambrosius: 1. de pœnit. cap. 1. *Dominus crimen nullum excepit, qui peccata donauit omnia.* Ipsi igitur authoritati & potestati clauium sacerdotalium, ipsi fonti misericordiæ, & salutis omnium veracissimo & certissimo authori, clarissime repugnant, quicunque aliquot vel aliqua peccata dicere vel suspicari audent, non esse ex communi lege remissibilia.

CAPVT IIII.

De testimonijs apostolorum pro reparatione lapsi.

VERUM quid in Christi sententijs moror? Euangelium ipsum totum, quod iuxta etymologiam nihil aliud est, quam bona annunciatio, testimonium est apertissimum gratiæ pœnitentibus omnibus exhibendæ. Neque enim solis illis erat annũciandum, qui vel nunquam habuissent gratiam, vel eam, quam habuissent, conseruassent. Nato saluatore, mox omnibus hominibus pacem, & Dei bonam in omnes voluntatem prædicarunt angeli. Et in hoc ille apparuit, vt peccata omnium super humeros suos tolleret, & inimicitias omnes in semetipso dissolueret, omnium factus reconciliatio, omnium iustitia, omnium redemptio & propitiatio. Transibo igitur ab Euangelio ad Apostolos, & eadem illos cũ duce & magistro suo, Ecclesiam docuisse monstrabo. Enimuero Paulus ad baptizatos ex Romanis loquebatur, cum ea facientes, quæ in alijs iudicabant, neque suorum peccatorum pœnitentes, acriter obiurgat, Rom. 2. dicens: *An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quæ aũt essent diuinæ bonitatis patientiæ & longanimitatis diuinæ, quorsum Deus sua longanimitate peccatores ad pœnitentiam induceret, si neque pœnitentibus ex corde indulgeret? Cur & diues in misericordia & diues simpliciter in omnes qui inuocãt illũ, ab eodẽ Paulo prædicat, si despicit aliquos ad eũ cõfugientes cũ dolore & pœnitentia suorũ omnium peccatorũ? Sed incestuoso illo fornicatore Corinthio, aliquanto aper-

apertius ostendit idem Apostolus, virtutem pœnitentiæ, ad omnia peccata & ad vniuersos peccatores se extendere. Ideo dicit, illum tametsi baptizatum, & iam Christianũ, tradidisse se satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus esset in die Domini nostri Iesu Christi: ideo vinculo excommunicationis illigatum non perpetuo tenuit: ideo á Corinthijs petit, vt patratam offensam cōdonent, & pœnitentem consolentur, ac
2. Cor. 2. tandem dicit: *Cui autem aliquid donastis, & ego.* Nouerat omnia peccatorum vincula facile solui & disrumpi á pœnitentia.

Ac propterea inter alia facilimi & indulgentissimi patris verba, & illa quoque adiecit:
Ibidem. *Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hac, quæ fit à pluribus.* Et sicut Corinthios ipsos dure reprehenderat, quod inflati essent, & non potius ex corde lugerent illum paterni tori violatorem, & ad expurgandum vetus fermentum, vt essent noua conspersio, excitauerat: ita vbi resciuit eos ad pœnitentiã sua epistola excitatos, mirifice eos collaudat, & in eorum correctione & claris virtutibus ostendit, tristitiam secundum Deum, pœnitentiam in salutem stabilem operari. Et paulo post ad pœnitentiam aliorum pec-
2. Cor. 12. catorum eosdem cohortatur: *Ne iterum* ait, *cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione,*
* & impudicitia, quam **quam gesserunt.* Et quia poterant Galatæ emendare per pœnitentiam errores, in quos præcipitati fuerant à Pseudo Apostolis, tota epistola, quam ad eos scribit, hoc agit & hortatur, vt resipiscant: & quo eorũ lapsum
Galat. 4. reparari posse, dilucide ostenderet, *Filioli mei*, dicit, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Concinitque huic clarissimo gratiæ & pœnitentiæ præconi, caput & apex Apostolorum Petrus. Neque solum eadem affirmat, sed & quæ Paulus tradidit, sua authoritate, perinde ac nos exposuimus, intelligenda & interpretanda esse docet. *Non tar-*
2. Pet. 3. *dat, ait, Dominus promissionem suam sicut quidam existimant, sed patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Animaduertis optimam interpretationem longanimitatis diuinæ, & pœnitentiam ab interitu liberare? Audi vero quæ statim subnectit, vt intelligas & saluare illam, & immaculatos & irreprehensibiles nos constituere coram Deo, idque iuxta Pauli doctrinam. *Satagite*, adijcit, *immaculati & inuiolati inueniri in pace, & Domini nostri Iesu Christi longanimitatem*, eã videlicet, qua dixerat nos patienter expectari *salutem arbitramini sicut & carißimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.*

Et in ipsis Ecclesiæ primordijs, Simonẽ Magum, ad obtinendum suæ ambitionis & Simoniæ veniam, per hoc remedium inuitauit. Nam post duram illius reprehensionem subiecit: *Pœnitentiam itaque age ab hac* Act. 8.
nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. Neq; *forte* dixit quod de virtute pœnitentiæ dubitaret, sed (vt Ambrosius 2. de pœnit. cap. 4 recte monet) quia puram fidei conscientiam Simon ille non habebat. Cor enim tuum, dixerat ei statim Petrus, non est rectum coram Deo. Et manifestum est, non ei interclusisse viam veniæ quem inuitabat ad pœnitentiam.

Et Iacobus similiter aperte testatur, vniuersos peccatores posse suorum consequi veniam peccatorum per orationem fidei in exhibitione sacramenti extremæ Vnctionis, & per correctionem fraternam: *Infirma-* Iacob. 5.
tur, inquit *quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quid aduersus hoc tam clarum & tam luculentum testimonium dici potest? An non ista ad fideles, & de fidelibus scribit? An non generaliter de quocunque infirmante, qui iam renatus esset, loquitur? Vt nemo vtique de hoc ambigeret, dixit: *Infirmatur quis in vobis:* *& absolute pronunciauit, *Et si in peccatis sit dimittentur ei.* Et confirmant hæc, quæ statim subduntur: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem: vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Liquet nimirum ex his, neminẽ extra statũ salutis esse, si possit, vt certe potest quicunque est in via, & confiteri peccata sua, & aliorum precibus adiuuari. Et vt de

de nemine desperemus viuentium, sed omnibus potius officium mutuæ charitatis, pro virili nostra exhibere studeamus, audi quid post paululum idem Apostolus subijcit: *Fratres mei si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Nondum quidem erat Nouatus, & iam hic lethalia nobis tela, quibus eum confoderemus, Iacobus parabat. Qui namque errantem à veritate, & conuerti, & saluari posse asserit, & hæreticis, & sacrificantibus idolis, aut alia quacunque ratione à veritate recedentibus, veniam proculdubio & locum pœnitentiæ, si resipiscere velint, pollicetur. Apertissima etiam sunt pro
1. Ioan. 1. hac veritate verba Ioannis: *Si confiteamur peccata nostra fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Certe Ioannes Baptizatus ad baptizatos scribit. & tamen remissionem peccatorum post baptisma constanter promittit, & ad fidelitatem & iustitiam Dei spectare dicit, vt confitentes peccata emundet. Nouerat Deum hoc promisisse, & fidelem eum esse in omnibus verbis suis. Vnde & continenter adiecit: *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis*: ac ne quispiam desperaret, arbitratus nos post baptismum peccantes, non posse saluari, statim subdidit: *Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum.* Et *iustum* dixit simpliciter & absolute, vt aduocatum eum intelligeremus omni exceptione maiorem, & talem, qui sua iustitia nostras possit iniustitias diluere, & candidos nos & nitidos, velut niuem & lanam albam, efficere. Frustra vero esset aduocatus, si veniam de admissis delictis neque per illius intercessionem & solicitudinem impetrare possemus. Et ne vel minimus tergiuersandi locus reliquus sit, vide quid addit: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Equidem propitiatio pro nostris delictis non esset, si illa sunt irremissibilia. Quomodo enim sit propitiatio pro delictis, quæ post baptismum committimus, si facientes quicquid possumus, ad eorum obtinẽdam indulgentiam, nunquam tamen eam valemus adipisci? Nunquid nõ hoc satis est, vt dicamus, eum non fuisse propitiationem pro peccatis dæmonum? Neque vacant suo pondere illa verba: *Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Nam hæc satis innuunt, multo magis per Christum posse peccata fidelium mundari, quam infidelium, aut certe non minus. Nam vt nemo ab hac propitiatione sic exclusus putetur, vt non possit illius esse particeps, ac velut difficilius & maius quid addens, subiecisse videtur, *Sed etiam pro totius mundi.* Quare cum Montanus & Nouatus non dubitauerint Christum fuisse propitiationem pro peccatis quibusuis infidelium, & illorum qualiacunque & quantacunque peccata meritis illius affirmauerint posse per baptismum expiari: magna sane cæcitas erat, hoc negare & abrogare vel omnibus, vel aliquibus peccatis fidelium.

Atque vt hæc veritas maxime necessaria scitu, omnibus fidelibus esset & certissima & notissima, paulo post principiũ suæ Apocalypseos, desertam dilectionem Ephesijs imputat, stuprum & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat, Sardos non plenorum operum incusat, Pergamenos docentes peruersa reprehendit, Laodicenos fidentes diuitijs obiurgat: & tamen omnes ad pœnitentiam hortatur, idque sub comminationibus grauibus. Non comminaretur autem non pœnitenti, vt pulchre dicit Tertullianus de pœnit. si non ignosceret pœnitenti.

Vnde & Ambrosius 1. de pœnit. c. 9. in illa verba ad Ephesi angelum, *Age pœnitentiam: Alioqui venio tibi*: sic scribit, Vides quod Deus, qui pœnitentiam exigit, veniam polliceatur? Sed super omnia, maxima animaduersione digna sunt illa Dei verissima & suauissima verba ad Laodicenses, & in illis ad omnes peccatores: *Tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ: & collyrio munge oculos tuos, vt videas. Ego, quos amo, arguo & castigo.*

Aemulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Expende lector omnia. Tot enim sacramenta hic sunt, quot verba. Et miseriam peccatorum, & felicitatem iustorum, & libertatem nostri arbitrij, & fructum ac precium pœnitentiæ, & super omnia diuitias misericordiæ diuinæ ad recipiendos omnes petentes, & ad vocandos omnes & adiuuandos ad pœnitendum, significantissime hic per Ioannem Deus nobis expressit. Sed immorari in his exaggerandis non licet. Nam mihi propositum est, singula veritatis fidei, quam modo docemus, fundamenta perstringere.

Veniamus ergo ad Iudam Apostolum. Nam & ille quoque huius indulgentiæ & benignitatis diuinæ testimonium non obscurum præbuit, & ad concedendũ veniam lapsis fideles extimulauit, dicens: Et hos quidem arguite iudicatos, illos vero saluate de igne rapientes. Alijs autem miseremini in timore, odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam. Tria hic genera hominum describuntur peccatorum. Quidam, vt hæretici, apostatæ, & perditi alij & scelerati, obstinati sunt in peccato: & hi, vt diuino iudicio iam iudicati, arguendi sunt, & suæ obstinationis siue erroris conuincendi. Alij iacent quidem in peccato, sed nulla animi obstinatione, nulla pertinacia, nulla duritie: & hi omni vi & ope iuuandi sunt, & de igne, seu incendio vitiorum rapiendi, ne penitus intereant. Alij vero iam & ipsi sua sponte, & diuini numinis afflatu, à peccatis suis per pœnitentiam surgunt. Et his pœnitentia neganda non est, sed misericordia potius impendenda, in timore tamen & debito adhibito modo, ne facilitas veniæ incentiuum præbeat delinquendi. Miseremini, inquit, in timore. Et odientes, adiecit, carnalem & maculatam tunicam, quia misericordia quidem concedenda est odio macularum & sordium spiritualium, in quibus perseuerare cogebat duritiés & inhumanitas Nouati. Veniam negando, incentiuum auferunt pœnitentiæ, ait de Nouatianis Ambrosius 1. de poenit. cap. 1.

Et Cyprianus ob hanc causam Nouatum interfectorem pænitentiæ appellat. Ex Petro igitur, Paulo, Iacobo, Ioanne, & Iuda perspicuum est, posse peccatores fideles per pænitentiam reparari.

CAPVT V.

De sententijs & exemplis veteris testamenti pro reparatione lapsi.

HABEMVS & hanc eandem veritatem in veteri testamento non obscure expressam. Quamuis enim seuerior sub lege fuerit Deus, quam nunc sit, & non omnino sine causa Deus vltionum appellatus, quem nunc patrem misericordiarum & Deum totius consolationis pleno ore confitemur, tamen ne tum quidem obliuisci potuit nimiæ suæ misericordiæ. Iudæis tametsi & fidei, & legi, & gratiæ, & innumerabilibus alijs beneficijs, quibus ab eo exornati & honorati erant, ingratis, sæpe veniam suæ perfidiæ & ingratitudinis largitus est. Quoties eum tentauerunt in deserto? Quoties & ibi, & in ipsa terra promissionis, grauissimis perfidiæ & idololatriæ sceleribus eum irritauerunt? Plena est Pentateuchus, pleni & libri Iudicum, illorum defectionibus & obmurmurationibus. Nunquam tamẽ sic exacerbatus fuit Deus, quin eos ad ipsum reuertentes, benigne receperit, & furorem iræ suæ ad eorum pænitentiam & clamores, & ad preces suorum seruorum, qui inter illos erant, temperauerit. Et validissima est pro pænitentiæ virtute & commendatione, illa magnificentissima Dei promissio, annunciata ipsis per Mosen, quam & Esdras Deo allegauit, vt impetraret misericordiam lugentibus inita matrimonia cum alienigenis: *Memento*, inquit, *verbi quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos: & si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiam si abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi, vt habitaret nomen meum ibi.* 2. Esdr. 1. Et confirmauit Dominus hanc promissionẽ, cum ad Salomonem dixit: *Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me.* 3. Reg. 9. Inter alia enim orauerat Salomon,

mon, ædificato iam templo, vt inueniret populus remissionem suorum peccatorum, cum pænitentiam agens, & conuersus à peccatis suis, eo conueniret, & vt Deus ipsius misereretur, imploraret. Et facto ostẽdit se hanc legem seruare, cum ad trium syllabarum vocem, vt bene exaggerat Ambrosius 2. de pænit. cap. 9. Dauidi crimina & concupiscentiæ & adulterij & homicidij, subito condonauit.

Et pulchre Basilius hom. 57. *Peccaui*, inquit, *& statim adest medela*. Vbi namque, compunctus admonitione Nathan prophetæ, dixit, *Peccaui*: mox ab eodem propheta audiuit, *Transtulit quoq; Dominus peccatũ tuum*. Et cum iterum peccasset grauiter, faciens numerari Dei populum, acceptauit Deus, neque despexit pænitentiam illius. Vnde
Psalm. 144. & psc dulcissime canit: *Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Domi-*
145. *nus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Et
146. iterum: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Ac magnificans diuitias mise-
Psalm. 31. ricordiæ sibi exhibitæ, alibi dicit: *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quid hac potest tanta facilitate esse facilius? Quid hac tanta indulgentia benignius? *Dixi* inquit, *confitebor. & tu remisisti.* Dum se adhuc petere promittit, hoc quod promittebat, obtinuit.

Pientissime sane Gregorius in hæc verba: Attende, quanta sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, vt confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatũ perueniat pœnitentia: ante remissio ad cor peruenit, quam confessio ad vocem erumpat. Acceptauit & Deus pænitentiam Achab, tametsi grauissimis obruti peccatis. *Nonne*
3. Reg. 21. *vidisti*, dixit ad Eliam, *humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* In quibus Domini verbis pensandum est, ait Gregorius hom. 10. in Ezechiel. quomodo & in electis suis mæror amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum, si sic ei & reprobi pænitentia placuit, qui timebat perdere præsens seculum: Aut quomodo grata sit ei spontanea afflictio pro culpis, in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit & in eis, qui displicebant. *Hæc Gregorius.*

Quid vero memorem Manassen regem, qui non quater tantum, sed sæpissime abominanda idolatriæ scelera patrauit? An non post sordidum idolorum cultum, & effusum prophetarum sanguinem, reconciliatus est ei Deus propter pænitentiam? *Qui postquam coangustatus est*, ait de illo scri- 2. Paro. 33.
ptura, *orauit Dominum Deum suum. & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum.* Atq; vt agnoscas gratiam, fructum, & virtutem pænitentiæ, mox subdit: *Deprecatusq; est, & obsecrauit intente, & exaudiuit orationem eius, reduxitq; eum in Hierusalem in regnum suum.* Et ob eandẽ pænitẽtię virtutem restitutus est Nabuchodonosori sensus suus, & figura corporis sui, & honor & decor regni sui, cum his omnibus bonis peccata eum miserrime expoliassent.

Eleganter profecto Tertullianus: *Hæc pænitentia Babyloniũ regem in regna restituit. Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesim operatus, vnguium leoninum in modum efferatione, & capilli incuria horrorem aquilinum praeferente. Proh mala tractationis. Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.* Hæc ille. Ciuitas etiam illa magna Niniue multos, vt verisimile est, habuit qui ab accepta aliquando gratia exciderunt: & tamen subito ad prædicationem Ionæ Deum agnouit, & per pænitentiam non solum interminatæ mortis periculum euasit: sed &, vt Chrysostomus ser. 29. Tom. 2. asserit, vitæ incognitæ coronam accepit, faciliusque est, vt Augustinus de pæn. med. cap. 5. ait, euacuata comminatio prophetæ, quam humiliatio pænitentiæ.

Sed transeamus ad testimonia prophetarum, & hi quippe lucidissime veritatem istam docent. Et dixit Sion, *Dereliquit me Do-* Esai. 49.
minus, & Dominus oblitus est mei, ait Esaias. Sed quid illi nomine Dei respondet propheta? *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, Ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Eat nunc hæreticus, & præfigat certum limitem misericordiæ diuinæ, & reclamante ipso Deo, ac palam contestan-

Digitized by Google

te, se non oblicturum nostri, asserat aliquando Deum obliuisci peccatorum ad se reuertentium, & negare eis auxilia necessaria ad reuertendum ad ipsum. Certe in Sion Ecclesia intel igitur, & quæ ad Sion dicuntur, ad quamuis fidelem animam referunt Doctores. Et vide si non apertissime idem propheta hanc memoriam Sion, miserationem
54. illius exponat. *Ad punctum*, subdit, *in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Vtque omnes peccatores similem in se misericordiam per pœni
55. tentiam sperarent, subiungit: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum.* Si multus ille est ad ignoscendum, quis nisi plane desipiat, desperet? quis animum despondeat? quis lapsis vllis, si ad Deum reuertantur, veniam neget?

Sed & illud manifestissimum est, quod per Hieremiam loquitur Dominus ad Hierusalem, & in illa ad vniuersos peccatores, qui aliquando ei fuerunt coniuncti & de-
Hierem. 3. sponsati per gratiam: Vulgo dicitur, *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Et post paululum: *Conuertimini ad me filij reuertentes, quia ego vir vester, & assumam vos.* Et statim: *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.* Et pulcherrime hanc tantam Dei patientiam & longanimitatem commendat Gregorius hom. 33 in euang. in hæc verba: Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostendit quod post turpitudinem recipi non possit. Sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam vincit, cum dicit: Fornicantem mulierem recipi nequaquam posse, & tamen ipse fornicantem animam, vt recipiat, expectat. Pensate fratres pondus tantæ pietatis. Dicit, quod fieri non potest, & tamen demonstrat, quia hoc ipse facere, etiam contra morem, potest. Alias etiam per eundem prophetam clare testatur, nunquam se tam iratum fore aduersus aliquam gentem, quin placari ei possit & reconciliari per pœnitentiam.
Repente, inquit, *loquar aduersus gentem, & aduersus regnum vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus illam, agam & ipse pœnitentiam à malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Hierem. 18.
Nescio quibus verbis potuit diuina illa benignitas, & virtutem pœnitentiæ nostræ, & viscera suæ eximiæ misericordiæ nobis clarius commendare.

Merito sane Ambrosius 2 de pœnit. cap. 6. inter alia pœnitentiæ elogia & præconia hoc quoque adiecit: Tanta est pœnitentiæ medicina vt mutare videatur Deus suam sententiam. Nam hic palam fatetur Deus reuocaturum se suæ indignationis sententiam propter pœnitentiam nostram. Addamus & his duobus præcellentibus prophetis tertium, qui & disertissime & copiosissime non semel, sed sæpe hanc veritatem firmauit. *Si impius*, ait Ezechiel, *egerit pœni-* Ezech. 18.
tentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor. Et vt ostendat se paratum esse adiuuare, & semper potestati peccatorum ipsorum subesse pœnitentiam & conuersionem suam, subdit: *Nunquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus: & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus. Reuertimini, & viuite.*

Quid potuit clarius, dilucidius ve dici, vt intelligeremus posse quemuis peccatorem reparari & viuificari, quandiu vita ista non clauditur? Sed non his contentus fuit nimius ille amator hominum. Quia multum nostra interest hæc nosse, & constanter credere, rursus per eundem prophetam iuramento hæc confirmauit, dicens: *Viuo ego, dicit Dominus Deus.* O beatos, quorum causa Deus

Deus iurat. O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus! Sed quid tam sacrosancto iuramento credi à nobis se cupere ostendit? *Nolo*, addit, *mortem impij sed vt conuertatur impius à via sua mala, & viuat*. Non vult mortem peccatoris, qui mori dignatus est pro peccatoribus. Nullum peccatorem excipit, omnium se velle conuersionem palàm facit, & ipsam conuersionem vel pœnitentiam, vitam esse animæ, & impedimentum mortis, ne quispiam de hoc ambigat, sub iuramento testatur. Et, *Viuo ego*, inquit, vt viuenti mortem exosam, & vitam gratam esse, persuadeamur.

Quod & Deum iuxta iuramentum suum fecisse per re ipsa præstitisse & ostendisse, Ecclesiasticus perspicue docet, dicens: *Altissimus odio habet pec atores, & misertus est pœnitentibus*. Et iterum: *Pœnitentibus dedit viam iustitiæ*. Sed ne testimonijs nihil in re vsque adeo aperta necessarijs oneremus lectorem, sat fuerit in genere admonere, omnibus illis testimonijs hanc veritatem firmari & stabiliri, quibus vel Dei nomine nos Prophetæ ad pœnitentiam hortantur, vel Deum nostri nomine, vt ad nos se conuertat, implorant. Frustrà namque hoc fieret, si fideles peccatores, ad quos loquuntur, non possent semper, dum hîc viuunt, & conuerti ad Deum, & ipsius inuenire gratiam & misericordiam.

Eccles. 12

CAPVT VI.

Ex consensu totius Ecclesiæ, possibilitas reparationis lapsi firmatur.

ET vide, vt hanc Christi & Apostolorum, & Prophetarum doctrinam mirifico semper consensu susceperit & docuit Ecclesia. Præter Concilium Romanum sub Cornelio Papa, & Concilia pleraque Prouincialia, aut certè Synodalia, à quibus supra hanc veritatem diffinitam, ex Eusebio citauimus, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ita legimus: *Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari*. Vides vt omni in tempore, & in omni peccatore, & contra omne peccatum virtus valet pœnitentiæ? Neque est aliqua spiritualis infirmitas, quamdiu hîc viuitur, incurabilis. Et renarrantur hæc verba in cap. Firmiter. extra de summa Trin. & fid. Cath.

In Concilio etiam Florentino sub Eugenio 4. in bulla vnionis Græcorum & Latinorum, quæ incipit, *Lætentur cœli, & exultet terra*: diffinitum est, eos qui post baptismum peccauerunt, posse omnes peccatorum maculas per pœnitentiam & dignos pœnitentiæ fructus, vsque adeo diluere, vt mox vt hinc decesserint, ipsum Deum trinum & vnum clare, sicuti est, intueantur.

Cœlestinus huius nominis primus epist. 1. can. 11. non solum esse lapsis pœnitentiæ remedium diffiniuit, verum & id conferri docet per orationes Ecclesiæ, quæ in toto mundo ex traditione Apostolorum vniformiter orat, & pro lapsis, & pro infidelibus, & hæreticis, & schismaticis. Sed ipsa tanti Pontificis verba subijciam: Obsecrationum, ait, sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica vniformiter celebrantur, vt legem credendi, lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium Præsules, mandata sibimet legatione fungantur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia, postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idolatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus: vt Iudæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat: vt hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedium conferatur: vt denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cœlestis aula misericordiæ reseretur. Hæc autem non perfunctorie, neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus.

Legem credendi lex statuit supplicandi.

Leo huius nominis primus epist. 89. ait: Multiplex misericordia Dei lapsibus subuenit humanis, vt non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ.

Gregorius Papa, vt renarrauit Gratia-

Digitized by Google

nus 14. qu. 1. Si Petrus, omne peccatum in ministerio fidei dicit ablui, & Dominum restituisse Malcho auriculam, vt doceret peccatores posse, si conuertantur, sanari. Idem in homilia 31. 32. 33. & 34. super Euangelia, & in aliquibus homilijs super Ezechielem, & in expositione Psalmorum pœnitentialium, & in moralibus, & in libris Regum frequentissimus est in commendatione, & virtutis pœnitentiæ ad sanandum omnia peccata, & diuinæ misericordiæ omnes peccatores vocantis, & expectantis ad pœnitentiam. Et ex professo lib. 7. epist. 53. ad Secundinum seruum Dei, veritatem hanc confirmat, & quatuor generalissima Concilia, facto à Niceno principio, inuenisse se ait in hoc concordantia, quod lapsus à sacerdotali officio, resurgere potest. Et post paululum subdit: Post dignam igitur satisfactionem credimus posse rediri ad honorem, dicente Propheta: *Nunquid qui cadit, non adyciet vt resurgat? & qui auersus est, non reuertetur?* Et peccatori ait: *In quacunq; die conuersus ingemueris, saluus eris.* Et prolatis statim multis alijs Scripturæ testimonijs, ex quibus constat, apud Deum reparari posse lapsos per pœnitentiam, colligit inde, & per eandem posse illos restitui ad priorem statum in Ecclesia.

Psalm. 40. Iier. 8. Ezech. 18. 33. iuxta LXX.

Cyprianus, tametsi in non facile danda lapsis pace seuerissimus, tamen mirificus est in multis epistolis pœnitentiæ prædicator. Et in quadam epistola ad Cornelium Papam ita scribit: Primus felicitatis gradus est, non delinquere: secundus est, delicta cognoscere. Illic currit innocentia integra & illibata, quæ seruet: hic succedit medela, quæ sanet. Et statim ait: Amissa gratia, quæ de baptismi sanctificatione percipitur, subuenire pœnitentiam, per quam culpa curatur. Et postea subdit, vsque adeo se promptа & plena dilectione amplecti cum pœnitentia post negationem reuertentes, & peccatum suum satisfactione humili & simplici confitentes, vt in delictis plus quam oporteret remittendis, pene ipse delinqueret. Scripsit & ille ex professo, testibus Eusebio & Hieronymo, tractatum contra Nouatum. Sed ille desideratur. Nam qui nomine illius inter opera Cypriani circumfertur, longe profecto abest ab stylo, eruditione, & grauitate ipsius. Quare & à testimonijs ex illo citandis, supersedendum duximus.

Hilar. can. 18. in Matth. Neque fas est nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cum per Euangelij gratiam sine modo nobis à Deo fuerit indulta.

Hieronymus in epistolis ad Marcellam supra citatis, & paulo post principium libri 2. contra Iouinianum, multa dicit, ex quibus constat, longe ipsum & omnes sui temporis Catholicos, à sententia Montani & Nouati abfuisse. Sed acrius & magis ex professo hunc errorem videtur premere in ipso statim limine cuiusdam epistolæ ad Oceanum, vbi & eam Cainam hæresim appellat, quod & Cain in ea fuit sententia, vt crederet aliquod esse peccatum in hac vita inexpiabile. Et quia non sua duntaxat authoritate, sed & optimis argumentis veritatem fidei confirmat, ipsa illius verba subscribam: Nunquam, fili Oceane, fore putabam, vt indulgentia Principis, calumniam sustineret reorum, & de carceribus exeuntes, post sordes & vestigia catenarum, dolerent alios relaxatos. In Euangelio audit inuidus salutis alienæ: *Amice, si ego bonus, quare oculus tuus nequam est?* *Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur, vt vbi abundauit peccatum, superabundet & gratia.* Cæsa sunt Ægypti primogenita, & ne iumentum quidem Israeliticum in Ægypto derelictum est. Et consurgit mihi Caina hæresis, atque olim emortua vipera, contritum caput leuat, quæ non ex parte, vt ante consueuerat, sed totum Christi subruit sacramentum. Dicit enim esse aliqua peccata, quæ Christus non possit purgare sanguine suo, & tam profundas scelerum pristinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, vt medicina illius attenuari non queant. Quid aliud agit, nisi vt Christus frustra mortuus sit? Frustrà autem mortuus est, si aliquos viuificare non potest. Mentitur Ioannes Baptista, & digito Christum, & voce demonstrans: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, si sunt adhuc in secu-

Matth. 20. Rom. 11. Rom. 5. Ioan. 1.

feculo,quorum Christus peccata non tulerit. Aut enim ostendendi sunt non esse de mundo, quos Christi ignoret indulgentia: aut si de mundo sunt,eligendum è duobus alterum. Liberati à peccatis, Christi potentiam probant: Non liberati,quasi ad hucrei, imbecillitatem demonstrant. Sed absit hoc de omnipotente credere, quod in aliquo impotens sit. Omnia, quæ pater facit,& filius facit similiter.Infirmitas filij redundat ad patrem. Cuncta ouiculæ membra portata sunt: totæ Apostoli epistolæ, Christi gratiam sonant. Et ne parum videretur simplex gratiæ nuncupatio, Gratia, inquit,vobis & pax multiplicetur. Multiplicatio promittitur, & à nobis paucitas affirmatur?

Et in illis doctis iuxta ac elegantibus libris, quos de pœnitentia scripsit Ambrosius,1.de pœnitent.cap.4.hoc vnum præcipue agit, vt ostendat, omnes peccatores posse per pœnitentiam reparari, & Deum omnibus ad se reuertentibus gratiæ suæ sinus aperire. Et inter alia multa, pulcherrime in illa verba, *Si conuersus ingemueris, saluus eris*, sic edisserit: Expectat gemitus nostros, sed temporales, vt remittat perpetuos. Expectat lachrymas nostras, vt profundat pietatem suam. Expectat conuersionem nostram, vt reuertamur & ipsi ad gratiam. Etiterum lib.2.cap.6. Nouit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam, non vt puniat, sed ignoscat. Augustinus in Psalm.144. plurimus est in prædicanda propensissima Dei misericordia ad reparandum lapsos. Et alicubi vel inde capta occasione peccatores non pœnitentes acriter obiurgat his verbis: *Conuersioni tuæ indulgentiam Deus promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.* Ac libro quidem de contritione cordis, ad pœnitentiam hortatur, & quemadmodum peccatores possint & debeant conuerti, ob oculos ponit. Libris vero de pœnitentiæ medicina, & de vtilitate agendæ pœnitentiæ, ex professo docet, peccatores posse per pœnitentiam reparari, & tres esse in Ecclesia vsitatas pænitentias: vnam, quæ nouum hominem per baptismum parturit: alteram, qua peccata quotidiana, sine quibus vita ista non ducitur, iugiter oramus nobis dimitti: tertiam, rigidiorem & seueriorem, pro Decalogi præuaricationibus post baptismum commissis. Et de singulis quibusque istarũ,erudite & copiose more suo disserit.

Ezech.18 13 iuxta LXX.

Extant etiam inter opera Chrysostomi plures, quam 12.si bene recolo,homiliæ, & liber integer de reparatione lapsi, in quibus elegantissime pænitentiæ virtutẽ commendat, & ad ipsius medicinam capessendam peccatores cunctos hortatur.

Basilius idem facit in duabus epistol. ad monachos quosdam lapsos, & in alia epist. ad virginem elapsam. Ac ne desperarent, tamdiu,ait, esse locum pænitentiæ, quamdiu fores non sunt clausæ,neque ciuitas refugij obserata.

In homilia etiam 57.pulcherrime disputat contra eos qui post passionem Christi, vel certe lapsis post baptismum, veniam negabant, & confirmata ex veteri ac nouo testamento virtute pænitentiæ, acute illis obijcit: *Audes legem ponere Deo? Vult Deus dimittere, & tu impedis? Dominus largitur, & tu contradicis? Deus beatificat, & tu prohibes?* Et tandem subdit: *Qui nouit infirmitatem, suppeditat auxilium, & dabit victoriam. Beatitudo est, ne vlcus quidem habere: sed est secunda beatitudo, sanatio post plagam. Est spes post peccatum, est sanatio post vlcus tametsi maneat cicatrix.*

Chrys. 5. in Ioan. c. 8.

Cyrillus de illis, qui vel lapsis à gratia baptismali, vel lapsis à gratia accepta per pænitentiam, pænitentiam aut veniam dandam negant, sic in Commentarijs Iõannis scribit: *Hi diuinæ misericordiæ fontem, vberrima sua gratia fluenta nobis largissimè communicantem, inuidere videntur hominibus, & immensum certis velle concludere limitibus, & finibus constringere, vt non nisi prima deleat peccata, alijs verò delendis aut non sufficiat, aut non admoueatur.* Hæc Cyrillus. Qui explicatis argumentis aduersariorum, multis tum verbis, tum exemplis Scripturæ statim ostendit, Dei miserationem toties indultam esse hominibus, quoties expetita est,& salutare pænitentiæ medicamentum nulli peccatori ab errore suo resipiscenti subtrahendum esse. Fulgentius circa finem epistolæ ad

Digitized by Google

Venantiam de recta pœnitentia: *Conuersi, de remißione peccatorum nullatenus desperemus, tenentes Domini fidele promissum, quo ait: Cum conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.*

Isidorus 2. de summo bono, cap. 5. *Non potest conuersum spernere, qui pœnitentem suis beneficijs prouocat ad se redire.*

Anselmus in Comment. Pauli frequenter laudat virtutem pœnitentiæ, & peculiariter ad Hebr. 6. sententiæ Montani & Nouati, hæreseos notam inurit. Bernardus, quia Ecclesiæ fidem certam & indubitatam nouerat, ad pœnitentiam omnes peccatores passim hortatur, & Deum vsque ad senectam eos patienter expectare. Ac videre hoc licet nominatim in serm. de Magdalena, & in serm. de septem misericordijs, & in serm. de triplici misericordia. Et magno consensu hanc doctrinam recipit Magister sententiarum in 4. dist. 14. & qui post illum scripserunt pene omnes Scholastici, quos mihi contigit legere.

CAPVT VII.

Quod lapsi reparari queunt, argumentis Scholasticis firmatur.

Lapsi possunt reparari. NEQVE desunt argumenta Scholastica, quibus amissam gratiam recuperare quosuis lapsos posse stabilire valeamus.

Argum. 1. Primò: Vt libro proximo ex multis Scripturarum testimonijs perspicuum fecimus, nullus est iustus in hac vita, qui non possit, secundum communem legem, acquisitam gratiam perdere, & ab statu gratiæ & amicitiæ diuinæ in odium & inimicitiam ipsius transire. Nullus igitur erit è contrario peccator in hac vita, qui secundum legem communem non possit ab statu peccati, transire ad statum gratiæ & amicitiæ diuinæ. Par namque vtriusque est ratio, vel certe maior pro his. Promptior quippe, teste Ambrosio 1. de pœnit. cap. 2. ad misericordiam, quam ad seueritatem, est spiritus Dei. Etsi nunquam secundum legem communem ita confirmat iustos hîc viuentes, vt non possint fieri iniusti, neque verisimile est, quod ita deserat impios, quin, si velint, possint iustificari. Vnde & Ezechiel in loco supra ex illo citato perinde affirmat, impium posse conuerti, ac iustum posse auerti, & æquam vtrique legem ex parte Dei pronunciat.

Deinde: Si non omnes peccatores pœnitere posset suorum peccatorum, aut non omnibus liceret per pœnitentiam inuenire misericordiam, non vniuersis peccatoribus esset vitio vertenda sua impœnitentia, nec quanto diutius quis impœnitens foret, tanto grauiorem apud Deum reatum incurreret, nec tanto ei magis sua imputaretur præuaricatio. Quorum contraria Paulus diserte docuit, cum ad cunctos impœnitentes peccatores sic loquitur: *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Argum. 2. Rom. 2

Ex quibus verbis Gregorius hom. in Ezech. sic colligit: De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die iræ reprobus thesaurizat, quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratię vertit in augmentum culpę. Vnde & omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpæ augmentum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in iudicij districtionem vertit, vt inde post amplius feriat, vnde modo amplius expectat. Et quia homo deserere malum non vult vt viuat, auget vnde moriatur. Eademque pene scribit, & in eundem modum Paulum interpretatur 17. Moral. cap. 3. & 25. c. 2. ac consensit ei per omnia Bernard. in sermone de triplici misericordia.

Præterea, licet maior sit virtus sacramenti baptismi ad remittendum pœnas debitas peccatis, quam sacramenti pœnitentiæ, tamen ad remissionem culpæ & offensæ Dei, quæ est in peccatis, & ad reconciliandum peccatores Deo, non minor est potestas & efficacia in sacramento pœnitentiæ, quam in baptismo. Tam aperta enim sunt, & tam magnifica priuilegia clauium sacerdotalium, quibus omnia & ligare, & soluere est concessum, quam ipsius baptismi. Si nullum ergo irremissibile est peccatum baptismo, vt Argum. 3.

mo, vt volentes nolentes Montanus & Nouatus concesserunt, nullum erit etiam peccatum, quod sacramento pœnitentiæ non possit emundari. Et vt virtutem sacramenti pœnitentiæ, quæ ex sacris literis constit, paulultum intermittamus, nonne hoc est contra legislatoris nostri & redemptoris Christi prouidentiam, vt medicinam statuerit, qua sanari possint omnes alienigenæ & infideles, qui neque Ecclesiæ suæ sunt partes, neque corporis sui mystici membra: non tamen qua sanari queant, si ægrotent qui sunt membra sua, & Ecclesiæ sponsæ suæ nomina dederunt? Minorne misericordia & cura domesticis debetur, quam extraneis? Et verisimile erit, non posse omnia sacramenta, pro remedio & bono omnium Christianorum constituta, quod potest, quoad reconciliationem omnium qui foris & extra nos sunt, vel vnicum baptisma?

Pulchre profecto Ambrosius 1. de pœnit. c. 7. *In baptismo vtiq; remissio omnium peccatorum est. Quid interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent? Vnum in vtroq; mysterium est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Vbi vultis, vendicatis vobis Dei gratiam? Vbi vultis, repudiatis?*

Argum 4. Item: Ante statuta sacramenta nouæ legis, nullus erat peccator, qui non posset virtute pœnitentiæ reparari & saluari. Sanabiles quippe Deus fecit nationes orbis terrarum. Igitur & nunc, cum instituta sunt sacramenta nostra, parem habebit, immo eandem virtutem respectu quorumcunque peccatorum. Neque impedimentum esse potest, quod fuerit quis, vel non fuerit iam semel, aut sæpe iustificatus. Potest namque in grauioribus esse peccatis, qui nunquam fuit in gratia, quam qui iam aliàs in ea fuit. Et si pœnitentia potest valere contra maiora peccata, poterit quoque præualere contra leniora. Quicquid enim potest in maius, potest & in minus. Si tantæ fuit ergo potestatis pœnitentia ante legem nouam, & nunc est ante susceptum baptismum. Quid enim impedit, vt non eandem virtutem habeat modo, etiam in baptizatis? Quis illius potestatem eneruauit, aut abrogauit? Quis imminuit? Quis infregit? Christus certe ad perficiendum actus nostros, non ad infirmandum aut labefaciendum venit. Et baptismus potentiora nostra opera facit & efficaciora. Et quam misericordiam præstabat antiquo tempore Deus propter dolorem de peccatis, multo magis & copiosius nunc impartietur. Postulat hoc tempus gratiæ, in quo sumus: postulāt merita Christi, quæ plus valent apud Deum exhibita, quam præuisa. Postulat & ipsa insitio corporis Christi, facta in baptismo. Inde siquidem proficiscitur, vt nostra pœnitentia velut actus Christi à Deo computetur. Itaque dubitari non potest, quin eam & modo virtutem habeat, & aliquanto maiorem, quam habuit in lege naturæ vel scripta: & eandem post susceptum, quam ante susceptum baptismum.

Adhæc, Omnes Christiani peccatores tenentur ad pœnitentiam interiorem, & ad confessionem exteriorem suorum peccatorum. Idque omnes Catholici Doctores confitentur, & nos paulo post manifestis argumentis indubitatum faciemus. Cum igitur omnia Dei mandata & possibilia sint, & vtilia, poterunt citra omne dubium cuncti Christiani peccatores & ad Deum de communi lege conuerti, & peccata sua confiteri, & ea via à peccatis quantiscunque sanari. Alioqui neque potestas clauium esset, vt supra dicebamus, generalis & absoluta respectu omnium peccatorum, quæ committuntur post baptismum: neque forma sacramentalis absolute respectu cuiuscunque peccatoris vera esset, sed falsitatem apertam contineret, quandocunque absolueretur, qui haberet peccatum irremissibile. Et huic simile argumentum fieri potest ex præceptis diligendi Deum ex toto corde, & subeundi mortem pro Christo, & orandi pro nostrorum indulgentia peccatorum. Cum enim his etiam, vt libro sexto docuimus, promissa sit in Scripturis remissio peccatorum, & præcepta Dei impossibilia non sint, vel hinc liquere potest, Argum. 5.

teſt, neminem mortalium extra ſtatum eſſe ſalutis.

Argum. 6. Amplius: Omnes ſiue iuſti, ſiue peccatores, tenentur ſuam beatitudinem ſperare. Et quantumcunque grauibus & multis quis eſſet obrutus peccatis, grauiſſime peccaret, ſi deſperaret. Nullus quippe affectus noſter perinde videtur ex diametro pugnare contra miſericordiam diuinam, ac ipſa deſperatio. Et grauius multo videtur offendiſſe Deum Cain, Gen. 4. cum dixit: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*, quam offenderat occidens Abel.

Et de Iuda Gregorius 11. Moral. cap. 5. ait: Cum mortem ſibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis ſupplicia peruenit, & peius de peccato pœnituit, quam peccauit. Hoc ipſo igitur, quod Deus omnes mortales ad ſperandum de ſua ſalute conſtrinxit, neque cuiquam permittit, vt deſperet, palàm fecit, nullum eſſe peccatorem in hac vita, cui præcluſa ſit via ſalutis. Superabundat enim immenſa illius ſemper miſericordia, & omnibus omnium peccatis ſuperior eſt, non ſolum quæ committuntur, committentur, & commiſſa ſunt, ſed & quæ poſſunt committi. Quod ſi apud mortales faciles & benignos nunquam eſt deſperandum de reditu ad ipſorum gratiam, dicente Eccleſiaſtico: Eccleſ. 22 *Ad amicum etſi produxeris gladium, ne deſperes*: quanto magis ſperandum eſt, reconciliari poſſe quemuis peccatorem Deo, qui diues eſt in miſericordia, & cuius miſerationes ſuper omnia opera eius?

Argum. 7. Oratio etiam Eccleſiæ & Sanctorum omnium, qui pro peccatoribus omnibus indiſcriminatim orant, ſuadere poteſt omnia peccata huius vitæ eſſe remiſſibilia. Non enim inaniter putari poteſt fieri, quod ab vniuerſa Eccleſia factitari ſcimus, neque inefficaces poſſunt cenſeri orationes Eccleſiæ & Sanctorum, quæ maxima & apertiſſima habent ſuæ virtutis teſtimonia in Matth 7 Scripturis. *Omnis ſiquidem qui petit, accipit*; ait Chriſtus. Ioan. 16. Et rurſus: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Et Ioannes ait: *Scimus, quoniam habemus petitiones, quas poſtulamus ab eo*. 1. Ioan. 5. Quare licet grauiſſime peccauerit populus Iſraeliticus, idque non ſemel, neque bis, ſed ſæpe in murmuratione ad aquas contradictionis, & in adoratione vituli conflatilis, in ſeditione Chore, & cum ſtatuebant reuerti in Ægyptum præ deſiderio carnium, & cum lapidibus voluerunt opprimere Ioſue & Caleb, tamen in his omnibus offenſionibus & alijs non paucis, flexus Dominus ad preces Moyſi, dedit veniam omnium populo, & palam aliquando dixit: *Dimiſi iuxta verbum tuum*. Num. 14

Argum. 8 Denique: nullus eſt in hoc mundo tam grauibus obnoxius peccatis, vt non poſſit & alia, vel grauiora, vel certe æque grauia committere. Nam peccata non ſolent impedire peccata, ſed inclinare potius, & ſuo pondere in alia pertrahere: & qui ſordidus eſt, ſordidari poteſt & contaminari amplius, ſecundum Ioannis teſtimonium, Apocal. vltim. Si igitur aliqui peccatores hic ſunt, qui nequeunt de communi lege aut reſipiſcere à ſuis peccatis, aut eorum adipiſci veniam, non ſolum iam eſſent ſimiliter obdurati ac illi, qui ſunt in inferno, ſed in peiori profectò hîc eſſent ſtatu, quam ſi iam eſſent in inferno. Nam ibi hoc ſaltem ex conſenſu omnium habent omnes damnati, quod nunquam per ſua peccata pœnæ eſſentialis augmentum promerentur: hîc autem tanto ſe grauiorum pœnarum reos conſtituerent, quanto pluribus ſe peccatis conſpurcarent. Quia nihil eſt prorſus, vnde probabiliter excipi queant à communi lege, ſcilicet, in qua alij peccatores tanto ſe grauioribus eſſentialiter pœnis addicunt, quanto plura committunt peccata. Conſtat proinde ex hoc, veriſſimum eſſe, omnes peccatores reparabiles eſſe per pœnitentiam, quod Patres omnibus dogmatibus de pœnitentia præpoſuerunt.

CA-

CAPVT VIII.

De comminatione Christi contra negantes ipsum.

NON satis tamen fuerit nostra firmasse, nisi etiam à validissimis argumentis, quæ in contrarium torqueri possunt, illa tueamur. Dabimus itaque deinceps operam, vt singula quæque, quæ contra reparationem lapsi afferri possunt, singulatim discutiamus. Et vt eum sequamur ordinem, quem in ea corroboranda tenuimus, primo inducemus ea quæ ex Christi verbis videntur aduersum nos stare: secundo, quæ ex Apostolis: ac postremo, quæ ex veteri testamento. Nam alia quæ hæretici pro se afferre possint, non video. In Christi autem verbis duo potissima sunt, quæ in speciem contra omnia, quæ tradidimus, videntur stare.

Obiect. 1. Ac primo quidem pro se adduxisse refertur Nouatus verba illa Christi apud Matthæum: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Eundem sensum habent, quæ apud Lucam legimus: *Qui negauerit me coram hominibus negabitur coram angelis Dei.* Neque alio scio Nouatum vsum testimonio, vt veniam negaret lapsis, & negantibus Christum coram infidelibus. Quam vero infirmum sit hoc argumentum, vel inde colligi potest, quod hac consequentia nullum prorsus peccatum mortale, neque ante baptismum, neque post baptismum esset remissibile. Omni enim peccato mortali comminatur similiter Scriptura non solum negationem filij coram Patre cœlesti & angelis Dei, sed pœnam ignis æternam. Et hæc verba Christi contra omnes sunt, qui illum negauerint, & erubuerint, siue ante baptismum, siue post. Si igitur, quoniam oportet fateri hæc verba Christi fore semper vera, negatur venia lapsis, negabitur & nondum baptizatis, immo etiam omnibus peccatoribus. Nam & omnibus Scriptura pœnam comminatur æternam. Necesse item erit dicere, peccatum, quod Adam commisit, edendo de ligno vetito, irremissibile fuisse, & frustra carnem nostram filium Dei suscepisse. Oportet namque impleri verba Dei: *Quacunq; hora comederis ex eo, morte morieris.* Quæ hunc sensum habebant: Quacunque hora comederis ex eo, certo certissimeque morieris, id est, obnoxius eris morti spiritali, temporali, & æternæ.

Quod si ex hoc, quod Christus statim dixerit confessurum se coram Patre suo illum, qui se confitebitur coram hominibus, non collegit Nouatus impeccabilem esse, & amittere coronam non posse eum, qui semel Christum confessus esset coram hominibus: cur ex eo, quod Christus comminatur, se negaturum eum qui se negauerit, colligit irreparabilem esse illius ruinam? Annon oportet ita esse vera verba, quæ misericordiam pollicentur, ac illa, quæ iram minantur? Vt vero omnia loca Scripturæ sibi constent, & per omnia mutuo sint consona, quæ misericordiam, & quæ iram: quæ beatitudinem, & quæ condemnationem significant, oportet hanc regulam præ oculis habere. Quæ testimonia iram & condemnationem sonant, intelliguntur, si quidem vsque ad mortem durent, & non rescindantur per pœnitentiam illa, quibus ea pœna prædicitur. Quæ autem misericordiam & beatitudinem promittunt, intelliguntur, si modo in bono perseueretur vsque ad vitæ terminum, & non intercidantur per aliqua peccata ea bona opera, quibus tale præmium, & talis misericordia statuitur. Itaq; vt persistamus in testimonio, ad quod modo respondemus, ad veritatem horum verborum, *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*: satis est, quod Christus negaturus sit coram Patre suo eum, qui in negatione ipsius perstiterit ad mortem: neque requiritur, vt si postea eum confessus fuerit, aut per pœnitentiam eam negationem retractauerit, Christus nihilominus eum neget. Et similiter, vt vera sint illa, *Omnis ergò qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: satis est, Christum coram Patre suo confiteri eum, qui vsque ad mortem perstiterit in ipsius confessione, neq; eam confessionem nouis peccatis macu-

maculauerit, nisi hac regula perpetuo vtamur ad intelligenda testimonia Scripturarum, ipsa sibi passim dissona erunt, & repugnabit hoc testimonium, quod pro se Nouatus attulit, testimonijs de virtute pœnitentiæ & confessionis CHRISTI, & aliorum præcellentium operum. Sed hæc fuit cæcitas & infelicitas Nouati. Exaggerauit testimonia, quæ pœnam & seueritatem Dei indicant: & neglexit quæ plena sunt misericordiæ & suauitatis.

Multo certe aliter Ambrosius 1. de pœn. 2. c. testimonia diuina, & benignitatem, & dulcedinem diuinam expendere didicerat: Quippe qui & in hoc testimonio citato à Nouato aliquid inuenit, quod misericordiæ diuinæ attestatur. Quia enim non dixit Christus, *Omnis qui negauerit me*, sicut dixit, *Omnis qui confessus fuerit me*: misericordiam diuinam nobis ille commendat, dicens: Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur iniuriam. Quod est miserationis, exaggerat: quod vltionis, extenuat. Et Basilius homil. 57. inde colligit, etiam eum, qui negauit Christum, posse reparari, quia diuinam bonitatem non decet, vt mala conseruet, & bona reprobet, ac plus imputet iustis vnam linguæ confessionem tormentis extortam, quam multas postmodum secutas præclaras verbo & opere sui nominis confessiones. Nihil ergo habet hinc Nouatus, quod reparationi lapsi aduersetur. non certe magis, quam habeter ex quouis alio Scripturæ loco, vbi Deus præuaricatoribus suorum mandatorum pœnam comminatur æternam.

CAPVT IX.

De peccato in Spiritum sanctum.

Obiect. 2. SECVNDO contra reparationem lapsi induci possunt, quæ Christus grauissima & seuerissima de peccato in Spiritum sanctum Pharisæos admonuit. Ex eis quippe videtur esse saltem aliquod peccatum in hac vita irremissibile, neque in vniuersum verum esse, omnem lapsum posse à suo peccato resurgere. Verba Christi sic habent:

Matth. 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur.* Et vt confirmatius hoc esset, adiecit statim: *Et quicunque dixerit verbum in filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Quibus verbis palàm videtur Christus legem statuisse, aut certe declarasse de blasphemia seu conuicio aut maledicto in Spiritum sanctum, quod irremissibile peccatum sit & inexpiabile. Distinxit enim hoc peccatum contra blasphemiam in filium hominis, immo contra omnia alia peccata & blasphemias. Et omnia alia asseruit remittenda esse hominibus, de hoc autem vno id negauit. Cum autem neque omnia alia semper remittantur, ea videtur ratione dixisse, quod illa remittentur, quia remissibilia sunt. Itaque & cum dixit, quod blasphemia Spiritus sancti non remittetur, & hoc ipso à cæteris peccatis eam separauit, satis significasse videtur, eam esse irremissibilem. Et vbi hæc ratiocinatio non hoc exigeret, profecto satis esse apparet, vt secundum legem irremissibile dicatur peccatum, quod nunquam secundum legem remittetur. Nam & ideo dicimus confirmatos in gratia, excidere ab ea non posse, quia secundum legem nunquam eam perdent.

Atque hæc videtur aliquanto apertiora fecisse Marcus, cum verba Christi sic retulit: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemauerunt. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Marc. 3 Quod æternum est, finem sane iuxta legem Dei non habet. Si igitur peccatum in Spiritum sanctum æternum est, erit & irremissibile secundum legem. Neque expressiora his videntur, quæ nos mouent, vt peccata damnatorum, & peccata, in quibus quis decedit ex hac vita, dicamus irremissibilia esse secundum legem. Nec minus rigidam sententiam exprimunt verba, quæ Lucas recensuit: *Omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.* Luc. 12

tribus per omnia consentientibus Euangelistis, blasphemia in Spiritum sanctum, irremissibilis à Saluatore videtur esse pronunciata, & hoc vno à cæteris peccatis distincta.

Responsio. Sed quia difficultas de peccato in Spiritum sanctum, quam hoc petit argumentum, non immerito D. August. de ver. Domin. visa est omnium quæ sunt in scriptura, difficillima, & illam non sine causa dicit semper se vitasse in sermonibus ad populum: ideo quid alij Ecclesiastici tractatores de his Christi verbis tradiderint, diligenter referam: deinde paulatim, quæ nobis pro nostri tenuitate ingenij videantur, aperiam. Et quidem quid hoc peccatum sit, non satis constat inter Doctores. Nam vt illos intermittamus, qui respicientes ad contumeliam illatam Spiritui sancto, & ad ingratitudinem sanctificationis illius asseruerunt peccatum in Spiritum sanctum esse quoduis lethale peccatum post baptismum commissum, aut saltem quamcunque negationem Christi, aut apostasiam à fide: certe inter Catholicos quidam credunt, finalem impœnitentiam esse peccatum in Spiritum sanctum. Nullum quippe aliud vident, quod non possit in hoc seculo remitti. Et hoc etiam dicunt esse peccatum ad mortem, de quo loquitur Ioannes.

Variæ opi. de peccato in Spiritum sanctum.

Prima. Opin. 2.

Opin. 3. Alij vero dicunt, peccatum in Spiritum sanctum, esse obstinationem in peccato, qua quidā vsque adeo indurantur in peccatis suis, vt simpliciter statuerint nunquam pœnitere.

Opin. 4. Alij desperationem de diuina misericordia, ex malitia tamen, & non ex ignorantia vel passione, credunt esse peccatum in Spiritum sanctum. Quæ est opinio Scoti & sequacium ipsius, in 2. dist. 43. quæst. 1.

Opin. 5. Alij quodcunque peccatum lethale, ex malitia & de industria commissum, peccatum in Spiritum sanctum appellant. Et hæc, vt secunda, est communis opinio scholasticorum Theologorum, & nominatim sancti Thomæ, secunda secundæ, q. 14. S. Bon. & Gab. in d. 43. 2. Gersonis parte secunda, tractatu speciali de hoc. & Nicolai Lyrani in 12. Matth. Et sic acceptum peccatum in Spiritum sanctum, diuidunt in sex species: Quæ sunt, præsumptio, desperatio, obstinatio, impœnitentia, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidentia charitatis fraternæ.

Propo. 1. Et huiusmodi quidem omnibus peccatis non incommode potuerunt Doctores Catholici nomen peccati in Spiritum sanctum tribuere. Aduersantur enim hæc omnia peculiariter ipsi Spiritui sancto. Quia vel bonitati opponuntur, quę appropriatur spiritui sancto: vel directe & ex diametro contraria sunt principio, seu dispositionibus iustificationis nostræ, & remissionis nostrorum peccatorum, quæ peculiariter dicitur opus Spiritus sancti. Et certe perspicuum est, difficilime hæc omnia remitti. Quæ præcipua nota videtur peccati in Spiritum sanctum. Et quacunque ratione hoc fecerint, habent Scholastici authores pro se eximium illum Ecclesiæ doctorem Augustinum, cuius se authoritate defendant. Nam is in libro de vnico baptismo, contemnentem veritatem peccare asserit in Spiritum sanctum, cuius inspiratione Ecclesia Dei regitur. Et in Enchiridio dicit, reum esse peccati in Spiritum sanctum, qui in obstinatione diem claudit extremum. Et de omni peccatore claudente hanc vitam absque pœnitentia idem dicit in 1. Retract. & in libro de verbis Domini, & libro sermon. Domini in monte, inuidiæ facibus fraternitatem impugnare, peccatum ait esse ad mortem, & in Spiritum sanctum. Et in libro de fide ad Petrum, si tamen illius sit, aperte affirmat peccare in Spiritum sanctum eos, qui desperant de indulgentia peccatorum, vel qui sine meritis de misericordia Dei præsumunt. Et possit etiā sic philosophando, & ex vna in aliam acceptionem propter non incongruam, neque inapparentem rationem transeundo, quæcunque blasphemia illata Deo aut Spiritui sancto, peccatum in Spiritum sanctum appellari.

Propositi... Si tamen de literali expositione Euangelistarum agimus, & quod sit hoc peccatum, quod Christus hoc nomine appella-

uit, & hac nota à cæteris distinxit, disquirimus: indubitatum mihi est, nullum istorum peccatorum, à Christo peccatum in Spiritum sanctum, dictum esse. Aperte quippe distinxit inter peccatum in filium hominis, & peccatum in Spiritum sanctum. Et tamen peccatum in filium hominis, ex malitia potest contingere, & in eo potest quis finaliter decedere & obdurari, sicut verisimile est decessisse aliquos ex illis, qui Christum voracem appellarunt, & potatorem vini. Nam inter illos forte fuerunt, quibus Christus dixit: *In peccatis vestris moriemini.* Deinde: Ab huiusmodi omnibus peccatis, quæ vocantur communiter peccata in Spiritum sanctum, nisi in eis finiatur vita, plerunque homines resipiscunt, & ad vitam reuocantur ab eo, de quo dicitur: *Dixit Dominus ex Basan, conuertam, conuertam in profundum maris.* Et hoc pulcherrime ostendit Augustinus in hæc verba: Neque verisimile est, tot homines committere hoc peccatum in Spiritum sanctum, quot sunt, qui moriuntur in peccatis absq; pœnitentia.

Ioan. 8.

Psal. 67.

Proposit. 1. Dicendum igitur est, peccatum in Spiritum sanctum, ad literam Christum vocasse blasphemiam, qua opera miraculosa virtute diuina facta, tribuuntur seu imputantur dęmoni. Et huiusmodi blasphemiam intellexerunt à Christo dictam esse peccatum in Spiritum sanctum eximij & grauissimi Ecclesiæ patres, Hilarius, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus. Et ex scholasticis Durandus in 2. d. 43. quæst. 1. Quod quidē satis videtur expressisse Marcus, cum post verba statim ex eo citata, mox adiecit: Quoniam dicebant, spiritum immundum habet. His namque verbis satis explicuit Euangelista, ideo à Christo annunciatam rigidam illam sententiam de peccato in Spiritum sanctum, quia ipsum calumniabantur, & insimulabant habere spiritum immundum. Cum voracem eum & potatorem vini, & publicanorum & peccatorum amicum conuiciati sunt, patienter tulit, & iniuriam in se vt hominem illatam, paulisper dissimulauit. Cum vero, vt assolet, creuit contumelia, & ad blasphemiam vsq; diuinitatis peruenit, ne iniurias diuinitatis dissimulandas perinde esse, ac nostras, putaremus, constanter & magnanimiter respondit: *Ego dæmonium non habeo.*

Atque vt scirent, quanto se reatui addixissent, vel certe vt cauerent, ne perseuerantes in ea blasphemia, eo peccatum illorum perueniret, vt nullus esset locus veniæ, subiunxit, quæ de peccato in Spiritum sanctum commemorauimus. Vnde & diuus Hieronymus in epistola ad Marcellā, de blasphemia in Spiritum sanctum, puta de toto scripturæ ordine, & Euangelij ipsius contextu, conuincit eos non peccare in Spiritum sanctum, qui tormentis compulsi, & varijs euiscerati cruciatibus, Dominum denegassent: sed eos potius, qui cum in virtutibus videant opera Dei, calumniātur tamen & clamitant, dæmonis esse virtutem. Et priores quidem probat non peccare in Spiritum sanctum, quia peccant in filium hominis, sicut peccauit & Petrus, cum negauit Christum. Euangelium autem manifeste distinguit peccatum in filium hominis, à peccato in Spiritum sanctum. Posteriores vero inde peccare confirmat in Spiritum sanctum, quia saluator hoc agit toto responsionis suæ argumento, vt doceat, se non eijcere dæmonia in principe dæmoniorum. Quia satanas non eijcit satanam, ne que regnum illius diuisum est. Et cum diaboli officium & studium sit, lædere creaturas, quomodo eiusdem, ait, potent esse voluntatis, sanare languores, & seipsum de obsessis fugare corporibus? Et concludit: Aliud est, tormentis cedere, & se quemcunq; negare Christianum: aliud, Christum diabolum dicere: & cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub criminari in factis.

Ex quibus etiam contra Durandum obiter colligere possumus, non accepisse sanctos Doctores Spiritum sanctum essentialiter, sed personaliter, cum hanc blasphemiam dixerunt esse peccatum in Spiritum sanctum. Negationem quippe Christi, etiam secundum diuinitatem, à peccato in Spiritum sanctum hic distinguit Hieron. Neque

Neque est necesse, vt quoniam hæc blasphemia in iniuriam cedit omnium trium personarum, quia illatum sunt in commune omnia miracula, ideo blasphemia hæc dicatur esse in Spiritum sanctum essentialiter. Quamuis enim indiuisa sint opera Trinitatis ad extra, tamen quia iustificatio & sanctificatio nostra tribuitur Spiritui sancto, miracula etiam quæ ad conuersionem nostram & sanctificationem fiunt, tribuũtur ipsi Spiritui sancto: atq; ideo, & qui ea dęmoni attribuunt, merito censeri possunt peccare peculiariter in ipsam personam Spiritus S. saltem per appropriationem.]

Propo. 4. Sed neque omnis huiusmodi blasphemia peccatum est in Spiritum sanctũ, quod Christus non remittendum asseruit. Si enim ex ignorantia non affectata quis sic Christo & operibus ipsius detraxisset, non fuisset is censendus peccare in Spiritum sanctum. Qua ratione Bernardus de conuer. Pauli. verissime dicit, Paulum blasphemũ quidem fuisse, non tamen in Spiritum sanctum, quia ignorans fecit, atque ideo misericordiam est consecutus. Et Chrysostomus hom. 42 in Matt. hanc blasphemiam Christo irrogatam, quod in principe dæmoniorum eijceret dæmonia, ante ipsius passionem innuit non fuisse peccatum in Spiritum sanctum. Tunc enim, ait, cum gratia spiritus inclaruisset, si rem adeo claram & manifestam impugnarent, digni erant censendi, qui & in hoc seculo, & in futuro punirentur.

Propo. 5. Et si penitus omnia hincinde pensemus, præter hæc, vt huiusmodi blasphemia verissime dici possit peccatum in Spiritum sanctum, quod nunquam remittetur, fortassis requiritur certa aliqua & magna obduratio & obstinatio animi, & talis ac tanta propensio ad infirmandũ & imminuendum gloriam & claritatem diuinam, vt non facile mortalium quispiam dicere queat, aut satis scire, quando quis peccauerit in Spiritum sanctum. Nam quamuis huiusmodi blasphemia, si ex scientia fiat, ex genere suo sit peccatum in Spiritum sanctum, tamen non omnis talis blasphemia est censenda esse peccatum in Spiritum sanctum,

Incertum, quousque debeat spiritus sancti blasphemia progredi, vt sit æternum delictum.

quod nunquam remittetur, & incertum est, ex quanta malignitate debeat procedere, vt merito credatur sine venia futura. Et quæ me in hoc impellunt, ista sunt:

Argu- Primo: Apud omnes Doctores video receptum, nemini Christum suam damnationem absolute reuelasse. Fuisset namque ea reuelatio magna tentatio, & irritamentum vehemens ad desperationem. Neque igitur illis, qui dixerunt, eum in principe dæmoniorum eijcere dæmonia, absolute reuelauit peccatum eorum non esse habiturum veniam.

Item: Aliqui sic blasphemantes Christum, consecuti sunt remissionem, secundum Chrysostomum, propter orationem Christi in cruce.

Argum. 3. Insuper: Nonnulli ex illis, videntur ea ex ignorantia dixisse. Petrus namq; omnibus Iudæis indiscriminatim loquebatur, cum aiebat: *Scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* Actor. 3.

Argum. 4. Item: Omnibus illis idem Apostolus per baptismum & pœnitentiam, remissionem peccatorum promittit, dicens: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.

Argum. 5. Præterea: De nullo sic blasphemante Christum, nos auderemus dicere: Iste reus erit æterni delicti: Iste non habebit remissionẽ in æternum: Isti non remittetur hæc blasphemia, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Et temerarium omnino esset hæc vel affirmare, vel credere. Cur autem trepidare deberemus, si certum esset, omnem talem blasphemiam peccatum esse in Spiritum sanctum? Cur non audeat seruus dicere, quod constanter dixit Dominus, qui est ipsa summa veritas?

Argum. 6. Ad hæc: Ecclesia orat, & omnes orare debemus pro quibuscunque obnoxijs his peccatis. Quod non fieri deberet, si peccatum eorum sciremus esse peccatum ad mortem, vel in Spiritum sanctum.

Neque mirandum, si hoc nobis incertum esse credamus, cum & Augustinus 12. de Ciuit. cap. vlt. dicat, esse aliquorum

vitam

vitam ita malam, vt nisi aliorum meritis iuuetur, ipsa sibi non sufficiat ad beatitudinem consequendam: & difficillimum esse inuenire, & periculosissimum diffinire, quę sint peccata, quæ ita impediunt peruentionem ad beatitudinem, vt tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam: neque se vnquam potuisse ad eius indaginem peruenire, quamuis ea de re satageret: atque ideo forte latere, ne pigrescat studium cauendi omnia peccata. Itaque quod Marcus dixit, *Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet*: non est necesse sic accipere, quasi omnis eiusmodi blasphemia peccatum sit in Spiritum sanctum. In quem sensum, Hieronymum in epistola allegata accepisse, non diffiteor.

Possumus autem ex illius venia dicere, propterea verba illa adiecta esse, vt intelligeremus necessariam esse talem blasphemiam ad peccatum in Spiritum sanctum, de quo Christus loquebatur. Siquidem ideo Christus sic sibi calumniantes, de æternitate delicti in Spiritum sanctum admonuisse videtur, quia illa blasphemia initiū erat ac magna progressio & certissima via ad peccatum in Spiritum sanctum. Quod autem hoc peccatum, quodcunq; illud sit, æternum fore pronunciatur, neq; remissionem habiturum neque in hoc seculo, neq; in futuro, multipliciter video à doctoribus exponi. Quidam aiunt irremissibile dici hoc peccatum, quia vel contrarium est principio iustificationis, vel dispositionibus ad habendum remissionem, vel certe quia nihil ex se habet vnde diuinā clementiam ad miserendum ipsius inclinet: quia ex malitia & de industria committitur, & non, sicut alia peccata, ex ignorantia vel infirmitate. Et sicut morbus dicitur incurabilis, si auferat principium vitæ, vel vias obstruat medicinis salutaribus & necessarijs ad vitam: ita peccatum in Spiritum sanctum, irremissibile dictum opinantur, quia ex malitia committitur, & medicinis siue dispositionibus ad vitam spiritualem aduersatur.

Quo sensu peccatū in Spiritum sanctum, dicatur irremissibile.

Opin. 1.

Alij putant hæc esse conditionaliter intelligenda, sicut & illa, *In peccatis vestris moriemini*: quæ intelligenda erant, si quidem non fecissent pœnitentiam. Ex Chrysostomo autem Hom. 4. in Matt. duplex alia expositio potest colligi tremendę huius Christi sententiæ contra peccatum in Spiritum sanctum. Aut enim sensus est, quod puniētur in hoc seculo, & in futuro, sicut Iudæi propter illud puniti sunt: aut certe quod rarissime & difficile remittetur. Voluit, inquit, Dominus significare, hoc peccatum multo minus esse ignoscibile & veniale, quam cætera. Et secunda istarum duarum expositionum communior est ac melior. Solet namque scriptura, vt iam docuimus, ea factu impossibilia dicere, quæ difficillime fiant. Et Aristoteles dicit impossibile illud quoque appellari, quod vix fieri potest. Et intemperatum impœnitiuum esse, ait in Ethicis, non quidem, quod pœnitere nequeat, sed quod difficillime eum suorum vitiorum pœniteat. Et in communi hominum consuetudine frequentissime ea dicimus impossibilia, quæ factu vel creditu sunt difficillima.

Opin. 2.
Ioan. 8.

Opin. 3.

Opin. 4.

Verum enimuero, cum altius mecum & maturius expendo, quæ Marcus contra hoc peccatum prolata à Christo retulit, ne vis vlla fieri videatur scripturis, germanius & simplicius putarem concedere, peccatum in Spiritum sanctum, eiusmodi esse, vt licet remissibile sit, nunquam tamen remittatur. Cur enim alias hoc vnum delictum, æternum in viatoribus dicitur? Cur de hoc solo pronunciatur, quod non habebit remissionem in æternum: & vt apertissimum hoc sit, adijcitur, *Neque in hoc seculo, neque in futuro?* Cur à cæteris peccatis & contumelijs contra filium hominis, immo & generaliter ab omnibus etiam alijs blasphemijs hac vna conditione distinguitur? Equidem æternum delictum dici non potest, quod aliquando eluitur & expiatur, etiamsi in vtroque seculo puniatur, & difficillime ipsius indulgentiā quis obtineat. Et in conuicijs & maledictis contra filium hominis, & in alijs diuinitatis blasphemijs, immo & in alijs leuioribus peccatis, multa sunt quæ difficillime remittuntur, vel propter grauitatem peccati, vel pro-

Peccatum in Spiritum sanctum, nunquam remittitur.

propter contemptum Dei offensae, aut negligentiam eorum, quae pietatis & religionis sunt, vel propter diuturnam & inveteratam in ipsis consuetudinem.

Et Hieronymum quidem in epistola statim citata, palam video, constanter dare ac confiteri Nouatiano, nunquam veniam consecuturos, qui sic in tormentis negarent Christum, vt & ipsum ante Martis tribunal Beelzebub vocarent, & omnia quae Euangelium à filio Dei facta commemorat, à principe daemoniorum perfecta esse affirmaret. Doceat, inquit, Nouatianus al quem negatorem Beelzeb b vocasse Christum, & vltro re ferram gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam. Et ibidem ait, omnem talem blasphemiam, peccatum esse in Spiritum sanctum: & Pharisaeos vere peccasse in Spiritum sanctum, cum eā blasphemiam Christo impingebant. Et in commentarijs Esaiae

Esa. 6. in il a verba, *Excaeca cor populi huius*, hac fortassis ratione ita concludit: Ex quo animaduertimus, quamuis graue sit peccatum, si quis conuertatur, eum posse sanari. Simulque & hoc intelligendum, quod pro magnitudine sceleris etiam poenitent a Iudaei indigni iudicati sunt. Et in illa verba

Matt. 26. Matthaei *Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, &c.* Iudam, cuius peccatum icimus, veniam non meruisse, aperte asseuerat in eo errore fuisse, vt quae signa saluatorem viderat facientem, non maiestate diuina, sed magicis artibus facta putaret. Et verba illa, *Tenete eum, & ducite caute* probabilem coniecturam

Marc. 14. faciunt, quod & aliquid tale Iudaeis tunc adijceret, quo eos acrius ad ducēdum cautee ximularet.

Didymus etiam in principio libri primi de spiritu sancto, clare dicit blasphemiam in spiritum sanctum sine venia esse, & poenam illius non tantum in omne praesens seculum, sed & in futurum tendi. Et hoc existimat verba Christi, quae modo tractamus, postulare. Neque tamen, quod hoc peccatum in Spiritum sanctum nunquam alicui remissum esse, neque remittendum asserimus, consequens est, vt & illud irremissibile secundum legem concedamus. Multa quippe secundum legem possibilia sunt, quae tamen nunquam fient. Vt enim ex multis vnum a it alterum exemplum proferamus, poterit quidem Antichristus, & potest quiuis reprobus, dum est in hac vita, secundum legem saluari. Certi tamen sumus per authoritatem Ioannis, neminem ingressurum in ciuitatem Dei, nisi qui scriptus est in libro vitae. Et possunt qui scripti sunt in libro vitae quandiu hic viuunt, secūdum legem condemnari, certi tamen sumus, id nunquam futurum.

Et nè haec verba tam aperta, vt peccatum in spiritum sanctum, aeternum & nūquam habiturum remissionem dicamus, legem existimemus à Deo contra illud latam, docet nos huius status lex, quae huic legi repugnat. Idemque monent apertissima, quae citauimus, testimonia, vt omnia peccata huius viae remissibilia esse, durante ipsa, monstraremus. Quorum nihil simile adduci potest, vt peccata damnatorum, vel in quibus quis decedit, remissibilia esse secundum legem suspicemur. Et cum sanctus Hieronymus in epistola paulo ante citata bis dicit, irremissibilem esse blasphemiam in Spiritum sanctum, & tantum esse hoc peccatum in Spiritum sanctum, vt dimitti non possit, neque veniam consequi valeat, qui sic negaret Christū, vt & eū Beelzebub vocaret. & Magister in 2. distinct. 43 citat haec ex eodem: Taliter peccans, digne poenitere non potest. & ex Augustino: Hoc solum peccatum veniam mereri nō potest: ea omnia piè interpretari nos velim, & ideo ab eis dicta esse accipere, quia nunquam tanti criminis rei veniam assequuntur, non autem quod secundum legem tale peccatum irremissibile sit.

Neque violenta ista expositio censenda est. Ipse quippe & alij grauissimi Ecclesiastici authores, cōtemnentes rigorem scholasticum, Scripturam autem & vulgarem loquendi modum imitantes, saepe dicunt impossibilia, quae nunquam fient: & necessaria, quae certo scimus futura esse, & faciēda à Deo. Vnde fit, vt in exemplis mox positis persistamus, vt necesse esse dicant impleri scripturas, & saluari electos, & con- Impossibilia dicuntur aliquando, quae nunquam fiet.

Aaaa demnari

demnari præscitos, & impossibile esse vt pereant, qui sunt scripti in libro vitæ, & neminem posse illos rapere de manu patris. Et sexcenta illa similia occurrunt in eorum lectione, quæ semper pie, & iuxta catholicæ Ecclesiæ sensum, quem non dubium est eos tenuisse, spreto rigore dialectico, accipienda & interpretanda sunt.

Et Hieronymum peculiariter possimus ostendere sic ista accepisse, qui super Matthæum sic scribit: De Iuda dicitur, Oratio eius fiat in peccatum, vt non solum emendare nequiuerit proditionis nefas, sed proprij homicidij scelus addiderit. Cumque Augustinus libro primo de ordine, capit. 20. scripsisset, Summa opera danda est optimis moribus. Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit. In 1. Retract. capite tertio: Sic, inquit, hoc dictum est, tanquam Deus non exaudiat peccatores. Quod tamen & in eo sensu reuocat.

CAPVT X.

De verbis Pauli, in speciem contra lapsi reparationem pugnantibus.

Opin. 3. EX Apostolis vero in primis obijcitur Paulus, qui in epistola ad Hebræos diserte videtur asserere, non esse locum pœnitentiæ illis, qui cum iam essent iustificati per baptismum, rursus ad priora vitia redeunt, ac contempto beneficio cœlesti, velut recrucifigant in se Christum. Verba

Hebr. 6. Pauli hæc sunt: *Impossibile enim est, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum Dei cœleste & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Et ne dura hęc sententia, iniqua videretur & iniusta, adiecit statim: *Rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes* hoc est, vt Græcè apertissimum est, traducentes, infamantes, & ludibrio ac velut exemplo contemptus & derisionis exponentes.

Quibus verbis duas causas videtur Apostolus exprimere, propter quas non sit iniquum existimandum, quod nolit Deus restituere in priorem statum semel prolapsos à sua iustificatione. Prima est, quia cum Christus semel sit mortuus, ac iam nunquã amplius moriturus resurrexerit, tamen iterantes peccata dimissa in baptismo, rursus virtute videntur eum crucifigere, cum ea faciant propter quę ille mortuus est, ac rursus, vt aiunt, esset moriturus, si illa deberent expiari.

Deinde: Cum Christum authorem nostræ salutis semper deberemus vita nostra honorare, & cunctis venerandum, tremendum, & amabilem facere, qui renati ei per baptismum, ad priora vitia reuertuntur, suis pessimis operibus Christum infamem ac ludibrium faciunt, nomenque ipsius blasphemari cogunt inter gentes. Ac proinde & digni sunt, quos Deus quoque vicissim deserat & despiciat, ac pro nihilo habeat. Quod & apertius videtur Paulus fecisse & confirmasse similitudine, quam mox subdit, *Terra enim sæpe venientem supra se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus & colitur, accipit benedictionẽ a Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.*

Vides vt prolapsos à gratia baptismali, reprobos pronunciat, & combustionis exterminio addidit? Si enim terra, quæ suscepto imbre spinas germinat & tribulos, reproba est, & in combustionem consummatur: igitur qui suscepto fœcũdo illo imbre vndæ vitalis baptismi, spinas & tribulos malorum operum Deo germinant, reprobi erunt, & gehennalibus flammis cremabuntur, neq; inuenient apud Deum remissionem suorum peccatorum.

Neq; minus videntur premere, & in eã, Obiect. 4.
quam tradidimus, veritatem pugnare, quæ Apostolus in eadem epistola subnectit: *Voluntariè peccãtibus nobis post acceptã notitiã veritatis, iã nõ relinquitur pro peccatis hostia, terribilis* Heb. 10.
autẽ quædã expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ cõsumptura est aduersarios. Quid apertius dici poterat, vt præclusus ostenderetur omnis veniæ locus ijs, qui post susceptam fidem voluntarie peccant? Si nulla pro illis peccatis reliqua hostia est, quomodo poterunt

eorum:

eorum habere remissionem: Deus sane sine sanguinis effusione, teste eodem Apostolo, nulla peccata remittit. Etsi post lapsum ab agnita veritate, locus est pœnitentiæ, qua placetur Deus, ipsa pœnitentia hostia esset propiciationis.

Deinde: Si terribilis duntaxat superest expectatio iudicij, & nihil aliud quam ignis deuorans & consumens, quis igitur locus veniæ? quæ indulgentiæ & misericordiæ spes? Neque minus vrgent, quæ sequuntur. Diligentissime enim hæc iustissima esse approbat, & ex eis, quod negare, non possumus, validissime roborari possunt argumenta hæreticorum. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit,

Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam*, dixit Domi-
Deut. 32. nus. Et iterum: *Iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Expendamus singula, & intelligemus fortiter hæc contra nos dimicare. Aut enim oportet concedere perperam Apostolum argumentari, á pœnis contra præuaricantes legem Moysi, ad pœnas eorum, qui post susceptum baptismum peccant: aut si hoc absurdum est & impium, cum nullum fuisse locum veniæ, & absque vlla miseratione præuaricatorem legis Moysi interficiendum affirmet: concedendum erit, concludere voluisse, nullum etiam modo esse locum veniæ, & citra omnem miserationem debitis mulctandos esse supplicijs, qui post susceptum baptismum transgressus fuerit legem Christi.

Et si grauiores hic quam ille meretur cruciatus, & acerbiora multo tormenta, vt manifestissimis tribus argumentis Apostolus commonstrat, quia & filium DEI conculcat, & sanguinem testamenti à quo baptismus habet suam virtutem, pollutum ducit, & spiritui gratiæ in se manenti contumeliam irrogat, dum à se illum expellit, multo magis hic quoque, quam ille carebit venia, & absque vlla miseratione punietur. Cur etiam hic duntaxat vindictæ & iudicij Apostolus meminisset, si locus erat adhuc indulgentiæ? Cur & horrendum dixisset incidere in manus Dei? Nondum certe dies vindictæ & iudicij aduenit, cum locus est misericordiæ. Nondum in manus Dei incidimus, cum adhuc illius promereri misericordiam possumus, neque grauitatem suarum manuum experiri.

Hæc sunt, quæ tantopere quibusdam Responsio.
visa sunt Montano & Nouato fauere, vt ne cogerentur eorum hæresi assentiri, velut tutiorem partem complexi, asseruerint hanc epistolam, Pauli non esse. Et quod forte accessit, quod tam amarulenta & formidanda verba, persuadere sibi non potuerint à spiritu Paulino profecta, qui vbique gratiæ, misericordiæ, & pœnitentiæ singularis prædicator est, ac velut indulgentissimus pater, omnes peccatores admirabili suauitate ad pœnitentiam allicit & hortatur, & quos semel genuerat, non recusat etiam secundo generare ad salutem.

Verum oportebat inter verba adeo dulcia & suauia, & iustitiæ diuinæ rigoris aliquando illum meminisse, vt quos misericordiæ prædicatio non impellebat, nec sollicitabat ad pœnitentiam, deterreret saltem à suis sceleribus impendentis iræ & diuinæ comminatio & exaggeratio iustitiæ. Et ne locus esset huic suffugio & asylo, ad quod sæpe scimus & hæreticos, & imperitos confugisse, dum verbis alicuius sacri libri, suæ hæresis & ignorantiæ coarguerentur & conuincerentur, decretum est in hac sancta Tridentina Synodo, epistolam istam esse canonicam, & à Paulo esse conscriptam. Quod & ante hoc tempus, certum & indubitatum secundum fidem fuisse, alias, Deo dante, monstrabimus. Respondeamus igitur obiectis, & Paulum ab iniusta sibi tam impietate vindicemus.

Quidam arbitrantur, Apostolum istam tam acerbam & tam tremendam sententiam, excessu quodam pronunciasse, vt peccatores à peccatis retraheret, & despe-

rationis metu cautiores faceret, & ne animum despenderent, mox temperasse sententiam illis verbis. *Confidimus autem de vobis,* Hebr. 6. *dilectissimi, meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.*

Impug. 1. Absit tamen à Paulo tanta impietas. Veris sunt, & non falsis, comminationibus deterrendi peccatores. Deus non indiget mẽdacio nostro. Si temperauit sententiam his verbis, priora igitur falsa, & à veritate excedentia fuerunt.

Ad hæc: Desperatio nõ pertrahit ad pœ-
2. nitentiam peccatores, sed reuocat, neque cautiores aut diligentiores, sed segniores & somnolentiores facit. Vehementerque decepti sunt, qui hac ratione lapsis à gratia baptismali, locum pœnitentiæ negabãt, quod excitari peccatores ad fidentius & licentius peccandum credebant, si post admissum scelus parata esset & aperta ad veniam via. Spei amputatio, teste Basilio, ho. 57. enim, qui lapsus est, vna cum peccatis in angustias redigi ac concludi impellit. At spes pœnitentiæ lapsum resurgere, & non amplius peccare, exhortatur.

Neque, vt erudite dicit Cyrillus, si qua esset medicina corporis humani adeo efficax & salutaris, vt ea, quotiescunque quis in ægritudinem inciderit, protinus sanetur, ideo de medio tollenda esset, aut secundo ægrotanti minime adhibenda, quia sponte sua quis in morbum reciderit, ductus spe recuperandæ sanitatis per eam medicinam. Non enim illius in morbum relapsus causa est medicina, quæ duntaxat ad morbi expulsionẽ ordinata est, sed temeritas & prauitas hominis, eo, quod bonum est, ad malum abutentis.

3. Quorsum etiam erat, metum desperationis inijcere inanem præsertim, & vanum statim ostendendum? Sed video vnde isti decipiantur. Ad lapsos à gratia baptismali, qui spinas ac tribulos protulerant, putant hæc quoque dirigi: *Confidimus autem de vobis dilectissimi, meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.* Quod quidẽ lõge à veritate abest. Id quod & subiecta statim verba palam faciunt. Subdit namque Apostolus: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* si ad lapsos illa dicerentur, qui tribulos & spinas protulerant: nunquam, quantuncunque præcellentia opera ante lapsum fecissent, dixisset Paulus in lege doctissimus, meliora se & magis coniuncta saluti, de eis expectare, quia Deus nõ est iniustus, vt peccata quidem puniat, & bonorum operum non meminerit.

Nouerat Apostolus nullam esse prorsus iniustitiam, si obliuiscatur Deus etiam optimorum & præstantissimorum operum, si qui ea fecerint postmodum, quæ diuinam suam maiestatem offendunt. Nam iustitia non futura, neque præterita, sed præsentia Ezech. 18. lem cunctos docuerat: *Si auerterit, inquit, se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundũ omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, nõ recordabuntur.* Quodque earum reminiscitur post pœnitentiam, ex misericordia est, non ex iustitia. Neque si post deperdi a n gratiam ista egregia opera essent facta, antequam illam recuperassent, iustitiam aliquam aut condignitatẽ habuissent, vt Deus censeretur iniustus, si eorũ obliuisceretur. Si superuenientia peccata merito obliterãt priores iustitias, & earum obliuionem inducunt, quod ius ad gratiam vel gloriam præstare poterunt opera permanentium in ipsis peccatis, neque habentium eorum remissionem?

Ex hoc itaque, quod Paulus Hebræis dicit non esse iniustum Deum, vt obliuiscatur operis eorum & dilectionis, palam indicat, non amisisse gratiam eos, propter quos ista dicebat, aut certe illa præstantia opera fecisse post restitutam ipsis gratiam, quam perdiderant. Operibus enim factis extra gratiam Dei, nullum præmium debetur ex iustitia, bene autem operibus bonis factis in gratia, vt postea libro 15. ostendemus. Et de huiusmodi operib⁹, in gra ia Dei vel certe extra voluntatem peccandi f. ctis, intelligenda sunt verba illa Hieron. 2. in I. u. quæ & Anselm. in hũc locum approbauit. Et reuera grãdis iustitia Dei si tantũ peccata puniret, & bona opera nõ susciperet. Atque

Atque vt ista omnia mittamus, cur credantur hi prolapsi fuisse à gratia baptismali, quorum virtutem hic magnopere commendauit Apostolus, & postea capite decimo multo magnificentius? Mihi quidem verisimile hoc non est. Sed sicut Corinthios nunc quidem diuites dicit in omni gratia, propter quosdam qui eiusmodi laude digni erant: nunc quidem carnales, propter quosdam ex ipsis contentiosos: ita & cum inter Hebræos, ad quos ista scribebat, quidam nequam essent & mali, alij pij & boni, priora propter illos, hæc autem propter istos dicit. Et more suo facit Apostolus, quod & alias in hac epistola, & in alijs deprehendes, vt tametsi quædam ad hos, alia ad illos referat, tamen more prophetarum & oratorum quæ placidiora & gratiora futura sunt, posterius admoneat, & cunctis in vniuersum tribuat: ac propter quosdam bonos omnes eorum concives laudet.

Respons. 2. Alij itaq; ob id Paulum credunt, in possibile affirmasse redire ad gratiam, qui ab ea exciderunt, quia Deo hoc est possibile, non homini. Diuini quippe est muneris, quemadmodum q. 11. de iustificatione copiose documus, vt peccatores à peccatis resurgant, non humanæ potestatis. Et ea videntur posse absolute impossibilia dici, quæ apud homines impossibilia sunt, tametsi apud Deum possibilia sint, & ipsius nos ope, illa possimus præstare.

Impugn. 1. Sed neq; scripturam sic video vocabulo Impossibilis, vti, neq; tolerabile est, vt ea dicantur simpliciter & absolute impossibilia; quæ possumus per auxilium diuinum, facile & promptum omnibus. Alioqui & impossibile esse dicemus, vt quisquã credat vt quisquam diligat Deum super omnia, vt quisquã vere resipiscat à suis peccatis, vt renunciet seculo, vt mortẽ subeat pro Christo. Nã hæc & similia certũ est nos nõ posse nisi p auxiliũ diuinũ. Immo si & ita quisq; id pgat vocabulo isto abuti coget̃, pfecto simpliciter & absolute asserere, nemin ẽ posse saluari, nemin ẽ posse implere pcepta Dei. Quæ verba, manifestũ est & absurda esse & impia, & cũ scripturis pugnãtia, & omni ratione à catholicis cunctis deuitanda.

Etsi Paulus ita accepisset impossibile, nihil necesse erat, vt & beneficia in regeneratione nostra accepta commemoraret. Nam illis etiam non acceptis, impossibile erat ad gratiam & amicitiam diuinam conscendere: tam impossibilis est proprijs viribus regeneratio, quam reparatio post lapsum.

Quid etiam, qui sic Paulum explicant, 3. respondere queunt ad verba illa, quibus asseritur terra illa reproba esse & combustione finienda, quæ spinas germinat & tribulos? Nunquid & hæc quoque ex se & ex suis viribus intelligenda esse asseuerabunt? Atq; vbi hac via ab his se verbis explicent, & adiectione ista suo ex capite conficta, ab hac difficultate elabantur, quid ad illa poterunt respondere, Iam non relinquitur pro peccatis hostia? An non hic & ea negatur superesse pro peccatis hostia, quæ vel ex proprijs viribus, vel aliũde posset esse? Qui dixit, voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: profecto ostendit eam non superesse hostiam peccantibus post acceptam notitiam veritatis, quę fuisset peccantibus ante eã acceptã notitiã.

Alij impossibilem dictam esse putant reparationem post lapsum, quod difficilis sit. Resp. 4. Solet enim scriptura, solent philosophi, solet & vulgus, vt sæpe admonuimus, impossibilia dicere, quæ sint difficilia.

Attamen neque hæc satis esse videntur Impug. 4. pro verbis Pauli. Quia & nullam asseruit superesse hostiam peccantibus post susceptam fidem, & plerisque infidelibus tam est difficilis, immo multo difficilior renascentia per genitalem vndam, quã multis Christianis peccatoribus reparatio per pœnitentiam. Et quam habet difficultatem reparatio post lapsum, ea ex contemptu Dei & salutis propriæ, & à diutina & inueterata multorum dierum, & multorum operum in malis consuetudine proficiscitur, nonũ beneficijs acceptis in regeneratione.

Exposita enim omnibus est misericordia diuina ex æquo, neque minus fidelibus, quam infidelibus. Neque verissimile est, Paulum penes facile vel difficile, primam iustificationem à reparatione post lapsum

 distin-

distinxisse. cũ & illa omnia, aut certe præcipua, quæ difficilem faciunt iustificationẽ post lapsum, faciant & ante lapsum: & in aperto sit plerosque infideles multo difficilius iustificari, & ad viam veritatis venire, quam innumeri fideles ad acceptam gratiã reuertuntur.

Resp. 4. Dicendum igitur breuius, &, nisi fallor, multo melius: Non in his verbis affirmauit Paulus impossibilem esse reparatiõnem lapsi, sed duntaxat asseruit impossibilem secundam regenerationem. Sed vt difficilia ista Pauli verba, dilucida cunctis faciamus: libet verba ex vtroque loco, hoc est, ex capite 6. & 10. obiecta, aliquanto diligentius & accuratius interpretari. Et sane, si bene cuncta expendamus, tria inueniemus Paulum in vtroque istorum locorum docuisse.

Docuit tria Paulus præcipua in citatis verbis

Primum est, impossibile esse baptismum iterari. Secundum, nõ parere baptizatis vsque adeo facilem, neque tam liberalem & gratuitam viam ad misericordiam diuinam obtinendam, quam fecerit ipse baptismus. Tertium grauissima esse supplicia, quæ baptizatis impendent propter sua peccata, nisi festinato & solicite dent operam, vt resipiscant. Et baptismum quidem interabilẽ esse, palam docuit, cum asseruit impossibile esse, vt renouarentur, qui prolapsi sunt.

Baptismus interabilis.

Non intelligunt, dicit Cyrillus 5. in Ioan. c. 17. de obijcientibus hæc verba. *Paulum in eu verba fecere duntaxat de peccatorum remissione & pœnitentia quæ per baptismum habetur qui quoniã vnus est, neque iterari debet, pœnitentia quoque cum baptismo suscepta, vna est. & semel recipienda.* Hæc Cyrillus.

... hoc vnde renouandi verbo, quo ... Paulus, admoneri debuerunt ... sicut bene Ambrosius 2. de pœnitentia notauit, non eum negasse lapsis pœnitentiam, sed negasse duntaxat secundum ... quippe non est pœnitentiæ ... baptismi, qui quos abluit, renouat, & nouam creaturam facit. Consepelit enim veterem hominem, & in totum destruit corpus peccati. Atque inde est, vt consepulti Christo per baptismum in mortem, sicut ille surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & baptizati liberi ab omni reatu, surgentes à baptismo, in nouitate vitæ ambulent. Sed pœnitentia non tantas vires habet. Sarcit potius, quam renouat: medetur potius, quam sanat: a languore potius, quam redintegrat. Curat vulnera, sed non obducit cicatrices: Reparat, sed non regenerat.

Renouatio præcipuus baptismi effectus.

Vnde Augustinus in epist. ad Roman. Eos, qui iam baptizati fuerint, curari, medicamus per pœnitentiam, non renouari, quia renouatio in baptismo est. Non igitur Paulus reparationem negauit, sed renouationem: neque de reparatione per pœnitẽtiam egit, sed de regeneratione. Et dum renouationem vnam possibilem negabat, satis significabat, posse quidem lapsos reparari, at non ea facilitate, aut ita perfecte, ac prius potuerunt renouari. Et quoniam difficilior est perfecta reparatio, quam renouatio, lapsis Galatis dixit *Filioli mei, quos iterũ parturio* Nouerat multis lamentis esse opus, & magno aliorum auxilio, vt in priorem gratiam & libertatem ab omni reatu restituãtur prolapsi: & ideo non parere, sed parturire se eos dixit, quorum lapsum acerbe deplorabat, & magnis suis doloribus & laboribus reparare conabatur. Gal. 4.

Et aliquanto apertiora hæc omnia essent, si pro illis verbis: *Ad pœnitentiam*, vertisset noster interpres, vt quidẽ poterat vertere, *In pœnitentia*: vel *Per pœnitentiam*. Nam vt notauit bene in hunc locum Chrysostomus, εἰς Græcum, pro *in*, est positũ: & εἰς, pro διὰ, more Hebræorum. Est vtrunque, tamen εἰς pro *in*, quam εἰς pro διὰ frequentissimum est in scriptura. Sed & si ... communi perstitamus translatione, adhuc probe stare possunt cuncta, quæ diximus. Quanti manque ex præcedentibus statim verbis, *Non rursus iacientes fundamentum*, datur colligi, in hoc secundum baptismum volebant, qui vel illum prædicabant, vel ambiebant, vt illius virtute renouari, commodius & salubrius pœnitentiam facerent, & prioris vitæ exutis depositis, sanctiorem vitam inchoarẽt. Et his verbis Paulus admonet neque ad hãc resipiscentiam, & antiquæ vitæ demutationem possibile esse prolapsos renouari. Et fortassis, vt locus esset vtrique horum sensui,

In ponitur pro Per.

[illegible] expositione illa eis, q[illegible] & vtroque [illegible] quę in La[illegible] Paulus possibile esse [illegible] nouitatem, quantam [illegible] baptismo. Potest tantum [illegible] ere, & ta perfecta post[illegible] esse lamenta, & satisfactiones pœnitentium, vt omnem [illegible] atum commissorum de[illegible] absumant. Sed quod dicit, impossibile esse lapsos renouari, ideo dictum est accipiendum est, quia communiter & regulariter pœnitentia tantam nouitatem non præstat, neque sic renouat, nisi rarissime, cum tamen hoc semper faciat baptismus nisi obex ei ab ipso suscipiente apponatur. Aut certe sicut Diuus Thomas post Augustinum exponit, renouari positum hic est pro regenerari, vel rebaptizari. Cum enim baptismus ab eodem Apostolo la[illegible] crum regenerationis & renouationis appelletur, sicut regeneratio dicitur, ita & renouatio dici potest, & ab effectu, quem facit, generatio quædam est & innouatio spiritalis, ita secundus baptismus quædam renouatio videretur. Illa etiam verba, quæ his adnectuntur, *Rursus cruci figentes filium Dei, & ostentui habentes*, satis admonent esse iterabilem baptismum, sicut Catholica Ecclesia semper tenuit, & diffinitum est in Concilio Florentino, & in Concilio isto Tridentino sessione 7. contra Donatistas, Armenos, & nostri temporis Anabaptistas. Sensus enim planus & germanus horum verborum est, impossibile esse renouari prolapsos & regenerari, quia hoc esset recrucifigere Christum, & contemptui illum exponere.

Et si illud verbum, *Ostentui habentes*, placeat alicui sicut placuit Ambrosio, Ostentatione triumphantes, vertere, & ad dæmones referre, quos Christus traduxit & triumphauit in semetipso, & nos triumphamus, dum similitudinem mortis eius assumimus, sensus horum verborum hic erit: Impossibile est nos rebaptizari, quia nec CHRISTVS crucifixus est secundò, nec nisi semel ostentauit & triumphauit dæmones.

Renouari & regenerari, idem.

Non autem sic accipienda hæc verba vt plerique accipiunt, & [illegible] arguendum accipiebant, vt fortius faceremus argumentum hæreticorum quasi sensus Pauli sit, quod idem lapsi reparari nequeunt, quia velut rursus crucifixerunt suis peccatis Christum. Asserunt quidem hoc plerique, & sic mirifice sibi vidétur aggrauare peccata Christianorum. Sed cur [illegible] antæ impietatis arguatur quicunq; Christianus, qui aliunque occasione vel causa lapsus in quoduis peccatum mortale? Est quidem Christus pro peccatis omnium mortuus. Nō deo tamé quacunq; iteratione peccati datur occasio, vt iterum crucifigatur. Vnde tantam vim habeat quoduis peccatū? Quis hanc nobis tātam gratiam reuelauit? Certe peccata reproborū quos tā tum propter electos, & propter suam gloriā Deus creat, non eam virtutem merentur.

Quod si hoc concederetur de peccatis baptizati, non deberet negari, sicut negatur, de peccatis ante baptismum. Et vbi quoduis peccatum sufficisset Christum cruci, certe non rescrucifixisset. Christus enim semel mortuus est ad multorum exhauriēda peccata. Et tantilla mors valoris fuit, ut, neq; sen. per apud patrem, vt nihil necesse sit, iterū eum mori ad expiādum peccata baptizatorum. Infiniti quippe valoris fuit, neq; in illius mortuus, plus gratus fuisset patri, aut plus apud eū potuisset, quam semel. Non igitur possunt, nisi valde coacte & impropriè, concedi peccatores quiuis excidentes à gratia baptismatis, rursus crucifigere Christum. Siquidem nihil efficiunt, quod vel mereatur, vel postulet, vel requirat ad sui expiationem, secundam Christi mortem.

Et vitandæ sane essent istæ, ne quid amplius dicam, certè nouæ atq; ineptæ & portentosæ verborū exaggerationes. Et contenti debeamus esse illis, quibus Paulus vsus est, cum dixit, qui filium Dei conculcauerit, & sanguiné testamēti, pollutū duxerit, &c. & similib. alijs, quæ vt veriores sunt & frequentiores in scripturis, & in antiquis authoribus, ita vtique & apertiores sunt, & vel hoc ipso corda piorum terrius possent &c.

Non recte accipiunt Catharini [illegible] hæc verba.

sunt & vehementer excitare ad pœnitentiam. Voluit itaque Paulus his verbis ostendere, non esse possibile, vt iteretur baptismus, & renouetur per eum quisquam ex iã baptizatis: sed magni omnino sceleris esse reos, qui se secundo patiuntur intingi. Nam hoc est, rursum Christum cruci figere, ac velut exemplo ipsum & ludibrio exponere. Allusit quippe his Paulus ad ea, quæ ad Romanos scripserat. Et sicut eis scripsit, omnes baptizatos in Christo, in morte ipsius baptizatos esse, & per baptismum consepeliri cum Christo, & commori peccatis suis, & complantari in similitudinem mortis eius, & baptismum quandam esse figuram & similitudinem mortis Christi, ita nunc per omnia sibi consentiens, dicit recrucifigere Christum, & Christum infamare, quicunque baptismum iterant: ac proinde non irritam tantum & infructuosam, sed & mortiferam & exitialem esse eam tinctionem: quippe quæ nihil aliud est, quã iterata quædam crucifixio & traductio seu infamatio Christi. Siquidem qui eam faciunt, & qui eam patiuntur, in mysterio secundo crucifigunt Christum, & opere testantur, eum posse etiamnũ iterato mori, neq; omnino gloriosum & nunquam amplius mortem gustaturum surrexisse. Et in his satis innuebat Apostolus, non se aliam possibilem renouationem aut reparationẽ negasse, quã eam quæ si admitteretur, iterata quædam videretur crucifixio & exemplatio Christi.

Recrucifigitur Christus per secundum baptismum.

Sed & ex illis, quæ ante hæc verba Paulus præmisit, docere luculenter possumus, ista omnia de baptismo esse exponenda, neque negasse Paulum pœnitentiam lapsis, sed secundum baptismum. Admonet siquidem ibi, vt intermissis illis, quæ ad doctrinam & institutionem rudium & catechumenorũ spectant, ad perfectionem ferantur, neque illis rursus, quæ incipientium sunt, se implicent & impediant, sed altiora meditentur & perfectiora: neque cum iacta iam sint & supposita domus spiritalis fundamenta, ea rursus iacere tentent, & à fundamentis domos iterum spiritales construere moliantur. Et vt ab his conatibus dehortetur, continuo subiecit *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati: &c.* Cum enim baptismus totius ædificij spiritalis fundamentum, iteratio non sit, frustra se rursus baptizatus iaciẽdis rursum fundamentis incumbat, & illis inhæreat, quibus initiabantur & instituebantur, qui erant suscepturi baptismum.

Tu hic ergo conuenit, Montane, te quoque illius sectatorem Nouate, & quicunq; illorum factionis fuistis, & Pauli testimonio vestrum errorem defendistis: Qua consequentia subijcere poterat Paulus, impossibile esse prolapsos à gratia baptismali, iustificari, vt confirmaret admonitionem suam, vt ferrentur ad perfectionem, neque iaciendis fundamentis operam darent, neque illis quæ incipientiũ erant, hærerent? Si dehortatus esset in præcedentibus à peccatis, à lapsu, à prioribus vitijs & erroribus, congruenter poterat, vt magis ab illis deterreret, admonere, non esse locum veniæ, si quis ab accepta gratia excideret. Sed vt excitet ad perfectionem, vt ab iterato fundamentorum iactu dehortetur, vt ab his quæ imperfectorum sunt, retrahat, quorsum spectabat, impossibile lapsis reditum ad gratiam subnectere?

Non sic Paulus inconsequenter loquitur, non sic inepte ratiocinatur. Totus sibi consonat, totus sibi hæret & iungitur, neq; vnquam non causis, pro causis vtitur: Et cũ ex his perspicue docuisset, non esse possibilem secundam regenerationem, neque iam tam liberalem & clementem viam ad misericordiam diuinam reliquam esse prolapsis, quam fuerat baptismus: percommode subiunxit seueritatem pœnarum, quæ peccatis post baptismum repositæ sunt. Et sic ad hæc transit, vt & prædicta omnia confirmet, & eos, qui lapsi sunt, ad pœnitentiã & melioris vitæ frugem admirabili quadã dexteritate excitet & extimulet. *Terra*, inquit, *venientem supra se bibens imbrem &c.* Et quod dicit, hunc sensum habet: Mirandum non est, si Deus nihil statuerit, quo lapsi renouari queant, cum terra, quæ venientem supra se bibens imbrem, opportunam herbam se excolentibus germinat, à Deo benedicatur: quæ vero tribulos & spinas profert, reproba sit, & adeo indigna secunda imbris

Acerbiores pœnæ peccantiũ post susceptum baptismũ.

imbris salutaris superinfusione vt potius conbustione finienda sit. Quid enim aliud sperare debeant, qui hausta & epota cœlesti illa & genitali baptismi vnda, pro fructibus optimis, quos in gloriam & laudem cœlestis sui cultoris germinare debuerunt, tribulos profernnt & spinas peccatorum, quibus diuinam maiestatem, & seruos ipsi⁹ exacerbent & offendant?

Vide tamen, vt omnia diuinus hic dicẽdi artifex moderatur, vt omnia temperat, vt & hæc quæ acerba & amara sunt, ingenita sibi suauitate & lenitate, ne quispiam desperet, emolliat. Vbi maxime creditus est reparationi lapsi aduersari, & ibi quoque & palam & vehementer fauet. Quam terram enim reprobam & vorace flamma finiendã asseuerat, non maledictam, sed maledicto proximam, affirmat. Neque enim sententiam condemnationis ineuitabilem, in eã iam prolatam, neque irreparabiliter ignis æterni cruciatibus destinatã significare volebat: sed vt lapsi miserabilem suum statum, & miserabiliorem eis, nisi resipiscerent, impendentem agnoscerent, reprobos eos dixit, & ad sempiternos ignis ardores damnatos. Tales enim sunt, secundum præsentem iustitiam, quandiu manent in peccato, & talibus & tantis pœnis se obnoxios habẽt existimare. Et his verbis ad pœnitentiam, & fructus dignos pœnitentiæ omnes peccatores hortabatur, ne videlicet qui propter spinas & tribulos maledicto erant proximi, tandẽ maledictionem diuinam incurrerent, si in eis proferendis persisterent, & non aliquem fructum suo cultori opportunum germinarent.

Resp. 1. ad obiect. 4. Sed enim, vt formidabiliorem maledictionem istam ostenderet, rursus eadẽ aliquã o maiori pondere & grauitate verborũ disseruit in verbis ex decimo capite obiectis. Nõ iã quippe post susceptũ baptismũ peccatibus superesse hostiã affirmat, sed terribile iudicium, & voracissimum ignem, & acriora multo supplicia, quam quæ decreta erant legis Mosaicæ transgressoribus. Ne quis tamen aut errandi, aut desperandi ansam ex rigore suorũ verborum acciperet, omnia prouidentissime leniuit. Non ait, Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, nullum reliquum esse locũ veniæ: sed dicit, Nullam relinqui pro peccatis hostiam: Quia iam non possent Deo oblatione alicuius hostiæ gratissime & sufficientissimè ad plenum satisfacere, sicut potuerunt per baptismũ. In baptismo quidem, quoniam similitudinem gerit mortis Christi, & in eo Christo inserimur & incorporamur, illa passionis suæ hostia immaculata, & patri acceptissima, ad plenissimam remissionem peccatorum nostrorũ nobis applicatur, perinde ac si nostra esset, & nos illam Deo pro nostris peccatis offeramus.

Et inde est, vt baptismus, sicut tota Ecclesia semper tenuit, & Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, & alij Doctores summo consensu tradiderunt, & in Concilio Florentino definitum est, cuicunque non ponenti obicem, omnia antecedentia peccata in totum condonet. Alia vero sacramenta non eam virtutem habent, neque per modum sacrificij nobis ex eis comparamus, quam remissionem peccatorum in eorum susceptione obtinemus. Quin necesse est, vt lapsi á gratia baptismali, bonis operibus & dignis pœnitentia satisfactionibus Deum placent, & propitium sibi faciant, si promeritas pœnas debeant euadere. Quamuis enim Christus etiam pro illis se Patri obtulerit in cruce, tamen illis debẽdis & expiandis non suam passionem sic applicat, vt peccatis ante baptismum, neq; sacrificium suum sic vspiam nostrum facit, ad satis faciendum pro commissis postea delictis, vt facit in baptismo.

Atq; in hunc sensum excipiẽda sunt quæ Cyrillus 5. in Ioan. c. 17. his verbis respondet, cum ait: *Non dixit Paulus, Non est vltra pœnitentia. Neque dixit, Non est vltra remissio: Sed hostia, inquit, vltra non est. Hoc est, Crux secunda vltra non est. Hostiam quippe hanc vocat. Vna nãque hostia perficit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Hæc ille. Quæ nisi iuxta statim dicta exponantur, vim sane argumẽti non euacuabunt. Aliquo enim modo oportet ostẽdere, non relinqui hostiã pro peccatis post acceptã notitiã veritatis, quo fuerat pro pec-

catis ante illam acceptam. Nam alias non recte ostendisset Apostolus illa esse magis formidanda, quam ista.

Quare Augustinus in epi. ad Roman. nō relinqui pro peccatis hostiam post acceptā notitiam veritatis, breuiter & dilucide dicit idem esse, ac, nō posse denuo baptizari. Occurrit etiam alia via, qua possimus oēm horum verborum scrupulum dimouere, & obiectis omnibus ad plenum satisfacere. Non dixit Apost. illis qui voluntarie peccauerint, nullam reliquam esse pro peccatis hostiam. Non volebat, salutis omnium desiderantissimus, desperationem inijcere Christianis peccantibus. Ad spem potius firmam, & fiduciam certā gloriæ in sanguine Christi & oblatione, & intercessione tāti sacerdotis, statim omnes animauerat. Neque à pœnitentia dehortabatur, ad quā in verbis proximis omnes cohortatus fuerat, admonens, vt accederent cum vero corde in plenitudine fidei, adspersi corda à conscientia malâ.

Quid est igitur, quod dicit? *Voluntarie*, inquit, *peccantibus, &c.* Non illos, qui peccauerunt, & admissa prudenter & pie retractāt, sed actu peccantes, & obstinate in suis peccatis perseuerantes, nullā habere hostiam, qua Deum placare in eo statu queant, pronunciat. Quippe nouerat Iob dixisse, *Verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti*. Atque his verbis certos nos reddidit, nullam esse hostiā, quæ remittere peccata valeat, dum peccatores persistunt in suis peccatis, neque fore aliquod sacrificiū, quo diuina ira contra eos mitigetur, si in illis pertinaces & contumaces ex hac vita decesserint. Et quanquam hæc eadem lex est contra peccantes, & perseuerantes in peccatis ante acceptam notitiam veritatis, tamen quoniam cum fidelibus res sibi erat, & quam terribile iudicium eis impenderet, statim expressurus erat, non incommode apposuit illa verba, Post acceptam notitiā veritatis. Sed tandem, vt nulli se præcludere pœnitentiæ locum, apertissimum faceret, verba illa *Sine vlla miseratione*, adiunxit pœnæ decretæ præuaricatori legis Mosaicæ, non autem supplicijs peccatorib. post susceptionē baptismi dispositis. Grauiora quippe, vt lib. 11. docuimus, & longe acerbiora supplicia merentur Christiani transgredientes legem Christi, quam Iudæi prætereūtes legem Mosaicam: sed illi pœnis legalibus sine vlla erant miseratione subditi, nos vero, si velimus, semper inuenire possumus misericordiam diuinam, & per pœnitentiā, diuinam vltionem effugere. Atque, vt hoc apertius aliquanto esset, confirmauit hæc testimonijs, quæ non latam, sed ferendam sententiam indicant, neque iudicium iam factum, sed futurum & impendens comminantur. *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Et iterum: *Iudicabit Dominus populum suum.* Neq; asseuerauit Apostolus quenquam in hac vita incidere in manus Dei, sed vt omnes impendentis iræ diuinæ timore, à pertinacia in peccato deterreret, *Horrendum est*, concludit, *incidere in manus Dei viuentis.* Tantum igitur abest, vt Apostolus his in locis, hæreticis fauerit, & pœnitentibus locū pœnitentiæ & indulgentiæ abstulerit, vt nullus eo melius, neque vehementius omnes peccatores ad pœnitentiam excitauerit. Ipse enim est, ipse est scilicet, qui alibi ait: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hūc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Propriam nō confunditur ingratitudinē & pertinaciam pandere, quo gratiæ magnitudinem ostendat, & veniæ spem cunctis peccatoribus immittat.

Iob. 9. | Deut. 32. Hebr. 10. | 1. Tim. 1.

CAPVT XI.

De incredulitate quorundam Iudæorum, & de peccato ad mortem.

EX Ioanne insuper duo aduersum nos afferri possunt. Nā de quibusdā Iudæis aperte pronunciat in Euangelio, quod nō poterant credere in Christū. Et in epistola asseuerat, esse aliquod peccatū ad mortem, pro quo non sit orādum. Ex his aūt videtur asserere, esse aliquod peccatū irremissibile: Quoniā & ad remissionem cuiuscunq; peccati necessaria est fides, quia sine illa impossibile est placere Deo, & pro quocunq; peccato, quod remitti potest, licitū & sanctum videtur orare, vt remittatur. Sed ipsa verba Ioannis singulatim audiamus. Cum tāta, in-

ta, inquit, signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ impleretur, quem dixit: *Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Et mox addit verba quæ vrgent, & in quibus totum argumenti pōdus est: Propterea nō poterant credere, quia iterum dixit Esaias, *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.* Si non poterāt credere, quomodo poterant iustificari? An nō fidem supra luculenter monstrauimus principium esse, & originem, & fundamentum totius nostræ iustitiæ? Si indurauerat etiam Deus cor eorum, neque veritatem poterāt corde percipere, qua ratione poterant conuerti? Quis, Deo indurante, conuertatur? Quis, nō intellecta veritate, resipiscat á suo errore? Et si obfirmata erat voluntas diuina, vt non eos conuerteret, & sanaret, & Esaias hoc prædixerat, & necesse erat secundum legem, oracula prophetarum compleri, omni ergo ex parte incurabilis & immedicabilis erat eorum plaga. Vnde Aug. de q. Euang. tractās ista verba, sic scribit: *Quoniam Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri alijs quibusdam peccatis Iudæos cæcari meruisse, qua tamen excæcatione non poterant credere. Verba n. Ioānis ista sunt: Propterea nō poterant credere &c.*

Esaia 53.

Esaia 6.

Obiect. 6. Magis tamen videntur premere, quæ in epist. idem Euangelista de peccato ad mortem, affirmat. *Qui scit, inquit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatū ad mortem: nō pro illo dico, vt oret quis.* Si omnia peccata sunt remissibilia, esset & pro omnibus orandus Deus, neque trepidasset Ioannes, sed admonuisset intrepide, vt pro omnibus oraremus. Et cum quædā peccata esse peccata ad mortem asserit, hoc ipso videtur ea irremissibilia appellare. Si namque ex omnibus possumus resurgere & reuiuiscere, cur hæc potius, quam illa, dicantur ad mortem?

1. Ioan. 5.

Resp. 1. ad 5. Obiect. Vt tamen de indurationis verbo, & de necessitate implendi prophetiā, tantisper sileamus: ad verba illa, Propterea non poterant credere, & ad verba Augustini dupliciter possumus respondere. Aut enim impossibilem eis dicit fuisse fidem quia nimi-

Respon. 1.

um erat eis difficilis, quomodo supra ostendimus impossibile sæpe accipi in scripturis, & in philosophia, & in cōmuni colloquio: aut certe eo sensu dictum est, eos non potuisse credere, quo sæpe solemus dicere, nō posse nos credere, cum aliquid difficile creditu nobis narratur. Quibus verbis nō negamus posse nos, si velimus, narratis assentiri, sed duntaxat significamus ea non fieri nobis verisimilia. Et quia Deus propter peccata Iudæorum, nolebat illustrare intellectum eorum, vt fierent eis credibilia, quę Christus ipsis asserebat, ideo Ioannes dixit eos non potuisse credere.

Possemus etiam tertio dicere, vere potuisse à Ioanne dici, non potuisse illos credere, quia in sensu composito impossibile ipsis erat credere, deficiente videlicet illa diuina illustratione, quæ necessaria est ad credendum, & præcedente de eorum cæcitate prophetia. Et sic sæpe loqui scripturam, & sanctos Doctores iam admonuimus. Sed propterea peccatum eorum erat remissibile, & incredulitas illa euitabilis, quia ipsi poterant cōuertendo se in Deum & auertendo se à vijs suis pessimis, facere, nè ea illustratio sibi deesset, & ne illa de ipsis præcessisset prophetia, sed liberi prorsus essent ab ea cæcitatis pœna, quam suis peccatis meruerant. Resp. 3.

Quo vero obiectioni de peccato ad mortem, quæ vrgētior est, ad plenū satisfaciam: aliquot opiniones, quæ legentibus aliquos authores videri possent probabiles, in primis impugnabo: deinde verā & communē sententiā, in qua persistendum est, subijciā. Resp. ad 6. obiect.

Et vt ab absurdiori opinione incipiam, quidam fortasse peccata ad mortem, interpretarentur omnia lethalia peccata. Verū quid hoc dici possit absurdius? Nunquid Ioannes dubitare potuit, pro existentibus in peccato mortali debere Ecclesiam & nos omnes orare, & orare sæpe cum magno fructu? Sciebat profecto Christum dixisse, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* Et iterum: *Quidquid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis.* Et ipse statim dixerat, ac tertio sub eadē pene sententia asseruerat hanc esse Opin. 1. de peccato ad mortem. Luc. 16. Ioan. 16.

virtutem nostrarum orationum apud Deū. Quod quidem non ignotum fuisse Virgilio, Augustinus 21. de ciuit. Dei, ca. vlt. ex illo carmine ostendit:

Aeneid. 6. *Quique sui memores alios fecere merendo.*

Et de oratione presbyterorum Ecclesiæ super infirmos, Iacobus generaliter pronunciat: Iacob. 5. *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Et manifestū est, pastores & prælatos quoscunq; Ecclesiasticos, teneri orare pro subditis existentibus in peccato exitiali. *Absit,* ait Samuel, 1. Reg. 12. *à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.* Non tenerentur autem, si hoc esset sine fructu. Quod si pro solis venialibus admonuisset Ioannes orare, nunquam sane dixisset: 1. Ioan 5. *Petat, & dabitur ei vita.* Nam his verbis clarè affirmabat, aliquando extra vitam & gratiam esse peccatores, pro quibus exhortabatur orare, & tamen per fratrum preces, ad vitam à Deo misericorditer reuocari.

Opinio 2. Alius peccata ad mortem, peccata existimat grauia & atrocia. Et ideo Ioannem ait temperasse in his sententiam suam: quia cum leuia peccata quotidiana precatione dimittantur, atrocia flagitia non sanabantur adeo facile, neque tam leuibus medicinis antiquitus curabantur. Eijciebantur siquidem ex Ecclesiæ contubernio, qui illa admittebant, & tradebantur satanæ: neque recipiebantur, nisi ieiunio & lachrymis, multisque satisfactionibus deleta culpa. Sed cur pro istis non admonuisset Ioannes orare? Tanto certe magis iuuandi sunt fratrum & parentum suorum spiritalium precibus, quanto ipsi se minus possunt aut norunt iuuare.

Opinio 3. Diceret alius, peccatum ad mortem, vocatum peccatum, quo se quis separat, vel propter quod separatur ab Ecclesia. Quale erat Ioannis tempore peccatum hæresis, vel schismatis. Nam de hæretico aperte admonet epist. 2. non esse domi recipiendum, neque Aue ei dicendum. Qui enim dixerit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Et quia pro excommunicatis non est orandum publica & solenni oratione, ideo Ioannes videri posset præmonuisse, non se dicere, vt pro sic peccantibus ad mortem, quis oraret.

Alij etiam putant, peccatum ad mortē dictum esse peccatum, quod tanta malitia & obstinatione animi, & tanto Dei & salutis propriæ contemptu videtur committi, vt verisimile non sit, eos, qui illud admittunt, facturos aliquando ipsius pœnitentiam. Et pro huiusmodi peccatoribus non prohibuisse quidem orare, sed ne facilem eorum remissionem putaremus, sic inter prohibitionem & concessionem illam benignissimam, *Petat, & dabitur ei vita*: temperasse sermonem, vt tantum diceret, *Non pro illo dico, vt oret quis.* Quibus verbis duntaxat indicabat, dubium se esse & ancipitem, an tantæ futura esset virtutis oratio pro talibus peccatoribus, vt etiam eis veniam impetraret. Voluisse quippe videt, ne temere contenderemus his veniam petere. Relinquendi enim, aiunt, sunt sibi, aut gemendum potius pro illis, quam orādum, si forte, vt ait Bernardus, adijciat misericordia diuina, quod oratio non præsumit. Sed in istas expositiones video illud argumentum non parum militare, quod statim fecimus de pastoribus Ecclesiasticis. Tanto quippe feruentius & magis solicite debēt orare pro suis subditis, quandiu sunt in hac vita, quāto eos vidēt in maiori esse periculo. Neq; est vnde Ioannis verba ad orationes publicas & solennes coarctemus. Et quamuis nō disertè prohibeat orationes ꝓ peccatis ad mortem, tamen satis aperte dehortari videtur omnes, aut saltē remorari, ne orent.

Opinio 4. 1. Ioan. 5.

Non retineret autem Ioannes vel tantisper quenquam ab orationibus, quæ ei sunt in præcepto.

Opin. 5. amplectenda. Superest ergo, vt in communi expositione persistamus, & peccatū ad mortem, intelligamus peccatum, in quo quis ex hac vita decedit, & propter quod damnatur, & addicitur morti illi veræ, quæ est infernus, quæ tanta est & tantopere vincit oēs mortes, vt non tantum mors secunda, sed & mors simpliciter appelletur in scriptura. Nam pro cæteris omnibus peccatis omnes debemus mutuo orare, vt saluemur. Nullus enim est in hac vita ita extra spem salutis,

lutis, vt ei nō possit de lege oratio fratrum veniam impetrare. Et quandiu in hac vita cōmittitur aliquod peccatum, non est cur quisquam illud sibi certo persuadeat esse peccatum ad mortem. Quia plerumque videmus aliquos peccatores, nō adeo atrocibus piaculis obnoxios, in eis vitam finire: & cōtra, alios peccatis grauissimis obrutos, trahi ad gratiam ab eo, qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, & qui habitant in sepulcris. Quod vt confirmatius esset, non dixit Ioannes: Qui scit fratrem suum peccare peccatum ad mortē, non pro illo dico, vt oret quis. Hoc si dixisset, videri posset significare, etiā ante mortem esse aliquod peccatum ad mortem. Nō autem hoc dixit. Sed quid ait? *Qui scit fratrē suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt oret quis.* Vides vt sciri à nobis asserit, qui peccent non ad mortem, non autē qui peccēt ad mortem? Intellige igitur peccatum ad mortem, esse peccatum, in quo quis finit vitam. Scire quippe possumus, clausisse aliquem vitam in peccato: sed scire non possumus, quis sic peccet, vt in eo peccato finiat, & finiturus sit vitam.

1. Ioan. 5.

Ideo autem non dixit, Qui scit fratrem suum peccasse: sed, *Qui scit fratrem suum peccare*: vt ea præsentis temporis differentia, apertiorem nobis faceret virtutem orationis. Quamuis enim vt plurimum orationes sanctorum non nisi dignis prosint: quia, teste Dionysio 7. ca. eccles. Hierarch. sicut eruens sibi oculos, frustra postulat solaris luminis fieri particeps, ita qui á sanctissimis beneficisque recedit mandatis, frustra aliorum preces implorat: tanta tamen nunquā est virtus orationis, vt & peccatoribus, cum peccata sua perpetrant, & in eis volunt perseuerare, possit vitam impetrare. Potest siquidē Deum inflectere, vt misericordissime eorū corda immutet ad pœnitendū, & ad cōuertendum se ex toto corde in ipsum. Atq; hūc valorē habuit apud Deum oratio Stephani pro Paulo. Persequebatur quippe in voluntate persequēdi Christū, & peccata peccatis addebat, indignusq; prorsus erat diuina misericordia, cū adeo propter preces Stephani, teste Ambrosio, 1. de pœnit. ca. 9. subito conuersus est. Et merito dixit Aug. *Nisi habuissemus Stephanū, nō habuissemus Paulū.*

Virtus orationis.

Paul meritoStephani conuersus

Quod si virtus orationis non pertingeret quandoque ad indignos, falsò subiecisset hic Ioannes: *Petat, & dabitur ei vita*. Neq; possent iusti mereri peccatoribus primam gratiam mediate, hoc est, impetrando eis pœnitentiam, per quam illam assequantur. Quod tamen omnes Theologi, quos legerim, constanter & indubitato concedunt, quemadmodum & multa scripturarum testimonia efflagitant. Ne vero hanc doctrinam quispiam extenderet ad ea peccata, in quibus claudere contingit hanc vitam, subiunxit Ioannes: *Est peccatum ad mortem: non pro illo, dico, vt oret quis.* Et quia iste est verus & genuinus sensus huius loci, cum dixisset Augustinus, 1. de ser. do. in monte, peccatū fratris ad mortem, pro quo non esset orandum, oppugnationem esse fraternæ gratiæ ex inuidia, & non ex infirmitate profectam idq; post agnitam veritatem, humilitate, qua solet, cognoscēs suum errorem, sic scribit Retract. lib. 1. cap. 19. *Addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam quoniam de quocunq; pessimo in hac vita cōstituto, nō est vtiq; desperandum, nec pro illo impatienter oratur, de quo non desperatur*: Hæc Aug.

1. Ioan. 5.

Itaque non solum non potest colligi ex his verbis, esse aliquod peccatum in hac vita irremissibile, verum potest colligi, omnia esse remissibilia. Quia pro omnibus talibus orare admonet, & orationē iustorum tanta prædicam virtute pronunciat, vt omnibus possit vitam impetrare, qui non peccāt peccatum ad mortem.

CAPVT XII.

De quibusdam ex veteri testamento, quæ aduersari videntur reparationi lapsi.

EX veteri testamento multa afferri possunt, quæ doceant, aliquos peccatores fuisse in hac vita in tam malo & detestabili statu, vt morum non potuerint impetrare veniam peccatorum. Sed vt aliquo vtamur compendio, cogam omnia illa sub

virtutem nostrarum orationum apud Deũ. Quod quidem non ignotum fuisse Virgilio, Augustinus 21. de ciuit. Dei, ca. vlt. ex illo carmine ostendit:

Aeneid. 6. *Quique sui memores alios fecere merendo.*

Et de oratione presbyterorum Ecclesiæ super infirmos, Iacobus generaliter pronunciat: Iacob. 5. *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Et manifestũ est, pastores & prælatos quoscunq; Ecclesiasticos, teneri orare pro subditis existentibus in peccato exitiali. *Absit,* ait Samuel, 1. Reg. 12. *à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.* Non tenerentur autem, si hoc esset sine fructu. Quod si pro solis venialibus admonuisset Ioannes orare, nunquam sane dixisset: 1. Ioan 5. *Petat, & dabitur ei vita.* Nam his verbis clarè affirmabat, aliquando extra vitam & gratiam esse peccatores, pro quibus exhortabatur orare, & tamen per fratrum preces, ad vitam à Deo misericorditer reuocari.

Opinio 2. Alius peccata ad mortem, peccata existimat grauia & atrocia. Et ideo Ioannem ait temperasse in his sententiam suam: quia cum leuia peccata quotidiana precatione dimittantur, atrocia flagitia non sanabantur adeo facile, neque tam lenibus medicinis antiquitus curabantur. Eijciebantur siquidem ex Ecclesiæ contubernio, qui illa admittebant, & tradebantur satanæ: neque recipiebantur, nisi ieiunio & lachrymis, multisque satisfactionibus deleta culpa. Sed cur pro istis non admonuisset Ioannes orare? Tanto certe magis iuuandi sunt fratrum & parentum suorum spiritalium precibus, quanto ipsi se minus possunt aut norunt iuuare.

Opinio 3. Diceret alius, peccatum ad mortem, vocatum peccatum, quo se quis separat, vel propter quod separatur ab Ecclesia. Quale erat Ioannis tempore peccatum hæresis vel schismatis. Nam de hæretico aperte admonet epist. 2. non esse domi recipiendum, neque Aue ei dicendum. Qui enim dixerit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Et quia pro excommunicatis non est orandum publica & solenni oratione, ideo Ioannes videri posset præmonuisse, non se dicere, vt pro sic peccantibus ad mortem, quis oraret.

Opinio 4. Alij etiam putant, peccatum ad mortẽ dictum esse peccatum, quod tanta malitia & obstinatione animi, & tanto Dei & salutis propriæ contemptu videtur committi, vt verisimile non sit, eos, qui illud admittunt, facturos aliquando ipsius pœnitentiam. Et pro huiusmodi peccatoribus non prohibuisse quidem orare, sed ne facilem eorum remissionem putaremus, sic inter prohibitionem & concessionem illam benignissimam, *Petat, & dabitur ei vita*: temperasse sermonem, vt tantum diceret, *Non* 1. Ioan. 5. *pro illo dico, vt oret quis.* Quibus verbis duntaxat indicabat, dubium se esse & ancipitem, an tantæ futura esset virtutis oratio pro talibus peccatoribus, vt etiam eis veniam impetraret. Voluisse quippe videt̃, ne temere contenderemus his veniam petere. Relinquendi enim, aiunt, sunt sibi, aut gemendum potius pro illis, quam orãdum, si forte, vt ait Bernardus, adijciat misericordia diuina, quod oratio non præsumit. Sed in istas expositiones video illud argumentum non parum militare, quod statim fecimus de pastoribus Ecclesiasticis. Tanto quippe feruentius & magis solicite debẽt orare pro suis subditis, quandiu sunt in hac vita, quãto eos vident in maiori esse periculo. Neq; est vnde Ioannis verba ad orationes publicas & solennes coarctemus. Et quamuis nõ disertè prohibeat orationes ꝓ peccatis ad mortem, tamen satis aperte dehortari videtur omnes, aut saltẽ remorari, ne orent.

Non retineret autem Ioannes vel tantisper quenquam ab orationibus, quæ ei sunt in præcepto.

Opin. 5. amplectenda. Superest ergo, vt in communi expositione persistamus, & peccatũ ad mortem, intelligamus peccatum, in quo quis ex hac vita decedit, & propter quod damnatur, & addicitur morti illi veræ, quæ est infernus, quæ tanta est & tantopere vincit oẽs mortes, vt non tantum mors secunda, sed & mors simpliciter appelletur in scriptura. Nam pro cæteris omnibus peccatis omnes debemus mutuo orare, vt saluemur. Nullus enim est in hac vita ita extra spem salutis,

lutis, vt ei nō possit de lege oratio fratrum veniam impetrare. Et quandiu in hac vita cōmittitur aliquod peccatum, non est cur quisquam illud sibi certo persuadeat esse peccatum ad mortem. Quia plerumque videmus aliquos peccatores, nō adeo atrocibus piaculis obnoxios, in eis vitam finire: & cōtra, alios peccatis grauissimis obrutos, trahi ad gratiam ab eo, qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, & qui habitant in sepulcris. Quod vt confirmatius esset, non dixit Ioannes: Qui scit fratrem suum peccare peccatum ad mortē, non pro illo dico, vt oret quis. Hoc si dixisset, videri posset significare, etiā ante mortem esse aliquod peccatum ad mortem. Nō autem hoc dixit Sed quid ait? *Qui scit fratrē suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt oret quis.* Vides vt sciri à nobis asserit, qui peccent non ad mortem, non autē qui peccēt ad mortem? Intellige igitur peccatum ad mortem, esse peccatum, in quo quis finit vitam. Scire quippe possumus, clausisse aliquem vitam in peccato: sed scire non possumus, quis sic peccet, vt in eo peccato finiat, & finiturus sit vitam.

1. Ioan. 5.

Ideo autem non dixit, Qui scit fratrem suum peccasse: sed, *Qui scit fratrem suum peccare*: vt ea praesentis temporis differentia, apertiorem nobis faceret virtutem orationis. Quamuis enim vt plurimum orationes sanctorum non nisi dignis prosint: quia, teste Dionysio 7. ca. eccles. Hierarch. sicut eruens sibi oculos, frustra postulat solaris luminis fieri particeps, ita qui à sanctissimis beneficisque recedit mandatis, frustra aliorum preces implorat: tanta tamen nunquā est virtus orationis, vt & peccatoribus, cum peccata sua perpetrant, & in eis volunt perseuerare, possit vitam impetrare. Potest siquidē Deum inflectere, vt misericordissime corū corda immutet ad pœnitendū, & ad cōuertendum se ex toto corde in ipsum. Atq; hūc valorē habuit apud Deum oratio Stephani pro Paulo. Perseuerabat quippe in volūtate persequēdi Christū, & peccata peccatis addebat, indignusq; prorsus erat diuina misericordia, tū adeo propter preces Stephani, teste Ambrosio, 1. de pœnit. ca. 9. subito conuersus est. Et merito dixit Aug. *Nisi habuissemus Stephanū, nō habuissemus Paulū.*

Virtus orationis.

Paul. merito Stephani conuersus

Quod si virtus orationis non pertingeret quandoque ad indignos, falsò subiecisset hic Ioannes: *Petat, & dabitur ei vita*, Neq; possent iusti mereri peccatoribus primam gratiam mediate, hoc est, impetrando eis pœnitentiam, per quam illam assequantur. Quod tamen omnes Theologi, quos legerim, constanter & indubitato concedunt, quemadmodum & multa scripturarum testimonia efflagitant. Ne vero hanc doctrinam quispiam extenderet ad ea peccata, in quibus claudere contingit hanc vitam, subiunxit Ioannes: *Est peccatum ad mortem: non pro illo, dico, vt oret quis.* Et quia iste est verus & genuinus sensus huius loci, cum dixisset Augustinus, 1. de ser. do. in monte, peccatū fratris ad mortem, pro quo non esset orandum, oppugnationem esse fraternae gratiae ex inuidia, & non ex infirmitate profectam idq; post agnitam veritatem, humilitate, qua solet, cognoscēs suum errorem, sic scribit Retract. lib. 1. cap. 19. *Addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam quoniam de quocunq; pessimo in hac vita cōstituto, nō est vtiq; desperandum, nec pro illo impatienter oratur, de quo non desperatur*: Haec Aug.

1. Ioan. 5.

Itaque non solum non potest colligi ex his verbis, esse aliquod peccatum in hac vita irremissibile, verum potest colligi, omnia esse remissibilia. Quia pro omnibus talibus orare admonet, & orationē iustorum tanta praeditam virtute pronunciat, vt omnibus possit vitam impetrare, qui non peccāt peccatum ad mortem.

CAPVT XII.

De quibusdam ex veteri testamento, quae aduersari videntur reparationi lapsi.

Ex veteri testamento multa afferri possunt, quae doceant, aliquos peccatores fuisse in hac vita in tam malo & detestabili statu, vt morum non potuerint impetrare veniam peccatorum. Sed vt aliquo vtamur compendio, cogam omnia illa sub

vnius corpus argumenti hunc in modum: Scriptura diuina plerosque testatur fuisse in hac vita propter peccata sua destitutos auxilio diuino, quod necessariũ est ad pœnitentiam. Non igitur omnes peccatores in hac vita, potuerunt semper amissam gratiam per pœnitentiam reparare.

Et vt à testimonijs apertioribus incipiamus, an non apertissime Deus suum quandoque auxilium subtracturum se nobis significauit, cum per Amos prophetam Damasco, Gazæ, Tyro, Ammonitis, Moab, & Iudæ, & Israeli singulatim comminatur, super tribus sceleribus eorum patientem se & longanimem futurum, sed super quartum non eos conuersurum? Si post quartum peccatum ita se eis placabilem & fauorabilem exhibiturus erat, vt similiter possent illius inuenire misericordiam, ac post primum, secundum, & tertium: quid sibi volunt illa toties repetita, Super quatuor non conuertam eum? Et ruinam Israelis irreparabilem esse, satis lugubri illo planctu idem
Amos 5. propheta explicuit: *Domus Israel cecidit & nõ adyciet vt resurgat. Virgo Israel proiecta est in terrã non est qui suscitet eam.*

Cumq; Abrahæ dixit Dominus, posteros ipsius in quarta generatione reuersuros ad terram Chanaan: Necdum enim completæ erant iniquitates Amorrhæorum: his verbis aliquando eas ita complendas significauit, & in tam numerosa futuras multitudine, vt non possent inuenire apud eum misericordiam.

Exod. 4. 7. & 14. Premunt & illa valde, quæ de Pharaone dixit Dñs ter ad Mosen: *Ego indurabo cor eius.* Et iterum: *Ego induraui cor eius & seruorum illius, vt faciam signa magna.* Et rursus de Aegyptijs: *Ego indurabo cor Aegyptiorum vt persequantur vos.* E[illegible] prima quarto repetit indurasse Dñm cor Pharaonis. Ex quibus Paulus
Rom. 9. intulit, *Ergo cuius vult, miseretur: & quem vult, indurat.* Quod si Pharao, & serui & fuit [illegible] ipsius, habuerunt omnia auxilia necessaria ad dimittendum populum Israeliticum, & non persequendum ipsum, & pœnitendũ suæ incredulitatis & pertinaciæ, cur indurati fuisse dicerentur potius, quam alij peccatores, qui moriuntur in suis peccatis? Aut igitur omnes peccatores, qui sic vitam suam finiunt, induratos fuisse dicendum est: aut si Pharao & sui hoc peculiariter fuerũt, & non alij, oportet fateri, & eum cum suis & omnes alios similes, omni fuisse destitutos adiutorio & afflatu diuino.

Et quid est quod Heli ad filios suos dicit, *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus:* 1. Reg. 2.
Si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit? Si locus est semper pœnitentiæ, & neq; peccantibus in homines, neque peccantibus in Deum clauditur vnquam misericordia: cur de peccato contra Deum peculiariter dicebat, Quis pro eo orabit?

Vrgent insuper, quæ ad Hieremiam dixit Dominus: *Tu autem noli orare pro populo isto* Ier. 7. 11.
in bonum, quia non exaudiam te. Non enim prohibuisset Dominus prophetę orare pro populo, si locus etiam tum erat illius misericordiæ. Et hoc ipso, quo tanti prophetæ præsidium auferebat suo populo, & orationes se illius non exauditurum clare monebat, satis significabat irremediabilem iam esse illorum ruinam.

Atque idem potest colligi ex illis verbis ad Ezechielem: *Si fuerint tres viri isti in medio* Ezech. 14.
terra, Noe, Daniel, & Iob, filium & filiam non liberabunt, sed ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas. Innuunt & hanc paternę & diuinę opis generalem subtractionem testimonia, quibus edocemur, Deum plerisque peccatoribus subtraxisse miracula, prædicationes, tribulationes, & angelorum benignam solicitudinem & custodiam.

Et hoc est quod nomine populi Dei queritur egregius psaltes Israeliticus, dicens: *Si-* Psalm. 73.
gna nostra non vidimus, & iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Et prædicationis auxilium subtracturum se illis, Deus satis aperte admonuit, cum Ezechieli dixit: *Lin-* Ezech. 3.
guam tuam adhærere faciam palato tuo. Et per Amos. *Commouebuntur à mari vsque ad mare, &* Amos 8.
ab Aquilone vsq; ad Orientem circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient. Et tribulationum beneficium ablaturum se Hierusalem, clare per Ezechielem indicat illis verbis *Et auferetur zelus meus à te, & quiescam,* Ezech. 16.
neque irascar amplius. Et per Osee: *Non visitabo* Osee 4.
super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, neque

super

super nurus vestras, cum adulterauerint. Et Saluator ipse palam asserit, negata fuisse Sodomis & Tyro & Sidoni miracula, quæ si in eis facta essent, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

Sed super hæc omnia, terribilia & formidanda sunt illa testimonia, quibus Dominus se comminatur abiecturum & derelicturum prorsus Hierusalem. Eadem quippe in quamuis animam, similibus sceleribus obnoxiam, dicta esse iuxta tropologicum sensum admonent Doctores, & argumentum à toto ad partem, hoc efflagitat. Sed ex multis aliqua proferamus. Voluit quidem Dominus ostendere per Esaiam, non leuiter, neq; sine causa, sed iustissime se sic aliquando Hierusalem & ingratos homines deserturum. Atq; ideo præmittit: *Quid debui facere vltra vineæ meæ, & non feci?* Sed non futurum se perpetuo sic misericordem, sed tantam obstinationem subtractione suæ gratiæ puniturum, palam indicans, subdit: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: Auferam sepem eius, & erit in direptionem: & diruam maceriem eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, & non putabitur, & non fodietur: & ascendent super eam vepres & spinæ, & nubibus cœli mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Et ne dubites, quæ ista sit vinea, subiungit: *Vinea autem Domini exercituum, domus Israel est.* Quibus, rogo, verbis significantius potuit Dominus destituturum se & deserturum suam vineam designare? Sepem dicit se ablaturum, hoc est, angelicam custodiam, iuxta Hieronymum: maceriam, id est, robur & circunspectionem, addit se diruturum: putationis & fossionis officium, exercitium videlicet per tribulationes, & virtutum operationes, negaturum se præmonet: pluuiam cœlestis doctrinæ & inspirationis prohibiturum se confirmat: diripiendam eam & conculcandam, & vepribus & spinis replendam, perinde ac si ad ipsum non pertineat, testatur: & vt omnis auxilij subtractionem vno verbo complecteretur, subdidit: *Ponam*, inquit, *eam desertam.*

Esaiæ 5.

Ibidem.

Et eundem in modum vno dimissionis verbo omnia comprehendit Dauid, dicens: *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi: Et dimisi eos secundum desideria cordis ipsorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Et eandem seueritatem diuinam sacerdos ille magnus Zacharias filius Ioiadæ, vno derelictionis verbo conclusit, dicens: *Quare trāsgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis eum, vt derelinqueret vos?* Et Azarias, facto in se spiritu Domini, idem monstrauit illis verbis: *Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et Hieremias apertius in persona angelorum idem ostendit: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam.* Et Saluator noster in Euangelio aliquanto luculentiora hæc omnia fecit illis ad Hierusalem verbis, misericordiæ & iustitiæ plenissimis: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Dum dicit, *Quoties volui*, ostendit misericordiam & paternum affectum & auxilium. Cum ait, *Et noluistis:* demonstrat rebellionem, & ingratitudinem eorum. Et cum subdit, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, sententiam iustam subtractionis auxilij declarat. Quā & Hieronymus intelligit typice designatam sub illis verbis: *Surgite eamus hinc.* Sic namque interpretatur: *Dimittamus Iudæos, transeamus ad Gentes.*

Psalm. 80.

2. Par. 24.

15.

Ierem. 51.

Matth. 23.

Ioan. 14.

Et ne in hanc tantam calamitatem incideret, Hieremias ad eam dicebat: *Erudire, erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea à te, & ponam te desertam & inhabitabilem.* Sed quia tādem sciebat spiritu prophetico Hieremias non erudiendam Hierusalem, sed perseueraturam eam esse in suis peccatis, subdit ibidem: *Frustra conflauit conflator; malitiæ eorum non sunt cōsumptæ.* Quid ergo hanc tantam duritiam consequitur? Vt pœnam tanti sceleris, remotionem auxilij diuini explicet, subiungit: *Argentum reprobum vocate eos, quoniam Dominus proiecit eos.*

Ierem. 6.

Neque illa silentio prætereunda sunt, quæ de Esau & Antiocho scriptura testatur: Nam de Esau aperte scribit Paulus: *Ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim,*

Hebr. 12.

enim, quoniam & postea, cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.

2. Mach. 9. Et de Antiocho in Machabæis legimus: *Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Ac pleraque alia passim occurrunt in veteri testamento, ex quibus videtur posse colligi, Deum expectare quidem ad tempus longanimiter peccatores: sed si tandem, vt rebelles & contumaces, in sceleribus suis perseuerent, in pœnam peccatorum suorũ deserere & relinquere eos, neque clamores eorum audire, aut gratiæ suæ illis munus amplius concedere.

Responsio. Quoniam vero si vniuersa ex his testimonijs singulatim discuteremus, & quid in illis obstinatis peccatoribus Deus comminetur, explicare aggrederemur, fastidio essemus lectori, compendio vtentes, quatuor statuemus vias, quarum aliqua poterit proculdubio, qui illas attente perlegerit, cuiuis ex citatis testimonijs sic ad plenum satisfacere, vt nihil in ipsis maneat, quod illis, quæ tradidimus, aduersetur.

Viæ 4. explicandi mox obiecta.

Via 1. Quædam itaque ex allegatis, duntaxat implacabilem Deum, quoad pœnas corporales & temporarias, testantur. Et quoad illas, non negamus, aliquando Deum, exigentibus nostris peccatis, ita obfirmari & obfirmatum esse, vt nullus sit aut fuerit locus euadendi. Nam certo & liquido ex scriptura ipsa nouimus, neque Aaronem, neq; Mosem, neque aliquem omnino Israelitã ex his, qui viginti annorum & supra, egressi sunt de Aegypto, exceptis Iosue & Caleb, potuisse pro suæ incredulitatis culpa placare sic Deum, vt illos permitteret ingredi in terram promissionis, sed constantissime & immobiliter seruauit Deus iuramentum, quod commemorat Psalmista, dicens: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meã.*

Psalm. 94. Quare omnes illi mortui sunt in solitudine, antequam introduceret Deus suum populum in terram promissionis. Atque ita exponenda sunt, quæ locutus est Deus ad Abraham de delendis Amorrhæis, cõpletis iniquitatibus eorum. Et eundẽ sensum habent, quæ per Amos præmonuit Dominus de non conuertendis commemoratis prouincijs, postquam quarto ei fuerint perfidæ & rebelles. Et alia videri possunt fuisse peccata Hierusalem, cum Dominus prohibebat Heremiæ, ne oraret pro ea, & addebat: *Non parcam, & non concedam, neque miserebor, vt non dispergam eos.* Et ipsis, ne in tantum malum deuenirent, aiebat: *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Neque dubium, quin sic fuerit Deus obfirmatus ad non impediendam subuersionem Hierusalem, ex quo illius peccata eousque creuerunt, vt authorem & Dominum vitæ interficerent. Ierem. 13.

Via 2. Et inter testimonia, quæ subtractionem diuini adiutorij ad conuersionem peccantium comminantur, sunt quidem aliqua, quæ vnius duntaxat, aut alterius, aut trium, aut quatuor auxiliorum, videlicet prædicationis, tribulationis, miraculorum, & similium subtractionem sonant. Sicut & apud Ioannem illa Christi verba, *Non pro mundo rogo*, manifeste sonant subtractum esse mũdo, hoc est, reprobis & filijs huius seculi, illud benignissimum & efficacissimum auxilium orationum Christi. Nulla vero loca sunt in tota scriptura, quæ totius opis & fauoris diuini negationem requirere videantur. Nam si qua essent, maxime sane essent quæ indurationem Pharaonis & Aegyptiorum & aliorum explicant. Attamen nec Pharaoni defuerunt flagella & tribulationes, & admonitiones crebræ diuinæ per Moysen ad Pharaonem, quibus trahebatur & emolliebatur ad dimittendum Dei populum, & ad perfecte pœnitendum sui peccati. Vnde & quater pollicitus est se dimissurum populum, propter prodigia videlicet ranarum, muscarum, grandinis & locustarum, & Moysen & Aaronem rogauit, vt pro se orarent: & bis apertissime confessus est suum peccatum, & tandem propter mortem primogenitorum, coegit populum Israeliticum de Aegypto exire. Ioan. 17.

Et cum scriptura toties repetat eum rursus induratum, neque voluisse dimittere populum, & ab illius persecutione cessare: satis indicat, aliquem ei profectum ex tribulatio-

bulationibus accessisse, licet non tantum, vt ex toto corde ad Deum conuerteretur. Nam & cum multo humilius quam alias, peccatum suum & impietatem confessus est, Moyses ad eum dixit: *Noui autem, quod & tu & serui tui necdum timeatis Dominū Deum.* Veruntamen sicut lapis durus est, tametsi non omnino destitutus sit humore, ita & duri, & indurati possunt dici aliqui, si quidem obfirmato sint & pertinaci animo ad non resipiscendum, quamuis non in totum destituti sint ope & numine diuino. Et differentia inter eos, qui indurati fuerunt in suis peccatis, & eos qui perseuerarunt quidem in eis vsque ad mortem, sed indurati in eis fuisse non putantur: non ex parte defectus auxilij diuini, sed aliunde sumenda est. Neque existimandum est, vt quidam putāt, hoc inter hos & illos interesse, quod indurati, aut in totum deserti à Dei sint, aut certe maxima ex parte ipsius ope destituti, alij vero multis diuinis afflatibus & stimulis ad pœnitentiam prouocentur. Contra enim accidisse, vel ex ijs quæ statim de Pharaone retulimus, satis liquet. Immo propterea indurati meritissimò videntur dici, quia nec tantis hortamentis & irritamentis emolliri potest & infringi eorum durities, vt vere & ex corde pœnitentiam suorum peccatorum agant. Et induratio diuina non requirit subtractionem omnium auxiliorum ad conuersionem. Sed potius tunc Deus dicitur quempiam indurasse cum positis magnis occasionibus & allectamentis ad pœnitentiam, tamen Deus propter illius peccata, in sua eum saxea & ferrea obstinatione relinquit, nec emollit cor illius, vt conuertatur ad ipsum.

Discrimen inter induratos, & alios peccatores.

Et cum sancti Doctores, vt Augustinus, Hieronymus, Gregorius & nominatim Isidorus 2. de summo bono, cap. 5. sæpe verissime dixerunt, indurare Dei, nihil aliud esse, quam non emollire cor nostrum, aut non ab obduratione liberare: vt distinguamus induratos, à non induratis, & nihilominus perseuerantibus vsque ad mortem in suis peccatis: ad perfectam explicationem sic ista & diffiniri, & exponi velim, vt non quæcunque subtractio auxilij diuini emollientis cor, induratio Dei existimetur: sed illa duntaxat, quæ cum magnis & grauibus pœnitendi occasionibus perseuerat: & ij tantummodo indurati à Deo dicantur, quorum corda Deus non efficaciter emolliuit ad pœnitentiam, etiam si pleraq; illis auxilia inefficacia non defuerint, quibus ipsi & debuerunt, & potuerunt auxilium vltimatum & necessarium ad suam conuersionem obtinere.

Sed enim si aliqua testimonia vniuersæ opis & fauoris diuini subtractionem postulare videantur, ex illis conuinci sane poterit, eos, qui sic fuerint destituti, filios esse diffidentiæ, sicut dicit Paulus, & nunquam veram facturos fuisse pœnitentiam, neque redituros vnquam ad gratiam diuinam, haudquaquam tamen ex eis approbabitur, non potuisse illos vere pœnitere, neque assequi gratiam diuinam. Aliud est, vaticinari impossibilitatem pœnitentiæ: aliud, prædicere pertinaciam & obdurationem quorundam in suis peccatis. Et stare potest libertas, qua aliquid possumus & agere, & non agere, sicut cum præscientia diuina, ita & cum prophetia certa & infallibili eius, quod facturi sumus. Quia sicut nos facturi illud sumus libere & contingenter, ita & Deus idipsum libere facturos nos sciuit, & similiter prædicere & reuelare potest, illæsa & intacta nostra libertate.

Et sic interpretanda sunt testimonia, quæ de cæcitate, incredulitate, & induratione Iudæorum pro tempore aduentus Christi loquuntur. Qua de causa & Hieremias videtur dixisse, peccatum Iuda scriptum esse stylo ferreo in vngue adamantino. Et sanctus Bonauentura ideo putat Deum ei dixisse, ne oraret pro populo, quia nolebat orari pro desperatis, quos ipse sciebat impœnitentes futuros. Eundemq; in modum exponi possunt, quæ de Esau & Antiocho obiecta sunt, si illa, vt probabilius videtur, etiā ad pænam spiritalē placeat referre. Et horū omnium causa est, quia licet nullus valet pænitere sine auxilio diuino, tamē illud auxilium potest quicunq;, si velit, habere, etiam si eo sit priuatus. Sicut & auxilio generali ad loquendū careo, cum hæc scribo tamen

men illud possum, si velim, habere, & ideo libere taceo: & possum, cũ voluero, loqui.

Et Deus quidem omnibus peccatoribus perseuerantibus in peccatis, subtrahit auxilium efficax ad pœnitentiam, quod solis illis præstatur, quos vere suorum peccatorum pœnitet. Sed quia derogare non nouit legibus communibus, præsertim fauorabilibus, nunquam alicui sic subtrahit, nec quenquam in hoc punit, vt non possit hoc auxilium, sicut & generale, habere: hoc enim esset legem communem inuertere, & viam terminum facere: sed punit omnes peccatores, qui non conuertuntur, in hoc quod non habeát auxilium, quo cõuertantur. Et vel hoc argumento possemus conuincere quemlibet viatorem posse secundum legem conuerti, quia nullus est ex viatoribus, qui non possit bene vti naturalibus suis. Ei autem, qui hoc fecerit, Deus qui nemini deest, facienti quod in se est, auxilium sine dubio præstabit sufficiens ad obtinendum bona supernaturalia. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, ait pie Bernard. de dilig. Deo. *Sed tamen in libro tuo omnes scribentur, qui quod possunt, faciunt, etsi quod debent, non possunt.* Psalm. 138.

Quod si tandem aliqua afferantur testimonia, quæ non solum perseuerantiam in peccatis prænuncient, sed & impossibilitatem ab eis resurgendi significent, ea sic accipienda sunt, vt impossibile intelligatur dici, quod vel nunquam, vel non nisi rarissime & difficillime fiet, aut certe quod in sensu composito impossibile est. Quibus omnibus modis supra docuimus impossibile frequenter accipi & in scriptura, & in Doctoribus sanctis, & in philosophia, & in communi consuetudine. Atque ita exponenda sunt, quæ Heli dixit de peccatis in Deum. Non enim impossibilitatem inueniendi misericordiam, sed raritatem & difficultatem significare voluit, aut certe nunquam obtineri eorum misericordiam, sicut & de peccato in Spiritum sanctum diximus. Nam & ea peccata in homines videtur dixisse, quæ Christus verba in filium hominis dixit: accepto filio hominis, pro homine, more Hebræo. Tit. 4.

Vnde & Gregorius in illa verba, quibus scriptura dicit, grande nimis fuisse coram Domino peccatum filiorum Heli, non dixit, illud non potuisse deleri, sed tantum ait, *Grande nimis est peccatum, quod pœnitentiæ lachrymis non deletur.* Et aliquando in maiori rigore eum vsum esse vocabulo *Impossibilis*, liquere potest ex illis, quæ ipse scribit in illa verba, *Porro Philisthijm abierunt in loca sua: Qui non prædestinati sunt, siue audiant Doctorum verba, siue non audiant, vocari in habitaculum nequeunt, quia per nequitiam, in qua sunt ante constitutionem mundi præcogniti, locum in se malignis spiritibus parauerunt.* Greg. 2. Reg. cap. 5. 1. Reg. 14.

CAPVT XIII.

Vnde quibusdam peccatoribus difficillimum sit, & aliquo modo impossibile, à suis peccatis resurgere.

QVÆRET aliquis, vnde proficiscatur hoc, quod statim diximus, vt raro vel nunquam, vel non nisi difficillime pœnitentiam faciant, quos scriptura videtur dicere non posse pœnitere: vnde etiam illa eis conueniat, quam diximus, impossibilitas resurgendi in sensu composito. Nam quod possint in sensu diuiso, id est, simpliciter & absolute pœnitere, satis opinor explicuimus ex eo, quod quicunq; peccator potest, cum voluerit, habere auxilium Dei efficax ad resurgẽdum. Sed non quemcunque posse resurgere in sensu composito, aut aliquos ad eum nonnunquam venire statũ, vt cum in eum venerint, nunquam vel rarissime, vel non nisi difficillime resipiscant, non est ex prædictis conspicuum.

Vt autem obscurissima ista ad arcana Dei iudicia spectantia, intelligere & curiosis scrutatoribus quadantenus possimus explicare & differere, reminiscendũ est duplicis gratiæ Dei præuenientis, quam libri sexti capite sexto posuimus. Excitantis videlicet, & Adiuuantis. Exinde enim perspicuum esse potest, duplicia esse auxilia specialia, quibus Deus adiuuat peccatores ad pœnitentiam, fidem, dilectionem Dei super omnia, martyrium, & similia. Duplicia Dei auxilia specialia.

Qua-

Quædam sunt auxilia antecedentia, & præuia ad ipsum actum pœnitentiæ: alia illum comitantia, & ei inseparabiliter coniuncta.

1. Prioris generis sunt, prædicationes, inspirationes sanctæ, admonitiones amicorum, timor gehennæ, spes regni cœlestis, tribulationes, miracula, exempla aliorum, & similia. His namque omnibus trahit Deus & allicit misericorditer peccatores ad pœnitentiam. Et huiusmodi auxilia, à plerisque inefficacia auxilia vocantur, quia non semper habent suum effectum, sed plerunque à peccatoribus, propter suæ obstinationem mentis, frustrantur: & positis illis omnibus, adhuc perstant, & obfirmato animo in suis peccatis perseuerant. Et horum aliquibus priuauit Deus persæpe peccatores ob sua peccata. Et non vtcunque, sed sic, vt probabilissimum sit, nec eos iam illa quopiam modo habere potuisse. Nunquam tamen, quod sciam, quenquam Deus pro sua summa misericordia, omnibus suis fauoribus destituit: quin sic semper suæ videtur rigorem iustitię temperasse, vt quibusdam destituens, alia nihilominus suppeditauerit, quæ satis quoscunque, si vti voluissent, ad pœnitendum inuitabant.

2. Posterioris autem generis auxilia, sunt concursus quidam speciales, quibus Deus peculiariter & immediate nostras rebelles ad se conuertit voluntates, coniungens se, & intimo quodam & benignissimo modo vniens se ipsis, & potentiores eas ad operandum reddens, atque vt doleant de peccatis suis, & vitam malam in bonam commutent, inflectens. Et hæc auxilia, efficacia dicuntur communiter: & simultanea siue comitantia, aut coniuncta ipsis operationibus, possunt appellari: Quia & comitantur actum pœnitentiæ, & ei inseparabiliter sunt coniuncta, & simul sunt cum ipso, neque vnquam frustrantur, aut frustrari possunt à nobis: & omnes & soli ea habent, quos suorum peccatorum pœnitet.

Quamuis autem sola hæc secundi generis auxilia, necessaria sint & sufficere possint fidelibus ad pænitentiam, & primi generis auxilia sine istis non sufficiant, tamen & priorum aliqua moraliter videntur necessaria, vt libri sexti capite 7. docuimus, Homines enim non nisi multis allecti, & attracti occasionibus & impulsibus ad operandum trahimur, sic præsertim, vt reprobemus, quæ placuerunt, & approbemus, quæ displicuerunt, aut aliquid perinde difficile faciamus Et in auxilijs generalibus hæc possunt explicari Sunt enim quædã, quibus & homo & Deus ipse nonnullos artifices antecedenter quandoque allicit ad aliqua operandum, quæ possunt per auxilium generale: sed nunquam Deus auxilio suo generali eos ad ipsa efficaciter & comitanter adiuuat, nisi cum sunt in ipsis operibus, & ipsius ad illa adiutorio liberè vtuntur.

Et quia ad omnes operationes nostras & concursus noster, & diuinus siue generalis siue specialis, necessarius est. & præter auxilium Dei & simultaneum seu coniunctũ ipsis operationibus, etiam auxilia alia antecedentia & allicientia nos ad opus, ad facile operandum requirimus: hinc est, vt eis destituti, multa quidem possimus & facere & vitare, quæ tamen vel nunquam, vel raro, & tum quidem, non nisi cum magna difficultate aut facimus, aut vitamus. Et ea tum raritas vel difficultas, partim proficiscitur ex parte nostra, partim ex parte Dei aut aliorum, qui nos possent allicere & adiuuare ad operandum, & non faciunt. Et in proposito nostro, ꝙ hi peccatores, quos scriptura diuina velut desperatos, & omni auxilio diuino iam destitutos pronunciat, vel raro, vel nunquam, vel non sine magna difficultate resipiscant, partim est ex parte ipsorum, partim ex parte Dei. Ex parte ipsorum est, quia raro vel nunquam homines faciunt totum quod possunt. Et cum virtus sit circa difficile, & homines in hoc statu procliues simus natura nostra in malum, isti peccatores non tantum non habent virtutes, sed & præter hæc omnia, pessimos & execrandos sibi habitus male agendo compararunt.

Et inde est, vt prauorum suorum actuum,

& malæ consuetudinis pondere pressi, non nisi cum magna difficultate vitam possint mutare, & dolere de illis, quæ ipsis magnæ voluptati fuerunt, & lætari econtrario de his, quæ acerba ipsis prius & amara videbantur. *Si potest*, ait Deus, *Aethiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas: ita & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malè.* Et alibi: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et rursus: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Frontem quippe cordis in impudentiam atterit culpa frequens, teste Gregorio hom. 10. in Ezech. vt quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur. Et quidam vsqueadeo obdurauerunt, & obfirmauerunt corda sua in vitijs, vt iam sic proni & effrenes, & absque vllo pudore in ea proruant, vt natura ipsa impellente in illa ferri videantur, neque sit in eorum potestate ea deuitare.

Hier. 13. — Prou. 18. — Hierem. 3.

Vnde & bene Gregorius hom. 31. super Euang. huiusmodi peccatores expressos nobis intellexit in illa muliere Euangelica, quæ decem & octo annis inclinata fuerat, neque sursum respicere poterat. *Vsitata culpa*, inquit, *obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur, & labitur: quia vbi sponte diu perstitit, ibi & cum noluerit coacta cadit.* Ex parte etiam Dei est hæc difficultas: Quia eiusmodi peccatoribus non solum negat auxilium efficax ad conuersionem, quod omnibus negatur, qui non conuertuntur, sed & præter hoc aliquibus ex eis, ob grauissima tamen peccata, negat auxilia multa ex antecedentibus illis quibus Deus inuitat & trahit peccatores ad pœnitentiam. Verisimile siquidem est, vt & ante nos nobiles authores tradiderunt, esse certum numerum peccatorum ita magnum, & aliqua peccata ita grauia, vt ea cum homines admiserint, Deus iam eos despiciat, neque curam illam & solicitudinem paternam eis exhibeat, quam præstat alijs peccatoribus.

Adria. q. 3. de pœnit. Ca. . Ian. 8. q. 3.

Eoque fit, vt cum huiusmodi peccatores ob nimiam duritiam suam, & diurinas & inueteratas malas consuetudines, non solis communibus, sed & alijs multo maioribus & vehementioribus ad pœnitendum indigerent, destituti etiam communibus, vel nunquam, vel non nisi rarissima & difficillime pœniteant. Et si eos emendare & corrigere tentemus, experiemur in eis quod Salomon & Iob verissime admonent, *Nemo potest corrigere, quem ille despexerit. Si destruxerit, nemo est qui ædificet. Si incluserit hominem, nemo est qui aperiat.* In quæ verba erudite Gregor. 11. Mo. cap. 5. admonet, destruere & recludere diuinum, nihil aliud esse, quam peccatorem in suorum operum tenebris relinquere. Et inter alia ita scribit: *Quia ad perditionem suam sufficit mens humana sibi dimissa, plerunq; fit, vt cum audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatione moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet; qui adspirat verba, quæ audiuntur.* Et statim subdit: *Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.* Et in libro Reg. illud: *Si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit?* propterea dictum existimat, quia plerique eorum, qui ad intercedendum pro alijs instituti sunt, peccatorum suorum magnitudine in impœnitentis cordis caliginem proijciuntur, & nulla hominis adhortatione resipiscunt.

Eccles. 7. — Iob. 12. — 1. Reg. 2.

Vnde & de filijs Heli, quibus hæc ipse Heli dixerat, statim subiecit scriptura: *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Et alibi idem Gregorius dicit, spiritum Domini prohibuisse Apostolis prædicare Euangelium in Asia quia necdum ad vitam reparari merebantur. Et propterea Psalmistam putat dixisse, Deum esse terribilem in consilijs super filios hominum: quia quosdam misericorditer vocat, alios iustitia exigente repellit. Atque hoc est, quod Doctor angelicus S. Thom. secunda secundæ q. 14 artic. 1. dicit, huiusmodi peccatores quasi miraculose spiritaliter sanari.

Hom. 4. in Euang.

Neq; in alium sensum accipienda sunt, quæ quidã pij authores asseuerant, aliquos peccatores esse ita multis & grauibus obrutos peccatis, & sic in eis obduratos & perti-

pertinaces, vt non possint pœnitere secundum communem legem, sed tantum secundum superexcellentem misericordiam. Non enim huiusmodi peccatores asseri existimandi sunt, non posse per legem communem pœnitere. Possunt quippe omnes peccatores, vt diximus, habere auxilium Dei efficax ad pœnitentiam. Et nulli in hac vita præclusa est via salutis. Et contra legem Dei esset, si aliqui in huius vitæ via perinde obdurati essent, ac si iam eam in peccatis absoluissent, & retrusi essent in infernum.

Neque credendum est eos dicere, alios quidem peccatores resurgere posse secundum diuinam iustitiam, sed hos duntaxat ex misericordia. Nam cum vniuersi peccatores possint secundum communem iustitiam, hoc est, secundum communem legem à peccatis resurgere, tamen nullus ex illis, qui resurgunt à peccatis, resurgit ex iustitia, sed duntaxat ex misericordia & ex gratia. Quia secundum iustitiam omnibus potest Deus subtrahere suum auxilium ad resurgendum, & nulli illud debet. Et rectè Augustinus de bono perseu. cap. 6. & cap. 8. *Voluntate sua quisq; deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo.* Et iterum: *Nulli daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur.* Et cum hi authores pij & Catholici sint, non sunt in adeo absurdos sensus verba eorum exponenda.

Quod igitur volunt significare, quantum assequi possum, hoc est: Aliqui peccatores ita multis & magnis obruti sunt peccatis, ita & in eis obduruerunt, & callos (vt sic dixerim) obduxerunt, vt nunquam facturi sint pœnitentiam, nisi Deus secundum præcellentem suam misericordiam, maioribus, plenioribus, & vehementioribus suæ gratiæ auxilijs, quam sint communia & vsitata; eos pertrahat ad pœnitentiam, & potentius & benignius eorum emolliat & infringat obstinatas voluntates. Indigent namq; huiusmodi peccatores vtrisque auxilijs, & antecedentibus, & comitantibus auctioribus & copiosioribus, quàm sint, quæ ex communi lege & consueta misericordia alijs exhibentur peccatoribus. Atque hinc poterit vtcunque explicari, quare huiusmodi peccatores impossibile sit, vt diximus, in sensu composito pœnitere. Cum enim necessaria illis sint vtraque auxilia diuina ad pœnitentiam, eorum subtractione supposita, nunquam potentiam, quam habent ad pœnitendum, in actum poterunt deducere. Et nunc maxime hæc impossibilitas perspicua est, cum illa auxiliorum Dei subtractio, Prophetia aliqua confirmata fuerit. Impossibile quippe est, vt destituti sint numine diuino, & nihilominus pœniteant. Et impossibile est etiam, vt hæc duo simul sint, nempe, Deum prædixisse illorum destitutionem, & obdurationem vsque ad mortem, & ipsos ante mortem pœnitere. *Cælum*, inquit, *& terra transibunt; verba autem mea non transibunt.* Luc. 21.

Neque tamen, vt eleganter differit & approbat Cyrillus 9. in Ioan. c. 10. & lib. 11. ca. 21. aliqua necessitas ex Prophetia illata est ipsis peccatoribus, quorum peccata & obduratio iam olim prædicta fuit. Possunt enim simpliciter & absolute huiusmodi omnes peccatores, dum hîc viuunt, quantumcunque à Deo deserti sint, pœnitere & vel propter aliorum preces, vel propter proprios magnos conatus, vel tandem propter supereminentem Dei misericordiam, illius opem & suppetias obtinere, ac-cere, vt nunquam eorum fuerit prohe- indu- ratio vsque ad mortem. Et ali- ullo ipsi crimine tenerentur, & laud- otius me- rerentur, quia veritatem S- turæ osten- dunt, vel certe, quod ne- est, oportebit concedere, Scripturam- ram peccandi i- psis causam attulisse.

Nulli ergo mor- um interclusa est via ad salutem, nulli q- uantumcunque multis & magnis obr- peccatis, contemnendi sunt, nulli in- sperationis barathrum præcipitandi. omnes potius ad pœnitentiam excitan- & commonendi sunt, omnes spe diuin- misericordiæ fouendi & confortan- Cunctos à se auersos, diuina benignitas ineffabili omnino misericordia ad se reuocat. Post tergum fugientes monet, & quos ferire superbe aduersantes potest, vt reuertamur, magnificentissimis muneribus inuita-

inuitat. Ad vniuersos manus suas extendit, neque contradicentes respuit. Quos male cogitantes perdit, bene recogitantes recipit. Ab his amplecti se quærit, à quibus desertum se queritur: & quibuscunque per pœnitentiam ad se reuertentibus, apertos clementiæ suæ sinus expandit. Videamus itaque, qua via lapsi reparari queant. Nam posse omnes reparari, satis fecimus conspicuum.

CAPVT XIV.

Christus author & institutor Sacramenti pœnitentiæ.

CONSORTATIS lapsis omnibus per spem suæ reparationis, mox explicuere Patres, qua via reparari possint. Subiecerunt namque statim illa verba: *Cum excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum, meritò Christi amissam gratiam recuperare procurauerint.* Viam in his certissimam ad reparationem, sacramentum pœnitentiæ statuunt. Sed quoniam id neminem absque proprio actu sanat, opus esse aiunt, vt per illud procurent lapsi recuperare amissam gratiam. Vtque huius sui conatûs gloriam, totam Deo & Christo, sicut par est, consignent, admonentur ipsi, eum conatum habere se ex Dei excitantis gratia, & Christi merito.

Et quamquis hoc sacramentum, in cap. Ad abolendum, de hæretic. Sacramentum confessionis appelletur, & hoc vocabulum magis placuerit nonnullis Scholasticis, & nominatim Durando, & alij (vt Iacobus Faber in cap. vltim. Dion. de Eccles. Hierarch.) sacramentum remissionis peccatorum, vel reconciliationis nominent: tamen vel ex his Patrum verbis colligere possumus, tutissime nos posse sacramentum pœnitentiæ illud, vel pœnitentiam appellare. Neque immerito hoc nomen cõmunius est apud omnes Doctores, & pene in tota Ecclesia, & eo vsum est Concilium Flor. Nam si bene rem perpendamus, sacramentum istud ad hoc institutum videtur, vt homines volentes ipsius gratiam participare, pœnitentiam faciant, & ad illud digne suscipiendum potissimum requiritur pœnitentia, & omnia quæ in hoc sacramento ex parte pœnitentis concurrunt, pœnalia valde sunt.

Commodum nomen, sacramentum pœnitentiæ.

Quare si pœnitentia dicta est, vt quidam volunt, quasi pœnæ tenentia; potuit ipsum vel hac causa non iniuria pœnitentia appellari. Habet etiam hoc sacramentum peculiare, cuius causa præcipue sic videtur nominatum, vt in ipsius susceptione imponatur satisfactio, & pœnitentia peragenda pro admissis peccatis. Vt vero notior sit & preciosior, tutissima ista via ad salutem, omnibus lapsis proposita, mox aperuere Patres, à quo illa instituta sit, quibusque partibus componatur, & quis eius sit effectus, & quantum à baptismali remedio distet. Et vt à primo incipiamus, author & institutor sacramenti pœnitentiæ asseritur esse Christus. Quis enim alius tantam & tam salubrem medicinam institueret, nisi ille magnus medicus, qui ad hoc è cœlo descendit, vt potenti sua virtute & mirifica sapientia languores omnes nostros curaret?

Ante ipsius aduentum reparari quidem potuerunt lapsi per virtutem pœnitentiæ. At nunc, quod multo benignius & liberalius esse, paulo post ostendemus, per ipsam, & per sacramentum pœnitentiæ. Et procedit non tamen in hoc vsque tempus, immo vsque ad resurrectionem Christi ista gratia, quia non conueniebat, vt essent inter nos claues ad aperiendum regnum cœlorum, antequam preciosissima, gratissima, & potentissima suiipsius oblatione mundum ditaret, & nos Deo reconciliaret, ac reclusas aulæ cœlestis fores aperiret Sacerdos hic summus secundum ordinem Melchisedech, qui solus potestate quadam super excellenti clauem habet Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Et ex his patet, nullum iam esse locum opinioni Diui Bonauenturæ in 4. dist. 17. part. 2. art. 1. qu. 3. qui confessionem dixit institutam esse ab Apostolis. Quin vero neque stare cum his posse crediderim, quod Marsilius quæst. 12. 4. art. 2. corol. 2. dicit, sacramentum confessionis non esse institutum à Chri-

à Christo explicite, sed implicite in hoc, quod iudices instituit, quos reliquit Ecclesiæ. Et quamuis ipse pie interpretetur Diuum Bonauenturam, & asserat eum non negasse confessionem esse à Christo, sed tantum dixisse, non explicite, sed insinuatione quadam institutam ab eo esse, tamen Gabriel & alij merito crediderunt, eum sensisse, non esse confessionem à Christo, sed ab Apostolis institutam. Quicquid vero illi senserint, nos veritatem traditam constanter tuebimur. In confirmationem enim huius veritatis, in hoc eodem Concilio, sessione 7. diffinitum est, omnia sacramenta esse à Christo instituta. Sed enim ne labores, inquirendo vbi Christus hoc pœnitentiæ sacramentum instituerit, hoc ipsum quoque explicatur hîc à Patribus. Ita enim aiunt: *Etenim pro his qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20

Et quanquam hæc verba ita manifeste docent, Christum hoc loco dedisse Apostolis potestatem remittendi peccata, vt superuacaneum videatur, rem adeo apertam velle aliunde confirmare: tamen vt quod in principio huius operis pollicitus sum, opere ipso vbique pro nostra virili exhibeam, adiungam his aliquot Patrum testimonia, ex quibus & hanc perpetuo fuisse Ecclesiæ Catholicæ fidem, & ita hunc locum ab ea fuisse intellectum, firmum possit esse omnibus ac certum.

Leo Papa in epistola 91. ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum, sic scribit: Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ daret, & eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitteret. Cui vtique operi incessabiliter ipse Saluator interuenit, nec vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi*: vt si quid per seruitutem nostram bono ordine & grato impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Matth. 28 Et quanquam non alleget hæc, quæ modo tractamus verba, tamen cum nulla sint pro his expressiora, videtur hanc diffinitionem ex his verbis collegisse. Liquidissimo vero Cypr. lib. 1. epist. 6. ex eis collegit, Sacerdotes fideles posse remissionem peccatorum dare.

Et Chrysost. hom. 85. in Ioan. in hæc verba ita scribit: *Quemadmodum rex præfectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, vel liberent, potestatem præbet: ita Iesus discipulos mittens, hac munit authoritate.*

Theophylactus idem sequitur his verbis: Dicendum autem, quod & potestatem quandam & bonum spirituale dedit eis, non vt mortuos suscitent, & virtutem faciant, sed vt remittant peccata. Ideo & subdit, *Quorum remiseritis peccata*: ostendens, quod genus spiritalium donorum eis dederit. Ioan. 20

Cyril. 12. in Ioan. 56. c. Diuinæ naturæ dignitatem ac potestatem discipulis suis Saluator largitus est, quia certe absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum habent. Et statim declarat hoc fieri ab eis duobus modis, baptismo, & pœnitentia. Pariaque his docuit Ambros. 1. de pœn. c. 7 his videlicet verbis Christi permotus: Quid interest, ait, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum, ius remittendi peccata sibi datum Sacerdotes vendicent? Vnum in vtroque mysterium est. Eisdem item, vel illis, *Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo*, impulsus est Augustinus vt diceret, necessarium esse confiteri peccata nostra Sacerdotibus: nec satis esse, occulte & apud Deum agere pœnitentiam. Matth. 18 August. hom. 49

Gregorius benignitatem istam Christi in suos discipulos & eorum successores, sic exaggerat: *Libet intueri, illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt, principatumq; superni iudicij sortiuntur, vt vice Dei, quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic, sic eos à Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humi-* Greg. hom. 26. in Euang.

vnius corpus argumenti hunc in modum: Scriptura diuina plerosque testatur fuisse in hac vita propter peccata sua destitutos auxilio diuino, quod necessariũ est ad pœnitentiam. Non igitur omnes peccatores in hac vita, potuerunt semper amissam gratiam per pœnitentiam reparare.

Et vt à testimonijs apertioribus incipiamus, an non apertissime Deus suum quandoque auxilium subtracturum se nobis significauit, cum per Amos prophetam Damasco, Gazæ, Tyro, Ammonitis, Moab, & Iudæ, & Israeli singulatim comminatur, super tribus sceleribus eorum patientem se & longanimem futurum, sed super quartum non eos conuersurum? Si post quartum peccatum ita se eis placabilem & fauorabilem exhibiturus erat, vt similiter possent illius inuenire misericordiam, ac post primum, secundum, & tertium: quid sibi volunt illa toties repetita, Super quatuor non conuertam eum? Et ruinam Israelis irreparabilem esse, satis lugubri illo planctu idem

Amos 5. propheta explicuit: *Domus Israel cecidit & nõ adijciet vt resurgat. Virgo Israel proiecta est in terrã non est qui suscitet eam.*

Cumq; Abrahæ dixit Dominus, posteros ipsius in quarta generatione reuersuros ad terram Chanaan: Necdum enim completæ erant iniquitates Amorrhæorum: his verbis aliquando eas ita complendas significauit, & in tam numerosa futuras multitudine, vt non possent inuenire apud eum misericordiam.

Exod. 4. 7. & 14. Premunt & illa valde, quæ de Pharaone dixit Dñs ter ad Mosen: *Ego indurabo cor eius.* Et iterum: *Ego indurami cor eius & seruorum illius, vt faciam signa magna.* Et rursus de Aegyptijs: *Ego indurabo cor Aegyptiorum, vt persequãtur vos.* Et ipsa scriptura quarto repetit indurasse Dñm cor Pharaonis. Ex quibus Paulus

Rom. 9. intulit, *Ergo cuius vult, miseretur: & quem vult, indurat.* Quod si Pharao, & serui & suæ diti ipsius, habuerunt omnia auxilia necessaria ad dimittendum populum Israeliticum, & non persequendum ipsum, & pœnitendũ suæ incredulitatis & pertinaciæ, cur indurati fuisse dicerentur potius, quam alij peccatores, qui moriuntur in suis peccatis? Aut igitur omnes peccatores, qui sic vitam suam finiunt, induratos fuisse dicendum est: aut si Pharao & sui hoc peculiariter fuerũt, & non alij, oportet fateri, & eum cum suis & omnes alios similes, omni fuisse destitutos adiutorio & afflatu diuino.

Et quid est quod Heli ad filios suos dicit, *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit?* Si locus est semper pœnitentiæ, & neq; peccantibus in homines, neque peccantibus in Deum clauditur vnquam misericordia: cur de peccato contra Deum peculiariter dicebat, Quis pro eo orabit? 1. Reg. 3.

Vrgent insuper, quæ ad Hieremiam dixit Dominus: *Tu autem noli orare pro populo isto in bonum, quia non exaudiam te.* Non enim prohibuisset Dominus prophetę orare pro populo, si locus etiam tum erat illius misericordiæ. Et hoc ipso, quo tanti prophetæ præsidium auferebat suo populo, & orationes se illius non exauditurum clare monebat, satis significabat irremediabilem iam esse illorum ruinam. Iere. 7.

Atque idem potest colligi ex illis verbis ad Ezechielem: *Si fuerint tres viri isti in medio terræ, Noe, Daniel, & Iob, filium & filiam non liberabunt, sed ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas.* Innuunt & hanc paternę & diuinę opis generalem subtractionem testimonia, quibus edocemur, Deum plerisque peccatoribus subtraxisse miracula, prædicationes, tribulationes, & angelorum benignam solicitudinem & custodiam. Ezech. 14.

Et hoc est quod nomine populi Dei queritur egregius psaltes Israeliticus, dicens: *Signa nostra non vidimus, & iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius.* Et prædicationis auxilium subtracturum se illis, Deus satis aperte admonuit, cum Ezechieli dixit: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo.* Et per Amos. *Commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab Aquilone vsq; ad Orientem circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.* Et tribulationum beneficium ablaturum se Hierusalem, clare per Ezechielem indicat illis verbis *Et auferetur zelus meus à te, & quiescam, neque irascar amplius.* Et per Osee: *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, neque* Psalm. 73. Ezech. 3. Amos 8. Ezech. 16. Osee 4.

super

super nurus vestras, cum adulteraurint. E. Saluator ipse palam asserit, negata fuisse Sodomis & Tyro & Sidoni miracula, quæ si in eis facta essent, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

Sed super hæc omnia, terribilia & formidanda sunt illa testimonia, quibus Dominus se comminatur abiectu[r]um & derelictu[r]ū prorsus Hierusalem. Eadem quippe in quamuis animam, similibus sceleribus obnoxiam, dicta esse iuxta tropologicum sensum admonent Doctores, & argumentum à toto ad partem, hoc efflagitat. Sed ex multis aliqua proferamus. Voluit quidem Dominus ostendere per Esaiam, non leuiter, neq; sine causa, sed iustissime se sic aliquando Hierusalem & ingratos homines deserturum. Atq; ideo præmittit: *Quid debui facere vltra vineæ meæ, & non feci?* Sed non in futurum se perpetuo sic misericordem, sed tantam obstinationem subtractione suæ gratiæ puniturum, palam indicans, subdit: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: Auferam sepem eius, & erit in direptionem: & diruam maceriem eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, & non putabitur, & non foditur. & ascendent super eam vepres & spinæ, & nubibus cœli mandabo, vt non pluant super eam imbrem.* Et ne dubites, quæ ista sit vinea, subiungit: *Vinea autem Domini exercituum, domus Israel est.* Quibus, rogo, verbis significantius potuit Dominus destituturum se & deserturum suam vineam designare? Sepem dicit se ablaturum, hoc est, angelicam custodiam, iuxta Hieronymum: maceriam, id est, robur & circunspectionem, adhuc se diruturum: putationis & fossionis officium, exercitium videlicet per tribulationes, & virtutum operationes, negaturum se præmonet: pluuiam cœlestis doctrinæ & inspirationis prohibitum se confirmat: diripiendam eam & conculcandam, & vepribus & spinis replendam, perinde ac si ad ipsum non pertineat, testatur: & vt omnis auxilij subtractionem vno verbo complecteretur, subdidit: *Ponam*, inquit, *eam desertam.*

Et eundem in modum vno dimissionis verbo omnia comprehendit Dauid, dicens: *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi: Et dimisi eos secundum desideria cordis ipsorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Et eandem seueritatem diuinam fatetur dos ille magnus Zacharias filius Ioiadæ, vno derelictionis verbo conclusit, dicens: *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis eum, vt derelinqueret vos?* Et Azarias, facto in se spiritu Domini, idem monstrauit illis verbis: *Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et Hieremias apertius in persona angelorum idem ostendit: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam.* E. Saluator noster in Euangelio aliquanto luculentiora hæc omnia fecit illis ad Hierusalem verbis, misericordiæ & iustitiæ plenissimis: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.* Dum dicit, *Quoties volui*, ostendit misericordiam & paternum affectum & auxilium. Cum ait, *Et noluisti*: demonstrat rebellionem, & ingratitudinem eorum. Et cum subdit, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, sententiam iustam subtractionis auxilij declarat. Quā & Hieronymus intelligit typice designatam subtilis illis verbis: *Surgite eamus hinc.* Sic namque interpretatur: *Dimittamus Iudæos, transeamus ad Gentes.*

Et ne in hanc tantam calamitatem incideret, Hieremias ad eam dicebat: *Erudire, erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea à te, & ponam te desertam & inhabitabilem.* Sed quia tādem sciebat spiritu prophetico Hieremias non erudiendam Hierusalem, sed perseueraturam eam esse in suis peccatis, subdit ibidem: *Frustra conflauit conflator, malitiæ eorum non sunt cōsumptæ.* Quid ergo hanc tantam duritiam consequitur? Vt pœnam tanti sceleris, remotionem auxilij diuini explicet, subiungit: *Argentum reprobum vocate eos, quoniam Dominus proiecit eos.*

Neque illa silentio prætereunda sunt, quæ de Esau & Antiocho scriptura testatur: Nam de Esau aperte scribit Paulus: *Ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim,*

Margin notes: Esaiæ 5. — Ibidem. — Psalm. 80. — 2. Par. 24. — 15. — Ierem. 51. — Matth. 23. — Ioan. 14. — Ierem. 6. — Hebr. 12.

enim, quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.

2. Mach. 9. Et de Antiocho in Machabæis legimus: *Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Ac pleraque alia passim occurrunt in veteri testamento, ex quibus videtur posse colligi, Deum expectare quidem ad tempus longanimiter peccatores: sed si tandem, vt rebelles & contumaces, in sceleribus suis perseuerent, in pœnam peccatorum suorũ deserere & relinquere eos, neque clamores eorum audire, aut gratiæ suæ illis munus amplius concedere.

Responsio. Quoniam vero si vniuersa ex his testimonijs singulatim discuteremus, & quid in illis obstinatis peccatoribus Deus comminetur, explicare aggrederemur, fastidio essemus lectori, compendio vtentes, quatuor statuemus vias, quarum aliqua poterit proculdubio, qui illas attente perlegerit, cuiuis ex citatis testimonijs sic ad plenum satisfacere, vt nihil in ipsis maneat, quod illis, quæ tradidimus, aduersetur.

Viæ 4. explicandi mox obiecta.

Via 1. Quædam itaque ex allegatis, duntaxat implacabilem Deum, quoad pœnas corporales & temporarias, testantur. Et quo ad illas, non negamus, aliquando Deum, exigentibus nostris peccatis, ita obfirmari & obfirmatum esse, vt nullus sit aut fuerit locus euadendi. Nam certo & liquido ex scriptura ipsa nouimus, neque Aaronem, neq; Mosem, neque aliquem omnino Israelitã ex his, qui viginti annorum & supra, egressi sunt de Aegypto, exceptis Iosue & Caleb, potuisse pro suæ incredulitatis culpa placare sic Deum, vt illos permitteret ingredi in terram promissionis, sed constantissime & immobiliter seruauit Deus iuramentum, quod commemorat Psalmista, dicens: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meã.*

Psalm. 94. Quare omnes illi mortui sunt in solitudine, antequam introduceret Deus suum populum in terram promissionis. Atque ita exponenda sunt, quæ locutus est Deus ad Abraham de delendis Amorrhæis, cópletis iniquitatibus eorum. Et eundé sensum habent, quæ per Amos præmonuit Dominus de non conuertendis commemoratis prouincijs, postquam quarto ei fuerint perfidæ & rebelles. Et alia videri possunt fuisse peccata Hierusalem, cum Dominus prohibebat Hieremiæ, ne oraret pro ea, & addebat: *Non parcam, & non concedam, neque miserebor, vt non dispergam eos.* Et ipsis, ne in tantum malum deuenirent, aiebat: *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Neque dubium, quin sic fuerit Deus obfirmatus ad non impediendam subuersionem Hierusalem, ex quo illius peccata eousque creuerunt, vt authorem & Dominum vitæ interficerent. Ierem. 13.

Via 2. Et inter testimonia, quæ subtractionem diuini adiutorij ad conuersionem peccantium comminantur, sunt quidem aliqua, quæ vnius duntaxat, aut alterius, aut trium, aut quatuor auxiliorum, videlicet prædicationis, tribulationis, miraculorum, & similium subtractionem sonant. Sicut & apud Ioannem illa Christi verba, *Non pro mundo rogo*, manifeste sonant subtractum esse mũdo, hoc est, reprobis & filijs huius seculi, illud benignissimum & efficacissimum auxilium orationum Christi. Nulla vero loca sunt in tota scriptura, quæ totius opis & fauoris diuini negationem requirere videantur. Nam si qua essent, maxime sane essent quæ indurationem Pharaonis & Aegyptiorum & aliorum explicant. Attamen nec Pharaoni defuerunt flagella & tribulationes, & admonitiones crebræ diuinæ per Moysen ad Pharaonem, quibus trahebatur & emolliebatur ad dimittendum Dei populum, & ad perfecte pœnitendum sui peccati. Vnde & quater pollicitus est se dimissurum populum, propter prodigia videlicet ranarum, muscarum, grandinis & locustarum, & Moysen & Aaronem rogauit, vt pro se orarent: & bis apertissime confessus est suum peccatum, & tandem propter mortem primogenitorum, coegit populum Israeliticum de Aegypto exire. Ioan. 17.

Et cum scriptura toties repetat eum rursus induratum, neque voluisse dimittere populum, & ab illius persecutione cessasse; satis indicat, aliquem ei profectum ex tribulatio-

bulationibus accessisse, licet non tantum, vt ex toto corde ad Deum conuerteretur. Nam & cum multo humilius quam alias, peccatum suum & impietatem confessus est, Moyses ad eum dixit: *Noui autem, quod & tu & serui tui necdum timeatis Dominū Deum.* Veruntamen sicut lapis durus est, tametsi non omnino destitutus sit humore, ita & duri, & indurati possunt dici aliqui, si quidem obfirmato sint & pertinaci animo ad non resipiscendum, quamuis non in totum destituti sint ope & numine diuino. Et differentia inter eos, qui indurati fuerunt in suis peccatis, & eos qui perseuerarunt quidem in eis vsque ad mortem, sed indurati in eis fuisse non putantur: non ex parte defectus auxilij diuini, sed aliunde sumenda est. Neque existimandum est, vt quidam putāt, hoc inter hos & illos interesse, quod indurati, aut in totum deserti à Dei sint, aut certe maxima ex parte ipsius ope destituti, alij vero multis diuinis afflatibus & stimulis ad pœnitentiam prouocentur. Contra enim accidisse, vel ex ijs quæ statim de Pharaone retulimus, satis liquet. Immo propterea indurati meritissimò videntur dici, quia nec tantis hortamentis & irritamentis emolliri potest & infringi eorum duritiès, vt vere & ex corde pœnitentiam suorum peccatorum agant. Et induratio diuina non requirit subtractionem omnium auxiliorum ad conuersionem. Sed potius tunc Deus dicitur quempiam indurasse cum positis magnis occasionibus & allectamentis ad pœnitentiam, tamen Deus propter illius peccata, in sua eum saxea & ferrea obstinatione relinquit, nec emollit cor illius, vt conuertatur ad ipsum.

Discrimen inter induratos, & alios peccatores.

Et cum sancti Doctores, vt Augustinus, Hieronymus, Gregorius & nominatim Isidorus 2. de summo bono, cap. 5. sæpe verissime dixerunt, indurare Dei, nihil aliud esse, quam non emollire cor nostrum, aut non ab obduratione liberare: vt distinguamus induratos, à non induratis, & nihilominus perseuerantibus vsque ad mortem in suis peccatis: ad perfectam explicationem sic ista & diffiniri, & exponi velim, vt non quæcunque subtractio auxilij diuini emollientis cor, induratio Dei existimetur: sed illa duntaxat, quæ cum magnis & grauibus pœnitendi occasionibus perseuerat: & ij tantummodo indurati à Deo dicantur, quorum corda Deus non efficaciter emolliuit ad pœnitentiam, etiam si pleraq; illis auxilia inefficacia non defuerint, quibus ipsi & debuerunt, & potuerunt auxilium vltimatum & necessarium ad suam conuersionem obtinere.

Sed enim si aliqua testimonia vniuersæ opis & fauoris diuini subtractionem postulare videantur, ex illis conuinci sane poterit, eos, qui sic fuerint destituti, filios esse diffidentiæ, sicut dicit Paulus, & nunquam veram facturos fuisse pœnitentiam, neque redituros vnquam ad gratiam diuinam, haudquaquam tamen ex eis approbabitur, non potuisse illos vere pœnitere, neque assequi gratiam diuinam. Aliud est, vaticinari impossibilitatem pœnitentiæ: aliud, prædicere pertinaciam & obdurationem quorundam in suis peccatis. Et stare potest libertas, qua aliquid possumus & agere, & non agere, sicut cum præscientia diuina, ita & cum prophetia certa & infallibili eius, quod facturi sumus. Quia sicut nos facturi illud sumus libere & contingenter, ita & Deus idipsum libere facturos nos sciuit, & similiter prædicere & reuelare potest, illæsa & intacta nostra libertate.

Et sic interpretanda sunt testimonia, quæ de cæcitate, incredulitate, & induratione Iudæorum pro tempore aduentus Christi loquuntur. Qua de causa & Hieremias videtur dixisse, peccatum Iuda scriptum esse stylo ferreo in vngue adamantino. Et sanctus Bonauentura ideo putat Deum ei dixisse, ne oraret pro populo, quia nolebat orari pro desperatis, quos ipse sciebat impœnitentes futuros. Eundemq; in modum exponi possunt, quæ de Esau & Antiocho obiecta sunt, si illa, vt probabilius videtur, etiā ad pœnam spiritalē placeat referre. Et horū omnium causa est, quia licet nullus valet pœnitere sine auxilio diuino, tamē illud auxilium potest quicunq;, si velit, habere, etiam si eo sit priuatus. Sicut & auxilio generali ad loquendū careo, cum hæc scribo, tamen

men illud possum, si velim, habere, & ideo libere taceo: & possum, cũ voluero, loqui.

Et Deus quidem omnibus peccatoribus perseuerantibus in peccatis, subtrahit auxilium efficax ad pœnitentiam, quod solis illis præstatur, quos vere suorum peccatorum pœnitet. Sed quia derogare non nouit legibus communibus, præsertim fauorabilibus, nunquam alicui sic subtrahit, nec quenquam in hoc punit, vt non possit hoc auxilium, sicut & generale, habere: hoc enim esset legem communem inuertere, & viam terminum facere: sed punit omnes peccatores, qui non conuertuntur, in hoc quod non habeãt auxilium, quo cõuertantur. Et vel hoc argumento possemus conuincere quemlibet viatorem posse secundum legem conuerti, quia nullus est ex viatoribus, qui non possit bene vti naturalibus suis. Ei autem, qui hoc fecerit, Deus qui nemini deest, facienti quod in se est, auxilium sine dubio præstabit sufficiens ad obtinendum bona supernaturalia. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, ait pie Bernard. de dilig. Deo. *Sed tamen in libro tuo omnes scribentur, qui quod possunt, faciunt, etsi quod debent, non possunt.* Psalm. 138.

Quod si tandem aliqua afferantur testimonia, quæ non solum perseuerantiam in peccatis prænuncient, sed & impossibilitatem ab eis resurgendi significent, ea sic accipienda sunt, vt impossibile intelligatur dici, quod vel nunquam, vel non nisi rarissime & difficillime fiet, aut certe quod in sensu composito impossibile est. Quibus omnibus modis supra docuimus impossibile frequenter accipi & in scriptura, & in Doctoribus sanctis, & in philosophia, & in communi consuetudine. Atque ita exponenda sunt, quæ Heli dixit de peccatis in Deum. Non enim impossibilitatem inueniendi misericordiam, sed raritatem & difficultatem significare voluit, aut certe nunquam obtineri eorum misericordiam, sicut & de peccato in Spiritum sanctum diximus. Nam & ea peccata in homines videtur dixisse, quæ Christus verba in filium hominis dixit; accepto filio hominis, pro homine, more H... Tit. 4.

Vnde & Gregorius in illa verba, quibus scriptura dicit, grande nimis fuisse coram Domino peccatum filiorum Heli, non dixit, illud non potuisse deleri, sed tantum ait, *Grande nimis est peccatum, quod pœnitentiæ lachrymis non deletur.* Et aliquando in maiori rigore eum vsum esse vocabulo *Impossibilis*, liquere potest ex illis, quæ ipse scribit in illa verba, *Porro Philisthijm abierunt in loca sua: Qui non prædestinati sunt, siue audiant Doctorum verba, siue non audiant, vocari in habitaculum nequeunt, quia per nequitiam, in qua sunt ante constitutionem mundi præcogniti, locum in se malignis spiritibus parauerunt.* Greg. 1. Reg. cap. 5. 1. Reg. 14.

CAPVT XIII.

Vnde quibusdam peccatoribus difficillimum sit, & aliquo modo impossibile, à suis peccatis resurgere.

QVÆRET aliquis, vnde proficiscatur hoc, quod statim diximus, vt raro vel nunquam, vel non nisi difficillime pœnitentiam faciant, quos scriptura videtur dicere non posse pœnitere: vnde etiam illa eis conueniat, quam diximus, impossibilitas resurgendi in sensu composito. Nam quod possint in sensu diuiso, id est, simpliciter & absolute pœnitere, satis opinor explicuimus ex eo, quod quicunq; peccator potest, cum voluerit, habere auxilium Dei efficax ad resurgẽdum. Sed non quemcunque posse resurgere in sensu composito, aut aliquos ad eum nonnunquam venire statũ, vt cum in eum venerint, nunquam vel rarissime, vel non nisi difficillime resipiscant, non est ex prædictis conspicuum.

Vt autem obscurissima ista ad arcana Dei iudicia spectantia, intelligere & curiosis scrutatoribus quadantenus possimus explicare & differere, reminiscendũ est duplicis gratiæ Dei præuenientis, quam libri sexti capite sexto posuimus. Excitantis videlicet, & Adiuuantis. Exinde enim perspicuum esse potest, duplicia esse auxilia specialia, quibus Deus adiuuat peccatores ad pœnitentiam, fidem, dilectionem Dei super omnia, martyrium, & similia. Duplicia Dei auxilia specialia.

Qua-

Quædam sunt auxilia antecedentia, & præuia ad ipsum actum pœnitentiæ: alia illum comitantia, & ei inseparabiliter coniuncta.

1. Prioris generis sunt, prædicationes, inspirationes sanctæ, admonitiones amicorum, timor gehennæ, spes regni cœlestis, tribulationes, miracula, exempla aliorum, & similia. His namque omnibus trahit Deus & allicit misericorditer peccatores ad pœnitentiam. Et huiusmodi auxilia, à plerisque inefficacia auxilia vocantur, quia non semper habent suum effectum, sed plerunque à peccatoribus, propter suæ obstinationem mentis, frustrantur: & positis illis omnibus, adhuc perstant, & obfirmato animo in suis peccatis perseuerant. Et horum aliquibus priuauit Deus persæpe peccatores ob sua peccata. Et non vtcunque, sed sic, vt probabilissimum sit, nec eos iam illa quopiam modo habere potuisse. Nunquam tamen, quod sciam, quenquam Deus pro sua summa misericordia, omnibus suis fauoribus destituit: quin sic semper suæ videtur rigorem iustitię temperasse, vt quibusdam destituens, alia nihilominus suppeditauerit, quæ satis quoscunque, si vti voluissent, ad pœnitendum inuitabant.

2. Posterioris autem generis auxilia, sunt concursus quidam speciales, quibus Deus peculiariter & immediate nostras rebelles ad se conuertit voluntates, coniungens se, & intimo quodam & benignissimo modo vniens se ipsis, & potentiores eas ad operandum reddens, atque vt doleant de peccatis suis, & vitam malam in bonam commutent, inflectens. Et hæc auxilia, efficacia dicuntur communiter: & simultanea siue comitantia, aut coniuncta ipsis operationibus, possunt appellari: Quia & comitantur actum pœnitentiæ, & ei inseparabiliter sunt coniuncta, & simul sunt cum ipso, neque vnquam frustrantur, aut frustrari possunt à nobis: & omnes & soli ea habent, quos suorum peccatorum pœnitet.

Quamuis autem sola hæc secundi generis auxilia, necessaria sint & sufficere possint fidelibus ad pænitentiam, & primi generis auxilia sine istis non sufficiant, tamen & priorum aliqua moraliter videntur necessaria, vt libri sexti capite 7. docuimus, Homines enim non nisi multis allecti, & attracti occasionibus & impulsibus ad operandum trahimur, sic præsertim, vt reprobemus, quæ placuerunt, & approbemus, quæ displicuerunt, aut aliquid perinde difficile faciamus. Et in auxilijs generalibus hæc possunt explicari. Sunt enim quædā, quibus & homo & Deus ipse nonnullos artifices antecedenter quandoque allicit ad aliqua operandum, quæ possunt per auxilium generale: sed nunquam Deus auxilio suo generali eos ad ipsa efficaciter & comitanter adiuuat, nisi cum sunt in ipsis operibus, & ipsius ad illa adiutorio liberè vtuntur.

Et quia ad omnes operationes nostras & concursus noster, & diuinus siue generalis siue specialis, necessarius est, & præter auxilium Dei & simultaneum seu coniunctū ipsis operationibus, etiam auxilia alia antecedentia & allicientia nos ad opus, ad facile operandum requirimus: hinc est, vt eis destituti, multa quidem possimus & facere & vitare, quæ tamen vel nunquam, vel raro, & tum quidem, non nisi cum magna difficultate aut facimus, aut vitamus. Et ea tum raritas vel difficultas, partim proficiscitur ex parte nostra, partim ex parte Dei aut aliorum, qui nos possent allicere & adiuuare ad operandum, & non faciunt. Et in proposito nostro, q̃ hi peccatores, quos scriptura diuina velut desperatos, & omni auxilio diuino iam destitutos pronunciat, vel raro, vel nunquam, vel non sine magna difficultate resipiscant, partim est ex parte ipsorum, partim ex parte Dei. Ex parte ipsorum est, quia raro vel nunquam homines faciunt totum quod possunt. Et cum virtus sit circa difficile, & homines in hoc statu procliues simus natura nostra in malum, isti peccatores non tantum non habent virtutes, sed & præter hæc omnia, pessimos & execrandos sibi habitus male agendo compararunt.

Et inde est, vt prauorum suorum actuum,

& malæ consuetudinis pondere pressi, non nisi cum magna difficultate vitam possint mutare, & dolere de illis, quæ ipsis magnæ voluptati fuerunt, & lætari econtrario de his, quæ acerba ipsis prius & amara videbantur. *Si potest*, ait Deus, *Aethiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas: ita & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malè.* Et alibi: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et rursus: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Frontem quippe cordis in impudentiam atterit culpa frequens, teste Gregorio hom. 10. in Ezech. vt quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur. Et quidam vsqueadeo obdurauerunt, & obfirmauerunt corda sua in vitijs, vt iam sic proni & effrenes, & absque vllo pudore in ea proruant, vt natura ipsa impellente in illa ferri videantur, neque sit in eorum potestate ea deuitare.

Hierem. 13. | Prou. 18. | Hierem. 3.

Vnde & bene Gregorius hom. 31. super Euang. huiusmodi peccatores expressos nobis intellexit in illa muliere Euangelica, quæ decem & octo annis inclinata fuerat, neque sursum respicere poterat. *Vsitata culpa*, inquit, *obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur, & labitur: quia vbi sponte diu perstitit, ibi & cum noluerit coacta cadit.* Ex parte etiam Dei est hæc difficultas: Quia eiusmodi peccatoribus non solum negat auxilium efficax ad conuersionem, quod omnibus negatur, qui non conuertuntur, sed & præter hoc aliquibus ex eis, ob grauissima tamen peccata, negat auxilia multa ex antecedentibus illis quibus Deus inuitat & trahit peccatores ad pœnitentiam. Verisimile siquidem est, vt & ante nos nobiles authores tradiderunt, esse certum numerum peccatorum ita magnum, & aliqua peccata ita grauia, vt ea cum homines admiserint, Deus iam eos despiciat, neque curam illam & solicitudinem paternam eis exhibeat, quam præstat alijs peccatoribus.

Adria. q. 3. de pænit. Ca. 11. tom. 1. q. 4.

Eoque fit, vt cum huiusmodi peccatores ob nimiam duritiam suam, & diurinas & inueteratas malas consuetudines, non solis communibus, sed & alijs multo maioribus & vehementioribus ad pœnitendum indigerent, destituti etiam communibus, vel nunquam, vel non nisi rarissima & difficillime pœniteant. Et si eos emendare & corrigere tentemus, experiemur in eis quod Salomon & Iob verissime admonent, *Nemo potest corrigere, quem ille despexerit. Si destruxerit, nemo est qui ædificet. Si incluserit hominem, nemo est qui aperiat.* In quæ verba erudite Gregor. 11. Mo. cap. 5. admonet, destruere & recludere diuinum, nihil aliud esse, quam peccatorem in suorum operum tenebris relinquere. Et inter alia ita scribit: *Quia ad perditionem suam sufficit mens humana sibi dimissa, plerunq; fit, vt cum audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatione moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet; qui adspirat verba, quæ audiuntur.* Et statim subdit: *Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.* Et in libro Reg. illud: *Si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit?* propterea dictum existimat, quia plerique eorum, qui ad intercedendum pro alijs instituti sunt, peccatorum suorum magnitudine in impœnitentis cordis caliginem proijciuntur, & nulla hominis adhortatione resipiscunt.

Eccles. 7. | Iob. 12. | 1. Reg. 2.

Vnde & de filijs Heli, quibus hæc ipse Heli dixerat, statim subiecit scriptura: *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Et alibi idem Gregorius dicit, spiritum Domini prohibuisse Apostolis prædicare Euangelium in Asia quia necdum ad vitam reparari merebantur. Et propterea Psalmistam putat dixisse, Deum esse terribilem in consilijs super filios hominum: quia quosdam misericorditer vocat, alios iustitia exigente repellit. Atque hoc est, quod Doctor angelicus S. Thom. secunda secundæ q. 14 artic. 1. dicit, huiusmodi peccatores quasi miraculose spiritaliter sanari.

Hom. 4. in Euang.

Neq; in alium sensum accipienda sunt, quæ quidā pij authores asseuerant, aliquos peccatores esse ita multis & grauibus obrutos peccatis, & sic in eis obduratos & perti-

pertinaces, vt non possint pœnitere secundum communem legem, sed tantum secundum superexcellentem misericordiam. Non enim huiusmodi peccatores asseri existimandi sunt, non posse per legem communem pœnitere. Possunt quippe omnes peccatores, vt diximus, habere auxilium Dei efficax ad pœnitentiam. Et nulli in hac vita præclusa est via salutis. Et contra legem Dei esset, si aliqui in huius vitæ via perinde obdurati essent, ac si iam eam in peccatis absoluissent, & retrusi essent in infernum.

Neque credendum est eos dicere, alios quidem peccatores resurgere posse secundum diuinam iustitiam, sed hos duntaxat ex misericordia. Nam cum vniuersi peccatores possint secundum communem iustitiam, hoc est, secundum communem legem à peccatis resurgere, tamen nullus ex illis, qui resurgunt à peccatis, resurgit ex iustitia, sed duntaxat ex misericordia & ex gratia. Quia secundum iustitiam omnibus potest Deus subtrahere suum auxilium ad resurgendum, & nulli illud debet. Et rectè Augustinus de bono perseu. cap. 6. & cap. 8. *Voluntate sua quisq; deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo.* Et iterum: *Nulli daretur gratuita liberatio, si natura debita redderetur.* Et cum hi authores pij & Catholici sint, non sunt in adeo absurdos sensus verba eorum exponenda.

Quod igitur volunt significare, quantum assequi possum, hoc est: Aliqui peccatores ita multis & magnis obruti sunt peccatis, ita & in eis obduruerunt, & callos (vt sic dixerim) obduxerunt, vt nunquam facturi sint pœnitentiam, nisi Deus secundum præcellentem suam misericordiam, maioribus, plenioribus, & vehementioribus suæ gratiæ auxilijs, quam sint communia & vsitata; eos pertrahat ad pœnitentiam, & potentius & benignius eorum emolliat & infringat obstinatas voluntates. Indigent namq; huiusmodi peccatores vtrisque auxilijs, & antecedentibus, & comitantibus auctioribus & copiosioribus, quàm sint, quæ ex communi lege & consueta misericordia alijs exhibentur peccatoribus. Atque hinc poterit vtcunque explicari, quare huiusmodi peccatores impossibile sit, vt diximus, in sensu composito pœnitere. Cum enim necessaria illis sint vtraque auxilia diuina ad pœnitentiam, eorum subtractione supposita, nunquam potentiam, quam habent ad pœnitendum, in actum poterunt deducere. Et nunc maxime hæc impossibilitas perspicua est, cum illa auxiliorum Dei subtractio, Prophetia aliqua confirmata fuerit. Impossibile quippe est, vt destituti sint numine diuino, & nihilominus pœniteant. Et impossibile est etiam, vt hæc duo simul sint, nempe, Deum prædixisse illorum destitutionem, & obdurationem vsque ad mortem, & ipsos ante mortem pœnitere. *Cælum*, inquit, *& terra transibunt; verba autem mea non transibunt.* Lucæ 21.

Neque tamen, vt eleganter differit & approbat Cyrillus 9. in Ioan. c. 10. & lib. 11. ca. 21. aliqua necessitas ex Prophetia illata est ipsis peccatoribus, quorum peccata & obduratio iam olim prædicta fuit. Possunt enim simpliciter & absolute huiusmodi omnes peccatores, dum hîc viuunt, quantumcunque à Deo deserti sint, pœnitere, vel propter aliorum preces, vel propter proprios magnos conatus, vel tandem propter supereminentem Dei misericordiam, illius opem & suppetias obtinere, ac [...]cere, vt nunquam eorum fuerit prohe[...] indu[...]ratio vsque ad mortem. Et ali[...] ullo ipsi [...]otius m[...] crimine tenerentur, & laud[...]turæ ostenrerentur, quia veritatem S[...]est, oportebit dunt, vel certe, quod ne[...]ram peccandi i[...] concedere, Scripturam [...] psis causam attulisse.

Nulli ergo mor[...]um interclusa est via ad salutem, nulli [...]uantumcunque multis & magnis obr[...] peccatis, contemnendi sunt, nulli in [...]sperationis barathrum præcipitandi. [...]mnes potius ad pœnitentiam excitan[...] commonendi sunt, omnes spe diuin[...] misericordiæ fouendi & confortan[...] Cunctos à se auersos, diuina benignitate ineffabili omnino misericordia ad se reuocat. Post tergum fugientes monet, & quos ferire superbe aduersantes potest, vt reuertamur, magnificentissimis muneribus inuiti-

inuitat. Ad vniuersos manus suas extendit, neque contradicentes respuit. Quos male cogitantes perdit, bene recogitantes recipit. Ab his amplecti se quærit, à quibus desertum se queritur: & quibuscunque per pœnitentiam ad se reuertentibus, apertos clementiæ suæ sinus expandit. Videamus itaque, qua via lapsi reparari queant. Nam posse omnes reparari, satis fecimus conspicuum.

CAPVT XIV.

Christus author & institutor Sacramenti pœnitentiæ.

Confortatis lapsis omnibus per spem suæ reparationis, mox explicuere Patres, qua via reparari possint. Subiecerunt namque statim illa verba: *Cum excitante Deo per pœnitentia sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint.* Viam in his certissimam ad reparationem, sacramentum pœnitentiæ statuunt. Sed quoniam id neminem absque proprio actu sanat, opus esse aiunt, vt per illud procurent lapsi recuperare amissam gratiam. Vtque huius sui conatûs gloriam, totam Deo & Christo, sicut par est, consignent, admonentur ipsi, eum conatum habere & ex Dei excitantis gratia, & Christi merito.

Ergo quis hoc sacramentum, in cap. Ad abolendam, de hæretic. Sacramentum confessionis appelletur, & hoc vocabulum magis placuerit nonnullis Scholasticis, & nominatim Durando, & alij (vt Iacobus Faber in cap. 1 tim. Dion. de Eccles. Hierarch.) sacramentum remissionis peccatorum, vel reconciliationis nominent: tamen vel ex his Patrum verbis colligere possumus, tutissime nos posse sacramentum pœnitentiæ illud, vel pœnitentiam appellare. Neque immerito hoc nomen communius est apud omnes Doctores & pene in tota Ecclesia, & eo vsum est Concilium Flor. Nam si bene rem perpendamus, sacramentum istud ad hoc institutum videtur, vt homines volentes ipsius gratiam participare, pœnitentiam faciant, & ad illud digne suscipiendum potissimum requiritur pœnitentia, & omnia quæ in hoc sacramento ex parte pœnitentis concurrunt, pœnalia valde sunt.

Commadum nomen, sacramentum pœnitentiæ.

Quòd si pœnitentia dicta est, vt quidam volunt, quasi pœnæ tenentia; potuit ipsum vel hac causa non iniuria pœnitentia appellari. Habet etiam hoc sacramentum peculiare, cuius causa præcipue sic videtur nominatum, vt in ipsius susceptione imponatur satisfactio, & pœnitentia peragenda pro admissis peccatis. Vt vero notior sit & preciosior, tutissima ista via ad salutem, omnibus lapsis proposita, mox aperuere Patres, à quo illa instituta sit, quibusque partibus componatur, & quis eius sit effectus, & quantum à baptismali remedio distet. Et vt à primo incipiamus, author & institutor sacramenti pœnitentiæ asseritur esse Christus. Quis enim alius tantam & tam salubrem medicinam institueret, nisi ille magnus medicus, qui ad hoc è cœlo descendit, vt potenti sua virtute & mirifica sapientia languores omnes nostros curaret?

Ante ipsius aduentum reparari quidem potuerunt lapsi per virtutem pœnitentiæ. At nunc, quod multo benignius & liberalius est, paulo post ostendemus, per ipsam, & per sacramentum pœnitentiæ. Et processit in hoc vsque tempus, immo vsque ad resurrectionem Christi ista gratia, quia non conueniebat, vt essent inter nos claues ad aperiendum regnum cœlorum, antequam preciosissima, gratissima, & potentissima suijpsius oblatione mundum ditaret, & nos Deo reconciliaret, ac reclusas aulæ cœlestis fores aperiret Sacerdos hic summus secundum ordinem Melchisedech, qui solus potestate quadam super excellenti clauem habet Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Et ex his patet, nullum iam esse locum opinioni Diui Bonauenturæ in 4. dist. 17. part. 2. art. 1. qu. 3. qui confessionem dixit institutam esse ab Apostolis. Quin vero neque stare cum his posse crediderim, quod Martilius quæst. 12. 4. art. 2. corol. 2. dicit, sacramentum confessionis non esse institutum à Chri-

à Christo explicite, sed implicite in hoc, quod iudices instituit, quos reliquit Ecclesiæ. Et quamuis ipse pie interpretetur Diuum Bonauenturam, & asserat eum non negasse confessionem esse à Christo, sed tantum dixisse, non explicite, sed insinuatione quadam institutam ab eo esse, tamen Gabriel & alij merito crediderunt, eum sensisse, non esse confessionem à Christo, sed ab Apostolis institutam. Quicquid vero illi senserint, nos veritatem traditam constanter tuebimur. In confirmationem enim huius veritatis, in hoc eodem Concilio, sessione 7. diffinitum est, omnia sacramenta esse à Christo instituta. Sed enim ne labores, inquirendo vbi Christus hoc pœnitentiæ sacramentum instituerit, hoc ipsum quoque explicatur hîc à Patribus. Ita enim aiunt: *Etenim pro his, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20

Et quanquam hæc verba ita manifeste docent, Christum hoc loco dedisse Apostolis potestatem remittendi peccata, vt superuacaneum videatur, rem adeo apertam velle aliunde confirmare: tamen vt quod in principio huius operis pollicitus sum, opere ipso vbique pro nostra virili exhibeam, adiungam his aliquot Patrum testimonia, ex quibus & hanc perpetuo fuisse Ecclesiæ Catholicæ fidem, & ita hunc locum ab ea fuisse intellectum, firmum possit esse omnibus ac certum.

Leo Papa in epistola 91. ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum, sic scribit: Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ daret, & eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitteret. Cui vtique operi incessabiliter ipse Saluator interuenit, nec vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi*: vt si Matth. 28 quid per seruitutem nostram bono ordine & grato impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Et quanquam non alleget hæc, quæ modo tractamus verba, tamen cum nulla sint pro his expressiora, videtur hanc diffinitionem ex his verbis collegisse. Liquidissimo vero Cypr. lib. 1. epist. 6. ex eis collegit, Sacerdotes fideles posse remissionem peccatorum dare.

Et Chrysost. hom. 85. in Ioan. in hæc verba ita scribit: *Quemadmodum rex præfectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, vel liberent, potestatem præbet: ita Iesus discipulos mittens, hac munit authoritate.*

Theophylactus idem sequitur his verbis: Dicendum autem, quod & potestatem quandam & bonum spirituale dedit eis, non vt mortuos suscitent, & virtutem faciant, sed vt remittant peccata. Ideo & subdit, *Quorum remiseritis peccata*: ostendens, Ioan. 20 quod genus spiritalium donorum eis dederit.

Cyril. 12. in Ioan. 56. c. Diuinæ naturæ dignitatem ac potestatem discipulis suis Saluator largitus est, quia certe absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum habent. Et statim declarat hoc fieri ab eis duobus modis, baptismo, & pœnitentia. Pariaque his docuit Ambros. 1. de pœn. c. 7 his videlicet verbis Christi permotus: Quid interest, ait, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum, ius remittendi peccata sibi datum Sacerdotes vendicent? Vnum in vtroque mysterium est. Eisdem item, vel illis, *Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo*, impulsus est Augustinus vt diceret, necessarium esse confiteri peccata nostra Sacerdotibus: nec satis esse, occulte & apud Deum agere pœnitentiam. Matth. 18 Augu. hom. 49

Gregorius benignitatem istam Christi in suos discipulos & eorum successores, sic exaggerat: *Libet intueri, illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt, principatumq; superni iudicij sortiuntur, vt vice Dei, quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic, sic eos à Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humi-* Greg. hom. 26. in Euang.

humiliari. Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt, & alios damnant vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Et ne dubites hanc potestatem mansisse in Ecclesia, subdit statim: *Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi atq; soluendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grande pondus est istius honoris.* Hæc Gregorius.

Nec dubium, quin hoc eodem testimonio Anselmus coactus fuerit dicere, perueniendum esse ad Sacerdotes, etiam illis qui dum tendunt ad confessionem & pœnitentiam, quia tota mentis deliberatione peccata sua damnant, ab interno inspectore liberantur.

Anselm. in Luc. 17

Richardus de S. Victore, in libro de potestate ligandi & soluendi, ex eisdem verbis Christi colligit, potestatem habere Sacerdotes ad remittenda peccata, & necessariam esse peccatoribus etiam contritis, absolutionem Sacerdotis ad communionem corporis & sanguinis Christi.

Obiect. Ioan. 20

Dicet tamen aliquis: His verbis, *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* manifestum quidem est, traditam esse Apostolis potestatem remittendi, & retinendi peccata, non tamen videtur institutum esse sacramentum pœnitentiæ: quia neque materia est hîc illius expressa, neque forma.

Responsio.

Hoc argumento moti sunt fortasse Seraphicus Doctor & Marsilius, vt assererent, quæ statim ex eis retulimus. Sed in hoc illi decepti sunt, quod parum aduerterint, satis esse in illis verbis Christi & materiam & formam explicata. Nam cum illis verbis tradidit potestatem soluendi peccata fidelium, explicuit materiam remotam esse peccata, vel, sicut dicunt sanctus Thomas & Gerson, peccatorem baptizatum: proximam vero, esse manifestationem peccatorum, quia sententia non erat ferenda in incognita: quis enim remittat, quæ nesciat? & formam esse quæcunque verba, quibus Sacerdotes explicarent se remittere peccata. Sicut enim, vt credamus baptismum esse à Christo institutum, non dubitamus satis esse vel illa verba ipsius, *Euntes ergò, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*: ita profecto indubitatum esse debet, ad institutionem sacramenti pœnitentiæ satis fuisse, concessionem clauium ad soluendum peccata. Siquidem ita per hæc data est potestas absoluendi peccatores baptizatos, sicut per illa potestas baptizandi omnes gentes.

Thom. opusc. 22. c. 4
Gerson in Flor. mort.
Matth. vlt.

Et quemadmodum post illa verba Christi de baptismo, omnes baptizati ab Apostolis habuerunt gratiam, si obicem ei non posuerint, & baptismus ex tunc cœpisset esse sacramentum, etiamsi prius non fuisset: ita post ista alia omnes fideles confessi sua peccata, & ab eis absoluti, habuissent remissionem peccatorum, quibuscunque illi verbis vsi fuissent vsum eius potestatis significantibus, & absolutio illa verum fuisset sacramentum pœnitentiæ.

Atque hinc est, vt cum, antequam Ecclesia vel Apostoli ostendi possint statuisse hanc vel illam formam, verisimillimum sit eos vsos fuisse hac potestate: omnibus certum sit, nunquam eos illa fuisse vsos, quin interuenerit sacramentum pœnitentiæ. Et quid in re vsque adeo certa cunctamur? An non satis est, vt Christus dicatur instituisse hoc sacramentum, fecisse, vel dixisse aliqua verba, post quæ absque vlla noua institutione aut concessione, semper ad prolationem horum verborum, *Absoluo te*, confertetur gratia peccatori confitenti rite sua peccata? Quid amplius fecit in baptismo? Quid amplius in Eucharistia? Quid amplius in Ordine? Quid denique amplius ipsa Ecclesia fecerit, si ipsa, vt putatur, instituerit hoc sacramentum? Verum quidem est, Christum nunquam statuisse, vel monuisse Apostolos, vt hac forma vterentur, *Absoluo te à peccatis*: vel illa, *Remitto tibi peccata*: vel illa, *Remittuntur tibi peccata*. Sed neque opus his erat, vt institueret hoc sacramentum. Relinquenda hæc erant prouidentiæ & dispositioni Ecclesiæ, vt plenitudo potestatis ipsius esset dilucidior. Satisq; ne omnino fuit, vt diximus, potestatem tradere soluendi à peccatis, vt ipsa hanc vel illam eligeret formam, perinde atque ipsi commodius & congruentius videretur. Et conuenien-

nientissime quidem illa elegit formam, quæ nunc consueta est in Ecclesia. Nam & ea authoritatem indicat Sacerdotum, & effectum, quem faciunt claues in pœnitentibus, aptissimè designat. Ac propterea nemini quidem liceret ab ea declinare, si tamen id fieret, & hæc authoritas explicaretur, & non tantum deprecatiue, sed authoritatiue designaretur fieri remissio peccatorum, non variaretur essentia huius sacramenti.

Neque necessarium est verbum, explicans absolutionem fieri authoritate diuina, vt cæteri Theologi communiter in 4. docent contra Durandum dist. 22. qu. 2. & manifestum est ex Concilio Florentino. Et ex his colligere possumus, veniam esse dandam Diuo Bonauenturæ & Marsilio in opinionibus ex eis citatis, qui eo tempore illas tenuerunt, quo nihil legerant, quod eis aduersaretur, diffinitum esse ab Ecclesia: & quicquid nos fatemur factum à Christo, & illi fatebantur, atque in hoc solo errarunt, quod non putarunt, id satis esse, quod quidem erat satis, vt explicite, & non tantum implicite, dicatur Christus hoc sacramentum instituisse. Nulla tamen talis venia dari potest pestilenti illi hæretico Wiclefo, qui, vt de illo retulit Thomas Waldensis, de sacrament. cap. 68. intolerabili supercilio obiurgabat Ecclesiam, asserens Sacerdotes infundabilem in Scripturis authoritatem sibi arrogare, dicentes, *Ego absoluo te*: & Christum parum prospexisse suæ Ecclesiæ, si hæc sit vera forma, *Ego absoluo te, &c.* quia illam non expressit in Euangelio. Quasi vero non satis fuerit, plenissimam soluendi potestatem disertissime tradere, vt ipsi absque vlla arrogantia dicere possent se soluere.

Fuit etiam tempore Diui Thomæ quidam sciolus, qui tametsi Catholicus, nescio qua temeritate ausus est librum quendam euulgare, quo asserebat, non debere nos vti forma consueta, *Absoluo te*: sed, *Misereatur tui*. In quam sententiam Hugonem, Altisiodorensem, Guillermum Parisiensem, & summam Raymund allegabat. Sed inepta illius argumenta optime diluit in 22. opusc. Diuus Thomas. Vbi & copiose ostendit conuenientissimam esse hanc formam, & fundatam esse in Scripturis, atque in Dionysio 13. de diuin. nom. & mille & amplius annis iam tum vsam ea fuisse Ecclesiam. Idque fecit, vt iam docuimus, ex authoritate sibi tradita à Christo.

CAPVT XV.

De quinque partibus Sacramenti pœnitentiæ.

EXPOSITA huius sacramenti institutione, mox ipsum quinque ex partibus constare asseruêre Patres, cessatione à peccatis, detestatione, confessione, absolutione, & satisfactione. Et quamuis in genere pœnitentiam Christiani hominis post lapsum his dixerint contineri, dubium non est quin de sacramento pœnitentiæ hæc intellexerint. Non enim tam subito à sacramento pœnitentiæ in virtutem pœnitentiæ diuertissent. Et pœnitentiæ virtus sub se non continet sacerdotalem absolutionem. Neque repugnat hæc Patrum diffinitio cum illis, quæ in Concilio Florentino sub Eugenio 4. de hoc sacramento constituta sunt, dum actus pœnitentis in tres partes asseruit distingui, quæ sunt, contritio, confessio, satisfactio. Non enim his verbis tres duntaxat partes huius sacramenti affirmantur, vt quidam, parum attenti ad verba Concilij, existimant: sed tres partes declarantur actuum pœnitentium, qui quasi materia huius sacramenti esse dicuntur. Conciliatio Concil. Flor. cum decreto isto.

Et vt sub contritione significaretur comprehensa cessatio à peccatis, quæ prima pars à Patribus in nostro decreto posita est, statim adiectum ibi est, ad contritionem spectare, vt pœnitens doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.

Ac ne quis his solis tribus aut quatuor hoc sacramentum constare crederet, mox subiuncta hæc sunt: Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absoluo.* Itaque nulla inter hæc & illa contrarietas est,

sed eadem prorsus doctrina. Diuersum autem propositum huius & illius Concilij, nonnihil fecit variari ipsum modum & formam tradendi. Et hîc quidem explicatius posita sunt omnia, quæ hoc sacramentum complectitur, quoniam mens erat apertissime tradere lapsis omnia, quæ facere & curare debent ad suam reparationem. Ibi vero, quoniam ex professo tradebatur doctrina de Sacramentis, declaratum est accurate, non eiusdem esse rationis has omnes quinque partes, neque eodem modo concurrere ad constitutionem huius sacramenti: sed tres vel quatuor, esse quasi materiam illius: absolutionem vero sacerdotalem, esse ipsius formam.

Verum illud hîc silentio prætereundum non est, plerosque Scholasticos Doctores ante ista Concilia, nequaquam credidisse tot partibus constare hoc sacramentum. Scotus noster & nominales, Ocham, Gabriel, Maioris, Almaynus, eum secuti, in sola absolutione sacerdotali posuêre hoc sacramentum, quia solius illius virtute gratia videtur conferri pœnitenti. Durandus 1. d. 14. q. 2. art. 1. sola confessione & absolutione constare putauit hoc sacramentum. Nam mentis compunctio inuisibilis est, ait, & censeri non potest pars sacramenti, quod est visibile gratiæ signum. Qua ratione neque intentio reputatur esse pars sacramenti, licet necessaria ad illud sit. Satisfactio vero sequitur, addit, postquam est completum & consummatum Sacramentum. Non debet autem pars censeri sacramenti illud, sine quo sacramentum est completum. Itaque hi authores, & alij eorum asseclæ, male contenti fuêre de opinione, quam Diuus Thomas cum suis, & noster Richardus tuebantur, constanter asserentes, contritionem, confessionem, & absolutionem, & satisfactionem, partes esse huius sacramenti.

Scotus in 4. d. 14.

Thom. 3. par. q. 90. art. 1. & 2. & Caiet. ibidem.

Atque hæc sane sententia consona magis apparet his istorum Conciliorum diffinitionibus. Neque tamen in re à fide aberrarunt, qui contrariam opinionem docuêrunt. Verissimum quippe est, quicquid alij sentiant, quod Doctor Subtilis & communis Nominalium schola defendit, solius absolutionis virtute, peccatoribus conferri gratiam pœnitentibus. Nam claues solis Sacerdotibus collatæ sunt, & soli ipsi dici debent remittere peccata, & per eorum absolutionem confertur gratia confessis, absentibus omnibus alijs actibus ipsorum pœnitentium. Et sola absolutio est signum gratiæ, & gratia ratione aliorum actuum concessa, datur propter opus operantis. Neque negari potest, quin possit sacramentum hoc aliquando inueniri sine satisfactione, immo & sine cessatione à peccatis, & sine contritione, etiam large accipiendo contritionem pro quocunque dolore de peccatis. Neq; ista tamen impediunt, quin censeantur partes huius sacramenti. Non enim requiritur, vt aliquid censeatur pars alterius, vt quicquid totum operatur, operetur per illam partem. Etenim manus pars est hominis, & tamen homo non videt per manum, sed per oculum.

Per solam absolutionem confertur gratia confessis.

Neque sic ponimus hæc esse partes huius sacramenti, quasi Deus illis omnibus vtatur, vt signis & instrumentis efficacibus ad præstandam remissionem peccatorum, aut quasi omnia illa sint essentiales ipsius partes, & ad essentiam ipsius requirantur, sicut anima requiritur ad essentiam hominis. Nam vt prius soli absolutioni, ita hoc posterius solis profecto confessioni & absolutioni conuenit. Sed præter partes essentiales, sunt etiam alicuius totius aliquæ tantum integrales partes, ad perfectionem ipsius & integritatem concurrentes, sicut oculus, lingua, digitus, integrales partes dicuntur hominis, quia ad integritatem ipsius & perfectionem concurrunt, licet sine ipsis possit homo consistere. Et tales partes huius sacramenti, sunt satisfactio, cessatio à peccatis, & contritio, etiam si modo large accipiatur, & comprehendat sub se quemcunque & qualemcunque dolorem de ipsis. Hæc quippe tria requisita sunt ad sacramenti huius perfectionem & integritatem, & vt plene & perfecte habeatur effectus ipsius. Vnde sine his non censetur quis perfecte pœnitere.

Etsi

Et nisi satisfactio, aliqua ipsius pars esset, habere nō posset illum maiorem valorem, quem omnes fatemur eam habere, quando iniungitur à Sacerdotibus. Nomen etiam pœnitentia, quo hoc sacramentum iure diximus esse appellandum, satis indicat, non constare illud sola absolutione. Siquidem illa pœnitentia non vocatur. Et cum in Concilio Florentino quasi materia huius sacramenti diffiniantur esse actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, & materia vel quasi materia sacramenti debeat pars ipsius censeri, & hîc in nostro decreto dicatur pœnitentia continere hæc quinque, & quæ continentur in aliquo toto, partes ipsius sint appellandæ: videtur profecto necessarium esse, concedere ex his partibus constare hoc sacramentum. Accedit ad hæc, quod inter alios articulos, quos Leo X. damnauit contra Lutherum, hic quintus est: Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura, neque in antiquis sanctis Doctoribus.

Et quidem vel hoc nomine par est, vt omnes posthac Catholici tractatores, quinque vel tres concorditer asseramus pœnitentiæ partes, neque negemus vllo modo hoc sacramentum pluribus constare partibus, ne conueniamus vel vocula minima, si fieri possit, cum Luthero. Qui & in responsione ad hunc articulum, pertinaciter fatetur, etiam in sermone quodam vernacula sua lingua euulgato, peculiariter adiecisse, non esse istas tres pœnitentiæ partes. Quia tamen de nomine est quæstio, an hæc à Patribus connumerata, partes sint sacramenti pœnitentiæ, necne, prudenter Patres nostri, paci vbique & concordiæ consulentes, veritatem fidei in nostro decreto sub forma mox exposita tradiderunt. Quæ quidem vt clarior est, ita etiam minus est scrupulosa, & ab omnibus absque vlla cunctatione recipi debet. Quis Catholicus neget ista quinque contineri in lapsi hominis pœnitentia? Nonne omnes habemus concedere, ea omnia vel necessaria esse, vel certe concurrere & iuuare ad reparationem lapsi?

Quinque igitur, vt compendio hæc omnia expediamus, sunt partes sacramenti pœnitentiæ, sed sola absolutio est forma, reliquæ quatuor, sunt quasi materia. Et cum omnes quinque ad perfectam absolutionem peccatorum vt plurimum necessariæ sint, tamen solæ duæ, confessio & absolutio, ex consensu omnium ad essentiam huius sacramenti requiruntur. Neque in confessione, aut detestatione, aut satisfactione virtus est ex opere operato, vt communi vtamur vocabulo, remissiua peccatorum, sed duntaxat in absolutione. Vt tamen singulæ istarum partium notiores sint, & quatenus necessariæ sint ad reparationem lapsi, manifestius fiat, de earum qualibet, aliquanta seorsum differemus. Proposit. 1. Proposit. 2. Proposit. 3.

CAPVT XVI.

De cessatione à peccatis.

PRIMA pars sacramenti pœnitentiæ, connumerata hoc loco à Patribus, est cessatio à peccatis. Nam in primis necessarium est ad reparationem lapsi, vt cohibeat se ab illis, per quæ à sanitate spiritali, in spiritalem peccati morbum dilapsus est. *Peccasti? Quiesce*, ait Scriptura, secundum translationem LXX. Et Esaias primas partes, vt inueniat impius misericordiam, tribuit cessationi à peccatis, dicens: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Et Paulus, admonere volens Romanos, vt induerent arma lucis, prius admonuit, vt abijcerent opera tenebrarum. Et ad Corinthios similiter: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.* Et Ephesios prius hortatur deponere secundum pristinam conuersationem veterem hominem, & postmodum subnectit: *Renouamini spiritu mentis vestra, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate.* Genes. 4. Esa. 55. 1. Cor. 5.

Et ratio naturalis hoc expostulat: Nemo enim nouum hominem potest induere, nisi veterem exuat. Neque nouus spiritus subintrare potest in aliquam aulam, nisi antiquus discedat. Et volenti esse in ali-

hinc poterit liquere. In Pſalmum 74. ſic ſcribit: *Scriptum eſt, Prope eſt Dominus his, qui obtriuerunt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui ſe conterit, iraſcitur ſibi. Se habeat iratum, vt illum habeat propitium: ſe habeat iudicem, vt illum habeat defenſorem.* Et in illa verba, *Qui ſanat contritos corde: Qui cor non conterunt, non ſanantur.* (Pſal. 146.) Atque vbi oſtendiſſet, quid ſit
10. conterere cor ex illis verbis, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies:* ſubnectit, *Qui obtriuerunt cor? Humiles. Qui non obtriuerunt cor? Superbi. Contritum ſanabitur, eliditur elatum. Ad hoc enim forte eliditur, vt contritum ſanetur.* Et poſt pauca, temporalibus ac medicinalibus ſacramentis alligari oſtendit contritiones noſtras, vt poſſimus peruenire ad pleniſſimam firmitatem, qua conſolidabitur, & reparabitur plene, quod fractum & alligatum eſt.

Atque ipſa nimirum attritionis & contritionis etymologia hoc poſcit, vt imperfectus dolor de peccatis, attritio nominetur: contritio vero, non niſi perfectus. Atteri enim quid dici poteſt, cum in fruſtula teritur & diuiditur: conteri vero non, niſi adeo perfecte confringatur, vt pene in pulueres redigatur. Omiſſis autem his, quæ ad nomen duntaxat ſpectant, duplex de re eſt hic nobis controuerſia cum Martino Luthero. (Errores 2. Luther.) Quippe inter alia, quæ à fide & à lumine naturali aliena docuit, duo quoque his aduerſantia aſſeruit:

Alterum, non eſſe hunc affectum neceſſarium ad iuſtificationem peccatoris, ſed ſat eſſe, nouam vitam inchoare.

Alterum, nomine pænitentiæ, non deteſtationem præteritarum culparum, ſed nouam vitam in Scripturis intelligi. *Optima,* inquit, *pænitentia noua vita.* Et metanæa Græce, quam nos reſipiſcentiam appellamus, hoc tantum ſignificat, quod, ad verbũ reddendo, tranſmentatio, hoc eſt, mentis mutatio. Ac propterea ad pænitentiam, infert, hoc ſolum exigi, vt qui propoſitum malum habuit, habeat bonum in futurum, nulla habita ratione præteritorum pænitudinis, ſecundum illud Pauli: (Galat. 6.) *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura.* Poſſuntque iſta videri in articulo primo ſuarum aſſertionum contra bullam Leonis 10.

Sed quæ, rogo te Luthere, nouæ vitæ inchoatio poteſt eſſe, vbi nulla ſubeſt antiquæ diſplicentia? (Argum. 1.) Quod propoſitum poteſt habere bonum in futurum, cui non diſplicent, quæ mala habuit in præterito? Quis ſtatum, in quo prius erat, mutat, niſi aliqua illius teneatur diſplicentia? Quis poſſit nouum hominem induere, niſi prius veterem exuerit? Quomodo ad eum qui vltra nos & ſupra nos eſt, venire & appropinquare poſſumus, niſi à nobis ipſis deficiamus, & nos ipſos per cordis contritionem ei mactemus? *Quæ participatio,* clamat Paulus, *iuſtitiæ cum iniquitate? Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ Conuentio Chriſto ad Belial?* (2. Cor. 6.) Si ergo iuſtitiam, ſi lucem, ſi Chriſtum in nobis habitare volumus, neceſſe eſt iniquitatem & tenebras peccatorum ac dæmonem ipſum à nobis procul prius abijciamus. Quæ quidem ſemel conſenſu & ſponte noſtra à nobis admiſſa, non eſt quomodo à nobis expellamus, niſi per diſſenſum, auerſionem, & deteſtationem. Nam natura & noſtra & affectuum noſtrorum, hæc eſt, vt tandiu nobis hæreant, quæ ſemel placuerunt, quandiu nullo ab eis odio aut diſplicentia dimouemur. Et ſi qua ſemel approbauerimus, ea tandiu cenſemur probare, & firma & rata eſſe velle, quandiu non ea, melius cogitantes, reprobamus aut retractamus.

Sed metanœam dicit Lutherus mentis eſſe mutationem, aut reſipiſcẽtiam. (Obiectio.) Quam ſententiam confirmare poſſumus ex Tertulliano 2. in Marc. dicente: In Græco ſono, pœnitentiæ nomen non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione, compoſitum eſt.

Atqui vel hoc ipſo cogi poteſt, ad pœnitentiam odium prioris vitæ requiſitum aſſerere. (Reſponſio.) Quæ namque mentis ſit vera mutatio, vbi non ea diſplicent, quæ prius placuerunt? Quis mutatum à priori affectu dicat, cui placet hactenus aliena compilauiſſe, ſed in futurum decernat nihil tale patrare? Non ſatis eſt profecto ad veram

muta-

mutationem priorum affectuum, longe alios in futurum habere. Nam vera mutatio, transitus est (sicut philosophi dicunt & docent) ab vno in alterum contrarium. Nulla vero contrarietas est inter complacentiam anteacti alicuius peccati, & propositum non illud committendi in futurum. Nam contraria sibi inuicem repugnant, & se mutuo expellunt. Hæc autem passim stant simul. Vnde & Tertullianus paulo ante citata verba dicit, pœnitentiam in DEO nihil aliud esse intelligendam, quam simplicem conuersionem sententiæ prioris.

Argum. 2. Deinde: Naturale ius apud omnes quantuncunque barbaras nationes hoc exigit, vt facti nos nostri pœniteat, si redire velimus in gratiam eius, quem læsimus. Neq; reconciliari cuipiam possumus, nisi nobis, quam ei intulimus, offensa displiceat. Qua igitur fronte Dei gratiam quis ambiat, quo pudore in illius gratiam reuerti postulet, si non ante omnia acerbum & amarum ei sit, ipsum reliquisse, in ipsum peccasse, ipsique perfidum & ingratum extitisse?

Argum. 3. Sed testimonijs eum scripturæ vrgeamus, vt qui lumini naturali non credit, credat saltem scripturis, ad quarum vnum testimonium semper nos prouocat. Et quoniam non negat quidem Lutherus, pœnitentiam necessariam esse ad lapsi reparationem, sed eam dicit esse nouæ vitæ inchoationem, & non prioris detestationem: illa duntaxat in eum proferam testimonia, ex quibus constare potest, pœnitentiam à Deo requisitam ad iustificationem peccatoris, detestationem esse seu odium admissorum antè peccatorum. Enimuero Ioannes vtrunque affectum à venientibus ad suum baptismum exigebat, cum ad pœnitentiam & fructus dignos pœnitentiæ eos hortabatur. Vnde & Chrysostomus, vt confirmaret verba Ioannis, & ostenderet nulli sufficere aquam solam baptismi, nisi præcedat dolor de peccatis, testimonia inducit Dauidis & Esaiæ. Hinc enim cum dixisset, *Lauamini, mundi estote*: statim adiunxit, *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*: quod quidem fit per dolorem de ipsis.

Chrys. hom. 3. in Matt.

Esaiæ 1.

Et vt intelligas, aliud hoc esse à proposito nouæ vitæ, mox & hoc quoque requisiuit, dicens: Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Dauid item cum dixisset, *Adsperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor*: continuo addidit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Vt discerent videlicet, qui vere discipuli ipsius essent, cum spiritu contrito & gemitu cordis ad Baptismum venire.

Psalm. 50

Quod si ad baptismum hic dolor de peccatis necessarius est, multo magis requiretur ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, & reparationem lapsi. Enimuero Ezechiel apertissime pœnitentiam ab obseruantia mandatorum distinxit illis verbis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & non morietur.* Cur adiecta sunt illa verba, *Et custodierit mandata mea, & fecerit iudicium & iustitiam*, nisi vt hæc à pœnitentia distinguantur? Et vt hoc manifestius esset, quod his verbis nomine pœnitentiæ expresserat, mox auersionis nomine repetit, subiungens: *Et cum auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & non morietur.* Certe quamuis pœnitentiam assereret Lutherus nullum dicere respectum ad præteritum, de auersione non potest hoc in controuersiam poni. Siquidem auersio nihil aliud est, quam displicentia, seu odium vel dissensus ab his, quibus ante adhæsimus & consensimus.

Hieremias etiam clarissime ista distinxit, & simul ad reparationem lapsi requisiuit, dicens: *Reuertatur vnusquisq; à via sua mala, & dirigite vias vestras & studia vestra.* Et alibi: *Statue tibi speculã, pone tibi amaritudines, dirige cor tuũ in viam rectã.* Et in seipso hoc modo agendam pænitentiam expressit: *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam, inquit, & postquã ostendisti mihi, percussi cor meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescen-*

Hierem. 18.

31.

ſcentiamea. Et hanc confuſionem neceſſariam eſſe peccatori, Auguſtinus aperte tradidit his verbis : *Hanc confuſionem non formidet Chriſtianus: Immo ſi hanc non habuerit habebit æternam.* Et ſignificantiſſime, vt intelligeremus hanc confuſionem & cordis amaritudinem de peccatis noſtris, à nobis exigi, cum pœnitentia à nobis requiritur: non contentus fuit Dominus nos hortari per Ioelem, vt ad ſe conuerteremur : ſed ait, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Nunquid ſine dolore de admiſſis peccatis, poteſt eſſe fletus & planctus ? Nunquid abſque compunctione de prioribus culpis, poteſt ſcindi cor? Et cum Eſaias dicit, *Derelinquat impius viam ſuã, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius* : an non palam indicat, neceſſarium eſſe auerti à priori via, & à prioribus cogitationibus, vt quis inueniat miſericordiam apud Deum ?

Auguſt. con. ... Pſalm. 50.

Ioelis 2.

Quis autem relinquit priorem vitam, niſi qui ab ea auertitur, & quam in ea habuerat complacentiam, tota animi deliberatione reuocat & reprehendit ? Quo modo & Deum dicitur relinquere, qui ab eo vel à ſuis præceptis auertitur Atque hæc Eccleſiaſticus videtur expoſuiſſe illis verbis : *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua : precare ante faciem Dei, & minue offendicula.* Nam vt illa verba, *Relinque peccata tua,* ad præterita referremus, adiecit reſpectu futurorum : *Et minue offendicula.* Et vt non quomodocunque peccata præterita relinquenda eſſe ſciremus, ſed odio & deteſtatione ipſorum mox ſubiunxit : *Reuertere ad Dominum,* & auertere ab iniuſtitia tua, & nimis odito execrationem. Et ex ipſis prædicationis Ioannis Baptiſtę & Chriſti primordijs, hunc errorem poſſumus reuincere. Non enim contenti fuerunt illi auſpicatiſſimo, iucundiſſimo, & nunquã ante audito prædicationis principio, *Pœnitentiam agite. Appropinquauit enim regnum cœlorum.*

Eccleſ. 17.

Mat. 3. & 4.

Vt intelligeremus aliud eſſe pœnitentiam, & aliud nouam vitam, & vtrunque eſſe ad ſalutem neceſſarium, exigebat Ioannes à venientibus ad ſe, præter pœnitentiam, etiam fructus dignos pœnitẽtiæ, hoc eſt, legitimos & idoneos, & qui aperte teſtarentur, vere eos reſipuiſſe, & priſtinæ vitæ pœnitentia teneri : Chriſtus vero, fidem Euangelij & obſeruantiam mandarum. Et Petrus vtrunque imitatus, ſtatim in exordio ſuæ prædicationis poſt aduentum Spiritus ſancti, pœnitentiam à nouæ vitæ inchoatione diſcreuit, & vtrunque requiſiuit à Hieroſolymitis, cum compunctis illis corde, & rogantibus quid facerent, reſpondit : *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum &c.* Et mox adiecit : *Saluamini a generatione iſta praua.* Et iterum : *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.*

Actor. 2.

Et vt intelligas, in verbo, Pœnitentiam agite : deteſtationem peccatorum à Petro fuiſſe requiſitam, audi quemadmodũ Gregorius 3. parte Paſt. cap. 31. hæc verba exaggeret : Docturus, inquit, baptiſma, præmiſit pœnitentiæ lamenta, vt prius ſe aqua ſuæ afflictionis infunderent, & poſtmodũ ſacramento baptiſmatis lauarent. Qua ergo mente, qui tranſactas culpas flere negligunt, viuunt ſecuri de venia, quando ipſe ſummus paſtor Eccleſiæ, huic etiam ſacramento addendam pænitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit ? Manifeſtiſſimum inſuper eſt pro hac veritate teſtimonium Ioannis Euangeliſtæ. Inter alia quippe, ex mandato Chriſti ad angelum Epheſi ſcribit : *Memor eſto vnde excideris, & age pænitentiam, & prima opera fac.* Si pænitentia non eſt dolor de præteritis, quorſum admonebatur meminiſſe, vnde excidiſſet ? Si pænitentia tantum eſt nouæ vitę inchoatio, ſine cauſa poſt illa verba, *Age pænitentiam* : adiecit & illa, *Et prima opera fac.* Et ſi non eſſet neceſſaria admiſſi mali deteſtatio, vt vere diſcederemus à peccatis : non quereretur Deus per Hieremiam, nullum eſſe qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, *Quid feci?* Quid enim pænitentiæ derogaret, leuia exiſtimare peccata, ſi pænitentia non eſt dolor de peccatis admiſſis, ſed tantum inchoatio nouæ vitæ ? Nec perinde fuiſſet opus, vt ſæpe & magnopere & ſcriptura & ſancti Doctores, nobis exag-

Apoc. 2.

Hierem. 8.

exaggerarent grauitatem & malitiam peccatorum, & damna ex eis consequentia, & bona quæ nobis auferunt, & pœnas quibus nos addicunt, si non est necessarius dolor de peccatis. Nam illa omnia eo præcipue tendunt, vt nobis acerba & amara faciant ipsa peccata, atque ea amaritudine ad dolendum de ipsis, & ea vehementer lugenda & deploranda trahamur.

Vt tamen perspicuum sit, nõ solum scripturis & lumini naturali aduersari hunc errorem, sed etiam perpetuo Catholicæ Ecclesiæ consensui, subijciam aliquot Doctorum Ecclesiæ testimonia, exigentium à peccatoribus dolorem & compunctionem de suis peccatis.

Cyprian. serm. 5. de lapsis.

Cyprianus lapsos quosdam, qui fidem reintegratam, & reuersionem ad Deum, satis sibi esse ad indulgentiam credebant, hunc in modum alloquitur: Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam: neque vos quorundam moueat aut error improuidus, aut stupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cæcitate, vt neq; intelligant delicta, neque plangant. Et cum multis & grauissimis verbis eos vitare admoneat, qui, sicut nunc facit Lutherus, ista docuerant, tandẽ subdit: Qui pænitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam præcludunt. Ita fit, vt dum temeritate quorundam promittitur salus falsa vel creditur, spes veræ salutis adimatur.

Ambrosius: Qui agit pænitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum. Hieronymus: Tunc peccatorum salus incipit, cum quis veraciter pro delictis ingemiscit.

August. de pœnit. med. cap. 5.

Augustinus sæpe eisdem omnino verbis, quibus scholastici, dicit necessariam esse prçteritorum peccatorum pænitentiam, etiam ad inchoandum nouam vitam per Baptismum. Et supra multa illius testimonia in hoc propositum citauimus. Sed ad reuincendam Lutheri ignorantiam, hæc in præsenti poterunt sufficere. Quærit alicubi, quid Dauid obtulit Domino, vt illum propitiaret sibi? Et ipsum ait, hoc explicuisse illis verbis: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Et vt intelligamus idem prorsus censendum esse de nostra pænitentia, & eadem nos offerre oportere, si velimus Deum placare, mox addit: Non solum ergo deuote obtulit, sed etiam ista dicendo, quid offerri oportebat, ostendit. Non enim sufficit, mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *Beati enim misericordes, quoniã ipsorum miserebitur Deus.* Matth. 5. Non enim dictum est, vt tantum abstineatis à peccatis, sed de & præteritis deprecare Dominum, inquit, vt tibi dimittantur. Idemque statim confirmat authoritate vtriusque principis Apostolorum.

Greg. 3. par. Past. c. 31.

Gregorius ex professo contra hunc errorem, Spiritu sancto inspirante, sic loquitur: Admonendi sunt, qui admissa deserunt, neque tamen plangunt, ne iam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque etiam scriptor, si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, & iam illa, quæ scripserat, deleuit: & simili modo, nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit, vt verba præmissæ superbiæ, verbis subiunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi & illa, quæ ligauerat, soluat. Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque, quas dileximus, è contrario appositis lamentis insequamur.

Et vt intelligas, rectissime Patres in nostro decreto pro cessatione à peccatis, & eorum detestatione, sub disiunctione subiecisse, Aut cor contritum & humiliatum: audi quomodo ibidem probet, neque satis esse cessationem à peccatis sine detestatione eorum, neque contra, sed vtrunque

requiri. Hinc ait Psalmista, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* Quisquis enim peccata plangit, neque tamen deserit: cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Qui vero peccata iam deserit, neque tamen plangit, iam quidem humiliat, sed tamen corde conterere recusat.

Hom. 31. in Euang. Et alias explicans affectus pœnitentis animæ, sic scribit: Plangit, quod fecisse se meminit. Displicet sibi, qualem fuisse se recolit. Intentionem contra se dirigit, atque ad meliora animum accendit. Ac pulchra quadam allegoria docet, secundum hunc affectum, vitæ videlicet melioris desiderium, ex priore, nempe vitæ antiquæ displicentia, prodire.

Hom. 34. in Euang. Luc. 15. Hom. 10. Et alibi, ideo euersa domo Christum dixisse inueniri drachmam, exponit: quia dum reatus sui consideratione perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris, quę peccando amittitur. Et illa verba Ioannis, *Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* hoc modo exponit: *Ventura ira, est animaduersio vltionis extremæ. Quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit.* Matt. 3.

Anselmus in illa verba Pauli, Lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, velut ex instituto, huic errori his aduersatur: Agenda est pœnitentia omnibus, qui peccauerunt, quia non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi & de his, quæ facta sunt, satisfaciant Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

Subscribit & his in hæc verba Bernardus ser. 2. 8. Pasch. Non sufficit peccatori continentia à peccatis, nisi etiam adsit pœnitentia. Et quid pluribus contra hunc errorem agamus? Ipsam virtutem pœnitentiæ, ipsam vim nominis pœnitentiæ planè ignorat, qui credit pœnitentiam vere agi à quoquam posse citra detestationem & odium admissi peccati. Quid tam proprium pœnitentiæ, quam, vt displiceant & tædio sint, quæ grata & voluptati fuerunt? Et quæ illius virtus, quæ potestas, quis effectus, quam vt amarum sit nobis, reliquisse Dominum Deum nostrum, & timorem illius non fuisse apud nos? Quid aliud pœnitentiæ vocabulum significat, quam retractationem quandam & reprobationem seu reprehensionem eius, quod prius sumus operati?

Recte quidem Tertullianus: Omnis pænitentia, confessio est delicti. Neque est profecto pænitentia, neque esse potest, nisi duntaxat respectu præteritorum. Quis dicit quenquam pænitere, nisi improbatum habeat, quod fecit? Quem pænitet peccasse, ait Seneca, pene innocens est. Et cum aliquem pænitere asserimus, his verbis omnes intelligunt, teneri eum aliqua eius, quod fecerit, pænitentia. Et vt tandem finiamus, nonne scriptura dicit, agendam esse pænitentiam peccatorum, quæ admisimus? Nonne hortatur & requirit, vt agamus pænitentiam de pecatis quæ fecimus? Nonne hoc lucidissime petebat Petrus à Simone Mago, dicens: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua?* Dicit igitur pænitentia respectum ad præteritum. Nam de peccatis futuris nemo pænitentiam agit, sed ne in ea incidamus, obnixe semper & solicite orare & cauere debemus. Quis autem affectus potest esse, qui respiciat peccata præterita, & pænitentia iure dici possit, nisi odium & detestatio seu confessio eorum? Quare merito Patres eum secundo loco inter partes pænitentiæ numerarunt: neque ambigere quispiam debet, quin hic sit, quem scriptura pænitentiam appellat, & à peccatoribus vbique requirit. Tert. de ex. Castit. Actor. 8.

CAPVT XVIII.

Respondetur quibusdam, quæ Luthero videntur in speciem fauere.

QVID ergo, quod prouerbij vice vbique iactatur, *Optima pænitentia, noua vita?* Obiect. 1.

Non negat prouerbium requisitam esse ad pænitentiam detestationem male ante actæ vitæ, sed declarat, tum demum veram esse detestationem & pænitentiam quæ Respon. 1.

qua de perperam prius factis dolemus, cum eousque pertingit, vt noua sit deinceps vita, neque illis sordidemur vitijs, quibus nos obnoxios fuisse mæremus. Oportet enim veram pænitentiam constantem esse & stabilem, ac præterea bonorum operum feracem.

Respon. 2. Ad hæc: Si optima pænitentia noua vita, non igitur optima est pænitentia, donec mala prior vita displiceat. Nam quamdiu animus ab ea non diuellitur, nondum ex toto noua vita est, quamuis alia sint iam opera & studia, sed partim noua erit, partim vetus. vnde & sancti Doctores & nominatim Gregorius hom. 32. in Euang. aliquando affirmant peccatores conuerti ad Deum, & relinquere & abnegare semetipsos, & non manere in impietatis culpa, cùm vitant, quod per vetustatem fuerunt: quia nunquam conuerti quis dicitur à priori via, nec illam relinquere, nisi cum displicet.

Obiect. 2. Dissimulare tamen nolo fortius quoddam argumentum, quod pro Luthero fieri posset ex verbis Pauli ad Corinthios: 2. Cor. 7. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Videtur quippe hic pænitentiam distinxisse à tristitia de præteritis peccatis, & pænitentiam appellasse nouam vitam, in quam erant, per tristitiam de peccato, commutati. Vnde & statim subdit: *Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et explicans, quam pænitentiam stabilem effectam esse in ipsis diceret à tristitia secundum Deum, ac velut particulatim exponens, quod prius in genere dixerat, mox adiecit: *Ecce enim hoc ipsum contristari secundum Deum, quantam in nobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam* Vides, vt hanc ipsam nouam vitam, pænitentiam se prius appellasse demonstrat?

Responsio. Absit tamen à piis mentibus, vt tanti erroris patronus credatur Paulus. Non sic nouit optimus Gentium Doctor, confundere vocabula, & alterum pro altero ponere. Si nomine pænitentiæ nouam vitam, quam mox expressit, intellexisset: quid attinebat pænitentiæ meminisse? Cur non potius statim absque vlla circuitione bona illa commemorasset, quæ ex tristitia illa Deo grata prodierant? Sed vide Pauli ingenium, vide sanctam vafriciem, qua cunctos ad Christi & eius amorem inescabat: vide & prouidentiam Spiritus sancti, vbique quidem, præcipue vero in scripturis, mirabilem. Vt intelligerent Corinthij, quam eis fuisset vtilis tristitia, quã ex priore Pauli epistola acceperant, & vt in suis laudibus agnoscerent, quid deceret illos constanter retinere, commemorauit pænitentiam, & septem alia bona, quæ ex ea secuta fuerant.

Vt vero omnes edoceremur, feracissimam & fæcundissimam bonorum operum esse veram pænitentiam, & necessariam eam esse ad nouam vitam, prius meminit pænitentiæ, quam nouæ vitæ, quam in Corinthijs effecerat tristitia secundum Deum. Iam enim hic nos ipso verborum ordine contra hunc errorem Lutheri communiebat Spiritus sanctus, dum docebat, tristitiam septem illa bona fuisse in Corinthijs operatam: quia prius effecerat, vt grauiter eis displiceret negligentia, quam admiserant, non corrigentes incestuosum illum Corinthium paterni tori violatorem. Expressit etiam Paulus in illis septem bonis, quæ in eis præter pænitentiam commendauit, stabilitatem & constantiam, & quod Græce multo significantius dicitur, ἀμεταμέλητον ipsorum pęnitentię. Quamobrem Aug. 10. de ciuitat. Dei cap. 8. iuxta fidem cuiusdam vetustissimi codicis Longobardici, pro verbo, *Stabilem*, quod habetur in communi translatione, *Impœnitendam* legit, exprimens scilicet ad verbum, vocabulum, quo significantissime hic vsus est Paulus.

Quod vero tristitiam à pænitentia discriminasse videtur, theologicissime fecit Paulus Nam tristitia de peccatis præteritis, affectus est, & passio quædam consequens ex actu proprio pænitentiæ, qui est nolle peccasse, seu nolle Deum offendisse, tametsi quandoque & ea ipsa tristitia siue dolor, pænitentia, nomine videlicet suæ causæ, sicut concupiscentia carnis peccatum

 appel-

appellatur. Verum Paulus, ne quis erret, non de hac tristitia hic agebat, quæ consequitur ex affectu, quo nolumus nos peccasse. Nam hæc, effectus est, non causa, pænitentiæ: Illa vero tristitia, quam Paulus commendauit, & pænitentiæ & illorum bonorum, quæ commemorata sunt, causa extitit. Egit igitur hic Paulus de tristitia, quam Corinthij vel ex obiurgatione ipsius acceperant, vel certe ex mærore, quo ipsum propter eos affectum esse intellexerant. Itaque nusquam in scripturis, & ne in hoc loco quidem, qui maxime Luthero videbatur posse fauere, pænitentia pro solo proposito aut mutatione nouæ vitæ accipitur, neque tale propositum aut mutatio vitæ sine detestatione peccatorum, ad reparationem lapsi sufficere traditur.

CAPVT XIX.

Detestatio peccatorum, in præcepto est omnibus mortali peccato obnoxijs.

FVERVNT quidē nonnulli & pij & doctissimi magistri inter Catholicos, qui quamuis pro certo haberent, necessariam esse ad lapsi reparationem pænitentiam, id est, displicentiam de peccatis commissis, & detestationem eorum: haudquaquam tamen crediderunt peccatum esse aliquod speciale, quo peccatores ad eiusmodi pænitentiam tenerentur. Et eos, qui absq; pænitentia suorum peccatorum moriebantur, damnari quidem, sicut statim contra Lutherum diximus, affirmabant pro alijs peccatis, non autem pro impænitentia.

Et quoniam sectatores erant & studiosissimi doctrinæ sancti Thomæ 2. 2. q. 14. art. 2. & in 2. d. 42. illius se authoritate protegebant, qui propterea probat, non esse peccatum in Spiritum sanctum non pænitere, quia non est nouum peccatum, sed circumstantia peccati. Verum eam ego opinionem, vt nouam & inauditam (quod sciam) ante illos, inter scholasticos ita semper periculosam existimaui & cauendam.

Præcepta peccatoribus pænitentiæ. Et quoniam qui ante nos scripserunt, præceptum quidem esse de huiusmodi pænitentia, constanter & concorditer tradiderunt, sed illud firmare neglexerunt, ob id fortassis, quia certam & indubitatam eam sententiam censuerunt, & operam suam in re nihil necessaria collocare nolebant, ne quispiam posthac communem hanc sententiam vertat in dubium, eam nunc firmis his & validis argumentis comprobabo.

Primo: Ex illis verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: omnes Doctores colligunt, non solum necessarium esse baptismum ad ingressum in regnum Dei, sed præceptum. Et hoc nos lib. 5. c. 12. certum minimeq; dubium fore diligenter ostendimus. Argum. 1. Ioan. 3. Cur ergo non & similiter ex illis verbis Christi ad peccatores, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: colligamus, pænitentiam non tantum esse necessariam, sed etiam in præcepto? Nonne idem est verborum tenor? Nonne idem pondus verborum? Nonne similis vtrobique, aut certe apertior & rigidior in his, quam in illis, pænæ æternæ comminatio? Profecto si neque ista verba, neque illa, *Pænitentiam agite*, satis sunt ad præceptum pænitentiæ, non solum non erunt satis verba statim citata, ad credendum in præcepto esse baptismum, sed neque sufficient ad probandum præceptum Eucharistiæ illa similia verba Christi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: neque præceptum confessionis poterit probari ex illis verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*. Similia namque omnia ista existunt, neque apertius ius aut præceptum, dicunt hæc, quam illa. Lucæ 13. Ioan. 6. Ioan. 20.

Et si non tenentur peculiari præcepto peccatores recuperare vitam, cum possunt, per pænitentiam: neque tenebuntur peculiari præcepto satagere, vt renascantur per baptismum, aut vt remittantur sibi peccata per absolutionem sacerdotalem, aut vt acquirant vel tueantur vitam per Eucharistiam. Immo si ita pergimus respondere, huiusmodi verba significare quidem necessitatem pænitentiæ, sed non præceptum, magnam fenestram aperiemus ad eneruanda &c.

Digitized by Google

da & inualidanda multa præcepta diuina, quæ apud omnes Catholicos recepta, vt præcepta, sunt. Non enim strictius, neque seuerioribus verbis illa nobis traduntur & commendantur, quam in statim citatis exigitur ab omnibus peccatoribus pœnitentia.

Si adiectio, vt omnes fatentur, pœnæ mortis, siue temporalis, siue æternę, signum est certum præcepti diuini in sacris literis: & adiectio pœnæ excommunicationis, indicat præceptum Pontificium in iure Canonico: & pœna capitis, præceptum arguit Principis in iure Cæsareo: cur ambigamus, pœna illa formidandi interitûs, bis eodem in loco repetita, significasse Christum præceptum se inuulgare pœnitentiæ? Et quibus, rogo, verbis manifestius nobis velut rem præcepti potuit pœnitentiam indicere, si neque hæc verba, neque illa, *Pœnitentiam agite: Appropinquauit enim regnum cœlorum*: satis sunt, vt credamus eam nobis illum præcepisse? Nouo sane genere, & aliàs in Scripturis inusitato oportuit illum vti, vt crederent eam esse nobis in præcepto, quibus neque his tam manifestis id ita esse persuadetur. Certe Petrus & Paulus conuersis ex Iudæis & Gentilibus in initio prædicationis Euangelij perinde pœnitentiam vt necessariam tradebant, ac baptismum & fidem, neque inter hæc discrimen vllum faciebant. Quare & intellexisse videntur, & nobis non obscure significasse, hęc tria non solum vt necessaria, sed vt præcepta, nobis esse tradita à Christo.

Mat. 3. & 4

Argum. 2. Deinde: Non solis iustis, sed & peccatori cuicunque roganti, cum adolescente Euangelico, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondere possumus, quod Christus illi respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Sunt enim illa omnibus sufficientissima ad salutem. Et magna omnino esset mandatorum Christi insufficientia & imperfectio, si sufficeret quidem iustis eorum obseruantia ad vitam, non autem peccatoribus. Cum igitur certum sit, vt & illi, in quos pugnamus, fatentur, necessariam esse ad salutem omnibus peccatoribus pœnitentiam, & neminem ex eis posse citra illam saluari: cogimur eo ipso credere, omnibus ipsis etiam esse præceptam. Nihil quippe dari poterit, quod sit ad vitam necessarium, quin sit etiam à Deo præceptum. Et absurdum est concedere, Deum optimum & prouidentissimum legislatorem, tam parum statui peccatorum in sanciendis præceptis consuluisse, vt nullum dederit præceptum, per quod possint illi saluari: & magnam, immo maximam, partem Christianorum in eo esse statu, vt etiamsi seruent omnia mandata diuina, peruenire non possint ad vitam.

Matth. 19

Argum. 3. Præterea: Grauiter reprehenduntur peccatores in Scriptura de impœnitentia, grauiter & significatur Deus per eam offendi: atque illa nonnunquam probro magis datur ipsis, quam alia peccata. Vnde & illud Augustini 2. de visit. in fest. S. S. Prouerbij iam vice inualuit: *Humanum est peccare, diabolicum perseuerare.* Et Dauid dicit: *Filij hominum, vsquequo graui corde?* Et Salomon: *Vsquequo piger dormies? Quando consurges de somno tuo?* Et sapientiam alicubi asserit omnes peccatores & insipientes vocare ad correptionem suam, & de impœnitentia & negligentia eorum indignatam, dicere: *Quia vocaui, & renuistis: extendi manus meas, & non fuit qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Nunquam sic sapientia loqueretur, si non esset culpabile & graui reprehensione dignum, vocante Deo, nihilominus impœnitentem in peccato persistere.

Psalm. 4. Prou. 6. Prouer. 1.

Sed & per Hieremiam ad auersos à se Israelitas loquitur Dominus: *Conuertimini filij reuertentes.* Et hoc grauius indicat sibi esse, quod nollent conuerti, & ad vocationem suam resipiscere, quam alia eorum, tametsi grauia, peccata. *Frons, inquit, mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Et paulo post: *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel.* Et rursus hanc eorum duritiam incusat idem Propheta, dicens: *Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.*

Hierem. 3.

sed eadem prorsus doctrina. Diuersum autem propositum huius & illius Concilij, nonnihil fecit variari ipsum modum & formam tradendi. Et hic quidem explicatius posita sunt omnia, quæ hoc sacramentum complectitur, quoniam mens erat apertissime tradere lapsis omnia, quæ facere & curare debent ad suam reparationem. Ibi vero, quoniam ex professo tradebatur doctrina de Sacramentis, declaratum est accurate, non eiusdem esse rationis has omnes quinque partes, neque eodem modo concurrere ad constitutionem huius sacramenti: sed tres vel quatuor, esse quasi materiam illius: absolutionem vero sacerdotalem, esse ipsius formam.

Verum illud hic silentio prætereundum non est, plerosque Scholasticos Doctores ante ista Concilia, nequaquam credidisse tot partibus constare hoc sacramentum. Scotus noster & nominales, Ocham, Gabriel, Maioris, Almaynus, eum secuti, in sola absolutione sacerdotali posuêre hoc sacramentum, quia solius illius virtute gratia videtur conferri pœnitenti. Durandus 1.d. 14. q. 2. art. 1. sola confessione & absolutione constare putauit hoc sacramentum. Nam mentis compunctio inuisibilis est, ait, & censeri non potest pars sacramenti, quod est visibile gratiæ signum. Qua ratione neque intentio reputatur esse pars sacramenti, licet necessaria ad illud sit. Satisfactio vero sequitur, addit, postquam est completum & consummatum Sacramentum. Non debet autem pars censeri sacramenti illud, sine quo sacramentum est completum. Itaque hi authores, & alij eorum asseclæ, male contenti fuêre de opinione, quam Diuus Thomas cum suis, & noster Richardus tuebantur, constanter asserentes, contritionem, confessionem, & absolutionem, & satisfactionem, partes esse huius sacramenti.

Scotus 4. d. 14. [margin note, partly illegible]

Thom. 3. par. q. 90. art. 1. & 2. & Ca[illegible]

Atque hæc sane sententia consona magis apparet his istorum Conciliorum diffinitionibus. Neque tamen in re à fide aberrarunt, qui contrariam opinionem docuêrunt. Verissimum quippe est, quicquid alij sentiant, quod Doctor Subtilis & communis Nominalium schola defendit, solius absolutionis virtute, peccatoribus conferri gratiam pœnitentibus. Nam claues solis Sacerdotibus collatæ sunt, & soli ipsi dicti debent remittere peccata, & per eorum absolutionem confertur gratia confessis, absentibus omnibus alijs actibus ipsorum pœnitentium. Et sola absolutio est signum gratiæ, & gratia ratione aliorum actuum concessa, datur propter opus operantis. Neque negari potest, quin possit sacramentum hoc aliquando inueniri sine satisfactione, immo & sine cessatione à peccatis, & sine contritione, etiam large accipiendo contritionem pro quocunque dolore de peccatis. Neq; ista tamen impediunt, quin censeantur partes huius sacramenti. Non enim requiritur, vt aliquid censeatur pars alterius, vt quicquid totum operatur, operetur per illam partem. Etenim manus pars est hominis, & tamen homo non videt per manum, sed per oculum.

Per solam absolutionem confertur gratia [illegible]

Neque sic ponimus hæc esse partes huius sacramenti, quasi Deus illis omnibus vtatur, vt signis & instrumentis efficacibus ad præstandam remissionem peccatorum, aut quasi omnia illa sint essentiales ipsius partes, & ad essentiam ipsius requirantur, sicut anima requiritur ad essentiam hominis. Nam vt prius soli absolutioni, ita hoc posterius solis profecto confessioni & absolutioni conuenit. Sed prĕter partes essentiales, sunt etiam alicuius totius aliquæ tantum integrales partes, ad perfectionem ipsius & integritatem concurrentes, sicut oculus, lingua, digitus, integrales partes dicuntur hominis, quia ad integritatem ipsius & perfectionem concurrunt, licet sine ipsis possit homo consistere. Et tales partes huius sacramenti, sunt satisfactio, cessatio à peccatis, & contritio, etiam si modo large accipiatur, & comprehendat sub se quemcunque & qualemcunque dolorem de ipsis. Hæc quippe tria requisita sunt ad sacramenti huius perfectionem & integritatem, & vt plene & perfecte habeatur effectus ipsius. Vnde sine his non censetur quis perfecte pœnitere.

Et ipsi

Et nisi satisfactio, aliqua ipsius pars esset, habere nō posset illum maiorem valorem, quem omnes fatemur eam habere, quando iniungitur à Sacerdotibus. Nomen etiam pœnitentia, quo hoc sacramentum iure diximus esse appellandum, satis indicat, non constare illud sola absolutione. Siquidem illa pœnitentia non vocatur. Et cum in Concilio Florentino quasi materia huius sacramenti diffiniantur esse actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, & materia vel quasi materia sacramenti debeat pars ipsius censeri, & hîc in nostro decreto dicatur pœnitentia continere hæc quinque, & quæ continentur in aliquo toto, partes ipsius sint appellandæ: videtur profecto necessarium esse, concedere ex his partibus constare hoc sacramentum. Accedit adhæc, quod inter alios articulos, quos Leo X. damnauit contra Lutherum, hic quintus est: Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura, neque in antiquis sanctis Doctoribus.

Et quidem vel hoc nomine par est, vt omnes posthac Catholici tractatores, quinque vel tres concorditer asseramus pœnitentiæ partes, neque negemus vllo modo hoc sacramentum pluribus constare partibus, ne conueniamus vel vocula minima, si fieri possit, cum Luthero. Qui & in responsione ad hunc articulum, pertinaciter fatetur, etiam in sermone quodam vernacula sua lingua euulgato, peculiariter adiecisse, non esse istas tres pœnitentiæ partes. Quia tamen de nomine est quæstio, an hæc à Patribus connumerata, partes sint sacramenti pœnitentiæ, necne, prudenter Patres nostri, paci vbique & concordiæ consulentes, veritatem fidei in nostro decreto sub forma mox exposita tradiderunt. Quæ quidem vt clarior est, ita etiam minus est scrupulosa, & ab omnibus absque vlla cunctatione recipi debet. Quis Catholicus neget ista quinque contineri in lapsi hominis pœnitentia? Nonne omnes habemus concedere, ea omnia vel necessaria esse, vel certe concurrere & iuuare ad reparationem lapsi?

Quinque igitur, vt compendio hæc omnia expediamus, sunt partes sacramenti pœnitentiæ, sed sola absolutio est forma, reliquæ quatuor, sunt quasi materia. Et cum omnes quinque ad perfectam absolutionem peccatorum vt plurimum necessariæ sint, tamen solæ duæ, confessio & absolutio, ex consensu omnium ad essentiam huius sacramenti requiruntur. Neque in confessione, aut detestatione, aut satisfactione virtus est ex opere operato, vt communi vtamur vocabulo, remissiua peccatorum, sed duntaxat in absolutione. Vt tamen singulæ istarum partium notiores sint, & quatenus necessariæ sint ad reparationem lapsi, manifestius fiat, de earum qualibet, aliquanta seorsum disseremus. Proposit. 1. Proposit. 2. Proposit. 3.

CAPUT XVI.

De cessatione à peccatis.

PRIMA pars sacramenti pœnitentiæ, connumerata hoc loco à Patribus, est cessatio à peccatis. Nam in primis necessarium est ad reparationem lapsi, vt cohibeat se ab illis, per quæ à sanitate spiritali, in spiritalem peccati morbum dilapsus est. *Peccasti? Quiesce*, ait Scriptura, secundum translationem LXX. Et Esaias primas partes, vt inueniat impius misericordiam, tribuit cessationi à peccatis, dicens: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Et Paulus, admonere volens Romanos, vt induerent arma lucis, prius admonuit, vt abijcerent opera tenebrarum. Et ad Corinthios similiter: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.* Et Ephesios prius hortatur deponere secundum pristinam conuersationem veterem hominem, & postmodum subnectit: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate.* Gene. 4. Esa. 55. 1. Cor. 5.

Et ratio naturalis hoc expostulat: Nemo enim nouum hominem potest induere, nisi veterem exuat. Neque nouus spiritus subintrare potest in aliquam aulam, nisi antiquus discedat. Et volenti esse in ali-

aliquo loco, in quo non est, primum & ante omnia necessarium ad id assequendum, est, recessus à loco opposito: quia, vt philosophi dicunt, acquiri non potest terminus ad quem, nisi relicto termino à quo: & si quis aliquam ægritudinem contraxerit ex aliqua domo, vt pristinæ restitueretur sanitati, necessarium esset ante alia, secedere ab ea domo. Atque ita sane per omnia, qui per peccatum infirmati, vel potius mortui sumus, si velimus antiquam sanitatem & vitam recuperare, à peccatis cessemus necesse est. Nunquam animabus nostris spiritus Domini illabetur, qui bonus, rectus, simplex, mundissimus & suauissimus est, nisi abscesserint malitia, prauitas, duplicitas, immunditia, & amaritudo peccati. *In maliuolam animam non introibit sapientia*, ait sapientissimus Salomon, *neq; habitabit in corpore subdito peccatis.*

Sap. 1

Et necesse est, iuxta Psalmistam, vt Deus auferat à nobis spiritum nostrum, spiritum tumoris, spiritum amoris proprij, spiritum propriæ voluntatis, vt emittat ipse in nos de super spiritum suum, & creemur, & renouemur, & noua in illo simus creatura. Et qui serio volunt amico antiquo reconciliari, quem ablatione alicuius castri aut oppidi læserunt, ab intermissione violentæ illius possessionis, reparationem læsæ amicitiæ auspicantur. Vnde & Samuel, populo Israelitico ad subitam tempestatem timore perterrito propter peccatum, quod petendo regem admiserant. *Nolite*, inquit, *timere. Vos fecistis vniuersum malum hoc, veruntamen nolite recedere à tergo Domini.* Quasi dicat, ait Greg. 5. in Reg. c. 2. Si peccare desinitis, ad obtinendam commissorum veniam peruenire citius potestis.

1. Reg. 12

Vnde & Ambrosius in epist. ad Corinth. referente Magistro in distinct. 14. dicit veram pœnitentiam esse cessare à peccato. Et Lactantius laudat eos, qui pœnitentiam dicunt esse resipiscentiam. Cum vero Patres cessationem à peccatis, primum eorum, quæ continet sacramentum pœnitentiæ, dixerunt, non qualiscunque peccatorum intermissioni eum locum dedisse existimandi sunt, sed intermissioni liberæ, humanæ, voluntariæ, & quæ non tantum cessatio sit à præteritis, & quædam velut expletio & terminatio eorum, sed & quies perfecta & continentia à nouis quibuscunque peccatis. Non enim is dicitur cessare à peccatis, qui aliqua peccata expleuit & peregit, sed qui quiescit, & se continet ab adiectione nouorum peccatorum, & à præteritorum continuatione.

Et huc respexit Gregorius epistol. 34. & hom. 34. in Euang. cum pœnitentiam vere agere dixit, qui non solum commissa flet, sed iterum plangenda declinat. Et iterum: Pœnitentiam agere, est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat. Et Pasto. 3. part. cap. 31. admonet flendo inaniter se lauare, qui culpas post lachrymas repetunt, & quas reliquerant, sord busse rursus nequiter inquinant. Et in epistola ad Theoctistam patriciam, anathematizasse se dicit quosdam, qui inter alios errores asserebant, peccata superficie tenus, & non penitus, nec in totum sacramento fidei, quod est baptismus, dimitti, & pœnitentiam de quolibet peccato triennio esse agendam, & post in voluptatibus viuendum. Et in vtroque istorum locorum, illis, qui sic per otis vitæ pœnitentiam agunt, vt à peccatis non cessent, pulcherrime aptat illa: *Canis reuersus ad vomitum & sus lota in volutabro luti.* Necnon & illud: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?*

Lib. 9. epist. 39

Prou. 26. & 2. Pet. 2. Eccles. 34

Cessatio à peccatis, proposi-tum ea cauendi comprehendit.

Quoniam vero non qualiscunque cessatio à peccatis, laudi ducitur, sed ea duntaxat, quæ ex proposito & firma animi deliberatione proficiscitur, & cessatio à peccatis, ab eorum detestatione est distincta: sub cessatione à peccatis, propositum cauendi de cætero peccata, comprehendum esse à Patribus hoc loco crediderim. Et ita esse, hanc particulam exponendam, his possumus argumentis suadere.

Argum. 1.

Hic primus gradus ad reparationem lapsi est, non tantum nullam in corde peccandi intentionem retinere, sed & propositum habere firmum omne peccatum deuitan-

uitandi. Et tunc vere cessatur & receditur à peccatis, cum præterita per complacentiam non retinentur, & à præsentibus & futuris animus per eorum odium est disiunctus.

Argum. 2. Deinde: Nulla humana via recedendi à peccatis apparet, nisi vel per eorum detestationem, vel per propositum ea semper cauendi. Cum ergo, vt manifestum est, cessationem à peccatis Patres discreuerint à detestatione ipsorum, absque dubio sub cessatione à peccatis, propositum cauendi peccata posuerunt.

Argum. 3. Ad hæc: Extra controuersiam est, propositum cauendi peccata, computari debere inter partes sacramenti pœnitentiæ. Nam & in Concilio Florentino, vt capit. 25. diximus, inter eas ponitur, licet sub contritione connumeretur. Et manifestum est, necessarium id esse, vt quis legitime absoluatur. & multo magis requisitum esse ad perfectam absolutionem à peccatis, quam satisfactionē pro ipsis. Vnde & cap. 6. propositum seruandi mandata, connumeratum est inter alias dispositiones necessarias ad iustificationem impij. Quare cum verisimile non sit, dispositionem adeo necessariam ad reparationem lapsi, silentio hic fuisse omnino præteritam, dubitandum non est. quin eam sub cessatione à peccatis, comprehenderint Patres, quandoquidem sub nulla alia parte commodius comprehensa dici potest.

Thom. in 4. d. 14. Atque ita S. Thomas in expositione verborum, quibus Ambrosius asserit veram pœnitentiam esse cessare à peccato, cessationem à peccatis, dicit non dicere simplicem negationem peccati: quia qui intermittit actum peccati, non dicitur cessare à peccato: sed cessare à peccato, proprie dicitur is, cui peccatum displicet. & peccatum dimittere intendit. Et cum Magister citasset ex Ambrosio veram pœnitentiam esse, cessare à peccato, ne qualiscunque cessatio à peccato vera pœnitentia existimaretur, mox subiecit in 4. d. 14. Pœnitentia est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & plangenda vlterius committere nolumus. Et ibidem allegat Ambrosium alibi dicentem: *Pœnitentia est, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Amb. in sermone.

CAPVT XVII.

De detestatione peccatorum.

SECVNDA pars, quam Patres sacramento pœnitentiæ assignarunt, est detestatio peccatorum. Et hæc vel in primis necessaria est ad reparationem lapsi. Hoc quippe vno modo atque adeo certissimo abijcere à nobis possumus morbos spiritales peccatorum nostrorum, si displiceant, quę male placuerunt. Et hunc affectum à nobis exigebant Christus, Apostoli, Prophetæ, & sancti legis doctores, cum peccatores in locis supra citatis ad pœnitentiam peccatorum hortabantur.

Et quanquam hic mentis affectus, quo mentem à peccatis admissis reuocamus, detestatio peccatorum hoc loco appellatur, tamen despiciendum non est communius in schola contritionis vocabulum. Nam statim Patres cor, quod detestatur peccata, cor contritum vocauere. Ea verò ratione, communiori hoc detestationis nomine vsi videntur, ne attritionem, quæ imperfectus est dolor de peccatis, à partibus pœnitentiæ viderentur excludere. Et in vsu est contritio, non tantum apud scholasticos authores, sed & in translatione communi scripturæ, & apud græcos & antiquos Ecclesiasticos doctores. Eoque vtuntur persæpe Gregorius, Bernardus, Cassianus, & Augustinus. Cassia. col. 20. cap. 7. Aug. lib. de pœnitentia.

Et non sine causa apud scholasticos non qualiscunque dolor de peccatis, sed perfectus tantum & sufficiens ad iustificationē, contritio dicitur. Sic vsurpare videtur Gregorius 3 par. Pasto. cap. 31. *Quid etiam viribus opus est*, ait Chrysostomus de compun. cor. *cum cor conterere debeamus?* Et Cassiodorus in Psalmum. Ad Dominum cum tribul. ait: *Nescit Dominus differre, si corde contrito dolamus.* Et Psalmista dicit: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Sed ex antiquis Doctoribus in Augustino sæpius memini me legisse hoc vocabulum, neq; sua ipsius, sed scripturæ authoritate eo fuisse sic vsum,

hinc poterit liquere. In Psalmum 74. sic scribit: *Scriptum est, Prope est Dominus his, qui obtriuerunt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat iratum, vt illum habeat propitium: se habeat iudicem, vt illum habeat defensorem.* Et in illa verba, *Qui sanat contritos corde: Qui cor non conterunt, non sanantur.* Atque vbi ostendisset, quid sit conterere cor ex illis verbis, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies:* subnectit, *Qui obtriuerunt cor? Humiles. Qui non obtriuerunt cor? Superbi. Contritum sanabitur. eliditur elatum. Ad hoc enim forte eliditur, vt contritum sanetur.* Et post pauca, temporalibus ac medicinalibus sacramentis alligari ostendit contritiones nostras, vt possimus peruenire ad plenissimam firmitatem, qua consolidabitur, & reparabitur plene, quod fractum & alligatum est.

Psal. 146.

50.

Atque ipsa nimirum attritionis & contritionis etymologia hoc poscit, vt imperfectus dolor de peccatis, attritio nominetur: contritio vero, non nisi perfectus. Atteri enim quid dici potest, cum in frustula teritur & diuiditur: conteri vero non, nisi adeo perfecte confringatur, vt pene in pulueres redigatur. Omissis autem his, quæ ad nomen duntaxat spectant, duplex de re est hic nobis controuersia cum Martino Luthero. Quippe inter alia, quæ à fide & à lumine naturali aliena docuit, duo quoque his aduersantia asseruit:

Error 2. Luther.

Alterum, non esse hunc affectum necessarium ad iustificationem peccatoris, sed sat esse, nouam vitam inchoare.

Alterum, nomine pænitentiæ, non detestationem præteritarum culparum, sed nouam vitam in Scripturis intelligi. *Optima, inquit, pænitentia noua vita.* Et metanæa Græce, quam nos resipiscentiam appellamus, hoc tantum significat, quod, ad verbũ reddendo, transmentatio, hoc est, mentis mutatio. Ac propterea ad pænitentiam, infert, hoc solum exigi, vt qui propositum malum habuit, habeat bonum in futurum, nulla habita ratione præteritorum pænitudinis, secundum illud Pauli: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Possuntque ista videri in articulo primo suarum assertionum contra bullam Leonis 10.

Galat. 6.

Sed quæ, rogo te Luthere, nouæ vitæ inchoatio potest esse, vbi nulla subest antiquæ displicentia? Quod propositum potest habere bonum in futurum, cui non displicent, quæ mala habuit in præterito? Quis statum, in quo prius erat, mutat, nisi aliqua illius teneatur displicentia? Quis possit nouum hominem induere, nisi prius veterem exuerit? Quomodo ad eum qui vltra nos & supra nos est, venire & appropinquare possumus, nisi à nobisipsis deficiamus, & nosipsos per cordis contritionem ei mactemus? *Quæ participatio*, clamat Paulus, *iustitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ Conuentio Christo ad Belial?* Si ergo iustitiam, si lucem, si Christum in nobis habitare volumus, necesse est iniquitatem & tenebras peccatorum ac dæmonem ipsum à nobis procul prius abijciamus. Quæ quidem semel consensu & sponte nostra à nobis admissa, non est quomodo à nobis expellamus, nisi per dissensum, auersionem, & detestationem. Nam natura & nostra & affectuum nostrorum, hæc est, vt tandiu nobis hæreant, quæ semel placuerunt, quandiu nullo ab eis odio aut displicentia dimouemur. Et si qua semel approbauerimus, ea tandiu censemur probare, & firma & rata esse velle, quandiu non ea, melius cogitantes, reprobamus aut retractamus.

Argum. 1.

2. Cor. 6.

Sed metanœam dicit Lutherus mentis esse mutationem, aut resipiscẽtiam. Quam sententiam confirmare possumus ex Tertulliano 2. in Marc. dicente: In Græco sono, pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione, compositum est.

Obiectio.

Atqui vel hoc ipso cogi potest, ad pœnitentiam odium prioris vitæ requisitum asserere. Quæ namque mentis sit vera mutatio, vbi non ea displicent, quæ prius placuerunt? Quis mutatum à priori affectu dicat, cui placet hactenus aliena compilauisse, sed in futurum decernat nihil tale patrare? Non satis est profecto ad veram muta-

Responsio.

Digitized by Google

mutationem priorum affectuum, longe alios in futurum habere. Nam vera mutatio, transitus est (sicut philosophi dicunt & docent) ab vno in alterum contrarium. Nulla vero contrarietas est inter complacentiam anteacti alicuius peccati, & propositum non illud committendi in futurum. Nam contraria sibi inuicem repugnant, & se mutuo expellunt. Hæc autem passim stant simul. Vnde & Tertullianus paulo ante citata verba dicit, pœnitentiam in DEO nihil aliud esse intelligendam, quam simplicem conuersionem sententiæ prioris.

Argum. 2. Deinde: Naturale ius apud omnes quantuncunque barbaras nationes hoc exigit, vt facti nos nostri pœniteat, si redire velimus in gratiam eius, quem læsimus. Neq; reconciliari cuipiam possumus, nisi nobis, quam ei intulimus, offensa displiceat. Qua igitur fronte Dei gratiam quis ambiat, quo pudore in illius gratiam reuerti postulet, si non ante omnia acerbum & amarum ei sit, ipsum reliquisse, in ipsum peccasse, ipsique perfidum & ingratum extitisse?

Argum. 3. Sed testimonijs eum scripturæ vrgeamus, vt qui lumini naturali non credit, credat saltem scripturis, ad quarum vnum testimonium semper nos prouocat. Et quoniam non negat quidem Lutherus, pœnitentiam necessariam esse ad lapsi reparationem, sed eam dicit esse nouæ vitæ inchoationem, & non prioris detestationem: illa duntaxat in eum proferam testimonia, ex quibus constare potest, pœnitentiam à Deo requisitam ad iustificationem peccatoris, detestationem esse seu odium admissorum antè peccatorum. Enimuero Ioannes vtrunque affectum à venientibus ad suum baptismum exigebat, cum ad pœnitentiam & fructus dignos pœnitentiæ eos hortabatur. Vnde & Chrysostomus, vt confirmaret verba Ioannis, & ostenderet nulli sufficere aquam solam baptismi, nisi præcedat dolor de peccatis, testimonia inducit Dauidis & Esaiæ. Hinc enim cum dixisset, *Lauamini, mundi estote*: statim adiunxit, *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*: quod quidem fit per dolorem de ipsis.

Chrys. hom. 3. in Matt.

Esaia 1.

Et vt intelligas, aliud hoc esse à proposito nouæ vitæ, mox & hoc quoque requisiuit, dicens: Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Dauid item cum dixisset, *Adsperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor*: continuo addidit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Vt discerent videlicet, qui vere discipuli Ipsius essent, cum spiritu contrito & gemitu cordis ad Baptismum venire. Psal. 50.

Quod si ad baptismum hic dolor de peccatis necessarius est, multo magis requiretur ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, & reparationem lapsi. Enimuero Ezechiel apertissime pœnitentiam ab obseruantia mandatorum distinxit illis verbis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & non morietur*. Cur adiecta sunt illa verba, *Et custodierit mandata mea, & fecerit iudicium & iustitiam*? nisi vt hæc à pœnitentia distinguantur? Et vt hoc manifestius esset, quod his verbis nomine pœnitentiæ expresserat, mox auersionis nomine repetit, subiungens: *Et cum auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita viuet, & non morietur*. Certe quamuis pœnitentiam asseueret Lutherus nullum dicere respectum ad præteritum, de auersione non potest hoc in controuersiam poni. Siquidem auersio nihil aliud est, quam displicentia, seu odium vel dissensus ab his, quibus ante adhæsimus & consensimus.

Hieremias etiam clarissime ista distinxit, & simul ad reparationem lapsi requisiuit, dicens: *Reuertatur vnusquisq; à via sua mala, & dirigite vias vestras & studia vestra*. Et alibi: *Statue tibi speculã, pone tibi amaritudines, dirige cor tuũ in viam rectã*. Et in seipso hoc modo agendam pænitentiam expressit: *Postquam conuertisti me, egi pænitentiam, inquit, & postquã ostendisti mihi, percussi cor meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescen-* Hieremi. 18. 31.

scientia mea. Et hanc confusionem necessariam esse peccatori, Augustinus aperte tradidit his verbis: *Hanc confusionem non formidet Christianus: Immo si hanc non habuerit habebit æternam.* Et significantissime, vt intelligeremus hanc confusionem & cordis amaritudinem de peccatis nostris, à nobis exigi, cum pœnitentia à nobis requiritur: non contentus fuit Dominus nos hortari per Ioelem, vt ad se conuerteremur: sed ait, *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Nunquid sine dolore de admissis peccatis, potest esse fletus & planctus? Nunquid absque compunctione de prioribus culpis, potest scindi cor? Et cum Esaias dicit, *Derelinquat impius viam suã, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius*: an non palam indicat, necessarium esse auerti à priori via, & à prioribus cogitationibus, vt quis inueniat misericordiam apud Deum?

August. ser. ... 1. Psalm. 50. Ioelis 2.

Quis autem relinquit priorem vitam, nisi qui ab ea auertitur, & quam in ea habuerat complacentiam, tota animi deliberatione reuocat & reprehendit? Quo modo & Deum dicitur relinquere, qui ab eo vel à suis præceptis auertitur. Atque hæc Ecclesiasticus videtur exposuisse illis verbis: *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Dei, & minue offendicula.* Nam vt illa verba, *Relinque peccata tua*, ad præterita referremus, adiecit respectu futurorum: *Et minue offendicula.* Et vt non quomodocunque peccata præterita relinquenda esse sciremus, sed odio & detestatione ipsorum mox subiunxit: *Reuertere ad Dominum*, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem. Et ex ipsis prædicationis Ioannis Baptistę & Christi primordijs, hunc errorem possumus reuincere. Non enim contenti fuerunt illi auspicatissimo, iucundissimo, & nunquã ante audito prædicationis principio, *Pœnitentiam agite. Appropinquauit enim regnum cœlorum.*

Eccles. 17. Matt. 3 & 4.

Vt intelligeremus aliud esse pœnitentiam, & aliud nouam vitam, & vtrunque esse ad salutem necessarium, exigebat Ioannes à venientibus ad se, præter pœnitentiam, etiam fructus dignos pœnitentiæ, hoc est, legitimos & idoneos, & qui aperte testarentur, vere eos resipuisse, & pristinæ vitæ pœnitentia teneri: Christus vero, fidem Euangelij & obseruantiam mandatorum. Et Petrus vtrunque imitatus, statim in exordio suæ prædicationis post aduentum Spiritus sancti, pœnitentiam à nouæ vitæ inchoatione discreuit, & vtrunque requisiuit à Hierosolymitis, cum compunctis illis corde, & rogantibus quid facerent, respondit: *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum &c.* Et mox adiecit: *Saluamini a generatione ista praua.* Et iterum: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Actor. 2.

Et vt intelligas, in verbo, Pœnitentiam agite: detestationem peccatorum à Petro fuisse requisitam, audi quemadmodũ Gregorius 3. parte Past. cap. 31. hæc verba exaggeret: Docturus, inquit, baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta, vt prius se aqua suæ afflictionis infunderent, & postmodũ sacramento baptismatis lauarent. Qua ergo mente, qui transactas culpas flere negligunt, viuunt securi de venia, quando ipse summus pastor Ecclesiæ, huic etiam sacramento addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit? Manifestissimum insuper est pro hac veritate testimonium Ioannis Euangelistæ. Inter alia quippe, ex mandato Christi ad angelum Ephesi scribit: *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Si pœnitentia non est dolor de præteritis, quorsum admonebatur meminisse, vnde excidisset? Si pœnitentia tantum est nouæ vitę inchoatio, sine causa post illa verba, *Age pœnitentiam*: adiecit & illa, *Et prima opera fac.* Et si non esset necessaria admissi mali detestatio, vt vere discederemus à peccatis: non quereretur Deus per Hieremiam, nullum esse qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, *Quid feci?* Quid enim pœnitentiæ derogaret, leuia existimare peccata, si pœnitentia non est dolor de peccatis admissis, sed tantum inchoatio nouæ vitæ? Nec perinde fuisset opus, vt sæpe & magnopere & scriptura & sancti Doctores, nobis exag-

Apoc. 2. Hierem. 8.

exaggerarent grauitatem & malitiam peccatorum, & damna ex eis consequentia, & bona quæ nobis auferunt, & pœnas quibus nos addicunt, si non est necessarius dolor de peccatis. Nam illa omnia eo præcipue tendunt, vt nobis acerba & amara faciant ipsa peccata, atque ea amaritudine ad dolendum de ipsis, & ea vehementer lugenda & deploranda trahamur.

Vt tamen perspicuum sit, nō solum scripturis & lumini naturali aduersari hunc errorem, sed etiam perpetuo Catholicæ Ecclesiæ consensui, subijciam aliquot Doctorum Ecclesiæ testimonia, exigentium à peccatoribus dolorem & compunctionem de suis peccatis.

Cyprian. serm. 5. de lapsis. Cyprianus lapsos quosdam, qui fidem reintegratam, & reuersionem ad Deum, satis sibi esse ad indulgentiam credebant, hunc in modum alloquitur: Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam: neque vos quorundam moueat aut error improuidus, aut stupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cæcitate, vt neq; intelligant delicta, neque plangant. Et cum multis & grauissimis verbis eos vitare admoneat, qui, sicut nunc facit Lutherus, ista docuerant, tandē subdit: Qui pænitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam præcludunt. Ita fit, vt dum temeritate quorundam promittitur salus falsa vel creditur, spes veræ salutis adimatur.

Ambrosius: Qui agit pænitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum. Hieronymus: Tunc peccatorum salus incipit, cum quis veraciter pro delictis ingemiscit.

August. de pænit. me. cap. 5. Augustinus sæpe eisdem omnino verbis, quibus Scholastici, dicit necessariam esse præteritorum peccatorum pænitentiam, etiam ad inchoandum nouam vitam per Baptismum. Et supra multa illius testimonia in hoc propositum citauimus. Sed ad reuincendam Lutheri ignorantiam, hæc in præsenti poterunt sufficere. Quærit alicubi, quid Dauid obtulit Domino, vt illum propitiaret sibi? Et ipsum ait, hoc explicuisse illis verbis: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Et vt intelligamus idem prorsus censendum esse de nostra pænitentia, & eadem nos offerre oportere, si velimus Deum placare, mox addit: Non solum ergo deuote obtulit, sed etiam ista dicendo, quid offerri oportebat, ostendit. Non enim sufficit, mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *Beati enim misericordes, quoniā ipsorum miserebitur Deus.* *Matth. 5.* Non enim dictum est, vt tantum abstineatis à peccatis, sed de & præteritis deprecare Dominum, inquit, vt tibi dimittantur. Idemque statim confirmat authoritate vtriusque principis Apostolorum.

Gregorius ex professo contra hunc errorem, Spiritu sancto inspirante, sic loquitur: *Greg. 3. par. Past. c. 31.* Admonendi sunt, qui admissa deserunt, neque tamen plangunt, ne iam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque etiam scriptor, si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, & iam illa, quæ scripserat, deleuit: & simili modo, nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit, vt verba præmissæ superbiæ, verbis subiunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi & illa, quæ ligauerat, soluat. Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque, quas dileximus, è contrario appositis lamentis insequamur.

Et vt intelligas, rectissime Patres in nostro decreto pro cessatione à peccatis, & eorum detestatione, sub disiunctione subiecisse, Aut cor contritum & humiliatum: audi quomodo ibidem probet, neque satis esse cessationem à peccatis sine detestatione eorum, neque contra, sed vtrunque

qua de perperam prius factis dolemus, cum eouſque pertingit, vt noua ſit deinceps vita, neque illis ſordidemur vitijs, quibus nos obnoxios fuiſſe mæremus. Oportet enim veram pænitentiam conſtantem eſſe & ſtabilem, ac præterea bonorum operum feracem.

Reſpon. 2. Ad hæc: Si optima pænitentia noua vita, non igitur optima eſt pænitentia, donec mala prior vita diſpliceat. Nam quandiu animus ab ea non diuellitur, nondum ex toto noua vita eſt, quamuis alia ſint iam opera & ſtudia, ſed partim noua erit, partim vetus. vnde & ſancti Doctores & nominatim Gregorius hom. 32. in Euang. aliquando affirmant peccatores conuerti ad Deum, & relinquere & abnegare ſemetipſos, & non manere in impietatis culpa, cũ vitant, quod per vetuſtatem fuerunt: quia nunquam conuerti quis dicitur à priori via, nec illam relinquere, niſi cum diſplicet.

Obiect. 2. Diſſimulare tamen nolo fortius quoddam argumentum, quod pro Luthero fieri poſſet ex verbis Pauli ad Corinthios:

2. Cor. 7. *Nam gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pænitentiam.* Videtur quippe hic pænitentiam diſtinxiſſe à triſtitia de præteritis peccatis, & pænitentiam appellaſſe nouam vitam, in quam erant, per triſtitiam de peccato, commutati. Vnde & ſtatim ſubdit: *Quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Et explicans, quam pænitentiam ſtabilem effectam eſſe in ipſis diceret à triſtitia ſecundum Deum, ac velut particulatim exponens, quod prius in genere dixerat, mox adiecit: *Ecce enim hoc ipſum contriſtari ſecundum Deum, quantam in nobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam* Vides, vt hanc ipſam nouam vitam, pænitentiam ſe prius appellaſſe demonſtrat?

Reſponſio. Abſit tamen à pijs mentibus, vt tanti erroris patronus credatur Paulus. Non ſic nouit optimus Gentium Doctor, confundere vocabula, & alterum pro altero ponere. Si nomine pænitentiæ nouam vitam, quam mox expreſſit, intellexiſſet: quid attinebat pænitentiæ meminiſſe? Cur non potius ſtatim abſque vlla circuitione bona illa commemoraſſet, quæ ex triſtitia illa Deo grata prodierant? Sed vide Pauli ingenium, vide ſanctam vafriciem, qua cunctos ad Chriſti & eius amorem ineſcabat: vide & prouidentiam Spiritus ſancti, vbique quidem, præcipue vero in ſcripturis, mirabilem. Vt intelligerent Corinthij, quam eis fuiſſet vtilis triſtitia, quã ex priore Pauli epiſtola acceperant, & vt in ſuis laudibus agnoſcerent, quid deceret illos conſtanter retinere, commemorauit pænitentiam, & ſeptem alia bona, quæ ex ea ſecuta fuerant.

Vt vero omnes edoceremur, feraciſſimam & fæcundiſſimam bonorum operum eſſe veram pænitentiam, & neceſſariam eam eſſe ad nouam vitam, prius meminit pænitentiæ, quam nouæ vitæ, quam in Corinthijs effecerat triſtitia ſecundum Deum. Iam enim hic nos ipſo verborum ordine contra hunc errorem Lutheri communiebat Spiritus ſanctus, dum docebat, triſtitiam ſeptem illa bona fuiſſe in Corinthijs operatam: quia prius effecerat, vt grauiter eis diſpliceret negligentia, quam admiſerant, non corrigentes inceſtuoſum illum Corinthium paterni tori violatorem. Expreſſit etiam Paulus in illis ſeptem bonis, quæ in eis præter pænitentiam commendauit, ſtabilitatem & conſtantiam, & quod Græce multo ſignificantius dicitur, ἀμεταμέλητον ipſorum pęnitentię. Quamobrem Aug. 10. de ciuitat. Dei cap. 8. iuxta fidem cuiuſdam vetuſtiſſimi codicis Longobardici, pro verbo, *Stabilem*, quod habetur in communi tranſlatione, *Impænitendam* legit, exprimens ſcilicet ad verbum, vocabulum, quo ſignificantiſſime hic vſus eſt Paulus.

Quod vero triſtitiam à pænitentia diſcriminaſſe videtur, theologiciſſime fecit Paulus. Nam triſtitia de peccatis præteritis, affectus eſt, & paſſio quædam conſequens ex actu proprio pænitentiæ, qui eſt nolle peccaſſe, ſeu nolle Deum offendiſſe, tametſi quandoque & ea ipſa triſtitia ſiue dolor, pænitentia, nomine videlicet ſuæ cauſæ, ſicut concupiſcentia carnis peccatum

appellatur. Verum Paulus, ne quis erret, non de hac tristitia hic agebat, quæ consequitur ex affectu, quo nolumus nos peccasse. Nam hæc, effectus est, non causa, pœnitentiæ: illa vero tristitia, quam Paulus commendauit, & pœnitentiæ & illorum bonorum, quæ commemorata sunt, causa extitit. Egit igitur hic Paulus de tristitia, quam Corinthij vel ex obiurgatione ipsius acceperant, vel certe ex mœrore, quo ipsum propter eos affectum esse intellexerant. Itaque nusquam in scripturis, & ne in hoc loco quidem, qui maxime Luthero videbatur posse fauere, pœnitentia pro solo proposito aut mutatione nouæ vitæ accipitur, neque tale propositum aut mutatio vitæ sine detestatione peccatorum, ad reparationem lapsi sufficere traditur.

CAPVT XIX.

Detestatio peccatorum, in præcepto est omnibus mortali peccato obnoxijs.

FVERVNT quidē nonnulli & pij & doctissimi magistri inter Catholicos, qui quamuis pro certo haberent, necessariam esse ad lapsi reparationem pœnitentiam, id est, displicentiam de peccatis commissis, & detestationem eorum: haudquaquam tamen crediderunt peccatum esse aliquod speciale, quo peccatores ad eiusmodi pœnitentiam tenerentur. Et eos, qui absq; pœnitentia suorum peccatorum moriebantur, damnari quidem, sicut statim contra Lutherum diximus, affirmabant pro alijs peccatis, non autem pro impœnitentia.

Et quoniam sectatores erant & studiosissimi doctrinæ sancti Thomæ 2. 2. q. 14. art. 2 & in 2. d. 42. illius se authoritate protegebant, qui propterea probat, non esse peccatum in Spiritum sanctum non pœnitere, quia non est nouum peccatum, sed circumstantia peccati. Verum eam ego opinionem, vt nouam & inauditam (quod sciam) ante illos, inter scholasticos ita semper periculosam existimaui & cauendam.

Præcepta peccatoribus pœnitentiæ. Et quoniam qui ante nos scripserunt, præceptum quidem esse de huiusmodi pœnitentia, constanter & concorditer tradiderunt, sed illud firmare neglexerunt, ob id fortassis, quia certam & indubitatam eam sententiam censuerunt, & operam suam in re nihil necessaria collocare nolebant, ne quispiam posthac communem hanc sententiam vertat in dubium, eam nunc firmis his & validis argumentis comprobabo.

Primo: Ex illis verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: omnes Doctores colligunt, non solum necessarium esse baptismum ad ingressum in regnum Dei, sed præceptum. Et hoc nos lib. 5. c. 12. certum minimeq; dubium fore diligenter ostendimus. Cur ergo non & similiter ex illis verbis Christi ad peccatores, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: colligamus, pœnitentiam non tantum esse necessariam, sed etiam in præcepto? Nonne idem est verborum tenor? Nonne idem pondus verborum? Nonne similis vtrobique, aut certe apertior & rigidior in his, quam in illis, pœnæ æternæ comminatio? Profecto si neque ista verba, neque illa, *Pœnitentiam agite*, satis sunt ad præceptum pœnitentiæ, non solum non erunt satis verba statim citata, ad credendum in præcepto esse baptismum, sed neque sufficient ad probandum præceptum Eucharistiæ illa similia verba Christi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: neque præceptum confessionis poterit probari ex illis verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*. Similia namque omnia ista existunt, neque apertius aut præceptum, dicunt hæc, quam illa.

Argum. 1. Ioan. 3. Luca 13. Ioan. 6. Ioan. 20.

Et si non tenentur peculiari præcepto peccatores recuperare vitam, cum possunt, per pœnitentiam: neque tenebuntur peculiari præcepto satagere, vt renascantur per baptismum, aut vt remittantur sibi peccata per absolutionem sacerdotalem, aut vt acquirant vel tueantur vitam per Eucharistiam. Immo si ita pergimus respondere, huiusmodi verba significare quidem necessitatem pœnitentiæ, sed non præceptum, magnam fenestram aperiemus ad eneruanda &c.

da & inualidanda multa præcepta diuina, quæ apud omnes Catholicos recepta, vt præcepta, sunt. Non enim strictius, neque seuerioribus verbis illa nobis traduntur & commendantur, quam in statim citatis exigitur ab omnibus peccatoribus pœnitentia.

Si adiectio, vt omnes fatentur, pœnæ mortis, siue temporalis, siue æternę, signum est certum præcepti diuini in sacris literis: & adiectio pœnæ excommunicationis, indicat præceptum Pontificium in iure Canonico: & pœna capitis, præceptum arguit Principis in iure Cæsareo: cur ambigamus, pœna illa formidandi interitûs, bis eodem in loco repetita, significasse Christum præceptum se inuulgare pœnitentiæ? Et quibus, rogo, verbis manifestius nobis velut rem præcepti potuit pœnitentiam indicere, si neque hæc verba, neque illa, *Pœnitentiam agite: Appropinquauit enim regnum cælorum*: satis sunt, vt credamus eam nobis illum præcepisse? Nouo sane genere, & aliàs in Scripturis inusitato oportuit illum vti, vt crederent eam esse nobis in præcepto, quibus neque his tam manifestis id ita esse persuadetur. Certe Petrus & Paulus conuersis ex Iudæis & Gentilibus in initio prædicationis Euangelij perinde pœnitentiam vt necessariam tradebant, ac baptismum & fidem, neque inter hæc discrimen vllum faciebant. Quare & intellexisse videntur, & nobis non obscure significasse, hęc tria non solum vt necessaria, sed vt præcepta, nobis esse tradita à Christo.

Matt. 3. & 4

Argum. 2. Deinde: Non solis iustis, sed & peccatori cuicunque roganti, cum adolescente Euangelico, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondere possumus, quod Christus illi respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Sunt enim illa omnibus sufficientissima ad salutem. Et magna omnino esset mandatorum Christi insufficientia & imperfectio, si sufficeret quidem iustis eorum obseruantia ad vitam, non autem peccatoribus. Cum igitur certum sit, vt & illi, in quos pugnamus, fatentur, necessariam esse ad salutem omnibus peccatoribus pœnitentiam, & neminem ex eis posse citra il-

Matth. 19.

lam saluari: cogimur eo ipso credere, omnibus ipsis etiam esse præceptam. Nihil quippe dari poterit, quod sit ad vitam necessarium, quin sit etiam à Deo præceptum. Et absurdum est concedere, Deum optimum & prouidentissimum legislatorem, tam parum statui peccatorum in sanciendis præceptis consuluisse, vt nullum dederit præceptum, per quod possint illi saluari: & magnam, immo maximam, partem Christianorum in eo esse statu, vt etiamsi seruent omnia mandata diuina, peruenire non possint ad vitam.

Præterea: Grauiter reprehenduntur peccatores in Scriptura de impœnitentia, grauiter & significatur Deus per eam offendi: atque illa nonnunquam probro magis datur ipsis, quam alia peccata. Vnde & illud Augustini 2. de visit. in fest. S. S. Prouerbij iam vice inualuit: *Humanum est peccare, diabolicum perseuerare.* Et Dauid dicit: *Filij hominum, vsquequo graui corde?* Et Salomon: *Vsquequo piger dormies? Quando consurges de somno tuo?* Et sapientiam alicubi asserit omnes peccatores & insipientes vocare ad correptionem suam, & de impœnitentia & negligentia eorum indignatam, dicere: *Quia vocaui, & renuistis: extendi manus meas, & non fuit qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Nunquam sic sapientia loqueretur, si non esset culpabile & graui reprehensione dignum, vocante Deo, nihilominus impœnitentem in peccato persistere.

Argum. 3.

Psalm. 4.

Prou. 6.

Prouerb. 1.

Sed & per Hieremiam ad auersos à se Israelitas loquitur Dominus: *Conuertimini filij reuertentes.* Et hoc grauius indicat sibi esse, quod nollent conuerti, & ad vocationem suam resipiscere, quam alia eorum, tametsi grauia, peccata. *Frons, inquit, mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Et paulo post: *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel.* Et rursus hanc eorum duritiam incusat idem Propheta, dicens: *Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti:*

Hierem. 3.

Et alibi angelos introducit de hac eorum duritie grauiter commotos, & dicentes: *Curauimus Babylonem, & non est sanata. Venite, relinquamus eam, & eat vnusquisq; in viam suam.* Et ad Ezechielem loquitur Dominus: *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.* Et hoc est, quod alibi solicitudinem suam paternam commendans, & duritiem Hierusalem exaggerans, de nocte surrexisse se dicit, & misisse se ad eam Prophetas, neque tamen ad eorum prædicationem fuisse conuersam. Et apertissime hoc illius grauissimum peccatum redarguit Christus illis verbis: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Et quanquã quibus hæc omnia obijciuntur, non solum non pœnitebant, sed perseuerabant in suis peccatis, & peccata peccatis adijciebant, tamen hoc pro nobis facit, quod non solum de iteratione peccatorum, sed & de impœnitentia accusantur. Hoc quippe minime fieret, si non & ipsa peculiare peccatum esset, & contra aliquod peculiare præceptum.

Ezech. 3

Matth. 23

Argum. 4. Tanto etiam grauius, vt in aperto est, vnusquisq; ex peccatoribus delinquit, quanto magis pœnitentiam procrastinat. Aliquod ergo est præceptum, ex cuius transgressione ipsa diuturnior impœnitentia aggrauatur. Et vide si non hoc nobis perspicuum fecit ille admirabilis pœnitentiæ prædicator, dum peccatoribus omnibus loquitur: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Et vt intelligeremus non impune eam procrastinationem futuram, sed cum ipso tempore & culpam peccati, & pœnam ei respondentem, increscere, statim subdit: *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Thesaurizas,* inquit: quia vere ad instar thesaurizantium, culpas suas & pœnas in dies singulos augent, qui in eorum impœnitentia perseuerant.

Rom. 2

Vnde Gregorius hom 11. in Ezech. *Quia homo desere e malum non vult, vt viuat: auget, vnde moriatur.* Et paulo ante ista, per hoc peccatorem asserit mala sua ad reatum augere, cum reuerti non vult spatio temporis accepto, per quod ea delere potuisset, si conuerti voluisset. Et alibi hoc ipsum Apostolus declarauit, exaggerans illa: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Adhortamini,* inquit, *vosmetipsos per singulos dies donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Et vt sciamus eam obdurationem, nouas atque adeo formidandas pœnas nobis accumulare, mox subdit: *Timeamus ergo, ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse.*

Hebr. 3

Hebr. 4

Argum. 5. Insuper: Ex sententia omnium Catholicorum, & eorum ipsorum, quos modo impugnamus, obstinatio in peccato non solum nouum & peculiare peccatum est, sed vsque adeo graue, vt à plerisque Doctoribus vna credatur esse species peccatorum in Spiritum sanctum. Estq; hoc apud omnes receptum de obstinatione in peccato, quamuis esset absque iteratione peccati admissi, & sine complacentia in ipso, & duntaxat hic affectus esset, quem verba ista exprimunt, *Nolo pœnitere.* Si igitur peccatum est speciale, nolle pœnitere, erit nimirum contra aliquod speciale præceptum. Nam si præceptum non est de pœnitentia, neque erit peccatum, nolle pœnitere. Omne quippe peccatum, contra aliquod præceptum est. Et quantumcunque bonum sit virginitas, quantumcunque etiam sanctus sit status religiosorum: nullum peccatum est de se, nolle seruare virginitatem, aut nolle esse religiosum. Neque quispiam reprehenderet dicentem se nolle ieiunare, si nullo ille adstrictus esset præcepto ad ieiunium. Vel hoc igitur quod non audent excusare peccatorem, dicentem deliberatè, *Nolo pœnitere:* admoneri debuerunt, esse absque dubio aliquod præceptum, cui illa aduersatur obstinatio voluntatis.

Argum. 6. Item: Apud omnes Catholicos in confesso est, præceptam esse omnibus correctionem fraternam, & nouum peccare peccatum, qui, cum commode possit, non satagit proximum ab statu peccati mortalis eripere. Vnicuique siquidem mandauit

Deus

Deus de proximo suo. Cumque Christus posuerit pro nobis animam suam, & nos debemus, sicut dicit Ioannes, pro fratribus animas ponere. Et saltem Prælatos, manifestum est, strictissime ad hoc obligari. Ad eos quippe intonant illa verba Dei per Ezechielem Prophetam: *Fili hominis, speculatorem dedi te domus Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium Morte morieris: non annunciaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* In quæ verba Gregorius: *Sanguis morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi, culpa esse præpositi, si tacuerit, reputatur.* Quare cum nemo teneatur plus alios saltem in spiritalibus diligere, quam seipsum, neque verisimile sit, strictius à nobis Deum requisisse, vt curemus commoda aliorum spiritalia, quam nostra: concedendum erit, & nos quoque teneri ad exhibendam nobis hanc pœnitentiæ medicinam saluberrimam, & per eam reparandos nostros lapsus & morbos spiritales. Idque tanto arctius credendum est nobis esse impositum, quanto carior debet esse nostrarum animarum salus, quam aliarum: & quanto nobis facilius possumus subuenire, quam alijs. Quod si grauius peccaret, cæteris paribus, suam negligens salutem corporis, quam alterius: sicut & grauius peccat, se, quam alium, quem scit esse in peccato, occidens: & saltem hoc omnibus certum est, non arctiori nos præcepto adstrictos esse ad curanda, quæ salutis sunt corporis aliorum, quam quæ nostri: quare ita Deum putemus despexisse animas nostras, cum sunt in peccato, vt plus nos obligarit ad curandam omni vi & ope nostra salutem spiritualem aliorum, quam nostram: immo, quod intolerabilius est, ad curandam salutem aliorum adstrinxerit, de curanda vero & obtinenda salute nostra, nullum præceptum nobis dederit?

Ezech. 3

Argum. 7. Ad hæc: Non minus, sed certe magis, tenetur quisque diligere salutem suæ animæ, & non negligere quæ ad eam necessaria sunt: quam teneatur diligere salutem sui corporis, & non negligere, quæ ad impediendam mortem corpoream prorsus necessaria essent. Quanto melior est anima, quam corpus: tanto grauius peccatum, animabus laborantibus eleemosynas spiritales non præstare, quam corporibus corporales, ait Chrysostomus hom. 55. in Matthæum. Sed certum est peccare mortaliter, qui, cum facile & commode posset, non euitaret mortem corporis. Ergo multo certius est, & eum quoque peccare grauissime, qui, cum videret se propinquum morti, & per fidem sciat in æternum se periturum, & gehennalibus flammis statim addicendum, nisi suorum peccatorum pœniteat, tamen ne his quidem omnibus adducitur, vt de illis doleat. Annon hæc est multo maior & exitialior negligentia, quam si negligat comedere, qui aliter tueri vitam corporis, aut reparare morbum incurabilem non potest? Annon grauius malum mors æterna corporis & spiritûs, quam temporaria solius corporis? Quis credat Deum, qui spiritus est, & spirituum dilector, strictius iussisse reparare morbos corporis, quam animæ: & arctius præcepisse cauere mortem corporis momentaneam, quam æternam mortem animæ?

Si videas te iamiam casurum præcipitem in puteum altum, vbi vel caput, vel crus, vel pedem grauiter infringas, & hoc euitare possis regressus retro: non dubitas peccaturum te lethaliter, & tuiipsius fore homicidam, si id facere intermiseris: & cum videas per fidem, te mox in ipsum vsque profundum inferni præcipitem in æternum dandum, & hoc possis impedire, reuocando affectum tuum per pœnitentiam ab his, quibus ante adhæsisti, ambigere potes te grauissime peccaturum, & tuiipsius plusquam homicidam futurum, tanti & tam necessarij animæ tuæ boni negligentem? Quando obligat præceptum diligendi nosipsos, si non hîc obligat? Ad quid adstringit, si non ad hoc cogit? Si tibi aliquis grauiter periclitanti subuenire, cum facile possit, omittat, reum eum tuæ vitæ merito existimas. Et siue morbo, siue fame, siue naufragio, siue aliqua vi alia illata per-

pereas, mortem tibi eum inferre, extra controuersiam est, qui, cum possit, ei desinit obuiare. Et cum tu ipse mortem ipsam inferni, hoc est, mortem perpetuam, mortem sempiternam, mortem maxime formidandam, mortem omni morte amariorem, imminere tibi & impendere videas, & eam possis vna tuæ peccati detestatione euitare, non te reum tuæ vitæ & salutis ea re fore extimas? Sentiant alij quod velint: ego grauius non dubito peccaturum, quicunque in eo articulo pœnitentiam negligeret, quam qui alterius vitam corpoream non dico negligit, sed aufert etiam, & propria manu rescindit & extinguit.

Et meritissimo sane Augustinus de pœnit. medicina. cap. 2. inimicum sibi, & thesaurizare sibi iram eum, qui non pœnitet, pronunciat. Quod si inimicus est sibi, & iram thesaurizat qui non pœnitet, aliquod ergo præceptum est, quod ea impœnitentia violat. Certe Tertullianus de pœnit. ex præcepto pœnitentiæ probat bonitatem pœnitentiæ: & Doctoribus antiquis tam certum fuisse vnum crediderim, quam alterum. Verba Tertull hæc sunt: *Bonum est pœnitere, an non? Quid reuoluis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur.* Et subdit statim, indictam nobis eam esse, & magnopere adeo commendatam. Videamus vero, quibus argumentis hanc communem sententiam, dubiam & incertam facere præcitati magistri sunt adnixi.

CAPVT XX.

De argumentis contra præceptum pœnitentiæ.

Obiect. 1. PRIMO à nobis exigitur locus, vbi statutum fuerit hoc pœnitentiæ præceptum. Nam præcepta, aiunt, & quidem rectissime, non sunt multiplicanda: neque credenda, nisi aperte & manifeste constiterint.

Respon. At ego non video apertius fieri posse præceptum baptismi & confessionis ex Scripturis, quam sit pœnitentiæ præceptum ex illis verbis, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* At, inquiunt, discrimen est, quia quacunque via aliqui iusti- Replicatio.
Luc. 13
ficarentur, etiamsi sua ipsis iustificatio constaret, tenerentur quidem nihilominus ad baptismum, confessionem & Eucharistiam, non tenerentur autem ad pœnitentiam.

Verum hoc vnde sibi velut certum as- Respon. 1.
sumant, non video. Nos sane contra probabilius credimus, peccatores ad pœnitentiam quoque suorum peccatorum teneri, si ante pœnitentiam, vel per gratiam aliquam peculiarem, vel per dilectionem Dei feruentem, vel per religiosam aliquam confessionem Christi, à Deo iustificarentur. Oportet quippe rescindere, & inuoluntaria facere, quæ, dum fuimus in peccato, male placuerunt. Et argumentum huius est, quod iustificati per sacramentum vel baptismi, vel confessionis, cum solo dolore suorum peccatorum ob metum inferni, tenerentur postea de illis dolere, quia offensæ fuerunt Dei, si hoc eis constaret, quod nunquam ea ratione de illis doluerint.

Vbi tamen demus, nullum iustificatum Respon. 2.
ad pænitentiam iam suorum peccatorum teneri, non inde profecto sequitur, peccatores ad eam non teneri. Est namque necessaria pænitentia peccatoribus, non autem iustis: & iusti quacunque via iustificati fuerint, omnia habent, aut certe præcipua, ad quæ ordinatur pænitentia. Ac iustos quidem non teneri ad pænitentiam, cum tamen ad baptismum, confessionem, Eucharistiam, & ad alia præceptorum opera teneantur, minime arguit nullum esse præceptum de pænitentia, sed arguit tantum, ea generaliora esse præcepta, quippe quæ & ad iustos, & ad peccatores se extendant. Magis vero ex hoc suaderi potest peccatoribus esse pænitentia in præcepto. Etenim illis vsque adeo necessaria est, vt absque ipsa communiter remissionem suorum peccatorum nequeant consequi, cum tamen hoc habere possint sine baptismo, confessione, Eucharistia, & alijs multis, quæ sunt in præcepto.

Secundo instant, quod nemo damnare- Obiect. 2.
tur pro vno duntaxat mortali. Accedet enim

nim & cuicunque peccato, ratione cuius peccator quis dicitur, peccatum impœnitentiæ.

Respon. At hoc si ita esset, magnificaret potius misericordiam diuinam, quam minueret, quippe qui adeo benignus sit, vt neminem pro vno solo mortali gehennalibus flammis addicat. Et nisi subita quis morte præueniatur, omnino credendum est, neminem, nisi rarissime, pro vno tantum mortali condemnari. Quod & omnes habent Catholici concedere: quia licet demus non esse præceptum de pœnitentia, est in articulo mortis præceptum de dilectione Dei super omnia, aut certe de baptismo, & de confessione. Et qui moriuntur in peccato, in alicuius quoque horum præceptorum morientur transgressione.

Obiect. 3. Tertio vrgent, postulantes, quo tempore obliget hoc præceptum. Et ex hoc, quod mirifice variant inter se Doctores circa hoc, colligere volunt, nullum tale præceptum datum esse à Deo. *Præcepta* enim *Domini lucida sunt, & perspicua.* Psalm. 18

Respon. Sed variant etiam Doctores de tempore, quo obligat præceptum diligendi Deum ex toto corde, neque tamen ideo liceret illud reuocare in dubium. Et quod varient de hoc, an statim obliget, an quando occurrit, vt aiunt, practice, an quando Deus peculiariter vocat peccatorem ad pœnitentiam, an in diebus festis: certe constans & indubitatum omnibus est, obligare hoc præceptum in articulo mortis, & in tempore sumptionis, vel administrationis sacramentorum. Sacerdotibus quippe administrantibus sacramenta, dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et suscipientes Eucharistiam in mortali, Paulus constantissime iudicium sibi suscipere asserit. Et similis est, licet non par, ratio de alijs sacramentis. Neque tamen hinc sequitur, duplici aut triplici peccato, vt quidam argutantur, peccare, qui illa in mortali suscipiunt. Vnicum quippe est præceptum, quod sacrilega illa violatur susceptione, nempe præceptum, quo digne sacramenta administrare vel suscipere tenemur, ratione cuius & tunc peculiariter ad pœnitentiam obligamur. An vero Esa. 52

extra hæc duo tempora quisquam nouum peccatum mortale committat, quia non eum pœnitet, non temere asseruerim. Verum probabile quidem apparet, nunquam magno quempiam tempore perseuerare in peccato, quin etiam nouum ea causa admittat mortale, etiamsi, quod difficilimum esset, absque noua complacentia in peccatis admissis permaneret. De quo, fauente Deo, aliàs erit opportunior differēdi locus.

Me sane, vt verum ingenuè fatear, multo magis, quam hæc omnia, premit protritum illud & receptissimum dogma apud Scholasticos. In lege noua, quia lex libertatis est, nullum esse præceptum diuinum præter præcepta Decalogi, & præcepta de fide & sacramentis. Cum enim in nullo Decalogi præcepto contineatur præceptum de detestatione peccatorum, neque ad præcepta de fide & sacramentis reduci possit, quia non aliter est modo, quàm fuit ante legem nouam præcepta huiusmodi pœnitentia: relinqui videtur, nusquam ea fuisse in præcepto, sed duntaxat necessaria ad reparandam salutem deperditam. Obiect. 4.

Respondet quidam huic argumento, sub præcepto diligendi Deum ex toto corde, contineri præceptum de pœnitentia: Obligat enim, vt putat, hoc præceptum diligendi Deum, ad seruandam gratiam Dei, & amissam recuperandam. Et sicut perseuerantia in peccato, dilectioni Dei repugnat: ita pœnitentia vera, actus charitatis in Deum esse videtur: quia ad eandem virtutem spectat, diligere aliquem, & dolere de illius offensa. Neque ad pœnitentiam teneri videmur, nisi cum tenemur ad diligendum Deum. Respon. 2. Marsil. in 2. q. 18

Sed hac ratione quodcunque peccatum lethale erit contra præceptum dilectionis Dei. Nam & omne peccatum violat amicitiam inter nos & Deum, nosque ab illo separat & diuidit. Et eiusdem rationis videtur malitia impœnitentiæ de aliquo peccato, cuius est ipsum peccatū. Quod si quodcunque peccatum, transgressio concedetur præcepti diligendi Deum: concedere oportebit ex consequenti hoc absurdum, videlicet, nullum esse peccatum simplex ex ijs, Impugnat.

quæ sunt contra alia præcepta: quandoquidem tot sunt in nostris actibus malitiæ, quot sunt præcepta, quæ per ipsos transgreditur. Et valere possunt ad hanc solutionem infirmandam, quæ supra disputauimus contra dicentes, quoduis lethale peccatum transgressionem esse præcepti diligendi Deum.

Respon. 2. Dicendum igitur, illo præcepto & nos, & omnes cuiusuis status peccatores, iure naturali saltem indirectè obligari ad pœnitentiam illo præcepto, quod peccantes transgressi sumus. Itaque si peccauimus contra præcepta primæ tabulæ, ex eisdem præceptis, quæ violauimus, adstringimur ad peccatorum nostrorum pœnitentiam. Etsi contra secundam tabulam aliquid vel commisimus, vel neglexímus, contra eandem peccamus non pœnitendo, & per illam ad id detestãdum compellimur. Quoniam sicut paulo ante contra Lutherum docuimus, tamdiu actu vel virtute placent, & voluntaria sunt, quæ semel voluimus, quamdiu non ab eis per eorum detestationem animum dimouemus. Vnde & ab Scriptura, & à sactis Doctoribus, perinde reprehenduntur peccatores de impœnitentia, ac de perseuerantia in peccatis admissis. Et ab vna reprehensione ad alteram sæpe fit transitus, immo vna cum altera confunditur, quia non duæ, sed vna vtraque est, quando non accedit impœnitentiæ etiam actu iterata complacentia & delectatio in peccatis admissis. Quo nullum scelus coram Deo, teste Gregorio, grauius est.

Atque hinc est, vt tanto grauior sit impœnitentia, quanto fuerit diutior & de pluribus peccatis, sicut secundum Chrysostomum & omnes, quos legerim, tanto grauius quis actu peccat, quanto pluribus peccatis aut longiori tempore Deum offendit. Et hoc modo impœnitentia circumstantia quædam est peccati admissi, & ipsum minus quidem, sed eodem pene modo auget & grauius facit, quo actualis ipsius continuatio & protractio. Neque tamen necesse est, tot peccata impœnitentiæ multiplicare, quot sunt præcepta, quæ peccatores transgressi sunt, neque à se dolent fuisse præterita. Quæ enim dum admissa sunt, distinctis voluntatibus & operibus sunt patrata, dum pœnitentiam non facimus, & in hac vita & in inferno sub vna mortifera negligentia adunantur. Et potest quidem vnus actus, siue vna amissio, vnum esse duntaxat peccatum, etiamsi multas in se habeat malitias propter multorum præceptorum transgressiones. Sed tunc nouam, vt diximus, & peculiarem in hac vita assumit malitiam impœnitentia, quando vel cum mortis articulo, aut periculo probabili continuatur, vel cum susceptione, vel administratione sacramentorum, vel aliorum operum, si qua sunt, quæ conscientiam mundam à peccato requirunt: quia in executione huiusmodi operum, neglectus pœnitentiæ, transgressio est præcepti, quo tenemur ea mundè, & absque conscientia peccati lethalis, exercere. In mortis autem articulo, aut periculo ipsius probabili, qui negligit pœnitentiam, transgressor est apertus præcepti diligendi seipsum. Et posset ea malitia seu transgressio reduci ad præceptum, *Non occides*, sicut negligentia necessariorum ad salutem corporis. Vnde & ad hoc præceptum communiter reducuntur præceptum correctionis fraternæ, & præceptum vitandi scandali proximorum. Nam qui non pascit fame morientem, occidit illum, iuxta communem sententiam Ambrosij: *Pasce fame morientem: Si non pauisti, occidisti.* Et qui negligit fratres corrigere, aut eos scandalizat, homicida spiritualis eorum censetur.

Cur non igitur, dicet aliquis, & per quodcunque peccatum lethale dicimus peccatores transgredi hoc præceptum, *Non occides*, prælertim cum lethale vel mortale inde dicatur, quia mortem affert animæ? Si non auferre aut non impedire mortem animæ, vel non restituere nobis vitam cum possimus, homicidas nos facit, cur non potius mortem inferre? Annon grauius & crudelius est, mortem inferre, quam non impedire vel auferre? Replicatio. Exod. 20

Possset quidem sub tropo quodam & allegoria concedi, omne peccatum violationem esse huius præcepti, *Non occides*: quia o- Responsio. Matth. 5 [illegible]

mne peccatum mortale, mors est & exitium animæ. Sed ita hoc oporteret intelligere, vt nullam malitiam peculiarem ab hoc præcepto sumere putarentur peccata, quæ contra alia essent præcepta. Verum non oportet inter se præcepta confundere, neque quæ aliquo sunt præcepto distincta, & ex professo præcepta vel prohibita, ad aliud sunt reducenda præceptum. Atque ideo cum Deus, non nouo aliquo & peculiari præcepto, sed duntaxat per obseruationem suorum mandatorum nos obligauerit ad diligendam salutem nostram spiritualem, & non inferendam animabus nostris mortem: non opus est, quam culpam admittimus, inferendo animabus nostris mortem, ad aliquod præceptum reducere, præterquam ad illud, cuius violatione nos spiritaliter occidimus. Noluit enim Deus nouo aliquo reatu propter hoc teneri. Alioqui omne peccatum esset duplex, neque posset vnquam vnum duntaxat mandatum à quoquam præteriri. Quoniam vero notabile & irreparabile est damnum, quod nobis inferimus, cum non detestamur peccata nostra in articulo mortis, & hoc non aliquo alio præcepto distincte & formaliter est nobis prohibitum, quam præcepto negatiuo non occidendi nosipsos quod inclusum est in præcepto affirmatiuo, quo adstringimur ad nostri dilectionem: ideo hanc tantam negligentiam siue verius nostri odium, ad præceptum, *Non occides*, credimus & posse, & debere reduci, licet non reducantur ad illud alia peccata mortalia, quibus vel salutem nostram perdimus, vel contemnimus, vel certe, cum facile possemus, minime restituimus.

Vnde & Doctor Subtilis in 4. dist. 17. q. 1 artic. 1. non contentus dicere, ex virtute præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum*, teneri, qui amisit gratiam, ad faciendum quantum in se est, vt eam recuperet, adiecit statim: Et etiam virtute illius præcepti, *Diliges teipsum*. Quod quidem perspicuum est reduci ad præceptum hoc, *Non occides*. Neque est quod se authoritate sancti Thomæ Secunda secundæ q. 88 art 3. ad 2 q. 79. art 3. ad 2. q. 14. art. 2. tueantur, qui in ea sunt opinione, vt credant non esse præceptum de pœnitentia. Nam & ipse expresse dicit, teneri pœnitentiam agere de culpa præterita, quę vouit virginitatem, & corrupta est. Et alibi ait eam omittere, non quidem non habendo virginitatem, sed non pœnitendo de peccato præterito. Et in ipso loco, vbi illum pro se allegant, fatetur nolle pœnitere, esse peccatum. Quod non esset, vt iam ostendimus, nisi esset præceptum de pœnitentia. Et quod dicit, non pœnitere, non esse nouum peccatum, sed præteriti potius circumstantiam peccati: intelligendum est communiter, non vero in articulis illis, in quibus explicuimus, nouo teneri reatu, quem suorum peccatorum non pœnitet. Sed hæc satis pro studio & pietate, quam in præcellentem hunc Doctorem gerimus. Nos enim, quicquid vel ille, vel alius quiuis Doctor senserit, communiores semper sententias sequi & tueri adnitimur.

CAPVT XXI.

Non semper ad lapsi reparationem necessarium est propositum formale cauendi peccata.

VERVM illud accurate discutiendum hoc loco videtur, an sicut mutatio vitæ vel propositum eam mutandi sine detestatione peccatorum, ad reparationem lapsi non sufficit, ita contra neque detestatio peccatorum sine tali proposito ad eam sufficiat. Porro de hoc variæ sunt Catholicorum sententiæ. Antiqui quidem Scholastici, vt S Thomas in 4. dist. 17. q 2. artic. 2. Alexand. Halens. 3. part. q 79. membr. 9. artic. 2. Scotus in 4. dist 14. q. 4. ad 2. & nonnulli ex recentioribus, vt Adrian. Quodlib. 5. quæst. 3. & Caiet. 41. additionum tertiæ part. S. Thom. necessarium illud esse affirmant.

Alij vero sufficere putant detestationem peccatorum. Et huius opinionis videtur fuisse D. Bonauentura in 4. in expos. dist. 14. & Maioris, ibid. quæst. 1. & alij recentiores. Sed quidam recens author, pius æque ac doctus, vsque adeo certam priorem sententiam existimat, vt eos, qui de ea dubi-

tant, intrepide asseueret esse ea de re condemnandos. Quoniam perniciosus est, inquit, eorum error. Sed quæ ex eo dubio pernicies sequi posset, assequi non possum, præsertim si verum sit, quod idem author docet, nempe, nunquam esse pœnitentiam præteritorum sine proposito cauendi ea in futurum. Quare censoriam illius virgulam nihil formidantes, media quadam via, sub censura cuiuscunque rectius sentientis, hac in parte procedemus.

Proposit. 1. Ac primo quidem illud non inuiti fatemur, perfectam pœnitentiam de admissis peccatis, semper coniunctum habere actu vel virtute propositum mutandi vitam. Stare non potest, vt alicui displiceant præterita delicta, quia offensæ sunt Dei, si propositum sit offendendi Deum grauiter, aut continuandi offensam aliquam ipsius lethalem. Vt nullus perfecte resipiscit ab erratis præteritis, aut vult mutare vitam priorem, quin habeat aliquam illius displicentiam: ita nemo perfectam habet vitæ prioris displicentiam, quin eam actu vel virtute mutare intendat. Mutuo se actu vel virtute comitantur hi affectus. Et qui sic affectus est, vt vere doleat de patratis offensis, nunquam eo perseuerante dolore, nouas admittet, immo eas pro viribus euitabit, & declinare asseret se cupere, si de ea re interrogetur. Quod satis est, vt dicatur habere propositum virtuale emendandi vitam. Et qui vere in futurum eas cauere proponit, nunquam eo stante proposito, in præteritis sibi acquiescet, aut complacebit, sed potius si quis eum percontetur, dolere se dicet de illis admissis.

Et quoniam vix aliquis communiter à peccatis vere resipiscit, nisi & detestetur illa, & ea proponat in posterum vitare: admonendi essent omnes peccatores, cum excitantur ad pœnitentiam, vt non solum priora peccata detestentur, & ab eorum & quorumuis aliorum continuatione & repetitione se contineant, sed & omnia proponant deinceps pro sua virili cauere. Aptissime quidem, quisquis ille fuit, pœnitentiam depinxit, qui duas ei facies, sicut Iano antiquitas, tribuit: alteram, qua in præteritum respicit, vt doleat de vita male ante acta: alteram, qua in futurum prospicit, proponendo vitare, immo vitando etiam omnem Dei offensam.

Vnde & Augustinus ser. 66. dicit: *Pœnitentia est transacta flere peccata, & eadem iterum non agere.* Et in iam citatis ex Ambrosio, Gregorio, Anselmo, & Magistro Pœnitentiæ descriptionibus, non solum tribuitur ei admissa mala plangere, sed & plangenda iterum nolle committere. Hæc enim est communis via, qua peccatores inueniunt misericordiam & veniam apud Deum suorum peccatorum, & qua vere testantur se pœnitere: & tamdiu aliqui pœnitentes dici possunt, quamdiu à prioribus peccatis abstinent.

Atque ideo alijs posthabitis vijs, hæc vna nostro iudicio, vt tutior, communior & securior, tradenda esset populis. Et semper pro rudis saltem vulgi instructione, mirifice mihi placuerunt pij quidam & eruditissimi authores, qui tria docuerunt ad salutem sufficere: dolorem de peccatis commissis, propositum ea semper vitandi, & propositum confitendi tempore, à Deo vel ab Ecclesia statuto. Ac fideles omnes admoneri frequenter cuperem, posse indulgentiam suorum peccatorum obtinere, & si contingat subita morte corripi, neque posse sacramenta Ecclesiastica suscipere, in bono statu ex hac vita decedere, si in animo suo hæc tria firma & fixa habuerint. Cum his tamen omnibus stat, separari posse ab inuicem hos affectus. Et stare potest detestatio præteritæ vitæ sine proposito nouam aliam inchoandi, & propositum nouæ vitæ sine detestatione prioris.

Vnde & Patres tanquam duo distincta posuêre cessationem à peccatis, & eorum detestationem. Et experientia constat, nos sic aliquando meminisse præteritorum, vt nihil prorsus de futuris cogitemus: & contra sic futura prospicere, vt præteritorum nulla mentem subeat recordatio. Et hoc ipsum in affectu multo magis potest contingere. Et siue contingat, siue non, de hoc vno modo disputamus, an detestatio admissorum delictorum sufficere possit

possit ad veniã sine proposito formali nunquam amplius peccandi, sicut ex consensu omnium Catholicorum in proximo cap. ostendimus, non sufficere hoc propositum sine detestatione præteritorum.

Propo 1. Et quidem quanquam commemoratam viam, vt communem, ita etiam tutissimam, & populis semper inculcandam arbitror: tamen dum altius mecum reputo diuitias diuinæ in nos misericordiæ, dubitare non possum, quin etiam aliquando ad solam peccati admissi compunctionem iustificentur peccatores. Dauid quidem mox iustificatus est, vt ex corde dixit: *Peccaui:*
2. Reg. 12 Statim enim audiuit: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum.* Quantum valent tres syllabæ *, pulcherrime ait Augustinus hom. 41. Tres syllabæ sunt, *Peccaui*, sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cælum.

Atque hinc, opinor, motus est Chrysostomus hom. 9 de pæniten. vt diceret: *Dic, Peccaui: & soluisti peccatum.* Non est quidem ad nos missus Nathan propheta, sed missus est ipse Dauid, missi & cæteri prophetæ, qui Deum summæ in omnes misericordiæ & æquitatis annunciarent. Quare si ex corde dicamus, quod Dauid dixit, & eandem proculdubio accipiemus cum illo misericordiam. De Manasse etiam, cum eum exauditum à Deo dixit scriptura, non commemorat eum emendare vitam proposuisse, sed orasse Dominum Deum intente, & egisse pœnitentiam valde. Et Niniuitis non legitur rex eorum præscripsisse, nisi ieiunium, orationem, pœnitentiam seu conuersionem à suis peccatis: & his tribus peractis, mox subdit scriptura, misertum Deum esse eorum, & reuocasse sententiam de eorum subuersione, quam iam in eos per prophetam Ionam denunciauerat. Christus item dicit, descendisse à templo iustificatum publicanum, cum tamen hoc vnum de eo commemoret, quod stans à longe, neque oculos in cœlum leuare ausus, percutiebat pectus suum, dicens: *Domine propitius esto mihi peccatori.* Et filium
Luca 18. prodigum similiter inuenisse ait misericordiam apud suum patrem ad vnam hanc vocem: *Pater, peccaui in cælum & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus.* Luca 15. Quanquam enim diserte traditur dixisse, Surgam, & ibo ad patrem meum: tamen hæc non testantur, actu eum patri suo deinceps decreuisse seruire, sed duntaxat voluisse ab statu suo recedere, & ad patrem ire, vt humiliter agnoscens suum peccatum, illius misericordiam imploraret. Vnde Basilius hom. 57. *Solum velis, & ipse præcurrit. Incipit dicere, & pater assumit.*

Et Hieronymus in epist. de fil. prodigo palam affirmat, prius patrem accurrisse, quam dignis operibus & vera pœnitentia ad patrem rediret. Quod si nunquam Deus ad quantamcunq; compunctionem peccatoris peccata dimittit, nisi actu adsit propositum cauendi in posterum peccata, meminisset scriptura & huius quoque propositi in illis, quos dicit per suam pœnitentiam iustificatos. Cur enim potius detestationis, quam propositi cessandi à peccatis, recordata esset, si vtrunque ex æquo requiritur, & neutrum sine altero sufficit?

Præterea: Pœnitentia siue contritio, Argum. 2. supposita fide & spe, sufficit per legem & gratiam Dei Christiano peccatori ad consequendum veniam suorum peccatorum. Quicunque autem Christianus vere dolet de peccatis suis, quia offensa sunt Dei, veram habet pænitentiam, & contritionem suorum peccatorum, etiamsi nullum alium actum interiorem habeat. Quia omnes sic affecti cessant, auertuntur & resipiscunt à suis peccatis. Quod vnum pænitentiæ virtus exigere videtur. Siue enim Etymologia pœnitentiæ. etymologiam Latinam, siue Græcam sequamur, inueniemus illam præteritum respicere, non futurum. Nam Latine pænitentia à quibusdam dici existimatur à pæna seu punitione, quod pænam teneant pænitentes, & seipsos puniant pro admissis peccatis.

Vnde Augustinus epist. 108. ad Seleucianum: Pænitentia est bonorum atque humilium fidelium pæna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: *Dimitte* Matth. 6. *nobis debita nostra.* Metanæa vero Græce,

transmentatio seu postcogitatio Latine reddi potest, quod pœnitentes mente mutantur, & aliter cogitant post admissa peccata.

Tunc autem verissime mente mutamur, & aliter quam prius, de ipsis cogitamus, cum illa odimus & auersamur, quæ prius placuerunt, & de eis dolemus, de quibus ante delectati sumus. Vnde Augustinus ser. 7. de temp. *Pœnitentia certa ac vera, est odium peccati & amor Dei.* Et subdit: *Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita: & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in mente, iam nunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccaui.* Psalm. 50.

Et quidem Ausonius tantum in præteritum respectum tribuit pœnitentiæ vulgato illo carmine, quo eam perquam eleganter sic diffinit:

Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit:
Sum Dea, quæ facti, non factiq; exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Vocabula enim illa, quibus alias pœnitentia vocatur, partim ab scriptura, partim ab antiquis & scholasticis doctoribus, videlicet compunctio, contritio, auersio, displicentia, resipiscentia, depositio veteris homini, odium, detestatio, abominatio, & retractatio vitæ prioris, & si qua sunt similia, omnia duntaxat præteritum respiciunt. Nam licet pœnitentia, vt placet Deum, ex fide, spe & caritate communiter procedat, quia quem vere pœnitet suorum peccatorum, credit Deum per ea offensum, & credit & sperat posse illum reconciliare sibi, & quia illum amat, de illius offensa dolet: tamen si loquamur de actu præciso virtutis pænitentiæ, ille non est alius, quam affectus, quo nolumus Deum offendisse, & propositum vitandi futuro tempore peccata, magis ad caritatem seu obedientiam, quam ad pœnitentiam, spectat. Perfectus quippe dilectionis in Deum & obedientiæ ipsius affectus, est, velle ei in omnibus placere, & in nullo displicere.

Et si ista philosophice & theologice nouisset distinguere Erasmus Sarcerius, nunquam in articulo 20. locorum communium, computasset inter errores, pœnitentiæ vocabulo tantum significari dolorem de præteritis peccatis. Aliud est, docere rudem plebem: aliud, exactum theologum instituere: Aliud, docere quæ requisita sint ad veram & perfectam pœnitentiam: aliud, quæ sint propriæ & peculiares operationes cuiusque virtutis, disserere.

Ad hæc: Dolor de admissis peccatis propter offensam Dei, virtualiter includit propositum cauendi posteriori tempore peccata: Quia odium quoddam est & abominatio in genere omnium peccatorum, & cum illa non stat complacentia, aut voluntas alicuius peccati. Quamuis igitur requirere videretur scriptura propositum vitandi peccata ad obtinendũ gratiam, haud quaquam deberet existimari ille dolor ad hoc insufficiens, licet non distincte feratur in futura: Quia posset, qui sic dolet de suis peccatis, tam perfecte vniri & coniungi Deo: ac ille, qui actu haberet eiusmodi propositum, maxime si nullius peccati lethalis haberet conscientiam. Quare licet ad adulti iustificationem necessarius sit baptismus, vel saltem illius propositum, tamen ex sententia omnium, sæpe absque eo & absque illius proposito formali iustificantur adulti, siue quia illius præceptum inculpabiliter ignorant, siue quia illius non recordantur, aut denique quia copia non est aquæ, vel eius qui possit baptizare. Argum. 3.

Insuper: Apud homines humanos & benignos sola feruens displicentia, seu vehemens patratæ offensæ pœnitudo, nonnunquam impetrat illius veniam. Nam & qui inter nos aliquanto sunt mitiores & faciliores, si semel offensi fuerint ab amico, & eum suam offensam acerbe deflentem viderint: neque exigere, neque expectare quicquam amplius solent, sed lachrymis eius, quem amabant, deuicti, statim omnia condonant. Quomodo igitur non multo magis similis admissi delicti pœnitentia apud Deum sufficiat, qui supra quam dici potest, propensus est ad misericordiam? Quis credat Christum, qui vehementer Petrum diligebat, continuisse misericordias Argum. 4.

dias suas in ipsum, & expectasse, vt decerneret nunquam amplius tale quippiam patrare, & non statim negationis peccatum condonauerit, vbi illum vidit ad solum ipsius contuitum egressum domo Pontificis, culpam suam defleuisse amarè? Credat quibusuis aliis, qui volet. Ego magis credo Ambrosio, qui hunc vnum fletum satis fuisse Petro ad veniam affirmat. *Ideo, ait, ipsi Petro statim Deus dimisit, quia amarissime fleuit.* Et ne peculiare hoc fuisse in Petro, & à nobis aliquid durius exigi existimes, mox subiungit: *Et tu si amarissime fleas, Christus ad te respiciet, culpa à te discedet.*

Argum. 5. Amplius: Petitio veniæ cum displicentia peccati, licet sit absque formali proposito deuitandi peccata, satis est ad obtinendam remissionem peccatorum. Etenim Deus sæpe in scripturis pollicetur peccatoribus indulgentiam & misericordiam, & conuersurum se ad eos, si modo ipsi auertantur à suis peccatis, & conuertantur ad ipsum. Satis autem auertitur à suis peccatis, qui de eis vehementer dolet, & ad Deum vere conuertitur, quicunque humiliter, & absque complacentia alicuius peccati misericordiam diuinam implorat. *Derelinquat impius*, inquit Esaias, *viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Quis non videat sola hic duo requiri ab impio, vt obtineat apud Deum misericordiam, & ea illum præstare, si detestetur peccata sua, & misericordiam ab ipso humiliter efflagitet? *Facile reconciliatur*, ait de Deo Ambrosius 7. in Luc. cap. 66. *quando impense rogatur.* Et paulopost: *Vult rogari, vult obsecrari.* Et Bern. serm. 1. Pent. dum docet tria in nobis operari Spiritum sanctum, vt declinemus à peccato post compunctionem & supplicationē addit remissionem peccatorum, significans scilicet peccata nobis ab Spiritu sancto remitti mox, vt in nobis fuerint compunctio & supplicatio. Nonnihil etiam videtur ibi fauisse opinioni de necessitate orationis ad comparandam veniam peccatorum, quam lib. 6 cap. 38 impugnauimus. Ait enim: *Quid prodest pœnitere de culpa, & non supplicare pro venia?* Sed hoc pie potest exponi.

Esaia 55.

Quod autem in præsenti ostendere satagimus, non esse necessarium ad remissionem peccatorum propositum formale cauendi peccata, satis potest vel hinc confirmari: Posset enim contingere, subita sic morte aliquos peccatores præueniri, vt meminisse quidem possint peccatorum, quæ admiserunt, & de eis dolentes & clamantes, Domine miserere, moriantur, antequam quicquam de futuris vel cogitare, vel statuere potuerint. Nunquid igitur & hi venia carebunt? Quid rigidius? quid durius? quid inclementius dici potest? Equidem Deus omnes confugientes ad se, obuiis manibus excipit. Neminem facientem, quod in se est, despicit. Sub ipso mortis articulo cunctis ad se conuersis veniam impartitur. Neque de latrone illo felici, qui apud Christum in cruce pendentem, sub ipsa morte veniā inuenit, alia in Euangelistis legimus, quam quæ illum testentur & priorem suam vitam auersatum, & ad Christum humiliter recurrisse, & ipsius misericordiam orasse. Nonne etiam ad absolutionem sacerdotalem satis sunt quandoque signa certa doloris de peccatis? Argum. 6.

Absolui profecto possunt & debent peccatores, qui articulo mortis præuenti, confiteri nequeunt sua peccata, si explicuerint saltem in specie aliquod peccatum, & signis exterioribus dolorem suum interiorem indicent: etiamsi nullo signo declarent, quid in futurum proponant. Neque differenda est aliquo modo pro hoc absolutio. Et communiri hæc omnia possunt ex illis, quibus doctores antiqui tradiderunt pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium. Nam quod sancta Synodus in capite, quod modo exponimus, dicit, a pte Patres nuncupasse lapsi reparationem, secundam tabulam post naufragium deperditæ gratiæ, hoc præcipue video illos retulisse ad hanc partem sacramenti pœnitentiæ, quam nunc tractamus. Argum. 7.

Pœnitentia secunda, tabula post naufragium.

Non autem diceretur hæc detestatio seu agnitio & confessio nostrorum peccatorum, secunda post naufragium tabula, nisi aliquando vel sola opem ferre posset periclitantibus, atque eorum vitam tueri,

Sed

Sed aliquot Patrum testimonia subijciam, quo & propositum nostrum confirmem, & vera esse, quæ nostro in decreto asseruntur, liquido commonstrem.

Tertullianus in libro de pænitentia, cum virtutem detestationis peccatorum ex authoritate Ezechielis comprobasset, subdit: *Pænitentiam peccator ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.*

Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis: *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri.* Et in epistola ad Demetriadem: *Verum nos ignoremus pænitentiam, ne facile peccemus. Illa quasi secunda post naufragium miseris tabula sit: in virgine, integra seruetur nauis.* In primo etiam contra Pelagianos, hanc Ezech. 18. 33. esse virtutem conuersionis peccatorum his verbis declarat: *Pænitentia imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam saluatoris, qui non vult perire quenquam, neque delectatur in mortibus peccatorum, sed vt conuertantur & viuant.* Acceptauitque & perinde intellexit hanc doctrinam Magister sententiarum in 4. d 14. & qui eum secuti sunt scholastici, adeo vt iam velut prouerbij vice habeatur in scholis, pænitentiam, hoc est, dolorem de peccatis, secundam esse tabulam post Aug. ser. 11. naufragium.

In sermonibus etiam, qui nomine Augustini feruntur ad fratres in eremo, felix tabula & vitalis nauicula appellatur compunctio, & sine ipsa infructuosa dicitur omnis confessio, & omnis satisfactio inanis, nec prodesse baptismus, & ad iudicium suscipi corpus Domini. Itaq; ex his omnibus liquet, & antiquos credidisse, huiusmodi dolorem de peccatis, ad obtinendam Dei gratiam posse sufficere, saltem vbi articulus necessitatis, aut obliuio quædam humana, propositum cauendi deinceps peccata impedierit.

CAPVT XXII.

Diluuntur quæ præsentiam propositi cauendi, ad reparationem lapsi requirunt.

QVID igitur, quod per Ezechielem non pollicetur Dominus impio misericordiam ad solam pænitentiam suorum peccatorum, sed præter eam, vt custodiat mandata sua, & faciat iudicium & iustitiam, requirit? Ita enim, inquit: *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit mandata mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & non morietur.* In verbis autem, *Custodierit mandata mea*, propositum in futurum videtur requiri: & in verbis, *Fecerit iudicium & iustitiam*, propositum satisfaciendi. Obiect. 1. Ezech. 18. 21.

Non hæc tamen propheta adiecit, vt propositum custodiendi mandata, & satisfaciendi pro peccatis, ad impij iustificationem requireret. Quis tam fuit durus, vt etiam propositum actuale satisfaciendi, ad peccatoris contritionem exegerit? Et facere iudicium & iustitiam, non pro satisfactione vsurpat scriptura: sed Hebraismus est frequens, quo recte & suo quidque ordine fieri & administrari significat. Et aliud profecto est, custodire mandata: aliud, proponere ea custodire: aliud, facere iudicium & iustitiam: aliud, proponere ea facere. Ac ne dubitaremus ad reconciliationem peccatoris de peccatis admissis, satis esse nonnunquam vel solam pænitentiam: omnibus remotis limitationibus, statim subiecit: *Conuertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ideo vero adiecta sunt priori loco illa verba, *Et custodierit mandata mea*: vt intelligeremus, præter pænitentiam de admissis, necessarium esse, non adijcere alia noua peccata. *Quid enim prodest*, vt recte dicit Gregor. Hom. 34. super Euang. *si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelet? Quid prodest, si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat?* Responsio. Ezech. 18. 31.

Et iam hic Spiritus sanctus tela nobis suppeditabat contra hæreticos illos, quos statim retulimus asseruisse, post peractã triennem de quolibet peccato pænitentiam, licere ad voluptates priores reuerti: *Si impius*, ait, *egerit pænitentiam, & custodierit mandata mea, vita viuet.* Nam si vel tempore, quo

agit

agit pœnitentiam á prioribus peccatis, vel postea prætergressus fuerit mandata, nequaquam vita viuet, sed morietur. Nos vero sic diximus, posse nonnunquam sufficere ad reparationem lapsi, dolorem de peccatis sine proposito vitandi in posterum peccata, vt tamen talem & tantum eum dolorem debere esse dicamus, vt virtualiter tale sit propositum. Quod quidem tum duntaxat continget, quando cum eo non staret complacentia in aliquod peccatum futurum: sed sic prorsus affectus noster à peccatis auerterit, vt si vel meminerimus, vel rogati fuerimus de hoc, prorsus diceremus, nos cupere omnia peccata lethalia solicite in futurum vitare.

Vnde & Gregorius pulchre illos hæreticos admonet: *Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ sed si quis in eadem perseueret.* Et è multis sanctorum testimonijs Gratianus de pœn 3 recte colligit, nihil prodesse pœnitentiam, si permaneant vel iterentur peccata.

Quamobrem Tertullianus de pœn. ait: *Vbi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana.* Idque recte perpendentes Ambrosius, August. Gregor. Ansel. in citatis iam diffinitionibus ad veram & frugiferam pœnitentiã requisierunt, admissa peccata nõ iterare.

Obiect. 1. Obijciuntur & nobis verba illa Christi ad paralyticum, & adulteram in adulterio deprehensam: *Vade, & iã amplius noli peccare.* Ioan. 5. & 8.

Responsio. Sed his verbis non exegit Christus ab eis, vt proponerent non peccare, vt iustificarentur. Cum enim hæc dixit, iam eos, vt verisimile est, iustificauerat. Namque illos spiritaliter Christus sanauit, quos sanauit corporaliter: & liberasse interius credendus est, quam iam exterius liberam á se dimittebat. Quid igitur ab illis requirebat illis verbis, *Iam amplius noli peccare*? Nimirũ, vt grati essent beneficio accepto, & in gratia perseuerarent, quam eis fuerat benigne impartitus, neque abuterentur redundantia clementiæ cœlestis, & se rursus illis conspurcarent peccatorum sordibus, quibus prius fuerant inquinati. Et in hunc sensum nos similia verba solemus capere, cum cõdonantes alicui patratam in nos offensam, Vade, dicimus, & noli amplius simile quidpiam patrare. Quibus verbis non exigimus ad remissionem, vt proponat cauere similia, sed in significationem gratitudinis suæ, vt caueat talia admittere, hortamur.

Addunt & aliqui contra nos, quod ad iustificationem requiritur dilectio Dei super omnia. Obiect. 5. Sed vnde tantum onus peccatori imponatur, non inuenio. Resp. Quod & fusius libro 6 docuimus.

Alius instat, inconueniens esse & absurdum, iustificari posse per dolorem in generali de suis peccatis, qui proposuit occidere inimicum, neq; eum animum reuocauit. Obiect. 6.

At ego hoc pro nobis esse existimo. Absurdius enim est, iustificari non posse ea via, qui naturaliter meminisse nequit, neq; reuocare in memoriam conceptum malum propositum. Resp. Et virtute satis reuocat, qui sic dolet, vt si meminisset, prorsus reuocaret, vel certe non approbaret, eo permanente dolore.

CAPVT XXIII.

Nulla temporis mora necessaria est ad pœnitentiam.

PROXIMVM est, vt disseramus, qualis & quanta huiusmodi futura sit peccatorum detestatio, quam vt necessariam & præceptam, ita sufficientem esse lapsis ad ipsorum reparationem hactenus statuim'. Et quidem Caietanus in addi. 3 par. durissime, & nostro sane iudicio absurdissime sensit, Deum non iustificare peccatorem mox vt habet dolorem de peccatis propter Deum supra omne odibile, & propositum vitandi peccata supra omne vitabile, sed expectare etiam tum incertum nobis tempus priusquam eum sibi reconciliet.

Sed enim, ipso excepto, apud omnes Catholicos hoc video in primis constare, vel certe constare debere, non intensiorem, neque longiorem, neque perfectiorem dolorem de peccatis requiri ad reparationem lapsi, quam ab eo possit cum auxilio diuino præstari. Proposit. 1.

Et quemuis talem dolorem sufficere, si modò sit ex toto conatu, vel ex toto corde, Argum. 1.

 pro-

probare possumus ex receptissimo illo & protrito axiomate, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Quod certum esse ex fide, liquere potest: quia vt veridica scriptura tradit. *Deus neminem deserit, sed omnes recipit cõfugientes ad se, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum & omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire atque in omni gente qui timet eum, & facit iustitiam, acceptus est illi.* Nec solum non est acceptor personarũ, quia nemini quicquam debet, & liberrime potest suam impartiri gratiam pro beneplacito suo, quin alicui faciat iniuriam, aut iuste ei dici possit, *Cur ista facis*: sed etiam quia omnes ex æquo recipit, qui ad se confugiunt, neque quenquam repellit á sua gratia, si modo faciat quod in se est, ad eam assequendam. Vnde Augustinus, q.2. in Paganos. *Salus vera nulli vnquam defuit, qui dignus fuit: & cui defuit, dignus non fuit.* Et subscripsit ei Bernardus, vt supra allegauimus. Neque periculum vllum in his est, si modo, vt ipse Augustinus 2. Ret. 31. admonuit, non ita hæc accipiantur, vt ex meritis suis dignus putetur. Nam teste Saluatore, præcepta diuina satis sunt ad vitam: & qui facit, quod in se est, seruat mandata. Nec vllus adultus est in peccato, cui non imputetur carentia gratiæ diuinæ. Paratior quippe Deus est & pronior ad eam nobis dandam, quam nos ad accipiendam, & nullus ea caret sine sua culpa.

Facienti quod in se est, nõ negari gratiam.

Ioan. 1.
1. Tim. 2.
Actor. 10.

Argum. 2.

Potest item secundo doctrina hæc confirmari ex omnibus scripturæ testimonijs, quibus paulo ante copiose ostendim⁹, Deũ polliceri suam gratiam & conuersionem ad peccatores, dummodo se ipsi ad eum conuertant, & pœnitentiam agant, & seruent mandata ipsius. Et vbi aliud testimonium non esset, deberent sane illa verba Deuteronomij sufficere: *Cum quæsieris Dominũ Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Quis enim rectius dicatur toto corde & tota tribulatione animæ suæ Deum quærere, quã qui dolet, quantum potest, de suis omnibus peccatis propter Deum?

Deut. 4.

Expositio Scholasticorum.

Quare quicunque sint scholastici, qui certam temporis continuationem requirunt, vt peccatorũ detestatio reponat hominem in gratia, sic piè exponendi sunt, vt quantocunque minor & breuior sufficiat, quando vel diutior vita non fuerit, vel ita vires extenuatæ fuerint, vt maior aut feruẽtior haberi dolor non possit. Nullus quippe catholicorum Doctorum posuit quempiam viatorem extra statum salutis. Et discrimen est apertum in articulo mortis, & extra illum. In articulo mortis facit, quod in se est, qui quantuncunque paruo, toto tamen tempore vitæ suæ producit dolorem, quique quam maxime potest, pro debilitate suarum virium tum dolet. Extra illũ vero articulum, cum possit longius & perfectius & feruentius durare in dolore, nec faciat, non censeretur facere quod in se est, qui nõ tantum, quantum necessarium esset, doleret.

Quantum tempus ad contritionem.

Et Doctorem nostrum Subtilem, quicquid quidam addubitent, maxime par est ita exponere, vbicunque videtur requirere certam intensionem aut continuationem. Quanquam enim in 4. dist 14. quæst 2 & 4. multa dicit, ex quibus posteriores plerique authores hanc ei sententiam de necessitate certæ intensionis aut continuationis, non omnino sine causa tribuerunt: tamen, si bene perpendamus, neque hic, neque vsquã alibi ex professo disputat de hoc. Et in his locis tantum contendit ostendere duo, nẽpe, attritionem, vt informem, sufficere posse, vt dispositionem præuiam, ad deletionẽ peccati: sicut inquantum formata est, sufficit vt concomitans: & aliquando superueniente sacramento, dari propter attritionẽ & sacramentum gratiam, quando attritio ad eam non sufficeret. Et ideo fortassis hæc ostendit in opinione, asserente dolorem de peccatis per intensionem & continuationem, sufficientem reddi ad infusionẽ gratiæ: quia hæc opinio tum erat celebris, & ea via multo facilius & apertius poterat facere propositum suum, quam in contraria opinione.

Expositio Scoti.

Ex hoc vero, quod faciẽti quod in se est, Deus suam non denegat gratiam, possumus inferre, non solum non requiri ad reparationem lapsi, certo aliquo tempore durare in de-

Proposit. 2.

in deteſtatione peccatorum: ſed & inſtantaneam & momentaneam deteſtationem, ſatis eſſe ad reparandum quemuis lapſum. Nam ſi momentanea non ſufficeret, veriſimile eſt Deum certi alicuius temporis continuationem requiſiſſe. Licet enim poſſet Deus contentus eſſe tempora ia, vt ſic dicamus, deteſtatione, hoc eſt, deteſtatione tempore quan uncunque paruo continuata, & non ſatis habere inſtantaneam, neque exigere certi alicuius temporis continuationem, tamen apparens non eſt, Deum, qui ſumme ſapiens & bonus eſt, huiuſmodi aliquas minutias & argutias ſophiſticas vel exigere, vel attendere. Et cum Palmiſta dixit, præceptum Domini lucidum, & Chriſtus iugum ſuum ſuaue & onus leue, & Ioan. mandata Dei grauia non eſſe: ſatis profecto indi atum eſt nobis, lõge abeſſe præcepta Domini ab huiuſmodi tenebris & caligine. Sed vt omnem ambiguitatem dimoueamus, & pro virili noſtra ab ſcholis eliminemus portentoſam opinionem requirentium ad reparationem lapſi, certo aliquo tempore continuari deteſtationẽ peccatorum, vrgebimus magis hæc peculiaribus argumentis.

Argum. 1. ex Script. Primo: Scriptura pollicetur miſericordiam peccatoribus quacunque die & quacunque hora, immo vt omnem amputaret tergiuerſandi occaſionem, quotieſcunque & quandocunque auerterint ſe ab iniuſtitia ſua, & conuerſi fuerint ad Deum. *Impietas impij non nocebit ei*, ait Ezechiel, *in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Quid clarius dici potuit, vt intelligeremus etiã momentaneam conuerſionem peccatoris ſufficere ad placandum Deum? Nonne qui conuertitur ad Deum in inſtanti alicuius diei, conuertitur & in eo die: & Deus iuſtificans peccatorem aliquem in inſtanti alicuius diei, iuſtificare eum dicitur in eo die? Quis negat ſolem in hoc die lumen illud produxiſſe, quod produxit in aliquo huius diei inſtanti? Atque ex his verbis deſumi potuit ſentẽtia illa peruulgata? *In quacunque hora ingemuerit peccator &c*: Tametſi nobis verſimilius eſt, deſumptam eam eſſe ex illis verbis Eſaiæ, quibus iuxta tranſlationem Septuaginta Ambroſius l. de pœnit. capit. quarto, & Gregorius & multi alij, vt ſtatim patebit, vtuntur: *Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis.* Nam in his ſalus aperte promittitur peccatori, quandocunque ſe ad eum conuerterit.

Ezech. 33 — Ibid. 18. & 33. — Eſaia 30.

Neque minus huic ſententiæ vulgaris tranſlatio fauet, quæ pro iſtis ſic habet: *Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis.* Et alibi ſimpliciter & abſolute promittit Deus: *Si conuerteris, conuertam te.* Et rurſus: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* In Apocalypſi etiam manifeſte dicit: *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Cui vero dubium ſit, aperiri ianuam cordis momentanea deteſtatione peccatorum? Equidem cui diſplicent ſua peccata, aperit iam cor Deo: ſicut claudit, cui placent, etiamſi non amplius quam momento. Et in teſtimonijs, quæ ſupra ex Dauide, Eſaia, Hieremia, & Ezechiele citauimus, perpetuum hoc licet videre, pœnitentibus miſericordiam promitti, nulla neque diei, neque horæ, neque denique alicuius particulæ temporis requiſita continuatione. Ac vel regis Dauidis exemplum, qui ad triſyllabam hanc vocem, *Peccaui*, miſericordiam inuenit, commonere debuit omnes, ne adeo rigidum & inhumanum putarent Deum, cuius miſericordia eſt immenſa, vt certo aliquo tempore continuari deteſtationem peccatorum requirat, vt ad ſe conuerſos, in ſuam gratiam recipiat. Neminem niſi obnitentem repellit, neminem niſi negligentem reijcit, ait vere Hilarius in illa verba Dauidis: *Ne repellas me à mandatis tuis.* Et ipſe Dominus hoc manifeſtiſſimum fecit illis verbis: *Cumque quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar a vobis, dicit Dominus.*

Ibidem. — Ierem. 15. Zachar. 1. — Apoc. 3. — Hilar. in Pſ. 118. — Ierem. 29.

Argum. 2. Ad hæc: In Concilio Viennenſi expreſſe diffinitum eſt, poſſe qui poſt baptiſmum lapſi fuerint, per veram ſemper pœnitentiam reparari. Si ſemper poſſunt peccatores per pœnitentiam reparari, ſufficit ergo momentanea pœnitentia. Nam quæ non poſſunt fieri in inſtanti, non omnino verum eſt ſemper poſſe fieri. Leo etiam primus in epiſtola ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum, ideo neminem in neceſ-

Firmiter. de ſum. Trin. & Fide Cath. Leo epiſt. 89. — 26 q. 6. Nemini.

sitate denegandam esse dicit reconciliationem, quia misericordiæ Dei neque mensuras possumus ponere, neque tempora diffinire. *Et subdit*: Apud Deum nullas patitur veniæ moras conuersio, dicente Dei Spiritu per Ezechielem prophetam: *Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Quid apertius potuit ab hoc tanto pontifice pro nobis dici? Citat etiam Gratianus hæc ex Leone Papa: Nemo desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur.

Ezech. 33.

De pœn. d. 7. Nemo.

Sed audi, quid & Iulius Papa eodem spiritu, quia & eiusdem vicarius, scribat: Vera confessio in vltimo tempore esse potest, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est, sicut latro vnius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso in hora vltimæ confessionis. Et consentit per omnia successor eorum Cælestinus, qui contra negantes pœnitentiam in extremis, in epistola sua secunda ad Galliæ Episcopos sic loquitur: Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem inueniri, vt de Dei bonitate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere, quo se vere expediri desiderat & liberari. *Et subdit*: Desperat de misericordia Dei, qui eum ad subueniendum morienti sufficere vel in momento non credit posse.

Iulius ibi c. si pres.

Cælestin. ibi. c. Agnouimus

Et vt intelligas ista eum retulisse ad potentiam secundum legem, & non tantum ad potentiam Dei absolutam, exemplum ponit de latrone, & subijcit statim: Vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius æstimanda est, quam tempore, propheta hoc taliter asserente: *Cum conuersus ingemueris tunc saluus eris.* Cum ergo Dominus cordis sit inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia. *Hæc ille.* Et vide vt mirifice sibi de hoc Patres Ecclesiæ consenserint, & nullam esse seram pœnitentiam, quæ quidem fiat in hoc seculo, constanter crediderint.

Esaia 30.

Art. 3 ex consensu Doctorum.

Cyprianus in elegantissimo tractatu ad Demetrianum, inter cætera sic scribit: Hortamur dum facultas adest, dum adhuc aliquid de seculo superest, Deo satisfacere. Quando istinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur. Hic saluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quominus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus quærentibus, atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu, pro delictis roges Deum, qui vnus & verus est: confessionem & fidem illius agnitionis implores: venia cõfitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Et in sermone de cœna Domini, si tamen illius est: Neque serum est, ait, quod verum: neque irremediabile, quod voluntarium. Et ipso in momento impietas religionem induit, crudelitas induit pietatem.

Augustinus sermone 66. de tempore: Quantuscunque sit peccator & impius, si ad pœnitentiã conuertitur, consequi per misericordiam veniam non dubites. Et in de eccle. dog. capite 8. sic lego: Pœnitẽtia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in vltimo vitæ Spiritu admissorũ pœniteat. Allegat item Gratianus ex libro Augustini de pœnitentia, hæc verba: Pœnitentia, si in extremo vitæ hiatu aduenerit, sanat, & liberat in ablutione baptismi. Conuersio si cõtigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de eius venia: sed quoniam vix vel raro est tam iusta conuersio, timendum est de pœnitente sero. Et eadem est sententia in Ambrosio in exhortatione ad pœnitentiã. In resp. insuper ad 15. ar. sibi falso impositum, dicit August. Deus nemini adimit correctionis viam.

Aug. de pœn. d. 7. nullus.

Chrysostomus de reparatione lapsi: Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei, vt pœnitentiam nunquam respuat, si ei syncere & simpliciter offeratur. Etiam si ad summum quis perueniat malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, suscipit & libenter amplectitur, & facit omnia,

Chrys. de d. 3. Talis.

mnia, quatenus ad prioré reuocet statum. Et quod est adhuc p æstantius & eminentius, etiamsi non potuerit quis explere in præsenti satisfaciendi ordinem: quantulácunque tamen, & quanlibet breui tempore gestam, non respuit pœnitentiam. Nec quispiam iure tergiuersari potest, quod dixerit, Quanlibet breui tempore: & non dixerit, Quolibet momento. Nam qui statim dixerat, Deum nunquam h crespuere pœnitétiam: satis indicauit, his verbis & breuissimum quoduis tempus & instans, á se esse complexum.

Basilius ho. 57. exaggerans celeritatem, qua pater misericordiaru obuiam iuit filio prodigo ad ipsum redeunti, ita scribit: Solum velis, & ipse præcurrit. Incipit dicere, & pater assumit. Considera misericordiam, & ne amputes spem. Gregorius in illa verba, *Adduxit itaque populus, vnusquisque bouem in manu sua vsque ad noctem*, sic suo more iuxta tropologicum sensum philosophatur: Vsq; ad noctem boues mactádi sunt, non in nocte: quia dum viuimus, peccata delere pœnitendo possimus: post mortem autem, fructuosam agere pœnitentiá nó valemus.

1. Reg 14.

Bernardus ser. de Magdal. Festinanter & sine vllo interuallo coniunguntur lach ymæ peccatricis, & misericordia saluatoris. Richar. de sancto Vict. c. 9. Benia. ma. Qui vere pœnitet, qui veraciter dolet, absque dubio & absque mora indulgentiam accipiet. Liquet ex his, nulla vitæ particula, neque ipso articulo mortis sanctos hos doctores inutilem putasse peccatorum pœnitentiam.

Argum 4. Deinde: In momento potest quiuis peccator facere totum, quod in se est, ad obtinendum gratiam diuinam: & perfecta conuersione, & ex toto corde auerti á suis peccatis, & conuerti ad Deum. Neque enim mora indiget voluntas ad suos actus & tam perfecta potest esse conuersio in instanti, ac in tempore.

Argum. 5. Præterea: Quocunque vitæ huius momento amittere possunt iusti suam gratiam secundum legem communem. Neq; Deus moram temporis requirit, vt auertat se á peccatoribus, qui se ab eo auerterint, vel momentanea complacentia transgressionis alicuius præcepti. Igitur & quocunque etiam vitæ huius momēto peccatores possunt in Dei gratiam redire. Aequa enim vtrorumque est conditio. Et Deus multo pronior est ad miserendum, quam ad puniendum. Tam pius nemo, tam pater nemo ait Tertullianus de pœ. Neq; tantum contra clementissimam Dei naturam videtur, sed & contra æquabilitaté, quam in omnes seruat, vt momento temporis possint iusti perdere quæcunque, & quantacunq; bona in vita fecerint, & tamen tempore indigeāt, vt vel in minimam Dei gratiam redeant.

Insuper: In alijs præceptis nulla certa mora temporis necessaria est, sed si quidem ea præstentur, quæ præceptis illis exiguntur, siue in tēpore quis hoc faciat, siue in instanti, satisfecisse censetur illi præcepto. Si teneamur nunc Deum diligere, vel adorare in spiritu, si & teneatur quis patrem suum diligere, vel ei subuenire, aut ei recōciliari, aut pro eo orare, etiamsi momentaneé ista faceret, nemo putat eum non fecisse satis illis præceptis, nemo reum transgressionis eorum accusat. Vnde igitur hæc noua rel gio? Vnde hic nouus, & in alijs præceptis nunquam exactus rigor? Cur nos tam parce, & tam modice gratiam Dei & Domini nostri prædicemus, cum ille tam sit liberalis? Cur in hoc solo præcepto, cuius impletio necessaria nobis est ad vitam, credamus fuisse rigidiorem & seueriorem, qui vsque ad miraculum amat homines, & ad impartiendam eis suam gratiam est propēsissimus? Argum. 6.

Cauendum est, ait Ambrosius 7. in Lucam ca. 66. de pœnitente peccatore, ne nos ei reconciliationis faciamus moram, quam non fecit filio prodigo pater. Sed & ex operibus naturæ hanc veritatem discere potuimus. Mox enim vt perfectæ fuerint dispositiones in materia, introducitur ab agente naturali forma illis respondens. Quare & multo magis credendus est Deus daturus statim & absq; vlla mora suam gratiam eis, qui fuerint legitime ad ipsam dispositi. *Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia*, teste Ambrosio, & gratia multis nominibus antecel-

cecellit naturam. Sequatur ergo quisque, quod ei placuerit. Iudicium Ecclesiæ neque volo, neque possum anteuertere. Quod tamen pro ingenij nostri tenuitate sentio, ingenue dicam. Tam valida & tam efficacia argumenta ista apparent, vt non dubitem, posse Ecclesiam diffinire hanc veritatem, quam modo firmamus, & silentium perpetuum imponere illis, qui hactenus præter authoritatem scripturæ, Ecclesiæ, & sanctorum, immo ipsis omnibus plane reclamantibus, tantum rigorem, immo errorem, inuehere moliti sunt scholis.

Ne tamen quispiam adhuc intolerabilius aberret, adijciam & hæc: Si cui placeat, his non obstantibus, defendere, non satis esse momentaneam detestationem ad reparandum hominem lapsum, oportebit illum sic defendere, certum tempus requiri ad sufficientem pœnitentiam, vt non satis sit vsq; ad instans terminatiuum eius temporis, exclusiue dolere, nisi etiam in illo, vel, vt communiter dicitur, vsque ad illud inclusiue doleat. Gratia namq; incipit esse per primum sui esse. Et Deus nemini remittit peccatum sine contritione. Contritio autem non est ante, quam infundatur gratia. Quare nisi hoc pacto defendatur necessitas continuationis in tempore, vbi illud instans terminatiuum tempo is necessarij ad veram pœnitentiam, sit terminatiuum etiam vitæ, tenendo communem opinionem, quod homo desinit esse per primum non esse, oportebit incidere in alterum duorum incōmodorum. Aut enim necesse erit concedere, aliquem damnari, qui sufficientem habuit pœnitentiam in vita: aut certe saluari eum, qui tota vita ista fuit in mortali, & caruit gratia Dei. Immo si hoc postremum non concedatur, necessarium erit dare, ex duobus æqualiter pœnitentibus, & disponentibus se ad gratiam, vnum mox iustificari, aliū vero, etiam cum nullum ponat obicem gratiæ, in æternum statim perire. Iustificabitur namque, qui in eo instanti hic vixerit; peribit vero, qui in illo hinc discesserit. Sed ne ad disputandum de his minutulis necesse sit descendere, melius erit in ea, quam tradidimus, sententia perstare, & vel momentaneam detestationem peccatorum ad iustificationem posse sufficere, constanter tueri.

CAPVT XXIIII.

Quantumcunque remissa detestatio peccatorum, reparare potest lapsos.

Pœnitentiæ non requiritur certā intensionem.

ATQVE ijsdem pene argumentis firmare possumus cum Gabr. in 4. di. 14. quæstione 1. & communi opinione recentiorum aliorum authorum scholasticorum contra Rich. in 4. d. 17. artic. 2. quæst. 3 4. & 5. Adri. Quodli. 5. quæst. 3 Palu. Almay & alios, præsertim ex antiquis, nullā esse certam intensionem, nullum certum feruoré, qui necessarius sit, vt detestatio peccatorū debitis alioqui circunstantijs perfecta, remissionem obtineat peccatorum.

Argum. 1.

Nam in scripturæ testimonijs statim citatis sicut nulla certi temporis continuatio, ita nec aliqua certa intensio requiritur: sed cuiuis peccatori auertenti se ab omnibus peccatis suis, & cōuertenti se ad Deum, gratia & reconciliatio diuina promittitur. Et perinde omnium iniquitatum obliuionem pollicetur Deus peccatori auertenti se à peccatis suis, ac comminatur iusto auertenti se à iustitia sua, omnium iustitiarum suarum obliuionem. Quare cum quātumcunq; remissa auersio à iustitia, si modo deliberata sit, sufficiat ad perdendam gratiā: erit & quantulacunque auersio à peccatis, satis ad eam recuperandum.

Argum. 2.

Illud etiam persuadere nobis deberet hanc sententiam, quod neque Ecclesia vnquam exegit huiusmodi intensiones à peccatoribus, neq; sancti doctores docuerunt hoc esse necessarium. Quin Chrysostomus in verbis illius mox allegatis, quantulamcunq; pœnitentiam satis esse asseruit. Et Ecclesia, nulla tali requisita intēsione aut feruore, gratiam sacramenti baptismi pollicetur illi: qui cum fide sacramenti, & proposito illud reuerenter suscipiendi, de hac vita decesserunt. Ad alia etiam implēda præcepta, eiusmodi intensionem certo scimus non esse necessariam. Esto quippe, magno quandoque conatu opus sit & feruore, vt illa

Debitum. de Bapt. & eius effectu.
c. Apostolic. de presbyter. non bapt.

illa vincamus, quæ eorum expletionem impediunt, quantulocunque tamen affectu quis ea expleuerit, fecerit sane ipsis satis.

Et hoc manifestum est, non solum in communib. & facilibus præceptis, de danda eleemosyna, de reddendo deposito, de restituendo alieno, & similibus, sed etiam in præceptis difficilioribus de orando pro inimicis, de subueniendo ipsis in grauibus eorum necessitatibus, & similibus. Absurdumque plane & minime ferendum videtur, quod quidam eruditus Doctor asseuerat, modum certum necessarium esse in dolore, vt reconciliet nos Deo, verum illum non esse in præcepto. Præceptum namque pœnitentiæ indictum est, vt nos reconciliet Deo: & si impleatur, sat sest ad vitam.

Had. quodl. 5. q. 6.

Argum. 4.

Vbi præterea est præceptum de hoc? Vbi Deus tam durum & difficilem se ostendit, redire in suam gratiam volentibus? Cur addimus onera oneribus, præcepta præceptis? Cur non potius odia restringamus, & fauores ampliemus? Si magnus & vehemens dolor de peccatis necessarius est, quomodo nunquam expressit â Deo certa requisita intensio? Quomodo etiam verisimile est, Deum dedisse præceptum, de cuius impletione vel transgressione nemini nostrum possit constare? Quis enim intensiones suo um actuum nouerit? Quis mensuret quanto affectu & feruore suorum se peccatorum pœniteat? Angelis quidem, qui gradus suorum affectuum distincte possunt nosse, talia ferri præcepta, nullum esset incommodum: sed hominibus, qui hæc assequi non possumus, absonum est & supra omnem plane verisimilitudinem, Deum sapientissimum & æquissimum legislatorem, tale aliquid præcepisse. Multoq; absurdius hoc fuisset in hoc præcepto, cuius impletio omnibus peccantib. est necessaria. Vnde neque Ecclesia, neq; principes, neq; parentes, neq; confessores, neq; aliqui omnino homines, adeò stulti & parum prouidi fuisse probantur, vt vel sibi, vel alijs huiusmodi intēsiones imposuerint in affectib. ad quos se vel alios voto vel præcepto adstrinxerint. Persuasū quippe oēs habuerūt, neq; statui, neq; capacitati hominum talia onera cōuenire.

Ad quæ accedit, quod nec homines humani & tractabiles, requirunt hæc ab illis, à quibus fuerunt offensi, sed si doleant illi de illatis ipsis offensis, & humiliter veniam postulent eam vltro & sponte sua condonant, nulla requisita certa intensione in eo dolore aut petitione veniæ.

Argum. 5.

Et sacerdotes prudētes neq; negāt, neq; negare possunt absolutionem pœnitentibus, quos vident extra statum peccati, & cum quantulacunque pœnitentia suorum peccatorum, & proposito emendandi vitam, ad sacramentum pœnitentiæ accedere. Possunt autem iure maiorem feruorem exigere, si maior esset necessarius. Vt enim Gregorius hom. 26. in Euan. colligit ex eo, quod Lazarus non est iussus solui ante, quā esset suscitatus, tunc vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur iudicis: & illos nos debemus per sacerdotalem authoritatem soluere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.

Argum. 6.

Cur ergo, dices, Moyses non pollicitus est misericordiam populo Israel discedendi à Deo vero, nisi cum ex toto corde reuerteretur ad Dominum? *Cum quæsieris, ait, Dominum Deum tuum inuenies eum si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Si satis est quantulacunq; & quantumcunq; parui temporis conuersio ad Deum, vt eum inueniamus, & misericordiam illius assequamur: frustra adiecisset Si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.

Obiect. 1.

Deut. 4.

Verum *Totum*, hoc loco idem est, quod *Perfectum*. Et toto corde & tota tribulatione animæ suæ Deum requirit, quicunque in eo solo confidit, & ab eo solo remedium suorum malorum efflagitat, & propter illius vnius offensam delicta sua detestatur. Ad misericordiam præstandam non attendit Deus perinde intensionem conuersionis ad se, ac perfectionem.

Respons.

Quid igitur per Ioel clamat, *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra?* Esto, possit quis conuerti ex toto corde ad Deum per actum remissum: certe fletus, planctus, & scissio cordis, in-

Obiect. 2.

Ioel 2.

tensum & feruidum dolorem requirunt. Et Niniuitarũ rex ita demum sperauit se & populum suum reconciliandum Domino, si operirentur omnes saccis, & reuersi à vijs suis malis, clamarent ad Dominum in fortitudine. Aliud tamen est, quod decet, & ad perfectam reconciliationẽ consentaneum est: aliud, quod necessarium est, & omnino requisitum, & citra quod nulli peccatori patet salus. Iustissimum quidem & decentissimum est, atque ad perfecte placandum Deum commodissimum, grauissime & feruentissime dolere de offensis Dei, & eas amarissime pro virili nostra flere. Et ad hoc omnes peccatores commonendi sunt, & pro sua quippe portione id conniti & conari debemus. Atque ideo & fletus, & planctus, & scissio cordis, & clamor in fortitudine, postulantur à peccatoribus in testimonijs citatis. Sed cum hoc stat, tantam esse misericordiam diuinam, vt etiam quantulancunq; ad se conuersionem peccatorum satis habeat, vt eos ad suã gratiam admittat.

Obiect. 3. Cur pereunt ergo aliqui peccatores, dolentes de suis peccatis, quia non eis subuenitur per sacramentum pœnitentiæ? Nam si non perirent, nunquam à patribus reputarentur rei salutis spiritalis peccatorum, qui eis pœnitentiam negarent in extremis. Quando etiam per absolutionem sacerdotum quis primo iustificabitur, si quantuluscunque dolor de peccatis iustificat?

Responsio. Nullus peccatorum perit, qui ante mortem dolet de suis peccatis propter Deum. Sed ideo salutem hominum adimere dicitur, quisquis mortis tempore pœnitentiam ei denegant, quia plerunque per sacramentum pœnitentiæ iustificantur, qui alias perirent. Quia absolutio potest primo iustificare, videlicet, cum quis sine tali dolore, & cum solo dolore de peccatis propter gehẽnam vel alia mala euitanda, aut propter alias similes causas, ad confessionem accedit.

Obiect. 4. Obijciunt & alij, quod constare posset peccatori sua iustificatio, si quãtulus suis dolor propter Deum sufficiat. Item quod nulla erit causa, ob quam quidam iustificentur, & alij non iustificentur, nisi quia Deus quosdam gratuito præuenit, & facit, vt detestẽtur sua peccata, & alios non. Quod videtur ad acceptionem personarum spectare. Verum hæc libro nono abunde dissoluimus.

Obiect. 5.

Obiect. 6. Magis equidem me solicitant multa testimonia sanctorum Doctorum, qui ad expiandum magnas & graues culpas, magnũ & omnino feruentem dolorem de ipsis, necessarium esse videntur docere. Ex quibus hic aliqua suis verbis subjiciam.

Cyprianus ser. 5. de lapsis. Deus quantũ patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Et vt intelligamus continuatione aliqua & vehementia opus esse ad placandum Dominum, subdit: Putas ne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? Putas, facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti?

Ambrosius in ep. ad quandam corruptã 2. de pœn. c. 6. Secundũ conscientiæ molẽ, exhibenda est pęnitẽtiæ magnitudo. Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus, grandem habet necessariam satisfactionem. Et alibi exemplum Ieremiæ proponit, vt intelligant peccatores, quãto affectu debeant facere pœnitentiam. Audiant, ait, qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conuersione. *Vide Domine, quoniam tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo conuersum est cor meum in medio mei, & cæt.* Quod si quantulacunque detestatio peccatorũ sufficeret ad gratiam, nunquam ille in eodem libro diceret: Facilius inuenitur, qui innocentiam seruauerit, quã qui congrue egerit pœnitentiam. Thren. 1.

Augustinus in libro de pœnitentia, d. 3. sunt plures, Ser. 11. referente Gratiano, ita scribit: Recte pœnitens quidquid sordium post purificationem contraxit, oportet vt abluat saltem lachrymis mentis. Et ad fratres in eremo, si tamẽ illius sunt illi sermones, sic aliquando loquitur: Grauia peccata grauissimis lamentis indigent.

Gregorius 3. in Reg. c. 8. in illa verba: *Si forte*

forte releuet manum suam à vobis, sic scribit. Quia dicunt, si forte releuet manum suam à vobis: quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum? Vnde & per Ionam dicitur: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus?* Quia ergo, si forte releuet manũ, dicitur: commoueri ad pœnitentiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus: quia etsi ij, qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inueniunt, negligentes salui fieri quando possunt?

Ion. 3.

Bernardus capit. 1. de modo viuendi. Compunctio lachrymarum, remissio est peccatorum: quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lachrymis ad memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum sanctum reducit ad se: quia cùm Spiritu sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. Et postea addit: Nihil peius est, quã culpam cognoscere, neque deflere. Et ex his quæ statim ex Isidoro allegat, videtur plane adeo magnum dolorem requirere ad iustificationem, vt etiam sufficiat ad lachrymas.

Isidorus de summo bono, cap. 12. vt citat Haymonus, sic scribit: Sunt qui pœnitẽtibus securitatem cito pollicentur, quibus bene per prophetam dicitur: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, & non erat pax.* Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitime pœnitenti, promittit securitatem. Vnde sequitur: *Confusi sunt, qui abominationẽ fecerunt*, id est, confusi sunt non pœnitentes, sed pœnas luendo. Et paucis interpositis, addit: Quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum fit, sine metu tamẽ hoc esse non debet, quia pœnitentis satisfactio diuino pensatur iudicio, non humano. Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. *Hæc ille.* Ex quibus videtur necessarium putasse tantũ dolorem de peccatis ad iustificationem peccatoris, vt ad fletum & lachrymas sufficiãt. Quare & idem contritionem, sine qua nemini dimittitur peccatum, sic diffinit: *Contritio est compunctio & humilitas mentis cum lachrymis, veniens de recordatione peccati, & timore iudicij.* Et hanc eandem diffinitionem possumus legere in sermone septimo Augustini ad fratres in eremo.

Hier. 6.

Cõtritionis definitio.

Verum enim cum hæc & similia Patres scripsere, non tam præcludere fiduciam salutis tepidæ pœnitentiæ voluerunt, quã indicare, quid deceret & conueniret nos facere, vt Deo perfecte reconciliemur. Tepida namq; pœnitentia, signum est imperfectæ displicẽtiæ. Et qui tepide dolet de suis peccatis, vix videtur agnoscere, quantũ malum sit peccatũ, quãta auferat nobis bona, quantis subijciat nos malis, quam grauiter Deum offendat, quãtis nominibus nos dedecoret & deturpet. Contra vero, feruens pœnitentia & satisfacit Deo de pœnis debitis pro peccatis, & ab eorum iteratione præseruat, & facit, vt perfecta sit nostra pœnitentia, & debitis alioqui circunstantijs vestita. Nec enim quantuncunque remissam pœnitentiam satis esse posse diximus, vt redeant peccatores in gratiã cum Deo, ideo & quantuncunque imperfectæ pœnitentiæ eadem virtus concedenda est. Hæc sanctorum testimonia si bene expendãtur, postulare sane videntur, vix aliquem aut nunquam perfecte & sicut necesse est, de suis peccatis dolere, si non & idem vehementer & feruenter de eis doleat.

Respon.

CAPVT XXV.

De perfecta peccatorum detestatione.

VIDIMVS, neque certi temporis continuationem, neq; certam aliquam intensionem necessariam esse, vt detestatio peccatorũ restituat peccatorem ad gratiã amissam. Sed nondũ aperuimus, qualis ea & quam perfecta debeat esse, vt in tantũ effectum pertingat. Id igitur nunc curabimus pro virili nostra explicare. Sed ne plus iusto excrescat nobis hic liber, graues & permultas Scholastic. Dd. circa hęc quęstiones, sub cõpendiũ aliquarũ ꝓpositionũ redigemus.

Ac primo quidẽ graues quosdam Dd. ex Scholasticis, magno cõsensu tradere video, necesse esse, vt dolor, de peccatis maximus sit, non quidem intensiue aut gradualiter, sed æstimatiue aut appreciatiue. Nã licet, comparationes peccatorũ ad mala pœnæ pericu-

Proposit. 1.

periculosę sint in vitiis imperfectis, ac propterea, sicut prudeter admonent S. Thomas, sanctus Bonauentura & alij Doctores, nunquam illa à pœnitentibus exigi debeát: tamen nunquam odium lethalium peccatorum reparabit hominē lapsum, nisi præponderet odio omnium aliorum malorum. Deus enim summe est diligendus.

Argum. 1. Et tanto a'icuius offensa acerbior esse debet, quanto maior est, qui est offensus.

Argum. 2. Et cum peccata sint maxima mala, & omnia alia mala incomparabiliter excedant, atq; in primis sint à cunctis vitanda, non videtur de illis dolere pro dignitate, neq; perinde ac debet, qui non ea supra omnia mala detestatur. Porro sicut oportet Deum & 1. Ioan. 3. proximos, iuxta mandatum Ioannis, *non verbo & lingua* diligere, *sed opere & veritate*: ita pœnitentiam necesse est agere non verbotenus & lingua, sed opere & veritate. Quæ autem pœnitentiæ veritas est, vbi peccata tam grauia mala sunt, & conscientiam nostram hoc non latet, & tamē nos leuiter de eis dolemus? Si veritas est adæquatio rei ad intellectum, tāto nos oportet dolore affici, vt vere cēseri possimus de ipsis dolere, quāta ipsa sunt mala.

Argum. 3. Ad hæc: Qui sic doleret de peccatis suis, vt mallet mala alia pœnæ, quam illa vitasse, non haberet dolorem qui eum in statū gratiæ reponeret. Oportet igitur de peccatis magis, quam de alijs malis, dolere.

Proposit. 2. Non sic tamen requiritur maximus dolor de peccatis ad iustificationem, vt necessarium sit ad eam, quidquid doctissimus Caietanus q. 1. add. in 3. p. senserit, actu detestari peccata supra omnia odibilia. Nusquam tantū rigorē scriptura requirit. Quin Ezech. 18. Ioel. 2. Zach. 1. per Ezechielem, Ioelē, & Zachariam absolute pollicetur Dominus misericordiā, peccatori auertenti se à peccatis suis, & cōuertenti se ad ipsum, nulla tali & tanta comparatione ad alia mala requisita. Neq; homines requirunt, vt condonent offensas in se commissas, dolorem de ipsis supra omnia alia minora mala.

Proposit. 3. Satis igitur est dolor de peccatis sic maximus appreciatiue actu vel virtute. Quod & antiqui nonnunquam maximum intensiue appellant. Tunc vero dolor de peccatis est virtute maximus, cum talis ac tantus est, & sic displicet homini peccasse, vt nulla ratione velit consensisse peccato. Siquidem si perseueraret eiusmodi dolor, nunquā quidem hoc cogitaret, mallet alia mala vitasse, quam peccata, & iam hic minoris facit, & existimat omnia alia mala. Quemadmodū enim firmior quidem & maior debet esse animus vitandi peccata, quam vitandi alia mala: & tunc hoc votum est in homine, cū vult absolute vitare omnia peccata, & nulla ratione eis consentire: ita licet detestatio peccatorum debeat esse maxima, tunc talis & tanta detestatio censenda est esse in homine, quando vsque adeo displicēt homini sua peccata, vt nulla ratione velit peccato consensisse, etiamsi non actu sic sit affectus, vt mallet potius in alia mala incidisse, quam in peccata. Quanquam autem, vt recte dicit Tertullianus, de pœnit. ignorantes Dominū nulla exceptio tuetur ad pœnam, quia Deum in aperto constitutum, & vel ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet, tamen forte ignorari potest inculpabiliter, cum nostris peccatis offendi.

Et in eo, qui tali laboraret ignorantia, maximus de peccatis dolor inesse videtur, quotiescunq; de suis peccatis dolet, quia sunt contra rectam rationem. Et ad reconciliandum eum Deo, merito censeri potest eiusmodi dolor sufficiens. Si enim sufficit ad perdendum gratiam ipsius, consensus in aliquo, quod est contra rectam rationem, sufficiet & ad redeundum in ipsius gratiam dissensus ab eodem, vt aduersatur rectæ rationi. Vt enim assensus ille auersio est à Deo virtualis, ita dissensus hic conuersio est ad Deum virtualis. Et par est, vt tantum possit hæc construere, quantum illa destruere. Et per Ezechielem certe non exigit Deus, nisi vt auertatur impius ab impietate sua. Dubitari vero non potest, quin auertatur ab ea, cui displicet, quatenus dissona est rectæ rationi. Et alioqui qui tali laboraret ignorantia, non posset citra miraculum, nisi in magno tempore, redire in gratiam diuinam. Proposit. 4.

Propofit. 5. Cum v. Deus solus possit peccata dimittere, & ad iustificationẽ, ex cõmuni sententia Doctorum, auersio à culpa, & conuersio ad Deum, necessaria sit, & sine amore Dei nemo ipsi reconcilietur, sicut dicit Augustinus, in illis qui sciunt Deum offendi peccatis nostris, quia summum bonum est, & legislator prouidẽtissimus, qui omnia mala districte prohibuerit: necessarium est dolere de peccatis, quia offensæ sunt illius. Et hoc est, quod potissimum nobis debet esse amarum in peccatis nostris, quod dum eis consentimus, Deum Optimum Maximum, & de nobis optime meritum, relinquimus, posthabemus, & offendimus. Et cum huiusmodi dolor est in nobis, tunc etiam censendus est esse in nobis maximus dolor de peccatis, quia est dolor de eis sub summa & iustissima ratione, qua sunt abominanda, & sub qua ipsa suprema sunt mala, & maxime omnium odio habenda. Et donec in hanc tantam perfectionem noster excreuerit dolor, quantuscunque ille sit, & quacunque alia ratione habeatur, nunquam perfectus erit, neque sufficiens ad reconciliandum nos Deo. Et hæc est perfectio, quam supra sæpe requisiuimus, quæque vna necessaria est, vt pœnitentia reparet hominem lapsum.

Proposit. 6. Sco. in 4. d. 14. q. 2. resp. ad vlt. Caiet. vbi supra. Et sane quanquam nonnulli Doctores requirere videantur ad lapsi reparationem, vt hunc dolorem comitetur dilectio Dei super omnia, dum tamen diuitias diuinæ benignitatis maturius mecum expendo, non solum absque formali & præsenti dilectione Dei super omia, vt lib. 6. c. 30. probabiliter defendimus, sed absque dolore in generali de omnibus peccatis, & alio omino actu eiusmodi dolorem de peccato, vel peccatis admissis, satis esse posse crediderim ad obtinendum veniam peccatorum. Is quippe actus, caritatis actus est, & amor Dei, & conuersio in ipsum. Et qui eum habet, iam derelinquit vias suas malas, & ex toto corde conuertitur ad Deum. Et apud homines talis dolor nonnunquam placat humanos & non penitus difficiles & intractabiles homines, etiam de grauissimis offensis. Et per Ezechielem, quod sæpe repetendum est, peccatori auertẽti se ab impietate sua palam pollicetur Deus misericordiam, nulla alterius, præcipue tam perfecti, actus requisita præsentia. Ezech. 18. & 33.

Proposit. 7. Et eiusdem prophetæ testimonio probari potest, satis esse dolorem de peccatis in generali, vt reconcilientur peccatores Deo, neque requiri tot dolores, quot admiserint peccata, quidquid durissime & (nostro quidem iudicio) stultissime quidã viri pij, & alioqui docti, asseruerint. *Considerans*, inquit, *& auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & non morietur.* Certe ab omnibus iniquitatibus suis auertitur, qui dolet in generali de omnibus illis, & nulla ratione vellet alicui eatum consensisse. Et quorsum Deus tam multos dolores requireret, cum dolor ille in generali virtute omnes eos contineat, & tantundem valeat etiam apud homines, qui difficiliores sunt, & absque vlla comparatione minus misericordes. Et nisi dolor in generali sufficeret, multo tempore opus esset, vt peccatores possent gratiam deperditam recuperare. Quod supra, dissonum esse & scripturæ, & Ecclesiæ, & sanctorũ Patrũ sentẽtijs, luculẽter ostendimus. Ezech. 18.

Proposit. 8. Debet tamen, quod necesse est, omnes fateamur, eiusmodi dolor, quamuis generalis, talis esse, vt virtute saltem pertingat ad omnia lethalia peccata, quæ quis admiserit, & animũ ab eis omnib⁹ reuocet. Et hoc crediderim, & non amplius requisisse Dd. qui dicunt necessarium esse ad iustificationem, dolorem distinctum de singulis peccatis mortalibus. Et merito quidem hoc exigitur. In infidelibus quippe, & in hæreticis, & in laborantibus aliqua ignorantia vincibili, sæpe sunt generales dolores de peccatis, neque tamen sufficiunt ad iustificationem, quia non retrahunt animum eorum ab infidelitate, hæresi, vel ignorantia, sed cum illis perseuerat actu vel virtute cõplacentia in eis.

Proposit. 9. Immo si displicerent omnia admissa peccata quatenus offensa sunt Dei, neque tamen eo pertingeret illud animi ǫdium seu dolor, vt & ipsi in se actus, qui offensa fuerunt Dei, displicerent non haberetur do-

lor, qui necessarius est ad cõsecutionem iustitiæ. Et posset quidem hoc contingere: q̃a sunt nõnunq̃ aliqui peccatores, qui nollét se offendisse Deum, sed gaudent nõ solum de effectu bono, ex offensa Dei secuto, sed etiam de ipso actu, ex quo talis prodijt effectus. Exempli gratia; Dolet quidem Petrus, se offendisse Deum, sed gaudet, quod habuerit incestuosum concubitum, ex quo habuit optimum filium. Dolet etiam Ioannes, se offendisse Deũ, sed gaudet, quod strenue & honorifice, authoritate & industria propria inimicum suum occiderit.

Quod vero eiusmodi dolores imperfecti sint, neque sufficiant ad reconciliationem peccatoris, nè quispiam decipiatur, sicut vidi quandoque in hoc deceptum quendam p̃ceptorem meum optime meritum de literis Theologicis, potest manifeste ostendi. Hi namque non verè dolent se offendisse Deum, sed nollent, Deum talem statuisse legem, vt illis suis iniquitatibus offenderetur. Si enim vere displiceret eis offensa diuina, displicerent vtique & actus, quibus Deum offenderunt. Isti etiam non detestantur peccata præterita. Siquidem non detestãtur illos actus sub ratione, qua sunt contra rectam rationem, & carent rectitudine debita inesse, à qua carentia habent saltem principaliter & formaliter, nè dicam principalius & formalius, esse peccata. Et qui sic sunt affecti, nondum auertũtur ab iniquitatibus suis, sed adhuc in earũ cõplacentia permanent, & vel fratrẽ suum oderũt, vel voluptatib. illicitis consentiũt.

Quod si ad perdendum Dei gratiam satis est horum scelerum perpetratio, immo etiam consensus in huiusmodi actus, etiam si displiceant, vt offensæ sunt Dei, quomodo dubitari potest, quin permaneãt in peccatis, quantumcunq; doleant se offendisse Deum, qui non eo perueniunt, vt nolint eos se actus fecisse? Certe nisi cum offensa Dei hoc quoq; nolint, neq; resipiscunt, neque relinquunt vias suas, neq; vitã mutant, neq; denique pœnitentiam necessariam de peccatis suis faciunt. Quare & vtrumque requisiuit Augustin. ser. 7. de tempore his verbis: *Odisse peccata per se sine amore Dei, non facit salutarem pœnitentiam.* Si qui tamẽ sunt qui nollent quidem patrasse, quæ admiserunt peccata, neque tamen dolent dolore sensitiuo, aut etiam intellectiuo de ipsis, ea detestatio peccatorum absq; vlla tristitia & dolore, ad iustificationẽ sufficeret. Idq; constanter Scotus, Almaynus, & alij tradidere. Et valde est hoc misericordiæ diuinæ cõsentaneum. Nam & apud homines hoc nonnunquam satis est, ad redeundũ in gratiam cum illis. Proposi. 10.

Nec verti in dubium potest, quin iam isti peccatores resipiscant à suis peccatis, & vere eos illorum pœniteat. Et quatenus dolor seu tristitia de peccatis, propriè pro passionibus accipiuntur, quæ sequuntur ex affectibus eorum, qui nullatenus vellent acquieuisse peccatis, adhibere possumus fidem nonnullis peccatoribus, asserentibus se non posse dolere de peccatis suis. Potest enim hoc vsuvenire in dolore sensitiuo, ex quo sequuntur lachrymæ propter duram complexionem vel p̃pter nimium alioqui dolorem intensiuum. Et non est mirandũ, si alia mala magis sensibilia maiorem causent dolorem, & in plures nos resoluant lachrymas. Et, secundum Doctorem Subtilem, possibile etiam hoc est de dolore intellectiuo, qui tristitia est: quia neq; necessario sequitur, secundum ipsum, tristitia ex fuga odio, seu nolitione peccati, licet vt plurimum coniuncta ipsi sit. Vnde est illud vulgatum Aug. lib. de pœnit. *Sicut pœnitentia comes est dolor, ita lachrymæ testes sunt doloris.*

Quod si, vt assolent aliqui peccatores dicere, de hoc doleant, quod non dolent, tali dolore sensitiuo vel intellectiuo, modo simpliciter dicant se nolle peccasse, admitti debent ad pœnitentiam. Si tamen dicerent, se non habere affectum, quo nolint consensisse peccatis, quæ admiserunt, quia nõ possunt talem affectum habere, & eum affectum more communi dolorem vocent, communibus & protritis rationibus ex malis, quæ sunt in peccatis, paulatim trahendi sunt, vt nolint ea admisisse. Fieri quippe nequit, vt doleant, quod non dolent de peccatis suis, si dolor accipiatur, vt plerumque fit, pro affectu, quo quis vult

non,

non peccasse. Nam is affectus semper subest potestati eius, qui verè vult eum habere. Quia vero magis ille pēdet ex Dei gratia & benignitate, quam ex nostra libertate: in primis orandus est Deus, vt eum dignetur ipsis impartiri. *Quis enim*, vt verissime dicit Bern. de trip. mise. *scindet duritiam istam, nisi qui in passione sua petras excidit? Quis dabit cor pœnitens, nisi à quo est omne datum optimum?*

CAPVT XXVI.

Ignorantibus probabiliter quantam Deus requirit pœnitentiam, sufficit ad gratiā momentanea & remississ. ma.

Sufficit quādoque, ad gratiā dolor minor, quam necessarius.

QVANQVAM vero par est, vt peccatores omnes solicite nosse studeant, quomodo & quatenus detestari debeant sua peccata, ad eorum tamen & piorum omnium cōsolationem, adijciam hic vnum quod iampridem nobis est vehementer ꝑsuasum. Et hoc est, dolorem de peccatis ꝓpter Deum, qualemcunque & quantuluncunque, ad remissionem peccatorum sufficere, etiam vbi Deus maiorem & longiorem requisiuerit, modo habeatur ignorantia probabilis talis legis diuinæ, neque animus desit dolendi vehementius & diuturnius, si quidem ea lex diuina constaret.

Itaque si, exempli gratia, Deus ad remissionem peccatorum nostrorum, requisiuerit dolorem de eis propter ipsum intensum vt quatuor, & continuatum per centesimam partem horæ, sed hoc ignoretur à nobis inuincibiliter, & probabiliter credamus vel propter authoritatem doctissimorum virorum, vel propter argumenta iam facta, sufficere etiam remississimum & momentaneum dolorem de peccatis omnibus propter Deum, non solum, vt credo, excusabimur à nouo peccato propter eam ignorantiam inuincibilem, sed vere etiam sufficiet ille dolor, ad obtinendum gratiā, & quod deest, supplebitur per propositum dolendi amplius & vehementius, si quidē id crederetur requisitū. Est enim hoc propositum vel formaliter, vel virtualiter in omnibus, qui dolent, quantum probabiliter existimant sufficere. Non ausim piam hanc opinionem, vt certam tradere: verum eam probabilem esse, his possumus argumentis suadere.

Primo: Quicunque dolet de peccatis suis, quantum putat probabiliter sufficere ad implendum pręceptum contritionis, & consequendum gratiam diuinam, implet præceptum contritionis. Præcepta enim diuina non amplius obligant, neque ad aliquid maius, quam nobis possit innotescere. Qui vero implet præceptum contritionis, vere habet gratiam. Argum. 1.

Secundo: Qui facit ea, quæ probabiliter credit esse satis ad implenda præcepta de baptismo & pœnitentiæ sacramento, etiamsi propter malitiam sacerdotis non suscipiat ista sacramenta, non solum excusabitur à nouo peccato, sed etiam consequetur gratiam, quam alias fuisset consequuturus per huiusmodi sacramenta. Dicit enim Alexander tertius c. debitum. de Bapt. & eius effectu, de Iudæo, qui se baptizauit in mortis articulo, cum esset inter solos Iudæos: Si talis continuo decessisset, ad patriam protinus euolasset propter sacramenti fidem, & non propter fidei sacramētum. Ergo qui doleret de suis peccatis propter Deum, quantum probabiliter credit satis esse, etiamsi non doleat quantum Deus forte ad conferendum gratiam requirit, non solum excusabitur à præcepto tanti doloris, sed & vere consequetur, quod per eum dolorem fuisset consecuturus. Argum. 2.

Tertio: Si non sufficiat ad nostram iustificationem dolere, quomodo & quantum probabiliter credimus, & à ꝓbatis Ecclesiæ Doctoribus traditum est nobis sufficere, oporteret cōcedere, non esse nobis sufficienter traditam per Ecclesiam viam ad nostram iustificationem, quod aperte est inconueniens, vel saltem non esse aliam viam certam nobis, neq; à Deo, neq; ab Ecclesia traditam, qua possimus iustificari, quam istam, vt ex toto corde doleamus. Argum. 3.

Quarto: In alijs præceptis non solum excusabimur à peccato, sed & vere obtinebimus, quę Deus promisit illa seruantibus, si ea impleamus, quantum nobis innote- Argum. 4.

scunt per prædicationem Ecclesiæ, & ea faciamus, quæ probabiliter putamus pro eorum impletione sufficere. Et potest hoc ostendi in præcepto dandi eleemosynam, & in præcepto remittendi iniurias, licet enim varient Doctores in explicadis illis, ad quæ ista præcepta obligant, vere tamen sufficiet ad consequendum præmia & prærogatiuas seruantiū illa, implere ea iuxta opinionem probabiliorē Doctorū, etiamsi alia sit verior.

Argum. 5. Quinto: Apud clementes, & non omnino inhumanos dominos, ista sufficerent ad implendum præcepta eorum, & obtinendum præmia, quæ polliciti essent ea seruantibus, vel certe ad consequendum eorum gratiam & veniam de offensis contra illos patratis.

Argum. 6. Sexto: Qui laborat aliqua ignorātia vincibili, & ob hoc solum gratiam non obtinet Dei, etiamsi multum & feruēter doleat de suis peccatis, eoipso acquiret Dei gratiam, quo illa ignorantia efficietur inuincibilis. Perinde etiam est, non præscribi aliquod præceptum, & non notum facere. Et perinde est, non notum fieri, & ignorari illud inuincibiliter. Si ergo vbi Deus non requisisset aliquem dolorem ad communicandum nobis suam gratiam, aut certe non requisisset tantum, aut tanto tempore continuati, iustificaretur, qui remisissime & in momento doleret, iustificabitur etiam, cum ignorat inuincibiliter maiorem dolorem esse requisitum. Non enim exigit Deus ad consequendum gratiam suam, nisi quæ præcepit. Neq; præcepit, nisi quæ possunt moraliter innotescere.

Argum. 7. Septimo: Qui dolet, quantum probabiliter putat sufficere, facit quod in se est. Nam vt faciamus quod in nobis est, necessarium non est, vt faciamus totū quod possumus: sed satis est, facere quæ factu putamus necessaria, vbi non laboremus ignorantia culpabili. Faciens autē, quod in se est ad obtinendum gratiam diuinam, procul dubio, vt supra probauimus, assequetur & illam. Dixi tamē hoc non vsquequaq; certum, qa neq; ab Ecclesia, neq; à sacris Doctoribus quicquam video de hoc definitū, & vidi viros doctissimos dubitare de hoc, & constanter asserere contrarium. Cumq; Deus gratis det peccatoribus suam gratiam, non omnino est absurdum, si aliquid præcipiat, aut saltem exigat à nobis, vt eam obtineamus, de quo nobis non possit satis certo constare. Commodum enim id est, vt semper simus de nostra salute soliciti, neq; contenti simus breui aut paruo dolore de offensa ipsius, quæ adeo omnibus lugenda est, vt quantumcunque doleamus de ipsa, semper illa acerbius & diutius dolenda sit. Et si Deus requisiuit vere maiorem dolorem, quam sit noster, satis videtur dare hoc ignorantiæ, vt excuset à peccato. Nec apparet necessarium concedere ei, vt faciat eum dolorem sufficientem, qui alias quauis ratione est insufficiens.

Vnde nemo, quod sciam, cōcedit ignorantiam hoc posse præstare dolori de peccatis timore pœnæ, tametsi, vt hoc obiter dicam, non soli Doctores li. 6. c. 24. citati, & eum, & pœnitētiam ex ipso conceptam, approbent, sed & ipsis antiquiores. Iren. 3. cō. hæret. c. 35. & Tertull. de pœnit. Idemque legere licet non tantum in citatis locis ex Aug. & Bern. sed & in Augustino de spiri. & lit. c. 32. & epist. 120. c. 18. & in Bern. in ser. 2. Dnicæ 1 post Epiphaniam, & in ser. de primordijs, medijs, & nouissimis. Ex quibus, cum illis quæ supra scripsimus, apertior esse poterit insania Lutheri, qua asseruit timorem ante caritatem obesse, & ea accepta inutilem esse, & pœnitentiam timore conceptam, Deo magis odibilem animam facere, quia pœnitentiam fingit. Sed tempus iam appetit, vt ad tertiam partem huius sacramenti transeamus.

CAPVT XXVII.

De sacramentali peccatorum confessione.

APTISSIME nimirum Patres, post cessationem à peccatis, & detestationem eorundem, tertio loco sacramentalem peccatorum confessionem subiecerūt. Quid enim tam proprium sit eius, qui vere à suis culpis resipiscit, & eas pro dignitate detestatur, quam aduersum se iniustitiam suam confiteri, & virulentum concep um humorē euomere, ac lāguores & suæ animæ vulnera

vulnera ei, qui mederi possit, detegere. Nõdum sane morbos suos spiritales agnoscit, qui medico spiritali eos reuelare subterfugit. Nondum lethalia peccatorum venena, quæ biberat, intelligit, qui non eis per confessionem releuari festinat. Neque satis de suis erratis confunditur, qui ea nititur abscondere, & non potius, vel ad suam ipsius confusionem & pudorem, ei qui mederi ipsis potest, propalare. Sacramentalem autem confessionem peccatorum, vocant Patres confessionem peccatorum secretò & iuxta ritum Ecclesiæ Catholicæ factam sacerdoti, habenti legitimam potestatem remittendi peccata.

Sacramentalis confessio.

Quo nomine distinguitur à multiplici peccatorum confessione, quę & in iudicio, & extra iudicium & publice, & priuatim multis alijs nominibus & rationibus, & Deo & hominibus fieri potest. Ideo vero adiecta sunt illa verba, Saltem in voto, & suo tempore faciendam: quia non sic necessaria est confessio ad reparationem lapsi, sicut cessatio à peccatis, & eorum detestatio. Absque his vtplurimum non liberatur perfecte peccator à malis, quibus se subiecit per peccatum: bene autem, absq; confessione. Satis quippe est votum seu propositum confitendi tempore, quo peccator ad id adstringitur, videlicet semel in anno ex statuto Ecclesiæ, & tempore susceptionis Eucha. & in periculo mortis ex iure diuino.

Temporibus tribus obligat præceptum cõfessionis:

Omnis vtriusq; Sexus. de pœnit. & re.

Et in hoc omes conueniunt Doctores, Hugone & Richard. de sancto Victore, exceptis. De quorum sententia copiose agemus cap. 33. & quamquam nonnulli scholastici huius voti confitendi præsentiam ad iustificationem requirũt, & Richardus etiam voti satisfaciendi præsentiam videtur ad veram pœnitentiam exigere, tamen vt communior, ita probabilior est aliorum sententia, quod sufficiat actu vel virtute habere hoc propositum confitendi statutis à Deo vel ab Ecclesia temporibus. Alioqui & nunc esset in lege gratiæ difficilius, reconciliari Deo, quam fuerit sub lege naturæ, vel scripta, quibus temporibus certum est, nullius talis propositi præsentiam fuisse necessariam. Et cum propositum suscipiendi baptismi satis sit in virtute ad iustificationem peccatoris non baptizati, vt supra ostendimus, non est quod quisquam ambigat, quin multo magis suffecturum sit, habere in virtute propositum confessionis ad reparationem eius, qui lapsus est à gratia baptismali. Virtute vero habentur hæc vota, quando vel animus est in generali adimplendi omnia mandata, ad quæ obligamur, vel tanta est admissorum peccatorũ displicẽtia, vt cum ea non stet consensus alicuius exitialis peccati in futurum.

Hug. 2. de sac. Richar. de pot. lig. & solue.

Non requiritur ad gratiam propositum confitendi aut satisfaciendi.

Et cum inter partes pœnitentiæ, sacramentalem confessionem eorundem peccatorum Patres computant, quæ statim & relinquenda & detestanda dixerant, satis indicant omnia peccata commissa post baptismum siue mortalia, siue venialia, ad sacramentalem Confessionem pertinere. Omnia namque talia, relinquenda & detestãda sunt. Quia tamen ad iustificationem peccatoris necessariæ sunt cessatio á peccatis lethalibus, & detestatio eorum, non autem cessatio à venialibus, aut eorum detestatio, hoc ipso innuitur, mortalium omnium confessio necessaria esse, non autem venialium. Vide ergo, quisquis Catholicæ Ecclesiæ aduersaris, & agnosce vel ex his præsentiam Spiritus sancti in œcumenicis Concilijs.

Omnia peccata post baptismũ, materia sunt cõfessionis.

Quinque præcipui errores hactenus pugnarunt contra sacramentalem confessionem, & eis omnibus obuiam hic iuit sacrosancta nostra Synodus.

Errores 5. hic dãnati.

Primus est Vualdensium, & (vt refert cap. 135. libri de sacramẽtis Thomas Vualdensis ex Damasceno, libro de hæresibus, hæresi 80.) etiam Massilianorum, qui confessionem abstulerunt, & eam inutilem & superfluam censuerunt. Cui errori accessit Vuiclefus, qui asseruit, debite contritis eam esse superfluam & inanem. Consensit & ex parte Lutherus, cum docuit nullam gratiam in ea per absolutionem sacerdotum conferri. Sed si superflua esset & inanis confessio, nunquam ea computata esset inter partes sacramenti pœnitentiæ, necessarij ad reparationem lapsi. Verum de virtute, & efficacia confessionis non hic, vbi

Primus.

vbi ab absolutione dissepatur, sed cum de ipsa sacerdotum absolutione tractabimus, commodior erit locus disserendi.

Error 2. Secundus error fuit Iacobitarum, affirmantium confessionem clancularíam non esse necessariam, sed satis esse confiteri Deo soli. Et hunc errorem eis imputat Guido Carmelita in summa de hæresibus. Tribuunt & alij eundem Martino Luthero. Quā iuste, ipsi viderint, qui ei imputant. Certe neque Leo decimus quidpiam tale in eo damnat, neque sanctus Episcopus Roffensis hoc ei impingit. Et vt candide & ex animo vbique veritati faueam, ego non solum non vsquam hoc in eo legi, verum legi aliqua ex diametro cum his pugnantia. Quod si non ipse, quod sæpe alias facit, sibi ipsi aduersetur, non crediderim illum in eo fuisse errore. Sed vtcunque sit, satis reiecerunt Patres hunc errorem, cum confessionem dixerunt saltem in voto & suo tempore faciendam esse. Nam hæc verba satis eam necessariam ostendūt. Et vt nulla esset ambiguitas, apertissime postea hūc errorem damnarunt canone 29.

Error 3. Tertius error fuit cuiusdam Petri Osmensis, qui in vniuersitate nostra Salmāticensi ausus est defendere, confessionem nō esse de iure diuino, sed tantum ex vniuersalis Ecclesiæ statuto. Et eundem errorem tenet Gloss. in principio di. 5. de pœnitentia, & in c. Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. Dubitat & ibi Panormitanus de hoc, sed magis inclinat in eandem sententiam. Et quod iam olim multo magis miror, eandem tenuit Diuus Bonauentura in 4. d. 17. parte 2. artic. 1. q. 3. idque authoritate Hugonis de sancto Victore, expresse dicentis de Christo: Medicis dixit, vt curarent: sed infirmis non dixit, vt ad medicos venirent. Hoc quasi certū esse voluit, quod ægri libenter salutem quærerent, & se curādos offerrent, si medicos inuenirent. Sunt etiam qui & hunc errorem impingant Luthero. Verum ego nihil hactenus in eo legi, vnde quā istuc ei tribuere. Tuentur tamen illum Philippus & Erasmus Sarcerius in locis communibus. Et non solum dicūt confessionem nostram auricularem nō esse

Bonauent. Hugo.

iuris diuini, sed ne agnitam quidem esse à vetustis Patribus. Sed multo & in multis ignorantior est & magis temerarius Sarcerius, qui suum errorem multis sanctis Patribus non veretur imponere, & doctrinæ Catholicæ erroris notam inurere. Damnauit autem hunc errorem hoc loco expresse sancta Synodus. Nam cum in proœmio huius decreti, doctrinam hic traditam, doctrinam esse asseruerit à Christo & ab Apostolis eius acceptam, satis colligere possumus, & huic quoque errori obuiare illam voluisse. Et hanc sententiam merito esse inter errores computandam, ex statim dicendis liquidum faciemus.

Quartus error fuit Martini Lutheri, quod venialia peccata non pertineant ad confessionem. Et hunc errorem satis ille innuit in artic. 8. damnato à Leone X. Nullo modo præsumas confiteri venialia. Sed apertius id docuit, cum in apologia eorum verborum impingit Catholicis omnibus, quod vnanimiter dicant, venialia non pertinere ad confessionem, & ea ratione verba illa excusat, quod nihil tradiderit, quod nō & omnes sui aduersarij tueantur. Ego vero in nullo Catholico authore quidpiam tale legi, nisi in vno parum docto, tametsi satis pio, qui Abcdarios quosdam morales scripsit Hispanice. Error 4. Lutherus, Philippus & Erasmus Sarcer. in art. de confessione.

Quintus error in hac materia, est, non necesse esse omnia peccata mortalia confiteri. Quem etiam errorem satis innuit Lutherus in verbis illis, damnatis vbi supra à Leone decimo: *Nullo modo præsumas confiteri omnia mortalia, quia impossibile est, vt omnia mortalia cognoscas.* Error 5.

Eodem etiam pertinet articulus 9. contra ipsum, damnatus ab eodem Pontifice, qui sic habet: *Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.* Et quanquam in apologia horum articulorum mira vafricie, vt habeat scilicet, quibus se à nobis tueatur, sententiam suam abscōdit, neque satis explicat, an crediderit, posse pœnitentes confessionem alicuius mortalis eis occurrentis intermittere, tamen in eam partem magis propendisse videtur,

vel

vel certe eo tendit, vt retrahat homines à solicitudine, quam viri communiter habent. vt quantum pro sua quisq; viribus possit, omnia reuocet in memoriam, quæ peccata mortalia commiserit, & dei lis integre & aperte, & absque vlla circuitione sacerdoti confiteatur. Et nunquam explicat, necesse esse, confiteri omnia mortalia quæ occurrerint: sed in hoc totus versatur, vt ostendat, non posse quenquam, si id sit necessarium, pacem assequi conscientiæ, aut iudicium Dei euadere, neque posse omnia mortalia nobis innotescere.

Quintum vero hunc, & quartum errorem excluserunt Patres, vt statim diximus, cum asseruerunt, eorundem peccatorum sacramentalem esse confessionem faciendam, quæ & relinquenda & detestanda esse, docuerunt. Sed iam hanc patrum doctrinam, Christi, Apostolorumque ipsius, & totius Ecclesiæ doctrinæ concordem esse, ac proinde qui errores hos inuulgarunt, longe à veritate abfuisse, commodum erit monstrare.

CAPVT XXVIII.

Confessio consueta in Ecclesia, est de iura diuino.

SI confessionem iure diuino indictam esse omnibus, à gratia baptismali prolapsis, semel persuaserimus: manifestum erit, eam vtilem esse & necessariam, neq; operosum fuerit de his omnibus hæresibus triumphare. Quare quid de confessione ista sacramentali sacræ literę tradiderint, in primis videbimus. Porro me non fugit, celebres aliquos authores, & pietate & doctrina insignes, multa ex veteri testamento protulisse, vt confessionis auricularis ritum, quem nunc tenet Ecclesia, nouum non esse, nec contemnendū ostenderent. Et nominatim Thomas Valdensis de sacramentis cap. 139. & 143. dicit, Christum non dedisse nouum præceptum, sed antiquam consuetudinem roborasse. Ac 137. cap. refert ex quodam Iudæo, se didicisse, consuetam fuisse apud illos confessionem

Thom. Vual. fac. à c. 135. vsque ad 140. Rof. artic 8. in Lut. Eckius in Enchiri.

in adulterio, homicidio, & blasphemia nominis siue legis Dei occultis & peculiarem & distinctam pœnitentiam pro hoc imponi solitam.

Et Cyprianus quidem ser. 5. ad lapsos, ex confessione trium puerorum in camino ignis apud Danielem, probat confessionē. Et Lactantius 4. diui. inst. c. 17. idem facit ex præcepto circumcisionis.

Ambrosius 1. epist. 3. etiam fundat confessionem nostram in confessione omnium iniquitatum populi, quæ debebat fieri à sacerdote super hircum emissarium.

Augustinus similiter fundat in confessione Iob, & in illis verbis, Conuulsæ sunt compagines.

Chrysostomus in opere imperfecto, si tamen illius est, confirmat idem ex confessionibus, quæ iuxta Matthæum fiebant ante baptismum Ioannis.

Sed si bene hæc omnia testimonia expendamus, deprehendemus sine dubio, ea esse intelligenda aut de confessione, quæ Deo fit in corde, aut de confessione, quæ fit iudicibus in iudicio, aut de confessione aliqua peccatorum in genere, quæ fiebat vel in templo, vel alibi coram Domino, & ipsius sacerdotibus vel prophetis, aut de confessione, quæ indicaret vel ex ignorantia, vel ex fragilitate hominem peccasse, nulla expressa distinctè specie peccati, aut denique de confessione alicuius peccati in specie, opere ipso aut sacrificio facta, non verbo. Et vmbras quidem & figuras nonnullas ac præludia aliqua nostræ confessionis præcessisse passionem Domini, nihil ambigo. Seruabit hoc perpetuo prouidentissimus ille Dei spiritus, vt quæ insignia facturus, aut instituturus erat in lege gratiæ, longe illa ante vel in lege naturæ, vel in lege scripta adumbraret. Eaque re & authoritatem eis non exiguam conciliauit, & difficultatem emolliuit, quæ ab eis credendis, aut opere perficiendis, nostros animos auocare poterant. Sed enim ante datas hominibus claues ligandi & soluendi, indubitatum nobis est, nunquam neque indictum esse, neque consultum, neque apud aliquam omnino nationem receptum fuisse ritum

Non fuit ante nouā legem ritus auricularis confessionis.

nunc obseruari scimus ab vniuersa Ecclesia. Et huius sententiæ est Doctor noster Subtilis, & communiter scholastici Doctores in 4. d. 17. Neque conueniebat profecto, vt ad tantum & tam graue onus quispiam obligaretur, donec præcellentes huiusmodi claues Deus impartiretur hominibus, quarum beneficio & adiutorio cõpensari posset quicquid vel oneris est, vel laboris in reuelandis distincte & peculiariter nostris peccatis hominibus.

Et hunc tantum & tam salubrem ritum, quique magnifice hominem extollit, dum homo homini sua manifestat arcana, & ab eo præsidium suæ salutis deposcit, differri nimirum oportebat in hoc vsque tempus, quo humana natura mirifice à Deo exaltata, hominem cœpit habere, Christum videlicet Iesum Dominum nostrum, qui arcana omnia nouit, & in cuncta humana opera plenissimam habet iudiciariam potestatem. Et sanctos Doctores nequaquam existimauerim in antiquis figuris nostram confessionem fundasse, quia & ante nouam legem crediderint Deum illam vel instituisse, vel præcepisse. Quomodo enim lex vetus, quæ vel minutissima precepta distinctè tradidit, de hoc vno grauissimo præcepto credita fuisset tacuisse? Vtebantur tamen illis ad constabiliendum nostram confessionem, quoniam necesse est omnes concedere, in noua lege implenda esse, quæ sub nube & figura in veteri lege præcesserant.

Quomodo figuræ probant nostrã confessionem.

Ac fortassis non leuiter confirmari posse intelligebant confessionem nostram ex eo, quod confessiones generales & impendio obscuræ, gratæ nihilominus Deo fuisse ostenduntur. Cui enim illæ placebant, placebit proculdubio confessio distincta & particularis, quæ nos magis confundit & humiliat, quæque dolorem de ipsis offensis, & conuersionem nostram in ipsum multo apertiorem facit. Seruiant igitur illa testimonia & figuræ, vt amabilem & caram Deo confessionem peccatorum ostendant, quam tanto ante tempore tam multis inuolucris & delineamentis nobis ille-

ritum nostræ confessionis probemus, solum illis vtemur testimonijs, quæ nobis eã commendare possunt ab eo tempore, quo Christus suis Apostolis has claues tradidit.

Et primo quidem ex verbis illis, quibus Christus hoc instituit sacramentum: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*: non obscure colligi potest, omnibus peccatoribus à gratia baptismali lapsis, indictum esse ab ipso nostræ confessionis præceptum. His quippe verbis iudices constituit Christus Apostolos super omnes Christianos peccatores, & non quidem voluntarios, vt arbitros, sed necessarios. *Quorum remiseritis*, inquit, *remittuntur eis, &c.* Quare necessarium est, vt ad eos recurrant quicunque volunt remissionem suorum peccatorum obtinere. Cum solus Deus hanc habebat potestatem, & sibi vni hoc reseruauerat, vt dimitteret peccata, ad eum solum tenebantur peccatores recurrere.

Confessio auricularis est de iure diuino.

Ioan. 20.

Et hoc necessarium fuisse, in hæc verba tradidit Ambrosius 2. de pœnit. cap. 6. *Vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es, & vis rogari, vt ignoscas: & putas Deum tibi non roganti ignoscere?* Hæc ille. At nunc, cum Deus tantam prærogatiuam sacerdotibus impartiuerit, vt non solum remissa sint, quæ ipsi remittunt, sed retenta etiam, quæ ipsi retinuerint, necesse est profecto dicere, eadem confessione obligatos esse peccatores omnes fideles ad recurrendum iam non solum ad Deum, sed & ad ipsos sacerdotes.

Necessitas orationis.

Quoniam vero permulti etiam Catholici & docti, de hac necessitate confessionis ex iure diuino, vehementer dubitarunt, & quemadmodum ex his verbis illa possit colligi, assecuti non sunt, & alij dum eam omni vi & ope sua niterentur colligere, in ipsis suis conatibus multipliciter defecerunt: vt omnia dilucidiora sint & efficaciora, rem istam magis premam, & confirmabo hunc in modum: Quilibet peccator à gratia baptismali collapsus, facere & admitti tenetur, ne sua à Deo retineantur pec-

cata.

cata. Debet enim pro sua quisque parte satagere, vt in gratiam redeat, neque vel momento, si posset, in offensa & in Dei inimicitia perseueret. Porro peccata tandiu retinentur à Deo, quandiu retinentur à sacerdotibus. Ait enim: *Et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sacerdotes vero neque retinere queunt aliter peccata, quam non remittendo: neque absoluere quenquam possunt ab eis, nisi illa sibi manifestētur. Quoniam, vt sapiens ait, *Qui iudicat, quod nouit, iudex iustitiæ est.* Et sicut in foro exteriori retinet iudex tandiu reum in carcere, quandiu non dimittit: ita retinere sacerdotem peccatores, nihil est aliud, quam non dimittere. Si igitur qui post baptismum peccarunt lethaliter, tenentur facere, ne retineantur sua peccata à sacerdotibus, tenebuntur vtique & ea illis manifestare. Nam alioqui quomodo ipsi poterunt eos ab illis absoluere, cum sententia ferri non valeat in incognitum? Eademque via colligi hoc præceptum potest ex verbis Christi ad Petrum: *Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlo &c.* Itemq; ex verbis Christi ad Apostolos: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. &c.* Nam & ea, quæ his verbis & Petro & ipsis est pollicitus, impleuit cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, &c*

Ioan. 20.

Prou. 20.

Matt. 16.

18.

Ioan. 20.

Respon. Melancht.

Respondet Philippus vbi supra, posse fieri absolutionem sine cognitione ministerij euangelij, licet non possit fieri in iudicio. Quia ministerium euangelij est mandatum cælicum impartiendæ remissionis peccatorum, siue nota sint, siue ignota. Et huius signum ait esse, quod plurima remittuntur peccatoribus per absolutionem sacerdotum, quæ neque meminere, neq; intelligunt, qui absoluuntur. Et fide, addit, vox absolutionis accipienda est. Ita enim oportet credere propter authoritatem Euangelij nobis remitti peccata, cum absoluimur à sacerdote, ac oportebat Dauidem credere Nathan prophetæ, dicenti: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum.*

2. Reg. 12.

Impugnat.

Sed quot hic sunt errorum portenta? Tot pene sunt errores, quot verba. Sed id tantum, quod nunc agimus, vrgeamus. Nunquid Philippe omnibus peccatoribus petētibus se absolui, impartienda est remissio peccatorū? non, opinor, ita delirabis. Nonne Christus hoc manifeste prohibuit, cum iussit Apostolis suis, ne sanctum darent canibus, nec margaritas suas mitterent ante porcos? Et qui dedit potestatem ligandi & soluendi, retinendi & remittendi, aperte vtique indicabat, quosdam ligari & retineri oportere, alios vero solui & remitti. Quomodo igitur rite & legitime possant sacerdotes hac potestate vti, & quosdam ligare, alios soluere, nisi ipsis innotescant aliqua peccata ipsorum? Enimuero qui homines iudices constituebat aliorum hominum, & ita eis subijciebat languores omnes spirituales, ac subiecta sunt iudicibus secularibus delicta manifeste noxia ciuitatibus, & languores corporales ipsis medicis, hoc ipso satis admonebat, vt humano more fungerentur hoc officio, & perinde atque vnumquemque dignum nossent, vel participem remissionis peccatorum suorum facerent, vel expertem.

Dicet forte & aliquis: Tenentur quidem peccatores iure diuino declarare sua peccata sacerdotibus, at non distincte, neq; in specie, sed satis erit in genere. Respon. ad

Quomodo vero sacerdotes ex generali confessione nosse poterunt, quos debeāt soluere, quos ligare, quas quibusq; satisfactiones indicere, quæ quibusq; morbis aptare medicamenta, vt præseruent à recidiua? Quis prudens & iustus iudex, sic vel in foro exteriori reos absoluit? Deinde: Cum ex vsu & praxi totius Ecclesiæ hoc perspicuum sit, nunquam, nisi forsan in articulo necessitatis, sacerdotes ea generali confessione contentos esse; vt peccatores absoluant, semperq; requirere peculiarem & distinctam peccatorum confessionem, qua ratione & iure tenentur peccatores satagere, vt sua sibi remittantur peccata à sacerdotibus, tenebuntur & ea ipsis palam facere eo modo, quo ipsi iuste & prudenter exigunt ea sibi manifestari. Itaque quamuis, vt ante nos nobiles authores docuerunt, ad absolutionem & confessionem sacramentalem

Impugnat.

Iacob. Latomus. Alphonsus Castro.

talem satis esset quæcunque distincta peccatorum confessio, siue publica, siue secreta, tamen ex quo Ecclesia secretam & auricularem requirit, ad eam tenentur peccatores eo iure, quo adstricti sunt remissionem suorum peccatorum quærere.

Et Leo epist. 89. quidem huius nominis primus, sic ista verba Saluatoris videtur intellexisse. Ex hac namque potestate, sacerdotibus à Christo data, ita colligit: *Multum vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur.* Et vt intelligas diuino, & non humano, iure hæc esse instituta, ex eisdem verbis colligit pauloante, ita diuinæ bonitatis ordinata esse præsidia, vt qui generationis donum violassent, non aliter ad remissionem criminum peruenirent, neque indulgentiam Dei, nisi supplicationibus sacerdotum possent obtinere. Et quod Leo hic dicit, sacerdotalibus supplicationibus peccatorum reatum dimitti, cum tamen de absolutione sacramentali loqueretur, docere nos potest duo. Primum est, antiquum fuisse ritum seruatum nunc in Ecclesia, vt sacerdotes absolutioni pœnitentium præmittant aliquam, vel breuissimam pro ipsis orationem, qualis est illa, Dominus noster Iesus Christus te absoluat. Secundum est, Iacob. 5. verba illa Iacobi, *Et oratio fidei saluabit infirmum*, non ad solam orationem, quæ fit à presbyteris in collatione extremæ Vnctionis, esse referenda, sed etiam ad orationem, quæ fit cum absolutione sacramentali. Vnde & Iacobus cum docuisset, quid presbyteri adhibiti ægrotantibus deberent facere, statim, vt mox docebimus, omnes Christianos ad confessionem excitauit, viam videlicet ostendens tutissimam ad assequendam remissionem peccatorum.

Ex eodem etiam loco Augustinus tract. de cura militiæ, necessitatem confessionis his verbis colligit: *Nemo dicat occulte, Ego pœnitentiam apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde meo ago. Ergo sine causa di-* Matt. 18. & 16. *ctum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo. Ergo sine causa datæ sunt claues Ecclesiæ.* Hęc Augustinus. Et legit quidem illa Sarcerius, sed videns non videt, & audiens non audit. Ad confessionem coram quouis fratre faciendam, putat hæc spectare, & inde illius vtilitatem probat. Verum rogo te Sarceri per viscera Christi Iesu Saluatoris omnium, paulisper in te redeas, & à lethargo, quo laboras, expergiscaris. Si de confessione coram quouis fratre agebat Augustinus, quid opus erat meminisse clauium Ecclesiæ & authoritatis datæ Apostolis in peccata? Nunquid habet quiuis Christianus claues regni cœlorum, & authoritatem absoluendi à peccatis, & non potius soli sacerdotes? Deinde: Quis ita fuit vnquam rigidus, vt necessarium crediderit alicui peccatori, confiteri sua peccata illis, qui non sunt sacerdotes? Cum igitur Augustinus necessariam confessionem tradit, de confessione profecto agit, quæ fit coram solis sacerdotibus, & non de ea, quæ & nunc, & ante aduentum Christi fieri potuit coram quouis fratre. Sed vt omnem amittas scrupulum, lege, quæ paulopost citabimus ex eodem in 2. de visitatione infirmorum, neque si velis, dubitare poteris, quin nostra sententia sit per omnia concors Augustino.

Et quoniam nunc duntaxat contendimus, Augustinum credidisse, in his euangelicis verbis contineri præceptum confessionis Sacramentalis & Auricularis, audi quid ille Hom. 49. scripserit: *Qui post vxores vestras,* inquit, *vos illicito concubitu maculastis, si præter vxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occulte ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit; quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo?* Matth. 18. *Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei? Frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne vos decipimus?* Quid his pro nobis requiratur apertius? Agendam necessario pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ex verbis Christi colligit. Intellexit ergo talem nobis indictam esse pœnitentiam à Christo, qualem ipsius Ecclesia exigit; occultam videlicet pro occultis peccatis, & publicam pro publicis.

Et nisi ad occultam & secretam confessionem hæc direxisset Augustinus, non generata

neraliter omnibus adulteris locutus esset. Ideo vero in his, quæ mox subiecit, de pœnitentia publica Iob & Theodosij Imperatoris agit, quoniam generalem pro omnibus peccatoribus tradebat doctrinam, & quia inde magis innotescit culpa detrectantium secretam confessionem, quando tanti viri non fugerunt publicam.

Et cum Chrysostomus in loco statim citando dicat, Deum iussisse confessionem, necesse est dicere, cum sensisse sub his verbis illam fuisse præceptam, aut verbotenus illud præceptum ab ipso habuisse Apostolos. Nam in Scripturis nullum plane locum allum video, in quo Christus hoc præceptum tradiderit.

Neque leue argumentum pro hac veritate est, quod nusquam præceptum confessionis sic traditum est ab Ecclesia, quasi illa primo ad confessionem absolute, & non tantum ad confessionem certo aliquo tempore faciendam, obligauerit. Et qui à nobis exigunt locum, vbi Christus confessionem præceperit, si non satis collectioni à nobis factæ acquieuerint, rogari vicissim debent, vt & ipsi nobis aliquem ostendant locum, vbi primum Ecclesia hoc præceptum instituerit. Cumque nullum talem locum proferre possint, quia multis centurijs annorum probabitur fuisse in Ecclesia confessio ante quodcunque tempus ab eis prolatum, vel inde colligere debent, hoc præceptum iuris diuini esse, & saltem verbotenus à Christo traditum esse Apostolis. Multa enim sunt in Ecclesia, quæ de iure esse diuino nullus Cathol cus ambigit, tametsi ostendi satis nequeant ex Scripturis. Et Sarcerius quidem, qui inter errores computat confessionem auricularem, quam ipse vocat Scholasticam, esse iuris diuini, rogari peculiariter deberet, vbi legerit eam non esse iuris diuini, vt cum non potuerit vsquam hoc ostendere, vel ex eo cogatur asserere, temerarie se id inter errores computasse. Nisi forte de eorum ingenio sit, de quibus iam olim vere dixit Cyril. *Credunt sine Scripturis, vt credant aduersus Scripturas.*

Quæstiones quæ quibus aliis retundendæ.

Ingenium hæreticorum.

Siue autem Ecc[illegible] hoc præceptum sanciuit, si [illegible] est conuenisse, vt res tanti oneris & difficultatis, quæque ad omnes spectaret Christianos, Christum haberet authorem. Quare qui confessionem vtilem & necessariam populo Christiano credunt, in dubium vertere non deberent, quin & Christus ipse per se, vel certe per inspirationem factam suis Apostolis, eam nobis præceperit. Ipsa enim Christi prouidentia & solicitudo singularis, quam perpetuo suæ Ecclesiæ gessit, vbi & alia omnia argumenta cessarent, verisimilimum facit, Christum & in hoc quoque suæ Ecclesiæ, sicut & in alijs leuioribus, benigne prospexisse. Tradideruntque vt certam hanc doctrinam magno consensu Doctores Scholastici, S. Thomas Scotus, Durandus, Paludanus, & alij in 4. Senten. dist. 17 & Marsilius in quæst. 12. quarti, & Hadrianus q. 2. Et ne quispiam amplius de hoc ambigat, diffinita est hæc veritas, vt certa ex fide, & contraria damnata est, vt hæretica à Sixto IV. in bulla, quam proximo capitulo referemus.

Quicquid vero sit de præcepto, certe ex his Christi verbis liquere potest, perpetuo fuisse in Ecclesia nostram confessionem. Aut enim oportet dicere, Apostolos nunquam fuisse vsos potestate hîc sibi tradita: aut si hoc absurdissimum est, & non frustra hanc potestatem dedit ipsis Christus, necesse est dicere, aliquos eis manifestasse sua peccata, vt haberent ab eis illorum remissionem. Nam Apostolos remisisse peccata post baptismum commissa, absque particulari eorum confessione & manifestatione, omni prorsus verisimilitudine caret. Congruebat quippe, hanc prærogatiuam singularem & intactam manere Christo, vt sicut præcellenter habet clauem Dauid, ita solus pro voluntate sua dimiserit peccata sine sacramento & sine confessione particulari, & dimittat cuicunque placuerit. Atque adumbratam ab eo, & velut in figura approbatam, nostram confessionem, intellexerunt graues & antiqui Doctores, cum semel atque iterum remisit leprosos ad Sacerdotes, & Apostolis suis præcepit, vt soluerent Lazarum, & paulo post asinam & pullum.

Semper fuit in Ecclesia auricularis confessio.

De vera & falsa pœnit. cap. 10.

Poteſt item, quamuis nonnulli repugnent Scholaſtici, ex Iacobo probari, ſi non præceptum, certe ritus iſte confeſſionis fuiſſe ab ipſis Apoſtolis in Eccleſia. Cum enim monuiſſet infirmantes, vt accerſerent ad ſe presbyteros Eccleſiæ, vt orarent ſuper eos, & oleo eos inungerent, ne ad hoc ſolum inducendos eos quiſpiam exiſtimaret, & non potius, vt ægrotantes eis confiterentur, & acciperent ab eis, ſi in peccatis eſſent, eorum remiſſionem, ſubiecit ſtatim: Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini. Quibus verbis neque confeſſionem ſacramentalem inſtituit Iacobus, neque præcepit, ſed inſtitutam iam & præceptam à Chriſto, velut egregius ipſius præco promulgauit, & ad eam, vt ad rem iam vſitatam & conſuetam in Eccleſia, omnes Chriſtianos adhortatus eſt. Quod ſi, vt veriſimilimum eſt, & Græce aliquanto eſt apertius, illa verba, Vt ſaluemini, ad confeſſionem etiam referantur, ſatis illorum adiectione ſignificata eſt neceſſitas confeſſionis.

Vnde & Hugo de ſancto Victore 2. de ſacr. part. 14. cap. 1. quærit: *Quid eſt, Confitemini alterutrum peccata veſtra, vt ſaluemini?* Et ipſe ſibi ita reſpondet: *Hoc eſt, non ſaluamini, niſi confiteamini. Neq; quenquam mouere debet particula illa, alterutrum, vt credat Iacobum non eſſe de confeſſione ſacramentali locutum. Vt diſtingueret à confeſſione, quæ fit ſoli Deo, confeſſionem, ad quam hortabatur, illud verbum poſitum eſt. Quid eſt, alterutrum?* rogat Hugo. Ac mox reſpondet: *Non ſolum homo Deo ſed inter vos alter alteri, homines hominibus, oues paſtoribus, ſubiecti Prælatis, hi qui peccata habent, iis qui peccata dimittere poteſtatem habent.* Hæc Hugo.

Et ſecure hoc verbum, alterutrum, poſuit Iacobus. Non erat probe, nullam aliam confeſſionem eſſe frequentatam, eo præſertim ægritudinis tempore in Eccleſia, quam eam, quæ Sacerdotibus fieret. Et ſtatim presbyteros ab aliis diſcreuerat. Quia vero licet presbyteri auctoritate multo cæteris ſuperiores ſint, tamen natura & religione fratres omnes inter nos ſumus, confidenter ad confitendum alterutrum hortatus eſt, certo ſciens non ſe aliter eſſe intelligendum, quam nunc eum nobis interpretatur ipſa Eccleſiæ conſuetudo, optima Scripturarum interpres. Et ſic frequenter loquuntur Prælati, ſuis ſubditis indulgere volentes, vt poſſint confiteri, cui maluerint Sacerdoti: Cras inquiunt, aut iſtis quindecim diebus confitemini cuiuis.

Et de confeſſione ſacramentali interpretatus eſt hunc locum Auguſtinus 2. de viſit. infir. cap. 4. his verbis: *Sunt quidam, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſcientia, ſua confiteantur crimina. Nolunt enim aut erubeſcunt, ſiue dedignantur oſtendere ſe Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram diſcernere per legislatorem conſtituit Dominus.* Leuit. 14. *Sed nolo vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabeſcens præ rubore, vel ceruicoſus præ indignatione. Nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus ſibi non dedignatur Vicarium. Ergò ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitùs participem. Non ſeducat te ſomniantium illa ſuperſtitio, quæ in viſitando confirmat, quia ſaluat Sacerdote inconſulto, ad Deum peccatorum confeſſio. Nos autem non abnegamus, quin ſit ad Deum frequenter referenda confeſſio peccatorum. Beatus etenim qui tenebit & allidet paruulos vel maximos ſuos ad petram: petra autem Chriſtus eſt.* Pſal. 136 1. Cor. 10 *Sed teſtantur, & teſtatur & illud ſana doctrina, ne tibi applaudentium faueas auribus, quoniam priùs eges Sacerdotis, qui mediator ſit ad Deum tuum: ſalubri iudicio. Alioquin & ſub lege, & ſub gratia. Ite, & oſtendite vos Sacerdotibus, reſponſum diuinum quomodo conſummaretur?* Luc. 17 *Confitemini alterutrum peccata veſtra, quomodo compleretur?* Iacob. 5 *Ergo cicatricum tuarum arbiter Dei vice Dominus adhibeatur presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipſe tibi exhibebit antidotum reconciliationis.* Hæc Auguſtinus.

Et expendenda illa verba ſunt, *Et fac ipſum conſcientiarum tuarum penitùs participem:* vt intelligat Sarcerius, non dehortatum fuiſſe Auguſtinum ab enumeratione peccatorum in confeſſione, quæ fit Sacerdotibus. Etſi legatur totum cap. 3. lib. 10. Confeſſionum, quod pro ſe allegat, & cap. ſtatim ſequens, manifeſtum erit, Auguſtinum

non

non agere de tali confessione, sed de ea duntaxat, quam de suis & bonis & malis curiosi aliqui ab ipso audire cupiebant, desiderantes nosse, quis tum esset, & quis olim fuisset. Nec solus Augustinus sic interpretatus est Iacobum.

Cyrillus 3. in Leuit. dum confitetur peccator Sacerdoti, implendicit, quod Iacobus ait: *Si quis infirmatur in vobis, vocet presbyteros Ecclesiæ &c.* Beda etiam, & Hugo de sancto Victore, de confessione sacramentali hunc locum intellexerunt. Inducuntur denique à quibusdam verba Ioannis. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Necnon & illa ex

1. Ioan. 1

Actibus Apostolorum, multo certe expressiora: *Multi autem credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus suos.* Sed neque

Actor. 19

hæc, neque illa satis nobis videntur idonea ad firmādam nostram confessionem. Quia ad confessionem interiorem quæ fit Deo, quamque August. epist. 30. dicit iure diuino exigi, videntur spectare verba Ioannis: Verba vero ex Actibus, referri possunt ad confessionem quandam in genere, quæ sicut tempore Ioannis ante baptismum ipsius, ita tempore quoque Apostolorum à suscipientibus Christi fidem fiebant ante quam daretur eis baptismus Christi. Ideoque ad loca Doctorum sanctorum & diffinitiones Ecclesiæ, quibus nostra confessio stabiliri potest, pergemus.

CAPVT XXIX.

Antiquitas, vtilitas, & necessitas confessionis sacramentalis, ex Ecclesiæ & Doctorum ipsius consensu.

LICET & hæc eadem colligere, nempe antiquitatem, vtilitatem, & necessitatem confessionis, ex perpetua Ecclesiæ & Doctorum ipsius concordia.

Dionysius Apostoli Pauli discipulus, in epistola ad Demophilum sic scribit: *Tu verò, vt tuæ literæ indicant, procidentem Sacerdoti impium vt ais, atque peccatorem, nescio quo pacto, contra disciplinæ ordinem adstans, calce abiecisti. cum ille, quidem verecunde, quod oportuit, fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse, neque exhorruisti insuper & Sacerdotem optimum lacerare conuiciis, misericordem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset.*

Vides pie lector eundem ritum fuisse confessionis tunc temporis, qui est nunc. Peccator enim hîc ante Sacerdotem dicitur procidisse, peccata detexisse, veniam implorasse, & postremo à Sacerdote absolutus fuisse. Et ne dubites priuatam & clancularíam fuisse hanc confessionem, animaduerte acerbe reprehendi à Dionysio Demophilum, quod contra disciplinæ ordinem adstiterit confessioni, & immiscuerit se ei. Quod quidem vitio ei dari non potuisset, si publica fuisset confessio.

Lactant. Firmianus 4. diui. inst. c. 17. cœtus hæreticorum à cœtu Christianorum per confessionem dicit distingui. Tertull. in libr. de pœnitentia, magnifice commendat confessionem delictorum, qua non sola conscientia profertur, sed etiam aliquo actu testamur pœnitentem animum, & in ea dicit secunda subsidia esse à Domino instituta post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, hoc est, post baptismum. Et cum ad eam egregie & eleganter hortatur, inter alia ita scribit: *Plerosque tamen hoc opus, vt publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Scio plerosque Tertullianum credere de sola pœnitentia publica hoc loco agere. Sed cum pœnitentia publica non fieret, nisi de peccatis publicis, & hîc illos peccatores reprehendat, qui vt publicationem sui fugerent, confessionem detrectabant, & eos illis comparet: qui in partibus verecundioribus vexationem aliquam contraxerunt, adduci non possum, quin credam de confessione etiam secreta eum agere.

Accedit ad hæc, quod confessio publica à nemine creditur instituta esse à Deo: ipse autem de secundo subsidio à Deo post baptismum instituto, palàm disserit. Et in toto illo libro de remedio agit omnium peccatorum, qui lapsi sunt à gratia baptismali,

nulla

nulla distinctione facta inter peccatorem publicum & secretum. Quare nec verisimile est, cum de solo remedio constituto peccatoribus publicis, egisse. Sed inde decepti sunt, qui verba illius ad pœnitentiam publicam coarctarunt, quia parum expenderunt illas omnes pœnitentias, quarum ibi meminit, etiam pro peccatis secretis solitos fuisse Sacerdotes eo tempore imponere. Nondum enim cœperat ita delicata esse satisfactio pro peccatis commissis, ac nunc est, cum iam omnis rigor disciplinæ antiquæ elanguit. Et potest hoc confirmari ex illis, quæ supra ex Cypriano & Ambrosio pro necessitate feruentis compunctionis de peccatis, c.34. allegauimus.

Atque vt intelligas Tertullianum non dubitasse, quin Euangelica esset doctrina Ecclesiæ de confitendis peccatis, scito illum in libro secundo in Marcionem, ex interrogatione Adam & Cain, initiatam esse dicere Euangelicam doctrinam, *Ex ore tuo*
Matth. 12 *iustificaberis, &c.* & in eis nobis condita esse exempla confitendorum delictorum. Et qui illi tribuunt errorem iam impugnatum, quod lapsis à gratia baptismali, nonnisi semel est locus pœnitentiæ, vel inde admoneri debuerunt, ne quæ dicit in libro de pœnitentia, ad solam pœnitentiam publicam, & non sacramentalem, restringerent.

Origenes hom. 2. in Psalm. 37. in illa verba Dauidis, *Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio:* sic scribit, *Vide quid nos edocet Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ij qui habent intus inclusam escam indigestam aut humoris, aut phlegmatis, stomacho grauiter & molestè imminentem, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum & confitetur simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demum, si quid ille dixerit, si quid consilij dederit, facias & sequaris.* Et quod de confessione secreta in his loquatur, satis perspicuum est ex his, quæ continenter adijcit: *Si intellexerit & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione & satis perito medici illius consilio procurandum est.*

Cyprianus serm. 5. de lapsis. eos, qui vel corde lapsi sunt, ad Sacerdotes mittit his verbis: *Hi, quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti sunt, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteantur. Exomologesin conscientiæ suæ faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam, paruis licet & modicis, vulneribus exquirant.* Et rursum paulo post: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Et in epistola Lib. 1. ep. 3
quadam ad Cornelium Papam grauiter indignatur, quod qui idolis sacrificauerant, ante factam exomologesim, id est, confessionem, reciperentur. Et aliàs palam fatetur contra Euangelica & Dominica præcepta esse, lapsos Eucharistiam accipere, priusquam exomologesin fecerint.

Hilarius in Psalm. 65. explicans duo genera confessionis, laudis videlicet & peccatorum, de hac subdit: *Confessio peccatorum, prædicationi Propheticæ & Apostolicæ connectitur.* Quibus verbis & prædictam à Prophetis, & ab Apostolis confirmatam, nostram confessionem satis indicat.

Ambros. 2. de pœnit c 6.9. cap. *Soluit criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* Atque vt intelligas de confessione priuata, quæ fit Sacerdoti, ipsum loqui, contra intolerabilem abusum multorum peccatorum & ignorantium Sacerdotum nostri temporis, paulo post subiungit: *Nonnulli ita poscunt pœnitentiam, vt statim reddi sibi communionem velint. Hi non tam se soluere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.*

Hieron. in epistol. ad Marcell. inter alias

Mon-

Montanorum hæreses & hanc quoque commemorat, quod erubescant coram Sacerdote confiteri peccata admissa. Et in illa
Eccles. 10 verba, *Si m. morderit serpens in silentio: Si quem*, inquit, *serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.* Et ne dubites, etiam peccatorum varietates detegendas esse Sacerdoti sensisse Hieronymum, vt ille posset legitime absoluere, ac tempore Hieronymi istam fuisse consuetudinem, inter alia,
Matth. 16 quæ in illa verba Christi, *Et tibi dabo claues regni cœlorum*, scribit, notanda sunt hæc, quæ de Sacerdotibus subdit: *Pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.*

Augustinus in illa verba Psalmi 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata:* sic loquitur, *Si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat, & curet. Emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? Qui nouit omnia.* Et rursus: *Si tu tegis, Deus detegit: si tu detegis, Deus tegit. Hic est forum misericordiæ, fac hic iudicari causam tuam, ne alio in foro rigidiori iudicetur.* In epist. etiam 3. ad Iulianum comitem, ne perdamus hæreditatem cœlestem, hortatur confessionem facere Sacerdoti bono & sapienti, & cum eo inire rationem salutis nostræ, ac iussis eius obtemperare. In homilijs item de pœnitentia sic scribit: *Iudicet homo seipsum voluntariè, dum potest, &c. & veniat ad antistites, per quos illi claues administrantur Ecclesiæ.* Et in cap. 11. de vera & falsa pœnitentia, siquidem illius sit, palàm docet occulta peccata confitetum eo tempore fuisse soli Sacerdoti manifestari.

Et ne illorum errori acquiescas, qui dixerunt, hunc confessionis ritum tantum fuisse in Ecclesia Latina: audi quid apud Cassiodorum Sosomenes dicat in historia tripartita lib. 9. c. 35. *Quoniam omninò non peccare, diuinum & vltra humanam naturam esse cognoscitur. peccantibus autem & pœnitentiam agentibus. veniam Deus dari præcepit, qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt: propterea visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro, sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur. Et ad hanc causam presbyterum bonæ conuersationis, seruantemq; secretum, ac sapientem virum statuerunt: ad quem accedentes hi, qui delinquebant, delicta propria fatebantur. Et ille secundum vniuscuiusq; culpam, indicebat & mulctam. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus seruatur Ecclesiis, & maximè apud Romam.* Hæc Sosomenes. Nec quod velut in theatro sub testimonio populi delicta pandi statutum dicit, de publica confessione hæc esse intelligenda arguit, vt Sarcerius & multi alij putarunt. Nam ad eiusmodi confessionem nihil opus erat presbyterum seruantem secretum deligere. Dicuntur tamen illa, quia confessuri, non ad priuatas presbyterorum ædes debebant accedere, sed ad Ecclesiam. Vnde & ibidem scribitur Nectarius Episcopus non permisisse, vt presbyter amplius esset super pœnitentes, sed vnumquemque suæ reliquisse conscientiæ, ex quo Diaconus quidam flagitium in Ecclesia commisit cum quadam egregia fœmina. Neque ex hoc sequitur, vt Lutherani putant, confessionem non esse de iure diuino. Potuit enim ista Nectarius ad tempus concedere furori populi. Potuit etiam in eo facto errare. Ac fortassis non confessionem prohibuit, sed ne certus aliquis presbyter omnibus pœnitentibus designatus esset, statuit, & libertatem cuique dedit eligendi ad votum, gratum & aptum sibi confessorem. Et ne propter Sosomenem vel Nectarium, de veritate, quam firmamus, ambigas: audi, quid alij Græci & maioris precij authores de his tradant.

Chrysost. homil. 3. in Matth. de illis qui baptizabantur à Ioanne, sic disserit: *Confessio peccatorum, est testimonium conscientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri. Qui autem erubescit, non timet. Perfectus enim timor soluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confessionis adspicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid nescimus,*

Kkkk quia

quia confessio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipsum erubescere, pœna est grauis? Sed ideò magis iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipsum pars est iudicij pœna. O misericordia Dei, quem toties ad iracundiam excitauimus. Sufficit ei solus pudor pro pœna. Hæc Chrysost.

Basilius de instit. monach. quærenti. cui debeat, qui velit, peccata sua confiteri, ita respondet: *Quod confessionis modus ad hoc institutus est, vt quisquam à peccato se conuertens fructus dignos ostendere debeat pœnitentiæ, secundum quod scriptum est: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: necessarium videtur, ijs, quibus dispensatio mysteriorum Dei committitur, confitenda esse peccata. Sic enim & hi, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud Sanctos confessi fuisse peccata sua. Scriptum est in Euangelio quia Ioanni Baptistæ confitebantur populi peccata sua.* Et in Act. Apost. *Apostolis ij, qui baptizabantur.* Hæc ille.

Matth. 3

Ibidem.

Act. 19

Expende Sacerdoti illa verba, quibus dispensatio mysteriorum Dei committitur, confitenda esse peccata, & attende ad peccatores etiam occultos extensam fuisse & quæstionem, & responsionem, neque dubitabis Basilium hîc egisse de sola confessione clancularia, quæ fit coram Christi Sacerdotibus.

Et hoc confirmat, quod Euseb. 6. histor. Eccl. c. 27. refert, non fuisse permissum Philippum Imperatorem communicare mysterijs, quin prius confiteretur peccata, & inter pœnitentes staret, & culpas, quæ de eo plurimæ ferebantur, lachrymis dilueret. Nam & hæc postea ostendemus ad confessionem sacramentalem spectare. Sed redeamus ad Doctores Latinos.

Cyrill. 3. in Leuit. ita demum docet, per pœnitentiam obtinere posse peccatorem remissionem peccatorum, si lachrymis & dolori de peccatis adiungat confessionem. De septem gradibus remissionum differens, sic inter alia scribit: *Est adhuc in septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lauat peccator lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, quum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam.* Et vt declaret ritum confitendi Sacerdotibus etiam occultissima peccata, fundatum esse in Scripturis, imitandum esse dicit Dauidem, qui ait: *Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et aliquanto post mirabile secretum dicit contineri in eo, quod Moyses iuxta translationem, quam ipse sequebatur, iussit violatores iuramenti pronunciare peccatum suum, generaliterq; e affirmat cuiusuis generis peccata detegenda esse, & si à nobis non proferantur, publicanda ea esse ab accusatore & incentore peccatorum nostrorum. Gregor hom. 16. super Euang. necessitatem confessionis & ritum seruatum ab Ecclesia, pulchre in suscitatione Lazari expressum nobis esse declarat in hæc verba: *Mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuisce: sed, Veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergò dicitur, Veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpa, diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaq; foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras, soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Hucusque Gregor. Et alibi confessionem hanc clancularium, viam in paradisum appellat, & portam angustam, qua in eum intratur, & amarum poculum, quo peruenitur in gaudium salutis, & vulnerum ruptionem, qua obtinetur vera sanitas.

Psal. 31

Ioan. 11

16. Moral. c. 28

Hom. 16. in Ezech.

Hom. 40. in Euang.

Hom. 27

Refert & Rhenanus in annotationibus in Tertull. legisse se quoddam antiquissimum Concilium, in quo statutum erat, vt presbyteri admonerent sibi subditos, confessionem peccatorum facere in hebdomada proxima ante quadragesimam. Idemque legitur in pœnitentiali Romano, quod non est dubium, vetustissimum esse. Atque vtinam hæc pia & prudentissima consuetudo renouaretur his temporibus. Esset certe, vt alia commoda, quæ ex ea sequerentur, taceam, ieiunium quadragesimale & solennius & vtilius & melius ac deuotius,

& re-

& reuerentius ſe præpararent fideles ad ſumendum in Paſchate ſanctiſſimum ſacramentum Euchariſtiæ. Neque opus eſt ad teſtimonia authorum poſteriorum Gregorio, deſcendere, quando ex ſupraallegatis ex Beda, Anſelm. Richar & Hug & Magiſtro Sententiarum, & qui eum ſecuti ſunt, Scholaſticis liquidum eſt, hoc certum & indubitatum fuiſſe Catholicis eorum temporum.

Sed vt confirmatiora ſint, addam his, Conciliorum generalium & ſummorum Pontificum diffinitiones. In Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. inter alios errores Ioannis Wicleff. hic quoque damnatus eſt: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confeſsio exterior eſt ſibi ſuperflua & inanis.*

In Concilio Florentino inter actus pœnitentis, qui quaſi materia ſunt ſacramenti pœnitentiæ, ſecundo loco computata eſt oris confeſſio.

Si igitur ſemper fuit in Eccleſia, idque ex inſtitutione Chriſti, ſacramentum pœnitentiæ, fuit & ſemper etiam ex inſtitutione illius, oris confeſſio. In cap. Ad abolendam. de hæret. perpetui anathematis vinculo innodantur à Lucio 3. vniuerſi, qui de ſacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, Matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis ſacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt, quam ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſeruat.

Sixtus etiam huius nominis quartus, inter alios errores Petri Oſmenſis, tres ad hoc propoſitum ſpectantes, vt manifeſte hæreticos, damnauit. Primus eſt: Sacramentum pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, naturæ eſt inſtitutio, non noui aut veteris Teſtamenti. Secundus: Confeſſio peccatorum in ſpecie, ex vniuerſalis Eccleſiæ ſtatuto eſt, & non diuino iure. Tertius: Non neceſſario exigitur, quod confeſſio ſit ſecreta. Et hæc patent ex bulla eiuſdem Sixti, quam ad verbum retulit in Summa ſua in verbo, Confeſſio, pius valde & perinde doctus frater Alphonſus à Caſtro.

Eant nunc Philippus & Sarcerius, & quicunque illorum factionis ſunt, & quia pauca quædam S. Patrum teſtimonia legerunt de ſola confeſſione coram Deo, aut de confeſſione coram quouis fratre, aut de confeſſione publica, & alia de confeſſione ſecreta coram Sacerdotibus, vel non legerunt, vel non intellexerunt, his firmiſſimis & grauiſſimis Patrum, Conciliorum, & Pontificum teſtimonijs & definitionibus cōtemptis, auſint dicere, nouum eſſe hunc ritum auricularis confeſſionis, neque illius eſſe memoriam neque in Scriptura, neque in antiquis Patribus. Nobis indubitatum eſt, hanc perpetuo fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem & doctrinam. Atque vbi alia ceſſarent, vel hoc nomine crediderim cuiuis Chriſtiano certiſſimum eſſe debere, hunc ritum eſſe vtilem, laudabilem & neceſſarium, quia tanti Patres tantis & temporum & locorum interuallis diſiti, & perpetuus ordo Patrum & Pontificum ſibi ſuccedentium, ſummo conſenſu eum nobis tradidit & indixit, atque innumerabiles Sanctorum myriades ſummo conſenſu & plena obedientia ſuſceperunt, ſeruarunt & amplexatæ ſunt.

Quid vero, inquies, ſibi vult Ambroſius, cum ait, *Lachryma lauant delictum, quod ore pudor eſt confiteri.* Obiect. 1.

Profecto non aliud, ſicut bene & graues authores ante nos expoſuêre, quam & ad ea delicta lauanda, lachrymarum virtutem ſe extendere, quæ ſine verecundia & pudore proferri non poſſunt. Neque enim ille vnquam dixit, ſatis eſſe deflere ſua delicta, ſi quis ea erubeſcat confiteri. Tanto quippe magis tacendum tunc non eſt, quia diuinum auxilium magis neceſſarium eſt: & quo verecundiora peccata commiſimus, eo amplius confeſſione indigemus, vt humilitate & ſuffragio confeſſionis, gratiores fiant Deo lachrymæ contritionis. Reſponſio.

Sed lachrymas, dices, Petri lego, confeſſionem non lego. Obiect. 2.

Atqui nondum erat tunc inſtituta confeſſio, ac proinde & remiſſionem habere potuit Petrus ſui peccati, ac vere habuit ſine confeſſione. Argumentum etiam ab Reſponſio.

Kkkk 2 autho-

authoritate, negatiue nullius momenti est & apud Summulistas.

Ac forsan, sicut bene Hugo admonet, his verbis significare nobis voluit Ambrosius primo, quantum valeant lachrymæ cum confessione, quando cum sola cordis contritione tantum apud Deum valuerunt: secundo, prius esse flendum, & postea confitendum: neque imitandos esse illos, qui sine aliquo compunctionis motu, & sine aliquo timoris vel amoris Dei attactu, ob solam consuetudinem explendam, ad confitenda sua peccata se ingerunt.

Multa facta sunt, quæ scripta non sunt, respondet Magister in 4 dist. 17. huic obiectioni ex Ambrosio. Et ne quisquam dubitet, quin Ambrosius senserit necessariam esse confessionem, quæ fit Sacerdotibus, sufficere possunt testimonia, supra ex eo in libro de pœnitentia iam citata.

Et quanquam de confessione coram Deo loquitur, vt antecedentia & consequentia indicant, cum ait: *Neq. potest quisquam iustificari à peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus*; tamen de confessione sacramentali loquitur in testimonio, quod ex eo allegauit ibidem Magister, & Gratianus de pœnitentia, d. 1 Ecce nunc. Quia & à pœnitentia eam his verbis distinguit: *Confessio à morte animam liberat, confessio aperit paradisum, confessio spem salutis tribuit, quia non meretur iustificari, qui in vita sua non vult peccatum confiteri. Illa confessio nos liberat, quæ fit cum pœnitentia.* Hæc Ambrosius. Qui & in illis verbis, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, exhortari nos Dominum ad confessionem intellexit, quoniam confessio, pœnarum compendium est, & quædam in peccatis verecundia: & pœnitentiæ portio, crimen fateri.

Ambr. de pœnit. l. 2. c. 14

Gen. 4. De Cain & Abel, c. 2

Proferuntur & in nos verba Chrysost. in epist. ad Heb. quæ & renarrauerunt Magister & Gratianus vbi supra: *Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq. apud alios accuses sed obedire te volo Prophetæ, dicenti: Reuela Deo viam tuam. Ante Deum ergò tua confitere peccata, apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua sed conscientia tua memori, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Et rursus peccata tua quotidiè dicito, vt deleas illa. Sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidiè in animo tuo. Non dico, vt confitearis ea conseruo tuo, vt tibi exprobret: dicito Deo, qui curat ea.*

Obiect. 1. ex Chrys.

Psal. 36

Verum in his, sicut bene & alij ante nos admonuêre, non dicit Chrys. nunquam esse necessarium confiteri Sacerdoti, sed duo tantum affirmat:

Primum est, non esse necessariam confessionem publicam de peccatis occultis. Secundum est, non esse necessariam quotidie confessionem peccatorum, quæ fit homini. Ac, si bene omnia perpendamus, tantum indicat, se non adhortari, aut saltem non exigere confessionem publicam de occultis, aut confessiones coram illis, qui detecta peccata nobis possint exprobrare. Et illis verbis, *Vt te prodas in publicum*: & illis, *Vt tibi exprobret*: satis cauit, ne, quæ dicebat, intelligerentur de confessione, quæ fit secreto coram Sacerdotibus Dei vice fungentibus, & ipsius authoritate curare valentibus peccata, & non exprobrare. Et ita esse hæc exponenda, constare poterit ex illis, quæ ex ipso citauimus, & paulo post adijciemus.

Respon.

CAPVT XXX.

Confessio venialium, vtilis est & sacramentalis, sed nemini necessaria.

TOTO plane cœlo aberrauit Lutherus, cum ex hoc quod omnes Catholici Doctores tradunt, non esse necessarium confiteri venialia peccata, collegit & eos docere, neque spectare ea ad sacramentalem confessionem. Longissime hæc inter se distant, & vnum ab altero longo interuallo separatur. Nullum esse præceptum de confessione venialium, neque diuinum, neque humanum, omnes libenter fatemur, & manifesta id ostendit ratio. Durissimum quippe esset, ac fortassis à nobis inexplebile, nisi satis esset, quæ occurrerent, venialia confiteri. *Delicta enim quis intelligit?* Verum enim cum his stat, materiam ipsa esse confessionis, & ad sacramentalem confessionem spectare. Quandoquidem & si-

Luth. art. 8

Psalm. 18

Venialia, materia sunt confessionis.

& sigillum seu secretum confessionis, ad ea se extendit, & absolui ea possunt à sacerdotibus.

Argum. 1. Generatim quippe in omnia peccata potestatem eis tradidit Christus, cum dicit:

Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et rectè Bernardus: *Vbi nihil excipitur, nihil excluditur.* Ipsa & forma sacramentalis absolutionis, qua vtuntur omnes sacerdotes, absolutionem ab omnibus peccatis indiscriminatim significat.

Argum. 2. Intolerabileque prorsus esset, teneri omnes ad confitenda peccata, de quibus etiam doctissimi dubitant, an sint venialia, an mortalia: & tamen asserere, si quidem sint venialia, non esse eorum confessionem sacramentalem.

Argum. 3. At ue hæc omnia potenter confirmat consuetudo confitendi venialia, quæ nunc est in omnibus pijs & sanctis viris. Et quidem, quo magis magisque cogito, eum morem in principio Ecclesiæ nascentis fuisse in ea, persuadeor. Nullum enim principium ipsius dari potest. Et verisimilimum est, consuetudines Ecclesiasticas toto orbe receptas, quarum nulla authentica probatur origo, à Christo vel ab Apostolis dimanasse, præsertim cum nulla probabilis appareat ratio nouitatis earum. Quod quidem perspicuum est ita esse in proposito: quia cuncta quæ nunc vtilem & laudabilem huiusmodi confessionem probant, nota fuerunt à principio Ecclesiæ. Et ideo neque tum, cum maior erat sanctitas, verisimile est, tam pium exercitium fuisse intermissum.

Confessio venialium antiquissima.

Et merito Leo decimus in eodem articulo etiam damnauit illa verba Lutheri: In primitiua Ecclesia sola manifesta mortalia confitebantur. Et nisi Luterum alioqui bene nossem, mirarer satis non possem, qua fronte in impugnatione bullæ Leonis idipsum pertinaciter confirmet his verbis: Fuisse in primitiua Ecclesia solum manifeste mortalia in confessionibus tractata, satis probant epistolæ Pauli, Patrum scripta & historiæ, quas si bulla tam impudenter damnare audet, suo genio digna facit.

Quis hanc tantam impudentiam ferre patienter possit? Taceo de Patrum scriptis, taceo de historijs, dissimulo conuicia & cōtumelias, quibus perpetuo sacram summi pontificis bullam dilacerat. Videbimus paulopost, quam diuersa ex Patrum scriptis & historijs authenticis habere potuit. 1. C.

Quid est, impie, in omnibus epistolis Paulinis, vnde vel sophisticissime tantum errorem possis colligere? Cur impias tuas & inanes persuasiones non vereris tanto Apostolo imponere? Equidem in vniuersis Paulinis epistolis nulla sunt, quæ ad confessionem sacramentalem spectare videantur, nisi forsan illa, quæ de incestuoso illo Corinthio paterni tori violatore, ad Corinthios scribit: *Cui autem aliquid donastis, & ego.* Quæ tamen, rogo, consequentia quisquam ex his inferat, sola manifeste mortalia tractata tum fuisse in confessionibus? 2. Cor. 2.

Quis, nisi omnino dialecticæ ignarus, hanc collectionem faciat: Non docuit Paulus aliqua venialia, aut occulta mortalia, tractata fuisse suo tempore in confessionibus: & meminit aliquod manifeste mortale tractatum fuisse in eis: Sola igitur manifeste mortalia, tractabantur eo tempore in confessionibus? Nonne vel tyrunculi triuialium scientiarum norunt, argumentum ab authoritate, negatiue nullius plane esse momenti? Non poterat sane Paulus omnia cōmemorare, quæ suo tempore erant consueta inter Christianos. Et ex ipsis eius epistolis liquidissimò constat, multa etiam authoritate ipsius tum fuisse in consuetudine, quorum ne minimi quidem in scriptis meminit.

Sed mirandum non est, ista Lutherum dixisse, quando & eo ibidem prorupit vesaniæ, vt & à confessione venialium omnes fideles retraheret: *Nullo modo*, inquit, *præsumas venialia confiteri.* Et rursus: Cum fere peccemus sine intermissione venialiter, quis, ait, erit finis & modus confitendi? Sed quid tibi, ô Luthere, displiceat in confessione venialium, profecto non assequor. Si arrogantem hunc tuum spiritum humiliare, & communibus moribus Ecclesiæ attemperare didicisses, intellexisses opinor, 2. Thes. 8.

Vtilis confessio venialium.

talem satis esset quæcunque distincta peccatorum confessio, siue publica, siue secreta, tamen ex quo Ecclesia secretam & auricularem requirit, ad eam tenentur peccatores eo iure, quo adstricti sunt remissionem suorum peccatorum quærere.

Et Leo epist. 89. quidem huius nominis primus, sic ista verba Saluatoris videtur intellexisse. Ex hac namque potestate, sacerdotibus à Christo data, ita colligit: *Multum vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur.* Et vt intelligas diuino, & non humano, iure hæc esse instituta, ex eisdem verbis colligit pauloante, ita diuinæ bonitatis ordinata esse præsidia, vt qui generationis donum violassent, non aliter ad remissionem criminum peruenirent, neque indulgentiam Dei, nisi supplicationibus sacerdotum possent obtinere. Et quod Leo hic dicit, sacerdotalibus supplicationibus peccatorum reatum dimitti, cum tamen de absolutione sacramentali loqueretur, docere nos potest duo. Primum est, antiquum fuisse ritum seruatum nunc in Ecclesia, vt sacerdotes absolutioni pœnitentium præmittant aliquam, vel breuissimam pro ipsis orationem, qualis est illa, Dominus noster Iesus Christus te absoluat. Secundum est, verba illa Iacobi, *Et oratio fidei saluabit infirmum*, non ad solam orationem, quæ fit à presbyteris in collatione extremæ Vnctionis, esse referenda, sed etiam ad orationem, quæ fit cum absolutione sacramentali. Vnde & Iacobus cum docuisset, quid presbyteri adhibiti ægrotantibus deberent facere, statim, vt mox docebimus, omnes Christianos ad confessionem excitauit, viam videlicet ostendens tutissimam ad assequendam remissionem peccatorum. Iacob. 5.

Ex eodem etiam loco Augustinus tract. de cura militiæ, necessitatem confessionis his verbis colligit: *Nemo dicat occulte, Ego pœnitentiam apud Deum ago; nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælis. Ergo sine causa datæ sunt claues Ecclesiæ.* Hęc Augustinus. Et legit quidem illa Sarcerius, sed videns non videt, & audiens non audit. Ad confessionem coram quouis fratre faciendam, putat hæc spectare, & inde illius vtilitatem probat. Verum rogo te Sarceri per viscera Christi Iesu Saluatoris omnium, paulisper in te redeas, & à lethargo, quo laboras, expergiscaris. Si de confessione coram quouis fratre agebat Augustinus, quid opus erat meminisse clauium Ecclesiæ & authoritatis datæ Apostolis in peccata? Nunquid habet quiuis Christianus claues regni cœlorum, & authoritatem absoluendi à peccatis, & non potius soli sacerdotes? Deinde: Quis ita fuit vnquam rigidus, vt necessarium crediderit alicui peccatori, confiteri sua peccata illis, qui non sunt sacerdotes? Cum igitur Augustinus necessariam confessionem tradit, de confessione profecto agit, quæ fit coram solis sacerdotibus, & non de ea, quæ & nunc, & ante aduentum Christi fieri potuit coram quouis fratre. Sed vt omnem amittas scrupulum, lege, quæ paulòpost citabimus ex eodem in 2. de visitatione infirmorum; neque si velis, dubitare poteris, quin nostra sentẽtia sit per omnia concors Augustino. Matth. 18. & 16.

Et quoniam nunc duntaxat contendimus, Augustinum credidisse, in his euangelicis verbis contineri præceptum confessionis Sacramentalis & Auricularis, audi quid ille Hom. 49. scripserit: *Qui post vxores vestras, inquit, vos illicito concubitu maculastis, si præter vxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occulte ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit; quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei? Frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne vos decipimus?* Quid his pro nobis requiratur apertius? Agendam necessario pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ex verbis Christi colligit. Intellexit ergo talem nobis indictam esse pœnitentiam à Christo, qualem ipsius Ecclesia exigit; occultam videlicet pro occultis peccatis, & publicam pro publicis. Matth. 18.

Et nisi ad occultam & secretam confessionem hæc direxisset Augustinus, non genera-

neraliter omnibus adulteris locutus esset. Ideo vero in his, quæ mox subiecit, de pœnitentia publica Iob & Theodosij Imperatoris agit, quoniam generalem pro omnibus peccatoribus tradebat doctrinam, & quia inde magis innotescit culpa detrectantium secretam confessionem, quando tanti viri non fugerunt publicam.

Et cum Chrysostomus in loco statim citando dicat, Deum iussisse confessionem, necesse est dicere, eum sensisse sub his verbis illam fuisse præceptam, aut verbotenus illud præceptum ab ipso habuisse Apostolos. Nam in Scripturis nullum plane locum allum video, in quo Christus hoc præceptum tradiderit.

Neque leue argumentum pro hac veritate est, quod nusquam præceptum confessionis sic traditum est ab Ecclesia, quasi illa primo ad confessionem absolute, & non tantum ad confessionem certo aliquo tempore faciendam, obligauerit. Et qui à nobis exigunt locum, vbi Christus confessionem præceperit, si non satis collectioni à nobis factæ acquieuerint, rogari vicissim debent, vt & ipsi nobis aliquem ostendant locum, vbi primum Ecclesia hoc præceptum instituerit. Cumque nullum talem locum proferre possint, quia multis centurijs annorum probabitur fuisse in Ecclesia confessio ante quodcunque tempus ab eis prolatum, vel inde colligere debent, hoc præceptum iuris diuini esse, & saltem verbotenus à Christo traditum esse Apostolis. Multa enim sunt in Ecclesia, quæ de iure esse diuino nullus Catholicus ambigit, tametsi ostendi satis nequeant ex Scripturis. Et Sarcerius quidem, qui inter errores computat confessionem auricularem, quam ipse vocat Scholasticam, esse iuris diuini, rogari peculiariter deberet, vbi legerit eam non esse iuris diuini, vt cum non potuerit vsquam hoc ostendere, vel ex eo cogatur asserere, temerarie se id inter errores computasse. Nisi forte de eorum ingenio sit, de quibus iam olim vere dixit Cyril. *Credunt sine Scripturis, vt credant aduersus Scripturas.*

Quæstiones quæ quibus alijs retundendæ.

Ingenium hæreticorum.

Siue autem Ecc[illegible] hoc præceptum sancire, si [illegible] est conuenisse, vt res tanti oneris & difficultatis, quæque ad omnes spectaret Christianos, Christum haberet authorem. Quare qui confessionem vtilem & necessariam populo Christiano credunt, in dubium vertere non deberent, quin & Christus ipse per se, vel certe per inspirationem factam suis Apostolis, eam nobis præceperit. Ipsa enim Christi prouidentia & solicitudo singularis, quam perpetuo suæ Ecclesiæ gessit, vbi & alia omnia argumenta cessarent, verisimilimum facit, Christum & in hoc quoque suæ Ecclesiæ, sicut & in alijs leuioribus, benigne prospexisse. Tradideruntque vt certam hanc doctrinam magno consensu Doctores Scholastici, S Thomas Scotus, Durandus, Paludanus, & alij in 4. Senten. dist. 17 & Marsilius in quæst. 12. quarti, & Hadrianus q. 2. Et ne quispiam amplius de hoc ambigat, diffinita est hæc veritas, vt certa ex fide, & contraria damnata est, vt hæretica à Sixto IV. in bulla, quam proximo capitulo referemus.

Quicquid vero sit de præcepto, certe ex his Christi verbis liquere potest, perpetuo fuisse in Ecclesia nostram confessionem. Aut enim oportet dicere, Apostolos nunquam fuisse vsos potestate hîc sibi tradita: aut si hoc absurdissimum est, & non frustra hanc potestatem dedit ipsis Christus, necesse est dicere, aliquos eis manifestasse sua peccata, vt haberent ab eis illorum remissionem. Nam Apostolos remisisse peccata post baptismum commissa, absque particulari eorum confessione & manifestatione, omni prorsus verisimilitudine caret. Congruebat quippe, hanc prærogatiuam singularem & intactam manere Christo, vt sicut præcellenter habet clauem Dauid, ita solus pro voluntate sua dimiserit peccata sine sacramento & sine confessione particulari, & dimittat cuicunque placuerit. Atque adumbratam ab eo, & velut in figura approbatam, nostram confessionem, intellexerunt graues & antiqui Doctores, cum semel atque iterum remisit leprosos ad Sacerdotes, & Apostolis suis præcepit, vt soluerent Lazarum, & paulo post asinam & pullum.

Semper fuit in Ecclesia auricularis confessio.

De vera & falsa pœnit. cap. 10.

Potest item, quamuis nonnulli repugnent Scholastici, ex Iacobo probari, si non præceptum, certe ritus iste confessionis fuisse ab ipsis Apostolis in Ecclesia. Cum enim monuisset infirmantes, vt accerserent ad se presbyteros Ecclesiæ, vt orarent super eos, & oleo eos inungerent, ne ad hoc solum inducendos eos quispiam existimaret, & non potius, vt ægrotantes eis confiterentur, & acciperent ab eis, si in peccatis essent, eorum remissionem, subiecit statim: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Quibus verbis neque confessionem sacramentalem instituit Iacobus, neque præcepit, sed institutam iam & præceptam à Christo, velut egregius ipsius præco promulgauit, & ad eam, vt ad rem iam vsitatam & consuetam in Ecclesia, omnes Christianos adhortatus est. Quod si, vt verisimillimum est, & Græce aliquanto est apertius, illa verba, Vt saluemini, ad confessionem etiam referantur, satis illorum adiectione significata est necessitas confessionis.

Vnde & Hugo de sancto Victore 2. de sacr. part. 14. cap. 1. quærit: *Quid est, Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini?* Et ipse sibi ita respondet: *Hoc est, non saluamini, nisi confiteamini. Neq; quenquam mouere debet particula illa, alterutrum, vt credat Iacobum non esse de confessione sacramentali locutum. Vt distingueret à confessione, quæ fit soli Deo, confessionem, ad quam hortabatur, illud verbum positum est. Quid est, alterutrum?* rogat Hugo. Ac mox respondet: *Non solum homo Deo sed inter vos alter alteri, homines hominibus, oues pastoribus, subiecti Prælatis, hi qui peccata habent, ijs qui peccata dimittere potestatem habent.* Hæc Hugo.

Et secure hoc verbum, alterutrum, posuit Iacobus. Nouerat probe, nullam aliam confessionem esse frequentatam, eo præsertim ægritudinis tempore in Ecclesia, quam eam, quæ Sacerdotibus fieret. Et statim presbyteros ab alijs discreuerat. Quia vero licet presbyteri auctoritate multo cæteris superiores sint, tamen natura & religione fratres omnes inter nos sumus, confidenter ad confitendum alterutrum hortatus est, certo sciens non se aliter esse intelligendum, quam nunc eum nobis interpretatur ipsa Ecclesiæ consuetudo, optima Scripturarum interpres. Et sic frequenter loquuntur Prælati, suis subditis indulgere volentes, vt possint confiteri, cui maluerint Sacerdoti: Cras inquiunt, aut istis quindecim diebus confitemini cuiuis.

Et de confessione sacramentali interpretatus est hunc locum Augustinus 2. de visit. infir. cap. 4 his verbis: *Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim aut erubescunt, siue dedignantur ostendere se Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere per legislatorem constituit Dominus. Sed nolo vt ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione. Nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium. Ergò ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitùs participem. Non seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia saluat Sacerdote inconsulto, ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deum frequenter referenda confessio peccatorum. Beatus etenim qui tenebit & allidet paruulos vel maximos suos ad petram: petra autem Christus est. Sed testamur, & testatur & illud sanæ doctrinæ, ne tibi applaudentium faueas auribus, quoniam priùs eges Sacerdotis, qui mediator sit ad Deum tuum salubri iudicio. Alioquin & sub lege, & sub gratia. Ite, & ostendite vos Sacerdotibus, responsum diuinum quomodo consummaretur? Confitemini alterutrum peccata vestra, quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarum arbiter Dei vice Dominus adhibeatur presbyter, & reuelaueris vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.* Hæc Augustinus.

Leuit. 14
Psal. 136
1. Cor. 10
Luc. 17
Iacob. 5

Et expendenda illa verba sunt, *Et fac ipsum conscientiarum tuarum penitùs participem*: vt intelligat Sarcerius, non dehortatum fuisse Augustinum ab enumeratione peccatorum in confessione, quæ fit Sacerdotibus. Et si legatur totum cap. 3. lib. 10. Confessionum, quod pro se allegat, & cap. statim sequens, manifestum erit, Augustinum

non

non agere de tali confessione, sed de ea duntaxat, quam de suis & bonis & malis curiosi aliqui ab ipso audire cupiebant, desiderantes nosse, quis tunc esset, & quis olim fuisset. Nec solus Augustinus sic interpretatus est Iacobum.

Cyrillus 3. in Leuit. dum confitetur peccator Sacerdoti, impleri dicit, quod Iacobus ait: *Si quis infirmatur in vobis, vocet presbyteros Ecclesiæ &c.* Beda etiam, & Hugo de sancto Victore, de confessione sacramentali hunc locum intellexerunt. Inducuntur denique à quibusdam verba Ioannis. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Necnon & illa ex Actibus Apostolorum, multo certe expressiora: *Multi autem credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus suos.* Sed neque hæc, neque illa satis nobis videntur idonea ad firmādam nostram confessionem. Quia ad confessionem interiorem quæ fit Deo, quamque August. epist. 30. dicit iure diuino exigi, videntur spectare verba Ioannis: Verba vero ex Actibus, referri possunt ad confessionem quandam in genere, quæ sicut tempore Ioannis ante baptismum ipsius, ita tempore quoque Apostolorum à suscipientibus Christi fidem fiebant ante quam daretur eis baptismus Christi. Ideoque ad loca Doctorum sanctorum & diffinitiones Ecclesiæ, quibus nostra confessio stabiliri potest, pergemus.

1. Ioan. 1

Actor. 19

CAPVT XXIX.

Antiquitas, vtilitas, & necessitas confessionis sacramentalis, ex Ecclesiæ & Doctorum ipsius consensu.

LICET & hæc eadem colligere, nempe antiquitatem, vtilitatem, & necessitatem confessionis, ex perpetua Ecclesiæ & Doctorum ipsius concordia.

Dionysius Apostoli Pauli discipulus, in epistola ad Demophilum sic scribit: *Tu verò, vt tuæ literæ indicant, procidentem Sacerdotem piam. vt aiunt, atq; peccatorem, ... quo pacto, contra disciplinæ ordinem ... calce abiecisti. cum ille, ... verecunde ... fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse, neq; exhorruisti insuper & Sacerdotem optimum lacerare conuicijs, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atq; impium iustificasset.*

Vides pie lector eundem ritum fuisse confessionis tunc temporis, qui est nunc. Peccator enim hîc ante Sacerdotem dicitur procidisse, peccata detexisse, veniam implorasse, & postremo à Sacerdote absolutus fuisse. Et ne dubites priuatam & clancularam fuisse hanc confessionem, animaduerte acerbe reprehendi à Dionysio Demophilum, quod contra disciplinæ ordinem adstiterit confessioni, & immiscuerit se ei. Quod quidem vitio ei dari non potuisset, si publica fuisset confessio.

Lactant. Firmianus 4. diui. inst. c. 17. cœtus hæreticorum à cœtu Christianorum per confessionem dicit distingui. Tertull. in libr. de pœnitentia, magnifice commendat confessionem delictorum, qua non sola conscientia profitetur, sed etiam aliquo actu testamur pœnitentem animum, & in ea dicit secunda subsidia esse à Domino instituta post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, hoc est, post baptismum. Et cum ad eam egregie & eleganter hortatur, inter alia ita scribit: *Plerosq; tamen hoc opus. vt publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Scio plerosque Tertullianum credere de sola pœnitentia publica hoc loco agere. Sed cum pœnitentia publica non fieret, nisi de peccatis publicis, & hic illos peccatores reprehendat, qui vt publicationem sui fugerent, confessionem detrectabant, & eos illis comparet: qui in partibus verecundioribus vexationem aliquam contraxerunt, adduci non possum, quin credam de confessione etiam secreta eum agere.

Accedit ad hæc, quod confessio publica à nemine creditur instituta esse à Deo: ipse autem de secundo subsidio à Deo post baptismum instituto, palàm disserit. Et in toto illo libro de remedio agit omnium peccatorum, qui lapsi sunt à gratia baptismali, nulla

nulla distinctione facta inter peccatorem publicum & secretum. Quare nec verisimile est, eum de solo remedio constituto peccatoribus publicis, egisse. Sed inde decepti sunt, qui verba illius ad pœnitentiam publicam coarctarunt, quia parum expenderunt illas omnes pœnitentias, quarum ibi meminit, etiam pro peccatis secretis solitos fuisse Sacerdotes eo tempore imponere. Nondum enim cœperat ita delicata esse satisfactio pro peccatis commissis, ac nunc est, cum iam omnis rigor disciplinæ antiquæ elanguit. Et potest hoc confirmari ex illis, quæ supra ex Cypriano & Ambrosio pro necessitate feruentis compunctionis de peccatis, c.34. allegauimus.

Atque vt intelligas Tertullianum non dubitasse, quin Euangelica esset doctrina Ecclesiæ de confitendis peccatis, scito illum in libro secundo in Marcionem, ex interrogatione Adam & Cain, initiatam esse dicere Euangelicam doctrinam, *Ex ore tuo iustificaberis, &c.* & in eis nobis condita esse exempla confitendorum delictorum. Et qui illi tribuunt errorem iam impugnatum, quod lapsis à gratia baptismali, nonnisi semel est locus pœnitentiæ, vel inde admoneri debuerunt, ne quæ dicit in libro de pœnitentia, ad solam pœnitentiam publicam, & non sacramentalem, restringerent.

Matth. 12

Origenes hom.2. in Psalm.37. in illa verba Dauidis, *Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio:* sic scribit, *Vide quid nos edocet Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortaßis enim sicut ij qui habent intus inclusam escam indigestam aut humoris, aut phlegmatis, stomacho grauiter & molestè imminentem, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum & confitetur simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demum, si quid ille dixerit, si quid consilij dederit, facias & sequaris.* Et quod de confessione secreta in his loquatur, satis perspicuum est ex his, quæ continenter adijcit: *Si intellexerit & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaßis & cæteri ædificari poterunt & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione & satis perito medici illius consilio procurandum est.*

Cyprianus serm.5. de lapsis, eos, qui vel corde lapsi sunt, ad Sacerdotes mittit his verbis: *Hi, quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti sunt, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteantur. Exomologesin conscientiæ suæ faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam, paruis licet & modicis, vulneribus exquirant.* Et rursum paulo post: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in seculo est, dum admitti confeßio eius potest, dum satisfactio & remißio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Et in epistola quadam ad Cornelium Papam grauiter indignatur, quod qui idolis sacrificauerant, ante factam exomologesim, id est, confessionem, reciperentur. Et aliàs palam fatetur contra Euangelica & Dominica præcepta esse, lapsos Eucharistiam accipere, priusquam exomologesin fecerint. Lib.1. ep.1

Hilarius in Psalm. 65. explicans duo genera confessionis, laudis videlicet & peccatorum, de hac subdit: *Confeßio peccatorum, prædicationi Propheticæ & Apostolicæ connectitur.* Quibus verbis & prædictam à Prophetis, & ab Apostolis confirmatam, nostram confessionem satis indicat.

Ambros.2. de pœnit c 6.9. cap. *Soluit criminum nexus verecunda confeßio peccatorum.* Atque vt intelligas de confessione priuata, quæ fit Sacerdoti, ipsum loqui, contra intolerabilem abusum multorum peccatorum & ignorantium Sacerdotum nostri temporis, paulo post subiungit: *Nonnulli ita poscunt pœnitentiam, vt statim reddi sibi communionem velint. Hi non tam se soluere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.*

Hieron. in epistol. ad Marcell. inter alias

Mon-

Montanorum hæreses & hanc quoque commemorat, quod erubescant coram Sacerdote confiteri peccata admissa. Et in illa
Eccles. 10 verba, *Si m. morderit serpens in silentio: Si quem, inquit, serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.* Et ne dubites, etiam peccatorum varietates detegendas esse Sacerdoti sensisse Hieronymum, vt ille posset legitime absoluere, ac tempore Hieronymi istam fuisse consuetudinem, inter alia,
Matth. 16 quæ in illa verba Christi, *Et tibi dabo claues regni cœlorum*, scribit, notanda sunt hæc, quæ de Sacerdotibus subdit: *Pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus.*

Augustinus in illa verba Psalmi 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*: sic loquitur, *Si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat, & curet. Emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulneratis celatur vulnus. Cui celas? Qui nouit omnia.* Et rursus: *Si tu tegis, Deus detegit: si tu detegis, Deus tegit. Hic est forum misericordia, fac hic iudicari causam tuam, ne alio in foro rigidiori iudiceris.* In epist. etiam 5. ad Iulianum comitem, ne perdamus hæreditatem cœlestem, hortatur confessionem facere Sacerdoti bono & sapienti, & cum eo inire rationem salutis nostræ, ac iussis eius obtemperare. In homilijs item de pœnitentia sic scribit: *Iudicet homo seipsum voluntariè, dum potest, &c. & veniat ad antistites, per quos illi claues administrantur Ecclesia.* Et in cap. 11. de vera & falsa pœnitentia, si quidem illius sit, palàm docet occulta peccata consuetum eo tempore fuisse soli Sacerdoti manifestari.

Et ne illorum errori acquiescas, qui dixerunt, hunc confessionis ritum tantum fuisse in Ecclesia Latina: audi quid apud Cassiodorum Sosomenes dicat in historia tripartita lib. 9. c. 35. *Quoniam omninò non peccare, diuinum & vltra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem & pœnitentiam agentibus, veniam Deus dari præcepit, qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt: propterea visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro, sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur. Et ad hanc causam presbyterum bona conuersationis, seruantemq; secretum, ac sapientem virum statuerunt: ad quem accedentes hi, qui deliquebant, delicta propria fatebantur. Et ille secundum vniuscuiusq; culpam, indicebat & mulctam. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus seruatur Ecclesiis, & maximè apud Romam.* Hæc Sosomenes. Nec quod velut in theatro sub testimonio populi delicta pandi statutum dicit, de publica confessione hæc esse intelligenda arguit, vt Sarcerius & multi alij putarunt. Nam ad eiusmodi confessionem nihil opus erat presbyterum seruantem secretum deligere. Dicuntur tamen illa, quia confessuri, non ad priuatas presbyterorum ædes debebant accedere, sed ad Ecclesiam. Vnde & ibidem scribitur Nectarius Episcopus non permisisse, vt presbyter amplius esset super pœnitentes, sed vnumquemque suæ reliquisse conscientiæ, ex quo Diaconus quidam flagitium in Ecclesia commisit cum quadam egregia fœmina. Neque ex hoc sequitur, vt Lutherani putant, confessionem non esse de iure diuino. Potuit enim ista Nectarius ad tempus concedere furori populi. Potuit etiam in eo facto errare. Ac fortassis non confessionem prohibuit, sed ne certus aliquis presbyter omnibus pœnitentibus designatus esset, statuit, & libertatem cuique dedit eligendi ad votum, gratum & aptum sibi confessorem. Et ne propter Sosomenem vel Nectarium, de veritate, quam firmamus, ambigas: audi, quid alij Græci & maioris precij authores de his tradant.

Chrysost. homil. 3. in Matth. de illis qui baptizabantur à Ioanne, sic differit: *Confessio peccatorum, est testimonium conscientia timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri. Qui autem erubescit, non timet. Perfectus enim timor soluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confessionis adspicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid nescimus,*

quia confeßio peccatorum habet pudorem. & quia hoc ipsum erubescere, pœna est grauis? Sed ideò magis iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipsum pars est iudicij pœna. O misericordia Dei, quem toties ad iracundiam excitauimus. Sufficit ei solus pudor pro pœna. Hæc Chrysost.

Basilius de instit. monach. quærenti. cui debeat, qui velit, peccata sua confiteri, ita respondet: *Quod confeßionis modus ad hoc institutus est, vt quispiam à peccato se conuertens fructus dignos ostendere debeat pœnitentiæ, secundum quod scriptum est: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: necessarium videtur, ijs, quibus dispensatio mysteriorum Dei committitur, confitenda esse peccata. Sic enim & hi, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud Sanctos confessi fuisse peccata sua. Scriptum est in Euangelio, quia Ioanni Baptistæ confitebantur populi peccata sua.* Et in Act. Apost. *Apostolis ij, qui baptizabantur.* Hæc ille.

Matth. 3

Ibidem.

Actor. 19

Expende Sarceti illa verba, quibus dispensatio mysteriorum Dei committitur, confitenda esse peccata, & attende ad peccatores etiam occultos extensam fuisse & quæstionem, & responsionem, neque dubitabis Basilium hîc egisse de sola confessione clanculatia, quæ fit coram Christi Sacerdotibus.

Et hoc confirmat, quod Euseb. 6. histor. Eccl. c. 27. refert, non fuisse permissum Philippum Imperatorem communicare mysterijs, quin prius confiteretur peccata, & inter pœnitentes staret, & culpas, quæ de eo plurimæ ferebantur, lachrymis dilueret. Nam & hæc postea ostendemus ad confessionem sacramentalem spectare. Sed redeamus ad Doctores Latinos.

Cyrill. 3. in Leuit. ita demum docet, per pœnitentiam obtinere posse peccatorem remissionem peccatorum, si lachrymis & dolori de peccatis adiungat confessionem. De septem gradibus remissionum differens, sic inter alia scribit: *Est adhuc in septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remißio peccatorum, cum lauat peccator lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam.* Et vt declaret ritum confitendi Sacerdotibus etiam occultissima peccata, fundatum esse in Scripturis, imitandum esse dicit Dauidem qui ait: *Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et aliquanto post mirabile secretum dicit contineri in eo, quod Moyses iuxta translationem, quam ipse sequebatur, iussit violatores iuramenti pronunciare peccatum suum, generaliterq; te affirmat cuiuslis generis peccata detegenda esse, & si à nobis non proferantur, publicanda ea esse ab accusatore & incentore peccatorum nostrorum. Gregor hom. 26. super Euang. necessitatem confessionis & ritum seruatum ab Ecclesia, pulchre in suscitatione Lazari expressum nobis esse declarat in hæc verba: *Mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuisce: sed, Veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergò dicitur, Veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpa, diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confeßionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaq; foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras, soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Hucusque Gregor. Et alibi confessionem hanc clanculariam, viam in paradisum appellat, & portam angustam, qua in eum intratur, & amarum poculum, quo peruenitur in gaudium salutis, & vulnerum ruptionem, qua obtinetur vera sanitas.

Psal. 31

Ioan. 11

26. Moral. c. 28

Hom. 16. in Ezech.

Hom. 40. in Euang.

Hom. 27

Refert & Rhenanus in annotationibus in Tertull. legisse se quoddam antiquissimum Concilium, in quo statutum erat, vt presbyteri admonerent sibi subditos, confessionem peccatorum facere in hebdomada proxima ante quadragesimam. Idemque legitur in pœnitentiali Romano, quod non est dubium, vetustissimum esse. Atque vtinam hæc pia & prudentissima consuetudo renouaretur his temporibus. Esset certe, vt alia commoda, quæ ex ea sequerentur, taceam, ieiunium quadragesimale & solennius & vtilius & melius ac deuotius, & re-

& reuerentius se præpararent fideles ad sumendum in Paschate sacratissimum sacramentum Eucharistiæ. Neque opus est ad testimonia authorum posteriorum Gregorio, descendere, quando ex supra allegatis ex Beda, Anselm Richar & Hug & Magistro Sententiarum, & qui eum secuti sunt, Scholasticis liquidum est, hoc certum & indubitatum fuisse Catholicis eorum temporum.

Sed vt confirmatiora sint, addam his, Conciliorum generalium & summorum Pontificum definitiones. In Concilio Constantiensi sess. 8. inter alios errores Ioannis Wicleff hic quoque damnatus est: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & manis.*

In Concilio Florentino inter actus pœnitentis, qui quasi materia sunt sacramenti pœnitentiæ, secundo loco computata est oris confessio.

Si igitur semper fuit in Ecclesia, idque ex institutione Christi, sacramentum pœnitentiæ, fuit & semper etiam ex institutione illius, oris confessio In cap. Ad abolendam. de hæret. perpetui anathematis vinculo innodantur à Lucio 3. vniuersi, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat.

Sixtus etiam huius nominis quartus, inter alios errores Petri Oxmensis, tres ad hoc propositum spectantes, vt manifeste hæreticos, damnauit. Primus est: Sacramentum pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, naturæ est institutio, non noui aut veteris Testamenti. Secundus: Confessio peccatorum in specie, est vniuersalis Ecclesiæ statuto est, & non diuino iure. Tertius: Non necessario exigitur, quod confessio sit secreta. Et hæc patent ex bulla eiusdem Sixti, quam ad verbum retulit in Summa sua in verbo, Confessio, pius valde & perinde doctus frater Alphonsus Castro.

Eant nunc Philippus & Sarcerius, & quicunque illorum fictionis sunt, & quia pauca quædam S. Patrum testimonia legerunt de sola confessione coram Deo, aut de confessione coram quouis fratre, aut de confessione publica, & alia de confessione secreta coram Sacerdotibus, vel non legerunt, vel non intellexerunt, his firmissimis & grauissimis Patrum, Conciliorum, & Pontificum testimonijs & definitionibus cōtemptis, ausint dicere, nouum esse hunc ritum auricularis confessionis, neque illius esse memoriam neque in Scriptura, neque in antiquis Patribus. Nobis indubitatum est, hanc perpetuo fuisse Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem & doctrinam. Atque vbi alia cessarent, vel hoc nomine credenda erim cuiuis Christiano certissimum esse debere, hunc ritum esse vtilem, laudabilem & necessarium, quia tanti Patres tantis & temporum & locorum interuallis dissiti, & perpetuus ordo Patrum & Pontificum sibi succedentium, summo consensu eum nobis tradidit & indixit, atque innumerabiles Sanctorum myriades summo consensu & plena obedientia susceperunt, seruarunt & amplexatæ sunt.

Quid vero, inquies, sibi vult Ambrosius, cum ait, *Lachryma lauant delictum, quod ore pudor est confiteri.* Obiect. 1.

Profecto non aliud, sicut bene & graues authores ante nos exposuêre, quam & ad ea delicta lauanda, lachrymarum virtutem se extendere, quæ sine verecundia & pudore proferri non possunt. Neque enim ille vnquam dixit, satis esse deflere sua delicta, si quis ea erubescat confiteri. Tanto quippe magis tacendum tunc non est, quia diuinum auxilium magis necessarium est: & quo verecundiora peccata commisimus, eo amplius confessione indigemus, vt humilitate & suffragio confessionis, gratiores fiant Deo lachrymæ contritionis. Responsio.

Sed lachrymas, dices, Petri lego, confessionem non lego. Obiect. 2.

Arqui nondum erat tunc instituta confessio, ac proinde & remissionem habere potuit Petrus sui peccati, ac vere habuit sine confessione. Argumentum etiam ab autho- Responsio.

authoritate, negatiue nullius momenti est & apud Summulistas.

Ac forsan, sicut bene Hugo admonet, his verbis significare nobis voluit Ambrosius primo, quantum valeant lachrymæ cum confessione, quando cum sola cordis contritione tantum apud Deum valuerunt: secundo, prius esse flendum, & postea confitendum: neque imitandos esse illos, qui sine aliquo compunctionis motu, & sine aliquo timoris vel amoris Dei attractu, ob solam consuetudinem explendam, ad confitenda sua peccata se ingerunt.

Multa facta sunt, quæ scripta non sunt, respondet Magister in 4. dist. 17. huic obiectioni ex Ambrosio. Et ne quisquam dubitet, quin Ambrosius senserit necessariam esse confessionem, quæ fit Sacerdotibus, sufficere possunt testimonia, supra ex eo in libro de pœnitentia iam citata.

Ambr. de pænit. c. 14

Et quanquam de confessione coram Deo loquitur, vt antecedentia & consequentia indicant, cum ait: *Neq; potest quisquam iustificari à peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus*; tamen de confessione sacramentali loquitur in testimonio, quod ex eo allegauit ibidem Magister, & Gratianus de pœnitentia, d. 1 Ecce nunc. Quia & à pœnitentia eam his verbis distinguit: *Confessio à morte animam liberat, confessio aperit paradisum, confessio spem salutis tribuit, quia non meretur iustificari, qui in vita sua non vult peccatum confiteri. Illa confessio nos liberat, quæ fit cum pœnitentia.* Hæc Ambrosius. Qui & in illis verbis, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, exhortari nos Dominum ad confessionem intellexit, quoniam confessio, pœnarum compendium est, & quædam in peccatis verecundia: & pœnitentiæ portio, crimen fateri.

Gen. 4. De Cain & Abel, c. 9

Obiect. 2. ex Chryſ.

Proferuntur & in nos verba Chrysost. in epist ad Heb. quæ & renarrauerunt Magister & Gratianus vbi supra: *Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq; apud alios accuses sed obedire te volo Prophetæ, dicenti: Reuela Deo viam tuam. Ante Deum ergò tua confitere peccata, apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua sed conscientiæ tua memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Et rursus peccata tua quotidiè dicito, vt deleas illa. Sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidiè in animo tuo. Non dico, vt confitearis ea conseruo tuo, vt tibi exprobret: dicito Deo, qui curat ea.*

Psalm. 36

Verum in his, sicut bene & alij ante nos admonuêre, non dicit Chrys. nunquam esse necessarium confiteri Sacerdoti, sed duo tantum affirmat:

Respon.

Primum est, non esse necessariam confessionem publicam de peccatis occultis. Secundum est, non esse necessariam quotidie confessionem peccatorum, quæ fit homini. Ac, si bene omnia perpendamus, tantum indicat, se non adhortari, aut saltem non exigere confessionem publicam de occultis, aut confessiones coram illis, qui detecta peccata nobis possint exprobrare. Et illis verbis, *Vt te prodas in publicum:* & illis, *Vt tibi exprobret*: satis cauit, ne, quæ dicebat, intelligerentur de confessione, quæ fit secreto coram Sacerdotibus Dei vice fungentibus, & ipsius authoritate curare valentibus peccata, & non exprobrare. Et ita esse hæc exponenda, constare poterit ex illis, quæ ex ipso citauimus, & paulo post adijciemus.

CAPVT XXX.

Confessio venialium, vtilis est & sacramentalis, sed nemini necessaria.

Luth. art. 8

TOTO plane cœlo aberrauit Lutherus, cum ex hoc quod omnes Catholici Doctores tradunt, non esse necessarium confiteri venialia peccata, collegit & eos docere, neque spectare ea ad sacramentalem confessionem. Longissime hæc inter se distant, & vnum ab altero longo interuallo separatur. Nullum esse præceptum de confessione venialium, neque diuinum, neque humanum, omnes libenter fatemur, & manifesta id ostendit ratio. Durissimum quippe esset, ac fortassis à nobis inexplebile, nisi satis esset, quæ occurrerent, venialia confiteri. *Delicta enim quis intelligit?* Verum enim cum his stat, materiam ipsa esse confessionis, & ad sacramentalem confessionem spectare. Quandoquidem & si-

Psalm. 18
Venialia, materia sunt confessionis.

& sigillum seu secretum confessionis, ad ea se extendit, & absolui ea possunt à sacerdotibus.

Argum. 1. Generatim quippe in omnia peccata potestatem eis tradidit Christus, cum dicit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et rectè Bernardus: *Vbi nihil excipitur, nihil excluditur.* Ipsa & forma sacramentalis absolutionis, qua vtuntur omnes sacerdotes, absolutionem ab omnibus peccatis indiscriminatim significat.

Ioan. 20.

Argum. 2. Intolerabileque prorsus esset, teneri omnes ad confitenda peccata, de quibus etiam doctissimi dubitant, an sint venialia, an mortalia: & tamen asserere, si quidem sint venialia, non esse eorum confessionem sacramentalem.

Argum. 3. At ne hæc omnia potenter confirmat consuetudo confitendi venialia, quæ nunc est in omnibus pijs & sanctis viris. Et quidem, quo magis magisque cogito, eum morem in principio Ecclesiæ nascentis fuisse mea, persuadeor. Nullum enim principium ipsius dari potest. Et verisimilimum est, consuetudines Ecclesiasticas toto orbe receptas, quarum nulla authentica probatur origo, à Christo vel ab Apostolis dimanasse, præsertim cum nulla probabilis appareat ratio nouitatis earum. Quod quidem perspicuum est ita esse in proposito: quia cuncta quæ nunc vtilem & laudabilem huiusmodi confessionem probant, nota fuerunt à principio Ecclesiæ. Et ideo neque tum, cum maior erat sanctitas, verisimile est, tam pium exercitium fuisse intermissum.

Confessio venialium antiquissima.

Et merito Leo decimus in eodem articulo etiam damnauit illa verba Lutheri: In primitiua Ecclesia sola manifeste mortalia confitebantur. Et nisi Luterum alioqui bene nossem, mirarer satis non possem, qua fronte in impugnatione bullæ Leonis idipsum pertinaciter confirmet his verbis: Fuisse in primitiua Ecclesia solum manifeste mortalia in confessionibus tractata, satis probant epistolæ Pauli, Patrum scripta & historiæ, quas si bulla tam impudenter damnare audet, suo genio digna facit.

Quis hanc tantam impudentiam ferre patienter possit? Taceo de Patrum scriptis, taceo de historijs, dissimulo conuicia & cõtumelias, quibus perpetuo sacram summi pontificis bullam dilacerat. Videbimus paulopost, quam diuersa ex Patrum scriptis & historijs authenticis habere potuit.

Quid est, impie, in omnibus epistolis Paulinis, vnde vel sophisticissime tantum errorem possis colligere? Cur impias tuas & inanes persuasiones non vereris tanto Apostolo imponere? Equidem in vniuersis Paulinis epistolis nulla sunt, quę ad confessionem sacramentalem spectare videantur, nisi forsan illa, quæ de incestuoso illo Corinthio paterni tori violatore, ad Corinthios scribit: *Cui autem aliquid donastis, & ego.* Quæ tamen, rogo, consequentia quisquam ex his inferat, sola manifeste mortalia tractata tum fuisse in confessionibus?

2. Cor. 2.

Quis, nisi omnino dialecticæ ignarus, hanc collectionem faciat: Non docuit Paulus aliqua venialia, aut occulta mortalia, tractata fuisse suo tempore in confessionibus: & meminit aliquod manifeste mortale tractatum fuisse in eis: Sola igitur manifeste mortalia, tractabantur eo tempore in confessionibus? Nonne vel tyrunculi triuialium scientiarum norunt, argumentum ab authoritate, negatiue nullius plane esse momenti? Non poterat sane Paulus omnia cõmemorare, quæ suo tempore erant consueta inter Christianos. Et ex ipsis eius epistolis liquidissimò constat, multa etiam authoritate ipsius tum fuisse in consuetudine, quorum ne minimi quidem in scriptis meminit.

Sed mirandum non est, ista Lutherum dixisse, quando & eo ibidem prorupit vesaniæ, vt & à confessione venialium omnes fideles retraheret: *Nullo modo,* inquit, *præsumas venialia confiteri.* Et rursus: Cum fere peccemus sine intermissione venialiter, quis, ait, erit finis & modus confitendi? Sed quid tibi, ô Luthere, displiceat in confessione venialium, profecto non assequor. Si arrogantem hunc tuum spiritum humiliare, & communibus moribus Ecclesiæ attemperare didicisses, intellexisses opinor,

2. Thess. &

vtilis confessio venialium.

 venia-

venialium confessionem non solum ad satisfactionem pro ipsis, & ad eorum remissionem, sed etiam (vt plerunque experiuntur in se iusti) ad agnitionem grauitatis eorum, & ad verum dolorem & confusionem de ipsis assequendam, & ad cauendum relapsum in ipsa, & ad pacem & lætitiam conscientiæ, vehementer posse prodesse.

Esto tamen, iure tibi displicere: cur eam præsumptionem appelles, non video. Præsumptio sane dici posset, si quis omnia venialia peccata putaret se posse confiteri. Et parum fructuosum non negamus, de confitendo omnia solicitari. Sed si quis ea duntaxat venialia satagat confiteri, quæ occurrunt, vel cõmode occurrere possunt, pium esse & religiosum eiusmodi studium, neque locum ibi vllum habere præsumptionem, vel inde tibi notum esse debuit, quia nihil ibi vetitum quæritur, aut quod sit supra merita nostra, aut supra vires nostras diuino fauore subnixas. Itaque vt compendio dicamus, venialium confessio non est quidem in præcepto, est tamen sacramentalis & rata: & si quidem commode fiat, ad multa vtilis, & pro iugi morum nostrorum correctione & profectu, vehementer laudabilis.

CAPVT XXXI.

De necessitate confitendi omnia mortalia.

QVONIAM vero Lutherus, & illius asseclæ Philippus & Sarcerius, non improbant confessionem peccatorum, quæ fit sacerdotibus, sed tolerabilem eam putant, & nominatim Philippus in locis communibus retinendam eam ex multis approbat, sed enumerationem omnium & singulorum peccatorum, necessariam esse non credunt, ac proinde summariam quandam & expeditam formam confitendi ex suo cerebro confictam introducere, & fidelibus persuadere moliuntur: adnitar peculiariter ostendere, necessarium esse omnia mortalia confiteri, sicut ante illos consuetum erat, & erit semper in Ecclesia. Idque ne quispiam in dubium reuocet, iure diuino & humano, & sanctorum Doctorum testimonijs, ac manifesta ratione reuinci potest.

Qui dixit, *Quorum retinueritis, retenta sunt*: ostendit nimirum retineri omnia peccata mortalia, quandiu ea retinentur à sacerdotibus. Cum igitur sacerdotes retineãt peccata mortalia, quæ sibi non manifestantur, iure diuino tenebuntur peccatores omnia ipsis manifestare, sicut obligantur facere, ne vllum suum peccatum mortale sit retentum.

Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. ita diffinitum est: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur.* In Concilio etiam Florentino sic lego: *Secunda scilicet pars pœnitentiæ, est oris confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet suo sacerdoti confiteatur integraliter.* Vides, vt de essentia cõfessionis esse diffinitur integra omnium peccatorum confessio? Cumque has Ecclesiæ diffinitiones de venialibus non intelligi, ipsa omnium Christianorum consuetudo & rei impossibilitas manifestet: relinquitur, eas esse ad lethalia peccata referendas, non autem ad venialia.

Deinde: Si Tertulliano, Hieronymoq; in iam citatis testimonijs credimus, singulum quodque vulnus oportet animarum medicis detegere. Et sicut Origenes docet, omnem indigestum ac virulentum humorem necesse est euomere. Quod si aliquid occulte admissum siue opere, siue sermone, siue cogitatione, celauerimus, ex testimonio Cyrilli constat, illud esse in extremo iudicio per diabolum referandum. Ignota etiam varietate peccatorum, ignoratur quis ligandus sit, quisve soluendus, iuxta sententiam iam allegatam ex Hieronymo.

Et Augustinus serm. 66. de temp. palam & generatim dicit, *Nos aliter salui fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod inique gessimus negligentes.* Et in hoc propositum inducit testimonia Iacobi & Ioannis iam citata, & illud Pauli, *Ore autem confessio fit ad salutem,*

Prou. 28. *salutem*, & quod Salomon dicit, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Et alibi ait: *Si* In Psal. 66. *non confessus, lates: non confessus, damnaberis. Damnaueris tacitus, qui posses liberari confessus* Et subdit: *Ad hoc Deus exigit confessionem, vt liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem vt puniat superbum. Ergo tristis esto, antequam con-* Tract. 49 in Ioan. de pœn. d. 5. confi-tem. *fitearis: confessus exulta, iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumebat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat: tu agnosce medici manum, confitere: exeat in confessione, & defluat omnis sanies Iam exulta, iam lætare: quod reliquum est, facile sanabitur.* Et alias, sumpta occasione ex suscitatione Lazari, sic scribit: Sepultus iaces: quando confiteris, procedis.

Atq; huc pertinet, quod ex libro de vera & falsa pœnitentia, nomine Augustini renarratur à Magistro Sententiarum, & à Gratiano: *Quidam vni celant, quod alijs manifestandum conseruant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam credunt per frustra peruenire* Et ibidem legitur:
Cap. 9. *Quædam impietas infidelitatis est, ab eo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam peccatorũ.* Et hoc probatur, quia Deus inimicus est omni criminoso, & quia neminem Christus sanauit, quem non perfectè sanauerit: & à se nine vnum expulit dæmonium, quin etiam expulerit & omnia. Et patent hæc in sanato surdo & muto, & in expulsione legionis dæmonum, & alias etiam septem simul. Vnde & subditur in eodẽ loco: *Expulit septem, vt omnia crimina simul eijcienda doceret.*

Argum. 4. Cumq; Philippus hoc potissimum nomine retineri velit in Ecclesia morem petendæ absolutionis, vt sit aliquod exterius testimoniũ huius articuli, quod lapsi emendantes se, recipiantur à Deo, & sint ab Ecclesia recipiendi: eo ipso admoneri profectò debuit, necessarium esse, vt omnia sua lethalia peccata confiteantur: quia absolutio sacerdotis, conformis esse debet absolutioni Dei, qui nunquam remittit vnum peccatum lethale sine alio, & sacerdotes neque volunt, neq; possunt hoc iudicium diuinum variare, neque absoluere queunt ab incognitis.

Ad hæc: Confessio ad hoc debet fieri, vt peccatores magis humilientur, & grauitatem suorum peccatorum agnoscant, & à recidiua certius præseruentur. His autem omnibus aptus non est ritus confessionis, quem ipsi inducere vellent. Quomodo enim dispicere possint sacerdotes, quæ cuique peccatorũ remedia apponere debeant, ne redeant in priora peccata, quomodo & admonere grauitatis peccatorum, & pœnitentes pro meritis humiliare, si non ipsis omnes morbi lethales aperiantur? Argum. 5.

Et nonne aperta est actio, quædam detegere peccata exitialia, & alia de industria occultare? Ipsis profectò sacerdotibus manifeste ea res imponitur, & contra veritatem formæ sacramentalis hoc militat, quæ absolutionem ab omnibus peccatis indicat, & ex intentione sacerdotis nunquam ad peccata de industria celata refertur. Sed vrgeamus magis aduersarios: Non potest pænitens celare peccatum mortale, quod patrauit, si ob iustam causam de eo interrogetur à sacerdote bono & prudenti, cui confitetur. Nam si hoc potest, poslet apud Deum non esse reticentum peccatum lethale, quod vere & ex proposito ac iuste reticeretur à sacerdote. Tenentur igitur pænitentes omnia confiteri mortalia. Nonenim peccatum est, celare, quæ non tenemur confiteri: neque sacerdos retinere potest, quæ non sumus adstricti illi manifestare. Absurdumq; est, & lumini naturali plane dissonum, immo & sibiipsi dissentiens, quod ait Philippus, pastorem quidem posse pro ætate & vitæ genere quædam de moribus interrogare, nec tamen debere quenquam cogere, vt dicat arcana facta. Cur enim inquirere possit de occultis, nisi & ad eum spectet talia nosse? Quod si ad eum pertinet illa nosse, poterit vtique &, vt sibi reuelentur, cogere. Et si potest, debet & plerunque id facere. Cur etiam iuste requisitus, abscondere queat arcana in foro adeo benigno & secreto? Atque ex his patet, merito Leonem X. damnasse illum art. 6. Lutheri: Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, &c. facit hypocritam, immo magis peccatorem. Argum. 6.

Ve-

Obiect. 1. Verum opponit Lutherus: Dum omnia volumus pure confiteri, nihil volumus diuinæ misericordiæ ignoscendum relinquere. Responsio. Et quis te docuit, tam male argumentari? Nonne & ipsa peccata, quæ confitemur, diuinæ misericordiæ ignoscenda relinquimus? Obiect. 2. At, inquit, omnia peccata nosse, impossibile est. Psalm. 18. *Delicta enim quis intelligit?* Et multa peccata etiam grauia, per ignorantiam committuntur. Et necesse est iugiter cum Psalmista clamare: Ibidem. *Ab occultis meis munda me Domine.*

Responsio. Et hoc argumento velut Achille etiam vtitur in eandem rem Philippus. Quis vero nostrum ad hoc quenquam adegit, vt ea confiteatur, quorum reminisci non potest? Tu quidem Luthere, qui adeo ferreus es, vt etiam ad impossibilia homines adstrictos esse contendas, posses hæc onera à peccatoribus exigere. Sed Catholici omnes sic suam temperarunt sententiam, cum docuerunt, homines teneri ad confitendum omnia lethalia peccata, vt dicerent excusari posse à quibusdam manifestandis, per eorum ignorantiam, aut obliuionem inculpabilem, neq; obligari quenquam, nisi ad humanam quandam & humanæ fragilitati possibilem diligentiam, vt omnia cõfiteatur. Et in verbis statim allegatis ex Concilio Florentino verbum, *Omnia*, Patres ad ea, quorum memoriam peccatores habent, palam restrinxerunt. Et quamuis de peccatis venialibus verissimum sit, neminem nostrum saltem communiter posse omnia confiteri, tamen de peccatis mortalibus, multi per gratiam Dei sunt in Ecclesia, qui ne minimum quidem eorum confiteri intermittunt. Et quæ per ignorantiã grauia peccata committuntur, quidquid Lutherus contendat, innotescere vtiq; nobis possunt. Nam alias ignorantia eorum esset inuincibilis, & malitiam ab eis tolleret. Respon. ad Philippum. Atque ex his solui possunt, quæ Philippus in confirmationem doctrinę sui pręceptoris, vbi supra, adiecit. Non enim, vt putat, lux fidei obscuratur, neq; conscientia in dubitationem aut desperationem adducitur ista doctrina, cum sane & vt par est, exponitur. Et si quas difficultates aut anxietates bonæ alioqui, sed timidæ, conscientiæ patiantur, inde profecto id proficiscitur, quia existimatur necessaria esse iteratio confessionis, aut grauis subesse culpa, si quis humana quadam obliuione vnum, aut duo peccata lethalia se intermisisse deprehendat, cum fidelem & debitam diligentiam se adhibuisse existimabat, vt confiteretur omnia. Sed hos imperitorum confessorum & pœnitentium errores facile est doctis prædicatoribus extirpare, neque ob parum doctos, qui eos inuexerunt, doctrinam fidei taxare aut labefactare tolerabile est. Mitto & contumelias, quibus innocentes monachos hac occasione adspergit. Quid enim cum illo agas, qui tam parum videt, vt manifestum esse dicat, neque omnium, neq; paucorum peccatorum enumerationem iure diuino esse præceptam, sed à monachis confictam, cum tamen satis superque iam dilucidum esse ostenderimus, & Christum, & Apostolos, & totam ecclesiam semper eam requisisse? Sed hæc satis de confessione sacramentali. Videamus ergo de absolutione sacerdotali, ipsi respondente.

CAPVT XXXI.

De absolutione sacerdotali & de tribus contra ipsam erroribus.

QVARTVM, quod inter necessaria ad reparationem lapsi, à Patribus connumeratur, est sacerdotalis absolutio. Cum enim Deus summam salutis fidelium in sacerdotum posuerit potestate, dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*: Ioan. 20. vbi lapsi à gratia regenerationis, quod in se est, ad suam reparationem fecerint, cessando à peccatis, ac detestando & confitendo ipsa, hoc vnum superest, vt qui medici constituti sunt animarum, piæ peccatorum præparationi benigne respondeant, & saluifici oris sui verbo à morbis suis ægrotos liberent, atq; à peccatis soluendo, sanitati eos perfectæ restituant. Et ad expositionem huius partis spectant nonnulla, quæ supra disseruimus pro defensione formæ absoluendi

uendi consuetæ in Ecclesia. Præter errorem autem Vuiclefi tum commemoratum, quod non esset hæc forma huius sacramenti, *Ego absoluo te, &c.* sciendum est, tres potissimum fuisse errores circa hanc partem pœnitentiæ quatenus à confessione, quę actus pœnitentis est, distinguitur.

Tres errores contra absolutionem sacerdotalem.

Error 1. Primus est, quenlibet Christianum posse quemuis alium absoluere. Et hunc errorem aperte Lutherus defendit. Ait enim in attic. 13. damnato á Leone X. vbi non sit sacerdos, tantundem posse in sacramento pœnitentiæ, & remissione culpæ, quemcunq; Christianum, etiamsi mulier sit aut puer, quantum sacerdotē quemuis aut episcopum, & quantum ipsum summum pontificem. Contra quem errorem multi egregij doctores multa dignissima lectu pro defensione Christiani sacerdotij & pie & erudite scripserunt. Nobis vero, qui non hoc ex professo nunc tractamus, ad reuincendum hunc errorem, satis esse possunt verba illa Christi, quæ robur sunt & fundamentum præcipuum omnium, de quib. in præsenti agimus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20. Quæ, precor, gratia hic facta est Apostolis, si alij ab ipsis, & á suis successoribus, præter ipsorum concessionem remittere queunt peccata? Quomodo etiam fieri potest, vt quorum retinuerint peccata, retenta sint, si alij præter ipsos & eorum voluntatem, absoluere valent à peccatis? Nunquid Luthere probare poteris, aliquos tum alios fuisse præsentes, vt non omnino sine causa videaris dicere, hæc spectare ad oēs Christianos?

Ambr. 1. de pæn. c. 2. Recte sane Ambrosius hinc ita colligit: *Ius hoc ligandi & soluendi, solis sacerdotibus datum est.* Et ex testimonijs aliorum sanctorum iā citatis, & ex Tertulliano de præscrip. hæreticorum, & ex Apologetico Greg. Nazianzeni, & ex Chrys. 3. dialogorum cap. 4. satis potest constare consensus Scripturarum & Ecclesiæ de his. Expressaque est de istis diffinitio Concilij Florentini, quæ sic habet: *Minister huius sacramenti, est sacerdos habens authoritatem absoluendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris.* Ac ne omnes Christianos crederet Lutherus parem habere potestatem, sufficere ei debuerunt verba ista Concilij Lateranensis sub Innoc. 3. Et hoc vtiq; sacramentum, videlicet Eucharistiæ, nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus.

Secundus error circa absolutionem sacerdotalem, est, quod absoluere non debeat sacerdos pœnitentem ante peractam pœnitentiam. Et hanc sententiam tenuit Petrus Osmensis. Et damnata est vt hæretica á Sixto 4. in bulla supra citata. Et profecto tanta hæc erat stultitia, tanta crudelitas, & tam aliena doctrina à consuetudine Ecclesiastica, vt, tametsi damnata non fuisset, sicut mera debuisset insania reijci. Cur em̄ sic limitari deberēt claues, à Christo libere & absolute voluntati ac iudicio sacerdotum traditæ? Cur despiciendi essent, & tanto tempore differendi peccatores, volentes pro suis peccatis satisfacere? Cur non potius iuuandi ipsa absolutione sacramentali, & consilio commodo ad satisfaciendum & cauendum recidiuam? Error 2.

Tertius error de his, est, quod absolutio sacerdotalis inanis est. Et hunc errorem tenuere, vt paulo ante retulimus, Vualdēses & Massiliani, & ex parte etiam Vuiclefus & Lutherus. Et possunt ad eos confutandos valere omnia, quæ supra ad confirmandum vtilitatem confessionis ex scripturis & diffinitionibus Ecclesiæ & consensu Doctorum protulimus. Nam quamuis confessio, quatenus actus pœnitentis est præuius absolutioni, & antecedēs eam, vtilis sit ad humiliandum & confundendum nos, eaq; cōfusione & pudore agnoscendum clarius grauitatem peccatorum nostrorum, & satisfaciendum pro ipsis, tamen elogia & laudes, quæ tribuuntur confessioni, maxime propter absolutionem ei tribuuntur. Neque tantopere probaretur confessio ab Ecclesia & doctoribus ipsius, si non eam secutura esset præcellentis virtutis & efficaciæ absolutio. Et intolerabilis esset impostura, si adigerentur homines ad confitendum peccata sua sacerdotibus, neque tamen ipsi sua absolutione aliquam Error 3.

vero etiam inter catholicos non exigua est controuersia de ipsa efficacia absolutionis, aliquanto diligentius de ipsa hoc loco disseremus.

CAPVT XXXIII.

Per absolutionem Sacerdotalem confertur nonnunquam prima gratia peccatoribus.

Opin. 1. FVERVNT quidem graues & celebres authores, qui secuti Magistrum sententiarum in 4. dist. 18. tenuerunt, sacerdotes in noua lege perinde se habere circa spiritalem peccatorum lepram, ac se habebant sacerdotes in veteri lege circa corporalem. Quemadmodum enim hi non mundabāt quidem à corporis lepra, quippe qui gratiā sanitatum non habebant, sed tantum authoritate sua mundatos ab ea ostendebant: ita dixere & sacerdotes in noua lege non absoluere quemquam à peccatis, sed absolutos à Deo peccatores duntaxat ostendere, quos absoluunt. Et hanc sententiam tuentur in eadem dist. S. Bon. Ocham, Maioris. & Gab. d. 14. & Alex. Halen. par. 4. quæst. 80. Neque tamen, quod ista docuerint, cū illis sensisse existimandi sunt, qui absolutionem sacerdotum inanem crediderunt. Nam & ad augmentum gratiæ & ad remissionem pœnæ debitæ pro peccatis omnibus, rite sua peccata confessis vtilem eam esse tradiderunt. Quod quidem stare potest, etiamsi nunquam prima per eam gratia conferretur. Et hac ratione tueri eos possumus, ne videantur aduersari citatis supra diffinitionibus Ecclesiæ, quod sacramēta nouæ legis causant gratiam.

Opinio 2. Tho. in 4. d. 18. q. 1. a. 3. Wal. de sac. cap. 14. Hadr. quodli. 5. q. 1. & q. 2. de clauib. Caiet. quodl. 12. Almay. d. 14. q. vlt. Verum his minime contenti alij scholastici non inferioris classis, altiusque & omnino magnificentius de sacramentali absolutione sentientes, constanter tradiderunt, non solum remitti partem pœnæ debitæ pro peccatis, & iam iustificatis augeri gratiam, sed & nonnunquam primam gratiam per eam conferri, & accedentem peccatorem ad ipsam, ex iniusto fieri iustum, ex inimico amicum, & ex ingrato & exoso, atque ad pœnas æternas destinato, gratum æternorum. Et hanc sententiam, quæ fauorabilior est pœnitentibus, & dignitatem sacramentorum nouæ legis magis commēdat, admitar nunc probabiliorem, & scripturis & sanctorum testimonijs magis consonam ostendere.

Argum. 1. Ioan. 20. Primo: Christus dixit Apostolis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Habent igitur sacerdotes potestatem remittendi peccata lethalia, & iustificandi peccatores: & aliquando verum est, eos remittere exitialia peccata, & ipsa à Deo retineri, quia retinentur & non remittuntur à sacerdotibus. Non enim vere & proprie remittuntur peccatoribus peccata, nisi cum primo iustificantur, & ex peccatoribus & Deo inimicis, iusti & amici ipsius fiunt. Et cum dicit, *Quorum remiseritis, remittuntur*: vel cum post hic tus est eis, *Quæcunque solueritis soluta erunt*: satis indicauit non esse prius aut soluenda, aut remittenda, aut saltem aliquando soluenda & remittenda in cœlo, quia ab eis soluerentur & remitterentur in terra. Nam si nunquam hoc erat futurum, potius fuerat dicendum; Quorū remiseritis, remissa fuerunt: Vel, quæ solueritis, soluta fuerunt. Profecto minuimus sacerdotalium clauium præcellentiam, & ipsis nobis gratijs à Deo factis vehementer derogamus, nisi eo pertingere potestatem sacerdotalem tueamur. Neque intelligere possum, quomodo sacerdotes habent potestatem remittendi peccata, si nunquam possunt Deo reconciliare peccatores. Neque assequor quomodo eis asserere valeamus potestatem retinendi peccata, si nunquam peccata retinentur à Deo, quia retinentur à sacerdote. Retinere peccata, nihil aliud est, vt dicunt Doctores, & nominatim Rich. de S. Vict. ca. 6. de potestate lig. & solu. quam non absoluere. Matth. 18.

Si ergo nunquam sic possunt absoluere à peccatis, vt primam conferant gratiam, & faciant non retineri peccata, quæ ante ipsorum absolutionem retinebantur, non habent igitur potestatem retinendi peccata. Quis credat potestatem retinendi aliquos reos in carcere, aut etiam soluendi illo.

illos, esse in rectore ciuitatis, si nunquam quemquam potest eripere à carcere: sed, quod durius est, ipsi se vincti & compediti, eo non consentiente, immo repugnante, & à carcere, & à compedibus queunt liberare? Cur dicuntur sacerdotes claues regni cœlorum habere, si nemini illud possunt aperire? Peccatores quidem deberent potius dici habere claues, quam sacerdotes, si nunquam hi sua absolutione illis reserant obstructum regnum cœlorum, sed ipsi sua contritione sibi illud reserant & aperiunt. Et quibus, rogo, verbis si Christus hãc fuisset nobis impartitus potestatem, eius potuisset concessionem apertius, quã his verbis, designare? An nõ satis est, vt credamus habuisse Christum hanc potestatem, quod de illo scimus esse scriptum, *Qui habet clauem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit?* Et nonne tantundem significant illa verba, dicta ad Petrum. *Tibi dabo claues regni cœlorum: Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis?* Et quo minus illa, *Quæcunque alligaueritis, &c.* aut ista, quæ modo tractamus, *Quorũ remiseritis peccata &c.* Sibi Christus illos, quo ad hæc, coæquauit: & nos eis abrogabimus, quod Christus magna illis attestatione asseruit, præmittens his verbis illa certę asseuerationis signa: *Et ego dico tibi, Amen dico vobis?* Et in loco quem nunc exaggeramus, vt omnem tolleret ambiguitatem, præposuit illa: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos* Ac si aptius diceret: Quo me pater loco & ordine legat & suũ cõstituit, & ego cõstituo vos: Quã mihi ille impartitus est potestatem & functionem, & ego impartior & participo vobis.

Apoc. 3.

Matth. 16. & 18.

Ioan. 20.

Ibidem.

Et vt intelligerẽt, ad tantæ potestatis debitum vsum, necessarium esse spiritum sanctum, & hanc potestatem ex illius dono se habituros, neq; vtcunq; remissuros se peccata, sed & verbis & absolutione sua donaturos ipsum Spiritum sanctum eis, quos absoluerent, insufflauit in eos, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum.* Neque mysterio vacat, quod nunquam ante id temporis reconciliati leguntur ab scandalo, quod passi fuerãt in Passione Dñi. Quid igit dubitam⁹ ad absolutionem sacerdotalem conferri nonnunquam primo ipsum Spiritum sanctum? Cur nostræ inuidemus gloriæ? Cur nostræ obuiamus saluti? Cur iniqui sumus iudices in Petrum, & in cæteros Apostolos, quos Christ⁹ in tãtę culmẽ dignitatis tantis asseuerationibus & prærogatiuis euexit?

Deinde: Quomodo verum est, sacerdotes absoluere à peccatis mortalibus, si nunquam talibus vinculis compeditos, ab eorum nexu explicant? Equidem ista verba, *Absoluo te*: ad suam veritatem requirunt, vt efficacia sint, & virtutem habeant soluẽdi ligatos, & quantum ex ipsis sit, quos inuenerint vinculis peccatorum irretitos soluant & expediant. Et certe aliquid maius & potentius significant, quam ista verba, *Ostendo te absolutum*: & intolerabile est, illa per ista exponere. Diuersissima est horum & illorum significatio, diuersus vsus, diuersus effectus. Et sacerdotibus non dedit Christus potestatem ostendendi absolutos peccatores à peccatis. Nihil erat nobis opus ea potestate. Immo neque conueniebat nostro statui. Sicut peccata aliorum & nostra sunt occulta, ita & multo magis sanatio eorum est occultissima. Neq; constare nobis potest neque nostra, neque aliorum adultorum iustificatio. Secretissimus est etiam forus sacramentalis, neque in iudicium exterius deferuntur, sed neque deferri possunt, quæ in eo inter pœnitentes & sacerdotes transiguntur.

Argum. 2.

Neq; sine periculo manifesto sacrilegæ falsitatis dici queunt ista verba, *Absoluo te à peccatis*, in hunc sensum, *Ostendo te absolutum à peccatis.* Quandoquidem neque Deo, neq; Ecclesiæ, neque ipsis pœnitentibus, neque sibimet ostendunt sacerdotes peccatores absolutos. Possunt enim, vt supra latissime ostendimus, & ipsi pœnitentes de sua iustificatione, & nos de illorum absolutione nonnihil ambigere: quia satis certo ex fide scire non possumus, quod nullus intercesserit obex, qui effectum absolutionis impedierit. Nunquid etiam, cum dixit Christus remitti peccata, quæ remiserint: aut soluta fore in cœlo, quæ soluerint super terram: & ibi quoque ostendenda remissa aut soluta,

 pos-

Possumus exponere? Cur igitur in vno & eodem contextu, tam varie acceptum credamus vnum & idem verbum, vt cum dicitur, *Quorum remiseritis peccata*: vel, *Quæcunq; solueritis*: interpretemur, quæcunque ostenderitis soluta vel remissa: & cum dicitur, Remittuntur, vel, Soluta erunt in cœlo: simpliciter & absolute remissa & soluta exponamus? Quo in loco scripturæ tanta & tam absona varietas poterit ostendi? Sed hęc perspicua magis fiet ex testimonijs sanctorum, quæ mox citabimus.

Addam itaque etiam alia argumenta. Si nunquam per absolutionem sacramentalem à sacerdote prolatam, confertur peccatori prima gratia: igitur, quod absurdum nimirum est, institutio sacramenti pœnitentiæ non fecit faciliorem viam reparationis lapsi, sed potius difficiliorē. Adiecta est enim necessitas confessionis supra ea, quæ ante legem gratiæ requirebantur: neq; tamen per eam facilius venitur ad gratiam, si nunquam in ea iustificatur peccator. Si quis dicat, præcepto confessionis difficiliorem nunc esse factam curationem peccatoris: solemus istam difficultatem minuere, dicentes, eam difficultatem hac re compensatam esse, quod per eam multo facilius, quam olim, iustificari nunc possumus, ac sæpe iustificamur. At vero hæc responsio prorsus tollitur, neque ei locus vllus esse potest, si nunquam hac via peccator redit in gratiam cum Deo. *Argum. 3.*

Ad hæc: Baptismus conferre potest primam gratiam. Omnes quippe iusti ex Christianis, renati sunt ex aqua & spiritu sancto, & Christum induerunt, & consepulti ei sunt, & commortui peccatis per baptismū, vt verbis Christi & Pauli edocemur. Et paruulis per baptismum in confesso est dimitti peccatum originale. Quare ergo non hoc habebit sacramentum pœnitētiæ? Idē profecto vtrobiq; mysterium est, teste Ambrosio. Neq; minus aperta sunt priuilegia clauium ad remittendam culpam peccatorum actualium, quam baptismi ad remittendum originale & actuale. Cumq; Alex. Halens. 4. par. quæ. 46. membr. 3. artic. 2. Eucharistiam concedat conferre nonnunquā primam gratiam, & Doctores omnes Catholici propter contritionem fateātur peccatoribus illam conferri: cur non & propter absolutionem idem credamus vsu venire, cum peccatoribus nondum iustificatis, sed pie & reuerenter confessis sua peccata, eam impartitur, qui dixit: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: & rursus, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*? Idemque dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: neq; apertius reconciliatione & vitam in illis ꝓmisit, quam in his remissionē peccatorum. *Argum. 4.* *Zach. 1.* *Ioan. 6. & 20.*

Item: Dubitari non potest, quin, sicut supra definitum ab Ecclesia ostendimus, hoc sacramentum pœnitentiæ, & alia nouæ legis sacramenta, causare possit gratiam. Vbi igitur accesserit ad illud aliquis existēs in peccato, qui putet inculpabiliter se digne, aut saltem non indigne ad illud accedere, recipiet ille primam gratiam. Nullus quippe est obex, qui gratiam sacramentalē impedire queat, nisi peccatum. *Argum. 5.*

Insuper: Qui peccatoribus in extremis agentibus, vel negligentia, vel aliquo inepto scrupulo pœnitentiam negant, grauiter increpantur ab Ecclesia, & animarum homicidæ censentur, vt est videre in decretis 26. q. 6. Aliquando igitur confertur prima gratia peccatoribus per sacerdotalem absolutionē. Nam si nunquam ea per ipsam confertur, non est cur homicidę animarum censeri queant, cum nullus ob ipsorum negligentiam aut crudelitatem pereat. *Argum. 6.*

Sed vt omnes in hanc sententiam inclinemus, adijciam his testimonia sanctorum, qui magna inter se concordia hanc nos veritatem docuerunt. *Argum. 7.*

Hilarius can. 16. in Matt. Petro hanc authoritatem elegantissime vendicat ex illis verbis, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, &c.* Et quia par est quo ad hoc, ratio de alijs Apostolis, & de omnibus sacerdotibus, qui legitime possunt confessiones audire, haud dubie quin & eadem ille de omnium ipsorū authoritate dicta esse voluerit. Verba Hilarij ad Petrum, cum magnificat præmium, quod cōsecutus est per illam suam cōfessionem, *Tu es Christus filius Dei viui*: hæc sunt, *O in nuncupatione*

patione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium, præiudicata authoritas sit in cœlo, vt quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo. Hæc Hilarius. Quæ manifeste docent quod volumus. Nunquã enim terrestre Petri iudicium, præiudicata authoritas erit in cœlo ad soluendum aliquem peccatorem, si nunquam Petrus, aut ipsius authoritatem habentes, cõferre queunt primam gratiam peccatoribus, vt ideo soluantur á Deo in cœlo, quia soluti sunt ab ipsis in terra.

August. in libro contra quinq; hæreses: *Neque eos audiamus, qui negant Catholicam Ecclesiam omnia peccata posse dimittere. Illi enim in Petro petram non intelligunt, & non intelligentes ecclesiæ datas esse claues regni cœlorum, eas de propria manu amiserunt.* Et 2. de adult. coniug. ca. 9. Per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. Chrys. ex his verbis colligit, Apostolos potestatem quandã & gratiam spiritalem accepisse, vt remitterent peccata, & magnam esse dignitatem sacerdotum, qui eandem habeant. ac tandẽ subdit: *Etiamsi praui sint sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet & mittet Spiritum sanctum.*

Theophylactus in eadem verba: Vide insuper sacerdotum dignitatem, quod diuina sit. Dei enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorandi sunt, vt Deus. Nã quãuis indigni sint, quid hoc? Diuinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos.

Cyrillus 12. in Ioan. cap. 56. in illis commentarijs omni laude dignis, quos scripsit in Ioan. quæstionem proponit huiusmodi: Qua ratione diuinæ naturæ dignitatem ac potestatem discipulis suis Saluator eisdem verbis largitus est. Nam certe solius veri Dei est, vt possit á peccato homines soluere. Cui enim alij præuaricatores legis liberare á peccato licet, nisi legis ipsius authori? Et continuo ipse sibi ita respondet: Quia certe absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum in seipsis habeãt. Nam cum ipsi remittunt aut detinent, Spiritus, qui habitat in eis, per eos remittit aut detinet. Nunquam sane neque hanc quæstionem proposuisset Cyrillus, neque eiusmodi quæstionem subiecisset, si non pro certo habuisset, ex his verbis conuinci, sacerdotes vere & proprie ex authoritate sibi tradita, & vt ministros Spiritus sancti, posse remittere peccata.

Et hoc est, quod Bernardus serm. 1. in die Apost. Petr. & Paul. nobis commendat his verbis: *Quid illo potentius, cui & terra obediuit, cum mortuos reddidit, & mare sub pedibus eius se calcabile præbuit, qui Simonem Magum spiritu oris sui in aere attigit, qui claues regni cœlorum tã singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cœli?*

Subscribit & his Hugo de sancto Victore, 2. de sacr. par. 14. cap. 8. dicens: *Non dixit, Quodcunque solueris, hoc est, vt illi aiunt, solutum ostenderis fuit solutum: sed Erit solutum. quia sententiam Petri non præcedit sed subsequitur, sententia cœli.* Et ostendens hoc fuisse commune omnibus Apostolis, & eorũ successoribus, ac denique cunctis eorum vice fungentib⁹, quia omnibus ipsis dictum est, *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis & cæt.* continẽter subdit: *Vbi dixit, Si ostenderitis, fuit? Nusquam dixit hoc, sed dixit, Si feceritis, erit.* Ioan. 20.

Verum acrius in eos inuehitur Richard. de sancto Victore, cap. 12. de potestate lig. solu. qui sic verba Euangelica exponebant: *Extat, inquit, quorundam de potestate ligandi atque soluendi sententia, vt ridenda videatur potius quam refellenda. Putant enim & prædicant, sacerdotes non habere potestatem ligandi & soluendi, sed ostendendi homines esse solutos, siue ligatos. Sed nũquid Dominus dicit, Quodcunque ligatum ostenderis, erit ligatum, & quodcunque solutum ostenderis, erit solutum?* Hæc Richard. Veruntamen, vt nemo obijcere possit, mala me fide authores, quos allego, in fauorem nostræ sententiæ citasse, admonebo hic pauca quædam lectorem. Non ita allegaui nunc pro nobis Richard. quasi ille omnino nostræ sententiæ sit. In libr. vnde statim citata desumpsi, palam fatetur, Deũ per se solum dare gratiam seu caritatem, & remittere culpam lethalẽ, seu tollere quidquid est iniquitatis,

& impietatis, hoc est, iniuriæ suæ in peccatis, & absoluere à debito quod ipse vocat, captiuitatis & seruitutis peccatorum. Sed enim in duobus fauet nobis, ac ideo pro nostra sententia illum adduximus Nam & grauiter obiurgat exponentes soluere vel remittere, idem esse quod, ostendere soluta vel remissa: & sacerdotibus non solum tribuit potestatem minuendi pœnas temporarias & absoluendi à debito, quod ipse appellat expiationis: sed & constanter vendicat potestatem remittendi pœnam æternam, & commutandi illam in pœnam temporalem, ac perinde & absoluendi à debito, quod ipse dicit, damnationis. Quæ quidem communiter non creduntur fieri sine infusione gratiæ. Idque constanter credunt etiam illi, in quos nunc dimicamus. Sed argumenta, quibus se illi tueri possunt, commodum erit enodare.

CAPVT XXXIIII.

De argumentis contra virtutem absolutionis ad conferendam primam gratiam.

Obiect. 1. PRIMVS aduersæ partis impetus, est ex multis Scripturæ & antiquorum Patrũ testimonijs, quibus soli Deo ex asse vendicatur authoritas dimittendi peccata. Atq; vt de testimonijs Scripturæ & sanctorum supra Lib. 6. cap 5. & lib. 7. c. 12. inductis, nũc taceamus: ex Patribus hæc sunt, quæ peculiariter hic nobis videntur aduersari.

Tertullianus de pœnit. non solum videtur abrogasse hanc virtutem iustificandi peccatores absolutioni sacerdotali, sed & baptismo. *Non ait, ideo abluimur vt delinquere desinamus: sed quia desijmus, quoniam iam corde loti sumus.*

Matth. 16. Sed Hieron. expressius in illa verba, *Tibi dabo claues regni cœlorum* ita scribit: *Istum locum Episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se posse noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita, quæratur.*

Ambrosius: *Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos index est: & officium quidem suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet.*

Augustinus cont. Iuli. *Nemo tollit peccata, nisi solus Deus, qui est agnus tollens peccata mundi.* Et hoc esse peculiare defend. t in Christo, quod ipse est, qui baptizat interius. Et 3. cõ. Crescon. cap. 5. ex historia suscitationis Lazari, ita colligit: *Solus Deus dat vitam, Apostoli soluũt.* Et Tract. 6. *Non sanctificat nisi Dominus.* Et illud vrgentius est, quod in Ioannem scribit: *Sibi retinuit potestatem, seruis ministerium dedit. Cumque posset nihil amplius dedit, ne seruus in seruo speraret.*

Et his concinit Beda: Nam in illa verba Iudæorum apud Marcum, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus:* dicit illos verum dixisse. Marc. 2.

Atq; his vel similibus testimonijs quidã freti, grauiter nos obiurgant, de sacerdote, inquiunt, Deum facitis, qui ei potestatem, quæ soli Deo competit, tribuitis.

Respon. Atenim ergo eis non aliud respondebo, quam olim huic obiurgationi Hugo de sancto Victore, 2. de sacr. par. 14 cap. 8 respondit: *Non ego sacerdotes deos facio, sed sermo diuinus, qui mentiri non potest Dijs, inquit, non detrahes, & principi populi tui non maledices. Isti vero contra legis præceptum, dijs detrahunt, quia potestatem diuinitus collatam sacerdotibus auferre volunt.* Et vt ostenderet, quantum interesset inter modum, quo Deus peccata dimittit, & quo sacerdotes, & neutrum alteri repugnare, subdit: *Neque vero ego sacerdotibus potestatem dimittendi peccata tribui. Ille hominibus potestatem diuinam tribuit, qui de hominibus deos fecit. Sed tamen ipse sicut ex semetipso Deus est, ita etiam per semetipsum, quando vult, sine humana cooperatione peccata dimittere potest. Hi vero, qui ex semetipsis dij non sunt, nisi eo, à quo sunt, hoc, quod sunt, in eo & per eos operante, & eis cooperante, peccata dimittere non possunt.* Hæc ille. Exod. 22.

Quomodo ergo solus Deus bonus est, nec tamẽ inde sequitur, bonos nõ esse etiã eos, q Dño seruiũt, & quomodo solus Deus mirabilia facit, & de iusto hoĩe dicitur, *fecit n. mirabilia in vita sua*: ita licet solus Deus dicatur dimittere peccata, cũ hoc stat & sacerdotes peccata dimittere: qa solus ipse à se & principaliter hoc facit p ipsos, & sine ipsis: ipsi vero tantũ vt ministri & instrumenta illius ex dono & gratia, & authoritate & operatione ipsius. Eccli 31.

Neque

Neq; Tertullianus hoc negauit, sed admonuit, quanto dolore de peccatis accedere par esset ad baptismum & ad confessionem, neque expectari debere susceptionem horum sacramentorum ad faciendam pœnitentiam de peccatis admissis Vnde & paulo ante iam citata, ita scribit: *Peccator ante veniam deflere se debet, cum pendente venia pœna prospicitur, cum adhuc liberari non meretur, vt possimus mereri, cum Deus comminatur, non cum ignoscit.*

Ac Hieronymus quidem non tam videtur, quæ obiecta sunt, dixisse vt abrogaret sacerdotibus potestatem remittẽdi peccata accedentibus pie & deuote ad hoc sacramentum, quam vt stultitiam illam redargueret, quæ videtur tum aliquibus sacerdotibus fuisse persuasa, vt pro voluntate & arbitrio suo possent quoscunque vel soluere, vel ligare. Et hoc satis indicant illa verba *vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur.* Neque enim qui dicimus sacerdotes nonnunquam sua absolutione conferre primam gratiam peccatoribus, authoritatem eis tribuimus damnandi innocentes, aut soluendi perseuerare volentes in peccatis, Cumq; paulo post subdat Hieronymus, sacerdotem vel episcopum pro officio suo peccatorum audire varietates, vt sciat, qui ligandus sit: quive soluendus, & in illa verba, *Quæcunque alligaueritis super terram &c* potestatem dicat Apostolis concessam, vt scirent qui ab eis condemnantur, humanam sententiam diuina roborari. adduci profecto non possum, vt credam Hieronymum, alienum fuisse à nostra sententia, neque tribuisse veram potestatẽ sacerdotibus soluẽdi à peccatis, sicut manifeste tribuit veram potestatem ligandi & excludendi contumaces peccatores ab Ecclesia. *Matth. 18.*

Ambrosius autem, Augustinus & Beda propterea dicunt solius Dei esse dimittere peccata, quia ipse solus ex se & principaliter delet peccata. Et ideo Augustinus sacerdotibus non tribuit potestatem, sed ministerium, & Ambrosius dicit verbum Dei dimittere peccata, sacerdotem autem esse iudicem, quia cum Deus potuisset communicare sacerdotibus potestatem excellentiæ, quam habet humanitas Christi, vt cum sacramento & sine sacramẽto possint remittere peccata, tñ solũ dedit eis, vt hoc possent per sacramẽta. Et nisi hæc sufficere testimonijs scripturæ & Dd. existiment, cogeremur negare hanc potestatẽ remittendi peccata, fuisse in humanitate Christi. Quod nullus, quod sciam, Catholicorum hactenus tentauit.

Obiect. 2. Obijcitur etiã nobis, quod sacerdotes in veteri lege nõ mundabant à lepra, sed tãtum ostendebant ab ea mundatos. Nec in hoc præcipiebatur leprosis, vt ostenderent se sacerdotibus, vt illi mundos vel immundos facerent, sed vt haberent leprosorum notitiam, & mundos ab immundis discernerent. Vnde & Christus quosdam iã mundatos ad sacerdotes misit, & quosdam nondum mundatos, in via mundauit.

Respons. At hæc suadere possunt, quod volumus, non infirmare. Quantum enim lux tenebras, dies noctem, veritas vmbram, tantum sacerdotium nostrum antecellit vetus. *Vmbram habebat lex futurorum bonorum*, teste Paulo, *non ipsam imaginem rerum.* Atque vt diuitias diuinæ in nos benignitatis agnoscam*, semper plura & magnificentiora nobis in veritate præstitit, quam adumbrabat & pollicebatur in figuris. Itaque vel ob id quod veteres sacerdotes nõ acceperunt potestatem mundandi à lepra corporis, oportet constanter defendere, nostros accepisse potestatem mundandi etiam à lepra animæ. Atque in huius testimonium, cum illi nullis verbis vterentur, quibus significarent se mundare à lepra corporis, ex consensu totius Ecclesiæ & Dei ipsius authoritate, nostri sacerdotes aperte indicant se soluere à peccatis, & mundare à lepra animæ. Hoc si non præstant, non iam superiores, non pares, sed multo inferiores sunt veteris legis sacerdotibus, quia illi ostendere poterant iam mundatos à lepra corporis: nostri verò, vt iam docuimus, non ostendunt à peccatis mundatos. Et quod Christus leprosis præcepit, hoc nimirũ indicabat, & peccatores, & iustos, qui fuerũt peccatores, debere manifestare peccatorum suorum lepram sacerdotibus: & tantæ *Hebr. 10.*

virtu-

virtutis esse humilitatem illam & propositum confitendi, vt quandoque ante peractam, immo & ante inceptam confessionē, ab ipso Deo per seipsum iustificentur.

Obiect. 3. Sed vrgent quidam: Aut peccatores ante Absolutionem Sacerdotalem faciunt, quod in se est, & dolēt de suis peccatis propter Deum, aut non. Si non, indigne accedunt & obicem ponunt gratię sacramenti, ac nouum admittunt peccatum: tantum abest vt tum iustificentur. Si sic, ante absolutionem iustificabūtur: sicut iustificati essent ante legem Euangelicam, & ita nunquam in ipsa absolutione cōferetur prima gratia.

Respon. Hoc argumentum petit tempus, quo sacramentum confert primam gratiā. Et Caietanus quidem oēm peccatorem, qui quātum in se fuit, doluerat de peccatis, neque tamen venerat ad gratiam, iustificari credidit per absolutionem sacerdotis. Sed ex alijs peccatoribus, qui licet doleant de peccatis propter Deum, tamen non supra oē odibile, quosdam dicit per absolutionem, gratiam acquirere, alios vero non. Capreolus etiam & Palud. in 4. d. 17. similiter dicunt, accedentes ad hoc sacramentum cum dolore insufficienti ad gratiam, aliquando iustificari, & aliquando non. Et quia potest esse ignorantia, quæ excuset eos à peccato, neque tamen satis sit ad obtinendum eis gratiam, ponunt medium, quem vocant, accessum ad hoc sacramentum, ita scilicet, vt neq; peccet quis ad illud accedendo, neque tamen consequatur gratiam. Verum nobis multo probabilius apparet, talem medium accessum non ponere, & generaliter fateri, per sacerdotalem absolutionem primam gratiam conferri, quandocunque peccatores eam suscipientes, probabiliter existimant se sufficienter dispositos ad gratiam, neque tamen id fecerunt, & semper eos peccare, qui accedunt in peccato absq; eiusmodi ignorantia probabili. Et ratio, quæ me in hanc sententiam pertrahit, est hæc: Sacramenta habent se ex institutione diuina in efficiēda gratia, quam & Dionys. de Eccles. Hie. c. 1. 3. & 5. & Maximus. cēt. de caritate & alij Græci, habitum, vt Scholastici, vocāt, sicut agentia naturalia in producendis suis effectibus circa passa bene disposita, & sibi debite propinqua. Ac proinde & causant gratiam in quocunq; ipsa suscipiente, & non ponēte obicem. Non ponit obicem, qui habet ignorantiam probabilem: ponit vero, qui eam nō habet, & accedit in peccato. Ille igitur semper, & iste nunquam per susceptionem sacramenti suscipiet gratiam. Neque nunc de hoc soliciti sumus, an sacerdotes per verba absolutionis attingāt virtute diuina ad productionē gratiæ, sed duntaxat asserimus, quod siue contingat, peccatores in peccato accedere ad sacramentum hoc, quia non dolent de peccatis suis quantum oporteret, siue quia nō dolent de ipsis propter Deum, siue quia non habent cum eo dolore propositum vitandi omnia peccata, siquidem probabiliter putent, se habere quicquid ad suam reparationem necessarium est, consequentur primam gratiam per hoc sacramentum & nunquam alias.

Suscipiens hoc sacramentū, vel peccat letaliter, vel recipit gratiam.

Quare, cum superius tradiderimus, non esse ad iustificationē peccatoris necessariā certam aliquam intensionem, aut continuationem doloris de peccatis, neq; præsentiam propositi vitandi omnia peccata, immo sufficere quemcunque dolorem de peccatis propter Deum, tunc duntaxat cōcedendum est, primam gratiam conferri in hoc sacramento, cum quis dolor de peccatis timore pœnæ imminentis, vel propter mala alia ex eis secuta, vel propter turpitudinem ipsorum, vel denique alia quauis ratione, & nō quaten⁹ sunt offensa Dei.

Porro ad hæc consequens est, attritum posse fieri contritum per hoc sacramētum. Nam attritum, communiter in Schola vocamus dolentem imperfecte de peccatis suis: contritum vero quemcunque vel perfecte dolentem de ipsis, & quantum sufficit ad recuperandam gratiam, vel habentem dolorem de peccatis coniunctum alicui, cum quo sufficit ad gratiam. Et quia concedendum videtur, omnem contritum habere contritionem, quamuis quæstio sit de nomine, concedere possumus, attritionem fieri contritionem extrinsece propter superueniens sacramentum: quia ille actus

Attritus fit contritus per sacramētum: & attritio, contritio.

qui

qui ante ipsius susceptionem erat attritio, inuariatus manens, dicetur fieri contritio, quoniam ad reparandum lapsum, tantum valet cum sacramento, quantum actus qui ex se & sua perfectione ad id satis esset per Dei misericordiã & intrinsece est cõtritio.

Obiect. 4. Est & aliud non dissimulandum argumentum contra nos. Non debent sacerdotes absoluere, nisi eos, quos credũt esse iam absolutos à Deo.

Et hoc videtur testari Gregorius hom. 26. in euang. his verbis: *Quos omnipotens Deus per gratiam compunctionis visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur iudicis.* Et statim hoc confirmat ex eo, quod Christus non prius Apostolis commisit soluendum Lazarum, quam eum viuificasset. Vnde & subdit: *Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem authoritatem soluere, quos authorem nostrum nouimus per suscitantem gratiam viuificare.* Quod si possent sacerdotes absoluere nondum absolutos à Deo, cur non & aliquanto miserti fragilitatis peccantium, ad qualencunque displicentiam suorum peccatorum eos absoluerent? Ioan. 11.

Responsio. Adniti debent in primis omni vi & ope sua boni confessarij, vt pœnitentibus displiceant sua peccata vehementer, & potissimum ob Dei offensam, & vt proponant ea in posterum pro sua virili cauere. Sed quanuis eos videant non tam perfecte pœnitere, si credant eos probabiliter hoc de seipsis existimare, absoluere eos debent, immo & cum dubio iusto & rationali, non tantum de perfecta eorum pœnitentia, sed etiam de probabili eorum ignorantia, vbi illi asserant se ita dolere, & ita proponere vitare peccata, neque in aliqua esse peccati lethalis proxima occasione, absoluere eos possunt & debent. Quis enim exacte possit nosse quid opus sit, vt ea ignorantia sit probabilis? *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus,* & sicut sæpe contingit, ipsa absolutione perficiat & augeat pœnitentiam eorum? Ioel. 2.

Et ad Gregorium & argumentum ex historia Lazari respondere possumus, iam eos à Deo visitari, & quodammodo viuificari, qui aliquem, licet imperfectum, dolorem habent de suis peccatis, quique ita ad nos pro medicina suorum peccatorum concurrunt, vt coarguere eos non possimus, quod non sint per compunctionis vim à Deo suscitati. Neque adduci possum, vt credam Gregorium voluisse sacerdotes sic in absoluendis peccatoribus sequi arbitrium diuinum, vt neminem absoluerent, nisi quem crederent iam prius à Deo absolutum. Sed arbitrium diuinum, quod illos sequi voluit, est profecto vel lex, quam eos sequi statuit, vt non absoluerent nisi iam modo exposito pœnitentes: vel voluntatis diuinæ propensio ad iustificãdum aliquos, quæ ex hoc quadantenus nobis innotescit, quod videmus aliquos iam interius ab eo excitari ad pœnitentiam peccatorum, & correctionem suæ vitæ.

Verum his non contenti, hoc tandem argumento, quod Hadrianus Achillem eorum dicit, virtutem absolutionis sacerdotalis eneruare nonnulli contendunt. Non possunt sacerdotes vere retinere peccata. Vel inuitis enim ipsis possunt peccatores sua contritione iustificari: Ergo neque vere queunt remittere peccata, sed tantum ostendere remissa. Atque his forte victi Hugo 2. de sacr. p. 14. c. 8. & Rich. de pot. lig & sol. contemporanei, & monasterij S. Victoris apud Parisium simul canonici, asseruerunt, nullum Christianum peccatorem liberari ante absolutionem sacerdotalem à reatu pœnæ æternæ, nisi in articulo mortis, cum quis sine confessione moritur, quia nõ est locus confessioni. Obiect. 5. Responsio.

Sed non opus est in hoc incommodum incidere propter adeo imbecillum argumentum. Negandum est, sacerdotes non vere retinere peccata. Vere quippe retinẽt, dum non absoluunt: & eorum Deus retinebit sine dubio peccata, quos illi iure & iuste indignos sua absolutione iudicauerint. Quin vero & plerique ideo non al[...]luentur per Deum à peccatis suis, quia hic non sunt absoluti à sacerdotibus. Falsumque prorsus est, quenquam posse iustificari iure & cum ratione inuitis sacerdotibus. Siquidem nemo iustificatur, quin actu vel virtute

tute votum habeat confitendi, dignusque sit absolutione sacerdotali. Nec multa caret probabilitate, quod nobi es authores tuentur, ac nominatim felicis recordationis Hadrianus VI. hoc ipsum, quod habet virtutis contritio ad iustificationem peccatoris, ante baptismum quidem habere virtute baptismi, actu vel virtute optati: post baptismum vero, virtute sacramenti pœnitentiæ, & vt pars quædam ipsius est. Quod si verum sit, non solum erit verum, omnia ea retineri apud Deum peccata, quæ legitime retinentur à sacerdotibus: & plerisque ideo non remittere Deum sua ipsorum peccata, quia sacerdotes non eis actu remittunt: sed & generatim erit verum, nemini ex lapsis à gratia baptismali Deum lethalia peccata remittere, nisi per sacerdotē actu vel virtute remittentem.

Replicatio. Dicet aliquis: Forma sacramentalis, *Absoluo te*: semper habet eundem sensum, neque variatur illa propter varietatem pœnitentium. Cum autem absoluuntur iam iustificati, non significatur per eam, eos vere absolui à vinculis suorū peccatorum: quia, vt iam diximus, possent ante ipsam ab eis plene esse absoluti: &, si hoc illa significaret falsa esset.

Responsio. Sed satis est ad veritatem huius formæ sacramentalis, talem esse ipsius virtutem, vt, si quidem confessus obicem non poneret, aut aliunde non esset absolutus; semper ratione ipsius & à culpa absolueretur, & à reatu æternæ pœnæ, & nonnihil minueretur ei de pœna tēporali pro peccatis actualibus debita. Nec amplius aliquid esse requisitum ad veritatem huius formæ, comprobari potest ex formis baptismi & extremæ Vnctionis, quas non est dubium veras fore, etiamsi dicerentur super sanctificatos, & qui non deliquissent per omnes sensus. Vnde & Hugo vbi supra, docte admonet, scripturam sic sæpe de re aliqua loqui, vt quid inde euenturum sit, prænunciare videatur: tamen magis virtutem ipsius, quam euentum, significare. Atque hoc manifestum est in illis verbis. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marc. vlt. Nec minus in illis, quibus vita æterna promittitur, sumenti Eucharistiam. Neque enim his aut similibus prædicuntur omnes baptizati, aut sumentes Eucharistiam, fore salui, quod in aperto est esse falsum: sed virtus sacramentorum ibi exprimitur, & quo perduci per illa possint, qui ea digne sumpserint. Quoniam vero celebris est opinio Hugonis & Richardi statim citata, de ipsa aliquando operosius hic disseremus.

CAPVT XXXV.

Ante absolutionem sacerdotalem, & simul omnino cum culpa deletur reatus pœnæ æternæ.

VT probarent Hugo & Richardus, verissimum esse quod Christus dixit Apostolis, *Quorum retinueritis, retēta erunt*: Ioan. 20. in hanc vt statim diximus, inciderunt sententiam, vt dicerent, neminem lapsum à gratia baptismali, ante sacerdotum absolutionē, liberari à reatu æternæ pœnæ, nisi cum in articulo mortis locus non est confessioni. Et Richardus quidem non tantum hoc dicit de lapsis à gratia baptismali, sed & pœnitentes ante susceptum baptismum aperte tuetur, nunquam liberari ab eo reatu ante participationem baptismi. Et grauiter indignatur, quod cū grauiora sint peccata Christianorum, quam infidelium: tamen quidā aiebat Christianos per contritionem liberari ab eo reatu ante sacerdotum absolutionem, non autē infideles ante baptismum. Neque negant isti graues & venerandi doctores, per contritionem ante absolutionē sacerdotum iustificari homines, & comparare sibi gratiam & caritatem: sed concedūt, stare hæc cum reatu ad pœnam æternam. Et Richardus expresse ostendit, hoc non esse mirandum, quia sancti Patres ante mortē Christi sine vlla dubitatione habuerūt caritatem, & tamen rei erant pœnæ æternæ, nec ab ea fuissent liberati, nisi Christ' mortuus fuisset.

Attamen Doctores communiter contrariam sententiam defendunt, & eam esse omnino tenendam, his argumentis possumus docere: Omnes cōtriti liberi sunt à reatu pœnæ æternæ.

Primo: Omnes iustificati, & qui in gratia Argum. 1. sunt

sunt diuina, accepti sunt ad vitã æternam. Omnes enim sunt filij Dei:& si filij, & hæredes, teste Paulo. Sed vita æterna aliena erit ab omni malo pœnæ, quia omnium erit bonorum aggregatione perfecta. Non igitur potest esse quis simul & semel secundum præsentem iustitiam, acceptus ad vitam æternam,& reus pœnæ æternæ: Et manifesta est contradictio, esse aliquem simul ordinatum,& eodem modo, ac pro eodem tempore ad aliqua inter se incompossibilia.

Argum. 2. Dein: Si peccator erat reus æternæ pœnæ, & Deus eum volebat addicere pœnis æternis, si in eo statu decederet, & quantacunque sit contritio, hic reatus inuariatus manet & immobilis ante absolutionem sacerdotis: verum ergo erit, Deum iustos & caros sibi & amicos & filios, ac per hoc & hæredes bonorum æternorum, pœnis æternis velle mulctare, si in eo statu decedãt. Quod quidem & absurdissimum esse, & secum pugnare videtur. Siquidem hoc non est esse in Dei gratia, sed in odio potius,& quidem acerbissimo.

Argum. 3. Aduersatur etiam huic sententiæ, quod Augustini & Gregorij authoritate cõmuniter receptum est inter Doctores Theologos, vestem nuptialem caritatis, diuidere inter filios regni & perditionis Quid enim aliud est, caritatem inter eos diuidere: quã eos esse filios regni cœlorum, & ipsius hæredes, qui habent caritatem: eos vero filios perditionis,& pœnis æternis obnoxios, qui illam non habent? Neque verũ est, iustos, qui erant in limbo, reos fuisse æternarum pœnarum. Solum erant rei carendi visione diuina vsque ad mortem Christi. Et saltem certissimum est, eos non fuisse tum reos æternarum inferni pœnarum, quarum fuerunt rei ante remissionem peccatorum lethalium. Cumque iam ianua regni cœlorũ reserata sit, multo est absurdius etiamnum filios & amicos Dei, reos credere æternarũ pœnarum, præsertim inferni.

Argum. 4. Accedit ad hæc, quod perquam absurdum est, membra Christi viua, rea dicere gehennaliũ flammarum. Quantumuis aũt amoliri hoc Richardus nitatur commoda illa distinctione de membris Christi, prædestinatione, præparatione, & habitudine seu cõcorporatione, tamen certe euitare id non potest. Nullus enim potest habere gratiam, quin eo ipso fiat actu, & vt ipse dicit, concorporatione viuum membrum Christi, quia extra Ecclesiam non est salus, & omnes iusti sunt partes Ecclesiæ, & ex consequenti membra Christi: nec pater cælestis quenquam habet carum, nisi quatenus membrum est Christi, ac vt antiqui loquebantur, & nominatim Tertullianus, de pœniten. quodam modo ipse Christus.

Præterea: Certum est, contritionem potuisse ante legem Euangelicam tollere reatum pœnæ æternæ. Nam alias falsum fuisset, quod Deus per Ezechielem promisit peccatori pænitenti: *Omnium iniquitatũ eius, quas operatus est, non recordabor.* Et iusti omnes, quod absurdissimum esset, fuissent semper rei æternarum pœnarum inferni, quia tunc nulla erat alia via qua tolleretur reatus pœnæ æternæ. Cur non igitur & idem modo nunc possit in lege Euangelica? Equidem qui hanc virtutem contritioni abrogant, nimium detrahunt gratiæ nobis factæ in concessione clauium. Cogentur enim dicere, concessionẽ illam reuocationem fuisse gratiæ, quam Deus antiquitus peccatoribus pollicebatur propter solam cordis pœnitentiam. Quod sane euidenter derogat statui gratiæ, in quo non imminutus est valor nostrorũ operum, sed auctus potius coram Deo propter gratiam & merita Saluatoris nostri. Ac sine dubio contradicit hoc multis definitionibus Ecclesiæ & sanctorum Patrum testimonijs, in commendationẽ virtutis pœnitentiæ supra citatis. Neque vnquam, quod legerim, separarunt illi remissionem culpæ à remissione pœnæ æternæ, aut minorem nunc putarunt virtutem pœnitentiæ, quam olim. Argum. 5. Ezech. 18.

Vnde Irenæus 3. cont. hære. cap. 35. vicinus Apostolicorum temporum,& doctrina ac sanguine pro Christo effuso illustris, generatim & absque vlla restrictione dicit: *Pœnitẽtibus largitur benignitatem suam Deus.* Et in Concilio Lateranensi absolute ita definitum est: *Et si post susceptionem baptismi quisqua*

prolapsu fuerit, per veram potest semper pœnitentiam reparari. Et libenter quidem rogassem Hugonem & Richardum, cum communiter iustificatio peccatoris, & remissio cuiuscunque peccati lethalis requirat infusionem gratiæ, & absolutionem à reatu pœnæ æternæ secuto ex tali peccato, vnde ipsi iure possint limitare prærogatiuas datas pœnitentiæ ad remittenda peccata, vt dicant valere quidem illam ad consequendum gratiam, non autem ad dirimendum debitum damnationis æternæ. Si, quia dictum est, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* recte colligitis, sacerdotes liberare à reatu pœnæ æternæ: cur non & ex scripturis, dicentibus Deum remittere peccata peccatoribus pœnitentibus, & ad se conuersis, colligere nobis liceat, & liberari eos ab ipso à reatu pœnæ æternæ? Nunquid testimonia pro prærogatiuis sacerdotum, fauorabilius debent exponi, quam testimonia benignitatis & misericordiæ Dei in nos, quæque illi soli vindicant authoritatem dimittendi peccata propter solam contritionem?

Argum. 6. Egregia itē esset remissio peccati, egregia propitiatio, & condonatio offensæ, egregia reconciliatio peccatoris, si & remittens peccatum, & condonans offensam, & reconcilians sibi peccatorem, adhuc illum æternis destinaret pœnis propter culpam ab eo dimissam. Ecquis vnquam sic remisit suas offensas? quis suas sic condonauit iniurias? quis sic inimicos sibi recōciliauit, vt neque tantillulum pœnę debitæ ab ipsis dimiserit?

Argum. 7. Præstabilis est Deus super malitijs nostris, patiens & multæ misericordiæ, neque ita iræ tenax, & iniuriarum suarum vindex, vt & misertus pœnitentium & clamantium ad se, iram nihilo secius reseruet & contineat in misericordijs suis. Deus mortem nō fecit, neque lætatur in perditione viuentium: omnes potius vult saluos fieri, & neminem perire, neque nisi coactus peccatis nostris, quenquā destinat ad æternas pœnas. Vbi ergo remiserit aliquod peccatū, & iniquitas siue impietas, aut deformitas peccati ablata fuerit, & cessauerint nobis esse nostra peccata voluntaria, cessabunt & apud ipsum reatus nostri ad pœnam æternā, qui non aliunde quam ex nostris peccatis & propter ipsa sola in nobis erant.

Quod si superueniente subito mortis articulo, neq; locum permittente confessioni, certū est, vt & ipsi fatētur, iustos, qui iam erāt contriti, liberari à reatu æternæ pœnæ, quia necesse est credere conuersos ad Deū, & in ipsius gratia decedentes saluari, cur nō & ante illū articulum idē credatur contingere propter virtutē contritionis? Quis dedit hoc priuilegiū articulo mortis, qui naturalis est & præter voluntatem nostram sæpe repēte nos opprimit? Aut cōtritio ex lege & gratia diuina auferre habet hūc reatum, aut non: Si habet, cur vsq; ad mortem differatur hoc ipsius præmiū? Si nō habet, vnde credūt articulo mortis subito præuētos, ab eo reatu eripi sine aliquo ipsorum actu, aut participatione alicuius sacramenti? Certe hic necesse est fateat Richardus sine susceptione alicuius sacramenti participari posse nostram redemptionē, quantū ad absolutionem à reatu pœnæ æternæ. Et si in hoc articulo necesse est hoc cōcedere, neq; negare id debuisset, cum quis habet vehementē contritionem & maiorē, quam alij, qui vel tepide conuertuntur in eo articulo, vel propter repētinum casum nullam tunc actu pœnitentiam habēt. Semper Deus æqualiter dispositis æqualia præmia largitur, & nunquam minus magnificus est in melius dispositos. Et verba Euangelica, *Quorum retinueritis, retenta erunt:* non magis vrgent in eo articulo, quam in alijs.

Argum. 8. (Ioan. 20.)

Argum. 9. Deniq; vel hoc nomine admitti nō debet, sed explodi & reijci istorū patrum sententia, quia si vera esset, quāuis Deus melius & feruētius ad se conuersis daret maiorem gratiā, tamen nunquā plus de pœnis debitis remitteret. Immo si bene ppendimus sequitur plane ad ipsam hoc absurdissimū & pietati Christianæ valde dissonum, nempe ante sacerdotis absolutionem inanes esse ad satisfactiones debitas pro peccatis om̄es pęnitentiū gemitus, oēs plāctus, oēs orationes, & inania esse om̄ia ieiunia & eleemosynas, & inanē ēt ipsam verecūdā peccatorū con-

confessionem: quia per ista omnia minuũt & mitigãt pœnas temporarias debitas pro peccatis, non autem pœnas æternas. Quare ad hoc inutilia erunt ante commutata pœnam æternam in temporalem, quod aiunt fieri sola absolutione sacerdotis.

Obiectio. Sed obijcit nobis Hugo Augustinum, dicentem: *Non potest quis iustificari à peccato, nisi confessus fuerit ante peccatum*: Item Bedam in epistol. Iacobi sic scribentem: *Sine confessione nequeunt peccata dimitti.* Verum hæc & Responsio. similia dicunt sancti Doctores, vt ostendãt præceptum cõfessionis & necessitatem voti confitendi actu vel virtute. Nam contritionem, si perfecta sit, supra satis ex ipsis ostendimus sufficere semper posse, & ante baptismum, & post illum ad reparandum etiam perfecte quemuis peccatorem.

CAPVT XXXVI.

De satisfactione pœnitentiali.

QVINTA pars pœnitentiæ, iuxta seriem nostri decreti, satisfactio est, quæ fit per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia vitæ spiritalis exercitia. Et ea asseritur à Patribus, non fieri pro pœna æterna: quia dimissa culpa, nullus manet reatus ad pœnam æternam: sed fieri pro pœna temporali, quia non semper cum culpa dimittitur lapsis à gratia baptismali, tota pœna pro peccatis debita. Et hinc collegimus in principio huius libri, multo esse aliam reparationem lapsi per pœnitentiam, quam sit iustificatio peccatoris per baptismum. Nam Satisfactio fit etiam pro culpa mortali. in baptismo tota simul pœna debita pro peccatis, remittitur cum culpa. Et quamuis quidam Theologi contenderint, vt, sicut assertum est à Patribus non fieri satisfactionem pro pœna æterna, ita etiam assereretur non fieri pro culpa, quandoquidem illa iam non erat, & antequam dimittatur, nullum habet locum satisfactio pro ipsa: tamen alij meliores Theologi præualuerunt, qui, sicut scriptura & sancti Doctores docent, satisfactiones vere & proprie fieri pro culpa affirmarunt.

Argum. 1. Esto enim, per contritionem vel absolutionem culpa sit dimissa, neque maneat, quantum ad hoc, vt inimicum Deo faciat suum factorem, tamen dimissa non est in totum, sed adhuc manet in imputatione diuina: Quia Deus eam imputat ad reatum pœnæ temporalis, neque ante illius exolutionem se videndum vult lapsis dare, neque ad regnum suum eos admittere.

Argum. 2. Vnde & Ecclesia canit ex Machabæorum historia: *Sanctà & salúbris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Et Dauid, licet sciret sibi adulterij & homicidij 2. Mach. 12. culpas dimissas, tamen quia adhuc illas in conspectu diuino timebat manere, vt imputarentur ad aliquam pœnam, & in se aliquas earum malas reliquias forte experiebatur, feruenter clamabat: *Amplius laua me* Psal. 50. *ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.*

Argum. 3. Et quis potest negare, sacerdotes imponere pœnas pro peccatis, & iam iustificatos aliquas sponte sua sibi indicere pœnas & eas Domino offerre, vt dimittat, quæ admiserunt peccata? Quare si rogentur omnes fideles, quare animæ aliquæ iustorum detineantur in Purgatorio, incunctanter respondebunt, eas ibi detineri pro peccatis, quæ in via admiserunt. Et licet verum sit, satisfactionem esse & fieri pro pœna tẽporali debita pro peccatis, eluenda & delenda, tamen multo verius magisque proprium est, eas fieri pro expiandis ad plenum, quæ commisimus, peccatis. Verum grandis hic nobis cum Martino Luthero concertatio superest. Nam is hanc præcipuè pœnitentiæ partem exosam habuit, & neque rem, neque nomen ipsum satisfactionis pati potuit, vt ex impugnatione bullæ Leonis X. in articulo 5. constat. Nam ibi post multa satis inepta argumenta sic tandem colligit. Quare verum dixi, arbitrariam istam satisfactionem neq; in scripturis, neque in Patribus inueniri, inueniri autem pœnam irremissibilem à Deo impositam pro peccatis. Et post pauca: Vehementer autem odi, & sublatum vellem hoc vocabulum. *Satisfactio*: quod non modo in scripturis non inuenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro vllo peccato satisfacere, cum ille gratis ignoscat omnia. Deinde occasio fuit,

vt è salutari pœnitentiæ remedio mundinas facerent. *Hæc ille.*

Secutique illum sunt Philippus & Sarcerius in locis communibus sub titulo, de Satisfactione. Vbi omnem aliam satisfactionem pro peccatis, præter satisfactionem Christi, & pœnitentiam interiorem, & emendationem vitæ, pertinaciter negant, & ignotam aiunt esse & scripturæ & Patribus. In quibus & Sacerius multo magis temerarius est, ac dimissa culpa, nullum reatum ad pœnam manere contendit, qui sit nostris operibus aut pœnitentijs expiandus.

Satisfactionis nomen antiquum est & conueniens.

Sed vt à nomine cum ipsis congredi incipiamus, nodũ Lutherus sibi profecto in scirpo quæsiuit. Nullum n. in vsu huius vocabuli periculum est. Apud homines omes is satisfacere læsæ parti dicitur, qui exoluit, quod debet pro damno vel iniuria ei illata. Cur igitur non dicamus, satisfacere nos Deo pro peccatis, cum ea libenter vel patimur, vel reddimus, quæ ille pro ipsis à nobis exigit? Certe scriptura, quas sibi Niniuitæ, Achab, Manasses, & al j imposuere afflictiones pro peccatis, palam asserit admisisse Deum, vt iustas pro eis satisfactiones, & ipsis contentum, mitigasse iram suam, & reuocasse sententiam, quam contra illos iam protulerat. Prædicat vbiqꝫ nobis vtriusque testamenti pagina diuinæ in nos diuitias misericordię. Et tu Luthere totam culpam, & pœnam debitam pro peccatis, vel ad solam fidem condonari, & relaxari pertinaciter tueris. Et nunc Protei in morem, in aliam te pro libito tuo commutans formam, tam seuerum nobis Deum facis, vt dicas, nullam etiam à suis amicis fieri ipsi vel pro pœna debita satisfactionem?

Non noua est, vt tu forsitan putasti, huius vocabuli in proposito isto vsurpatio. Vsi sunt illo perinde atque Scholastici antiqui Doctores, & sanctitate & doctrina illustres, & te certe elegantiæ & proprietatis verborum multo obseruantiores, nempe Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Leo Primus, Gregorius, Cassianus, & alij, vt patebit ex testimonijs statim ex eis citandis, neque aliquid vel incommodi, vel periculi in vsu eius vocabuli delitescere putarunt. Ac tantum quidem abest, vt periculum hinc vllum iure timeri possit, vt etiamsi post absolutionem sacerdotalem, nulla vnquam remaneret exoluenda pœna pro peccatis, nihil vererer vocabulo isto vti, & contritionem & confessionem satisfactiones appellare. Et Bernardus nominatim contritionem satisfactionem appellat serm. 4. in Cant. Quod si per solam fidẽ, vt Lutherus credidit, recõciliari DEO posset peccator, & à culpa & pœna in totum liberari, ipsam fidem satisfactionem Deo exhibitam pro peccatis incunctanter vocarem. Quid enim illi deest, quo minus satisfactio appelletur, cum Deus, ea sibi exhibita, nihil amplius requirat pro peccatis?

Obiectio Lutheri. Responsio.

At, inquit, Deus gratis ignoscit peccatis. Et quod hoc impedimẽtum est, ne vtamur nomine satisfactionis? Non nos, quas vocamus satisfactiones, Deo vim inferre putamus, vt, velit nolit, eas acceptet pro peccatis. Nec ex natura eis sua tãtum valorem conuenire credimus. Nec Catholicorum quisquam dixit pœnitẽtiam ex opere operato iustificare, sicut nobis pœnitẽtię hostes calumniantur. Et communiter omnes negamus, quod Lichetus noster, alioqui pius & doctus, 1. d. 17. q. 1. attic. 1. & in 3. d. 19. asserit, dispositiones nostras ad gratiam, vt liberaliter & benigne acceptantur à Deo ad eius consecutionem posse censeri merita ipsius de cõdigno. Scimus Deum gratis dare veniam delictis nostris, & ex sola misericordia eas remittere, & nostras qualesquales satisfactiones pro ipsis, ex benignitate & clementia acceptare. Sed enim cum dimissa culpa per contritionem vel absolutionem, ipsi nobis vel sponte nostra, vel ex consilio & iniunctione sacerdotum, aliquas pœnas pro peccatis infligimus, vel labores aliquos subimus, quos scimus Deum ex lege & statuto suo idoneos habere ad remissionem vel omnium, vel aliquarũ pœnatum, quas debemus pro peccatis, tũ satisfactionis nomine non dubitamꝰ eos labores vel pœnas appellare. Et in hãc duntaxat significationẽ vocabulo satisfactionis in ꝓposito vtemur.

Quod

Quod vero aliqui salutari hoc pœnitentiæ remedio ad nundinas abutantur, vsus certe vocabuli huius non est in causa, sed auaritia, vel impietas, vel certe supina eorum ignorantia. Cumque vbique prædicet Lutherus libertatem Euangelicam, vel hoc nomine permittere nobis deberet vti vocabulo isto, neque coarctare stylum nostrum ad vsum eorum vocabulorum, quibus scriptura vsa est. Nam & sancti olim Patres receperunt nomen Homousion, quo neque scriptura, neque antiquiores fuerant vsi. Atque ipse plerisque vocabulis vti conuinci potest, quibus neque scriptura, neque sancti antiqui sunt vsi. Et si res subsistat, quam vocabulum significat, nihil est, quod nouitate vsquam offendamur vocabuli. Sed hęc satis de nomine, videamus de re.

CAPVT XXXVII.

De necessitate satisfactionis, ex vtriusque testamenti pagina.

DICVNT in locis statim citatis Lutherus & ipsius sequaces Philippus & Sarcerius, neque in scriptura, neque in antiquis Patribus fundatam esse hanc tertiam partem pœnitentiæ. Nos vero, vt illorum inscitia & præceps temeritas cunctis manifestior sit, Synodi nostræ sententiam ex scriptura & antiquis Patribus & Ecclesiæ diffinitione, & ipso lumine naturali comprobabimus. Et in scriptura vetus quidem & nouum tastamentum perspicuè veritatem istam nos edocent. Vbi obiurgauit Nathan propheta regem Dauidem de adulterio cũ Bersabee, & de homicidio Vriæ, & ille corde compunctus dixit, *Peccaui Domino*, mox audiuit ab eodem propheta, Trãstulit quoque Dominus peccatum tuum. Sed ne quisquam putaret, dimissa culpa, nullam superesse exoluendam pœnam, statim adiecit: Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Neque hoc contentus Dñs, grauibus alijs malis, quæ ibi comminatus fuit Propheta, pientissimum regem & iamcõpunctũ postea castigauit. Stuprata est filia, stupratæ sunt coniuges, interfecti Amnon & Absalon, interfecti multi ciues, & ipse coactus est exire de Hierusalem cũ magno dedecore, & regno expoliatus.

Satisfactio lapsis necessaria.

Argum. 1.

2. Reg. 12.

Atq; in hoc propositum commendarunt hanc historiam Aug. & Greg. vt renarrauit Gratiã. De pœn. d. 1, Sicut primi, Sicut peccatum. Et Eucher. Lugdun. Episcop. illos secutus, in lib. Reg. ita scribit: *Si peccatum David tam detestabile Dominus transtulit, quid est quod omnia, quæ de eodem peccato per prophetam ei à Domino dicta sunt, postmodum tolerauit? Sed proculdubio Dominus delet illud, sed sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcit, quod nullatenus sine vindicta dimittit. Sic enim David audire post conuersionem meruit, Dominus transtulit peccatũ tuum: tamen & multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit. Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis absoluit: sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus: quia delicta nostra siue per nos, seu per seipsum resecat, etiam cum relaxat: Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare.* Hæc ille.

Quæ & sub nomine Greg. 9. mor. ca. 27. renarrat Gratianus. Atq; ab illis verbis, *Sed sine vltione non deserit*, omnia ad verbum ex illo desumpsit Eucherius. Et ipse David seuerissimus suorum peccatorum vltor, tametsi certus factus de dimissis suis culpis, vt tamen suo exemplo ista nobis confirmaret, per singulas noctes lauabat lectum suum, & lachrymis suis stratum suum rigabat.

Mor. ca. 27.

Psal. 6.

Et vt verissime dicit Chrys. hõ. 41. de pœ. olim patratũ delictum post tot annos, post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Et cum rursus vel superbia, vel diuini auxilij diffidentia numerari fecit populũ suum, pœnitentia postmodum graui cõtritus, peccatum suum agnouit, & pro remissione illius Dominum deprecatus est, eaq; cordis amaritudine & oratione indulgentiam quidem suæ culpæ obtinuisse videtur: sed quoniam remissa culpa, adhuc superest reatus ad pœnam temporariam, morte se-

2. Reg. 24.

septuaginta millium virorum suorum, pro illa numeratione populi, mulctatus est. Nec tamen, quod apertis diuinis signis intellexit se tum pœnitentia sua & sacrificio Domino fuisse reconciliatum, à dura punitione & animaduersione suorum peccatorum vnquam abstinuit.

Porro si nullus superesset reatus ad pœnam temporalem, vbi semel esset condonata culpa, neque Dauidem, neque alium quenquam iustorũ Deus castigasset aliquibus pœnis, postquam illos sibi reconciliauerat. Qua e & Moysi oranti pro incredulitate & diffidẽtia sui populi, respondit Dominus: *Dimisi iuxta verbum tuum:* Et tamen statim addit, *Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, neque obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum.* Et ipse Moyses & Aaron absoluti á peccato incredulitatis apud aquam contradictionis, adhuc manserunt rei non ingrediendi in terram promissionis. Et Maria eorum soror, iubente Domino, septem diebus leprosa mansit extra castra tametsi ad preces Moysi detractionis culpam ei Deus statim remiserit. Neque Achab, neque Manasses, neq; Niniuitæ sola cordis contritione contenti fuerunt, vt placarent Deum, sed saccum, ieiunia, fletum, & planctum vehementem ad id impetrandum adhibuerunt Et Ioel propheta ad hæc omnia hortatus est populum Israeliticum, vt Domini contra ipsum iram mitigaret. Et Daniel Nabuchodonosori dixit: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Atque Ecclesiasticus etiam ob causam istam admonuisse videtur. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Num. 14.

20.

21.

Dan. 4.

Eccles. 5.

Quid autem est redemptio, nisi satisfactio? Cur metus suadetur, nisi sit quod dimissa culpa timeamus? Etsi dimissa culpa nullus reliquus esset reatus ad pœnam, sicut bene argumentatur Augustinus apud Gratianum, de pœn. d. 1. sicut primi hominis non mortuus fuisset Adam, neque alijs obnoxius miserijs & calamitatibus huius vitæ, postquam teste Salamone eduxit illum Deus à delicto suo. Neque nos subiecti essemus morti, & similibus laboribus, post dimissum nobis originale in baptismo, si omnes in totum pœnæ inflictæ pro peccatis, simul delerentur cum culpa.

Et in hoc grauissima est minimeque ferenda Lutheri & suorum sequacium contradictio. Peccatum originale, quod aliena voluntate contrahimus, sic in nobis dimitti per baptismum asseuerant, vt concupiscentia carnis, quæ pœna ipsius est, in nobis semper maneat, neque vlla satisfactione, etiam Christi, possit impediri, quo minus sit peccatum. Et tamen ex actualibus & proprijs sceleribus & flagitijs nullum sequi reatum contendunt, qui non simul cum ipsis deleatur per satisfactionem Christi vno actu fidei peccatoribus applicatæ. Hoc sane mihi aliud est, quam peccatum originale grauius peccatum facere, quam actuale: & pœnitentiam vel fidem, potentius remedium ad delendum peccata existimare, quam baptismum. Quæ quã sint absurda, quis non videat?

Contradictio Luth.

Sed & aliquanto hæc omnia manifestiora nobis fecit Ioannes, singulare videlicet pœnitentiæ & totius sanctitatis exemplum. Etenim prædicationem suam à pœnitentia auspicatus, non contentus fuit ad pœnitentiam hortari, sed Pharisæis & Saducæis venientibus ad baptismum suum, viam scilicet ostendens, qua possent fugere à ventura ira, dicebat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et mox: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Et fructus dignos pœnitentia, secundum expositionem sanctorum Patrum, vocabat idonea opera & congruentia pœnitentibus, quæque contraria sunt peccatis, ac palam attestantur, & consentanea sunt veræ resipiscentiæ ab ipsis, & legitimæ eorũ pœnitudini. *Sunt digni fructus virtutum,* ait Aug. apud Gratianum, de pœn. d. 5. consideret. *qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores postulat.* Et Gregorius homilia vigesima in Euang. inquit: *Notandum est, quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos fructus pœnitentiæ admonet esse faciendos.* Et post multa, quibus, quantum inter hæc intersit,

Matth. 3.

intersit, luculenter declarat, subdit: *Neque enim par fructus boni operis esse debet eius, qui minus, & eius qui amplius deliquit, aut eius, qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus.* Per hoc ergo, quod dicitur, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, vniuscuiusq; conscientia conuenitur, vt tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto maiora sibi intulit damna per culpam. Et concinit Chrys. in eadem verba Christianus etiam Druthmarus in eundem sensum hæc interpretatur his verbis: Fructum dignum pœnitentiæ facere, est præterita mala fletibus punire, & bona econtrario agere, & male commissa eleemosynis redimere. Christus item redemptor noster satis approbauit hanc tertiam partem pœnitentiæ, cum hoc exprobrat Corozain & Bethsaidæ, quod non in cilicio & cinere pœnitentiam agerent, quam olim fecissent Tyrus & Sidon, si factæ in eis fuissent virtutes, quæ fiebant in ipsis. Et cum Paulus in epist. ad Hebræos asserit, impossibile esse, lapsos à gratia baptismali, renouari ad pœnitentiam, & multo grauius eis imminere iudicium, an non aperte indicat, non sic totam pœnam cum culpa remitti per pœnitentiam, ac remittitur per baptismum? Si ita facile siue ex virtute contritionis, siue ex virtute absolutionis sacerdotum, potest haberi remissio peccatorum, quo ad culpam & pœnam, sicut per baptismum, relinqueretur profecto lapsis à gratia baptismali pro peccatis eadem hostia, quæ & ante susceptum baptismum, & ita illi possent renouari ac noua fieri creatura, sicut nondum baptizati: neq; terribilius, sed æque benigne se Deus gereret in peccantes post notitiam veritatis, quam in peccantes ante ipsam: neque fuisset opus Anabaptistis ambire secundum baptismū ad habendum facile remissionem peccatorum perfectam, cum per pœnitentiam eundem fructum toties, quoties vellent, habere possent.

Quorum omnium contraria luculenter ibi docet Apostolus. Et in eorum confirmationem Romanos iam per gratiam sanctificatos, ad faciēdum dignos fructus pœnitentia, hortatur, dicens: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Rom. 6. Et quanquam Apostolus aut tantum, aut præcipue retulisse videtur hæc ad peccata ante baptismū commissa, quæ satisfactione nostra non indigent, si suscipiatur baptismus, tamen non tantum Christianus Druthmarus in com. Matth. sed & Theophylactus satisfactioni pro peccatis exhibendæ generatim ea applicat. Nec sane immerito. Quî enim hæc exigebat ab illis, qui peccauerant ante baptismum, quæ non exegisset ab illis, qui suscepto baptismo se eisdem peccatis maculauerant? Et Corinthios primo quidem iudicare seipsos, monet idem Paulus, & seueram de suis peccatis vltionem capere. Deinde vehementer laudat, quod contristati ad pœnitentiam, in ea solicite & studiose perseuerarent. Et postremo propter quosdam, qui non agebant pœnitentiam de peccatis publicis, quæ admiserant, timere se dicit, ne cum ad eos veniret, haberet lugere multos ex his, qui ante peccauerāt, & non egerant pœnitentiam super sua immunditia, & fornicatione, & impudicitia. Certe pœnitentia super peccatis, non est resipiscentia ab ipsis, sed mœrores & afflictiones pro eorum satisfactione susceptæ. Et qui timebat se deprehensurum multos, qui non egissent pœnitentiam, non loquebatur de pœnitentia interiori, de qua non poterat, nisi per reuelationem constare, sed de pœnitentia exteriori agebat, quam oportet peccatores publicos præstare, vt manifesta sit eorum pœnitentia. Et huiusmodi pœnitentiā exteriorem, necessariam dicit in huius loci expositione Anselmus.

Multumq; notandum est verbum illud, *Sed vindictam*, in connumeratione bonorum, quæ in Corinthijs effecerat tristitia secundum Deum. 2 Cor. 7. Palam quippe videtur Paulus laudare ipsos Corinthios, quod indixerant, aut ipsi sibi sponte sumpserant in vindictam admissi peccati, aliquas satisfactiones, quales nunc fiunt in Ecclesia vel ex authoritate & iniunctione Ecclesiæ, vel ex propria pœnitentium voluntate. Quid

enim aliud nomine vindictæ ab Apostolo intelligi potuit, præsertim cum eam distinxerit à solicitudine, defensione, indignatione, timore, desiderioque, & æmulatione, quæ vitæ mutationem indicabant?

Atque vel ex hoc loco liquere potest, falso dixisse Sarcerium art. 30. scripturam solam satisfactionem Christi nosse, neque meminisse satisfactionis publicæ pænitentiæ. Et quoniam huiusmodi vindicta merito communiter vocatur pænitentia: quia, teste Augustino, pænitentia idem est quod vindicta puniens: si de ipsa intelligantur illa verba Pauli, *Cõtristati estis ad pænitentiam:* & illa, *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur*: possent hæc non solum exponi, sicut cap. 18. exposuimus, de tristitia ex obiurgatione & mærore Pauli, sed etiam de tristitia sequenti ex odio & detestatione peccatorum. Nam & hæc tristitia causa est & fletus & gemitus, & denique totius pænitentiæ exterioris. Atq; vt intelligamus nostris satisfactionibus mitigari & præueniri posse iram diuinam, & falsissime dixisse Lutherum, pænas à Deo decretas pro peccatis, irremissibiles esse, cum morbis aliquibus ob indignam Eucharistiæ sumptionem percuterentur Corinthij, huiusmodi satisfactionibus indicauit hic mirabilis medicus animarum, flagellum in se Dei vitare potuisse: *Si nosmetipsos*, ait, *diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Nam iudicij nomine non aliud significat, quam satisfactionem & recompensationem, qua iusta animaduersione delicta vlciscimur nostra. Et ita hunc locum Doctores antiqui intellexerunt.

2. Cor. 7.

Chrysostomus alicubi sic loquitur: *Si vis, quod ego consulo, neque hic à Deo pœna quauis cruciari, tuipse tibi iustus sis iudex, refferas tibi rationes viuendi.* Audi Paulum dicentem: *Quoniam si nosmetipsos iudicauerimus, non vtique iudicaremur.*

Et Augustin. de pænitentia facienda cap. 2. ab his, qui lapsi sunt à gratia baptismali, ita differit: *In hac ergo pænitentia maiorem in se vnusquisque seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur a Deo, sicut Apostolus ait: Si enim nosmetipsos iudicaremus, à Deo non iudicaremur.* Ambrosius: *Peccator si sibiipsi non pepercerit, à Domino illi parcitur.* Tertullianus de pæniten. *Inquantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus, crede, parcit.* Quod & in Dauide nobis luculentum fecit Dominus. Nam illius & maiorum populi cilicio, luctu, & planctu, & orationibus, & sacrificio commotus decretam sententiam pestis trium dierum reuocauit. &, vt sanctus Episcopus Roffensis indubitatũ asserit, vnius diei vindicta contentus, bidui sequentis vltionem orationibus & pænitentiæ ipsorum indulsit. Atque hoc scriptura satis innuit. Ait enim misertum Dominum eorum præcepisse angelo adhuc percutienti, vt cessaret, & suscepisse orationes & sacrificium Dauidis. Eas vero orationes quis dubitat Dauidem etiam primo die fecisse? Idipsum etiam in Achab, Manasse, Nabuchodonosor, & Niniuitis conspicuum esse potest legenti eorum historias.

1. Cor. 11.

Et manifestissimum pro his testimonium sunt verba illa: *Repente loquar aduersum gentem & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & desperdam illud. Si pænitentiam egerit gens illa &c. agam & ego pænitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Idemque docuit Ioel, cum Deum dixit præstabilem super malitiam. Quod si non fuisset certus Dauid, propter nostras orationes & satisfactiones frequẽtissime Deum mitigare iram suam, & minuere pænas debitas pro peccatis, non dixisset: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Nec Hieremias precaretur: *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo.*

Hierem. 18.

Psalm. 129.

Hierem. 10.

Ac vide Dei in nos benignitatem. Non sibi hanc authoritatem reseruauit, sed cum tradidit Apostolis potestatem soluendi omnia ligata, manifeste concessit potestatem relaxandi has pænas. Neque erat opus, quicquid argumentetur Lutherus, dicere: Quorum remiseritis satisfactiones, remittuntur eis: sed sat erat dicere, *Quorum remiseritis peccata:* vel, *Quæcunque solueritis super terram.* Nam ad exhibendas satisfactiones, sola nos adstrinxerunt peccata. Et si perfecte fuerimus à peccatis absoluti, liberi prorsus erimus ab omni satisfactione pro-

Ioan. 20. Matt. 18.

ne pro ipsis exhibenda. Atque hinc dilucere potest, quantum decipiatur Philippus, qui pœnas temporarias debitas pro peccatis, dicit nihil pertinere ad potestatem clauium, neque imponi, neque remitti earum potestate. Quibus enim subijciebat peccata, subijciebat nimirum & reatus ex eis consequentes. Quod si, vt innuere videtur, ita vnius Christi beneficium est remissio culpæ & mortis æternæ, vt per ipsum vnum, non cooperantibus sacerdotibus, eam participemus, si nec à reatu pœnarum istarum soluunt sacerdotes, quomodo habent potestatem remittendi peccata? Neque stare profecto possent verba Christi ad Petrum & cæteros Apostolos, eorumque successores, *Quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo.* Non solum enim * omnia vincula, sed ne minimum quidem hoc vinculum ad pœnas temporales, secundum ipsum, queunt soluere. Cumque ipse Luthero in hoc cordatior, pœnitentia nostra & debitis operibus minui has pœnas temporarias crediderit, vel inde admoneri debuit, ne eam abrogaret potestatem sacerdotibus, quos Deus iudices animarum constituit. Sed nunquam sibi constat falsitas. Cum pœnitentia nostra mitigari iram diuinam docuisset, statim, ne cogatur asserere satisfactionibus nostris minui pœnas temporarias debitas pro peccatis, verba illa, *Si nosmetipsos iudicaremus &c.* ad pœnitentiam interiorem, quæ detestatio est peccatorum, restrinxit. Et hoc recte dictum confirmat Sarcerius, quia iudicare, apud Apostolum est, ex animo damnare peccatum. Veruntamen iudicium in sacris literis sæpe more Hebræorum, & particulatim à Ioanne & Paulo, pro pœna vsurpatur. Et cum Paulus hic dicit, *Non vtique iudicaremur*: iudicari, manifeste posuit pro puniri. Ac iudicum quidem munus est, non tantum cognoscere & execrari delicta, sed & pœnas pro illis imponere. Neque Paulus tantum voluit, vt iudicaremus peccata, sed & voluit, vt nosipsi nosmet pro ipsis iudicaremus, & anteuerteremus iudicium diuinum.

Matth. 18. Ioã. * non omnia.

1. Cor. 11.

Ioan 5. 1. Cor. 11.

Cumq; ex anima & corpore simus constituti, & vtrauis parte & bene & male agere, ac puniri & præmiari possimus: quæ stultitia est, pœnitentia interiori mitigari credere iram diuinam, & non pœnitentia exteriori? Paulus Dei beneficentiam ad omne iudicium sponte de nobis sumptum, manifeste protendit. Et vos libertatis Euangelicæ vnici buccinatores, vestra authoritate, immo cæcitate, contra authoritatem Patrũ & contra ipsum Paulum coarctatis? Sed multo iucundius est, cum pijs & antiquis doctoribus agere. Videamus igitur, quid & illi ac tota Ecclesia de his tradidit.

CAPVT XXXVIII.

De consensu Patrum & totius Ecclesiæ, ac luminis naturalis in necessitatem satisfactionis.

SECVTI certissima hæc scripturarum documẽta, summo consensu tradiderunt nobis Doctores, necessarium esse, vt lapsi à gratia baptismali, magnis & assiduis suiipsorum castigationibus solicite studerent, vt peruenire possent ad plenam suorũ peccatorum indulgentiam. Atq; vt omittamus scholasticos, qui vnanimiter hæc docuerunt in 4. d. 15, certe ex antiquis nullum crediderim esse, qui non alicubi aliquod testimonium huic parti pœnitentiæ tribuerit: tantum abest vt verum sit, quod indicibili temeritate affirmat Sarcer. art. 29. Loc. com. nullibi eos meminisse satisfactionis pro peccatis, sed duntaxat publicæ pœnitentiæ indictæ à sacerdotibus ad explorandos animos serio pœnitentium, & coercendos alios à facilitate labendi. Et quoniã nobis obijcit Lutherus, quod truncata Doctorũ testimonia in eum allegemus, dabit nobis hanc veniam lector, vt aliquot pientissima illorum verba integra, neque quicquam diminuta, aduersus eos subijciamus. Irenæus illustris martyr, & discipulus Polycarpi, Ioannis Euangelistæ discipuli, ac teste Tertulliano, doctrinarum omniũ curiosissimus explorator, primum humani generis parentem consecrasse in se istam partem pœnitentiæ existimat, dum suæ inobedientiæ

Iren. 3. contra hæres. cap. 37.

tiæ pœnitudine ductus, succinctorium sibi fecit ex folijs ficulneis. Eaq; re tale aliquid cunctis significare voluisse asseuerat. Quoniam eam, quam habui à Spiritu sanctitatis stolam, amisi per inobedientiam, & nunc cognosco quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus. Atque vt videas, quam vere & ex animo pœnitentiam facere inceperit, subdit: Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro folijs ficulneis induisset eos.

Tertullianus de pœniten. ostendens confessionis vtilitatem, ita scribit: *Confessio, satisfactionis consilium est: satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Et subdit: *Exomologesis, hoc est, confessio, prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem.* Et vbi explicuit habitum & mores vere pœnitentium, subiungit de eadem exomologesi: *Cum prouoluit hominem, magis releuat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absoluit.*

Cyprianus ser. 5. de lapsi. multis & grauibus verbis ostendit, lapsis necessarium esse, vt pro suis peccatis satisfaciant grandi & prolixa pœnitentia, & perniciosiores esse ac magis fugiendos, qui contrarium huius docebant, quam ipsi tyranni persequentes Christianos: quia satisfactionis viam claudebant, & spem vere salutis adimebant. Atque inter alia, digna illo masculo animo & consecrato martyrio, quem semper gessit, ita ad lapsos loquitur: *Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo, adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus: post indumentum Christi perditum, nullum iam velle vestitum: post diaboli cibum, malle ieiunium: iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberãtur.* Et subdit in calce: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui qui pudore delicti plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quã contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: neque solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

Audite, & intelligite Philippe & Sarceri verba ista, *Dei veniam merebitur*: & videte, num hæ satisfactiones à Patribus exigebantur vt politicus quidam ritus, nihil pertinens ad remissionem peccatorum. Legite item quid scripserit in quadam epistola ad S. Papam & martyrem Cornelium, vbi acute reprehendit errorem quorundam, qui lapsos in idolatriam, facile à recentibus eorum facinoribus Ecclesiæ reconciliabant. Hoc enim ibi queritur, quod ea via impedirentur satisfactiones necessariæ ad placandum Deum. *Intercedunt*, ait, *ne exoretur precibus & satisfactionibus Christus qui negantem se negare profitetur. Datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera, falsæ pacis mendacio tollitur.* Videtis, vt ad redemptionem & ablutionem peccatorum, & ad veram pacem conscientiarum exigebat hic præclarus martyr satisfactiones?

Origenes hom. 8. super Leuiticum ita scribit: In vulneribus corporum, posteaquam curata fuerint, remanet interdum ipsius vulneris signum, quod cicatrix appellatur. Vix enim est, qui ita curetur, vt nullũ suscepti vulneris residere videatur indiciũ. Transi nunc ab ista legis vmbra ad veritatem eius, & intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus acceperit, etiamsi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem. Quæ cicatrix nõ solum à Deo videtur, sed & ab eis, qui acceperunt ab eo gratiam, qua præuidere possent animæ languores, & discernere quæ sit anima ita curata, vt * omni genere vestigium illati vulneris abiecerit, & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi in ipso vestigio cicatricis indicia. *Et rursum infra*: Sed vide quia etiamsi mundetur quis à peccato, & non sit iam in opere peccati, ipsa tamen vestigia sceleris commissi purificatione indigent, & ea quam exposuimus, & alia nihilominus quæ mandantur in consequentibus. Obseruauimus enim & hoc, quod scriptum est de lepra, in qua die

Peccati cicatrix.

* omnigene.

mundatu-

mundatus fuerit, post hæc inter cætera quæ mandantur, tertio dictum esse, Et mundus erit. Et iterum ad vltimum scriptum esse, Et mundabitur. Vnde mihi videtur esse quasdam & in ipsa purificatione differentias, & vt ita dixerim, profectus quosdam purgationum. *Hæc Origenes.*

Incrementa iustitiæ.

Et agnouit hoc idem mysterium reconditum in legis vmbra, & eisdem omnino verbis nobis tradidit Cyrillus in verba Leuitici 14. c. quibus præcipitur leprosus præsentare se Sacerdotibus.

Hesych. 4. Miliaus.

Atque Hesychius eandem allegoriam his verbis explicat: Emundatio lepræ, est pœnitentia. Hæc autem opera necessaria habet, quæ virtutibus & actionis studio valeant delere peccata. Propter quod Ioannes Baptista populo Iudæorum dicebat: *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Considerauit enim, sicut subtilis legislator eos, qui non omnia possint, quæ pertinent ad districtam rationem pœnitentiæ, exhibere. Opus enim habet pœnitentia orationem intentam, eleemosynam, vigilias, sacrum ieiunium, postremo etiam illa quæ David dicit: *Facta sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte:* &, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Sed & cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Hæc Hesychius.

Matth. 3

Psal. 41. 6.

101.

Ambrosius item in epistola ad quandam corruptam, quemadmodum pœnitentia agenda sit, sanctissime his verbis docet: *Pœnitentia non verbis agenda est sed & actu. Hæc autem sic agitur: Si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cum hoc certa fide sicut est animo conceperis, quia necesse est præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum est post baptismum, quam pœnitentiæ solatium, quantamuis afflictionem, quantumuis laborem & indecorem subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprij facti tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculi lachrymas, qui masculum simpliciter non adspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam viruit impudice. Deniq; totum corpus incuria maceretur, cinere adspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquescens sicut cera, ieiunijs inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia membra corporis, cum haberet dominationem, malo cessit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseuerans, audebit sperare, etsi non gloriam, certe pœnæ vacuationem.*

Peccatoris nomen de libro vitæ deletur.

Pœnitendi modus.

Pœnitentiæ fructus.

Et paulo post: *Peccator ergo si sibijpsi non pepercerit, à Deo illi parcitur. Et si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ spatio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Hæc iste sanctus, & omni veneratione dignus Episcopus. Ad cuius verba, si, vt par est, attendamus, discemus vere agere pœnitentiam, & contemnemus Philippum, qui adeo mollis & delicatus est, vt nullum velit adhiberi cruciatum corpori, tametsi Paulus raptus in tertium cœlum, dicat: *Et castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* 1. Cor. 9

Chrysostomus hom. 10. in Matth. necessitatem satisfaciendi declarat in hæc verba: *Aliena rapuisti? incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoq; vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuicijs, & percutientes te, nunc offi ijs, nunc etiam beneficijs, placare contende. Neq; enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore euellere: sed etiam remedia adhibere vulneribus. Delicijs ante & temulentia diffluebas? ieiunio & aqua potu vtrunq; compensa, vt famem superes imminentem. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? fœminam iam omnino non videas, maiori tactus cautione post vulnera.*

Quod si hæc quis causetur ex opere esse imperfecto, quod incertum est an sit Chrysostomi, audiat quid idem hom. 41. de pœni.

citra omne dubium scribat: *Pœnitentem irasci non oportet, neq; sæuire, sed contineri tanquam condemnatum, tanquam non habentem fiduciam, tanquam iudicatum reum, tanquam ex sola salutari misericordia debentem, tanquam ingratum erga benefactorem redargutum, tanquam iniucundum & reprobum, tanquam innumeris dignum supplicijs. Si hæc cogitet, non irascetur, non indignabitur, sed lugebit, flebit, gemet, & conqueretur noctem & diem. Pœnitentem nunquam oportet obliuioni peccatum tradere, sed Deum quidem rogare, ne eius meminerit, ipsum verò nunquam ipsius obliuisci. Si nos eius non recordemur, Deus ipsius non obliuiscetur. Si nos eius meminerimus, Deus obliuiscetur. A nobisipsis vltionem sumamus, nosipsos accusemus, ita placabimus iudicem.* Hæc Chrysost. Et copiosissime idem prosequitur lib.3. de dignitate Sacerdotali, c.5. Et in hom.3. in Matth. ita docet, necessarium esse facere fructus dignos pœnitentiæ post confessionem & absolutionem, sicut rupto vulnere & digesta impuritate, quæ latebat, necessaria est superpositio medicinæ ad perfectam curationem vulneris.

Hieronymus super Malach. his sanctis Patribus per omnia subscribit, inquiens: *Qui peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam de qua fuerat egressus, & cubet vel dormiat in sacco, vt præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset.* Hæc ille.

Et ne qui circumferuntur Canones pœnitentiales, noui & recentes existimentur, aut superstitione creuisse quis credat Melanchtoni, citant nobiles authores post Iuonem Carnotensem Episcopum, & Gratianum de pœnit. d. 1. Mensuram. eundem Hieronymum alibi ita scribentem: *Mensuram temporis in agenda pœnitentia, idcircò non satis apertè præfigunt Canones pro vnoquoq; crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnumquodq; emendandum sit: sed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris: nec abstinentia tantum ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ, fide & conuersatione pœnitentum adbreuianda præcipiunt. & negligentia protelanda existimant. Tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ sunt impositi, iuxta quos cætera perpendendæ sunt culpæ, quum sit facilè per eosdem modos, vindictam & censuram canonum æstimare.* Hæc Hieronymus.

Et ipse suo, non leuis authoritatis Concilia in ipsis Canonibus allegat pro satisfactionibus quadragenis & septenis. Et in corpore iuris, præsertim in titulis de pœnitentijs & remissionibus, multa sunt & Pontificum & Conciliorum Capitula, in quibus nunc publice, nunc secrete imponuntur pro delictis pœnitentiæ.

Augustinus, vel quisquis alius author fuit libri, qui nomine eius circumfertur, de vera & falsa pœnitentia, quem & antiquum, & pium, atque illustrem authorem fuisse, non est dubium, pœnitentes magna cum promptitudine docet, paratos esse debere ad acceptandum iniunctam sibi à Sacerdotibus pœnitentiam. *Ponat se omninò,* inquit, *in potestate iudicis, in iudicio Sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente paratus sit facere, pro reparanda animæ vita, quæcunq; faceret pro vitanda corporis morte: & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.* In libro etiam de salutaribus documentis, de Sacerdotibus sapientibus & probis ac perfectis medicis animarum ita scribit: *Hos perquiramus & sequamur, cum talibus consilium salutis nostræ ineamus, vt non perdamus hæreditatem cœlestem.*

Gregorius hom.34. in Euang. *Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa.* Et cum hoc ostendisset exemplo Dauidis, 2. Reg. 23. qui aquam Bethlehemiticam, quam desiderauerat, libauit Domino, subdit: *Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum iam rigidus, etiam à licitis abstinebat. Sic sic agamus pœnitentiam, vt ea, quæ commisimus, perfectè defleamus.* Et hoc est, quod in libro de vera & falsa pœnitentia legimus: *Abstineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrij commisit illicita.* Et in Ambrosio: *Qui agit pœnitentiam, non solum lachrymis diluere debet*

debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora. Vulgata est etiam distinctio satisfactionis, data ab Anselmo: *Satisfactio est recompensatio offensa commissæ ad æqualitatem iustitiæ.* Cassianus collat. 23. cap. 15 *Quisquis post baptismum, & scientiam Dei in illud mortis corpus incurrerit, hoc est, in aliquod capitale crimen, sciat se non quotidiana gratia Dei, id est facili remissione, quam momentis singulis exoratus Dominus noster erroribus nostris donare consueuit, sed aut diuturna afflictione pœnitudinis ac pœnali dolore purgandum, aut certè pro his in futuro æterni ignis supplicijs addicendum.* Vocat autem æternum, ignem purgatorij, non quod in æternum cruciaturus sit animas ibi detentas, sed quod eiusdem prorsus speciei & virtutis communiter creditur cum igne inferni. Vnde non dixit æternis supplicijs addicendum, qui hîc non satisfecerit, sed æterni ignis supplicijs.

Hugo & Richar. plurimum sunt in locis citatis capit. 32. in exigenda à peccatoribus hac satisfactione. Ac Rich. quidem ipsius necessitatem, nobis designatam à Christo dicit in eo, quod leproso iam mundato præcepit, vt non tantum ostenderet se Sacerdoti, sed & offerret munus, quod præcepit Moyses. Et ideo putat dictum Petro Matth. 16 prius, *Quodcunq; ligaueris, &c.* & postea, *Quodcunq; solueris, &c.* quia cum Deus ideo liget ad pœnas temporarias, quia soluit à pœna æterna: Sacerdos contra, propterea soluit à reatu secuto ex peccatis, quia ligat ad satisfactionem pro illis.

Pro his omnibus etiam pugnant, quæ cap. 10. ex ipsis citauimus. Et Hieron. enim & Aug. & Amb. & Chrys. & Ansel. & Hugo apertissime & constantissime docent, Paulum asseruisse, non esse possibile, lapsos reparari sic facile per pœnitentiam, sicut renouari potuerunt per baptismum. Enimuero vbi Doctores de his tacuissent, & non tanta concordia & perspicuitate hæc nos perpetua tot seculorum successione docuissent, abunde ista potuissemus discere ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ. Quid enim aliud sunt & publicæ, & occultæ pœnitentiæ, peccatoribus iam Deo reconciliatis, omni tempore & loco, vt celebres testantur historiæ, per vniuersam Ecclesiam impositæ, quam testimonia quædam apertissima reatus, ad pœnam temporalem post dimissam culpam manentis? Si tota simul pœna debita pro peccatis, cum culpa dimittitur vel per contritionem, vel per absolutionem sacerdotalem: nullas vtique pœnas pro commissis peccatis imponeret Ecclesia, sicut neque imponit pro commissis ante baptismum.

Et hac toto orbe dispersæ Ecclesiæ consuetudine, & præcitatis tantorum Doctorum testimonijs commoti Patres in Concilio Lateranens. sub Innocent. 3. *de pœnit. & re. Omnis vtriusq; sexus, cum eo, &, Deus qui Ecclesiam.* statuerunt, vt confessi rite sua peccata, iniunctam sibi à Sacerdotibus pœnitentiam proprijs viribus studeant adimplere. Et ibidem indiscretæ & superfluæ indulgentiæ hoc nomine reprehenduntur, quod ita fit, vt claues Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio eneruetur. Et idem Innocentius in epistola quadam ad Liuoniensem Episcopum, pœnitentias imponendas non tam secundum quantitatem excessus, quam quantitatem contritionis per discreti Sacerdotis arbitrium, pensata qualitate personarum, dicit esse mensurandas.

Et in Concilio Florentino sic statutum est: *Tertia pars pœnitentiæ, est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium, & eleemosynam.*

Et hanc eandem veritatem Leo I. in epistola 89. sæpe citata, iam olim vt certam tradiderat sub his verbis: *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Et ad verbum sunt hæc in capit. 10. libr. de vera & falsa pœnitentia: Verum age, Scripturas, diffinitiones Ecclesiæ, & omnium temporum & locorum vniuersalem ipsius consuetudinem, testimonia etiam omnium Patrum, quos pro nobis induximus, paulisper, si libet, intermittamus. Nulla sit authoritas, nullum precium, nullum pondus, nulla habeatur

ratio

ratio tantorum testium, quorum vel minimum, centum Lutheris cordatus quius deberet anteferre. Nunquid luminis nostri naturalis & conscientiæ propriæ testimonium, vile poterimus existimare? Quis est nostrûm tam ignarus rerum, quis tam rudis & imperitus cœlestis & terrestris iustitiæ, quis tam ab omni ratione alienus & semotus, vt non sciat, maiora deberi supplicia maioribus & diuturnioribus peccatis? Quis ignorat, supremum & iustissimum iudicem & gubernatorem vniuersi dicere, vt peccata neque impunita maneant, neque æqualiter puniantur? Equidem Iob scire se dixit, Deum non parcere delinquenti.

Quod Gregorius 9 Mor. cap. 17. ideo dictum putat, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Et Tertull. de pœnit. dicit: Bonum factum, Deum habet debitorem, sicuti & malum, quia iudex omnis remunerator est causæ. Diuinaque & naturalis lex exposcit, vt iuxta mensuram delicti, sit & plagarum modus: & quantum se quisque glorificauit, & in delicijs fuit, tantum postea ei inferatur tormentorum. Cum ergo Deus pro sua summa & ineffabili misericordia ad vnum & leuem & æqualem cordis dolorem de omnibus peccatis, & propositum vitandi illa in posterum, reconciliet sibi plerunque vehementer inæquales peccatores: nonne necesse est, vt illæsa & illibata maneat iustitia, pro admissis peccatis pœnas postea aliquas reposcere, & ab eo grauiores & longiores, qui grauiora & plura patrauit delicta? Nunquid æquali debent iure censeri fornicator & adulter, adulter & incestuosus, fur & homicida, homicida & hæresiarcha?

Et quæ fuit vnquam tam barbara natio, quæ respublica tam parum sibi prouida, quæ non maiora supplicia in grauiora & perniciosiora scelera statuerit? Liceat cuiuis sentire hac de re, quod volet. Ego quidem, etiamsi non me hoc certa fides Scripturarum & Ecclesia docuisset, vel lumine naturali admonitus, crederem post dimissam culpam manere posse ac plerunque manere reatum ad pœnas temporarias, & tanto quemque seueriorem à se vltionem de suis peccatis debere exigere, quanto sibi plurium & grauiorum peccatorum conscius fuerit. Et hac naturali luce admonitos Patres, crediderim diuersas & inæquales pœnas, diuersis & inæqualibus peccatis statuisse. Neque si hoc nostræ ipsorum conscientiæ testimonium audire voluisset Lutherus, postulasset vnquam à nobis, quo in loco Christus aut Apostoli differentes statuissent pœnas pro differentibus peccatis. Esto enim, Christus & Apostoli nihil nobis de his expressissent: satis Patres ita statuere lumen naturale commonebat.

Aut proferat ergo Lutherus vbi Deus hanc gratiam pollicitus fuerit pœnitentiæ, quam cum Paulo & Ecclesia tota, immo & cum Christo nos constanter tenemus æquissime & commodissime fieri in baptismo: aut si non potest ostendere tantam esse gratiam pœnitentiæ, quanta est baptismi, agnoscat nobiscum, quod ipsum lumen naturale à nobis efflagitat, manere in lapsis à gratia baptismali, post remissam culpam, reatum ad pœnas temporales, & tanto quidem acerbiores, quanto pluribus vel grauioribus obnoxius quis fuerit delictis. Et quia seruari debet in omnes æqualitas, neque quispiam admitti potest ad regnum cœlorum ante exhibitam debitam satisfactionem pro suis peccatis, etiam lumine naturali admonemur, esse aliquem locum post hanc vitam, vbi luant debitas pœnas pro peccatis, qui hac in vita non fuerunt ita diligentes in satisfaciendo pro ipsis, sicut illi, qui ante quam hinc decedant, iugi castigatione & mortificatione sui se ab omni liberarunt peccatorum suorum reatu. Idemque ipsum suaderi potest, quia aliàs impunita omnino manerent peccata venialia, in quibus dum iusti perseuerabant, subita sunt morte præuenti. Meritissimo itaque Patres in Canonibus anathema indixerunt cuicunque asserenti ita culpam lapsis omnibus pœnitentibus remitti, vt nul-

nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exol[illegible] vel in hoc seculo, vel in futuro in P[illegible]io, antequam ad regnum cœlorum [illegible]antur.

CAPVT XXXIX.

De argumentis contra necessitatem satisfactionis.

QVibus verò argumentis, seu strophis potius, obligationem ad satisfaciendum Deo pro peccatis, illudant hæretici, commodum erit videre.

Obiect. 1. Primo obijciunt, Christum iam abunde satisfecisse pro omnibus, ac proinde & derogare meritis & satisfactioni Christi, asserere alias esse nobis satisfactiones pro peccatis necessarias.

Respon. Quanta vero hæc cæcitas est? Nonne sicut copiose satisfecit pro peccatis nostris, ita & copiose redemit nos ab illis, & perfecte reconciliauit nos Patri, & omnia peccata nostra in corpore suo pertulit, & perferendo abstulit, ac cunctis ad condignum meruit vitam æternam? Sicut igitur his non obstantibus, recte fatemini paruulos nasci in ira Dei, & in eadem mori, nisi baptizentur: & adultis, vt iustificentur, necessariam esse non dubitatis fidem, atque item baptismum: & iustificatis necessaria esse iam putatis Decalogi præcepta, & lapsis pœnitentiam interiorem, neque hæc creditis derogare plenissimæ Christi satisfactioni: ita & idem non aduersatur, præter pœnitentiam interiorem, requirere & exteriorem vt plurimum: quia communiter non est tanta pœnitentia interior, vt delere queat omnem reatum ad pœnam consequentem ex peccato.

Et Christus virtutem suæ passionis quantumcunque ad omnia, quæ vellet, efficacis, applicari cuiquam noluit, neque ad gratiam, neque ad gloriam, neque ad absolutionem alicuius reatus peccati, nisi mediante aliquo sacramento, aut proprio aliquo merito, aut opere nostro, & iuxta propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Ita enim & gloriæ Dei, & commodæ administrationi orbis, & saluti ac profectui & exaltationi iustorum expediebat. Satisque est, vt reconciliasse omnes dicatur, & abunde satisfecisse pro omnibus, fecisse ipsum & obtulisse patri sacrificium adeo acceptum patri, vt omnes qui voluerint beneficentia illius vti, & legibus suauissimis ab ipso præscriptis parere, possint statim iustificari, & absolui vel ex toto, vel ex parte ab omni peccatorum suorum reatu.

Quomodo igitur, inquies, per Ezechielem pollicetur Dominus, non se recordaturum omnium iniquitatum impij, si ille egerit pœnitentiam? Si per pœnitentiam non simul cum culpa deleretur tota pœna pro ipsa debita, vere possumus dicere, Deum etiam post nostram pœnitentiam recordari nostrarum iniquitatum, quandoquidem & pro eis graues postea exigit pœnas. Obiect. 2

Veruntamen vel vnum exemplum Dauidis docere potest semper fuisse hoc testimonium Ezechielis sic à Patribus nostris intellectum, vt Deus dicatur non recordari iniquitatum pœnitentium, quia eos admittit ad suam gratiam, nullo ad ipsas habito respectu, neque aliquam earum ad pœnam æternam imputat. Non enim expressiora hæc verba sunt, quam illa, quæ ad ipsum Dauidem dicta sunt, *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum*: post quæ certo scimus cum mansisse reum multarum pœnarum. Et quid tam multa sacrificia & varia secundum legem Moysi, etiam à pœnitentibus ad propitiandum & placandum Dominum exigebantur, si contritio delebat totam culpam? Profecto si bene rem perpendamus, totus pene veteris legis ritus sacrificiorum pro delictis & peccatis, manifestum testimonium est veritatis, quam modo tuemur. Neque enim dici potest ille ritus fuisse politicus, & non ad obtinendam remissionem peccatorum, cum aperte Scriptura eum exigat ad placandum Deum, & ipsum seruantibus polliceatur propitiationem & placationem diuinam. Ostendant igitur, vbi Dominus, excepto baptismo, pollicitus fuerit, indulgentius & benignius se habiturum in pœniten-

Respon.

2. Reg. 12

Totus ritus vet. sacrificiorum, testimonium est reatus manentis post culpam.

nitentes, quam olim se habebat: aut si hoc non possunt ostendere, agnoscant se contra totam veterem legem pugnare, cum dicunt, deleta culpa, non manere reatum ad pœnam, expiandum nostris satisfactionibus.

Obiect. 5.

Dicet aliquis: Non hoc habet priuilegium contritio, habet vero illud absolutio Sacerdotis. Plenissima quippe potestas in peccata, tradita est Sacerdotibus, illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, &c.* (Ioan. 20) Et sicut supra ex Ambrosio de pœnit. capit. 7. citauimus, idem in baptismo & in sacramento pœnitentiæ mysterium est. Et aliàs non fuisset ibi expleta promissio ad Apostolos, *Quæcunque alligaueritis, &c.* (Matth. 18) Et hoc ipsum videntur postulare verba sacramentalia, *Absoluo te.* Cur enim absolui dicantur pœnitentes si adhuc manent grauium pœnarum rei? Hisque accedit, quod Christus & peccatrici, & adulteræ, & paralytico, & Zachæo, & latroni similibus penè verbis omnem creditur indulsisse culpam & pœnam, neque patrem cœlestem commemorat exegisse pœnas à publicano, aut à filio prodigo, cum ad eorum preces & pœnitentiam misertus est ipsorum.

Respon.

At enim priuilegia paucorum non faciunt legem communem. Neque æquandi sunt Sacerdotes cum Christo, qui multo supereminentius cæteris accepit claues regni cœlorum. Et nos non negamus tantam posse esse contritionem, vt etiam sine absolutione Sacerdotis, ad delendum omnem culpam & pœnam, sufficeret. Et talis forte fuit in Magdalena & in Publicano & in Latrone. Quod autem in parabola filij prodigi nulla fit mentio alicuius satisfactionis, tametsi ille non tantam exprimatur habuisse pœnitentiam: in causa forte fuit, quia non adhibebatur ea parabola, nisi ad ostendendum, quanta charitate pater cœlestis recipiat pœnitentes. Idque solum volebat extorquere Ambrosius à Nouatianis in verbis obiectis.

Qua vero ex illis verbis, Quorum remiseritis peccata: indiscriminatim contenditur, omnes legitime absolutos, esse liberos ab omni pœna: subtiliter adnotauit Richardus de potestate lig. & sol. cap. 24. non esse dictum, Quorum dimiseritis peccata: sed, *Quorum remiseritis peccata.* Licet enim (inquit) alicubi vnum pro altero forte ponatur, tamen dimittendi verbo, absolutio plena significatur: verbo autem remittendi, tantum relaxatio ex maiori parte. (Subtile discrimen inter dimittere & remittere.) Vnde & Christus, quia volebat iniurias nostras nos in totum dimittere. *Dimittite,* inquit, *& dimittemini.* (Luc. 6) Et quia plena absolutio peccatorum nostrorum, à Deo est petenda: orare docuit, *Dimitte nobis debita nostra.* (Matth. 6) Dauid vero, quia culpam transtulisse ab eo Dominum nouerat, non autem pœnam, non ausus dicere: *Dixi, confitebor, & tu dimisisti impietatem peccati mei*: dixit: *Et tu remisisti, &c.* (Psalm. 31)

Bella quidem & arguta est hæc adnotatio, & pium & solicitum animum Richardi ad tuenda communia Ecclesiæ dogmata palàm arguit. Ac noster interpres de industria vsus esse videtur in aliquibus locis verbo dimittendi, vbi plena absolutio à peccatis significatur, eaque re excitatum est felix Richardi ingenium ad hoc adnotandum. Sed neque in Græcis, neque in Hebraicis exemplaribus hoc discrimen perpetuo obseruatum est. Idem enim Græce est verbum in his. *Quorum remiseritis, &c.* & in istis, *Dimitte nobis debita nostra.* Idem etiam Hebraicè est verbum, in illis, *Et tu remisisti impietatem peccati mei*: & in illis, *Aut dimitte eis hanc noxam.* (Psal. 32. iuxta Heb. Exod. 32) Quin neque in nostra translatione hoc perpetuum est. Nam Numer. 14. Deus dicit ad Moysen: *Dimisi iuxta verbum tuum* Et tamen statim indicat se pœna temporaria puniturum peccatum ibi dimissum.

Neque placet abrogare potestatem Sacerdotibus ad remittenda in totum peccata. Dicerem igitur habere quidem Sacerdotes eam facultatem, & si iure & legitime ipsa fungantur, posse penitus omnem reatum peccatorum expungere. Tunc autem legitime ea funguntur, cum condignas satisfactiones pœnitentibus iuxta Canones Patrum imponunt. Intellexit enim Ecclesia, neque dubium quin id didicerit ab Apostolis, non aliter sibi traditam esse

hanc.

hanc potestatem: quia neque aliter expediebat commodæ gubernationi fidelium: neque gratia singularis baptismi, qua omnes inuitabantur & alliciebantur ad fidem & religionem nostram suscipiendam, deinanda erat in alia sacramenta, ne redundantia clementiæ cœlestis, incentiuum fieret delinquendi: & ipsa indulgentiæ facilitas testimonium videretur, quod aut Deus non offenderetur nostris peccatis, aut quod ipsa non essent ita grauia & lugenda mala, ac nobis tradit passim veridica Scriptura.

Ioan. 20 Cumque illis verbis, *Quorum remiseritis peccata, &c.* Apostoli intellexerint se constitutos esse iudices peccatorum, ex ipsa natura iudicij, intelligere potuerunt, non aliter sibi tradi potestatem dimittendi peccata, quam condignis satisfactionibus impositis. Et quo nomine peius audire poterat apud infideles nostra religio, quam si intelligerent, apud nos vna contritione & detestatione peccatorum, creditum esse in totum dimitti peccata? Quod perniciosius exemplum ad ipsos transmitti poterat? Qua ratione & abusum concedendi plenissimas Indulgentias propter vnum *Aue Maria*, vel vnum *Pater noster*, aut alia similia, vehementer cuperem de Ecclesia tolli. Eneruat enim satisfactiones pœnitentiales, & dedecorat Ecclesiam, atque ipsas Indulgentias contemptui exponit, & aduersarijs nostris causam calumniandi præbet, & contra authoritatem veterum, & contra ipsum ius pontificium est introductus.

Aliquarum indulgentiarum corrigendus abusus.

Habent ergo nostri Sacerdotes potestatem soluendi omnia vincula peccatorum, sed iure, sed legitime, sed quatenus conuenit saluti, exemplo, & sanctitati fidelium. Et quando ipsi neminem aliter volunt absoluere, non est, cur quisquam ex eorum absolutione impunitatem sibi promittat, & libertatem ab omni reatu peccatorum. Sicut autem per contritionem à culpa mundari possumus, ita per bona opera, siue pœnalia sint, siue non, siue ex præcepto, siue ex consilio, & per mala patienter tolerata, siue nobis imposita à Sacerdotibus sint, siue sponte nostra assumpta, maxime vero per pœnitentiam interiorem, non negamus expungere nos posse saltem paulatim totum reatum ad pœnas.

Satisfaciunt etiam opera debita.

Nec scio cur Philippus & Sarcerius nobis tribuant, quod satisfactiones fieri non putemus nisi per opera aliàs indebita. Id dixit vnus aut alter Doctor ex nostris, idque alio fortassis sensu, atque ipsi accipiunt. Verum plerique alij eis restiterunt. Et manifestum est, contritionem & confessionem, etiam cum sunt in præcepto, satisfactorias esse, & martyrium delere omnem culpam & pœnam, non minus, cum est necessarium, quam cum tantum est in consilio.

Atque hæc satis sunt pro omnibus argumentis aduersariorum, & blasphemijs & calumnijs, quibus Ecclesiam Dei, præter ius omne & fas, adspergit Sarcerius. Nam quæ spectant ad Purgatorium & Indulgentias, quas ex pia & vrgenti causa donare potest Ecclesia, & quæ docent qualitatem necessariam ipsarum satisfactionum, alios tractatus requirunt, nec ad corroborationem nostri decreti illis egemus. Et optime alioqui stabilita est doctrina Ecclesiæ de his, & concors Apostolicis & sanctorum Doctorum decretis ostensa ab illustribus Lutheri Antagonistis, Roffensi, Eckio, Clichtoueo, Alphonso. Itaque aut eadem diceremus ex superfluo, aut si noua voluerimus scribere, à clarissimis ingenijs occupata sunt meliora. Quare hic sit huius voluminis modus.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE MORTALI PECCATO ET VENIALI, LIBER XIV. IN XV. CAPVT DECRETI De Ivstificatione.

PROLOGVS.

Vrgentibus (?) Tagnitis nobis imminentibus periculis, inter multiplices huius militiæ laqueos cautius incedamus, exposita via, qua reparari possunt, qui à gratia baptismali sunt lapsi: per quam commode declarat in cap. 15. Synodus, quemadmodum quis amittere possit gratiam siue per baptismum, siue per pœnitentiam acceptam. Et in eius expositionem & communitionem, iamiam liber hic 14. huius operis, prælo mandandus erat, cum ecce nobis à Septentrione transmissa est antidotus Caluini in Acta Synodi Tridentinæ, cum proœmiali epistola, Geneuæ 3. Idus Nouembris anno Domini 1547. scripta. Quos non ego ibi errores legi? quas non blasphemias in sanctam Synodum, & in nonnullos nominatim Prælatos, atque in ipsos Sedis Apostolicæ Legatos, & in ipsum summum Pontificem? Emanauit scil. fons de eodem foramine dulcem & amaram aquam. Et quos dulces & suaueloquentes Satan reddidit ad decipiendam miseram plebem, eosdem omni virulentia impleuit ad proscindendos maledictis & contumelijs Pastores & Protectores omnes Ecclesiæ. *Filij Sion inclyti, amicti auro primo, reputati sunt in vasa testea.* Sicut phrenetici salutaris doctrinæ pocula veneni cyathos, quibus legendis antidoto opus sit, censent, & quasi stipulam æstimant malleum, & derident vibrantem hastam. Legeram quidem iam ante vnum annum maledicentissima quædam, quæ eiusdem factionis Philippus in Prælatos Tridenti congregatos, & in vtrunque ciuilis & Ecclesiasticæ potestatis apicem congesserat. Sed cum nihil penè, nisi maledicta ibi viderem, & paucula quædam indigna lectu ad hoc argumentum spectantia, eaque non in decretum hoc de iustificatione, quod nunc exponimus, iactata, sed in quoddam, quod ante huius approbationem manibus Patrum ferebatur, & interea temporis discutiebatur: satius esse duxeram, silentio omnia illa præterire. Vnde & in Præfatione huius operis ad lectorem, palàm testatus sum, neminem contra hoc decretum scriptis pugnare fu isse ausum. Atque ita sanè persuasus tum eram. Nullus enim de hac re ad nos rumor peruenerat, & cum Deus tam illustri Cæsaris victoria causam nostram diuinitus approbasset, & potentissimos huius factionis duces & fautores in casses Imperatorios reclusisset, totaque ferè Germania ditioni ipsius & imperio restituta, eo propendere videretur, vt in antiquam religionem toto pectore rediret, neminem ex nostris aduersarijs ita audacem, ne dicam impudentem, & attritæ frontis fore existimabam, qui in sanctam Synodum, ab ipsis toties efflagitatam, aperto marte pugnaret, & diffinitiones ipsi us summa maturitate pronunciatas, conuellere niteretur. Cum autem exastis Caluini scriptis mani-

Thren. 4.

manifeste intelligam, eam esse hæreticorum pertinaciam, vt nullo neq; humano, neque diuino terrore compesci queat, & verissime dixisse Paulum, subuersos esse, qui huiusmodi sunt, quod vnum suscepti à nobis muneris est, ne sermo illius, qui vt cancer serpit, incautos aliquos & rei Theologicæ ignaros amplius decipiat, duobus his, qui huic operi supersunt, libris inspergam qua, & admonebo obiter, ex quibus confutari poterunt omnia, quæ in nostrum decretum deblaterat. Nec respondebo ad maledicta & conuicia ipsius, quę nescio an commemorare ausim. Contentus igitur ero calumnias & strophas refellere, quibus illius authoritatē eleuare & labefactare conatur. Nam quod semel tibi Caluine pacifice dictum velim, possemus equidem & nos mordere, si vellemus, & toties ac tantis irritati, genuinum dentem infigere, ac par pari referre, & te tuis depingere coloribus.

Sed moderationis & grauitatis Christianæ esse à magistro nostro didicimus, maledicentibus non remaledicere, & pro blasphemantibus potius obsecrare. Et Apostolicam, si nescis, gloriam putamus, ab Ecclesiæ hostibus, etiam plaustris conuiciorum obrui. Neque tanti tuas contumelias & subsannationes quenquam facturum credimus, vt necesse sit eis respondere. Quis enim cordatus tua probra vel pili æstimet, & non potius laudes arbitretur eorum, quos maledictis incessis? Quis tibi fidem vlla in re habeat, qui sex aut septem posteriora Concilia generalia, tyrannica & adulterina fuisse, & meros asinos ac crassos boues illis interfuisse detonas, qui Aurelianensem, immo ipsam sanctam Synodum Nicenam 2. nominatim derides, ac patres qui sub Innocentio 3. Lateran. Concilio interfuerunt, cornutas bestias impudenti ore appellas? Reprimam tamen ipse me, nec indulgebo mucroni pro zelo gloriæ Dei referire gestienti. Regrediar, vnde istuc declinaui, non abrumpam longius stylum cœptum. Nihil enim est necesse. Ideo huic libro titulum De mortali & veniali peccato, indidimus, quia in eo, quid vtrunque sit, & quantum inter illa intersit, explicatè tradere adnitimur. Quæ quidem & ad explanationem sententiæ Patrum, & ad absolutionem argumenti huius de iustificatione, scitu quam maxime necessaria sunt, & ad confutationē Caluini, commodissime diuina prouidentia, reliqua nobis fuisse video. Vnde vero commodius hæc omnia eggrediar, quam ab hisipsis verbis Patrum?

Vituperia quæ quorsū sint laudes.

QVOLIBET PECCATO MORTALI AMITTI GRATIAM, SED NON FIDEM.

Caput Decimum quintum.

ADVERSVS etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, diuinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulte-

ros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosq; omnes qui lethalia committunt peccata: A quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur.

CAPVT I.

Breuis quædam summa sententiæ Patrum, & errores in ea damnati.

QVANQVAM in toto hoc capite, ex professo quidem sancta Synodus tantum edisserit, quocunque mortali peccato iustificationis gratiam perdi, tamen obiter & duo alia affirmat, nempe fidem non quocunque mortali peccato amitti, sed infidelitate: & iustos à peccatis mortalibus, cum diuinæ gratiæ adiumento, abstinere posse. Ex quorum priore perspicue colligitur non sola incredulitas esse peccatum lethale, sed & alia quoque esse peccata lethalia præter ipsam. Et in his obuiam iuere Patres quinque perniciosis horum temporum erroribus.

Errores 5. damnati capitulo Prim. De capt. Babyl.

Primus est Lutheri, qui asseruit, vt non semel retulimus, sola infidelitate amitti gratiam. Nulla, inquit, peccata possunt hominem damnare, & si velit, nisi sola incredulitas.

Secundus error est quorundam, qui plus iusto sibi de diuina misericordia blandientes, asseruerunt, non quouis lethali peccato amitti gratiam iustificationis, sed tum solum, cum sese aliqui effrenes & præcipites tradunt vitijs. Porro hunc errorem, qui defenderint, me fugit; tamen à grauissimo & optimæ memoriæ præceptore nostro fratre Francisco Victoria audisse me memini, à nonnullis hæreticis nostræ tempestatis eum defendi.

Tertius error damnatus hoc loco à Patribus, est, fidem quolibet peccato mortali amitti. Quos autem hic error habeat authores, cap. 8. aperiemus.

Quartus error, hic quoque reprobatus, est error Lutheri, & suorũ sequacium, quod sola incredulitas est peccatum lethale. Verba Lutheri *lib. contr. Carolstadium.* hæc sunt: *Nullum est peccatum, nisi incredulitas: nulla iustitia, nisi fides.* Et hic error aperte sequitur ex primo. Si enim sola infidelitate perditur gratia, sola ergo infidelitas est peccatum lethale. Nam lethale peccatum dicitur, quod gratiam aufert, quæ vita est animæ. Manifeste vero aduersati sunt hic Patres huic errori, cum dixerunt, non modo infidelitate, sed etiam quocunque alio peccato lethali gratiam amitti. Siquidem his verbis palam asseruntur alia peccata esse lethalia præter infidelitatem.

Quintus error hoc loco damnatus, est error eiusdem Lutheri, asserentis ineuitabiles esse à nobis transgressiones præcepti diligendi Deum ex toto corde, & præcepti, *Non concupisces.* Dum enim Patres asserunt, nos posse à peccatis mortalibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere, palam affirmant, cuiuscunque præcepti, immo & omnium transgressiones, posse à nobis eo adiutorio vitari.

Verum hac Patrum definitione contempta, eundem cum Luthero tuetur hac in parte Caluinus in cap. 11. sess. 6. & can. 27. an perniciosius quam ipse, non satis dixerim, certe multo procacius & ineptius. Asseuerat enim impossibilem seruatu esse legem Dei, & neminem vnquam citra culpã lethalem satisfecisse ipsi, aut potuisse satisfacere. Ac dogma de possibilitate mandatorum, quod magna euidentia & apertissimis sanctorum patrum testimonijs lib. 11. probauimus, ex ociosis monachis arbitratur fluxisse, qui ne minimo quidem digito attigerunt vnquam obseruationem mandatorum Dei, & vel hoc vno dogmate suum Epicurismum eos prodere, qui de facilitate mandatorum tam audacter garriunt.

Sed quid ille, inquies, respondet ad verbum Christi, *Iugum meum suaue est?* quid ad verbũ Ioannis, *Mandata eius grauia non sunt?* Duo innuit. Nam respondere nihil potest. Primo ait: Asini isti non considerant, inde pendere facilitatem, de qua Ioannes loquitur, quod sancti paratum habent remedium, quo defectus suos suppleant, dum scilicet ad veniam confugiunt. Ad hoc, si tu vel

Matth. 11. 1. Ioan. 5.

tu vel vnciam rationis habes, non est esse facilia mandata, sed tantum facilem esse veniam. Quis diceret facile esse, quod sibi iniungitur, si implere illud non potest? Diceret certe potius id esse difficillimum, immo impossibile sibi factu, & si suæ omissioni ignosceretur, ideo ignosci, quia difficillimum onus sibi fuerat impositum, atq; iniquum erat pœnam vllam reposci pro eo, quod adimplere non potuit.

Et quid potest esse contumeliosius gratiæ & prouidentiæ Dei, quam asserere, talis eum leges nobis imposuisse, quæ nec per auxilium gratiæ ipsius possemus implere? Quis tyrannus sic abutitur potestate sua in subditos? Quid etiam necesse est ignosci, quod euitari non potest? Certe de ratione peccati est, vt sit voluntarium, vt ex testimonijs Tertulliani, Hilarij, Amb. Aug. & Bern. ostendimus, & cum Dei iudiciũ multo sit æquius, quam humanũ: absurdum est, & lumini naturali plane dissonum, quod Philippus in locis communibus aperte dicit, ac sequitur ex concessis à Caluino, In iudicio humano nullum esse peccatum, nisi voluntarium, non autem in iudicio diuino. Sed & illud minime ferendum est, quod secundo respondet Caluinus: Hinc fit, inquit, vt suaue sit Christi iugum & onus eius leue, quia sanctis alacritatem facit sua libertas, dum se non amplius sub lege esse agnoscunt. Quid ais cæce? Nunquid & tu, qui sæpe & in hac antidoto fateris alia nos habere præcepta præter fidem, sanctos liberos esse à lege nunc concedis? Sed si eum in sensum dicis sanctos non esse sub lege, quo Paulus dixit, se non esse sub lege, sed in lege Christi: cur non attendis de lege veteri agere Paulum, & sub ea dicere se non esse, nos autem de lege Christi modo disserere, cui necesse est omnes subiectos fatearis?

Blasphemia Melanchthonis & Caluini.

Deinde: Quamuis sancti ex amore se iugo Christi subijciant, satis quidem id non est, vt dicatur leue & suaue, si neque per caritatem & auxilium Spiritus sancti possunt illud quoquo pacto implere. Atque huiusmodi est farinæ, quod respondet ad argumentum Patrum ex verbis Christi: *Si quis*

Ioan. 14.

diligit me, sermones meos seruabit. Hoc, ait, totum verum est. Sed vbi Christi perfectus amor? Vbi, inquam, amor ille ex toto corde, ex tota anima, ex totis visceribus? Nempe vbi caro non concupiscit aduersus spiritum. Ergo nequaquam in hoc mundo.

Verum quis, rogo te, Caluine, de re impossibili, cum amicis præsertim, ita loqueretur? Nunquid doctrinam pro altero mundo tradebat Christus suis Apostolis? Nonne dilectionem suam statim & ante & post illa verba requirit, ad veniendum in aliquem, & manendum in eo, & manifestandum ei seipsum? Quorsum dicebat, *Si diligitis me, mandata mea seruate?* & mox, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*, si nullus ipsum neq; diligebat, neque poterat diligere in hac vita, ita vt mandata ipsius seruaret? Debuisses profecto Caluine attendere vel illa verba, quæ subiecit ibi Christus: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea*; & illa: *Vos estis qui permansistis mecũ in tentationibus meis*, ne tantã iniuriam inureres Apostolis, vt ne tum quidem crederes eos seruasse mãdata Dei, cum Christus ab illis constanter prędicat se dilectum fuisse, & se illos dilexisse, sicut dilectus erat à patre. Sed quid mirũ, si Apostolis non peperceris, quando nec sanctissimæ Dei matri, vt postea ostendemus, parcis? Fuerit tamen satis hæc obiter hic monuisse pro confirmatione argumẽtorum, quibus cap. 11. vsi sunt patres. Nam argumenta illius opportunius postea diluemus. Quoniam vero hunc errorem de impossibilitate mandatorum, lib. 11. luculenter expugnauimus, in solos alios quatuor, hoc in libro ex professo dimicabimus. Vtq; illos radicitus à mentibus hominum auellamus, naturam peccati venialis & mortalis, & vtriusq; distantiam, ante omnia exponemus.

Ioan. 14.

Ibidem.

Luc. 22.

CAPVT II.

De varijs peccati mortalis & venialis acceptionibus.

NE ignoratio legitimę acceptionis peccati venialis & mortalis, cõfusionem pariat, commodum erit in primis statuere & firmare, quo potissimum significatu his

Acceptiones peccati venialis.

his nominibus in præsenti vtamur. Porro peccatum mortale à morte sic appellatur, veniale vero à venia. Et veniale quidem aliquando ab euentu sic vocatur, aliquando autem ex causa, aliquando vero ex propria natura & ratione. Ab euentu veniale dicitur, quodcunque peccatum quantumcunque graue, si quidem veniam habeat, & illius veniam & remissionem tandem obtineamus. Quo modo Ambrosius dixit, mortalia omnia fieri venialia per pœnitentiam: & Augustinus 21. de ciuitat. Dei cap. vlt. & Chrysostomus, venialem iniquitatem vocant, quæ est remissibilis. Et Magister dixit, Adam putasse esum ligni scientiæ boni & mali, venialem fuisse, hoc est, remissibilem, & veniam habiturum, cum tamen peccatum esset peremptorium. Et in cap. 18. lib. de vera & falsa pœnitentia, legimus: Quædam peccata esse mortalia, & in pænitentia fieri venialia. Ex causa autem veniale vocatur peccatum, quod sic sit, vt aliquid habeat ex causa sua, vnde diuinam misericordiam condeceat, veniam ei aliquando impartiri. Et hoc modo, peccata quæcunque ex ignorantia vel infirmitate commissa, venialia aliquo modo dici possent, id est, digna quadantenus venia. Quo modo peccata Pauli ante baptismum, tametsi grauissima, venialia dici queunt. *Misericordiam*, ait, *consecutus sum, quia ignorans feci*.

Veniale ab euentu.

Veniale à causa.

1. Tim. 1.

Veniale ex propria ratione.

Veniale vero ex propria natura & ratione est peccatum, quod suapte natura leue, exiguum, & minutum est, & rectæ rationi parum dissonum, neque mortem inferens, sed dignum omnino venia. Et quia ex Dialecticorum regula, quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum: mortale ab euentu dici posset, quod nunquam habiturum est veniam: mortale vero ex causa, quodcunque peccatum ex malitia & de industria commissum: mortale autem ex propria ratione, quodcunq; graue peccatum rectæ rationi vehementer dissonum, ac proinde de se indignum venia, & mortem animæ inferens siue primam, quæ est priuatio gratiæ, siue 2. quæ est damnatio æterna. Verum priores duæ peccati venialis & mortalis acceptiones, alienæ sunt à nostro proposito. Non enim nunc id agimus, vt exponamus, quæ peccata veniam sint habitura, & quæ non, aut quæ venia ex causa sua digna sint, quæ vero indigna, sed ex propria natura & ratione, quemadmodum hæc peccata inter se distinguantur, inquirimus.

Duplex peccati venialis diuisio.

Vna igitur tertia acceptione, qua sola vtuntur Doctores, cum veniale à mortali distinguunt, & Patres in hoc capite, & in toto hoc decreto sunt vsi, in proposito vtemur. Sic autem acceptum peccatum veniale, duplex est. Quoddam est peccatum veniale ex genere suo, vt verbum ociosum, risus leuis, mendacium officiosum, seu iocosum, & similia. Alterum est peccatum veniale ex imperfectione operis. Et differt hoc à priori, quoniam materia prioris de se leuis est, & parum dissona rectæ rationi: materia vero posterioris, grauis est, & vehementer contraria rectæ rationi: sed ob imperfectionem operis, actus ipse tantum est peccatum veniale. Et quia hæc imperfectio vel ex paruitate materiæ potest contingere, vel ex defectu deliberationis: peccatum veniale ex imperfectione, duplex communiter ponitur. Quoddam est veniale ex surreptione, seu indeliberatione, vt motus subiti contra præcepta, quos possumus facile deuitare. Alterum autem est veniale ex paruitate materiæ, vt furtum leue, detractio parua, & similia. Et hactenus quidem omnia in confesso sunt, & extra controuersiam inter Catholicos.

In Caluinum.

Quare patet, inique & immerito nobis obijcere Caluinum, quod leuia ducamus peccata omnigenas concupiscentias, quæ nos ad quæuis mala solicitant, tentationes item omnigenas, quæ nos vsq; ad Dei blasphemiam impellunt. Nam si ista voluntaria sunt & deliberata, peccata nobis sunt lethalia: si vero ineuitabilia, nullam malitiam habent: si autem voluntaria non sunt, sed vitari quidem, aut certe præueniri absque magna difficultate potuerunt, tum duntaxat illa censemus esse venialia. Videamus tamen, quid & ipse, & alij nostri Allophyli de istis senserint.

CAP.

CAPVT III.

De ineptiis hæreticorum sententijs cõtra traditam rationem distinguendi venialia à mortalibus.

VEHEMENTER hallucinantur, & in multis labũtur hæretici, dum nesciũt venialia peccata à mortalibus aptè distinguere, neq; ex proprijs fontibus id volunt discere, & maiorum suorum, immo Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ ob suam superbiã acquiescere. Contigitque eis in hoc, vt in multis alijs quod & in prouerbio est,

Ardea culpat aquas cum nesciat ipsa natare.

Error Vuiclefi. Inter alios vero hæreticos, huic vitio obnoxios, vel in primis connumerandus est Vuiclefus qui, teste Thoma Vualdẽsi hoc nomine sugillauit sacerdotes, quos vocat Cæsareos, id est, Ecclesiam Catholicam, quod nullam conuenientẽ differentiã tradiderit, qua distingui queant inter se venialia & mortalia. Et irriso modo cõmuniter recepto, quẽ proximo capite statuimus, ipse mirabilem & valde dissonũ adinuenit modũ hæc distinguẽdi. Si enim mortale vocetur quod inductiuum est mortis æternæ, omne peccatum, ait, mortale est censendum: si vero, quod ipse magis putat, mortale dicatur, quod mortem æternam inducit, omne peccatum reprobi est mortale, quia paulatim eum deducit ad mortem æternam: & omne peccatum prædesti nati est veniale, quia nullum tale inducet mortem æternam Philippus vero & Caluinus longe aliter circa ista errant. Nam Philippus in loc. com. de discrimine mort. & ven. licet omnes vitiosos affectus, & omnes prauas actiones, ac denique omnia peccata & ipsum peccatum originale, non irratis peccata lethalia putet, quia peccatum mortale diffinit esse inclinationem vel actionem contra legem Dei non remissam: tamen in renatis aliqua peccata venialia credit, nempe ignorantias vel omissiones aliquorum mandatorũ non Cal. ant. ca. 27. Con. c. 11. affectatas. Caluinus autem, quod nunquã (quod sciam) aliquis neç hæreticissimorum tentauit, ipsam distinctionem venialis & mortalis negat, ac palã dicit: *Peccatum quodlibet, quoniam Dei lege damnatum est, mortale esse fatemur.* Et rursus: *Si pro nihilo ducant leuiores, quos vocant, lapsus, insonat horribilis illa supremi iudicis sententia: Qui vnum ex minimis istis mandatis contempserit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Quamquam scire velim, quæ vocent saltem leuia peccata: Sic enim extenuandi gratia loquuntur.* Hæc ille.

Sed absurda ista hæreticorum deliria, ab origine impugnare incipiemus. Neq; multis sane opus est, vt in signum Vuiclefi commentum euertamus. Vel ipsa illius commemoratio, impugnatio ipsius est. Argum. 1 in Vuiclefum Mitto quod ea via de nullo peccato scire possumus, venialéne sit, an mortale, sed id erit nobis semper in hac vita tã occultũ, quam ipsũm mysterium prædestinationis.

Certe ex ipsa manifeste sequitur, omnia peccata Dauidis, Matthæi, Petri, Magdalenæ & boni latronis, qui cum Christo crucifixus est, fuisse venialia. Nullusq; erit, secundum ipsius sententiam, in cœlo quantumcunq; infidelis, perfidus, hæreticus, apostata, & blasphemus, qui vel minimum admiserit mortale, quique agere possit gratias Deo, quod ei dimiserit vel vnum mortale. Nullus & erit in inferno, in quo non vel minimũ verbũ ociosum fuerit mortale.

Et cum, cæteris paribus, grauiora sint Argum. 2. peccata in iustis quam in peccatoribus, qa maioribus Dei beneficijs deuincti sunt, ne peccent: ipse contra, vnum & idem peccatum, veniale dicet in iusto prædestinato, & mortale in peccatore reprobo: immo grauissimum prædestinati peccatum, veniale asseret & leuissimum reprobi, mortale.

Quin & illud peccatum protoparentis Argum. 3. nostri Adæ, quod omnibus hominibus fuit in condemnationem, teste Paulo, & per quod omnes mortui sumus, & mors intrauit in mundum, veniale iuxta illum fuerit. Certo namque scimus ex libro sapientiæ, Adam fuisse prædestinatum. Mirabilis profecto semper hæreticorum impudentia.

Paulus seante conuersionem ad Chri- Argum. 4. stum, fuisse blasphemũ, persecutorem, contumeliosum, & tandem omnium peccatorum primum constanter asserit. Et Vuiclefus adeo desipit, vt nullum eum admisisse peccatum mortale affirmet.

Argum 5. Illud etiam ad hanc peruersam hæretici doctrinam consequitur: Nullum peccatũ, quantumcunq; leue, remitti vnquam reprobis per sacramenta, vel sacramentalia Ecclesiæ, vel per eorum pœnitentiam, sed frustra eos sua peccata lugere, frustra sacramenta vel sacramentalia suscipere, & falsas esse in eis formas sacramentales, quæ remissionem peccatorum ipsorum significãt. Si enim aliquod eis peccatũ remittitur, non ergo omne ipsorum peccatum mortale est. Siquidem mortale ab eo tantum dicitur quod mortem inducit æternam. Neq; illud in totum vere asseruit, omne peccatum mortale esse, si mortale vocetur, quod inductiuum est mortis æternæ. Nam venialia inductiua non sunt mortis æternę, nisi forte mediatè, quatenus mortalis peccati inductiua sunt.

Cont. Phi. Atque ex his, & paulopost dicendis non erit operosum, Philippi dogma confutare. Absurdum quippe est, ignorantiam, quam in nobis fatetur venialem, in infideli, qui minori illustratus est lumine, & paucioribus Dei beneficijs & auxilijs gaudet, exitialem dicere: neq; distantiam vllam ponere inter peccata, propria aut aliena voluntate contracta, sed vtraque appellare mortalia. Ad quæ accedit, dissonum esse, omnia peccata quantumcunque parua, si voluntaria sint, lethalia asserere, vt ille innuere videt. Cur enim Deum ita morosum amicũ suorum amicorum existimemus, vt ad minimum verbum ociosum, sponte & de industria contra suam legem effutitum, amicitiam omnem dissoluat? Nec minus absonum est, si sentiat, vt insinuat, omnes ignorantias non affectatas, esse peccata venialia. Nam Paulus absolute pronunciat, *Ignorans ignorabitur*. Et se extra gratiam Dei pronunciat propter ignorantiam Christi, quæ in illo non erat affectata. Atque ex Euangelio constat, arguendos de peccato, ac propter illud condemnandos, qui non crediderunt Christo, nec suscipiunt prædicationem Euangelij.

1. Cor. 14.

Cont. Cal. Quis vero te, Caluine, tam malè docuit Theologizari? quis tam male sentire de diuina bonitate & largitate, vt nullam sui offensionem, quacunq; ignorantia vel occasione commissam, ad mortẽ non imputet? Nullus profecto est homo tam difficilis, nullus tam inhumanus, nullus tam crudelis, qui sic facile exasperetur, & quos eximie prius amabat, ita subito oderit, ac tam paruis de causis & difficilime euitabilib. æternis Gehennæ incendijs addicat. Nescis heu perfide, nescis, quàm horrendum & formidandũ impendeat iudicium vel minimo Christianorum peccato mortali. Si hæc nosses, vel expenderes, aut quod nobis obijcis, serio aliquo diuini iudicij affectu tactus quãdoque fuisses, nunquam tam audacter pronũciares apud Deum clementissimum, & cui misericordiarum non est numerus, nullum esse peccatum, quod non sit mortale. Ecquis, rogo te, erit iustus, qui sit in gratia Dei, si, vt ipse fateris, vix momentum aliquod præterit, quo non contrahamus aliquem reatum? Maior nimirum erit vicissitudo inter amissam & reparatam Dei gratiam, si somnium hoc tuum verum esset, quam sint Euxini vel alterius alicuius irrequieti maris perpetuæ commotiones & fragores. Nulla item esset tam leuis, nulla tam lubrica, neq; tam parum firma aut sibi constans amicitia, quam quæ inter nos & Deum esset. Hæccine etiam est libertas Euangelica, quam prędicatis? Hæccine via facillima ad iustitiam, de cuius inuentione vos iactatis? Hæccine pax conscientiarum, quam orbi horribilibus, tenebris obruto, nunc tandem noui Apostoli & Euangelistæ, à cœlo attulistis? Quod iugum dici aut cogitari potest grauius, quæ magis ferrea seruitus, quam nostra si minima offensio est mortalis? Quando perueniemus ad iustitiam, quando vllum gaudium aut securitatem de gratia in nos Dei habebimus, si minutissima peccata, lethalia in nobis sunt, & morti imputãtur, ac ex consequenti vel impediunt, vel dirimũt gratiam diuinam? Sed nolo te magis premere. Persuasus sum, nullum sanæ mentis, rem tam absonam, & cum toto vestro dogmate plane repugnantem, crediturum Neque satis profecto possum credere, te tam peruerso & sinistro esse ingenio, vt id credas. Forsanque in vocabulo, *Mortalis*, ludis: & quid illud sit, ignoras. Quod si credis,

credis, quod aperte asseris: nescio sane, qui tu tecum tot lethalium culparum tibi conscius, possis vel diem vnum viuere.

Verum hæc dilucidiora fient, si, quod discrimen horum peccatorum tradidimus, ex scripturis & Patribus approbemus.

CAPVT IIII.

Firmatur ex scirpturis via, tradita à patribus, distinguendi venialia à mortalibus.

INTERMISSIS igitur his absurdissimis & portentosissimis hæreticorum insomnijs, certissimum illud sit, aliqua esse venialia peccata, & alia mortalia: & vt cap. 1. tradidimus, venialia dicamus peccata, quæ neque tollunt, neque impediunt gratiam diuinam: mortalia vero, quæ eam vel impediunt, vel dirimũt. Nam cum cap. 11. statuit sancta Synodus, à iustis admitti aliqua leuia peccata, propter quæ iusti esse non desinũt: & hoc capite, quo ibet peccato mortali gratiam iustificationis amitti: eo ipso perspicue ostendit, mortalia esse peccata, quæ amicitiam diuinam dirimunt: venialia vero, quæ tanta non sunt, vt iustitiam & gratiam Dei à nobis tollant.

Scriptura distinguit venialia à mortalibus. Argum. 1. Neque nos hanc nobis distinctionem ex capite nostro confinximus, sed ex scripturis eam hausimus, & ab Ecclesia & Doctoribus ipsius didicimus, & à lumine nostro naturali, magno sapientum omnium consensu, eam edocti sumus. Vnusquisque tentatur, asserente Iacobo, á concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum. Peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. Quid huic tantæ euidentiæ respõdere possunt hæretici nisi eos magis delectet defensare, quod sentiunt, quam quid sentiendum sit, inuenire? An non hic aperte significauit Iacobus, prodire à concupiscentia quædam peccata consummata, quæ generant mortem, & alia non consummata, quæ non sufficiunt mortem generare? Neque aliud quidem hoc est, quam quod Scholastici clarius tradunt, cum dicunt, motus seu affectiones prauas genitas à concupiscentia, peccata esse venialia, si moram aliquam in nobis fecerint, & ratio neglexerit eas reprimere: mortalia vero, cum ratio aduertẽs eis acquiescit, & voluntas suum præbet assensum, vt id scilicet velit opere perficere, quo concupiscẽtia trahebat. Nam cum ad peccatum, conceptionem & partum Iacobus requisiuit, satis indicauit, non omnes prauos affectus à concupiscentia prodeuntes, peccato nobis imputari, sed eos duntaxat, quos ratio aduertit, & reprimere negligit, seu allidere ad petram. Fœtibus quippe conceptis & intra vterum latentibus * prius ad similes, velut edi in lucem incipiunt, quando innotescunt rationi: & peccato nobis imputantur, si extingui cum possent, propter negligentiam nostram amplius viuunt.

* prius assimiles.

Respon. ad Cal. de peccato concupiscentiæ. Quià verò neque humani, neque voluntarij censentur, non accedente voluntatis consensu, imperfecta & inconsummata peccata sunt, atque ideo neque mortem spiritualem nobis conciliant. Hæc si perpendisses Caluine, non censuisses etiam ipsam concupiscentiam, & in iustis & renatis esse proprie peccatum, nec damnalles tam sancte de hoc definita in decreto 1. sess. 5. Atqui hic manifesta contradictione teneris. Nam si concupiscentia carnis, proprie est peccatum, cum per te omne peccatum sit mortale, erit & ipsa peccatum mortale: & cum illam fatearis esse in iustis, simul erunt in gratia, & in peccato mortali, quæ sibi ex diametro opponuntur.

Obiect. Dices, opinor, Gratia repugnat peccato mortali, cum imputatur. Concupiscentia vero, quæ est in renatis, esto, sit peccatum mortale, non imputatur.

Respons. Sed si gratia facit, ne imputetur, cur nõ intelligis hoc ipso facere, ne sit peccatum? Non enim potest dici vere etiam nunc in nobis esse peccatum, quod nunc non imputatur nobis, quia Deus omnia peccata ad pœnam aliquam imputat. Nec quisquã dixerit aliquem peccare lethaliter, cum facit aliquid, quod posset quidem imputari in mortem, sed nunquam imputatur. Audi Caluine: Si tollis imputationem, tollis & prohibitionem, ex qua imputatio necessa-

rio consequitur. Data quidem venia peccatis, non tollit ab eis prohibitionem, neque facit, vt non fuerint peccata. Verum ipsa, quæ ignoscuntur peccata, imputantur sane priusquam remittantur. Siquidem nisi prius imputarentur, venia & ignoscentia indigerent. Alioqui & quæcunque Deus prohibere, & ex consequenti imputare posset, etiam cum nec imputat, nec prohibet, dices vere esse peccata. Quo quid posset esse absurdius?

Adde, quod si proprie esset peccatum, proprie & vere faceret peccatores, & simul omnes iusti, & iusti essent, & peccatores. Insuper ineuitabilia, ac prorsus inuoluntaria, nulla ratio patitur dicere proprie esse peccata. Et cum concupiscentia, de qua Patres loquuntur, & tu existis, hoc est, appetitus sensitiuus, vel caro, insurgens quandoque & se præter rationem erigens, á Deo sit, nobis neque cooperantibus, neque consentientibus: si illa proprie peccatum est, erit aliquod peccatum sic à Deo, vt vere possemus dicere contra scripturam, non omnia opera Dei esse bona valde, & Deum esse verissime authorem peccati. Quod si peccatū intelligis esse, quicquid dissonum est legi Dei, siue liberum sit, siue non, siue à Deo imputetur, siue non: potuisses sic abutendo vocabulo, omnes concupiscentias, seu carnis cōmotiones & insultus contra rectam rationem, appellare peccata: sed neque ipsam potentiam concupiscentem, de qua nūc agimus, quæ bona est, & sæpe non aduersatur rationi, debuisses peccatum appellare proprie. Si & hanc pergis peccati nomine proprie censere, nos ipsi erimus semper*, & omnes vires nostræ erūt proprie peccata, quia nulla est ex ipsis, quæ non quandoque possit aliquid pati aut facere, quod dissentiat rectæ rationi.

* peccatores &

Exposit. Augusti lib. 5. con. Iul. c. 3.

Sed vt deponas amentiam tuam, nec in hæc incommoda incidas, & doctrinā Synodi concordem Patribus & Augustino agnoscas, lege, quæ cap. 15. libr. 11. scripsimus, & ex eis intelliges, non loqui Augustinum de concupiscentia, vt sic dixerim, habituali vel potentiali, cum non tantum dicit esse pœnam & causam peccati, sed esse etiam peccatum, quia inest illi inobedientia aduersus dominatum mentis: sed loquitur, vt diserte ibi explicat, & tu parum aduertis, de concupiscentia, cui resistit bonus Spiritus, & cui inest inobedientia. Quæ certe non est alia, quam praua mentis concupiscentia actualis alicuius illiciti, quæ nunquam fuisset in statu innocētiæ, neq; fuit in Christo aut beatissima virgine. Et eam dixit non tantum esse pœnam & causam peccati, sed etiam peccatum, quia vel peccatum proprie est, cum potest aut potuit facile reprimi: vel saltem vtcunque peccatū posset appellari, etiam cum non subest nostræ potestati, quia est actus de se dissonus legi Dei, licet nobis non imputatus, quia nullo pacto est voluntarius. Ac fortassis ideo Spiritus sanctus voluit tam diserte à Iacobo explicari, concupiscentiam non esse, sed parere, peccatum, idque cum præcesserit conceptio, ne ex testimonijs Pauli perperam intellectis, putaretis vos eam semper & quomodocunque acceptam, esse proprie peccatum. Sicut & ideo supra docuimus, Iacobum diserte tradidisse necessitatem operum, ne verba Pauli de iustificatione ex fide, peruerse intelligerentur.

Argum. 2.

Sed redeamus, vnde nos coegit Caluinus huc discedere. Paulus etiam eum, leuiter in modum discreuit mortalia à venialibus. De mortalibus quæ multa ad Roman. 1. & 1. Cor. 6. Galat. 5. & ad Eph. 5. particulatim enumerat, clare asserit, illa excludere à regno Dei, & qui ea perpetrant, dignos esse morte, & regnum Dei non assecuturos. De stultiloquio autem & scurrilitate, & generatim de cunctis venialibus, quæ ligna, fœnum, & stipulam appellat, non ita rigidam profert sententiam, sed saluandos pronunciat, qui illa fecerint, sic tamen, quasi per ignem. Et ita intellexerūt hunc locum Origenes, hom. 6. in Exod. & 25. in Numer. Ambr. in Psalm. 118. Hieron. in Iouinian. August. 21. de ciuit. c. 26. & in Psal. 80. & serm. 4. de com. animarum. Gregor. 4. dialo. c. 39. Ansel. in 1. Cor 3. Quos si legisset Caluinus, & Dionysium 7. ca Eccl. Hierar. & Cypr. 1. epist. 9. Athan. 34. q. & Chrys. hō. 69. & lib. Aug. de cura pro mortuis agenda, ac definitionem Concil. Flor. de Purgatorio,

torio, cui cosserunt Græci, fortassis non ita temere asseuerasset cum Luthero, nullam esse mentionem Purgatorij in scriptura, nec ita procaciter, vt facit, illud denisisset.

Sed hæc ob ter propter Caluinum adiecisse ill s, quæ lib. 13 & q. 2. opus. de iustifi. disseruimus, sit satis. Vide Spir tus sanct prudentiam. Ne quis responderet, neq; fornicatorem dici, neque impudicum, neque auarum, qui semel aliquod horum peccatorum admitteret, non contentus fuit Paulus fornicarios, immundos, auaros, & similes peccatores excludere á regno Dei, sed ad Galat. 5. excl sit omnes facientes opera carnis. Et vt á numero plurali operum carnis, nullus tergiuersator suffugium quodpiam haberet, quædam opera carnis in singulari numero posuit, quædam in plurali, & de omnibus generatim pronunciauit: *Qui talia agunt, regnum Dei non assequentur.* Quo consilio diuinitus factum est, vt his, quæ in plurali numero Matthæus commemorat Christum dixisse coinquinare hominem, Marcus in singulari adiecer t auaritiam, nequitiam, dolum, impudicitiam, oculu malum, superbiam, stultitiam.

Gal. 5.

Ipse etiam Magister omnium Christus hunc modum distinguendi venialia á mortalibus insinuasse videtur, cũ alijs in locis, quæ mox proferemus, tum vero illis verbis: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Cum enim peccata omnia mortalia reatũ gehennæ ignis inducant, hoc ipso quod soli postremo eam pœnam cõminatus est: priora duo, tametsi disparia, leuia esse & minuta peccata indicauit, quæque neq; amicitiam diuinam dirimerent, neque ad infernum pertraherent.

Matth. 5.

Nec secus hunc locum magnus ille pontifex Gregor. li. 21. Mor. cap. 5. interpretatur. Sic, *ait*, Dominus vniuscuiusque cõsiderat vias, sic diuumerat gressus, vt ne minutissimæ quidem cogitationes, ac verba tenuissima, quę apud nos vsu viluerunt, eius iudicio indiscussa remaneant. Hinc enim dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Racha quippe in Hebræo eloquio, vox indignantis est; quæ quidẽ animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehẽditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata: ad extremum quoq;, cum dicitur, fatue, ira redarguitur, quæ cũ excessu vocis, expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum, quod in ira perhibet reum esse iudicio: in voce iræ, quod est racha, reum concilio: in verbo vocis, quod est fatue, reum gehennæ ignis. Per gradus etenim culpę, creuit ordo sententiæ: quia in iudicio adhuc causa discutitur, in concilio autem iam causæ sententia definitur, in gehenna vero ignis, ea, quæ de concilio egreditur, sententia expletur. Quia igitur humanorum actuũ Dominus, subtili examine gressus enumerat: ira sine voce, iudicio: ira in voce, concilio: ira vero in voce atque sermone, gehennæ ignibus mancipatur. *Hæc Gregor.* Ex quibus patet, priora duo peccata iræ & indignationis imperfectæ, inter minuta eum & imperfecta peccata cõputasse, & solum tertium, perfectum & consummatum, & gehenna dignum intellexisse. Et quanquam gehennę ignes ad Purgatorij etiam cruciatus videntur quandoque nonnulli Doctores referre, tñ in scholis Theologorum merito iam inualuit, & hoc vsus obtinuit, vt nomine gehennæ, sola æterna inferni incendia intelligantur.

Ibidem.

Gehenna cruciatus est inferni.

Ac de solis illis exposuere etiam hæc verba Hilarius, Augustinus, Theophylactus, Rabanus. Et Hieronymus in illa verba, *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, docte ostendit verbi huius originem: & futura supplicia, & pœnas perpetuas, quibus cruciandi sunt peccatores, hoc vocabulo designari. Eandem item venialis á mortali distinctionem Christus nobis significauit, cum expressis multis in locis statim citandis, grauibus pœnis repositis quibusdam peccatis, tamen de verbo ocioso sic temperauit sententiam, vt tantum dixerit, omnes redditoros esse rationem de illo in die iudicij.

Matth. 10.

Itaque ex Christo & Apostolis habemus,

quædam peccata esse grauia, & alia leuia, & illa coinquinare homines, mortemque inducere, & ad gehennam trahere, atque à regno cœlorum excludere: nihil autem tale leuibus peccatis cõuenire. Nec contemnendum est argumentum, quo & quidam confirmant esse aliqua venialia, ex verbis Christi de peccato in Spiritum sanctum: *Non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Nam sancti Doctores, & nominatim Gregorius, 4. *dialo. c. 39. & Aug. 21. de ciuit. Dei, ca. 24. & 13. Item lib. 6. contra Iulian. cap. 5.* ex eis colligunt, sicut Magister dicit, aliqua peccata in futuro esse dimittenda. Quod cum mortalibus nequeat conuenire, relinquitur ea esse, quæ dicimus venialia. Cum vero in nullo ex his testimonijs mentio aliqua fiat prædestinationis, aut reprobationis, vel scientiæ, aut ignorantiæ, sed absolute tradantur quædam peccata mortem, gehennam, & carentiam perpetuam regni cœlorum inducere, alia nullum tantum malum afferre: ex eisdem possumus confirmare, perperam Vuiclefum veniale à mortali seiunxisse ex parte prædestinationis & reprobationis, & Philippum ex parte scientiæ & ignorantiæ.

25. dist. cap. Qualis. 21. Magist. in 4. d. 21.

CAPVT V.

De venialium & mortalium distinctione, ex authoritate Ecclesiæ & ipsius Doctorum.

NEQVE ignota fuit Ecclesiæ huiusmodi distinctio inter venialia & mortalia peccata, quinimmo perpetuo illam credidit & docuit suos filios.

1. Et hoc vel ipsa consuetudine Ecclesiastica ad plenum possimus edoceri. Ab ipsis namque propemodum illius primordijs constituisse eam nouimus aliqua remedia pro remissione venialiũ, quæ quidem nunquam credidit sufficere ad remissionẽ mortalium. Et tale fuit aqua benedicta, quam scimus fuisse in Ecclesia saltem à tempore Alexandri huius nominis primi, qui V. à beato Petro pontificatum tenuit, & in hũc ylum & alios complures, referente Gratiano, benedici à sacerdotibus mandauit. Et idem ex 6. Synodo De conse. d. 3. Aquã sale conspersam. Presby. d. 28 refert, benedictionẽ presbyteri esse sanctificationis traditionem. Quare dubium non est, quin & antiquum sit, quod communiter fideles credimus, per benedictionem episcoporũ remitti culpas veniales. Confessionem etiam generalem Magister in 4. d. 21. tanquã rem minime dubiam, dicit fieri quotidie in Ecclesia pro venialibus & pro lethalibus, quæ à memoria exciderunt.

2. Deinde: Cum ob quædã peccata quosdam prohibuerit à sacramentis, & propter alia, quæ leuia erant, neminẽ vnquam aliquibus pœnis mulctauerit, aut à susceptione sacramentorum repulerit, hoc ipso indicabat Ecclesia magnam esse inter vtranque distantiam.

3. Ad hæc: Mortalium confessionem semper á fidelibus exegit, vt proximo lib. abunde ostendimus, non autem venialium.

Origenes etiam hom. 35. in euang. Matt. 5. nomine minuti vel quadrantis, peccata minima designata à Saluatore, intelligit in illis verbis: Non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. Et vt intelligat Sarcerius, falso se & contra omnem veterum authoritatem dixisse, aliqua peccata fore impunita, ipsa illius verba subijciam: Vnusquisque, inquit, nostrum per singula peccata damnum sustinet, & iuxta qualitatem, rationemque delicti, damni magnitudo reputatur, & pro qualitate quantitateq; peccati, diuersam mulctæ sententiam expẽdit. Si parum est quod peccas, ferieris damno minuti, vt Lucas præscripsit: vt vero Matthæus, quadrantis: Verumtamen necesse est hoc ipsum, quo extitisti debitor, soluere. Non enim inde exies, nisi & minima quæque persolueris.

Atque ex his colligere licet duo in Caluinum. Primum est, tempore Origenis aliqua peccata fuisse ab Ecclesia existimata venialia. Nam qui cum mortalibus præsentatus fuerit Christo iudici, in carcerem retrudendus est, vnde nullus patebit exitus: nec mortifera vocasset Origenes peccata minima. Secundum est, etiam tum certum fuisse ec-

Respon. ad Caluin. pro satisfactione.

ſe eccleſię, aliquas adeo repoſci pœnas pro peccatis, etiam poſt illorum culpæ remiſſionem. nec tantum caſtigari, ſicut ille putat, fideles, vt humilientur, & cautiores ſint. ac ſerio reſipiſcant. Nam ſicut per Naum prædixit, *Mundās non faciet innocentē.* vel, ſicut LXX. tranſtulerunt, *& mundans non mundabit reum.* Quod ſcilicet iuxta expoſitionem Hieron. 1. in Pelag. etiam poſt indulgentiam reus ſit propriæ conſcientiæ. Nahum 1.

Verùm lege pie lector, quæ de ſatisfactione lib. 13. tradidimus, & agnoſces non fuiſſe in doctrina de pœnitentia falſarios Patres, nec adulteraſſe ſcripturam, nec improbum quidpiam aut abſonum docuiſſe, quidquid illis impudenter calumniator iſte obijciat. Nec enim teſtimonium Ioānis, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, pro ſatisfactionibus impoſitis à ſacerdotibus adductum eſt, ſed vt oſtenderetur oportere etiam poſt contritionem aliquā ſatisfactionem exhibere, & alia debere eſſe opera pœnitentium, alia innocentium. Cumque de varijs pœnitentiæ partibus egiſſent, varia pro earum communitione teſtimonia citarunt, non credentes quenquam fore tam cæcum, qui non intelligeret reddenda eſſe ſingula ſingulis. Videamus tamen, quid & alij Doctores de peccatis venialibus tradiderint. Matth. 3.

Hieronymus 2. contra Pelagianos, ex multis locis ſcripturæ doctiſſime cōfirmat eſſe aliqua peccata, quæ non tollant à iuſtis iuſtitiam, ſed cum ea ſimul ſtent. Ea autem ſunt, quę nos venialia dicimus. Atque inter alia huiuſmodi quæſtionem proponit: *Pro hac*, inquit David, hoc eſt, impietate, ſiue iniquitate, vtrunque enim intelligi poteſt, *orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Si ſanctus eſt, quomodo orat pro iniquitate? Si iniquitatem habet, qua ratione ſanctus appellatur? Et ipſe ſibi reſpondet: Iuxta illum videlicet modum, qui & in alio loco ſcribitur? *Septies cadit iuſtus, & reſurgit.* Et, *Iuſtus accuſator ſui eſt in principio ſermonis.* Et iterum ex illis verbis, *In multis offendimus omnes:* ſic colligit, Fac vt non corruerim, certe offendi, & non in vno, ſed in pluribus. Arbitror quod in aliquo offendiſſe, peccatum ſit. Et rurſus, quia ſacerdos iubetur pro ſuis delictis offerre, deinde pro populi: Nunquam, inquit, pro alijs iuberetur offerre, niſi iuſtus ipſe eſſet, neque rurſus pro ſe offerret, ſi peccato careret ignorātiæ. Vides Caluine, aliqua peccata eſſe apud Hieron. quæ tamen iuſtitiam non tollunt? non igitur omnia peccata apud illum ſunt mortalia. Expreſſi ſunt item pro his, quæ ſcribit in verba Saluatoris, *Nō exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem*: Quadrans, inquit, genus nummi eſt, quod habet duo minuta. Hoc eſt ergo, Non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata perſoluas. Pſalm. 31. Prou. 4. & 18. Iacob. 3. Matth. 5.

Quid igitur, dices, ſibi voluit, cum ait: Si ita & ſermonis iniuria, atque interdum iocus iudicio, concilioque, atque Gehennæ ignibus delegabitur, quid merebitur turpium rerum appetitio & auaritia? Obiect. ex 2. in Pelag.

Forte dicet aliquis, nomine Gehennæ, ignem Purgatorij intellexiſſe, quia eiuſdem eſt ſpeciei cum igne inferni. Cum tamen tā conſtanter docuerit, in citato ſtatim loco, Gehennæ vocabulo perpetua ſupplicia deſignari, magis crediderim, voluiſſe eū reddi ſingula ſingulis, & non ioco, ſed ſermonibus iniuriæ aptari Gehennæ ignes, iuxta euangelij ordinem. Nam quod ipſe nonnihil libertate & licentia ſtyli eum ordinem variauit, ſecure (opinor) fecit, non arbitratus ſe à quoquam ita impie exponendum, vt contra Saluatoris ſententiam, iram & iocum Gehennæ ignibus diceret delegari. Reſponſio.

Quia vero peculiariter aliqui de Auguſtino hæreſitant, an iſtam diſtinctionē perinde ac nos crediderit & docuerit, diligentior fui in inquirendis ipſius teſtimonijs, & vt omnem dimoueamus illis ambiguitatē, præcipua ex eis hic ſubieci. In libro de natura & gratia, ad leuiſſima peccata, quæ in iuſtis inueniuntur, referenda eſſe hæc putat: Siquis immoderatius aliquando riſit, vel animi remiſſione iocatus eſt, vel vidit aliquid ad concupiſcendum, vel immoderatius aliquando poma decerpſit, vel pluſculo cibo crudior fuit, vel cum orauit, cogitauit aliquid, vnde eius inde in aliud auocaretur intētio. Et 21. de ciuitate Dei, ca. 26. amores & curas ſeculares, ędificia venialia à dami- cap. 38.

à damnatione vocat. Et sermon.4.de sanctis, minuta peccata, & non capitalia, Purgatorio dicit igne purganda. Et in De spiritu & liter.c.28. non impediunt, inquit, à vita æterna iustum quędam venialia peccata, sine quibus hæc vita non ducitur. Et ibidem ca. 36. Peccatum erit hominis ex fide viuentis aliquando alicui delectationi illicitæ consentire, non tantum in illis horrendis facinoribus & flagitijs perpetrandis, verum etiam in istis leuioribus, vt vel aurem alicui voci, quæ audienda non esset, vel linguam alicui, quæ dicenda non esset, accómodet, vel in ipso corde aliquid ita cogitet, vt mallet licitum, quod malè delectat, & per præceptum scitur esse illicitum. Et c.16. de fide & operibus, & c.22. & 68. & 69. Enchir. & 78. apertius, & 3. con. duas epist. Pelag. c. 3. quatenus filij sunt huius seculi, admittere filios Dei aliqua peccata, quæ non faciunt eos filios diaboli. Lib. etenim 1. de symbolo, c.6. catechumenis hác doctrinam explicat his verbis: *Non vobis dico, quia sine peccato hic viuetis, sed sunt venialia sine quibus vita ista non est. Propter omnia peccata baptismus inuentus est. Propter leuia sine quibus esse non possumus oratio inuenta.* Item in de verbis Apostoli: sermon. 19. *Maximè à criminibus nos abstineamus. Abstineamus, quantum possumus, à leuibus peccatis.* Ac latius hanc distinctionem prosequitur sermone 4. de commemoratione animarum.

Agnouit & hanc distinctionem sub nomine leuium & grauium peccatorũ Chrys. hom. in Matth. & leuia palam asserit non inducere reatum carendi regno cœlorum.

Basilius hom. 28. in psal. 114. ita scribit: *Qui in peccato mortali hæret, dicat, Circundederunt me dolores mortis, Omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo natus est.* Non dixisset, Qui in peccató mortali hæret, nisi aliqua peccata, non mortalia credidisset. Quare verisimile mihi non est Basilium scripsisse quod in regulis breuioribus inter opera eius circunfertur, differentiam maiorum & minorum peccatorum, in nouo testamento non reperiri. Qui potuit ista Basilius scribere, qui hom 13. in psal & ho.41. in initium Prouer. ex professo docet, & peccata & supplicia pro eis reposita, inæqualia esse, atq; idem de præmijs sanctorum hom.57. asseuerat.

Inæqualitas suppliciorum & præmiorũ

Susceperunt & hoc discrimen venialis & mortalis, ac magno consensu approbarunt Gregorius, 21. Mor. ca 9 Anselm. in 3. cap. 1. Cor. Bernardus de præcept. & disp. Richardus de discrimine mor & ve. Hugo, Magister sententiarum, & omnes Theologi Scholastici in 2. sent. d. 42. & in 4. d 21. Et quia eorum testimonia ex illis, quæ in hoc libro ex eis citabimus, facile possunt colligi, ab eis allegandis hic abstinebimus.

Ac nisi nostros aduersarios peruicax eorum malitia cæcasset, ipso luminis naturalis instinctu, verissimam esse intelligerent, quam horum peccatorum docuimus distãtiam. Quędam namque, natura ipsa admoniti, cognoscimus grauia esse peccata, & vehementer rationi dissona: alia vero leuia esse, & non perinde rectæ rationi aduersantia. Et sicut scimus, quasdam esse leues proximorum offensas, & quæ ex se non sufficiant ad impediendum vel dirimẽdum amorem, quem nobis mutuo debemus; alias vero esse graues offensas, propter quas non omnino immerito rescinduntur amicitiæ, ita scintilla rationis nobis indita philosophatur, & à nobis eo conscendit, vt credat & doceat quædam esse grauia peccata, quibus Deus legislator, ac rector vniuersi, sic grauiter offenditur, vt eos exosos habeat, qui illa patrant & seuerè suo loco & tempore corripiat: alia vero ita leuia, vt neminẽ Deus propter illa inuisum habeat.

CAPVT VI.

De errore asserentium vnum mortale ad condemnationem æternam non sufficere.

COMMODVM vero erit & hic obiter confutare secundum errorem, quem cap.1. huius libr. retulimus, asserentium videlicet, vnum peccatum mortale ad damnationem perpetuam minime sufficere. Nam & hoc commentum, non minus fortasse quam Vuiclefi, aduersatur doctrinæ, collectæ ex Patribus de distinctione venialium à mortalibus, & vniuersa ferè testimonia,

Vnũ mortale ad damnationẽ satis est.

omnia, quæ contra vnum errorem pugnãt, militant æqua lance contra alterum.

Argum. 1. Ac primo quidem apertissime docet Iacobus vel vnum lethale peccatum satis esse ad condemnationem. Ne quis enim sibi blandiretur, quod vnum duntaxat transgressus esset mandatum, eaque ratione putaret sibi non imminere propter illud vnũ damnationem, terribiliter, sed verissime, clamat: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* (Iacob. 2.) Sane quod qui vel vnum transgressus fuerit mãdatum, similiter est, licet non æqualiter, futurus gehennæ reus, ac si omnia præterisset. Et in hoc propositũ optime exaggerat hoc testimonium Basil. 1. de bapt. Et quasi iam per illum Spiritus sanctus nos contra hunc errorem muniret, ex eo infert, omnia mandata oportere integre & legitime implere, & æquale esse omnibus periculum, vno deficiente, quia non in peccata multa, sed & in vnum, horrendum est latum & ineuitabile iudicium. Idque erudite Lib. 2. cap. 9. confirmat ex verbis Christi ad Petrum: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* (Ioan. 13.)

Argum. 2. Atque ex professo postea differit, iniquum esse, qui vel vnum mandatum transgreditur, & in defectu minimi, totum periclitari. Et Paulus Apostolus disertissime dicit, iudicium sibi manducare & bibere, & reum esse corporis & sanguinis Domini, qui indigne sumunt sanctissimum sacramentum Eucharistiæ. Et ad Hebræos. *Pacem*, ait, *sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* (Hebr. 12.) Certe sanctimoniæ aduersatur omnis immunditia, & indigna sumptio Eucharistiæ vnum est mortale. Et ex illis verbis eiusdem Apostoli: *Qui talia agunt, regnum Dei non assequentur*, (Galat. 5.) optime sic colligit Hieron. *Neq; refert, vno quis peccato à beatitudine excludatur, an pluribus, cum omnia similiter excludant.*

Argum. 3. Ioannes etiam vnum peccatum odij fratrum, homicidas nos cõstituere, & à Dei dilectione, ac vita æterna excludere, & mortẽ nobis afferre, clare pronunciat.

Cumq; à caritate pendeant omnia, & ipsa sit plenitudo legis, quis potest dubitare id fore satis ad mortẽ spiritalẽ quod caritatẽ grauiter violat?

Argum. 4. Ac vel illud vnum exemplum peccati protoparentis nostri Adæ, quod totum humanum genus sordidauit, & damnationi ac morti, atque adeo inimicitiæ diuinæ, subiecit, docere potest, quam sit alienum à fide nouum hoc & fictitium dogma. Nam & Dei præcesserat sententia, *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: (Gen. 2.) id est, certo, certissimeque morieris. Et siue hoc placeat referre ad mortem spiritalẽ, siue duntaxat ad mortem corporis, ex vtroq; patet, merito posse illud & debere appellari mortale, ac vere suffecisse ad excludendũ eum à regno cœlorum. Quod & Pauli possumus confirmare sententia. Is enim adeo exitiale illud & mortiferum fuisse tradit, vt per illud vnum peccatum, mortem intrasse in mundum, & nos inimicitiæ in Deum, & morti & damnationi fuisse subditos, asseueret. Quod si vnum peccatum mortale Adæ, exclusit omnes à regno cœlorum: cur non & vnumquenq; credatur excludere singulũ quodque lethale peccatũ ab ipso perpetratum?

Argum. 5. Sed longe omniũ sunt apertissima, quæ Magister omnium Christus & sol verissimus iustitiæ, ad eliminandũ errorem hunc, nobis tradidit. Nam eum qui peccaret in Spiritum sanctum, clare asseruit non habiturum remissionem, neque in hoc seculo, neq; in futuro. Et alibi, vel hoc solo, quod quis non credit prædicato sibi Euangelio, damnandum affirmat. Et de non recipiente baptismum, & de non pœnitente, & de non manducante suum corpus, eadem tradit. Cumque leges istæ saltem de credendo euangelio, & de suscipiendo baptismo, sine dubio latæ sint à Christo, idque & apud hæreticos nostri temporis in confesso sit, stare quidem non potest, quod Caluinus in can. 21. nostri decreti asserit, Christum non sic fuisse legislatorem, vt nouas aliquas leges orbi tradiderit. (Christus lator nouæ legis contra Calu.) Sed de his satis multa scripsimus lib. 11. cap. 7. Prosequamur, quod agebamus. Vt ostenderet item Christus, vnũ lethale sufficere ad condemnationem, etiam eadem tradit de stultis virginibus, quibus eo solo nomine, quod non seruauerunt oleum in vasis suis, ianuam regni cœlorum occludit. Et quendam seruum ne-

quam damnandū nunciat, quia non fœneratus est talento sibi credito: alium vero, quia non est misertus conserui sui. Et alibi generatim dicit, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Et rursus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & adspiciens retro, aptus est regno Dei.* Et alias, vnam esse viam ad regnum cœlorum, per obseruantiam mandatorū omnium, perspicue explicuit, dicens: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Matth. 7. Luc. 9. Matth. 19.

Argum. 6. Denique ignis æterni sententiam profert contra negligentes opera misericordiæ. Eademque per os David Spiritus sanctus iam olim cecinerat toto illo psalmo: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Cui & concinunt illa eiusdem prophetæ *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam neque iurauit in dolo proximo suo.* Quis non videat ita hæc omnia requiri ad ascendēdum in montem Domini, vt cuiuscunque eorum transgressio satis sit ad eorum ascensum impediendum? Certe neq; innocens potest dici, neq; ingredi sine macula, qui est in aliquo peccato mortali.

Psalm. 14. & 23.

Argum. 7. Deinde: Si non sufficit vnum lethale ad excludendum à regno cœlorum, neq; sufficiet ad tollendum nobis gratiam: & ex consequenti, nullum esset mortale peccatum, aut erit profecto quis simul in peccato mortali, & in gratia: iustus, & iniuste operans: & saluarentur multi, & post hanc vitam reciperent gratiam, cum sine illa hinc decessissent. Quę omnia, absurdissima sunt & intolerabilia.

Argum. 8. Præterea: Si vnum lethale peccatum nō impedit ingressum regni cœlorum, nulla igitur certa regula nobis est tradita, qua sciamus, qui sint ab eo excludendi. Nusquā enim scriptura certum numerum peccatorum assignauit, quæ sufficiant ad id faciendum.

Argum. 9. Ad hæc: Cum vnum sæpe mortale multis alijs præponderet, iniquum est quā misericordiam ei vni concedis, illis multis negare, quæ nō plus diuinam maiestatem offendant.

Argum. 10. Nonne etiam vnum originale cōstituit infantes iræ & damnationis filios, ac, si moriātur sine baptismo, quicquid deliret Caluinus, excludit à regno cœlorum?

Argum. 11. Ne quis amplius de his ambigat, audiat quid inter alia Concil. Flor. de ea statuerit: *Diffinimus illorum animas, quæ in actuali mortali peccato vel in solo originali decedunt, mox in infernum descendere.* Et cum de veniali tacuerit Concilium, satis insinuauit, non esse de illo perinde censendum.

Obiectio 1. Sed non amat, aiunt, Deus tam leniter suos amicos, vt pro vno mortali continuo amicitiam dirimat.

Respon. Qui hoc dicunt, grauitatē peccati mortalis aut ignorāt, aut certe dissimulant. Nō est parua Dei offensa, vel minimum peccatum mortale. Plus quidē offendit Deum, quam hominem offendat quæcunq; iniuria, quantūcunq; grauis, ipsi illata. Mitto, quātum hominē Deus antecellit, & quāto pluribus & grauioribus nobis est meritus. An non quodcunq; peccatum mortale magna dāna nobis infert, & multis bonis nos priuat, & corruptio est grauis & deprauatio in morib. quæ scelera cumulat, & alia alijs addit, ac subinde ad maiores ruinas trahit? An non est p̄uaricatio grauis mādati ęquissimi & iustissimi, & inobediētia, imo contemptus maiestatis diuinæ, atque auersio ab ea in re magni momenti? Nisi grauis esset culpa, & digna quantiscūq; pœnis, & ad gubernatorem vniuersi spectaret, in æternū eam puniret, nunquā Deus, qui humanissimus & clemētissimus est, & præstabilis super malitia, tā grauiter quocunq; lethali peccato irritaretur, ac præcitata testimonia ostendunt.

Obiect. 2. Ecquis, inquies, poterit saluus fieri, si vnum mortale sufficit ad damnationem?

Respon. 2. Sic seducebant quidā tempore Pauli nonnullos, dicentes non omnes fornicatores, aut immundos, aut auaros damnandos esse: quia pauci saluarentur, si ita esset, quod ipsi putabant perabsurdum. Et contra hos dicit Ansel. in comm. Paulum dixisse; *Nemo vos seducat inanibus verbis. Multi enim*, teste Christo, *sunt vocati, pauci vero electi.* Neque absurdum, cum rara sit virtus, & pauci ipsius sint ex animo studiosi, si pauci quoque futuri sint, qui digni haberi debent perpetuo

Ephes. 5. Matth. 20. & 22.

Dei

Dei & angelorum & omniũ bonorum cõsortio Nec tamen impossibilis est alicui lapsus. Possunt enim cés per gratiã Dei totã legẽ seruare, vt Ecclesia catholica cõtra Lutherum, Bucerum, Philippum, & Caluinum tuetur & iã copiosè li. 11. ostẽdimus. Et qui deficiunt, promptum habent & expeditum remediũ per pœnitẽtiam, sicut constitutum est in Ancyrano cõcilio, quod (teste Hermeo in Græco volumine hist. eccles.) & ipsa prima S. Synodus Nicena approbauit.

Respon. 1.

Pœnitẽtiæ remedium.

CAPVT VII.

Non sola incredulitate ami titur gratia, neque sola ipsa est peccatum mortale.

ATQVE ex his expugnari possunt 1. & 4. error, quos cap. 1 commemorauimus defensos esse à Luthero, sola videlicet incredulitate amitti gratiam & solã ipsam esse peccatum lethale. Patet quippe ex iam dictis, alia quoque peccata ad auferendam nobis gratiam, & nos gehennæ perpetuæ mancipandos, satis esse. Quoniam autem ex testimoniis scripturarum tum in hoc libro, tum quæst. 2 opusculi de iustificatione citatis, liquidissimum esse potest, hos errores vtriusq; testamenti paginæ palam & ex diametro aduersari, pauca tantum hic adijciemus, vt & illos lumini naturali repugnare doceamus.

Lumen naturale docet, esse alia peccata pręter infidelitatem.

Primo, ex instinctu rationis mentibus nostris impressæ, nulla fuit vnquam gens aut natio tam rudis, tam hebes, tam bonorum & malorum ignara, vt non agnouerit multa præter infidelitatẽ peccata, & vt talia grauiter puniuerit, nempe blasphemiam veri Dei, periurium, proditionẽ patriæ, homicidium, falsum testimonium, & similia.

Argum 1.

Et alias, cum semper fuerint aliqua opera nobis à Deo imputata in peccatum, toto penè tẽpore ante latam legem Mosaicã insufficienter Deus prospexisset generi humano, immo generatim toto tẽpore, quo de hac sua voluntate nõ docuerit homines per aliquos prophetas. Item alia ita aperte dissona sunt rectę rationi, & ita grauiter Deum offendũt, atq; ipsa incredulitas, cur non ergo & ipsa censeantur esse peccata lethalia, & dirimere amicitiam Dei?

Argum. 2.

Argum 3.

Deinde: Deum, qui summè bonus est, quis credat gratos habere pessimos & sceleratissimos homines, blasphemos, periuros, perfidos, seditiosos, homicidas, deniq; omnibus flagitijs & piaculis ac sacrilegijs obrutos, hoc solo excepto, quod non sunt increduli? Quid aũt cum tam absurdo cõmento latius pugnemus? Quæ potest esse stultitia aut insania, maior aut aptior, quã incredulitatem asserere peccatũ lethale, & non odium Dei, neq; blasphemiam, quę in ipsum sunt magis contumeliosa? In quod grauius aut absurdius incommodum, Lutherum & eum sectantes, possumus impellere? Sed & ex illis, quę in nobis experimur, reuinci possunt sui erroris. Quis vel inter ipsos, vel inter nos est, qui maiorem iniuriã sibi irrogari credat, si quis verbis nostris nõ credat, quam si nos oderit, si persequatur, si detrahat famæ nostræ, si contumelijs & cõuicijs respergat, si deniq; nomen nostrum blasphemet? Dices: Hæc non sufficiunt ad mortem cuiquam, nisi adsit incredulitas, quia sola fides satis est ad salutẽ, neq; vera fides mortale aliquod peccatum patitur.

Obiectio.

Agnosco bene, vnde Lutherus in tanti erroris barathrum & se & alios præcipitauerit, vt crederet sola incredulitate amitti Dei gratiam. Quoniam enim non putauit veram fidem, quæ admitteret secũ aliquod mortale peccatum, inde consequi putauit, sola incredulitate amitti gratiam, & solam ipsam esse lethale peccatum. Quod vero & in quantis hoc argumentum peccat?

Responsio.

Lapsus quatuor argu. Lutheri.

Primo: Qualis consecutio hæc est, Vera fides non potest compati peccatũ mortale, Ergo sola incredulitas est peccatũ mortale? An nõ satis est, vt sit aliquod peccatũ mortale, si grauiter dissonũ sit rectæ rationi, vel Deũ, aut proximũ, aut nosipsos vehemẽter offendat? Certe de ratione ipsius nõ est, vt contrariũ sit fidei, imò prorsus impertinẽs est ad peccatũ mortale, an vera illud fides compati possit, necne.

Secundo: Etiamsi verum sit, sola incredulitate amitti posse gratiã Dei, non recte inde colligitur, sola ea esse peccatum mor-

tale. Sicut si primum nostrum peccatum lethale, non posset esse aliud, atque amor nostri immoderatus, neque inde bene inferres, alia nõ esse peccata lethalia. Satis quippe est, vt talia existimentur, & ipsa quoque, si præcederent, dirimere posse amicitiam inter nos & Deum, & ex illis augeri inimicitias inter nos & ipsum, neque esse posse Deo gratum, qui eis vitijs irretitus fuerit. Tertio: Si non est fides, quæ admittit secum mortale, cur ergo tantum passim iactas vel solam sufficere ad saluté? Quid hoc est aliud, quam polliceri verbis salutem, re auté, negare? Sed & in ipso principio manifeste decipitur Lutherus, cum ait, veram fidem non cõpati secum peccatum mortale. Nam & vera est fides in peccatoribus fidelibus. Et si fidem se dicat vocasse, indubitatã persuasionem de gratia: & eam posse esse extra gratiam, manifestissimum est. Potest quippe talis indubitatus assensus & in hæreticis esse, & in schismaticis. Quia vero istunc peculiarem habet difficultatem, ac maxime fuit hoc tempore controuersum, de eo in proximo capite seorsum agemus.

CAPVT VIII.

Fides non amittitur quouis peccato mortali.

SEMPER extrema sectantur hæretici. Illi, contra quos capit. 6 egimus, neque gratiam, neque fidem credidere vno peccato mortali amitti. Alij autem contra, & gratiã & fidem quouis peccato mortali deperdi, contendunt. Nequeunt enim intelligere fidem sine gratia: & mox vt peccatum mortale quis admiserit, & eum fidem amittere, necessarium putant. Nam si fides permaneret, quomodo, aiunt, tam cæcus quis esset, vt pro rebus caducis & nullius plane momenti, Deum & Dominum suum lethaliter offenderet?

Et in huius erroris suspicionem, & alijs & mihi, illud trahit nonnullos ex Protestantibus, quod ita fidem coniungunt spei & caritati, & denique bonis operibus, vt ab his inseparabilem eam videantur facere. Nam quanquam ad fidem viuam, plenam & perfectam hæc limitant, & fidem de qua loquitur Iacobus, quamque vocant ipsi historicam, vel miraculorum, censent esse posse imperfectam & sine gratia: tamen fidem veram, solam illam putant, quæ aut voluntatis est fiducia, accipiens donatam sibi misericordiam, aut eam fiduciam acceptationis diuinæ necessario coniunctã habet, & hanc solam ab Euangelio & Paulo appellatam dicunt fidem. Et quia de hac fide loquuntur, cum absolute sermonem habent de fide, & eam, perspicuum censent, non esse in peccatoribus, in articul 2. Confessionis Augustanæ palam aiunt, peccatores non habere fidem.

Idemque sæpe affirmat Philippus in locis commu. sub titu De bonis operibus, & de discrimine peccati venialis & mortalis, atque ex illis, quæ ibi disserit, & sub tit. De fide, constare potest, per peccata lethalia & gratiam & fidem, iuxta illum, amitti.

Et Lutherus huius sententiæ videtur fuisse. Nam in artic. 12. in bullam Leonis X. palam fatetur, fidem sine contritione esse non posse, & gratiam non infundi sine magna animi concussione. In libello item De libertate Christiana, dicit, habentem fidem nihil quærere aut commodi, aut salutis, sed solum beneplacitum Dei, & eo solum debere spectare, vt alijs seruiat, & prosit in omnibus quæ fecerit, & nihil ante oculos habeat, nisi necessitaté, & commoditatem proximi. In resolutionibus etiam aduersus Eccium, in hunc modum scribit: Quum fides sit recta & bona opinio de Deo, opinio autem quælibet per se solam trahat in opera, non est dubitandum, quin omnia opera faciat, qui fidem habuerit. Si enim opinio & amor mulieris nõ sinit esse ociosum, sed sine lege & magistro facit plura, quam postuletur: quomodo non fides multo magis idem præstat?

Verum est tamen, summo iure S Episcopum Roffen. de Lut. queri in art. 1. contra assertiones ipsius, quod tam varie, tamque inconstanter, & tam versute de fide loquitur, vt facilius quis cauda anguillam retineat, quam ipsum in hoc articulo. Quia plerunque fidem vsque adeo demittit, & facilem

Lutheri inconstantia in fide.

facilem omnibus & parabilem atque obuiam facit, vt neminem, qui Christum quoquomodo profitetur, alienum à fide videatur censere. Contra autem non semel ita fidem attollit, & difficilem & quasi remotissime positam insinuat, vt paucissimos inueniamus, qui ad illius libellam, fide præditi existimari debeant. Et perspicua hæc omnibus esse possunt: quia in De fide & operibus, aperte asserit, fidem nullo modo esse posse, nisi sit viuax quædam & indubitata opinio, qua homo certus est super omnem certitudinem, sese placere Deo, & eum habere propitium & ignoscentem in omnibus, quæ fecerit, propitium in bonis, ignoscentem in malis. Quid enim (addit) est fides, quæ non est talis opinio? Quod si absque istis nemo habet fidem, quis non videat, vix quenquam esse, qui illam sit nactus? Quis enim tam temerarius est, vt perinde certo credat se iustum? Sed videre est rursum, quam facilem & communem omnibus faciat fidem. Inter acta sua sic fidē diffinit: Fides nihil aliud est, quam, quod Deus dicit aut promittit, credere. Et vbique clamat, neque ad fidem, neque ad iustificationem exigi opera. Et artic. 14 fidem ait in corde certissime sentiri posse, si quis eam habeat. Et 15. dicit, non oportere accedentes ad Eucharistiam, orationes & præparatoria præmittere, sed satis esse, si credant, & confidant se gratiam ibi consecuturos, quia sola fides dignos eos & puros facit. Et idem latius persequitur in libro de captiuita. Babylon. Et in conclu. 7. resolutionum contra conclusiones Eccianas, affirmat, fidem sine operibus nullo periculo prædicari. Quæ si vera sunt, nullus erit qui profiteatur CHRISTVM qui non habeat fidem.

Inconstantia Caluini de fide.

Nec minor circa hæc est inconstantia Caluini. Distinctionem fidei communem apud Theologos Scholasticos, in informē & formatam; nugatoriam, pudidam, & insulsam appellat. & in 4. capite libri de institutione, aut verius destitutione religionis, reclamante vniuersa scriptura, à sophistis magno malo Ecclesiæ profectam asseuerat. & in capite 7. nostri decreti, fidem caritate vacuam, somnium & inane hominis figmētum dicit, & nihilo magis fidem posse à caritate separari, quam Christum à Spiritu suo. Verum idem in can. 28. ita scribit: Semen aliquod fidei manere in homine, licet suffocatum, etiam inter grauissimos lapsus non nego. Id quantulumcunque est, particulam fateor esse veræ fidei, addo etiam viuæ, quando aliter non posset, ex ea oriri fructus. Senserint tamen illi quod libuerit. Vel hinc certe liquere poterit, verissime dixisse Paulum, hæreticos non intelligere, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmāt. Nos igitur, omissis istis inexplicabilibus hæreticorum tenebris, quid patres diffinierint contra 3. errorem, cap. 1. memoratum, potius audiamus. Asserendum est, inquiunt, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti. Sed apertius, aliquanto hāc veritatem tradiderunt, & eam negantibus anathema indixerunt Cano 28. in hæc verba: Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. Atque hanc doctrinam á Christo & Apostolis Ecclesiæ traditam, & ab ea perpetuo retētam, hæc possunt argumenta docere.

Fides manet in peccatoribus fidelibus.

Primo: Christus inquit, *Omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam.* Potest igitur quis audire verba Christi, & eis credere, & tamen non esse in gratia. Et hoc idem poscunt illa verba Christi ad Apostolos: *Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea.* Nam ea satis innuunt fieri posse, vt quis sciat mandata Christi, & eis fidem adhibeat, & tamen illa non faciat. Ostenditque hoc nobis aliquanto apertius Christus in parabola filij prodigi. Nam vtique fidem ille habebat, cum in se reuersus dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Vnde eū nisi á fide, tam bōa verba prodiissent? Aq; hæc præcessisse iustifica-

Argum. 1. Matth. 7.

Ioan. 13.

Luce 15.

tionem, Hieronymus in epistol.ad Damasum de filio hoc prodigo, palã tradit,&manifesta ratio ostendit, quia hæc cognitio ad iustificationem non sufficit, nisi sequatur vera pœnitentia, vt iam ipsi Protestantes fatentur.

Argum. 2. In Euangelio etiam Ioannes aperte testatur, multos ex principibus Iudæorum credidisse in Christum, sed dixisse eos magis gloriam hominum, quam gloriam Dei, & propter Pharisæos, non fuisse confessos quod credebãt. Et alibi nõ dicit eos, qui credunt in nomine eius, filios Dei esse, sed hãc eis datam potestatem, vt filij Dei fiant, innuens videlicet, fidem initium esse tantum & viam ad acquirendam diuinam adoptionem, & ab ea posse separari.

Argum. 3. 1. Cor. 13. Sed apertius est, quod Paulus dicit: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Dicunt quidam, Paulum non asseruisse hic fidem posse esse sine caritate, sed propterea hæc dixisse, quia si per impossibile fieri posset, vt quispiam haberet tantam fidem sine caritate, is nihil esset. Et huiusmodi hyperbolica exaggeratione Paulus vsus est, cum statim dixerat: *Si linguis hominum loquar & angelorum*, & ad Galat. prædicens, *Si licet nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit*, Attamen cum in illis, *Si habuero prophetiam & nouerim mysteria omnia*: quæ hæc verba, *Si habuero omnem fidem*, nullis interiectis, antecedunt: & nullis, quæ statim sequũtur, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita vt ardeam*: non ab impossibilibus argumentetur, sed ex ijs, quæ poterant contingere, præcellentiam & necessitatem caritatis colligat, magis sane videtur innuisse in his verbis, ita posse fidem inueniri absq; caritate, sicut certo scimus, prophetiam & cognitionem mysteriorum diuinorum, & eleemosynas & tolerantiam mortis, non raro inueniri absque caritate.

Ibidem. Gal. 1. 1. Cor. 13.

Argum. 4. Atque ita Patres nostri, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Basilius, Gregorius, Anselmus, Bernardus, in locis statim citandis hunc locum intellexerunt, & ex eo collegerunt, posse fidẽ esse sine caritate. Quod & ipsi ... vel illi operarij iniquitatis nobis possunt manifeste ostẽdere, qui apud Matthæum dicunt? *Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus*: Quippe hæc tanta & tam eximia opera, sine fide fieri non potuerunt: & responsum Christi ad eos, *Nunquam noui vos*: palam indicat, nec tum habuisse eos caritatem, cum illa faciebant. Matth. 7.

Quare Cyprianus de simp. præla. exaggerans hunc locum, sic scribit: *Iustitia opus est, vt quis promereri possit Deum: præceptis eius & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.*

Et ex eisdem verbis sic colligit Cyrillus: Non in verborum assentatiunculis, sed in affectu agentis fides esse probatur. Quare mortuam ipsam esse sine operibus, scriptura docet. Et vnde, nisi à fide proficiscebatur illa vox in virginibus fatuis: *Domine Domine, aperi nobis?* At vero neque eas habuisse tum caritatem, perspicuum est ex eo, quod clausa eis fuit ianua, & sponsus eis respondit. *Nescio vos.* 9. in Ioan. c. 43. Matth. 25.

Vnde & Chrisostomus hom. 54. in Matt. ex hac parabola colligit, non perdi fidem per peccatum, & in hoc errasse virgines istas, quod fidem solam putarunt ad salutem sufficere. Argum. 5.

Idemque nos non obscure docent obiurgationes, quibus & Christus & prophetæ veteris testamenti, & Apostoli obiurgabant Dei populum. Non enim vt incredulum & infidelem semper reprehendebant, sed hoc potius frequenter in eo arguunt, quod cum rectam haberet fidem, non tamen rectis, sed prauis, vtebantur moribus: & factis videbantur negare, quod ore & corde credebant. Nam Christus nõ exprobrabat Corozaim, Bethsaidæ & Capharnaum, quod non credidissent, sed quod non egissent pœnitentiam. Tantundemq; Paulus arguebat in Corinthijs, neque vnquam aut illos, aut incestuosum reprehendit de incredulitate.

Argum. 6. Iacob. 2. Sed apertissime Iacobus testatur fidem esse in peccatoribus. *Quid proderit, inquit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum?* Vides

Vides vt non neget fidem esse sine operibus, sed tantum asserit eam sine illis non posse quenquam saluare? Et statim peccatorem rogat, Tu credis, quoniam vnus est Deus? & quasi annuenti se credere, mox ait: Bene facis. sed ne tali fide putaret quispiam se saluum fore, adiecit statim, eam fidem etiam esse in dæmonibus, & ociosam ac plane mortuam esse, sicut corpus Spiritu destitutum. Quid ad hæc respondebis Caluine? Etiamnum dices somnium esse & inane figmentum sophistarum, fidem vacuã caritate? Etiamnum dices, nihilo plus posse separari fidem à caritate, quam Christum à suo Spiritu? Etiamnum dices, nos garrire de fide, nec primis labijs gustasse quid sit fides? An non vides quicquid Patres diffinierunt, à Christo & suis Apostolis & Euangelistis Ecclesiam catholicam didicisse? Si fides peccatorum ociosa & mortua est, teste Iacobo, erit igitur fides iustorum operans & viua. Cur non ergo fides diuidatur in mortuam, & viuam? Cumque viua fides coniunctam habeat secum caritatem, quã Ambrosius dicit esse formam virtutum, & Augustinus tract. 9. in Ioan. pulchritudinem animæ, quod malum attulerint Ecclesiæ scholastici, qui illos secuti sed discernẽdas inter se fides, commodissime diuiserunt in informem, & formatam? Certe hæc diuisio in re prorsus eadem est cum diuisione fidei in mortuam & viuam, quæ Christum & Euangelistas, ac Paulum, & peculiariter Iacobum, authores habet. Et tu ipse, velis nolis, habes eandem admittere. Nam semẽ illud seu particula fidei, quam ponis manere in peccatoribus, quid aliud quam fides est? Et destituta cum sit sua vita, suo Spiritu, sua forma, suo decore & pulchritudine, quia hæc omnia est illi caritas: quid aliud eam potes dicere, quam languidam, ociosam, eneruem, informem, indecoram, ac plane mortuam?

Reſpon. ad Caluin. de fide.

Obiect.

Verum ais nostro nos iugulari gladio, dum fidem, quam aliquando informem fatemur, operari tamen nonnunquam per caritatem, & fidei fructum ac affectum eam esse dicimus. Erit enim perquam absurdum, si filia matrem interimat.

Respons.

Quis hoc tuum argumentum non derideat? Nos qui fidem informem esse posse concedimus, eam fieri informem per caritatem, ipsius effectum, asserimus, & non potius per peccatum mortale, nostra ex libertate, contra vtriusque clamores & impulsus, admissum? Ac ne ita te gloriose iactes, quod ea doceas, quæ nobis nec venerint in mentem, lege quæstione prima opusculi nostri de iustificatione, quod duobus abhinc annis & dimidio in lucem prodijt, & ex eo agnosces nihil te recte cogitasse, quod non prius á nobis cognitum & perspectum fuerit: eiusmodique nobis visam fidem, quæ manet in peccatoribus, & informis dicitur, vt operari egregios fructus possit prius natura quam formetur: nec restringenda esse, quæ Paulus tradit de fide iustificante & operante per dilectionem, ad fidem formatam. Sed hoc inter nos & te interest, quod nos fidem quantuncunque operantem, non ausi sumus dicere viuam: & mox vt illa per caritatem operari permittitur, formari eam dicimus, & fieri viuam. Tu vero ita præceps & temerarius es, vt quod nemo, quod sciam, ante te est ausus, etiam fidem peccatorum & perseuerantiũ in peccatis, viuæ elogio exornes. Non tibi obijciam Iacobum, qui mortuam illam appellauit. Dices enim mortuam dictam esse ab eo, quia perinde habetur ac mortua, cũ non se vsitatis signis exerit: vel certe tunc solum mortuam dictam, cum ociosa est, nec operatur.

Fides peccatoris non est viua.

Sed qui tã oculatus es, vt præ te omnes stupidos, bardos, fatuos, talpas ac meros asinos existimes, cur non vides fieri non posse, vt viua recte dicatur, quæ non est coniuncta suæ vitæ? Atqui si non viuit, quomodo ex ea, inquis, fructus prodirent? Et nunquid, qui ab ea defluunt bonorum operum fructus, viuunt, aut grati sunt apud Deum ante aduentum caritatis? Ad hæc: Si ea viua fides, quæ est in peccatoribus, præstare nequit vitam, nisi accedat caritas: cùr tantopere displicet tibi doctrina Patrũ, immo Christi & Apostolorum, quod non sola fide iustificamur? Fides, ais, quæ iustificat, non est sola, sed fides sola iustificat.

Nõ sola fide iustificamur in 6. 7. & cano. 11.

Non

Non intelligis hoc commento simpliciũ deludi animas, qui putant, cum audiũt vos clamantes, fidem solam iustificare, non esse opera necessaria ad iustitiam? Quid est, sophistas agere, quod nobis sæpe obijcitis, si hoc non est? Insuper: Si fides sola hoc non potest præstare, & adminiculum requirit caritatis, & caritas melior ac maior virtus est, & plus accepta Deo: quæ stultitia tua est, velle fidei insolidum vindicare facultatem & vim iustificandi? Nisi forte placet tibi deridiculum cõmentum tui sodalis Phil. qui in loc. comm. de operibus dicit, maximam virtutem præcipue iustificare iustitia legis, non autem maxime reconciliare. Atq; hæc supra abunde impugnauimus. Dissimulare tamen nequeo egregium exemplum, quo tuos sensus elucidas: Quemadmodum solis, dicis, calor est solus, qui terrã calefacit, non tamen idem in sole est solus, quia perpetuo coniunctus est cum splendore. Et quis te docuit tam male philosophari? Nũquid legisti apud quenquam recte philosophantium, in sole esse calorem? Est quidem virtus calefaciendi in sole, ac proinde & calor est virtute & eminenter: sed nec calor, neque aliqua qualitas elementaris est in toto orbe cœlesti. Et vis calefaciendi non sola, sed per splendorem sese exerit, & terram calefacit. Nam & lumen est causa caloris. Nec tibi constas in hoc exemplo. Dum calorem enim perpetuo coniunctum splendori dicis, videris fidem etiam perpetuo cõiunctam caritati asserere. Sed non vrgebo te de his amplius. Tu tua sponte postea nobis remittis, & das quod volumus, & amplius quam volumus. Quippe & fidem manere, immo viuam esse in peccatoribus, tãdem concedis. Propter eos tamen, qui fidẽ non credunt divelli posse à caritate, & propter quædam alia, quæ obiter dicis, pergã sententiam Patrum adhuc magis argumentis Theologicis & consensu Doctorum cõmunire.

Exemplum ineptũ Caluini.

CAPVT IX.

Fidem manere in peccatoribus.

Argum. 1.

ENIMVERO vel hinc omnes agnoscere deberent, fidem dissipari sæpe à caritate, & in peccatoribus manere, quia videmus multos fideles recte quidem credere, & nulli fidei articulo dissentire: immo & paratos esse mori potius, quam fidem vel in minimo negent, & tamen per carnis fragilitatem, vel per ignorantiam permanere in aliquibus peccatis.

Argum. 2.

Deinde: Quam habet quodcunque peccatum mortale contrarietatem ad fidem, vt eam, mox vt admissum fuerit, à nobis tollat? Equidem peccata auaritiæ aut luxuriæ per fragilitatem aut ignorantiam culpabilem commissa, ne fingi quidem possunt repugnantiam aliquam cum ea habere, præsertim in illis, qui ea non commisissent, si nouissent esse peccata. Nam fides in intellectu est, & integra perseuerante quacunque intellectus persuasione, potest homo propter libertatem suæ voluntatis eis consentire.

Argum. 3.

Ad hæc: Si quolibet peccato mortali amittitur fides, quolibet peccato mortali efficietur fidelis hæreticus: si quidem hæreticus est, qui cum esset Christianus, amittit fidem. Concessit quidem hoc Bucerus in vltimis comitijs Ratisponensibus, cum collocutor Maluenda, doctus iuxta ac disertus, velut absurdum & intolerabile obijceret, quod si fides iustificans reddit hominẽ certum ad[...] iustificationis, quocunque peccato mortali amittatur fides, & fiat homo hæreticus. Quid autem cum illis agas, quos non pudet illatum adeo absurdum concedere? Quis Christianus scrupulum vnquã habuit de hæresi, quod bilis calore succensus, proximo alapã impegit? vel carnis pruritus impatiens, suam cũ meretrice aliqua libidinẽ expleuit? Aliter certe hæreticos vitare docuerũt Apostoli, aliter fornicatores & adulteros, neq; eisdem regulis vtitur, aut vsa est vsquã Ecclesia cũ hæreticis, & cum alijs peccatoribus, etiã manifestis & obstinatis. Quo etiam articulo, rogo te Bucere, hæreticum necessarium esse putas quemuis peccatorem? Nunquid omnibus, quia nõ est maior ratio de vno quã de alijs? At hoc incredibile est. Nec hæreticissimi, q fuerũt, omnibus articulis hæretici fuerunt.

Buceri absurdissima opinio.

Nun-

Nunquid articulo diuinitatis? At hunc multi hæretici constanter credunt. Et illi quos prædixit Christus interfecturos Apostolos, arbitrantes se obsequium præstare Deo, & Iudæi, quibus testimonium perhibet Paulus, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam, certe in diuinitatis articulo firmi videntur fuisse & constantes: tantum abest vt in eo credantur fuisse hæretici. Et Paulum quis credat in eo articulo fuisse hæreticum, cum abundantius æmulator existens paternarum suarum traditionum, persequebatur Ecclesiam Dei?

Obiectio. Dices forsan, necesse esse, vt peccator id credat non esse malum aut damnabile, quod sciens & volens facit. Sed hoc repugnat, & libertati nostræ voluntatis & multis testimonijs Scripturarum. Christus ait: *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis.* Et Iacobus: *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Et multa talia sunt in scripturis. Quod si illis non creditis, ipsi vobis iurabunt peccatores fideles de nulla veritate fidei dubitasse, cum erant in peccato aliquo mortali, scientes, & suæ culpæ conscij. Et videte, vt ista summo consensu tradiderunt nobis doctores Ecclesiæ. Ambrosius in illa verba, *Principium verborum tuorum veritas. Fides, principium Christiani est: plenitudo autem Christiani, iustitia.*

Responsio. Peccatū ex malitia. Lucæ 12. Iacob. 4. Argum. 4. Psalm. 118.

Respon. ad Caluin. pro cap. 8. Audi ista Caluine, ne commentum S. Synodi putes, quod fides iustificare dicatur, quia est fidei initium. Vide num hæc possint stare cum illis, quæ sæpe tui saltem iactant, fide nos sola iustificari, & in ea esse non tantum initium, sed & complementum iustitiæ. Sed & audi, vt magis nobis credas, quid & idem Doctor scribit in illa verba, *Qui vult omnes homines saluos fieri*: Fides est, quæ dat salutem: quam nisi mens tota susceperit voluntate, etiam non solum nihil proderit, sed & oberit. Fidei enim gratia hanc habet potestatem, vt deuotis sibi diuinam infundat medelam: indeuotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat. Audi item Hieron. 2. contra Iouin. *Frustra nobis in eo applaudimus, cuius mandata non facimus. Scienti bonum, & non facienti illud, peccatum est. Quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est.* Et vt intelligat Bucerus, indubitatum fuisse Hieronymo, quod peccatores habere possunt fidem vnius Dei, addit: *Neque grande putemus vnum Deum nosse, cum & dæmones credant, & contremiscant.* In illa etiam verba, *Sed fides, quæ per caritatem operatur*: ostēdit plurimum valere fidei operationem per caritatem, & plenitudinem omnium mandatorum continere: sed absq; operibus fidem mortuam esse, & opera absque fide.

1. Tim. 2. Iacobi 4. Iacobi 2. Galat. 5.

Augustinus ser. 50. de ver. Domin. dum ostendit, detracta caritate nihil cætera prodesse, enumeratis multis Dei donis, subdit: *Magna res est postremo fides, montes transferens: sed si ego hæc sine caritate habeam, non illa, sed ego nihil sum.* Et 1. de bapt. con. Dom. cap. 8. *Quid prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei sacramentum, vbi lethali vulnere schismatis perempta est sanitas caritatis, per cuius interemptionem etiam illa integra trahuntur ad mortem.* Et 15 de Trin. cap. 18. *Sine caritate fides potest quidem esse, sed non & prodesse.* Et propter hoc dictum putat à Paulo, in Christo Iesu non valere quamcunque fidem, sed eam, quæ per dilectionem operatur. Hoc enim putat discerni fidem iustorum à fide, qua & dæmones credunt, & contremiscunt. Et in Ench. cap. 117. *Caritas quanto in quocunque maior est, tanto melior est, in quo est. Cum enim quæritur, vtrum quisque sit homo bonus: non quæritur, quid credat aut speret, sed quid amet. Nam qui recte amat, proculdubio recte credit & sperat: qui vero non amat, inaniter credit. Quamuis sperare sine amore non possit, fieri tamen potest, vt id non amet, sine quo ad id, quod sperat, non perueniet.* Et rursus lib. 1. ad Simp. q. 2. *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum.* In libris etiam de Trinit. *Dilectio Dei & proximi, propria & specialis virtus est piorum & sanctorum, cum cætera virtutes bonis possint esse & malis communes* Et in eisdem caritatem singulare sanctorum donum appellat, & in ea asserit discerni filios Dei à filijs impietatis. Ex quibus satis liquere potest, secundum eum non sufficere fidem solam ad iustitiam,

Institia Christiana tria complectitur. In Psal. 31.

quia iustitia Christiana tria ista requirit, recte credere, recte sperare, recte amare. Vnde in Enchirid. cap. 4. ita scribit: *Quid credi, quid sperari, quid amari, hac maxime, immo vero sola religione sequenda sunt.* Et 1. de doctrin. Christ. c. 37. hæc tria dicit requisita ab Apostolo illis verbis: *Finis autem præcepti & caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*: & conscientiam bonam, pro spe ibi positam, docet. Et iterum c. 4. lib 2 *Tria hæc sunt, quibus scientia omnis & prophetia militat fides spes, caritas.* Et post paulum docet, omnem intellectum scripturarum ad hæc tria esse referendum. Ac tandem sufficientiam scripturæ ostendit, quia continet fidem moresq; viuendi, scilicet spem & caritatem. Sed addã & alios nobiles authores. Chrys. hom. 26. in Matt. *Fides per verbum Dei nascitur, per pacem seruatur, per caritatem nutritur. Fides autem, quæ non habet caritatem, nullum potest boni operis fructum efficere.* Et hom. de Sp. S. & lege. Cornelium dicit habuisse veram fidem prius quam iustificaretur. Et hom. 11. in Matth. *Qui soluerit, & docuerit sic, inter Christianos quidem erit, tamen minimus Christianus.*

1. Tim. 1.

Matth. 8.

Theophylactus in illa Christi verba, *Ibi erit fletus & stridor dentiũ, cum videritis Abraham &c.* vbi ostendisset Iudæorum fore grauiora tormenta ex cognitione salutis Gentilium, subiungit: *Pertinet & hoc item ad nos, qui non bene operamur cum fide.* Basil. in procemio lib. de moribus, quanquam ageret de vera fide, tamen veritatem hanc Catholicam docuit & agnouit, & ex testimonijs Pauli, *Si habuero omnem fidem &c.* & , *Nunc manent tria hæc &c.* colligit caritatem esse omnium virtutum maximam, & eam esse Christiani hominis quasi peculiare quoddam insigne.

1. Cor. 13.

Cyrillus 10. in Ioan. c. 18. *Quod fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit, scribens: Tu credis, quia vnus est Deus? dæmonia etiam credunt, & horrescunt. Si ergo fides sola sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Quare oportet ad fidem opera caritatis accedere.* Et 9. in Io. 9. c. 10. in Io. 1. *Si quis vnum Deum natura nouerit, & tam corde quam lingua id confiteatur, quamuis id recte faciat, morietur tamen, nisi operum frigor cognitioni aduenerit.* Et alio in loco propterea existimat Christum dixisse: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*: quia nõ satis est ad beatitudinem habere mandata Christi, hoc est, suscepisse fidem, & tenaci memoria candidam euangelicorum præceptorum cognitionẽ retinere, nisi secundũ ea viuamus. Gregor. hom. 38. in Euang. *Intrat ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed caritatem nõ habet.* Anselmus 1. Cor. 13. *Fides sine caritate nihil valet ad salutem, quia & dæmones habent huiusmodi fidem.* Bernardus sermon. 24. in Cant. *Non facit hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione.* Cumq; hæc scripturæ sententijs approbasset, subdit: *Neque fides sine operibus, neque opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem.* Et pauloante: *Mors fidei est separatio caritatis. Credis in Christum? fac Christi opera, vt viuat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio Non incuruet terrenum opus, quem fides cælestium erigit. Qui te dicis in Christo manere, debes, sicut ipse ambulauit, & tu ambulare.* Et alibi: *Non plane omnis qui fidem habet, ex fide viuit. Nam fides sine operibus mortua est, neque potest dare vitam quam minime ipse habuerit.* Idemque in multis alijs locis repetit, & nominatim in sermone 8. & 51. in Cantic. & in 2. sermone de resurrection. & in sermone de 6. tribulationibus, & in libro de diligendo Deo. Hugo de laude caritatis: *Reliqua gratiarũ dona largitur Deus & his, quos reprobat: solam autem caritatem, quasi seipsum, his tantum, quos diligit, in præmium seruat.* Subscripserunt his venerandis fidei nostræ antistitibus Doctores omnes scholastici, quos legi in 3. dist. 36. necnon & illi, qui his temporibus hæreses Lutheranas impugnarunt.

Iacob. 2.

Ioan. 14.

Ex quibus & sanctus Episcopus Roffens. 1. articulo contra Lutherum diserte ait, scripturam plerosq; testari fidem habuisse citra mensuram iustificationis, & articulo 6. compertissimum esse, innumeros accepisse absque dono caritatis prophetiam, notitiam mysteriorum, scientiam rerum, fidem. Quid vero ipse in tam manifestis amplius morabor, cum ea aggredi debeam, de quibus manifesta obumbrare quærunt?

CAP.

CAPVT X.

De Argumentis asserentium Fidem non manere in peccatoribus.

Obiectio. CVR igitur, inquiunt, scriptura sæpissime iustificationem & vitam spiritalem iustorum attribuit fidei? & sancti Doctores nonnunquam illos dicunt non habere fidem, qui fidei præcepta non seruant? Ioan. 6. *Qui credit in me*, ait Christus, *habet vitam æternam*. Et iterum: 11. *Qui credit in me, et amsi mortuus fuerit, viuet*. Et alibi scriptum est, per fidem habitare Christum in cordibus nostris, & purificari corda, & obtineri vitæ æternæ hæreditatem.

Respon. Non ita tamen scriptura & quandoque sancti doctores loquuntur, quia fides sola ad vitam vel iustitiam sufficiat, nec necesse est de fide viua aut formata hæc, sicut plerique putant, exponere. Operari per dilectionem incipit fides, & paulatim perducit homines ad iustitiam, prius saltem natura quam sit formata. Sed causa huiusmodi locutionum est, vt copiose supra lib. 11. cap. 23. & in libro de iustificatione disserui, ipsa virtus & potentia fidei, quæ nisi impediretur, perduceret homines ad iustitiam: atque in ea perpetuo illos seruaret, & eximia illis bona & incrementa iustitiæ passim conciliaret.

Respon. ad Caluin pro cap. 8. Hæc perpende Caluine, & intelliges, non voluisse sanctam Synodum, aut quenquam ex nobis, restringere fidei virtutem, vt tu tibi comminisceris, ad sola iustificationis initia. Est ab illa initium, incrementum, & complementum iustitiæ, & illam nos tibi libenter dabimus, nos inserere Christo triumphatori mundi, atque ideo & victoriam, quæ vicit mundum, à Ioanne nominari. Tantum abstine à verbo, *Solam*, & pax erit. Noli inuidere cæteris virtutibus, noli illis negare suas laudes. Quod cõmune omnibus ipsis author earum voluit, ac sæpe, vt supra lucidissimum fecimus, in scripturis testatus est, noli insolidum vni fidei vendicare, neque tibi vllus repugnabit Catholicus. Non enim sancta Synodus negare voluit fidei esse etiam tribuendos ex parte progressus & consummationem iustitiæ. Quis radici germinationem abroget bonorum fructuum? Quis fundamento domus, gloriam neget vel fastigij? Non tantum dixerunt Patres, si te non pigeat rursus legere, fidem esse humanæ salutis initium, sed fundamentum & radicem omnis iustificationis.

Neque hæc asserentes, alias etiam eximias ipsius prærogatiuas negabant. Sed cum de prima iustificatione agerent, explicare voluerunt causam aliquam ac prærogatiuam ipsius singularem, ob quam merito ei frequentius vita, salus, ac iustitia nostra tribuitur. Et si bene aduertas, verius nos multo & solidius, quam vos, laudamus fidem, cum dicimus, non sola nos fide coniungi Christo, & ipsius dona recipere, sed & operibus aliarum virtutum, quæ & ipsa germinat, & idonea ac potentia ad id obtinendum cum Dei adiutorio facit.

Objici etiam nobis possunt sancti doctores, qui sæpe videntur asserere, non esse fidem in his, qui non seruant præcepta Christi. Obiect. 2. Cyprianus sic de simp. prælat. loquitur: *Cæterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere præcepit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidem non vult seruare mandati? Nutet necesse est. & vagetur spiritu erroris arreptus velut puluis, quem ventus excutit, & ventiletur. Neque ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris via non tenet veritatem. Hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & filij fidem, vitam non tenet & salutem.* Ambrosius epist. 74. propositi gratia affirmat dixisse Apostolum, *Si habuero omnem fidem &c. Neque enim*, ait, *videtur mihi, qui habeat omnem fidem, ita vt montes transferat, caritatem non habere.* Hieron. in com. 6. c. ad Galat expresse ait: *Cum dilectio procul abfuerit, & fides pariter abscedit* Augustinus tract. 49. in Io & Gregor. plane testantur fidem esse animæ vitam. Quod si fides vita est animæ, contradictio aperta videtur eam ponere in peccatoribus, qui sunt Deo mortui.

Verum hæc & similia propterea sancti doctores dicunt, quia languet in peccatoribus fides, & ociosa est ac mortua, nec Respon.

eam sicut Iacobus ostendit, possunt approbare, aut docere se habere ex operibus.

Pulchre Bernardus de præcep. & dis. *Quod probari non potest, mihi infectum est.* Vnde & Cypr. non dicit in loco nobis obiecto, peccatores non habere fidem, sed tantum ait, *Credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere præcepit?*

Respon. ad Cyprian.

Et ne quispiam inde errandi occasionem sumeret, & assereret nullam esse fidem in peccatoribus, ad finem citati libri docet, non quidem abscedere fidem, sed languere, & eneruem effici per peccata.

Quod & Tertullianus de cultu fœmin. his verbis expressit: *Deliciarum mollitia & fluxu fidei virtus effœminatur.* Et Gregorius hom. 29. in Euang. *Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicit. Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, qua in hoc, quod verbo dicit, moribus non contradicit.* Ac statim ex Paulo & Ioanne sic colligit: *Tunc veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus.* Et alibi de peccatore fideli hoc modo loquitur: *Recta quidem sunt, quæ per fidem de conditore intelligit, sed tamen fidei opera contemnit, & ideo incredulitatis arguitur.* Et Bernardus: *Fidem conuincitur non habere perfectam, si negligit. Vera enim & plena fides vniuersa præcepta complectitur.* Nec aliud est, quod ait Theophylactus in illa verba Christi, *Qui non credit, iam iudicatus est: Qui immundam agunt vitam, non vere fideles sunt.*

Tit. 1.

1. Ioan 2.

Ioan. 3.

Atque Ambros. propterea dixit, *Qui habuerit omnem fidem, habere & caritatem: quia,* vt ibi subdit, *omnis fides est, vbi perfectio caritatis:* & ne aliquis crederet ipsum negare, separabilé esse fidem à caritate, ibidem præuiam eam dicit caritatis, & venturæ dilectioni semitas præparare. Et lib. 3. de virginibus: *Tres sunt velut vades Ecclesiæ, fides, spes, caritas. Cum spes præcesserit, fides fundata fuerit, caritas ordinatur.* Et in commen. huius loci Pauli, multo apertius: *Virtutes facere, aut dæmonia per fidem eijcere, Dei virtus & gloria est. Neque hoc ad meritum proficit, nisi quis bonæ conuersationis fuerit æmulus.* Et statim: *Nihil proficit caritate neglecta, quia caput religionis, caritas est: & qui caritatem non habet, vitam non habet. Sine caritate nihil prodest, quia fundamentum religionis, caritas est. Quod ergo sine caritate fit, caducum est.* Et in illa verba, *Sed obseruatio mãdatorum Dei: Fides propicium facit Deum, si bonis operibus approbetur.*

Respon. ad Ambrosi.

1. Cor. 7.

Hieronymus vero, vt antecedentia indicant, de fiducia humana loquitur, quam verum est locum non habere, vbi non est dilectio: quia non fidimus, nisi eis, quos amamus, & à quibus nos amari nobis persuademus. Neque August. propterea dixit fidem esse vitam animæ, quod illa sola animam viuificet, sed quod illa vitæ est initium & radix, ac sine illa nullus viuit, & nisi impediatur, omnia nobis afferet, quæ exiguntur ad vitam. Non enim sibi contrarius fuit, qui sæpe, vt citauimus, asseruit ipsam nihil valere ad vitam, si separata sit à caritate. Quod his verbis exponit Bern. 2. ser. de resurrect. *Fidei vita, caritas: & recedente spiritu, fides moritur.*

Respon. ad Hieron.

Respon. ad August.

Sed instat Caluinus: Si mortua est fides, quæ est in peccatoribus, quomodo vera esse operibus conceditur? Item: Si vera esset, veri essent Christiani, qui fidem vtcunque habent, & tamen perseuerant in peccato. Quomodo igitur Spiritus sanctus falsam eorum Christianismi professionem deridet, ac pro nihilo ducit?

Obiect. 3.

At tamen hæc & in te retorqueri possunt, qui fidem viuam ponis in peccatoribus. Si enim mortua est fides pecccatorum, aut ipsi saltem sunt mortui, quomodo fides eorum est viua? Et si fidem habent viuam, cur falsi Christiani censentur? Nolo tamen litem lite resoluere. Audi paucis Caluine, & intellige: Verum nonnunquam dicitur, quod actu est, ac speciem suam retinet. Et sic Patres veram fidem dixerunt esse in peccatoribus, quia idem omnino vel actus, vel habitus fidei in eis potest residere, qui erat, dum erant in gratia. Alias autem esse verum dicitur, quod vim habet, atque energiam seu efficaciam, & perfectionem, quam iuxta speciem suam potest habere. Quomodo dicimus non esse verum dolorem, qui remissus est: nec veram tempestatem aut amicitiã, quæ modica est. Passimq; & in communi colloquio, & apud graues autho-

Respon. ad Caluin. ad can. 28.

Verum dupliciter accipitur.

authores sic vsurpatum, si aduertamus, inueniemus hoc vocabulum. Et quia hanc perfectionem, quam nata est habere, non habet fides in peccatoribus, sancti Doctores dicunt nonnunquam, fidem eorum non esse plenam, neque perfectam, neque viuidam, neque synceram, neque veram, sed frigidam, elanguidam, eneruem, ac mortuam. Vnde & Chrysost. hom. 42. in Matth. fidem veram, nuptiale dicit esse vestimentum, quod qui habet, non repellitur à conuiuio gloriæ. Quod si Lutherus tantum dixisset, quod in Comment. ad Galat. scripsit, Si vera est fides, & vere filius quis fuerit, non deerit charitas: nunquam ei obuiam issemus. Nam quod sancta Synodus fidem peccatorum, fidem veram appellauit, coacta à vobis vtique fecit, volens eo commodiss. epitheto perspicuam cunctis facere doctrinam Catholicam de identitate fidei informis & formatæ. Ne vero quispiam inde falleretur, aut veri vocabulo putaret eam vsam in secunda significatione, prouide adiecit illud temperamentum, *Licet non sit viua.* Ac vide Caluine sapientiam Synodi, quam plane indicas te non fuisse assecutum. Quanquam fidem peccatorum veram dixit, non tamen dixit eos esse vere Christianos, quia Christianismus fidem & opera, ac plane totam nostram professionem comprehendit. Contentaque fuit eos appellare Christianos. Possunt enim tales appellari à parte Christianismi, quam habent, hoc est, à fide & sacramentis. Qua quidem ex parte non omnino pro nihilo eos ducit sanctitatis spiritus.

Obiect. 4. Potest & aliud argumentum huiusmodi colligi ex Philippo & ex Confess. Augustana: Fiducia acceptationis diuinæ, aut oblatæ vel donatæ misericordiæ per Christum, non est in peccatoribus. Hanc autem solam, aut certe notitiam diuinæ gratiæ quæ hanc habet necessario coniunctam, Euang. & Paulus vocant fidem.

Responsio. Atqui nos non negamus fiduciam istam posse vocari fidem. Nam vt in principio lib. de iustific. abunde docuimus, fides in Scripturis nonnunquam idem est quod fiducia, & credere idem quod confidere. Et si fiducia consequendæ misericordiæ diuinæ, aptissimum est medium ad eam obtinendam. Cum tamen disputamus, an fides maneat in peccatoribus, & an quocunque peccato mortali amittatur, fidem vocamus habitum à Deo infusum ad assentiendum omnibus ab ipso reuelatis, qui & fides Catholica ab Scholasticis communiter vocatur: vel certe assensum intellectus, quo ex Dei gratia omnibus illis indubitato assentimur. Et de hac fide locuti sunt Doctores sancti in testimonijs citatis. Et Basil. particulatim eam sic diffinit: *Fides est assentiens approbatio sine hæsitatione.* Atque ab hac Christianos fideles dicimus: Quia hæc certa animi persuasio de reuelatis à Deo traditis nobis ab Ecclesia, nos ab illis dissepararat, qui sectas alias sequuntur, non autem fiducia misericordiæ diuinæ siue obtentæ, siue obtinendæ. (Basil. de vera & pia fide.)

Neque de alia Paulus & Iacobus loquuntur, cum Paulus ipsi attribuit, vt principio & causæ, iustificationem: & Iacobus eam dicit ad iustitiam non sufficere, nisi & illi adiungantur opera. Neque enim re in tanta varie decebat tantos Apostolos vti vocabulo fidei. Absurdumque est, quæ Christus & Apostoli sui de fide complectente omnia diuinitus reuelata nobis tradiderunt, ad vnam fiduciam diuinæ misericordiæ coarctare. Et Paulus ipse, perinde ac Iacobus, docuit, fidem solam non sufficere ad salutem, cum alibi, tum vero apertissime in illis: *In Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Nam si fides nihil valet, nisi per charitatem operetur, nec ad iustificandum sola sufficiet. Quod si intellexisset Caluinus, non affirmasset intempestiue locum istum adduci, cum de iustificatione agitur. Hæc autem fides, quæ nisi impediatur, per charitatem operatur, est fides, quam dicimus in omnibus esse iustis, nec amitti quocunque peccato lethali, sed sola infidelitate. Nec in paucis dissepararatur ab ea, de qua Protestantes loquuntur. Fides quippe Theologica, initium est iustificationis. Illa vero fides, de qua ipsi agunt, si vt communius dicunt, sit fiducia acceptationis diuinæ, aute (Galat. 5. — Differentiæ 4. fidei à fiducia. Prima.)

næ, aut donatæ misericordiæ propter Christum manifeste posterior est iustificatione, neque medium aut instrumentum, quo
2. eam apprehendimus. Deinde: Ad eam vel fiduciam obtinendæ misericordiæ, opus non est peculiari aliquo habitu virtutis infuso, sicut ad certo credenda, quæ non videntur. Facile quippe est, ita fidere ei, qui iuxta fragilitatẽ suã seruat, aut vult seruare mandata, si quidem firmam fidem in intellectu habeat de misericordiæ diuinæ immensitate, & promissionibus nobis benigne ab eo factis: non autem sic facile est,
3. reuelata nobis tradita credere. Atque hinc sequitur, fidem Theologicam & habitum esse & actum, ac proinde & in dormientibus esse posse, & in non vtentibus ratione. Fiducia vero duntaxat est actus, vel passio ex eo consequens. Cumque fides Theologica in intellectu sit, hæc proculdubio vo-
4. luntati soli conuenit. Verum hoc inter fiduciam & fidem conuenit, quod fiducia, quicquid Protestantes somnient, etiam in peccatoribus esse potest. Siquidem & in infidelibus & in hæreticis esse potest fiducia obtinendæ, vel obtentæ misericordiæ diuinæ. Quare nec si fides accipiatur pro fiducia, recte illi dixerint, eam non esse in peccatoribus. Atque ex his liquidum esse potest, merito Patres in Can. 12. ita statuisse: Si
Obiectio. quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur,
Respon. ad Caluin. pro Can. 12. anathema sit. Et nisi sic rem Caluinum excæcatum malitia & maledicentia sua, mirarer illum scribere, alia ab istis, explicuisse nobis Spiritum sanctum per os Pauli, cum ipse nullum testimonium proferat ex eo, quod non melius exponatur de fide, quam de fiducia. Quin si de fiducia tantum, omnia quæ citat, exponantur, solum inde haberet, eam cooperari nostræ iustificationi, & ad eam esse vtilissimam, quod Patres non negant. Sed vide cæcitatem hominis. Inter alia, vnum citat ex 3. c. ad Ephes. quod plane est pro nobis. Nam cum Paulus ait, in Christo nos habere fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius, clarissime distinguit, sicut S. Synodus, fidem à fiducia. Verum de istis hæc satis. Reuocemus igitur eo dissertationem nostram, vnde huc declinauimus, & distantiam venialium à mortalibus, aliquanto dilucidiorem, si possimus, faciamus.

CAPVT XI.

Venialia, quantumcunque multiplicentur, nunquam æquari vel minimo mortali.

AMBIGET tamen quispiam, an tanta & tam intrinseca sit distantia venialium à mortali, vt etiam multa venialia nunquam æquiualeant vni mortali. Et sunt nonnulli, qui propter nonnulla testimonia D. August. perperam intellecta, perinde de multis minutis peccatis iudicandum esse putant, ac de vno graui delicto. De quorum numero videtur fuisse glossator Decreti, c. Tres sunt. de pœn. d. 1.

Sed Theologi Scholastici certum & indubitatum communiter existimant, venialia nullo numero posse æquari vel minimo mortali. Et eorum sententiam ab omnibus esse acceptandam, sic possumus ostendere: Ex natura sua & intrinseca ratione differunt venialia à mortalibus. Et eorum differentia in moribus plus quam specifica videtur, quia mortalia directe repugnant iustitiæ & amicitiæ diuinæ, non autem venialia. Pœnæ etiam venialium, improportionabiles sunt. Nam pœna mortalium, æterna est: venialium autem, temporalis. Testimonia item Scripturarum iam citata, nullo habito respectu ad numerum, mortale quoduis affirmant mortem & gehennam & exilium perpetuum à vita æterna inducere, nihil autem tale imputant venialibus. Magnaque in caligine versaremur, si facerent multa venialia vnum mortale, & magno profecto essemus in periculo, neque præceptum Domini esset lucidum, sed obscurum valde & perplexum. Quia neque Scriptura, neque Ecclesia, neque Doctorum aliquis expressit hactenus, quis sit ille numerus, ad quem cum peruenirent venialia, dirimunt amicitiam diuinam. Itaque

Nulla venialia adæquant vnum mortale.
Argum. 1.
Argum. 2.
Argum. 3.
Argum. 4.

que semper in dubio & in angustijs perpetuis essemus de statu nostro, etiam nullius mortalis nobis conscij: Longe vero melius nostræ Deus consuluit infirmitati. Ipsum lumen naturale, nisi prorsus fallor, manifestam docet contradictionem implicare, venialia in aliquo numero æquipollere vni mortali. Nam si centesimus, exempli gratia, sit hic numerus, centesimum veniale, mortale erit, & non veniale. Cum primum enim à nobis admissum fuerit, dirimet amicitiam diuinam, quæ ante inter nos & ipsum erat.

Argum. 5.

Obiectio.

Sed Augustinus epist 108. ad Felicianum nobis obijcitur, qui ait: *Illa vtiq; peccata, quæ humana fragilitate, quamuis parua, tamen crebra subrepunt, si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprimerit sicut vnum aliquod graue peccatum.* Et in Psal. 118. *Si aduersus nos colligantur, etsi non singula suis motibus conterunt, omnia tamen aceruo nos obruunt.* Et in illa verba Ioan. *Si confiteamur peccata nostra, &c. Leuia*, inquit *peccata, quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis: expauesce, quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande. Multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam.* Variæ scio, expositiones dantur his verbis, sed illa vera & genuina August. intelligentia est, venialia peccata aliquando opprimere & subruere iustos, & depellere eos ab statu gratiæ, non quidem per se, sed quia dum contemnuntur, & passim admittuntur, pertrahunt eos ad aliquod peccatum mortale, iuxta illud: *Qui contemnit minima, paulatim delinquet.* Et quoad extinctionem feruoris charitatis, & distractionem ab exercitijs spiritalibus, aliquando tantundem videntur facere, ac vnum aliquid graue peccatum. Et hanc esse genuinam Augustini expositionem, docere possunt, quæ de his scripsit c. 3. lib. de pœnitentiæ medicina, & quæ legimus c. 8. lib. de ver. & fal. pœnitentia. Possent etiam tal a esse peccata aliquot venialia, vt cum ad certum aliquem numerum eorum veniretur, statim homo, nullo alio admisso, censeretur esse in mortali. Idque vsu posset venire famulis, qui tametsi nunquam magnam aliquam quantitatem furentur à suis dominis, tamen dum hodie vno in asse eos defraudant, cras in altero, perendie in alio, sic sensim tantam quãtitatem pecuniarum dominorum suorum penes se retinent, quanta si simul caperetur, sufficeret ad mortale. Et quod isti in mortale labantur, cum primum accepta, in eam quantitatem veniunt, licet nullum eorum futurum fuerit mortale: causa est, non quod multa furta venialia exæquentur vni mortali, sed quod ex tunc incipit retineri quantitas pecuniarum aliena, sufficiens ad retentionem mortalem.

1. Ioan. 1

Responsio.

Eccles. 19

CAPVT XII.

De triplici via dignoscendi venialia à mortalibus.

NON satis est monstrasse, quantum intersit inter venialia peccata & mortalia, & quæ sit eorum potissima differentia, nisi etiam vias aliquas aperiamus, quibus possint Catholici quibusuis in rebus agnoscere, quæ sint peccata venialia, & quæ mortalia. Habet hæc res pios viros, & non omnino indoctos, nonnunquam solicitos. Et illos ea solicitudine, quacunque possumus, æquum est, liberemus. Et dum magis, magisque de ea re cogito, illa tria loca, ex quibus distinctionem peccati venialis & mortalis hausimus & communiuimus, tres nobis videntur commodissimæ viæ, quibus illa internoscere & disseparare possimus. Visnosse de aliquo peccato, venialéne sit, an mortale? Recurre ad Scripturas, recurre ad doctrinam Ecclesiæ, recurre ad tuum ipsum lumen naturale. Hæc te certum facient, quale sit & quantum peccatum de quo requiris. Et ex Scripturis quidem dupliciter licet colligere, quod sit peccatum mortale, & quod veniale.

Viæ 3. dignoscendi mortalia à venialibus.

Quæ in Scripturis videris abominabilia dici, execranda, Deo exosa, digna morte, aut causam mortis, mortem inferre, excludere à regno cœlorum, & quibus vel pœnas æternas, vel saltem mortem corporis comminatur, ea indubitato crede peccata esse mortalia: quæ autem leuioribus pœnis castigat, venialia. Et hoc modo colligere possumus ex testimonijs 4. c. citatis, opera omnia

Via 1.

omnia carnis, à Paulo ad Rom.1. & ad Gal. 5. enumerata, & contumelias graues illatas proximo, peccata esse mortalia: verbum vero ociosum, tantum esse veniale. Quoniam illa digna morte, & excludere à regno cœlorum Paulus affirmat: & Christus eiusmodi contumelias, reos facere Gehennæ ignis, tradit: de verbo autem ocioso, multo temperantius & mitius locutus est. Eadem etiam ex regula inferunt Doctores, multa connumerata ab Ezechiele in cap. 18. peccata, esse mortalia, quia & detestanda dicuntur, & abominationes, & Deus requirit illa vitari, vt quis iustus sit, & vita viuat, neque moriatur in iniquitate patris sui. Quod si vno & eodem contextu aliqua peccata enumerari ab Scriptura aduerteris, & tamen quædam affirmari digna esse morte, vel excludere à regno Dei, & de alijs prorsus taceri, eo ipso intellige, illa nobis designari esse mortalia, hæc autem venialia.

Iacob. 1 Qua ratione ex verbis Iacobi ibidem citatis, *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, &c.* tradunt Doctores, concupiscentiam alienæ indeliberatam, nunquam esse lethalem: concupiscentiam vero deliberatam, mortiferam esse. Et eodem argumento vtuntur, vt probent, fornicationem, immunditiam, atque auaritiam, peccata esse mortalia: stultiloquium autem & scurrilitatem, duntaxat venialia. Cum enim Ephes. 5 Paulus ad Ephesios scripsisset: *Fornicatio autem & omnis immunditia & auaritia, neq; nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*: ne omnia simul connumerata, eadem censeretur lege, & venialia confunderentur cum mortalibus, statim adiecit: *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Expressione quippe fornicationis, immunditiæ,* & suppressione stultiloquij & scurrilitatis, docuit illa esse mortalia, & excludere à regno Dei; hæc vero, duntaxat venialia. Porro Scriptura apertius & frequentius explicat, quæ sint peccata mortalia, quam quæ sint venialia. Quia magis nostra intererat hoc nôsse. Sed cum diligenter explicauerit pene omnia lethalia, eadem propomodum omnino ratione, qua de stultiloquio & scurrilitate argumentari vtcunque possumus, non esse de se mortalia, quæ in Scriptura, vt talia, neque reprehenduntur, neque damnantur.

* auaritiæ.

Via 2. Vbi vero nullo ex his modo satis elucerет ex Scripturis, vtrum veniale esset aliquod peccatum, an mortale: recurrendum est ad 2. viam, videlicet ad traditionem Ecclesiæ & Doctorum ipsius. Quæ enim vel Doctores communi consensu tradunt, vt mortalia, vel à pijs & doctis Christianis, vt talia, vitantur, vel certe talia existimantur, proculdubio habenda sunt mortalia: quæ vero vt venialia, censenda quoque ipsa sunt venialia. Non enim in re tanta permittet Spiritus sanctus errare Ecclesiam, quam semper inhabitat & illuminat. Et ea sane communis existimatio, ortum habere à Christo videtur, vel saltem ab Apostolis. Itaque si aliqua peccata communiter creduntur in Ecclesia, non esse necessario confitenda, neque gratiam Dei tollere, immo deleri per aquam benedictam, vel orationem Dominicam, & eis obnoxij admittuntur semper ad sacramenta, vel ex hoc cognoscere debemus ea esse venialia, & si contra contingat, mortalia.

Via 3. S. Tho. 1. 2. q. 88. art. 1. & 2. & ibid. Caiet. Sed & ex ipso lumine naturali dignosci possunt tertio venialia à mortalibus. Atqui hîc non mihi placet via, quam sequuntur aliqui Scholastici, dicentes mortalia peccata esse, quæ sunt circa finem: venialia vero, quæ circa ea, quæ sunt ad finem. Nam & circa finem qui Deus est, contingit peccare venialiter propter indeliberationem, vel imperfectionem offensæ: & circa ea quæ sunt ad finem, sunt omnia peccata mortalia, quæ sunt contra 2. tabulam. Neque arridet illa via, quam alij sequuntur, vt venialia Scot. 2. d. 21 dicantur peccata opposita consilijs, vel ordinationi vtili, sed non necessariæ ad consequendum finem: mortalia vero, quæ opponuntur mandatis, vel ordinationi necessariæ ad consecutionem finis. Nam intermittere consilia, nullum peccatum est, vt supra satis docuimus. Et Deus neque sub venia-

veniali quenquam obligauit ad tendendum optimo modo, quo potest, ad consecutionem finis.

Habent qui has vias tradiderunt suos sequaces qui eos vtcunque tueantur. Neque nos diffitemur, posse eos pie excusari & exponi. Quia tamen non satis explicant difficultatem, quam quærimus, sed augent potius, & difficultates difficultatibus addunt, eas vt parum aptas nostro proposito, missas faciemus. Via igitur ex lumine naturali, quam ab omnibus cuperem notari, & pro dignoscendis his peccatis ob oculos vbique haberi, ista est: Quæ ex directo & grauiter repugnant charitati Dei aut proximi, ea censeantur mortalia: Quæ vero rationi quidem dissonant, & à lege nobis tradita exorbitant, non autem tantopere, vt grauiter lædant charitatem, quam Deo & proximis & nobisipsis debemus, ea existimentur venialia. Et est hæc via valde commoda & conueniens ad distinguendum quacunque in materia peccatum veniale à mortali: quia sicut ex lumine naturali constat, vnam esse magnam iniuriam vel ægritudinem, aliam vero paruam: ita etiam constat, hanc esse grauem offensam, illam autem paruam.

Et ideo hanc viam plerique graues Doctores Scholastici, magnopere & non iniuria nobis commendarunt. In eam quippe videntur omnes sapientes, ipso lumine naturali admoniti, perpetuo consensisse. Et ea crediderim omnes illos fuisse vsos, quotiescunque neque ex Scripturis, neque ex diffinitione Ecclesiæ satis certo scire poterant, qualia essent censenda, & quo in loco & gradu essent reponenda, quæ certo videbant esse peccata: neque tamen vsque adeo grauia, vt verisimile esset, ea impedire vel dirimere amicitiam diuinam. Et hinc nata est duplex distinctio peccati venialis, cuius in 2. cap. meminimus. Neque alio ex fonte manauit doctrina illa communis, qua docemur, circa quæuis præcepta dupliciter posse contingere peccatum veniale, nempe ex surreptione, vel ex paruitate materiæ. Cum enim charitas vinculum sit, quod nos Deo coniungit, ac principium formale spiritalis vitæ, & sicut Paulus dicit, finis præcepti, & charitati Dei aut proximi parum officiat, vel furtum leue, vel percussio parua, vel concupiscentia alienæ vxoris indeliberata, vel motus infidelitatis subitus, sapienter vt certum & indubitatum tradiderunt, hæc non dirimere amicitiam diuinam, neque à Deo auertere, aut à nobis tollere iustitiam.

Tho. 1. 2. q. 88. art. 1. & Caiet. ibi. & in sum. Dur. in 2. d. 42. q. 6

Quamobrem Richard. de S. Vict. in fine tractatûs de differentia venialis à mortali, constanter affirmat, peccatum mortale esse, quod non potest à quoquam committi sine grandi corruptione sui, aut contemptu Dei, aut graui læsione proximi, & reliqua omnia esse venialia. Inspiciat igitur, qui vult bene discriminare venialia à mortalibus, & oculos suos in charitatem conijciat, quæ vna est huic proposito regula & amussis certissima ac aptissima. Et oblata quacunque operatione, aut omissione humana, diligenter aduertat, an illa aduersetur directe charitati, necne. Si non aduersatur, sciat ibi nullum esse peccatum. Si autem aduersari videatur, rursus perpendat, an grauiter, an leuiter. Si grauiter inde lædi charitatem viderit, mortale peccatum ibi subesse agnoscat: si leuiter, veniale.

CAPVT XIII.

Venialia peccata & simpliciter peccata sunt, & contra mandata, imperfectè tamen.

DISTINGVVNT & alij peccata venialia à mortalibus, quod hæc contra mandata sint, illa vero leues quædam culpæ, duntaxat præter ipsa commissæ. Ita sane, vt sicut qui tenetur ire ad alicuius circuli centrum, si paulùlum circa circumferentiam ipsius immoretur, neque progredi dicitur, neque retrocedere, aut contra iter rectum ire, sed præter: ita qui obligati sumus per viam mandatorum ad regnum cœlorum contendere, si peccemus venialiter, neque retrocedere, neque contra vel secundum iter rectum progredi dicamur, sed præter: ac propterea, neq; contra, sed præter, mandata agere. Verum hanc sententiam per-

Thom. 1. 2. q. 88. art. 1. & 2. & sequen. & in sum.

multi Scholastici impugnant, & contra mandata illa esse affirmant. Eorumque sententia communior nunc videtur in scholis.

Et inter has duas vias media alia posset alicui occurrere, nempe vt venialia dicamus esse contra aliqua mandata, non tamen contra principalia legis mandata, quæ absolute hoc nomine talia nuncupamus. Et quanquam quæstio hæc tota prorsus de nomine est, & non de re: (omnia enim quæ hi culpæ veniali deputant, deputant & illi, & è contrario) non ideo tamen negligenda est. Nam & pro illa quæstione communi, an possimus seruare omnia diuina mandata, necessaria videtur. Neque parum refert, quibus quæque verbis loquamur.

Proposit. 1. Peccata venialia proprie sunt peccata. Et decet vbique, vt nostros sermones & Scripturis & sanctorum Patrum verbis attemperemus. Idque vt faciamus, in primis statuendum est, peccata venialia proprie esse & simpliciter peccata. Sunt namque actus mali simpliciter, quippe qui voluntarij & circa materiam indebitam, & à recta ratione deuiant ac dissentiunt, & pœna ac reprehensione digni iure apud omnes censentur. Et absolute concedendum est, non solum propter ea non amari Deum, neque placere nos Deo, sed etiam, quicquid quidam magnus Doctor incaute dixerit, displicere illa Deo, & propterea vere Deum offendi.

Argum. 1. Et sub nomine peccatorum à Christo comprehenduntur, cum dicit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20 Et aliàs non se extenderent ad eorum remissionem claues Sacerdotales, neque confessio eorum esset sacramentalis confessio. Quorum contraria lib. 13. cap. 30. luculenter docuimus.

Argum. 2. Falsum item esset, Ecclesiam instituisse aquam benedictam ad remissionem peccatorum, sed oporteret semper addere, vt vere loqueremur, verbum Venialium.

Argum. 3. Neque Christus dixisset absolute, reddituros esse nos rationem de omni verbo ocioso, si non esset illud simpliciter & absolute peccatum.

Argum. 4. Adde quod & debita absolute vocantur à Doctoribus, & offensæ, & lapsus, vt patebit ex testimonijs infra citandis.

Communiter etiam de illis exponuntur verba Ioannis. *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, &c.* Et nisi ita esset, non fuisset Pelagius à sanctis quibusdam Episcopis cuiusdam Concilij, coactus anathematizare hanc propositionem, Filij Dei non possunt vocari, nisi qui omnino fuerint sine peccato. Nam solos eos filios Dei non vocari, qui sunt sine peccato mortali, verissimum est & apud omnes Catholicos indubitatum. Argum. 5. 1. Ioan. 1

Atque omne mendacium esse peccatum, latissime disputauit Augustinus *libr. de mendacio. & contra mendac.* Et cum in Scriptura legimus, *In multiloquio non deerit peccatum:* necessarium est dicere, peccatum vocari etiam venialem culpam. Nam certe non in omni multiloquio contingunt mortalia peccata. Argum. 6.

Quod si mendacia officiosa vel iocosa, absolute appellantur mendacia: & furta leuia, furta dicuntur: & concupiscentiæ indeliberatæ, concupiscentiæ simpliciter nominantur: cur non etiam peccata leuia, peccata dicentur? Argum. 7.

Ipsa etiam pœna, quæ venialibus ex statuto diuino respondet, admonere omnes potuit, vt faterentur ea esse absolute peccata. Siquidem pœna est simpliciter, ac talis à cunctis prædicatur. Non autem respondet pœna simpliciter, nisi peccatis simpliciter. Nec tamen negauerim, aliquando peccatum in Scriptura pro solis mortalibus accipi. Vt enim & ipse contextus indicat, de solis ipsis loquitur Ioannes, cum dicit: *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Et statim: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Ex eo autem, quod S. Thomas dixit, diuisionem peccati in veniale & mortale, esse diuisionem analogi in analogata, perperàm nonnulli collegerunt eum negare, peccata venialia esse peccata simpliciter. Non enim est peccatum analogum, secundum ipsum, ad peccatum veniale & mortale, sicut homo ad hominem viuum & pictum: sed est ad hæc analogum, sicut omnia quæ communia sunt Deo & creaturis, analogice de Argum. 8. 1. Ioan. 3

eis

eis secundum ipsum dicuntur, & tamen vtrisq; vere & simpliciter conueniunt. Neq; dubitare possum, quin rogatus, an mendacium iocosum esset peccatum, absque vlla distinctione peccatum esse concessisset.

Proposit. 2. Ex hoc autem fundamento perspicue videtur sequi, peccata venialia aduersari legi & mandatis, & contra legem esse, & contra mandata. *Peccatum enim* secundum Aug. 25. contra Faust. *dictum est vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Et vnde ipsa haberent malitiam suam, si non essent offensæ legis, & ab ea exorbitarent? Profectò quæ nulli legi aduersantur, peccata dici non possunt. Nam consilijs non obsequi, peccatum nullum est. Vnde & idem Aug. alibi ait: *Vnde est enim peccatum, nisi quia iustitia contrarium?* Et aliàs: *Peccatum est voluntas faciendi quod iustitia vetat.*

Contra mendacium.

Et Ambros. c. 8. de paradis. *Quid est peccatum nisi præuaricatio legis diuinæ & cælestium inobedientia præceptorum?* Et Bern. de præcept. & disc. *Perfecta non est lex Dei, nisi omnibus aduersetur peccatis.* Cumque ostendisset, Christum ipsum sub nomine trabis & festucæ, & ex ipsa reatuum distantia graues leuesque inobedientiæ culpas discreuisset, subdit: *Porrò omne peccatum, contra Dei mandatum præsumitur.* Nonne etiam Scriptura prohibet omne mendacium his verbis: *Noli velle mentiri omne mendacium?* Nonne omnia furta interdicit, dicens: *Non furaberis?* Nonne omnem liberam concupiscentiam vxoris alienæ, cum ait: *Non concupisces vxorem alterius?* Si ista non negantur lege diuina prohibita, cur negantur esse contra Dei mandata? Annon idem est, esse contra mandata, & esse prohibita?

Eccles. 7

Exod. 20

Insuper: Venialia peccata contra rectam sunt rationem, & ei aduersantur, & contra eam pugnant. Omnis autem recta ratio, cui quis dissentiens, peccat: vim habet legis, vel certe significatio est legis. Erunt igitur & ipsa contra illam legem, quam recta ratio præscribit. Equidem intelligere non possum, peccata venialia esse contra rectam rationem, vel obligantem ad culpam, vel exprimentem legem, quæ ad eam obligat, & tamen non esse contra legem. Sed si sunt contra mandata, quid illis deest, ait Caluinus, vt non censeantur mortalia? Multum sane. Nam mortalia ita grauiter debent aduersari mandatis, vt merito dirimant amicitiam inter nos & Deum. Non enim omnia quæ mandatis præcipiuntur, aut interdicuntur, nobis æqualiter mandantur aut prohibentur, sed quædam arctius, alia leuius: quædam sub culpa mortali, alia vero sub culpa veniali. Rectèque Bernard. de præcept. & disc. ait: *Non pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur: nec pari proinde pœna puniuntur.* Et copiose ostendit, ex qualitate præceptorum, & authoritate & voluntate præcipientium, mensurandam esse inobedientiæ culpam, aut obedientiæ laudem.

Respon. ad Caluin. pro venialibus.

Sic tamen oportet nostros attemperare sermones, vt dicentes venialia peccata esse contra mandata, ne quispiam ansam inde errandi accipiat, explicemus imperfecte esse contra ea, & non perfecte, neque præuaricationes esse, aut criminales eorum transgressiones, vel inobedientias, sed iustos, eis non impedientibus, simpliciter & absolute seruare legem & mandata. Peccata enim venialia non impediunt ingressum ad vitam. Impedirent autem, si propter illa diceremur non seruare mandata, quia non mentitur, qui ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Neque est aliquod peccatum veniale, quod reos nos faciat omnium mandatorum: faceret vero, si hoc esset. Nam vere Iacobus dicit: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Peccata etiam venialia neque Dei, neque proximi dilectioni repugnant: Repugnarent tamen, si præuaricationes essent mandatorum. Verum quippe est illud Pauli: *Plenitudo ergò legis est dilectio.* Et tam leuia sunt apud Deum hæc peccata, vt propterea nemo iniustus, impius, præuaricator, immundus, transgressor, inobediens, aut iniquus iure appellari possit. Nunquam enim talia elogia, neque Scriptura, neque Doctores sancti tribuerunt, nisi illis, qui alicui peccato lethali sunt obnoxij. Vnde & inter ea, quæ coinquinant hominem, sola mortalia peccata Christus recensuit. Et quia Apostoli non videntur liberi à venialibus fuisse, cum instante magistri

Proposit.

Matth. 19

Iacob. 2

Rom. 13

passione, contendebant de primatu, propterea fortassis eis dixit: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Sed quoniam venialia neminem omnino immundum faciunt, testimonium eis suæ munditiæ etiam tum perhibuit, dicens: *Iam vos mundi estis.* Quod si satis essent venialia, vt iniquos & impios nos efficerent, facerent & ex consequenti nos Deo inuisos & exosos. Siquidem Psal. inquit: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et Salomon: *Similiter odio sunt Deo & impius & impietas eius.* Et similis videtur esse ratio de alijs, quæ statim expressimus, nominibus.

Ioan. 13
Ibidem.
Psalm. 5
Sap. 14

Diluitur tacita obiect.

Sed hoc est in quo plerique decipiuntur, & vnde fortassis ad negandum peccata venialia esse absolute peccata, & contra mandata simpliciter, & quidem non omnino sine causa, commouentur. Putant necesse esse, si illa fateamur absolute esse peccata, vt & qui illa operantur, concedamus esse peccatores & iniquos. Et si fateamur absolute ea esse contra mandata, consequens esse, vt & qui illa admiserint, dicantur transgredi mandata, & non obseruare legem. Quæ quidem ab Scripturis longe dissidere, patet ex dictis. Verum hæc non sequi ex his, quæ concessimus, his possumus exemplis facere dilucidum. Non omnis frigiditas denominat subiectum, in quo est frigidum, neque omnis caliditas calidum: sed tunc demum has denominationes suis subiectis huiusmodi qualitates communicant, quando à fortioribus & intensioribus contrarijs non impediuntur. Si frigiditas vt duo, sit in aqua calida vt octo, dicemus quidem aquam illam habere frigiditatem, sed nemo illam dixerit frigidam. Quin omnes eam incunctanter & intrepide appellabimus calidam. Et in moralibus nemo filium inobsequentem recte dixerit, qui leuissima quapiam re, à parentis voluntate declinauerit, cum in omnibus alijs sit obsequentissimus. Nemo perfidum aut irreuerentem iure vocauerit subditum, qui in re parui momenti præter fidelitatem & reuerentiam debitam suo Domino, aliquid commiserit, si quidem in omnibus grauibus rebus sit ei fidelissimus, & eximiè eum reuereatur. Nemo gulosum dixerit aut intemperantem, qui paululum excesserit regulas temperantiæ. Neq; preteriisse quenquam dicimus leges amicitiæ, si in re minutissima ab officio amicis præstando cessauerit. Et ad eundem modum tametsi verum sit, iustos facere & habere peccata, & contra mandata Dei, imperfecte saltem & leuiter operari, cum venialia peccata admittunt, non eousq; tamen ea pertingunt, vt iniquos aut impios eos faciant, vel prohibeant, quo minus iusti dicantur, & obseruatores legis ac mandatorum diuinorum. Impedit iustitia, quæ illis inest, omnes eiusmodi denominationes: leuia quippe sunt omnia peccata venialia, & multis nominibus exuperantur à minima cuiusunq; iusti iustitia, neque impedire queunt, quæ illa communicat iustis elogia, aut contraria, quoad illa permanet, pro eis subijcere. Et tanta est, quam illi exhibent, præceptorum diuinorum obseruantia, vt huiusmodi leuiculæ eorum transgressiones, aut declinationes ab eorum obseruantia, pene nihil sint, neque obstent, quo minus à maioribus & præstantioribus fiat denominatio. Vnde illud proficiscitur, vt non tantum iustos, sanctos, mundos, & factores legis, sed immaculatos & perfectos eos vocet Scriptura, non obstantibus his minutis peccatis. Et Christus, licet non ignorabat neminem hîc viuere sine peccato, mundos tamen asserebat esse aliquos, cum dicebat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ac propterea, sicut explicat Aug. dixit, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*: quoniam qui iam à peccatis mortalibus mundatus est, tantum indiget detergere puluerem venialium peccatorum adhærentem pedibus, i. affectibus nostris, quamdiu sumus in hac vita mortali. Et subscribit ei Bern. in hæc verba: *Lotus est, qui grauia peccata non habet, cuius caput, id est intentio, & manus, id est operatio & conuersatio, munda est, sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quia aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus quam oportet, cedat animus vel ad horam.* Et subdit: *Nec ideò tamen pro eo necesse est nimis esse solicitos. Ignoscit facile, immò &*

Matth. 5
August. in Ioan.
Ioan. 13
Bern. serm in Cœna D.

libenter

libenter Deus, si tantummodo nos agnoscamus. In huiusmodi namque quasi ineuitabili & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hæc ille. Qui doctè ibidem colligit, ablutionem illam pedum, sacramentum fuisse remissionis peccatorum, quæ non sunt ad mortem, quia Petro offerenti manus & caput, responsum est, lotis non esse opus, nisi vt pedes lauent.

Respon ad Caluin. pro cap 11. & canon 1.

Quæ si intellexisset Caluinus, nunquam tam cæcus & tam impudens esset, vt manifesta diceret Patres contradictione teneri, cum asseruerunt possibilia esse iustis mandata, & tamen eos quandoque cadere in peccata venialia. Audi impie, & intellige. Non impediunt venialia, quin iusti dicantur seruare mandata. Quia, vt iam diximus, denominatio fit à potiori. Neque si dixissent Patres, iustos aliquando cadere in peccata lethalia, aduersati fuissent doctrinæ suæ tam traditæ de possibilitate mandatorum. Multa enim possibilia nobis sunt, quæ ob libertatem nostram non facimus. Et si dialecticam nosti, propositio de inesse, non contradicit propositioni de possibili. Tu potius, Caluine, manifesta ibi teneris contradictione. Nam iustos admittere dicis peccata lethalia, neque tum desinere esse iustos. Nec aduertis iustitiam iniustitiæ & iniquitati repugnare, sicut lucem tenebris: neque fieri posse, vt peccata lethalia censeantur, quæ mortem non inferunt, nec iustitiam aut vitam animæ tollunt.

Obiectio.

Dices: Facerent quidem hoc suapte natura, sed non faciunt, quia Deus non imputat.

Responsio.

Cur igitur mortifera peccata dicis, quæ nec imputantur, nec imputata sunt, nec imputari possunt secundùm legem Dei ad mortem? Aut aliqua opera mala Deus sic imputat iustis in mortem, vt propter illa ab eis tollat iustitiam, aut non: Si non, cum Iouiniano sentis, iustos non posse amittere gratiam semel acceptam: Si sic, illa sunt, quæ nos dicimus venialia peccata. Agnosce igitur, perperam te & hæreticè dixisse, omnia opera nostra esse peccata & omnia peccata esse lethalia, & necesse esse pro doctrina & instructione fidelium, ac rectâ scripturarum intelligentia, distinguere inter hæc & illa peccata: & quædam leuia & minuta peccata asserere, cum quibus perseueret iustitia, quæque legis impletioni non derogent: alia grauia & mortifera, quæ iustitiam tollant, & legis sint præuaricatio.

CAPVT XIV.

Non omnia opera nostra mereri pœnas æternas, si remota misericordia iudicentur.

ADEOQVE verum est, peccata mortalia, à venialibus differre, quod mortalia amicitiæ diuinæ repugnent, & obnoxios nos faciant pœnis æternis, non autem venialia: vt vehementer nobis displiceat, quod quidam ex Catholicis concedunt Luthero, peccata venialia digna esse pœnis æternis, si quidem remota misericordia, iudicentur. Sed hoc iniquior fuit Lutherus, quod secutus nescio quem Tolerium, & idipsum asseruit de quibuscunque bonis operibus. Quod & mordicus tuetur Caluinus in cap. 11. & can. 25. vbi sancta hæc Synodus hunc errorem damnauit.

Sed iam tempus apperit, vt perinde ac libro 11. sumus polliciti, errorem hunc subruamus, & doctrinam Patrum, pro virili nostra firmemus. Porro ex multis, quibus possemus reuincere, non omnia opera nostra, mereri pœnas æternas etiamsi remota misericordia iudicentur, præcipua duntaxat & propria huius loci attingemus.

Confirmatio can 25. & Corol. 3. c. 11. contra Luther. & Caluin.

Primo: Multa ex operibus nostris per auxilium & gratiam Dei facta, & bona sunt, & conformia rectæ rationi, ac præceptis ipsius, & digna apud Deum & sapientes cunctos omni laude. Quæ vero eiusmodi sunt, nunquam apud æquum iudicem merentur vel leues pœnas. Vnde & Deus ipse in eis sibi complacet, & fidelitatem nostram & amorem erga se probat, & magnis illa nonnunquam præmijs & commendationibus digna censet. Quomodo igitur ea existimentur apud illum, remota quauis misericordia, digna esse pœnis æternis?

Multa opera nostra pœnas æternas non merentur. Argumen.

Item: Si remota misericordia, omnia opera

Argum. 2.

opera nostra pœnas mererentur æternas, omnia opera nostra nunc actu sunt mortalia & exitialia. Nisi enim essent mortalia, haudquaquam indigerent misericordia, vt non imputarentur tam grauibus pœnis. Concedunt quidem ista Lutherus & Caluinus, tametsi Lutherus sæpe palam dicit, esse aliqua peccata duntaxat venialia. Sed si ita est, eisdem operibus, quibus maxime adnitimur seruare legem Dei, eam perfecte transgredimur, ipsaque lex seruatu est impossibilis, & sibiipsi repugnans. Quo quid dici potest absurdius?

Argum. 3. Cumque aliqua ex nostris operibus bona sint, etiam secundum illos eadem opera simul erunt, idque perfecte, & non tantum imperfecte iustitia & iniquitas, lux & tenebræ, sordes & munditiæ: & eodem tempore seruiret quis perfecte duobus dominis, toto cælo inter se repugnantibus, & contraria ac plane diuersa à suis subditis exigentibus, Christo & Belial, Deo & mundo, carni & spiritui, Domino vero & idolis, quæ manifestissime sunt contra Christum & Paulum. Et iam olim Deus sub pulchra allegoria per Esaiam nos admonuerat hoc esse impossibile, dicens: *Coangustatum est* (Esai. 28.) *stratum ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrunque operire non potest.*

Argum. 4. Sed vrgeamus magis aduersarios. Cur bona opera venia dicitis indigere, & generatim nullum nostrū opus, posse Deo placere absque venia? Si venia indigent bona opera iustorum, sunt igitur, quod plane repugnat, iniustitiæ, & simul stant nihilominus cum gratia. Nam si iniustitiæ non essent, venia non indigerent. Deinde: Nonne aperta est contradictio, eodem momento ignosci aliquod opus, quo peccatum est, & Deum offendit? Si Deum offendit, nondum remittitur. Si remittitur, iam non offendit. Si ergo remissione indigent, prius sunt peccata, & Deum offenderunt lethaliter, & nihilominus, vt pauloante contra te colligebamus, simul aliquis Deum offendit mortaliter, & est iustus.

Argum. 5. Insuper: Nullum peccatum à Deo remittitur, aut non imputatur, nisi ratione alicuius sacramenti, aut operis nostri, quod Deus ad eam remissionem gratis & benigne acceptat. Alioqui, contra doctrina sanctorum, peccata essent impunita. Quando ergo non fit à nobis, nisi vnum bonum opus, si illud venia indiget, vt placeat: certe Deo non placebit, sed erit lethale peccatum, non condonatum simul cum iustitia. Nam propter peccatum, quo offenditur, Deum peccatum ipsum condonare & non imputare, aperta repugnantia est. Quid etiam putemus Deum offendi illis operibus, quæ ad nullam pœnam imputat, aut simul dum fiunt, gratis omnino condonat? Nonne rectius est & magis consentaneum, sentire sic de diuina bonitate, vt legem statuerit, secundum quam nec peccata sint, illa quæ sic gratis absque omni cooperatione nostra condonat?

Denique: Si indigemus venia, vt non (Argum. 6.) imputentur ad pœnas æternas fides nostra, spes nostra, caritas nostra, susceptio baptismi, perpessio martyrij pro confessione Christi: sunt igitur ista omnia contra aliqua præcepta. Nam quæ merentur pœnas æternas, transgressiones sunt præceptorum. Date igitur, contra quod præceptum facio, credendo Deo, sperando in Deo, diligendo Deum supra meipsum, subijciendo me sacramentis propter ipsius præceptum, patiendo denique mortem pro ipsius gloria. Quod si hoc, vt certissimum est, dare non potestis, nisi vniuersam legem Dei peruertatis, & vobisipsis repugnetis, qui sæpe fatemini, hæc esse nobis in præcepto, agnoscite errorem vestrum, qui & hæc, quæ sanctissima sunt, quæque Deus strictissime à nobis requirit, digna esse dicitis, quæ æternis pœnis mulctentur, nisi à Deo misericorditer ignoscantur.

Sed & illud vos deberet à tanto errore (Argum. 7.) reuocare, quod sancta scriptura aliqua opera laudat, & ad similia peragenda excitat, & Deum illa consulere, approbare, præmiare, & nonnunquam præcipere, atque ad ea opere complenda adiuuare plane testatur. Quis autem pius credat scripturam vitijs assentari, aut Deum mala probare, præmiare, vel præcipere, & ad ea homines incitare & adiuuare?

Quid,

Argum. 8. Quid, quod & multa scripturæ testimonia aperte clamant, vt lib. 11. ostendimus, aliqua opera non esse peccata? Inter quæ & illud Petri est satis apertum: *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Sed hic noster Caluinus mirifice dormiuit, ac velut per transennam textum nostri decreti percurrit. Nec aduertit cæcus, ex his verbis intulisse Patres, eorum dogma orthodoxæ religioni aduersari. Atq; ideo illos improbe lusisse dicit, cum sic argumentantur: *Sic currite, vt comprehendatis:* Ergo in bonis sanctorũ operibus nihil est reprehensione dignum.

2. Pet. 1. Lapsus & calumnia Caluini. 1. Cor. 9.

Quanquam nec si ex istis Pauli verbis collegissent, illos rectæ fidei verbis aduersari, inepta aut improbanda esset eiusmodi collectio. Certum quippe est, vt Theologi grauiores & meliores philosophi docent, idem opus non posse esse simul bonum & malum. Quare ex hoc, quod Paulus ibi Corinthios ad aliqua opera extimulabat, & theologice & dialectice inferri potest, multa esse opera sic bona, vt nihil habeant reprehensione dignum. Nam ad mala vas electionis neminem hortabatur.

Pulchre Tertullianus: *Id peccato deputandum, à quo Deus arcet. Vtique bono nisi malum non displiceret quod inter contraria sibi nulla amicitia est.* Et iterum: *Peccatum, nisi malum factum, dici non meretur, nec quisquam benefaciendo delinquit.*

Obiectio. Tua potius ibi deridicula est dialectica & theologia Caluine, qui putas fieri non posse, vt aliquis næuus venia indigens, esset in aliquo opere, quin illud faceret æterna damnatione dignum: quíque hoc argumentum validum putas, Opus nostrum ex perfecto Dei amore nullum proficiscitur, vixque ambulamus, vixque teporem pro ardore afferimus, cum Deus summa contentione festinare præcipiat: Ergo nullum opus nostrum in Dei iudicio est syncerum, aut probum.

Respon. 1. Vnde tam graue iugum nobis esse impositum probare potes, vt semper summa contentione curramus? Nec sub veteri lege Deus, tam grauem seruitutem à quoquam exegit. Et quid Deum dixerim, qui summa semper suauitate & clementia in omnes est vsus? Nec Pharao, nec Dionysius, nec Nero, nec quispiam vel crudelissimus tyrannus, tam iniquus fuit in suos subditos aut seruos.

Deinde: si hoc verum esset, probaret nos in perpetua esse illius præcepti transgressione, nec tamẽ inde inficerentur opera, per quæ iuxta fragilitatem nostram in ipsum tendimus. Respon. 2.

Et vbi inficerentur, venialis posset subesse culpa, ac proinde & leui pœna expianda: nec continuo necesse esset, vt mortis inde reatus, præsertim æternæ, consurgeret. Sed hæc satis nunc tibi. Nam lib. 11. ita copiose hæc omnia enucleauimus, vt neminem adeo iniquum fore putemus, qui, si illa legere dignabitur, non plane videat, & scripturis & lumini naturali vestrum hoc dogma aperte repugnare. Respon. 3.

CAPVT XV.

Venialia peccata natura sua differunt à mortalibus, nec digna sunt æternis pœnis, etiamsi remota misericordia iudicentur.

NON est tamen adeo facile, indigna pœnis æternis monstrare opera, quæ peccata sunt venialia. Nam Catholici, qui dicunt, venialia non differre natura sua à mortalibus, sed tantum ex misericordia diuina: tantundem videntur dicere, ac si aperte dicerent, venialia mereri pœnas æternas, si quidem remota misericordia iudicentur. Et sanctus episcopus & martyr Roffensis expresse hoc concedit Luthero, tantumque eum reprehendit, quod ille omnia opera nostra digna pœna æterna affirmaret. Sed vt supra admonuimus in expositione cap. 11. etiam hoc sancta hæc Synodus aduersari insinuauit orthodoxæ religionis doctrinæ. Art. 32. contra Luth.

Idque non immerito eam censuisse de venialibus ex surreptione aut indeliberatione, perspicuũ est. Tam imperfecta enim peccata sunt, vt neque cum Dei misericordia & bonitate videatur posse stare, vt æternis pœnis illa puniat, tantum abest vt ea ex se cre- Proposit. 1.

ſe credantur mereri pœnas æternas. Profecto apud omnes leuiſſimus haberetur, qui propter tam imperfectas offenſas reſcinderet amicitias: & inhumanus ac crudelis cenſeretur, qui leuiculas adeo culpas, ſeueris & rigidis pœnis mulctaret, nedum æternis. Tantoque longius par eſt exiſtimemus abeſſe à Deo, vt quenquam poſſit deliberato & obſtinato odio proſequi, & ſempiternis cruciatibus mancipare propter indeliberate contra ipſius legem admiſſa, quanto maior eſt & plenior ſumma illa bonitas & immenſa miſericordia omni creaturarum bonitate. Si indeliberate facti, digna non ſunt, neque idonea ſatis ad ineundum vel reſarciendum amicitias, vtque neque iure ad tantam iram prouocare poſſunt.

Propoſit. 2. Argum. 1. Sed & de venialibus ex genere, idipſum valide firmari poteſt. Lumen enim ipſum naturale docere nos videtur, quædam peccata eſſe grauia, & alia leuia, ec prorſus indigna acerbis pœnis. Nec veriſimile eſt, Deum aliter de his cenſere, quam lumen ab ipſo nobis inditum nos edoceat. Certe ex naturali lumine ſcimus, quædam peccata natura ſua repugnare grauiter caritati Dei vel proximi: alia vero, tantum leuiter. Et ſicut homicidium ex ſcintilla rationis nobis impreſſa, grauius eſſe furto nouimus, ita hæc ſic intelligimus grauiora eſſe verbo ocioſo, vt hoc non ſit dignum grauibus pœnis, ſicut facta eſt illa. Nec aliunde apud omnes pene ſub naturali lege viuentes, quibuſque nulla de hoc erat facta reuelatio, mendacium pernicioſum contra proximum, percuſſio grauis ipſius, & grande furtum, ſemper exiſtimata ſunt differre vehementer à mendacio iocoſo, & furto ſeu percuſſione leui, & non hæc, ſed illa: conſtituere homines malos & iniquos. Ac non ſolum viuentes in lege naturali, abſque vllis diuinis ſcripturis, ſed & noſipſi in illis, in quibus nihil ſatis certi haberemus ex ſcripturis, aut traditione Eccleſiæ, hoc vno modo culpas graues à leuibus diſtinguere mus. Nec illi ſane potuiſſent, nec nos poſſemus, præſidio reuelationis diuinæ deſtituti, inter ipſas diſtinguere, niſi eſſent natura ſua illæ diſiunctæ.

Argum. 2. Quod ſi ex natura ipſa differunt graues & leues offenſæ hominum, nec poſſunt leues ex ſe iure dirimere amicitiam: quanto magis hoc eſt credendum de amicitia inter nos & Deum, quæ non eſt minus, ſed magis multo firma, quam quæ eſt inter nos in via?

Argum. 3. Deinde: Non videtur ſpectare ad Deum punitio peccatorum contra ſecundam tabulam, niſi quatenus Legiſlator eſt, & Rector, ac Dominus vniuerſi, neque alia ſaltem ratione illis offenditur, aut ea punit, niſi quia lædunt & offendunt eos, qui ſuæ ſunt curę & ditioni ſubiecti. Quæ igitur natura ſua tantum leuiter offendunt proximos, neque in ordine ad Deum erunt, niſi leues & minutæ offenſæ ac indignæ omnino grauibus apud eum pœnis.

Argum. 4. Præterea: Nulla peccata maiores merentur pœnas, quantumcunque remota miſericordia iudicentur, quam eis ſint lege diuina præſcriptæ. Venialibus autem non ſunt æternæ pœnæ præſcriptæ. Eo enim ipſo eſſent & cenſerentur eſſe mortalia.

Argum. 5. Ad hæc: Lex diuina neque abſtulit, neque variauit legem naturalem. Si ergo diſtinctio venialium à mortalibus, non eſſet ex natura rei, ſicut duo mortalia minora æquiualere poſſunt vni maiori, poſſent aliquot venialia ex natura rei tantam habere malitiam, quantam vnum mortale. Et ex conſequenti cum Deus quoduis mortale impertet pœnis æternis, neque eorum alicui adhibeat miſericordiæ ſuæ temperamentum, vt acerbitatem pœnarum ſibi reſpondentium minuat, neque adhiberet etiam illis venialibus, quæ tantundem habent malitiæ cum natura ſua, quantum illud mortale, itaque & aliquot venialia punirentur nunc pœnis æternis. Quod eſt abſurdum.

Argum. 6. Inſuper: Non omnia peccata ex natura ſua merentur æquales pœnas quo ad intenſionem. Sunt namque quædam natura ſua alijs grauiora. Cur ergo credantur omnia de ſe mereri æternas, hoc eſt, æquales pœnas quo ad extenſionem?

Argum. 7. Amplius: Secundum legem diuinam non merentur venialia pœnas æternas.

Nun-

Nunquam enim Deus talem legem præscripsit. Lex etiam naturalis nullas tales pœnas præsertim pro leuibus delictis deberi agnoscit. Quomodo ergo, si remota misericordia iudicarentur, æternis illa pœnis Deus imputaret? Non nouit profectò Deus punire quenquam supra condignum, sed potius, quæ illius in omnes misericordia est, omnia peccata punit citra condignum, hoc est, infra quam secundum legem naturalem, vel diuinam mererentur. Misericordiæ magis indulgens est, quã seueritatis tenax. *Misericordiã, inquit, volo, non sacrificium.*

Osee 6. Matth. 9. & 12.

Argum. 8. Item: Sicut misericors est Deus ad præmiandum omne bonum, ita iustus est ad puniendum omne malum, quatenus ratio & seueritas legis exposcit. Vt enim Doctores cõmuniter, & nominatim Tertull. Gregor. Bernard & Rich tradunt, nullum malum relinquit impunitum. Si igitur venialia non differrent natura sua à mortalibus, sed ita ipsa, sicut mortalia, digna essent pœnis æternis, Deus illa puniret in æternum, vt seruaretur iustitia, sicut punit etiam omnia mortalia.

Argum. 9. Denique illud nobis hanc sententiam deberet persuadere. Nam ante datam scripturam, non est vnde conuincamus, Deum voluisse punire venialia, iuxta quod ipsa merebantur. Cum igitur omnes Catholici pro certo habeamus, nunquam Deum saltem de per se imputasse, neque imputaturum aliquod peccatum veniale ad pœnas æternas, sicut imputauit mortalia quãtumcunque parua, vel hinc cogimur credere, neque ipsa de se digna esse vel fuisse pœnis æternis.

CAPVT XVI.

De argumentis contra differentiam ex natura rei venialium à mortalibus.

Obiect. 1. ATQVI posset, aiunt, Deus æternis pœnis punire quodcunque peccatum, quod ex genere suo esset veniale. Neque si id faceret, iniuste faceret. Potest enim non remittere, & si non remittat in æternum, potest exigere & * poterit pœnas debitas pro illo. Nam quandiu manet aliqua culpa, potest & repeti pœna ei debita. Et alioqui, vt verissime dicit Sapiens: *Quis ei imputabit, si perierint nationes, quas fecit?* Sap. 12.

* exiget

Obiect. 2. Deinde: Habet de se peccatum quodcunque infinitam malitiam, quia offensa infiniti boni, & tanto aliqua offensa grauior est, quanto est offensa præcellentioris personæ. Et maius malum est quodcunq; malum culpæ, quam omnia mala pœnæ.

Obiect. 3. dist. 22. Præterea: Secundum plerosque Doctores Catholicos, vt Rich. de S. Victore, in tractatu de differentia venialis à mortali, & S. Thomam, & Rich. de Media villa, atque alios in 4. si quis decedat in veniali & mortali peccato, in æternum punietur, non solum pro mortali, sed etiam pro veniali. Nulla enim fiet in inferno remissio. Et vbi semel quis fuerit in inferno, leuius nunquam in æternum habebit.

Obiect. 4. Insuper: Posset Deus auferre gratiam à quocunq; iusto propter minimum peccatum veniale. Quod enim posset gratis, multo magis poterit pro culpa etiam leuissima.

Obiect. 5. Et videtur his concinere Hieronymus, cum dicit: *Haud scio, an leue aliquod sit dicendum peccatum, quo diuina maiestas offenditur.*

Responsio. Aliud est tamen, diffinire quid peccata nostra ex natura sua mereantur: aliud quid Deus circa ipsa vel de nobis statuere possit. Hactenus tantum diximus, venialia de se differre à mortalibus, neque digna esse æternis pœnis. Et his concinit Richard. de S. Victore, in loco statim citato, dicens: *Veniale peccatum est reatus, cui quantum est in se solum, fide mediante, nunquam debetur æterna damnatio: mortale vero est reatus, cui, quantum est in se solũ, semper debetur æterna damnatio.* Quod si Deus, sicut posset, venialia ex genere sub æternis pœnis prohiberet, eo ipso fierent illa mortalia. Et quamuis Deus propter alias causas, aut propter meram voluntatem suam punire nos possit æternaliter, & auferre à nobis suam gratiam, contra bonitatem tamen ipsius esset, vt propter tam leues culpas grauiter à nobis se lædi & offendi existimaret, nosque tam acerbo odio prosequeretur, vt pœnis æternis addiceret. Neque nos primi hoc dicimus; dixerunt & idem alij docti & pij. Et Doctor Subtilis in 4.

In 4. d. 21. q. 1. expreſſe dicit, ſi veniale ſecundum rigorem puniretur vſque ad condignum, omnino iniuſtum eſſe, pœnam æternam cuiquam pro eo infligere, cum de ſe ſit talis offenſa, vt ſufficienter puniatur pœna temporali.

Expo. Hieronym. Hieronymus vero ex eo pientiſſimo affectu loquebatur, quem & ipſe & alij ſancti in Deum gerebant, quo fiebat, vt leuiſſimas nonnunquam culpas multo grauius & acerbius ipſi deflerent, quam nos vel grauiſſimas ſentiamus. Ac, ſi peccatum quodcunque comparetur ad mala pœnæ, vel ad offenſam diuinæ maieſtatis, merito graue malum poteſt dici, & vt tale, debet à nobis haberi, & ſolicite vitari, tametſi, vt confertur ad mortale, leue ſit & improportionabiliter minoribus pœnis dignum. Quare licet ex miſericordia diuina ſit, vt quæ nunc ſunt tantum venialia, non ſint mortalia, nec mereantur pœnas æternas, tamen ex natura rei illa diſtinguuntur à mortalibus. Neque fieri poteſt, vt ipſa venialem duntaxat culpam habentia, imputentur ex ſe pœnis æternis: ſed ſi debeant tantis pœnis imputari, prius debēt fieri mortalia. Quod fit, ſi ſub talibus pœnis prohibeantur.

Excuſatio Cathol. doctorum. Nec Catholicis Doctoribus, dicentibus venialia ex ſola miſericordia diuina differre à mortalibus, tribuere auſim, quod dicit Lutherus, nempe ipſa venialia continentia ſe intra ſuam ſpeciem, ac duntaxat venialem culpam habentia, mereri pœnas æternas, ac digna eis eſſe, ſi remota miſericordia iudicentur. Fortaſſis enim ex ſola miſericordia Dei differentiam iſtam eſſe aſſerebant, quia ex miſericordia ipſius factum eſt, vt non ita nobis rigide prohiberentur. Hoc tamen illi parum aduertiſſe videntur. Non enim quia differunt ex miſericordia diuina, continuo ſequitur, ex ſola illa differre. Neque quia Deus illa poſſet facere mortalia, recte colligitur, non eſſe venialia, niſi ex ſola miſericordia diuina. Quamuis poſſit Deus dare vni hebeti ruſtico tantum ingenium, quantum habet mortalium ſubtiliſſimus: & vni flagri tantum virium, quantum habet robuſtiſſimus [illegible] ideo tamen [illegible] ex miſericordia diuina differre hunc ab illo, & non etiam ex natura ſua.

Quin vero ſi recte & pro dignitate cuncta expendamus, ideo intelligemus Deum nō impoſuiſſe pœnis æternis, quæ nunc ſunt venialia, nec feciſſe vt ea eſſent mortalia, quia ex natura ſua illa differebant à mortalibus, & leuiora ipſis erant. Diſponit quippe ille omnia pro ſua ſumma ſuauitate, & ſingulis quibuſque rebus leges conuenientes earum naturis imponit. Neque naturas rerum, quas condidit, inuertit: neq; diſtinguit, niſi magna ex cauſa, quæ natura ſua ſunt indiſtincta. Quod & in peccatis, quæ ex lege naturali mortalia ſunt, videmus. Quanquam enim fecit Deus nonnulla per legem ſuam prohibita, quæ talia, ex natura ſua non eſſent, tamen in his, quæ naturali lege mala erant, ea permiſit iuxta naturam ſuam eſſe plus vel minus grauia.

CAPVT XVII.

Nullus ſanctorum, excepta Deipara virgine, omnia vitauit peccata.

PRÆTER iam expoſitas peccati venialis & mortalis intrinſecas differentias, eſt & alia communis, paſſim que recepta inter illa diſtantia: nam mortalia poſſunt quidem à iuſtis cum Dei adiutorio, etiam vita tota vitari, atq; à multis vitata ſunt. Venialia vero nemo, niſi ex ſpeciali priuilegio, vitare poteſt. Atq; hoc inter iſta peccata diſcrimen ſancta Synodus diſerte tradidit, cum in hoc capite ſtatuit, mortalia omnia poſſe à quibuſuis iuſtis cum Dei auxilio vitari, venialia vero in Can. 23 diffiniuit non poſſe omnia in tota vita ab aliquo vitari, niſi ex ſpeciali priuilegio. Et pro expoſitione huius tanti horum peccatorum interualli, de poſſibilitate vitandi peccata aliquanto diligentius hic tractabimus. Nam huius implexæ quæſtionis claritas, merito etiam in Catholicis tractatoribus deſideratur: & enodatio ipſius, neceſſaria eſt ad intelligenda multa loca ſcripturæ & ſanctorum, ac ipſum canonem ſtatim citatum. Vt vero difficiliſſimæ quæſtioni [illegible] aliquam hinc dare incipiamus, illud [illegible]

dam

dum est, duo hic esse dubia de possibili, & duo de facto. De possibili quidem, primo an dubium est, an possit aliquis homo sic esse sine peccato, vt nunquam sit, neq; fuerit, neque futurus sit ei obnoxius. Secundo autem quæri potest, an saltem possit homo aliquanto tempore vel momento huius vitæ, esse immunis ab omni peccato. De facto vero primo est dubium, an fuerit aliquis immunis à peccato tota vita: secundo vero, an saltem aliqua vitæ huius particula. Et omnes istæ quæstiones tractari possunt dupliciter, videlicet & per vires liberi arbitrij, & per gratiam. Quæri enim potest, an sit, vel possit esse aliquis homo immunis ab omni peccato per vires liberi arbitrij: & si non, an saltem per gratiam. Et quia nomine peccati, originale, mortale, & veniale comprehenduntur, de omnibus istis differi & disquiri potest.

Proposit. 1. Cum autem ex sacris literis & consensu totius Ecclesiæ Catholicæ liquidum sit, vt in sessione huius Concilij constanter definitum est, neminem communi lege propagatum, excepta Deipara virgine, immunem fuisse à peccato originali, perspicuum est, sicut Augustinus 2. de pec. mer. & re. cap. 20. dicit, neminem nostrum sic potuisse esse immunem ab omni peccato, vt non aliquando ei fuerit obnoxius.

Proposit. 2. Contra vero, de peccato mortali apud omnes Catholicos constat, potuisse quemuis ex nobis immunem esse prorsus ab ipso, ita vt nec sit, neq; fuerit vnquam, neque futurus sit talis culpæ reus.

Proposit. 3. Nec tamen quisquam hoc potuit per solas liberi arbitrij vires, vt Ecclesia Catholica iam olim contra Pelagianos statuit. Quia licet aliqua breui temporis particula, cum nec grauia præcepta sunt implenda, nec graues occurrunt tentationes, possint iam iustificati omnia peccata lethalia vitare per solas naturales vires, ac sic fortassis plerunq; vitauerint, tamen impletio mādatorum, ac victoria grauium tentationum, diuinæ gratiæ auxilium requirit. Sed de peccato originali nunc non agimus, & de mortali accurate libr. 11. disputauimus, & Pelagianos tum ibi, tum libr. 6. & in quæst. de iustificat. abunde expugnauimus. Tantummodo igitur disserendum nobis superest de peccato veniali. Atque vt aperti. ora cuncta sint, primo videbimus, an fuerit per gratiam Dei aliquis mortalium immunis tota vita à peccatis venialibus. Secundo, an per eandem potuerit esse, & possit quispiam aliqua saltem vitæ portiuncula sic esse ab eis immunis, & an fuerit. Tertio, an etiam toto tempore vitæ suæ possint iusti, & potuerint singulas & omnes deuitare culpas veniales: & si sic, cur non faciant, neque fecerint. Neque in primi horum expeditione cunctari oportet.

Proposit. 4. Apud omnes Catholicos constans & indubitatum est, & merito, neminem fuisse, excepta Deipara Virgine, in hac vita, qui toto vitæ suæ decursu omnia effugerit peccata venialia. *Quis erit mundus à sordibus*, quærit Iob, & ipse sibi respondet, (iuxta translationem, quam secuti sunt antiqui Doctores, & nominatim Cyprianus, Ambrosius, August. Gregor. & alij.) *Nemo, neq; si vnius diei fuerit vita eius super terram.* Iob. 14. Et Dauid generatim dicit, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psalm. 142. Et alibi: *Pro hac*, scilicet impietate peccati, *orabit ad te omnis sanctus.* 31. Non ait, omnis peccator: sed, *omnis sanctus*, inquit August. 2. de pecc. me. & re. c. 7. Vox enim sanctorum est, *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, &c.* Et Salomon ait: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Eccles. 7. Notissimaque sunt illa Apostolorum, *In multis offendimus omnes. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Iacob. 3. 1. Ioan. 1. Et quis est, cui non fuerit necessarium vnquam in vita dicere particulam illam orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra?* Matth. 6. Magnum item argumentum pro his omnibus est, quod si vitam dispiciamus omnium Sanctorum, qui in Scriptura mirifice laudantur, neminem inter eos omnino inueniemus, qui non velut in pulchro corpore aliquem næuum, vel verrucam peccati habuerit. Incipiamus ab antiquioribus. Non enim accusare volumus iustos, sed imbecillitatem humanam, & misericordiam Dei in omnes diffusam & omnibus expositā, ostendere. Equidem *Enoch*, teste Ecclesiastico,

Eccles. 44. stico, *placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus sapientiam.* Veruntamen quia in Genesi scribitur placuisse Deo, postquam genuit Mathusalem, non sine causa collegit Basilius homil. 57. aliquanto ante tempore non placuisse. Idemque ait, magnum illum fidei parentem Abraham, alicubi fuisse incredulum. Neq; immerito: Siquidē & cum Deus ei primo promisit Isaac, quanquam cecidit in faciem, tamen risit in corde suo, dicens: *Putas ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?*

Hieron. 1. in Pelag. Vnde Hieronymus de illo & Sara ita loquitur: *Arguuntur in risu, & ipsa cogitatio, quasi pars infidelitatis, reprehenditur. Veruntamen non ex eo, quod riserunt, diffidentiæ condemnantur: sed ex eo quod postea crediderunt, iustitiæ palmam acceperunt.* Magnum insuper testimonium perhibet scriptura Noe, Danieli, & Iob, quos solos in Ezechiele dicit ab imminente quadam ira Dei posse liberari. Et tamen Noe subrepsit ebrietas, quæ peccatum est. Ac Daniel aperte dicit orasse se Dominum, & confessum peccata sua & populi sui. Iob item & ab scriptura, & ab ipso Deo magnifice laudatus est, quasi simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo, idque non vtcunque, sed ita, vt nullus iustorum, qui tum erant in terra, ei esset æquandus, sicut recte ex verbis Dei ad Satan collegit Augustinus 2. de pec. me. & re. cap. 13.

Quanquam vero singulare fuit patientiæ, innocentiæ, & totius sanctitatis exemplum, & horrendas tribulationes & tentationes, non propter sua peccata, sed propter ipsius perficiendam & demonstrandam iustitiam, à Deo illatas, admirabili patientia pertulit: tamen vt Augustinus & Gregorius, ipsius laudum eximij buccinatores, fatentur, culpa veniali non caruit. Cui rei & illa satis idoneum argumentum præstant, quæ ipsæ veracissimus iustitiæ

Iob, 7. cultor fatetur: *Peccaui, inquit: Quid faciam tibi ô custos hominum?* Et rursus increpatus à Domino, & mira humanitate iussus, vt pro se, si posset, responderet, vere & absque vlla circuitione respondet: se leuiter locutum fuisse, videlicet, cum dixit: *Et innocentem & impium ipse consumit. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* 19. 9.
Vnde & scriptura velut cauens, ne tantam innocentiam quispiam illi tribueret, vt omnem semper culpam vitasse existimaret, non dixit, non peccasse Iob, sed duntaxat, non peccasse in omnibus illis, quæ passus est, donec vxori suæ respondit: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* 1 & 2.

Moses dilectus Deo & hominibus, & mitissimus super omnes habitantes in terra, hæsitauit nonnihil de promissione Domini, cum percussit virga bis silicem, vt educeret ex eo aquam populo penuria ipsius grauato, & Domino Deo displicuit illa dubitatio: & eam notauit, ait Augustinus cap. 1. de vtilitate pænit. non solum arguendo, sed etiam vindicando. Vnde & statim ei dixit & Aaroni: *Quoniam non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* Quid tamen dixerit, vel obmurmurauerit, aut fecerit Moyses, in quo istam incredulitatem ostenderit, non satis certum est, quia, vt notauit Basilius 1. hom. 57. non expressit scriptura, & ex textu ipso recte colligit Augustinus de vtilitate pænit. non propterea perdidisse Moysen gratiam, quam habebat apud Deum.

Magnas etiam laudes pietatis & innocentiæ Samuelis, scriptura veracissima prædicat. Et tamen, sicut dicit Augustinus 2. de peccat. me. & re. cap. 16 nec illum, neque Moysen, neque Aaronem omni culpa vacasse, satis Dauid indicauit, dicens de eis: *Tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* In filios quippe damnationis, sicut subiungit Augustinus, vindicat iratus: in filios autem gratiæ vindicat propitius: & nulla vindicta, nulla correctio, nullum Dei flagellum debetur, nisi peccato.

Eminenti insuper iustitia claruerunt Zacharias & Elizabeth, de quibus Lucas ait: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mādatis & iustificationibus Domini sine querela.* Veruntamen & Zachariam non omnino culpa vacasse Gabriel ostendit,

cum

cum ei dixit: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, &c.* Et ex Paulo idem ipsum reuinci potest, quippe qui solum Christum dicit non habuisse necessitatem quotidie, quemadmodum & Sacerdotes prius, pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.

Aliudque est, sicut bene notarunt Patres Concilij Mileuitani in epist. ad Innocentium, incedere sine peccato: aliud, incedere sine querela. Nam qui sic viuit, vt nemo de ipso queri, vel reprehendere illum possit, sine querela incedit, tametsi nonnulla quandoque ob fragilitatem humanam ei subrepant leuia & minuta peccata: Quia in querelam non veniunt, nisi grauia peccata.

Quid vero necesse est per alia exempla Sanctorum discurrere, cum ipsa illa mundi luminaria, & sal terræ, Apostoli videlicet, qui primitias spiritûs acceperunt, & vt libro 11. ostendimus, longo interuallo cunctos mortales antecelluerunt, in multis confessi fuerint se offendisse? Vide vero vt & ista magno consensu docuit semper Ecclesia Catholica. Tertullianus 2. in Marc. sapienter ostendit Marcioni, non ex ignorantia futurorum, nec ex mobilitate animi Deum aliquos elegisse, quos postea reprobauit, vt Salomonem, & Saulem, quem Spiritu sancto dicit vnxisse, & optimum ex filijs Israel, dignissime regem constituisse: sed quia nihil tam bono & iusto iudici conuenit, quam pro præsentibus & reijcere, & eligere. Et inter alia subdit: *Aut quis hominum sine delicto, vt eum semper eligeret, quem nunquam posset recusare? vel quis item sine aliquo bono opere, vt eum Deus semper recusaret, quem nunquam posset eligere?* Cyprianus neminem sine sorde, & sine peccato esse, ex Iob, Dauide, & Ioanne probat lib 3. ad Quirinum, tit. 54. Hilar. in illa verba, *Spreuisti omnes discedentes à iustitijs tuis: Si Deus peccatores sperneret, omnes sperneret, quia sine peccato nemo est.* Hieron. in Ionam ostendens, non iniuste Niniuitas indixisse ieiunium maioribus & minoribus, ita scribit: *Maior etas incipit, & vsque ad minorem peruenit. Nullus enim absque peccato, neque si vnius quidem diei fuerit vita eius, & innumerabiles anni vitæ illius. Si enim stella mundæ non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis & putredo, & hi qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxij?* Et q. 8. ad Algasiam. *Authoritatem sequimur Scripturarum, quod nullus homo sit absque peccato.* Aug. 2. de pec. mer. & re. c. 14. & 13. *Quicunque in hac vita diuinarum Scripturarum testimonijs in bona voluntate atque actibus iustitiæ prædicati sunt, & quicunque tales vel post eos fuerunt, vel nunc vsque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes iusti, omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: nec quisquam eorum tam arroganter insanit, vt non sibi pro suis qualibuscunque peccatis Dominica oratione opus esse arbitretur.* Et 1. Retract. cap 33 expresse: *Nemo ita seruat mandata iustitiæ, vt non sit ei necessarium pro suis peccatis orando dicere, Dimitte nobis debita nostra.* Quam orationem in epist. 59. ab vniuersa dici Ecclesia testatur, & c. 17. libr. 1. Retract addit, dicendam esse ab ea vsque in finem seculi. Vnde & de bono perseu. cap. 2. inter tria dogmata, quæ aduersus Pelagium, Catholicam ait defendere Ecclesiam, secundum est, *In quantacunque iustitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere.*

Psal. 118 — Mat. 6 — Ion. 3 — Iac. 3

Basilius hom. 58. *Vtilissimus est sermo de pœnitentia hominibus, quia nemo sine peccato est.* Gennadius de Eccles. dogm. cap. 49. *Nullus sanctus vel iustus caret peccato, nec tamen desinit esse sanctus.* Gregorius 18. Mor. cap. 4. inquirit, quemadmodum Iob asseruerit, nunquam se à corde suo fuisse reprehensum, cum prius se accusauerit, dicens: *Peccaui.* Vel certe, *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Atque ipse sibi respondet hoc modo: *Sed sciendum est, quod sunt peccata quæ à iustis vitari possunt, & sunt nonnulla, quæ etiam à iustis vitari non possunt, &c.* Ac primi generis esse ait, *praua cogitare*: secundi vero, *eisdem consentire.* & subdit: *Rectè ergò is, qui peccatorem se confessus est, nequaquam se à suo corde reprehendi confitetur: quia & si qua illicita fortasse cogitando, defuit aliquando rectitudini, forti tamen mentis certamine restitit cogitationi.* Et 31. Mor. cap. 1. in illa, *Quia leuiter locutus sum, &c.* ita scribit: *Quis verò inueniri potest, qui quamlibet perfectus sit, de ocioso tamen sermone non peccet?* Idque probat testimonijs Iacobi: *In multis offendimus omnes: Linguam hominum nullus domare po-*

test. Pariaque Bernardus de præcept & disp. tradit his verbis: *Ergone ita perfectus quispiam inuenitur, cui non vel minimum aliquid interdum subripiatur de tam multis ac minutis, quæ passim vel negligentibus imperantur? Minimè quidem cuiquam hoc ego dederim, cum ipsi quoq; de se fateantur Apostoli. In multis offendimus omnes. Etsi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Obiectio. Dicet quispiam: Quomodo ergo Dauid dicit, *Beati immaculati in via:* (Psalm. 118) & Christus, *Beati mundo corde,* (Matth. 5) si nullus est, qui in vniuersum vitet in hac vita peccata venialia? Annon illa commaculant hominem?

Respon. Commaculant quidem nonnihil & coinquinant venialia iustos. Siquidem & quoduis peccatum aliqua est mentis macula: Quare Greg. 21. Mor. c. 9. crimina dicit animam extinguere, cætera vero peccata tantum polluere. Sed vt supra disseruimus, ea macula, quam venialia peccata nobis accersunt, adeo leuis est & exigua, vt non sit satis ad denominandum aliquos simpliciter & absolute maculatos & immundos. Atque ideo iusti, quamuis in aliqua incurrant minuta peccata, elogium tamen immaculatorum, & eorum qui mundi sunt, corde non amittunt. Vnde & Dauid adiecit, *qui ambulant in lege Domini*, vt intelligeremus, omnes se iustos appellasse beatos, & non eos solos, qui etiam leuissima peccata deuitant. Omnes quippe iusti in lege Domini ambulant, etiamsi aliquando ob fragilitatem humanam venialiter peccent. Et (Matth. 5) cum Christus post illa verba, *Beati mundo corde*, statim addidit, *quoniam ipsi Deum videbunt:* satis indicauit, illa peccata non prohibere munditiam cordis, quæ non vetant, quominus aliquando videatur Deus. Qualia quidem sunt venialia peccata.

Vnde Aug. de perfe. iust. resp. 17. *Ingredi autem sine macula non absurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atq; ipsa peccata venialia non negligens emundare eleemosynis.* Et aliquanto inferius: *Aliud est, esse sine peccato, quod de solo vnigenito in hac vita dictum est: aliud, esse sine querela, quod de multis iustis etiam in hac vita dici potuit: Quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conuersatione iusta querela esse non possit.* Et aliquanto post: *Legitur homo sine crimine, legitur sine querela: at non legitur sine peccato, nisi filius hominis vnus, idemq; Dei filius vnicus.* Et tractans illa verba Apostoli. *Vt simus sancti & immaculati:* (Ephes. 1) *Hoc agitur*, subdit ibidem, *vt hoc simus, si immaculati intelligendi sunt, qui omninò sine peccato sunt.* Si autem immaculati sunt, qui sunt sine crimine, etiam in hac vita fuisse, atque esse negare non possumus: Quia non ideo sine vllo peccato est aliquis, quia non habet maculam criminis. Vnde & Apostolus cum ministros eligeret ordinandos, non ait: Si quis sine peccato, quod inuenire non posset, sed ait: *Si quis sine crimine quod vtiq; posset.* (1. Tim. 3) Cui subscripsit Gregor. 21. Mor. cap. 9. in hæc verba: *In hac vita multi sine crimine, nullus verò esse sine peccatis valet.* Et in hunc sensum accipi debent, quæ Hieronymus 2. cont. Pelag. huic argumento respondet: Cum enim Pelagius ex his verbis Christi & Dauidis niteretur approbare, posse homines esse sine peccato, respondet hæc exposuisse Apostolum, cum dixit: *Ex parte nunc cognoscimus, & ex parte prophetamus.* (1. Cor. 13) *Cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Et causam explicans, subdit: *Mundum namq; & immaculatum cor duntaxat ex parte & in vmbra & imagine in hac vita possidemus: Videlicet, quia licet liberi possimus esse à maculis grauibus & lethalibus, nunquam tamen sic sanctè & perfectè viuemus, vt non aliquando in aliquas leues & veniales culpas incidamus. Eoq; fiet, vt non omninò immaculati simus, & mundi corde in hac vita.* Et alibi sic tractat illud. *Si iustus vix saluabitur:* (1. Pet. 4) *Certè iustus est, qui in die iudicij vix saluatur. Saluaretur autem facilè si nihil haberet maculæ. Ergo iustus est in eo, quod floret virtutibus: & vix saluatur in eo, quod in quibusdam Dei indiget misericordia.* Quanquam autem citata testimonia hæc Sanctorum, & argumenta quæ fecimus, indubitatum videntur facere, neminem in hac vita omnia vitasse peccata venialia, tamen ne temerarij simus in inurenda hæreseos nota, si qui forte aliquando fuerint, qui contrarium dicere ausint, sicut Pelagius tempore Augustini audebat, notanda est

Augu-

Augustini moderatio & prudentia. Qui quanquam hoc magno argumentorum multis ne lib. de natura & gratia contra Pelagium contendit, & in de spiritu & lit. cap. 2. testimonijs Scripturarum definitum ait, putare, nullum inueniri absque peccato, tamen mox subdit, multum errare, neque perniciose, si quis credat aliquem talem esse aut fuisse, modo seipsum talem esse non putet, nisi re uera ac liquido talem se esse perspexerit. Quin & illi non solum non aduersandum, sed & plurimum gratulandum esse asseuerat, qui ostenderit aliquem vel aliquos hîc vixisse sine peccato, & testimonia Scripturarum allata in contrarium, aliter esse accipienda, quam sonant. Atque ibidem & aliàs non semel, illis solis acerrime & vehementissime resistendum esse scribit, qui putant sine adiutorio Dei per seipsam voluntatem nostram posse iustitiam vel perficere, vel ad eam tenendam proficere.

Epist. 95. & lib. cont. Pelag.

CAPVT XVIII.

Beatissima Dei mater ne minimum quidem vnquam admisit peccatum.

SVMMO vero iure S. Synodus Can. 23. Deiparam Virginem, ab hac doctrina, qua neminem dicimus hîc vixisse sine peccato, ac plane asseruit Ecclesiam tenere, speciali priuilegio illam vitasse omnia & singula peccata venialia. Debebatur hæc laus innocentissimæ illius vitæ, & plenitudini gratiæ, quam, teste Gabriele, apud Deum inuenit. Atque amor, quo vnicè à Deo dilecta est, & supra omnes exaltata, & vnigeniti filij sui Domini nostri sublimitas & sanctitas, ac mirifica sollicitudo, quam nostri apud Deum gerit, & singulare patrocinium, quo Ecclesiam semper adiuuat ad omnes interimendas hæreses, iam pridem diserte & clare hanc prærogatiuam ei tribui à sacris Concilijs flagitabant. Nec scio Catholicum Doctorem, qui non illi hanc gloriam ex animo vendicauerit, præter vnum Gregor. Ariminensem, qui in 2. Sent. coactus quodam Augustini testimonio, quia in originali illam conceptam asseruerat, asseruit & aliquando admisisse venialia: sed & ipse mox eam sententiam reuocauit, quia vidit, vt ait, communi Sanctorum doctrinæ illam obuiare.

Verum Caluinus ita pius est in gloriosam Virginem, & in alios Dei sanctos, vt ne hic quidem S. Synodo parcere potuerit. In Antidoto 29. Can. sic scribit: *De speciali Virginis Mariæ priuilegio, cum cœleste diploma protulerint credemus quod iactant.* Atque vt videant, qui ab eo sunt seducti, quem magistrum hac in parte sectentur, impia & maledicentissima verba, quæ his adiungit, subijciam. Vbi Augustin. Ambr. & Chrysost. in fauorem aduersæ nobis sententiæ perperam allegasset, subdit: *Quæ omnia non in alium finem commemoro, quam vt intelligant lectores, nullum esse tam nugatorium figmentum, quod inter fidei dogmata ab istis asinis non censeatur.*

Caluini impietas in B. Virginem.

Quis iam queat tantam impietatem & procacitatem patienter ferre? Docendi magis, quam respondendi, studio hactenus cum illo certaui. Sed nunc omnis vincitur patientia suorum malignitate verborum. Quæ te rabies impie exagitat? quis furor? quæ vesania? Non satis erat monachos de religione optime meritos, singulis pagellis, vt facis, diffamare, ac ludibrio exponere? non satis erat calamum impudenter distrinxisse in aliquot nominatim Episcopos pios, doctos, disertos, ac perinde venerandos? O cæcum furorem, & mentem in proprium exitium vesanam! In cœlum os ponis? Ad iniuriam Virginis, quam omnes laudant, rabiem tuam confers? Contra ipsam Dei Ecclesiam arma sumis? Pulchram vt luna, electam vt sol, terribilem vt castrorum acies ordinata, subsannare, deridere, & infamibus elogijs passim notare audes? Anathemata illius, ipsis tartareis potestatibus formidanda, cassa & irrita, ac fulgetra, & puerorum terriculamenta appellas? Taceo nunc de Virgine, cuius gloriam, dum nefario ore polluis, teipsum condemnas, atque inuisum cunctis facis, pro Ecclesia Dei primum tibi hæc pauca respondebo. In quos putas, perinde, te certare, cum in Synodum Tridentinam scribis? Nonne in Christos & Sacerdotes

Inuectio in Caluinum.

Domi-

Authoritas apostolorum. Domini? Nonne in regni cœlorum Clauigeros? Nonne in Pastores Dominici gregis? Nonne in ipsos Vicarios Christi? Derisio illorum, derisio est patris cœlestis, qui illos in tantæ culmen dignitatis prouexit. Subsanna io illorum, subsannatio est Spiritus sancti, quo sunt spiritaliter vncti. Opprobrium & contemptus illorum, opprobrium & ludibrium est Christi, qui illos sibi in Vicarios substituit. *Qui vos audit*, Luc. 10 inquit, *me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et dum illos in te prouocas, omnium irritas iram & indignationem Regum & Principum Christianorum, qui protectores sunt & defensores sacrorum Conciliorum, & vel sua præsentia, vel clarissimis suis Oratoribus illa semper exornarunt. Et quid dico illorum te iram prouocare? Distringis nimirum & eorum in te gladios, & curiam ipsam cœlestem, quæ mater nostra est, & multorum millium angelorum frequentia nos illustrat, ac protegit, & ipsum Spiritum sanctum præsidem & rectorem Conciliorum, in te accendis. Equidem te, vt pro gloria Dei cum stomacho loquar, nec responsione dignum oportebat facere, sed ad radices infructuosæ arboris Euangelij securis admouenda fuerat, & cum infœcunditate foliorum tradendus eras flammis, vt disceres saltem reticere, qui pie loqui nunquam didicisti. Quando vero Deus propter immensam suam clementiam & longanimitatem te adhuc patienter expectat, & propter iniuriam temporis digna de te sumere supplicia, nondum inuictissimo nostro Imperatori licuit, ne venenata tua lingua interim impune quodlibet deblateret, & incautos aliquos decipiat: laudem matris Dei hac in parte, quæ nobis ex suscepto munere incumbit, pro tenuitate nostra Mater Dei, socia Christi. tueri aggrediar. Nam in eo, quod nec sociam illam Christi, & ei in cœlo assidentem pati potes, optime tibi respondet, ac palàm ostendit pius valde iuxta ac doctus Ioannes Cochlæus, toto te cœlo errare. Quis fidelis nesciat socios Christo futuros in consolatione, qui fuerunt in tribulatione, & omnes Christianos, teste Paulo, in societatem ipsius vocatos esse, ac, si sustineamus, cum Christo etiam regnaturos? Sed te miser ista fugiunt, quæ ne imperiti quidem & illiterati inter fideles ignorant: quia fonte veræ Theologiæ, Parisiensi videlicet Gymnasio, deserto, ad putidissimas & cœno oblitas Lutheri & ipsorum sectatorum lacunas, perfidus & perfuga te contulisti. Ne vero dum innocentiam singularem Deiparæ virginis ostendimus, calumnieris & clamites, quæ pro te faciant, à nobis esse dissimulata, & sententiam tuam non idoneis argumentis, sed lubrica disputatione conuulsam: eisdem, quibus ingrederis vestigijs, impietatem tuam persequar, & quibus in nos vteris testimonijs, te reuincam. Ita intelliges potuisse te legere, quæ scripta sunt: & non potuisse, quæ pietate roborata sunt, cognoscere. Ecclesiam, ais, quid appellant nisi Concilium Claromon.? At ego, vt ingenue fatear me nescire, quod nescio, nec in Concilio Claromon. statutum esse scio B. Virginem caruisse peccato veniali. Nam Concilium hoc nunquam legi, nec in libr. Conciliorum habetur. Tantumque memini in Basil. Conc. definitum legisse, caruisse illam omni peccato etiam originali. Neque opus sane est, hoc olim scriptis definisse Ecclesiam, vt vere dixerit nostra Synodus, Ecclesiam tenere hoc virginis priuilegium. Sed satis est, si id, vt certum & indubitatum semper crediderit maxima & præcipua pars Ecclesiæ. Non illa sola tenet Ecclesia, quæ certis & scriptis Canonibus definita sunt à summis Pontificibus & generalibus Concilijs. Quin vero & omnia, quæ ab eis statuta sunt, prius vt certa tenebantur ab Ecclesia, & quia tali & tanta certitudine ab ea tenebantur, scriptis mandatum est, vt ab omnibus Catholicis tota mentis deuotione susciperentur, & crederentur. Si tamen, vt innuis, in Concilio Claromontano hæc veritas stabilita est, inde maior tua conuincitur impietas, qui non tantum Tridentino, sed & Claromontano resistis, quod velut Patrum tuorum ornamentum debebas tueri. Quantum hîc degeneras Caluine ab illustri & Christianiss. Gallorum tuorum natione? Illi pro sua singulari pietate ne conceptam quidem in originali peccato pati

Obiectio Caluini. Responsio.

pati possunt, tu etiam veniali peccato obnoxiam facis. Illi nec aliena culpa defœdari eam patiuntur: tu etiam propria & ab ea sponte sua commissa eam coinquinas. Sed si à Claromontano Concilio hoc definitum est, & Concilium illud fuit generale, vt videtur, quia in eo præfuit Vrbanus secundus, ac nonnulla ad vniuersam ecclesiam spectantia statui curauit: cur non vis, vt quæ ab eo definita sunt, dicamus ab ecclesia teneri? Nonne Concilia generalia, vt definitum est in Concilio Constantiensi, ecclesiā vniuersalem repræsentant? Si proceres & maiores alicuius regni vel ciuitatis, dum authoritate sui principis legitime cōgregantur, totum regnum vel ciuitatem repræsentant, & quæ ab illis statuuntur, statuta regni vel ciuitatis censentur: qui potes negare, concilia generalia, in quæ prælati & maiores ecclesiæ authoritate summi Pōtificis conueniunt, ecclesiam vniuersam repræsentare, & ea dici debere ab ecclesia teneri, quæ ab illis fuerint in fide saltem stabilita?

Obiect. 2. Caluini. Sed addis: Ecclesiæ certe membrū erat Augustinus qui tametsi amoliendæ inuidiæ causa, mauult alicubi de beata virgine si ere, passim tamen sine eius exceptione totum Adæ genus peccato inuoluit, Quin etiam prope disertis verbis eam in peccatorum ordinem aggregat, cum ad Marcellinum scribens, multum eos errare tradit, qui vlli sanctorum, præterquam vni Christo, necessariam fuisse hanc deprecationem negant, *Dimitte nobis debita nostra.*

Quid hic dignū tantæ isti tuæ imposturæ respondere queam? Audi impie. Non solum non siluit de hoc Augustinus, non solum non eam vnquā in peccatorum ordinem aggregauit, sed manifestissimis ac clarissimis verbis asseruit nos scire, eam ne minimum quidem admisisse vnquam peccatum. Nam cum Pelagius, te certe hac in parte magis pius, post aliquot sanctos & sanctas veteris Testamenti, quos contendebat fuisse sine peccato, tandem subiecisset, necesse esse pietati, confiteri Dei matrē nullum habuisse peccatum: Augustinus de na. & gra. c. 36. de alijs omnibus negat, & de sola ipsa apertissime id concedit in hæc verba: *Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac meruit, quem constat nullū habuisse peccatum. Hac ergo virgine excepta, si omnes sanctos & sanctas cōgregare possemus & cæt. vna voce clamassent, Si dixerimus q a peccatū nō habemus, ipsi nos seducimus.* 1. Ioan. 1.

(Responsio.)

Profecto his verbis non solum veritatē, quam tuemur, professus est Augustinus, sed illam notam esse & indubitatam fidelibus aperuit, ac tela nobis suppeditauit, quibus tuam impietatē reuincerimus. Ad vincendum omni ex parte peccatum, & non tantum ad vitandum, plus ei gratiæ quam cæteris collatum dicit: vt intelligas non tātum vitasse illam omnia peccata, sed & plane de illis triumphasse, ac nouis semper victorijs & incrementis gratiarum illustratā fuisse & ornatam. Et se scire hoc dixit, ne tu aut figmentum, aut opinionem humanam hoc putares. Nec subticuit, vnde id sciret. *Quia concipere*, inquit, *& parte meruit, quem cōstat nullum habuisse peccatum.* Mereri nō poterat tantam dignitatem, immo nec idonea ei esse, si sua sponte alicui consensisset peccato *Quæ participatio iustitiæ cū iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christo ad Belial.* 2. Cor. 6. Nonne etiam *honor parentum, gloria est filiorum, & dedecus matris, dedecus est filij?* Prou. 17. Qui ergo potes dubitare, quin Deus, qui suæ gloriæ zelator est, quippe omnibus necessaria pro sua specie & conditione tribuit, auxilium ei dederit ad omnia deuitanda peccata, quam certo scis ab æterno sibi delegisse in matrem, ac supra ipsos choros angelorū voluisse exaltare? Et tu quidē Caluine, debuisses tibi præ cæteris à tam impia sentē ia tēperare. Nam qui dicis nullum esse peccatum, quod non sit mortale, cum ais matrē Dei admisisse aliquod peccatum veniale, cogeris consequenter dicere, eam fuisse aliquando in peccato mortali, ac per hoc & inimicam Dei, & filiam diaboli, & seruam peccati, & ream Gehennalium flammarum. Quod nescio, an vel hæreticissimi, qui fuerunt, potuissent vnquam tollerare.

Atqui membra ecclesiæ, ais, erant Chrys. & Ambrosius qui ambitione tentatam fuisse suspicantur. Respon 1. Nunquid igitur crediderunt esse figmentum, si ut tu dicis nugatorium, quod nos credimus? Certe suspicio longe distat à fide, & qui suspicatur, nondum credit. Deinde: Si tentata, nunquid Hebr. 4. victa? *Nonne Christus tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato?* Ad hæc: Non sunt multa, quæ aliquibus doctoribus dubia fuerunt sine culpa, & tamen postea vt certa definita sunt ab ecclesia, quia certis argumentis postmodum constitit, trepidasse illos vbi nullus erat timor? Sed Ambrosius vbi illam ambitione tentatam suspicetur, me quidem fugit. Vnum scio, disertissime illum & pientissime lib. 3. de virginibus, in omnibus singulatim virtutum officijs absolutissimum illud exemplum mūdo præstitisse docere, & eius vniusvitā, omnium fuisse disciplinam. Nec putauit illa quæ constanter de ipsa disserit, vel minimam verbi aut cogitationis offensæ, aut alicuius officij intermissi, nedum ambitionis labeculam ei inurere.

Et cum Chrys. hom. 2. in Ioan. dixit, fortasse aliquo humano affectu eam ductam fuisse, vt postularet à filio miraculum conuersionis aquæ in vinum, potuisset à te, si pius esses, pie exponi, sicut S. Thom. 3. par. q. 27. exponit, præsertim cū aperte & absq; vlla dubitatione ibi asserat illud miraculū eam petisse, quia nouerat iam tēpus manifestationis Christi aduenisse, & optabat vt hominū sibi gratiam cōciliaret. Vnde & statim subdit, ipsis illis asperioribus verbis & indignatione illa, *Quid mihi & tibi est mulier?* indicasse Christū, quod eam p̄ cæteris amaret & reuereretur. Et quid tandem hic fuit, vel cum venit ad templū cum alijs cognatis, vt videret & alloqueretur filiū, quod vel Momus ambitioni queat imputare? Quod petijt miraculū? Atqui multi alij petierūt maiora à Christo, nec ea de re vituperātur, sed laudātur. Quod accersiuit filiū prædicantē, vt cōmemorat Marcus? Atqui multæ iustæ causæ id faciendi potuerunt subesse.

Quod si aduertamus, quæ post illa verba, Vinū non habent, statim secuta sunt, & quanta illa confidentia mox imperauerit ministris, *Quodcunque dixerit vobis facite:* planum erit, eam filium in illa petitione non Ioan. 2. offendisse, sed Dominum ita ob exemplū nostrum respondisse, & vt Domino m solidum vendicaret potestatem faciendi miracula. *Non agnoscit*, ait August. tract. 8. in Ioan. *viscera materna, facturus opera diuina, tanquam dicens: Quod de me facit miraculum, non tu genuisti. Diuinitatem meam non tu genuisti.* Nec Cyr. 2. in Ioan. c. 22. 23. & 24. hic agnouit aliquam fuisse culpam in virgine, sed plane ac velut è diametro huic errori aduersatus, ita scribit: *Vino deficiente, mater eius, quæ vniuersa illi posse illum ess. non ignorabat, hortatur vt solita sua bonitate atque misericordia vteretur.* Et ibidem explicat de illam dixisse ministris, *Quodcunque dixerit vobis, facite:* quia magnam sibi authoritatem & dignitatem deferri à Domino non ignorabat, ac Dominū acquieuisse illius precibus, vt ostenderet, quātus honor parentibus debeatur. Quam longe vero à tuo isto errore fuit Anselmus, qui in pia quadam huius virginis beatiss. inuocatione, plane asseuerat angelos puritate ab ea vinci. Si angelos puritate superat, cū angeli nullum admiserint vnquā peccatum, neq; illa fuerit peccati aliquando rea. Atq; Anselmū secutus est Bern. ser. 4. de assump. qui vbi dixisset ineffabile esse priuilegium meritorum ipsius, & omnes virtutes singulari prærogatiua inueniri in ea, subdit: *Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat cōparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri & habitaculum filij Dei?* Et in sermone alio, Apoc. 12. quo ostendit non incongruenter ei aptari, quod de ecclesia Ioannes dixit, *Mulier amicta sole:* sic scribit, *Iure ergo Maria sole phibetur amicta, cuius omnia tam excellenter irradiata cognoscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.*

Audi hæc, & attenta mente lege Caluine. Velis salubriter vinci. Ne resistas manifesto lumini. Agnosce errorem tuū, qui ea credideris de virgine ista sanctissima, quæ ne per somnium quidem suspicari, teste isto sancto doctore, tibi licuit. Si ad vitandū peccatum, amorem Dei feruentiss. requiris,

en tibi Bern. dicit omnia in illa fuisse feruentissima. Ac ne fidem ipsius dictis abrogaret, mox ex ipso Euangelicæ historiæ decursu ostendit, nihil in ea fuisse indignationis, ambitionis, aut loquacitatis, sed admirabili omnium virtutum fulgore eã mundo præluxisse. Et quid plurimum tibi Doctorum testimonia obijciam? Quid aliud prædicant sancti omnes, cum passim illam, sicut facit Sixtus 4. intemeratam & immaculatam prædicant? Quid aliud, cum ei aptãt illa verba ex Canticis, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te?* Certe immaculata dici nequit, neq; pulchra, si macula aliqua peccati aliquando respersa fuit. Si carnem virginis omnes Doctores constanter tradidere perpetuo fuisse alienam ab omni rebellione aduersus Spiritum, nec vnquam infestatam fuisse legem mentis ipsius à lege carnis, cur tu impie non idem credas de ipsius anima? An non magis dedecorat nos vel minimum peccatum, quam vniuersa rebellio carnis, naturali fatum lege, & præter omnem voluntatem nostram, nos discrucians? Si propter honorem Domini, carnem eius liberam ab omni mala concupiscentia, & ab omni post mortem corruptione tuemur: certe & propter eundem, animam eius ab omni sorde peccati alienam oportet tueri. Non enim minus dedecet eum de muliere peccatrice carnẽ sumpsisse, quam de carne, quæ rebellis fuerit Spiritui, & à vermibus postea consumpta.

Sixtus in Extrauag. Graue nimis. Cant. 4.

Sancti Doctores Ignatius, Polycarpus, Irenæus, Iustinus martyr, & multi alij Apostolici & eloquentes viri, quos citat sine nomine Hieron. contra Heluidium, & ipse Hieron. & Hilarius, Ambrosius & Augustinus & Gregorius & omnes doctores catholici, qui ipsos secuti sunt, & vniuersa denique ecclesia semper execrata est errorẽ Heluidij contra perpetuam virginitatem matris Dei, non ob id tantum, quod cõtra doctrinam esset acceptam ab Apostolis, quam nonnullæ prophetiæ & figuræ veteris testamenti efflagitãt, sed quod indecens putarunt, vt torus ille immaculatus verbi Dei, ac templum Dominici corporis, alio violaretur fœtu. Quando ergo te illi passi fuissent, qui non templum Dominici corporis, sicut Heluidius, sed animam illam multo corpore preciosiorẽ, quæ sedes fuit Dei & sanctuarium eximium & singulare Spiritus sancti, succendis, violas, contaminas, & culpæ etiam lethalis ream facis? Cum *honorabile sit connubium in omnibus*, teste Apostolo, *& torus immaculatus*, non vides miserrime hominum, multo te magis virgineum Christi thalamum hac tua impietate dehonestare, quam si cognitam viro, aut post mortem putrefactam, & corruptioni fuisse obnoxiam dixisses; Hæc si, vt par est, recte expenderis, nunquam definitionem Patrum, nugatorium figmentum appellabis. Sed non pluribus hac de re tecum agam. Gloriæ iam erunt tua conuicia, cum eodẽ, quo intemeratæ virgini detraxisti, ore nos laceres, & caninam tuam rabiem serui Domini pariter experiantur & mater. *Heb. 13.*

CAPVT XIX.

Posse iustos quouis temporis momento & singula & omnia venialia vitare.

VERVM illud post hæc videndum, an quod nullus, excepta immaculata virgine, omnia deuitarit venialia, inde profectum fuerit, quod eiusmodi sint hæc peccata, vt etiam ab inuitis committantur.

Absit tamen ab humanis mentibus tanta impietas, vt vel minimo peccato imputet, quæ ab eis vitari nequeunt. Omne peccatum, vt supra non semel ex Augustino & alijs doctoribus probauimus cõtra Lutherum & Protestantes, voluntarium est. Ac ne voluntarium dicat Caluinus ab Augu. vocari, quod voluntate fit, non autẽ quod fieri, & non fieri à nobis potest, ne huic absurdo diuerticulo aliquis locus esset, idem August. sapienter & prouide dicit, Peccati reum teneri quenquam, qui nõ fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ. Cumque Deus vt iustissimus iudex, quia teste Tert. de pœnitentia, iustitiæ charissime exigendæ & tuendę præest, omnia peccata puniat, & suam cuique peccato *Propofit 1. Cal. in c. 6.*

 pœnã

pœnam statuerit, magnæ profecto impietatis reum illum facimus, si credimus nos ab eo puniri pro illis, quę vitare nequimus, Quis hoc faceret tyrannus? Neque antiqui Scholastici, vt S. Thomas, S. Bona. & Altis. qui omnem tentationem carnis tuentur esse peccatum, ab hac doctrina dissident. Solas enim tentationes carnis dicunt, quæ vel tunc cum eas patimur, euitare possumus, vel certe præueniri à nobis potuerunt. Et diserte, explicant, nullum subesse in his incursionibus peccatum, nisi cum sunt voluntariæ, & vitari vel possunt, vel certe potuerunt: & si alias etiam tentationes probentur peccata dixisse, non censent ea esse ad nouam pœnam imputabilia, sed peccata dicunt, quia sequelæ sunt peccati Adæ, sicut opera alioqui dissona rectæ rationi, sequentia ex culpabili ebrietate, peccata quandoque appellârunt, & Aug. vitia appellat infirmitates & insultus carnis.

Proposit. 2. Neq; solum hoc verum est de quocunq; peccato. Nullum est vitæ momentum, in quo non possit homo & singula, & omnia euitare peccata. Nam si posset homo singula vitare, & non omnia, aut non teneremur euitare omnia, neque probro nobis verti posset, quod non vitemus omnia, aut certe iam ad aliquid impossibile essemus adstricti. Quorum vtrumque absonum & absurdum est. Nulla etiam potest esse in lege Dei perplexitas. Estque axioma istud, vt diuinæ bonitati maxime consentaneũ, apud omnes catholicos receptissimum ꝓpter authoritatem Pauli dicentis: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari vltra id quod potestis sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Equidem si quemquam Deus tã multis hicinde circunuallare permitteret tentationibus, vt propter multitudinem earum simul in eum coaceruatim irruentium, singulas deuincere posset, sed non omnes, neque semper pateret via, qua saltem per fauorem ipsius, omnem culpam possit euadere: iam supra quam possemus, tentaremur, neque faceret ille cum tentatione prouentum, neque (vt alij legunt) exitum, quia ex eis non liceret sine damno exire.

Argum. 1.

Argum. 2.

1. Cor. 10. 4.

Proposit. 3. Ad hęc, q; verũ est posse hominẽ omnes & singulas tentationes ei ingruentes, quocunque in momento superare, neque vnquam adigi ad peccatum, vt vel hac ratione crediderim posse hominem sępe esse in hac vita absque culpa & reatu alicuius peccati actualis, ac vere plerumq; ęe sic esse. Non semper peccant omnes iusti, non semper adijciunt peccata peccatis: nec potest aliquis tam scrupulosus esse Christianus, qui in omni tempore putet se peccare, & de omnibus suis actibus confiteatur, etiamsi omnia sua peccata adnitatur confiteri, nisi forte errore Lutheri seductus, omnia opera huius vitæ, quantuncunque sancta, crediderit esse peccata. Et quamuis peccatores omnes simus, & multarum nobis conscij culparum, sunt tamen per gratiam Dei semper nonnulli viri ita perfecti, immaculatam vitam in hac militia agentes, vt & in diem vnum sine peccato durent, & ne leuissimæ quidem culpæ sibi conscij sint, quã possint eo die à se admissam confiteri.

Aliquando sunt iusti sine peccato.

Quod si nobis hoc non credunt hæretici, credant saltem D. Hieron. qui maxime illis hac in parte videri potest in plerisque fauisse in dialogis illis doctissimis, quos edidit aduersus Pelagianos. Cum enim constanter asseueret, vt plurimis vtriusque testamenti testimonijs nitatur approbare, non posse ab aliquo nostrum sic Dei seruari mandata, vt ad perfectum iustus sit, & non aliqua ex parte peccator: tamen tandem paulo post principium tertij libri, victus argumentis aduersantis Critobuli, fatetur, statim à suscepto Baptismate hominẽ peccato carere, neque se negare hominem aliquando esse sine peccato per Dei gratiam. Et in 2. libr. aperte dixerat: *Qui cautus & timidus est, potest ad tempus vitare peccata.* Et ad finẽ eiusdem libri: *Tolle igitur posse, & concedam omnia, donante Deo, subsistere.* Aug. etiam libro De na. & gra. ca. 62. 63. 64. & 65. hoc ipsum per Dei gratiam fieri posse, ac factum esse, ex authoritate Hilarij, Ambr. Hieron. & beatiss. martyris Sixti, Rom. ecclesiæ episcopi, confirmat.

Quod igitur Ioannes nomine suo & cunctorum dicit, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:*

Obiect. 1. 1. Ioan. 1. 8.

est? Certe propter authoritatem horũ verborum Augu. in lib. de natura & gratia: c. 3. 6. *Non solum*, inquit, *iusti, sed si omnes sancti & sancta, cum hic viuerent interrogarentur: responderent, non esse sine peccato.* Et in eodem libro etiam c. 1. 4. de his & de alijs ex Deonatis, hæc dixisse Ioannem asseuerat. Et ad eandem sententiam confirmandam, vsi sunt hoc testimonio Cyprianus & Hieronymus in locis iam citatis.

Obiect. 1 Vrgeri etiam hæc possunt, quia in Concilio Mileuitano Can. 7. & 8. expresse propter eadem verba Ioannis, diffinitum est, quencunque iustorum posse veraciter, non tantum nomine Ecclesiæ, sed & suo quoque dicere particulam illam orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra.* Et idem Matth. 6. postea Can 81 8..83. ad verbum refertur inter canones Conciliorum Aphricanorum. Si vero aliqui iusti aliquando essent sine peccato, vere possent dicere se non habere peccatum, & pro illo tempore non poterunt dicere veraciter nomine suo, *Dimitte nobis debita nostra.*

Respon de Eccle. dog. c. 49. Sed verba Ioannis haudquaquã in hũc sensum accipienda sunt, quasi non possim⁹ hic aliquando esse sine peccato, & idipsum vere & probabiliter de nobis credere. sed ad totum vitæ decursum referenda sunt. Et ita Ioãnem expõere sancta hæc Synodus nos docuit, cum cap. 11. & Can. 23. ad totam vitam retulit, quod non vitent iusti omnia peccata venialia. Cauit nimirum dilectus Domini in citatis verbis, primo, ne quispiã crederet se sic immunem esse à peccato, vt nulli prorsus culpæ vnquam obnoxius fuerit, neque Dei misericordia vnquam indiguerit: Dein, nè putet quispiam sic se innoxiam & immaculatam vitam ducere, vt non aliquando vel minutum aliquod admittat

1. Ioan. 1. peccatum. Vnde & statim subiecit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum. & verbum eius non est in nobis.* Expendamus bene duo illa verba, *Et emundet nos ab omni iniquitate:* &, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus,* vel quoniam non peccauimus. Et ex prioribus constabit, non esse contra Dei veritatem, sed consonum potius ipsius veritati & iustitiæ, vt credamus nos aliquando Christi gratia & sanguine liberos esse & mundos ab omni iniquitate. Ex posterioribus vero colligere licebit, perinde esse, si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ac si apertius diceretur: Si dixerimus, quoniam peccato obnoxij non fuimus, & plerumque simus.

Et ne alio citata Aug. verba, aut similia detorquerentur, ipsemet in Enchir sic scripsit: *Neq. e peccatum est omne crimen, neq. crimen est omne peccatum. Itaq. sanctorum omnium vitam quandiu in hac morte viuitur, inueniri posse dicimus sine crimine peccatum autem si dixerimus quia non habemus, nosmetipsos seducimus.* Vides vt August. non ad aliquod breue tempus vel momentum, sed ad totam vitæ præsentis stationem, & sua, & verba Ioannis refert? Et in De perfectione iustitiæ prope finem, idem perspicuum fecit his verbis: *Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem iustè vixisse in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatum, cõtradicit Apostolo Ioanni, qui ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus i.n.s.e.v.i.n. non est. Non enim, Habuimus: sed, habemus, dixit.* Atque in hunc sensum exponendi sunt alij Doctores, qui similiter loquuntur. Respons ad Aug. c. 64. 1. Ioan. 1.

Propterea vero iusti semper possunt & humiliter & veraciter dicere nomine suo & aliorum, verba illa orationis Dominicæ *Dimitte nobis debita nostra*, sicut in Concil. Mileuitano olim & nouissime cap. 11. à Patribus diffinitum est: quia quod potest esse nõ potest satis constare. Vnde enim quis sciat in huius vitæ caligine, remissionem se omnium peccatorum, quo ad culpam & pœnã fuisse iam assecutum? Resp. ad 1. obiectionẽ.

CAPVT XX.

Impossibile nobis est moraliter, vitare tota vita omnia venialia.

CVM hæc tamen in controuersia sint & esse debeant inter catholicos, illud discutiendum superest, quod tertio loco nos tractaturos promisimus, an in potestate sit nostra, vitare singula & om̃ia venialia,

non tantum pro aliquo paruo vitæ tempore, sed etiam pro tota vita. Huius autem quæstionis enodatio, explicationem requirit duplicis potestatis vel impossibilitatis, quæ communiter ponitur ab Scholasticis. Quædam enim dicuntur moraliter possibilia, seu impossibilia, alia logicè, seu metaphysicè. Et moraliter ea dicuntur possibilia, quæ sæpe & sine magna difficultate fieri possunt. Contra vero impossibilia moraliter dicuntur, quæ fieri non possunt, nisi rarissimè, & cum magna difficultate. Et sic Christus dixit impossibile esse, diuitem intrare in regnum cœlorum. Et Hierem. impossibile ait, malè assuetos bene operari. Logice vero seu Metaphysicè possibilia dicuntur, quæ vtcunq; fieri possunt: & è contrario impossibilia, quæ nullo modo.

Moraliter possibilia aut impossibilia quę.

Porro si de nuda potentia nostræ libertatis sit quæstio, certum fecerunt August. & Hieron. & alij nobiles authores, qui contra Pelagianos disputarunt, neutro modo subesse nostræ potestati vitare omnia venialia, neque iam per Dei gratiam necesse est hanc constabilire veritatem, quæ & hęreticis nostræ tempestatis certissima & indubitata est. Si vero de potentia nostræ libertatis ope diuina subnixæ tractemus, secundum legem communem, constitutissimum omnibus crediderim esse debere, neminem quantumcunque iustum, excepta Deipara virgine, posse aut potuisse moraliter tota vita cuncta deuitare venialia. Quod vel hinc liquere potest, quia nemo, excepta B. virgine, dabitur, vt ex dictis in proximo capite constat, qui omnia illa deuitauerit. Enimuero quod tam multi viri, sapientia & sanctitate conspicui, summo studio, totaque vi & opera sua conati sint, neq; tot annorum seculis sunt assecuti, merito impossibile moraliter censeri potest. Atque, illa quæ in vnum coegimus in vlti. capit. libri. 12. vt difficultatem perseuerandi ostenderemus, dilucidum possunt facere, nihil esse tam impossibile moraliter, quam hoc sit, vt quisquam mortalium, donec absumatur quod filij carnis & seculi huius sumus liber sit ab omni culpa. Et quia moraliter hoc non subiacet nostræ facultati, prouidentissime in oratione Dominica, quam & omnibus suis, & in omnem statũ Christus prospexit, non tantum instituit, vt peteremus ne induceremur in tentationem, sed vt etiam dimitterentur nobis nostra debita.

Atque hinc crediderim motos fuisse plerosque ex sanctis Doctoribus, vt quanuis disertè alias dixerint, posse nos per Dei gratiam implere ad plenum ipsius legem, tamen nonnunquam more scripturarum & communis consuetudinis loquentes, asseruerint non posse quenquam mortalium in hac vita omnia deuitare peccata. Et de hac mortali impossibilitate verba eorũ interpretanda sunt, si non volumus impiè dicere eos sibijpsi repugnasse. Sed quia possunt ad cõfirmationem Can. 23. nostri decreti verba eorum valere, ex plurimis eiusmodi aliqua hic quoque subijciam.

Hilarius in illa, *Amputa à me opprobriũ. &c: Propheta in corpore positus loquitur, & neminem viuentium scit sine peccato esse posse.* Et statim: *Se hominem meminit, qui per natura infirmitatem sine peccato esse non possit: & ideo precatur, Et ne auferas de ore meo verbũ veritatis vsquequaq́.* Aug. ho. 2. in Apoc. *Non angeli indigẽt pœnitentia sed homines qui sine peccato esse non possunt:* Et subiungit: *Non dicam, laici sed etiam sacerdotes, vna die esse non debent sine pœnitentia: quia quomodo nullus dies est in quo homo possit esse sine peccato: sic nullo die debet esse sine satisfactionis remedio.* Et de bono perseue. cap. 13. citat ex Ambrosio, & approbat, *Cauere difficile, exuere autem impossibile surreptiones in quibus dubium non est quandoque nos peccare venialiter.* Idem etiam dicit in illa verba Ioan. *Si confiteamur peccata nostra.* In lib. De fide ad Petrum cap. 41. vt firmissimè tenendum traditur, neminem ex adultis sine peccato esse posse. Gregor. ho. 17. in euã. & 18. Mo. c. 4. *Humana vita sine culpa transiri nõ potest.* Et alibi etiam à iustis peccata hæc minuta asserit ineuitabilia. Beda in illa verba, *Ecce agnus Dei Quandiu sunt sancti in hoc corpore, peccato carere nequeunt.* Ber. de trip. miseri. *In leuibus peccatis, à quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, sufficit ad salutẽ quotidiana pœnitentia, & iterum: In hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo, sine peccato esse non possumus*

De cœna Domini. possumus. Et in libro De præcepto & dispen. Est eo: sanè impossibile cuiuis mortalium, vel venialiter interdum non delinquere: Et ideo ibidem colligit neminem posse cautè polliceri, se non peccaturum. Et qui sic iurat, aut peierat, inquit, aut sanctior est illo, qui ait: *In multis offendimus omnes.* Theologis etiã scholasticis in 2. partim in distinctio. 28. partim in 41. sequens est illud axioma, *Singula posse vitari in hac vita peccata venialia, sed non omnia.* Et sanctus Thomas idem tenetur in 1. 2. quæstione 109. articulo 8. & Nicolaus in commentarium Scripturæ.

Iac. 3.

CAPVT XXI.

Possunt iusti per Dei gratiam, etiam tota vita, omnia venialia vitare.

SIVE tamen hi Doctores sic valeant piè exponi, siue non, si de potentia dialectice aut metaphysice disputemus, & quid absolute in nostra situm sit potestate per auxilium & gratiam Dei, inquiramus: simpliciter crediderim, posse nos per opem & fauorem Dei, & omnia & singula peccata tota vita deuitare. Itaque sicut Christus dixit, apud homines impossibile esse, diuitẽ confidentem in diuitijs suis, intrare in regnum cœlorum, sed apud Deum hoc esse possibile: quia Dei auxilio & relinqui possunt diuitiæ, & auferri confidẽtia: ita & nos asserimus posse hominem cum Dei gratia vitare omnia peccata, quantum est ex parte suæ libertatis & gratiæ diuinæ, etiamsi hoc non sit possibile per solas liberi arbitrij vires. Quoniam autem hoc nouum & durum plerisque videbitur, sicut & mihi sæpe visum est, adnitar fortissimis illud quibusdam argumentis communire, quæ me diu ac multum de hac quæstione cogitantem, in hãc tandem sententiam impulerũt.

Possunt iusti omnia Peccata vitare.

Argum. 1.

Primo: Non solum tenetur homo in progressu vitæ suæ deuitare singula peccata venialia, sed tenetur vitare omnia. Est igitur hoc homini simpliciter & absolute possibile per gratiam Dei. Alioqui incidemus in hæresim asserentium Deum obligasse homines ad impossibile.

Euasio 1.

Dicet forte aliquis, satis esse si præcepta obligantia sub culpa mortali, à nobis possunt expleri, neque opus esse, vt etiam illa explere possimus, quæ sub culpa veniali obligant. Finis quippe legis, caritas est. Eãque ob causam sufficiet, eatenus posse à nobis impleri legem, quatenus & ad assequendam Dei amicitiam, & ad perseuerandum in ea satis est.

Euasio 2.

Alius etiam fortassis dicet, posse quidẽ nos, ac forsitan non sine causa de Deo conqueri, si hominibus pro statu naturæ institutæ legem aliquam tulisset, quæ non potuisset & in singulis & in omnibus suis partibus examussim & ad iustũ impleri, at nunc queri iure de hoc non posse. Nos quippe ipsi nobis tantum malum sponte nostra accersiuimus. Nam peccato Adæ sic læsa est & vulnerata natura nostra, vt quam Deus tulerat perfecte à nobis obseruabilem legem, iam in pœnam nostri peccati, non in omnibus, sed in singulis duntaxat præceptis seruare possimus. Neque enim debuit Deus datam legem propter peccata nostra reuocare, præsertim cum in singulis etiamnũ à quolibet sit obseruabilis. Sed profecto iustitiæ diuinæ non conuenit, & multo minus suauitati & æquitati, vt aliquid vel in pœnam peccati à nobis exigat etiam sub culpa veniali, quod ei exhibere non possimus. Et iniquus censeretur dominus, qui ob qualencunque offensam in se patratã, non contentus mandatis, quæ satis essent ad habendum & tuendum ipsius caritatem & obedientiam, aliquid præterea impossibile à suis exigeret, etiam sub leuissima culpa & pœna. Quod si propter pœnam peccati hoc fieret, mitiganda esset ea seueritas, vbi venia daretur peccato. Quare iusti modo non deberent eum rigorem pati, neque ad aliqua obligari, quæ non possint in vniuersum seruari.

Impugnat.

Euasio 3.

Alij igitur aliter hoc argumentum dissoluunt, dicentes, teneri quidem hominẽ euitare omnia peccata, non autem aliquo peculiari præcepto, sed præceptis illis, quibus adstringitur vitare singula, atque ideo satis esse, si possint euitari singula.

Quamuis

Quamuis enim nequeamus euitare omnia, non inde cogemur asserere aliquod esse præceptum nobis seruatu impossibile. Sed euasiuncula ista, tametsi communis, & superficie tenus apparens, nullius tamen est, si introrsum inspiciamus, momenti. Nullo quippe modo concedendum est, nos esse ad impossibile constrictos, siue vno aliquo præcepto, siue pluribus. Et maxime hoc tempore cauendum esset, hoc asserere, ne conueniamus cum nostræ tempestatis hæreticis, qui aiunt, posse quidem à nobis legem Dei expleri: sed ex parte, & non ex toto. Ad hæc: Non solum oportet concedere, quodcunque singulare Dei præceptum nobis esse possibile, sed idipsum etiam fatendũ est de omnibus præceptis Dei, collectiue & insimul sumptis. Tota enim lex Dei est possibilis, & testante Psalmista, iustificata in semetipsa. Neque oportet tantum iustitiam Dei & æquitatem in quouis præcepto ostendere, sed etiam in vniuersis. Nam Christus certe ad vniuersam legem sermonem suum retulit, cum dixit: *Iugum meũ suaue est, & onus meum leue.* Et de tota quidẽ lege Moses Dei nomine asseruit, mandatum, quod ipse præcipiebat, non supra vires sui populi esse. Et ipse Dauid non de vno aliquo mandato, sed de omnibus dixit: *Latum mandatum tuum nimis.* Ac grauia nimirum essent Dei mandata contra authoritatem Ioannis, si singulum quodque portabile esset, sed non omnia. Equidem non minori tyrannidi obnoxius esset princeps, qui legem aliquam ferret, quæ tota obseruari non posset: quã si præceptum aliquod pecculiare statueret, quod esset suis subditis impossibile. Eadem enim iniustitia, quæ esset in statuendo illo præcepto, esset vel forte maior in sancienda tota illa lege. Et si contra iustitiam esset, exigere tributum aliquod, quod reddi à subditis non posset: esset & contra illam, exigere aliqua, quæ omnia præstari nequeant, licet possint præstari singula. Suntque ista ipso lumine naturali docente nota, non solum de præceptis, quæ statuuntur à principibus sub grauibus pœnis, sed & de præceptis statutis sub leuissimis. Palamq; iniustus esset Dominus, qui à seruo exigeret, vt ferret, à monte in domum vnum lignum qualibet hora diei, si nõ potest hoc facere omnibus horis diurnis, licet id possit qualibet hora: nec ad iniustitiam interesset, siue hoc exigeret vnico præcepto, siue pluribus. Oportet siquidem præcepta ita esse singulatim & conplexim iusta, vt si vnico statuerentur mandata, essent nihilo secus portabilia & factibilia. Cum igitur Deus optimus maximus non solum iustus sit, sed etiam suauis & dulcis vniuersis, longe credendum est ab eius abesse voluntate & misericordia vt homini imbecilli & infirmo legem eiusmodi aut tulerit, aut latam, ab eo custodiri velit, quam in totum seruare nequeat, quin incidat volens nolens in aliquam vel leuissimimam culpam contra ipsam.

Impugnat.

Matth. 11.

Psal. 118.

Argum. 1.

Deinde: Qui multis siue venialibus, siue lethalibus obnoxius est peccatis, non solum reus est apud Deum quo ad culpam & pœnam, quantum singula, sed quantum omnia simul merentur. Ergo non singula tãtum, sed & omnia simul voluntaria sunt ei, & ab eo euitabilia. Nihil certe vel culpabiles nos apud Deũ, vel reos facit, nisi quod nobis sit voluntarium. Et si non omnia venialia à nobis possunt euitari ea ex parte, qua euitari nequeunt, aliquid alleuari vel minui malitiæ ipsorum, concedendum esset. Quod tamen à nullo, quod sciam, conceditur.

Argum. 2. Deut. 6.

Præterea: Illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* obligati sumus sub mortali, nihil cõtrarium aut repugnãs dilectioni Dei admittere: & sub veniali, neque leuiter subsultare, aut exorbitare ab illius cultu & obedientia. Si ergo possumus tantum vitare singula, & non omnia, venialia: erit profecto hoc præceptum, quo ad hoc secundum, nobis impossibile: & ita non solum de omnibus præceptis collectiue, sed & de aliquo præcepto cõcedere habebimus, aliquid esse nobis à Deo indictũ impossibile. Quod libro 11. ostendimus esse absurdissimum. Insuper: Cum petimus in oratione Dominica, vt fiat voluntas Dei, sicut in cœlo, & in terra: & ne inducamur in tentationem, sed liberemur à malo: nõ solum

Argum. 4.

lam petimus, vt euitemus singula peccata, sed postulamus etiam, vt euitemus omnia. Et hoc ipsum iugiter optandum, conandum, & supplicandum est vt fiat, idque instãter efflagitant à Deo omnes sancti. Quod quidem frustra orarent, si obtinere non possent. Profectò quæ certi sumus à nobis non posse impetrari, Deum non petimus. Si hoc igitur sicut oportet, ac sancti docent persistimus petere, re ipsa fatemur, id non esse obtentu impossibile.

Argum. 5. Possumus etiam hoc firmare argumentis, quibus iam cõstituimus, posse nos quocunque vitę momento omnia peccata vitare. Si enim singulis vitæ partibus possumus vitare, & non omnibus, hoc erit ex debilitate virium nostrarum, quæ ad duas vel tres horas resistere possunt cum consueto Dei auxilio speciali omnibus tentationib, nõ autem maiori tempore. Quod tamen non videtur satis verisimile. Aliud quippe est de viribus corporis, aliud de viribus spiritus. Lassescunt vires corporis, & tanto debiliores sunt, quanto pluribus aut maioribus põderibus, maiori tempore vel spatio portandis fuerint adhibitæ. Sed vires spiritales ex ipsa victoria, tentationum crescunt & augentur. Eoq; facilius de hostibus spiritus triumphamus, quo plures iam triumphos de illis reportauimus. Itaq; si hodie tribus aut quatuor viriliter restiterimus tentationibus, poterimus & cras eadem, immo maiori, facilitate similibus totidem resistere: aut certe Deus ad impossibile nos obligauerit, si perinde nos adstrinxerit ad resistendum cras, cum tamen non similiter, vt hodie, possimus. Quod & hoc exemplo potest fieri aliquanto dilucidius. Quamuis enim concedendum sit, posse nos portare singula aliquorum ponderum, & tamen non omnia, quo exemplo se solent tueri, qui dicunt posse nos vitare singula venialia, sed non omnia: tamẽ non stat profectò, vt possim ad certum spatium portare singula decem ponderum in vna hora, quin possim & omnia illa decem in decem horis portare, si nihil minueretur virtus portandi posteriora, qua portata fuerint priora, sed portatis nouem, integræ essent vires & idoneæ ad portandum decimum, sicut fuerunt ad portandum primum. Quare cum omnes fateamur, sic posse à nobis vinci quascunq; tentationes in vita occurrentes, & sic posse nos resistere cuiuis peccato, vt semper integrę sint, perinde vires ad resistendum posterioribus tentationibus, ac erant ad resistendum prioribus: & singula quæque peccata suis temporibus deuitare possimus, poterimus & toto decursu vitæ etiam omnia.

In iniuriam item diuini auxilij, aut certe diuinæ bonitatis videtur esse, asserere tam infirmum & tam exiguum auxilium Deum suis impartiri, tamq; parcè eis auxiliari, vt non possint etiam eo adiuti & roborati, omnia peccata euitare, quantumcunq; solicite ambulent cum Deo suo. Si Deus ita adiuuat omnes iustos, vt nõ solum aliquãto tempore euadere queant, sed & euadant prorsus, atq; deuitent omnia peccata, cur ad certa aliqua & præscripta temporis repagula eos fauores coarctamus, & non potius in omnem vitæ progressum eos extendimus, saltem vbi iusti tantorum beneficiorũ magnitudinem pro dignitate agnoscunt, & paria illis pro sua virili repensare satagunt? Profectò ex scripturis nulla talis limitatio potest colligi. Quin eiusmodi indicant nobis Dei esse beneuolentiam & beneficentiam in nos, vt nunquam Deus retractet sua dona, sed in dies singulos augeat potius illa & accumulet, quandiu per nos non steterit. Argum. 6.

Sed vel hoc argumentum quem non moueat? In præteritum sane nullus, crediderim, iustorum asserere audebit, singula quidem potuisse se vitare peccata, in quę lapsus fuerit, sed non omnia. Omnes enim perinde videmur expediti omnia euitare potuisse, ac singula. Et nostram quisq; siue iusti simus, siue peccatores, socordiam negligentiam, & ignauiam accusare debemus, quod non omnia euitemus, neq; vnquam eius rei culpam in Dei seueritatem, vel in nostram imbecillitatem trãsferre. Si autem eam facultatem in nobis quisq; pro Argum. 7.

decursis vitæ spatijs agnoscere debemus, cur non & eandem credamus nos habere in futurum?

Argum. 1. Vtque tandem rem istam scripturæ testimonijs communiamus, & concludamus, si non possemus per auxilium Dei omnia euitare peccata, non dixisset Apostolus fidelem esse Deum, qui non patietur nos tentari vltra id, quod possumus. Tentamur quippe non singulis tantum, sed & omnibus tentationib. & non vno tantum momento, sed tentatio est vita ipsa hominis super terram. Si igitur neque per auxilium Dei omnes possimus vincere tentationes, quæ occurrunt in vitam, certe tentamur supra id quod possumus. Et quid est, quod alibi ait, *Corripientes omnem hominem,* Colos. 1 *& docentes in omni sapientia, vt exhibeamus oẽm hominem perfectum in Christo.* Philip. 2 Et mox: *Exhibete vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles.* 1. Cor. 15. Et iterum: *Omnia facite sine, murmurationibus & hæsitationibus, vt sitis sine querela.* Et rursus: *Euigilate iusti, & nolite peccare.* Si nullus potest sine peccato esse in hac vita, frustra ad hoc hortabitur, & eo correctiones & doctrinã totam dirigi volebat.

Frustra etiam Petrus admonet fideles, vt sancti in omni conuersatione sint, quia Leuit. 11. 19 20. scriptum est: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* 2. Tet. 1 Et falso alibi pollicetur eos qui consilia sua seruauerint, non peccaturos aliquando. 1. Ioan. 2 Quorsum etiam Ioannes dicit, *Hæc scribo vobis, vt non peccetis*, si hoc non erat possibile? Et nisi hoc cum auxilio Dei nostræ subsit potestati, quid Iudas commẽdat fidelibus, Deum posse eos seruare sine peccato? Hoc etiam videntur innuere verba illa Tobiæ: *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato.*

Videtur etiam pro hac sententia esse diffinitio Concilij Arausicani 2. quę sic habet Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismũ gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Certe ad salutem pertinet vitare venialia, licet non sit necessarium.

Diffinitio item patrum ca. 11. de possibilitate præceptorum, & omnia quæ induximus ad eam & sanctitatem legis Dei, & libertatem nostram & virtutem auxilij diuini confirmandam, aperte militant pro hac sententia. Non enim dici possent præcepta absolute possibilia, neque iusti habere libertatem & Dei opem necessariam & sufficientem, si non possunt citra culpam venialem implere Dei præcepta, etiam cum auxilio Dei speciali. Et ex scholasticis Duran. in 2. d. 41. q. 2. de venialibus ex genere suo, quod nos dicimus, constanter asserit. Sed illius patrocinio non egemus. Fuerunt profecto nostræ sententiæ eximij illi & illustrissimi gratiæ & liberi arbitrij propugnatores Hieronymus & Augustinus. Atque vt de Hieronymo vsque ad sequens c. taceamus, de Aug. verissimum hoc esse ex his poterit nobis constare. In lib. 2. de pec. me. & re. c. 6. ita scribit: *Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negauerimus, & hominis libero arbitrio qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus.* Et statim: *Si à me quæratur, vtrum homo sine peccato esse possit in hac vita, confitebor, posse per Dei gratiam & liberum eius arbitrium.* Nec vtcunque, sed sicut certum & indubitatum videtur hoc tenuisse. Prolatis enim quibusdam testimonijs in huius approbationem sententiæ, mox subnectit: His atque huiusmodi alijs innumerabilibus testimonijs dubitare non possum nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adiuuandum, quo fiat, quod iubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adiutus à Deo. Cumq; Marcellinus, ad quem libros de peccatorũ meritis & remissione scripserat, hac sententia permotus fuisset, & absurdum sibi videri significasset vt fieri posse diceretur, quod neque est, neque fuit, neque erit, non cessit huic argumento Augustinus, sed inde occasione sumpta, Librum de spiritu & litera scripsit, in cuius principio aliquot exemplis scripturæ fieri posse ostendit multa, quorũ

nobis

nobis desint exempla. Et in 16. respon. libr. de perfectione iustit. aperte dicit, *Non potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adiuvet gratia Dei.* Neque istam sententiam retractauit in Retracta. tametsi illius expresse meminit libro secundo, capite trigesimo-tertio.

CAPVT XXII.

Sententia Hieronymi de potestate vitandi omnia venialia.

OBIICIT tamen contra hæc potest Hieronymus, qui tribus citatis libris aduersus Pelagianos, nihil pene aliud agit, quam vt ostendat hominem, quantumcunque velit & nitatur, haudquaquam tamen posse euitare omnia peccata. Quamdiu, ait in fine secundi Libri, finis adueniat quo dispereat iniquitas, & corruptiuum hoc atque mortale in incorruptionem atque immortalitatem mutetur, necesse est nos subiacere peccato, non naturæ & conditionis (vt tu calumniaris) vitio, sed fragilitate & commutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis. Et cum Critobulus argumentaretur, eum qui potest vno die se abstinere à peccato, posse & altero: qui duobus, posse & tribus: qui tribus, posse & triginta: atque hoc ordine posse & trecentis, & tribus millibus, & quandiucunque se voluerit abstinere: hoc primum ab eo petit Hieronymus, vt dicat simpliciter posse hominem in perpetuum sine peccato esse, si velit. Quod cum ille aperte concessisset, mox ipse adnisus est omnibus id vijs refellere. Et in tertio libro non longe à medio: Hoc, inquit, est quod tibi in principio dixeram, in nostra situm esse potestate vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium: sed hoc pro modo & tempore & conditione fragilitatis humanæ: perpetuitatem autem impeccantiæ, soli reseruari Deo, & ei, qui verbum caro factus, carnis detrimenta & peccata non pertulit. Neque quia ad breue possum, coges me, vt possim iugiter. Possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire: nunquid in perpetuum? Neque vno argumento Hieronymus in hac rem vtitur, sed tum ex testimonijs scripturarum, tum ex aliquibus lapsibus virorum sanctitate & religione præcellentium, tum ex fragilitate humana, qua sæpe fit, vt persæpe de virtutum culmine ad vitia iusti delabantur, & si non obruantur tentationum fluctibus, certe negligentia subrepente, aliqua vitiorum sorde, aut labecula interim adspergantur & commaculentur.

Nihil est tamen, quod Hieronymi authoritatem hoc in loco reformidemus. Non solum non aduersatur nobis, sed, si bene omnia expendamus, mirifice nobiscum conuenit, & vel ipsius possumus authoritate omnia confirmare, quæ tradidimus. *Responsio.*

Ac primo quidem omnia, in specie nobis ibi aduersantia, referre possumus ad impossibilitatem moralem. Nam quod non de alia impossibilitate loquatur, vel inde possumus colligere, quia toto pene primo libro hoc exigit à Critobulo, vt proferat aliquem hominem, qui fuerit sine peccato, si contendat hominem posse esse sine peccato: aut certe confiteatur non posse à quoquam fieri, quod à nullo factum queat edocere. Aut da, inquit, exemplum, qui absque peccato fuerint in perpetuum: aut, si dare non potes, confitere imbecillitatem tuam, & noli ponere in cœlum os tuum, vt per Esse, & Esse posse, stultorum illudas auribus. Quis enim tibi concedet, posse hominem facere, quod nullus vnquam hominum potuerit? Et paulopost: Qui ergo aiunt, hominem posse esse absque peccato si velit, non poterunt hoc verum probare, nisi futurum docuerint. Cum autem futura incerta sint omnia, & maxime quæ nunquam facta sunt, perspicuum est, eos id futurum dicere, quod non sit futurum, Ecclesiaste hanc confirmante sententiam: *Exposit. Hieron.*

Eccles. 1 *Omne quod futurum est, iam factum est in priori seculo.* Et ibidem satis efficaciter putat se probare, neminem posse esse sine peccato, quia in ipsis viris sanctissimis, scripturæ authoritate & Dei ore laudatis, ne vnum quidem reperiemus, qui non fuerit obnoxius alicui peccato.

Atqui hæc & similia tātum possunt euincere impotentiam moralem. Possibilia enī pleraque sunt logica aut metaphysica potentia, & talia dicuntur in scriptura, quæ nunquam fuerunt, neque erunt. Matth. 6. *An putas, quia non possum rogare patrem meum,* dixit Christus ad Petrū, *& ipse exhibebit mihi modo plusquam 12. legiones angelorum?* Quod quidem certo scimus Christum non fecisse. Et hanc moralem impossibilitatem deuitandi omnia peccata ibi explicat, ostendens Paulum non fuisse sibiipsi aduersatum, cum nunc diceret se esse perfectum, nunc vero id constanter negaret. Nam duplex est iustitia seu perfectio. Iustitia seu perfectio duplex. Atque vna quidem omnes complectitur virtutes, & ne minimā quidem labeculam aut variationem admittit: & hanc persequebatur Apostolus, neque apprehenderat, dum hic viueret. Altera vero est perfecta in suo genere, & subijciens nos Deo, ac omnem culpam lethalē excludens, sed leues culpas admittens: & hanc habebat Paulus, & habent omnes iusti. Nullus enim hic omnes habet virtutes in vsu atque exercitio, sed alij alijs virtutibus excellunt & cum in vna virtute ne minima quidem parte deficiant, in alijs sentiunt se hic imperfectos esse, ac ex parte cognoscere, & ex parte ꝓphetare. Quippe, vt & lib. 2. copiose persequitur, omnia sanctorum lumina aliqua sorde, aut tenebris hic maculantur, vt de solo Deo vere Ioannes dixerit: 1. Ioan. 1 *Deus lux est, & tenebræ in eo nō sunt vllæ.*

Sed est altera, multo magis idonea & germanior, omnium verborum Hieronymi expositio, Expositio 2 Hieron. quæ nobis inde possunt obijci. Non enim ille contendit probare, non posse á nobis euitari omnia peccata, etiam per auxilium Dei: Quid minus opus erat in Pelagium certanti statuere? Gratiæ nimirum diuinæ aduersarium magis hoc fuisset, quam Pelagio assertori liberi arbitrij, & impugnatori gratiæ. Ostendit igitur duntaxat, non esse hoc in hominis potestate, sed Deum id posse præstare, cui velit. Neque Patres Concilij Mileuitani, vt patet ex eorum epistola ad Innocent. alia in his de causa indignabantur Pelagianis, nisi quod absquè adiutorio gratiæ Dei per solam libertatem arbitrij contendebant, præceptis cognitis, posse hominem ad tantam perfectionem iustitiæ conscendere, vt non esset necessariū dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. Et quamuis quinque illi Episcopi, qui videtur fuisse præcipui in Concilio Mileuitano, in epist. quam ad eundem Innocent. scripserunt de Pelagianorum erroribus, tolerabilem & humanum errorem dicunt esse, neque impium existimandum, quod iam tum quidam asserebant posse hominem post suam iustificationem perseuerare tota vita absque peccato per adiutorium gratiæ & Spiritus Dei: tamen Augustinus, qui multo fuit illis doctior, non humanum errorem, sed vt ostendimus, pene certam veritatem hoc putauit. Neque aliud sensisse Hieronymum, sed in hunc sensum excipienda esse, quæcunquè in loco citato disseruit, ex ipsissimis illius libris reuincemus. In principio 1. lib. hoc contendit sub nomine Attici habere à Critobulo, cui personam tribuit Pelagij, vt cum dicit hominem posse esse sine peccato, si velit, adijceret, cum Dei gratia, nec referret Dei gratiam ad beneficium conditionis, siue creationis nostræ. Et paulo post velut ostendens, quis illius disputationis scopus esset: *Hæc*, inquit, *hominis est summa iustitia: quicquid potuerit habere virtutis, non suum putare esse, sed Domini, qui largitus est.* Et cum postea in eodem libro ex similitudine artium, quas Deus possibiles humano generi dedit, tametsi nullus queat omnes comprehendere, mirandum non esse ostendit, si non possint singulari omnibus numeris & partibus virtutum absoluti esse & perfecti, subdit: *Vides ergo quod Deus possibile iusserit, & tamen id quod possibile est, per naturam nullum posse implere.* Et paulo post: *Possibilia præcepit Deus, & hoc ego fateor.* Sed hæc

possi-

possibilia cuncta singuli habere non possumus, nō imbecillitate naturæ, ne calumniam facias Deo, sed animi lassitudine, qui cunctas simul & semper non potest habere virtutes.

Obiect. Et ne etiam per auxilium diuinum hoc à nobis præstari non posse, quis crederet, cum obijceret Critobulus verba Iudæ Apostoli: *Ei autem qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos*, ita respondet:

Responsio. Non intelligis quæ proposueris. Neque enim potest homo esse sine peccato, quod tua habet sententia: sed potest, si voluerit Deus hominem seruare sine peccato, & immaculatū sua misericordia custodire. Hoc & ego dico, quod Deo cuncta possibilia sunt: Homini autem, non quidquid voluerit, possibile est, & maxime id esse, quod nullam legeris habere creaturam. Et in 2. libro ita scribit: *Dixerunt Apostoli: Et quis poterit saluus esse? Audiunt à Domino: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum sunt. Ergo aliqua quæ apud homines impossibilia sunt, erunt ea esse possibilia, ex eo ostenditur, quod apud Deum possibilia sunt. Sit ergo & apud Deum possibile homini, si velit donare impeccantiam, non ipsius merito, sed sua clementia, & apud homines nequaquam possibile, liberi arbitrij potestate, quod nutu donantis accipitur.* Hæc ibi. Quæ verba manifeste indicant, tantum eum contendere non posse hominem absque Dei auxilio vitare omnia peccata. Sed & aliquanto apertiora sunt, quæ paulo post principium 3. libri legimus: *Hoc & nos dicimus, posse Deum quicquid voluerit, & hominem per se & propria voluntate, quod tu asseris, sine peccato esse non posse.* Vides vt non negat, cum auxilio Dei nos hoc posse? Neque aliud reprehendit in Pelagio, nisi quod hoc subijciebat nostræ potestati, & absolute & sine adiectione Dei gratiæ, dicebat nos hoc posse. Vnde & statim subdit: *Sin autem potest homo esse sine peccato, si velit, frustra nunc iungis & gratiam, qua potens non indiget. Quod si non potest absque Dei gratia, stulte tu dixisti posse quod non potest. Quicquid enim ex alterius pendet arbitrio, non eius est, quem posse contendis, sed illius, sine quo eum non posse perspicuum est.* Et mox subdit: *Tu dicis, hominem non esse sine peccato, sed esse posse: cum econtrario ego tibi tribuam quod negasti, esse hominem sine peccato per Dei gratiam, sed per se esse non posse.* Et addit *Deus possibilia mandauit. Hoc nulli dubium est. Sed quia homines possibilia non faciunt, idcirco omnis mundus subditus est Deo, & indiget misericordia Dei.* Quod & exemplo Dauidis cuestigio subindicat: Cum enim electus fuerit à Deo, vt faceret omnes suas voluntates, ac per hoc ex Dei gratia, potuerit eas opere complere, tamen ex sua culpa non omnes expleuit. Et ne in Dei gratiæ infirmitatem, neque in naturæ nostræ imbecillitatem, sed in lassitudinem & ignauiam nostram referamus, quod non omnia peccata vitemus, elegāter & doctissime subnectit: Hoc & nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus, quandiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod si paululum se remiserit, quomodo qui aduerso flumine lembum trahit, si remiserit manum, statim retro labitur & fluentibus aquis, quo nō vult, ducitur: sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suā, & multa se non posse cognoscit.

Matth. 19

Et vt finis totius disputationis congruat principio, in fine tertij libri ex sancto illo ritu, quo antiquitus Credentes orationem Dominicam dicebant, statim dum leuabātur à fonte baptismatis, & in corporis Christi sacrificio, docet errare Critobulum, qui cœlestia iam in hac vita sibi arrogabat dona, adeo vt contenderet, posse hominem non peccare, si velit: & cum Iouiniano diceret, baptizatos plena fide, tentari vltra & peccare non posse. Frustra enim ea peterēt fideles baptizati, quæ vel iam habebant, & perdere non poterant, vel in sua ipsorum sita erant potestate. Deinde totis pene illis libris hoc vnum expostulat cum Pelagio, quod omne Dei præsidium à nobis auferret, cum posse nos esse sine peccato assereret, & gratiam Dei non ad singula referret opera, sed ad conditionis, ac legis, & liberi

arbitrij potestatem. Et mirifice laudat Augustinum eosdem impugnantem, quod diceret, posse hominem esse sine peccato, si velit, absque Dei gratia: ex quo etiam ostendit, non aliud se voluisse contra eosdem stabilire.

Pensatis igitur omnibus & expensis mature, quæ illis libris D. Hieronymus edisserit, licet in principio libri & alias non semel eo videatur inclinasse, vt in singulis bonis operibus, quantuncunque paruis & facilibus, & nihil ad religionem spectantibus, Dei indigeamus & fruamur auxilio, & in singula talia illud debeamus implorare: tamen tandem in posterioribus asserit, posse hominem per liberum arbitrium vitare aliqua peccata, sed nequaquam posse, nisi per gratiam Dei, omnia subterfugere. Quare non contra nos stare, sed pro nobis, potius dimicare, existimandus est. Vt tamen sub compendio aliquo habeamus omnia, quæ doctissime quidem, sed prælonge & subobscure ibi disputat: commodum erit ad nonnulla argumenta respondere, quæ aduersus nos inde posset curiosus lector colligere.

CAPVT XXIII.

De argumentis, quæ ex Hieronymo possunt colligi contra potentiam vitandi omnia peccata.

Obiectio I. AC primo quidem obijci nobis possunt plurima vtriusque paginæ testimonia, diligentissime ibi à Diuo Hieronymo accumulata, & à nobis maxima ex parte iam citata, quibus asseri videtur nemo hic fuisse sine proprio peccato, quique de sua innocentia vel munditia potuerit gloriari.

Responsio. Verum ea omnia, si bene expendantur, difficultatem & raritatem rei indicant, & impotentiam moralem, aut certe liberi arbitrij imbecillitatem, & nostræ iustificationis incertitudinem: neque vel minimum est inter illa omnia testimonium, quod sic gratiæ Dei aduersetur, vt ne per ipsam quidem vitari posse omnia peccata doceamur.

Secundo possunt contra nos produci ignorantiæ & humani lapsus sanctorum, qui nos præcesserunt. Si enim etiam in sanctissimis viris, qui omni se animo ad virtutes contulerunt, & totis se viribus Dei obsequio & gloriæ consecrarunt, si in patriarchis, in prophetis, in Apostolis nullus fuit, qui omnia deuitauerit peccata, vt paulo ante ostendimus: quæ ista temeritas est, vt nos posse dicamus per gratiam, quod nullus quantuncunque iustus etiam per eam potuit? Nunquid possumus esse meliores Patribus nostris, ac patriarchas & prophetas & Apostolos antecellere? Nunquid maior gratia ad futura nobis est, quam illis, qui primitias Spiritus acceperunt? An forte errasse credendus est Ecclesiastes, qui ait, secundum quod citat Diuus Hieronymus: *Omne quod futurum est, iam factum est in priori seculo?* Obiect. 2

Respons. Sed nos neque futurum aliquem ita sanctum credimus, qui nullum in vita admittat peccatum, neque maiorem sanctitatem, aut innocentiam aut munditiam asserimus in nouissimis temporibus futuram, quam fuerit in principio nascentis Ecclesiæ. Atque idipsum, quod nos possumus per gratiam, fatemur & potuisse multo facilius patres nostros. Ecclesiastæ autem testimonium ad naturalia opera, & communem huius seculi cursum referendum est, non autem ad ea quæ ex nostro vel Dei arbitrio pendent. Erunt enim & fuerunt semper pleraque ex his multa, quorum nulla præcesserunt omnino similia. Et quamuis nullus futurus esset omnino iustus, tamen id nolumus asserere cum Diodoro impossibile. Longe enim rectius, quam ille Chrysippus, philosophatus est, qui possibilia esse dicit multa, quæ nunquam tamen futura sunt. Potest enim fieri, vt ego vel hunc diem absque omni peccato transigam, quod tamen forsan nunquam futurum est.

Neque in iniuriam existimamus cedere Patriacharum, Prophetarum, vel Apostolorum, si dicamus posse nos quidem per

Dei

Dei gratiam id esse, quod illi quoque esse potuerunt, sed non fuerunt. Voluit enim Deus eam potestatem communem esse omnibus. Et necesse est profecto concedere, posse nos illa vitare peccata, quæ illi non vitarunt. Satisque est, vt sua illis prærogatiua sarta tecta & inuiolata sit, constanter fateri, vt par est, nos nunquam ad gradum sanctitatis eorum peruenturos, neque tot euasuros peccata, quot illi per Dei gratiam, & admirandam diligentiam & solicitudinem suam euaserunt.

Neque tamen scio reuera, vnde necesse sit concedere, nomine sanctorum posse cum Dei gratia ad eorum sanctitatem*, nisi loquamur de impotentia morali, & ex lege, qua ea solemus dicere esse impossibilia, quæ nunquam futura esse secundum legem Dei scimus. Qua quidem impotentia & nos quoque palam affirmamus, neminem posse deuitare omnia peccata. Quare nemo sic poterit esse s. per Apostolos, aut quod Apostoli non fuerunt.

* peruenire

Obiect. 3. Sed si possunt homines per Dei gratiam omnes culpas vitare, cur nullus tamen hactenus vitauit?

Responsio. Respondeo breuiter cum Augustino, 2. de peccatorum meritis & remissione, capite decimoseptimo, quia homines nolunt. Et si rursus quæratur, quare homines nolunt? dico cum eodem sine præiudicio diligentioris inquisitionis, Nolunt homines facere quod iustum est, siue quia latet, an iustum sit, siue quia non delectat.

Obiect. 4. Quarto & imbecillitas ipsa nostri corporis videtur contra nos indu i posse. Cum enim ex corpore & anima compacti simus, & in vtraque parte vulnerati per peccatum, & id sit in anima peccatum, quod in corpore languor, cum nullus in hac vita sic possit perfecta sanitate frui, vt non aliquando incidat in ægritudinem: videtur & eadem ratione concedendum esse, neque posse animas nostras ita valetudinem suam semper & in toto vitæ decursu tueri, vt non aliquando alicui saltem leui culpæ fiant obnoxiæ.

Respons. Tamen hæc similitudo eatenus duntaxat acceptanda est, quatenus docet nos per vires nostras naturales haudquaquam posse vitare omnia peccata. Aliud est enim, quod per gratiam possumus saluatoris: aliud, quod per vires nostras ipsius fauore destitutas.

CAPVT XXIIII.

De sententia & argumentis Caluini, contra potestatem implendi legem Dei per gratiam.

ATQVE hoc minus ferendi sunt hæretici nostri temporis, quod ne per auxilium quidem gratiæ Dei, posse nos putant implere vniuersam legem. Sed quoniam contra Lutherum huius doctrinæ parentem, abunde Libro vndecimo disputauimus, & eadem ad euertendum Caluinum satis sunt, tantum curabo nunc illa refellere, quæ iste contra definitionem & argumenta Patrum obiectat: Fatemur, ait Augustinus, Deum, si velit, posse hominem euehere ad tantam perfectionem, vt impleat legem: sed neque fecisse vnquam, neque facturum, quia aliter scripturæ docent. Ego autem vlterius progredior, atque impossibile esse assero, quod scripturæ nũquam futurum pronunciant. Hæc Caluinus. Cal. in ca. 17 1 sess. 6

In limine videlicet naufragium. Salomon monet, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* At ille, Fatetur, inquit, Augustinus. Ego autem vlterius progredior. Quo vero miser progrederis? Plane in præcipitium. Impossibile, dicis, esse assero, quod scripturæ nunquam futurum pronunciant. Et quis tibi hanc potestatem dedit? Nonne ipsa scriptura tibi interdixit, ne addas quicquam ipsius verbis, vel minuas? Quo iure tibi vsurpas, vt quæ illa dixit non futura, tu impossibilia dicas? Nunquid & Deo libertatem vis cum Vuiclefo abrogare, & necessaria fore asserere, quæcunque scriptura futura pronunciat? Quid quod neque Augustinus, neque aliquis Prou. 22.

quis vnquam Catholicus eo, quo tu, sensu dixit neminem impleſſe legem? Nam tu neminem contendis ſeruaſſe legem citra culpam mortalem, & omnibus iuſtis neceſſariam fuiſſe veniam, vt permanerent in Dei gratia. Auguſtinus vero, vt patet ex teſtimonijs ipſius ſupra citatis, & omnes Catholici nonnullos credunt fuiſſe iuſtos, qui legem Dei ſemper ſeruauerint, nec admiſerint, niſi culpas minutas & veniales, & poſſe ab omnibus iuſtis cum Dei adiutorio lethales culpas vitari, ſicut à Patribus in hoc capite ſtatutum eſt, indubitatum eſſe crediderunt. Nam ſi tu diceres, non poſſe à nobis ſeruari legem ex toto, hoc eſt, citra culpam omnem venialem & mortalem, quamuis aliud à nobis, & à ſanctis Patribus iam citatis ſentires, non tibi tamen ea ratione hæreſeos notam impingeremus.

Et quanquam ex iam citatis ex tua iſta execranda antidoto, liquidum eſt, te abrogare nobis poteſtatem vitandi culpam lethalem etiam cum Dei adiutorio, tamen ne mihi quiſpiam fidem abrogat, nec dubitet te in hac impietate fuiſſe, alia tua verba ſubiungam.

In ca. 7. Longum eſſet ac moleſtum ſingula notare, ſed hoc magis inſigne eſt, quam vt præteriri debeat. Subijciunt, catechumenis fidem ab Eccleſia petentibus reſponſum dari: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Væ eorum catechumenis, ſi tam dura illis conditio imponitur. Quid enim aliud, quam æterna illis maledictio imponitur? Agnoſces, credo, hæc tua eſſe verba. Sed dic impie: Nunquid & Chriſtus maledictionem, indicebat adoleſcenti, qui pie illum, vt ſupra oſtendimus, rogauit, quid faciendo vitam æternam poſſideret? Ita gratus es omnium Saluatori, vt viuifica illius verba maledictionem cuiquam putes indicere? Væ, inquis, eorum catechumenis, ſi tam dura illis conditio imponitur. Immo væ ſine dubio tibi, ſi eam non expleueris. Nec enim potes aliter ſaluus fieri. Quid vero amplius dicit Eccleſia, quam Chriſtus? Non aduertis te Chriſtum ipſum reprehendere, cum nobis exprobras, quod illius verbis vtamur? Quid licet tradere mundo ex ipſius doctrina, ſi hoc non licet? Equidem & toti veſtro dogmati conſonat, omnem obſeruantem mandata, ad vitam peruenire. At enim, inquis, nemo ſeruat mandata, ſed neque ſeruare poteſt. Hoc eſt quod te dicere volebam. Cur igitur Chriſtus iſti adoleſcenti hoc præcipiebat, aut neceſſarium ad beatitudinem ſuggerebat? Nequeunt ſane impoſſibilia neceſſaria eſſe ad aſſequenda poſſibilia. Irridereque hoc erat, non docere, neque reſpondere. Dic mihi: Si quempiam rogares, quid faciendo peruenires ad gratiam Imperatoris, & tibi ille reſponderet: Si vis ad eius gratiam venire, conſcende in cœlum: Nonne eum crederes, aut illudere tibi velle, aut certe ſignificare, id non eſſe tibi vllo pacto poſſibile?

Dic igitur plane, Chriſtum illuſiſſe hunc adoleſcenti, quando non ita inſanis, vt dicas nobis eſſe ſignificatum, quod non poſſimus peruenire ad vitam. Nunquid autem & Apoſtolis illuſit, cum eis dixit: *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea:* Io. 15. & 13. ruſus, *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea?* Abſit tanta impietas ab optimo & veraciſſimo magiſtro. Nulli vnquam ille illuſit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Quin vero, cum diceret adoleſcens ille ſe omnia mandata ſeruaſſe, intuitus eum, * dilexit ipſum, teſte Marco, nec mendacij illum coarguit, ſed ad maiora & perfectiora eſt exhortatus.

Hanc & illa sequentia ad fin. pag. incuria typothetæ hic sunt posita, quæ pius lector transiliet

Verum audi pie lector, qua ſtropha verba Chriſti deludat: Quia interrogauerat adoleſcens, *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* quaſi non abſolute rogauerit, quid eſſet neceſſarium ad vitam æternam poſſidendam, ſed quid facere ad id oporteret, perinde putat Chriſtum reſpondiſſe, ac ſi apertius dixiſſet, Certè quiſquis vitam operibus vult promereri, regulam habet ſibi à lege præſcriptam, *Hæc fac, & viues.* Sed conſiderandus eſt, addit, quia à Paulo indicatur finis, vt vires ſuas expertus homo, vel potius impotentiæ ſuæ conuictus, depoſita ſuperbia, nudus ad Chriſtum confugiat. Sed nunquid non & hoc facere oportet ad

dilexit ipsum, teste Marco, nec mendacij illum coarguit, sed ad maiora & perfectiora est exhortatus.

Stropha Caluini.

Verum audi pie lector, qua stropha verba Christi deludat: Quia interrogauerat adolescens, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* quasi non absolute rogauerit, quid esset necessarium ad vitam æternam possidendam, sed quid facere ad id oporteret, perinde putat Christum respondisse, ac si apertius dixisset, Certe quisquis vitam operibus vult promereri, regulam habet sibi à lege præscriptam, *Hæc fac, & viues.* Sed considerandus est, addit, qui à Paulo indicatur finis, vt vires suas expertus homo, vel potius impotentiæ suæ conuictus, deposita superbia, nudus ad Christum cõfugiat. Sed nunquid non & hoc facere oportet ad ingrediendum ad vitam? Cur nõ ergo & hoc illi optimus magister præscribebat? Cur & hoc à mandatis seiungis? Si per fidem hoc fit, an nõ ipsa opus à Christo dicitur, & nobis est procul dubio in mandatis? Quod si & hoc Christus respondit, quod ais, eoipso satis indicabat mandata esse possibilia, & sufficere ad perueniendum in vitam. Quid est aliud, *Hæc fac, & viues:* quam, Si hæc feceris, viues? Vt quid autem Tridentinos Patres infimulas, quod à gratia Christi nos ad Moysen traducant? Certe necessitatem decalogi non apertius tradit vetus testamentum, quam nouum: neque fides legem destruit, sed statuit, & tu ipse in canon. 21. fateris Christum esse datum nobis, vt legislatorem, cui obediamus, & in canonem 11. fidem, quæ iustificat, non esse solam. Qua ratione vero necessarium est, vt obseruationem mandati pœnitentiæ vel spei, aut dilectionis coniunctam habeat, vt possit iustificare, indigebit & obseruatione aliorum mandatorum. Nam Deus omnia exigit & perinde ad omnia obligauit. Sed agnosce hic inconstantiam tuam & falsitatem nunquam posse satis subsistere. Requiri in his mandatorum obseruationem, & iustos palam subijcis diuinis mandatis, tamen in cap. 7. maledictos asseueras omnes, qui legi sunt obnoxij, & iustitiæ legis: ideo ais Paulum opponere fidei iustitiam, quod operibus minime constet, sicut illa.

Calumnia Caluini.

Contradictio Calu.

Addis etiam, oportere iustitiam, quæ ex lege est, vt noxium impedimentum abijcere, vt illam obtineamus, quæ ex fide est Iesu Christi. Et in cap. 8. Petrum sensisse, non esse exigendam à Gentibus legis obseruationem, quod nõ sit salus nisi per Christi gratiam. Et in c. 9. indistincte: Fidei nullam fore certitudinem, si operib[us] nitatur salus hominũ. Et in can. 20. in eo differre à lege Euangelium, quod non ex conditione operũ, sicut illa, sed ex fide, vitam promittat. Quæ si vera sunt, non modo fides sola iustificat, sed fides, quanuis resultes, iustificare omnes potest etiam sola. Si enĩ euangelium vitam promittit absque conditione operum, nullum igitur opus necessarium est ad vitam.

Sed quot hîc sunt ô bone Deus, errorũ portenta? Tot profecto, quot sententiæ. Paulus maledictos asseuerat, iuxta testimonium legis, eos qui præuaricatores sunt legis. Caluinus etiam, omnes obnoxios legi, maledictos dicit. Profecto, vt quando oẽs subiecti sumus legi, omnes inuoluat maledictione æterna, cui ipse subest. Paulus nũquam opponit iustitiam legis iustitiæ fidei. Nam fatetur factores legis iustificari, & fidei iustitiam, etiam iusti iam legis completi. Caluinus alteram alteri opponere illum dicit, & contrarias sibi inuicem istas tradidisse iustitias. Paulus legem affirmat sanctam, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum, & legem ait pædagogum nostrum fuisse in Christo, atque eam stabiliri per fidem. Caluinus dicit oportere iustitiã, quæ ex lege est, vt noxium impedimentũ, abijcere. Petrus & cęteri Apostoli, qui Cõcilio Hierosolymitano de obseruatione legalium interfuere, sua vel potius sancti spiritus authoritate indicunt quædam mãdata Gentibus, & necessaria illis affirmant. Caluinus dicere audet, Petrum sensisse, nõ esse à Gentibus exigendam legis obseruationem, & quod ille ad legalia & cæremonialia veteris legis retulit, ipse ad moralia & ad vniuersam legem transfert.

Errorum Caluini acerius.

Atque vt omnem expleat impietatem, cum euangelium & vniuersi Apostoli passim requirant ad gratiam & gloriam opera,

pera, videlicet obseruationem mandatorum, ipse contra in eo differre tradit à lege euangelium, quod non ex conditione operum sicut illa, sed ex fide vitam promittat. Et qui Catoniana nobis inflatur superbia, & Milonis humeris intumescit, non intelligit Euangelium & Apostolos non abijcere opera, sed ea dicere, quod & nos incunctanter fatemur, ad iustitiam minimè sufficere. Neque Iudæos dicit Paulus ad iustitiam non peruenisse, quia operibus intendebant, sed quia neglecta fide, ipsa sibi opera ad iustificationem putabant satis esse, quæ sine fide & sine gratia Dei per vires proprij arb. faciebant. Hoc quippe est quod ait *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Et rursus: *Israel sectando legem iustitiæ ad legem iustitiæ non peruenit.* Quare? *Quia nõ ex fide, sed quasi ex operibus.*

Rom. 3. & 9

Differentia legis & euangelii.

Et vt intelligas Caluine, quam non assequeris, differentiam legis & euangelij, ac iustitiæ operum & iustitiæ fidei, quas Paulus videtur nonnunquam inter se opponere, scito & intellige, euangelium seu fidem palam prædicare, necessariam esse nobis ad vitam & gratiam Dei, & merita Christi, & aduersari errori siue Iudæorum, siue Pelagianorum, existimantium propria liberi arbitrij opera ad veram iustitiam sufficere. Atque hic error & vana iustitiæ persuasio, est noxium illud impedimentum, quod Paulus docet oportere abijcere ad apprehendendam veram iustitiam. Quia vero Euangelium vel fides gratiam & merita Christi comprehendit, quibus potissimum iustificamur, & ea in se non comprehendit lex, vt distinguitur ab euangelio & fide, ideo per fidem & euangelium constanter fideles dicimus homines iustificari, ac vere apprehendere iustitiam, quam non potuit conferre lex. Atque ideo dicit Paulus: Si qui ex lege, hæredes, exinanita est fides: quia si lex sufficit ad obtinendum hæreditatem, superflua est fides, nec opus erat, legi superaddi fidem. Sed non amplius lectorem morabor in tuis explicandis erroribꝰ: veniam ad tua argumẽta, & pedẽ cum pede conferã, ac iuxta disputationis tuæ ordinem, nostræ quoq; resp. ordo proceder.

Primum argumentum, quod torques contra anathema latum à Patribus contra dicentes, homini iustificato præcepta esse ad obseruandum impossibilia, hoc est: An Spiritum sanctum arguemus mendacij, qui vniuersos, non vnius tantum seculi, homines transgressionis reos peragit, sed quotquot vsque in finem mundi futuri sunt? *Non est homo super terram,* inquit Salomon *qui non peccet.* Dixerat autem Dauid: *Non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuentium.* Si possibile est aliquem inueniri, qui legem impleat, retractet Spiritus sanctus hæc oracula.

Obiectio 1. Caluini in cap. 11.

3. Reg. 8.

Psalm. 143

Atqui nihil opus est hæc retractari, quia Salomon & Dauid non potentiam negãt, vt tu facis, sed factum duntaxat. Neq; nos dicimus nostræ potestati subesse, vt non fuerimus peccatores & rei in conspectu Dei propter peccatum originale, & ad eius remissionem obtinendam indigere nos gratia & benignitate Dei, in confesso est apud omnes Catholicos: sed de vitandis nouis & proprijs peccatis actualibus nunc agimus. Et Dauidem quidem, quem tu allegas, non semel veracissima scriptura plenè testatur, vt libr. 11. ostendimus, omnia Dei seruasse mandata, antequam lapsus esset in adulterium & homicidium, & post illorum delictorum pœnitentiam. Et alioqui, sicut recte dicit Augustinus, 1. retract. 19 omnia mandata, facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Nec veniales culpę impediunt, vt iam ostendimus, quo minus quis dicatur seruare mandata. Nam si impedirent, quis esset in gratia, præsertim si, vt tu dicis, vix momentum præterit, quo non contrahamus nouum aliquẽ reatum?

Responsio.

Sed addis: Quin etiam euanesceret illud Pauli argumentum: Scriptum est, *Maledictus omnis, qui non permanser it in omnibus, quæ scripta sunt.* Ergo quicunque sunt sub lege, maledictioni sunt obnoxij. Promptum enim erit excipere, Legem posse impleri. Sed Apostolus pro confesso principio sumit, quod anathemate isti damnant.

Obiect. 2. Caluini. Gal. 3.

Quantis vero hic peccas Caluine? Hoc est quod tibi & tuis arrogas, plus lucis intelligendis scripturis attulisse, quã omnes, qui ab exortu, vt ais, Papatu inter nos fuerunt

Responsio. Adulterat Scripturam Caluinus.

erunt

erunt Doctores? Obscurare hoc est, non elucidare scripturas: adulterare, non interpretari. Paulus non assumit pro principio, legem nō posse impleri. Siquidem disertissime asseruit factores legis iustificari, & praeuaricatores legis terribilibus pœnis subiicit. Nec omnes, qui sunt sub lege, maledictioni obnoxios facit, sed eos duntaxat qui ex operibus legis sunt. Verba enim illius haec sunt: *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Esse autem illos intelligit ex operibus, qui per opera legis, absque fide & gratia peruenire se putant ad veram iustitiam. Nam, vt copiose prosecuti sumus in q. 2. libr. de iustific. opera, ex quibus dicit Paulus neminem iustificatum, & quorum iustificatio aduersaretur iustificationi gratuitae, sunt opera, per legem aut vires naturales, sine auxilio gratiae Dei, facta. Neque damnabat, caece, vt tu putas, opera, sed insufficientiam eorum, & necessitatem fidei & gratiae ostendebat. Ac propterea dixit, eos, qui ex operibus legis erant, sub maledicto esse: quia qui fidem & gratiam non requirunt, nec ipsam legem possunt implere. Quare & alibi dicit, legem neminem ad perfectum adduxisse, neq; potuisse quenquam iustificare, sed quod durius est, occidere & non viuificare, nisi viuificet spiritus. Qui enim de operibus suis praesumunt, & quasi viribus suis conantur legē implere: nō in aliq̄b. sed in multis necesse est deficiant.

Pulchre Augustinus, in psal 70. *Lex sine gratia, litera sola est: Manet ad conuincendam iniquitatem, non ad auferendam. Habes literam, sed non imples literam? Vnde non imples literam? Quia de te praesumis, opera tua extollis, nescis necessariam esse gratiam adiuuantis, vt impleatur praeceptum iubentis.* Et propterea in psal. 83. explicat dixisse Apostolum, occasione accepta peccatum per mandatum operatum esse nobis mortem: quia dum homines quasi ex suis viribus conati sunt illud implere, turpiter & miserabiliter corruerunt. Et ser. de illuminatione caeci. Quid fecit lex sine gratia, nisi magis reos? Quare? Quia legis auditores, & non factores, ac per hoc peccatores praeuaricatores. Ac vbi aliud non esset, vel illud certe debuisset te deterrere à sic exponendo Paulo quod absurdum est & impiū, maledictos fuisse dicere tam multos & praecellentes viros, qui in veteri testamento fuerunt. Nam oēs illi sub lege fuerūt, nec maledicti, sed benedicti à Deo, & mirificis laudibus exornātur ab ipso Paulo. Fidem enim habuerunt & gratiā, ac vt Aug. epist. 120. c. 2. & alij Dd. recte colligunt, ad nouum testamentum, tametsi essent sub lege, ea ratione spectabant.

Sed non mirum, si tam inique de illis hic sentis, qui hoc ipsum apertius confirmās, mox subiicis. Quanq̄ si de voce *Impossibilis* agitur, ea quoq; expressa est à Petro, cum legem iugū appellat, quod null' patrū ferre potuerit. Fallit enim, qui putat, ad caeremonias tantū hoc spectare. Quid n. tam arduum continebant ceremoniae, vt omnes humanae vires sub earū onere deficerent? Sed ꝓculdubio signabant, impares fuisse ab initio vniuersos mortales legis obseruationi, hodieq; esse, immo nihil restare, nisi vt confugiamus ad Christi gratiā, quę soluto legis iugo, sub libera custodia quodammodo nos cōtinet. Ac notandum, addis, de regeneratis ipsum loqui, ne cauillētur Tridentini Patres de carnis infirmitate id esse dictum, vbi abest auxiliū spiritus. Prophetas enim & patriarchas & pios reges, vtcunque Dei spiritu adiuuarentur, ferēdo legis iugo pares fuisse negat, ambigue pronūciat impossibilem fuisse legis obseruationem. Obiectio Caluini.

Hacten' placuit ipsissima tua verba referre vt intelligant oēs, nō immerito me tibi tribuisse, q̄ sanctos oēs veteris test. maledictioni subijcias, & nos à vinculo legis soluas, & nec illos, nec quenquā ex nobis, sub gratia viuētem, legē obseruasse contendas. Tam absurda vero sunt quę dicis, vt nesciā, vnde illis respondere aggrediar. Nō pudet te impudentissime hominū, ita legi, ita gratiae ita spiritui Dei detrahere, vt dicas oēs San. vtcunq; Dei spiritu adiuuarēt. ferēdo legis iugo impares fuisse, & hodie esse? Quid potest iniquorem Dei legē facere? q̄d infirmiorem Dei gratiam? quid imbecilliorem Dei spiritum? Ad quid vult nos Deus postulare suam gratiam? ad quid impartitur suū Spiritum, si ne per illum quidē, possumus ipsi-

 us le-

us legem seruare? Potuerunt Israelitæ per humanas vires, iuxta tuam sententiam, veteris legis cæremonias seruare, quæ solæ faciebant illam grauiorem & duriorem, quã sit lex gratiæ. Et ne sanctissimos quidem viros per auxilium gratiæ Dei vis potuisse seruare, quod reliquum erat legis?

Quanto te rectius de vniuersa lege pronunciat Augustinus, 2. de bap. paruulorum. *Lex data est vt gratia quæreretur: gratia data est, vt lex impleretur?* Quanto Bernard. qui de gr. & lib. arbit. ait: *Non hic possumus penitus esse sine peccato & miseria, possumus tamẽ. gratia iuuante, nec peccato superari, nec miseria?* Quanto alij sancti Doctores, lib. 11. citati? Sed vbi non vis admittere Petrum retorsisse verba sua ad solas legis cæremonias, de quibus tum vel solum, vel certe præcipue tractabatur, neque ea illum dixisse pateris propter solam virium humanarum imbecillitatem, admittes ingratis, eum ita locutum esse propter grauem legis difficultatem, & quia rarissimi potuerunt illam ad perfectum implere. Nam & vulgo inexpugnabile castrũ dicimus, quod vix aut difficilime expugnari potest: & importabile onus affirmamus, quod non nisi magna difficultate & graui labore portari potest. Et supra sæpe docuimus, scripturam hoc genere locutionis fuisse vsam. Nec amplius erat necessarium proposito Petri, qui hoc tantum nitebatur, ne adeo difficilis sarcina imponeretur humeris credentium. Nouerat, vt de alijs sanctis sileam, Zachariam & Elizabeth incessisse, sicut dicit Lucas, in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Quod & Paulus, authore Augustino, 2. de pec. me. & re. cap. 13. de se testatur, cum dicit, secundum iustitiam, quæ ex lege est, fuisse se sine querela. Quorsum vis Caluine Deum optimum & sapient. ff. mortalibus eiusmodi legem tulisse, quam nec per illius adiutorium quispiam possit seruare?

Obiect. 4. Psalm. 129. Vt confugiant, inquis, ad gratiam Dei. Propter hoc enim ait Dauid, *Apud te est propitiatio, vt timearis.*

Responsio. Et quid opus est, vt De° indulgeat, quod euitari non potest? Vbi libertas nõ est, nec culpa est. Vbi culpa non est, propitiatione opus non est. Deinde: Ne homo sibi fidat, sed confugiat ad Dei gratiam, satis est legẽ non posse impleri ex proprijs viribus, & indigere nos eam in rem diuina opitulatione. Non hoc agit Dauid, si tu aslatione vtamur, quam sequeris, vt ostendat, necessarium esse nobis ad timendum & colendũ Deum, vt semper subiaceamus alicui culpæ, quæ venia indigeat. Quid minus necessarium ad confugiendum in Deum? Sed ideo ex animo Deum coli significat, quia remittit misericorditer peccata. Nisi enim ea bonitate esse agnosceretur, vt condonaret admissas culpas, nemo illum pie & ex corde veneraretur, sed duntaxat metueret vt tyrannum. Si non est voluntatis diuinæ mors impij etiam corporalis, multo minus erit spiritualis. Vult ergo sine dubio Deus, vt cõfugiamus ad ipsius gratiam, vt obseruemus legem: nec dedit legem, vt rei transgressionis, ipsius imploremus misericordiam.

Vnde Augustinus serm. 13. de verb. Apost. & in psa. 118. in adiutoriũ quidem datam esse nobis legem affirmat, ne nos sanos putaremus, & vt de magnis & superbis paruos & humiles faceret, non quidem sicut vos putatis, quia agnoscẽtes nos ipsius præuaricatores, confugeremus ad fidem, & per illam sine vlla legis impletione apprehenderemus iustitiã: sed quia per illam agnoscimus morbum & imbecillitatem nostrã, atque inde cogimur implorare diuinã misericordiã, vt ipsius adiutorio impleamus legẽ, nec præuaricationẽ incurramus. Sed hæc pluribus fortassis quam opus erat, ne queri possis me aliquid dissimulasse, quod pro te faceret. Nam alioqui sententias vestras prodidisse, supera ssẽ est.

CAPVT XXV.

De germana canonis XXIII. expositione.

VERVM illud premere magis & vrgere videtur sentẽtiam istam de n... re... te vitandi omnia peccata, quod à Patribus definitum est in canone 23. huius decreti. Nanq; ibi anathema indicitur asserẽti... hominem iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiã venialia vitare, nisi ex speciali

ciali Dei priuilegio, quemadmodũ de beata virgine tenet ecclesia. Et quanquam ipse per se canon satis aperte militat cõtra nos, & palam videtur opponi sententiæ, quam tuemur, neque vlla inductione aut expositione egere, tamen quo clarior sit repugnantia, trifariam possumus eum contra nos inducere.

1. Primo: Quæ non possunt fieri à nobis nisi ex speciali Dei priuilegio, ea neq; ab omnibus fieri possunt, neq; ab aliquo, ante impartitum priuilegium. Sunt enim priuilegia paucorum, & nemini frustra dantur. Frustra autẽ darentur, si eadem possemus sine illis, quæ possumus & per ipsa. Cum igitur manifeste hic diffinierint Patres: nullum iustorum posse vitare omnia peccata, etiam venialia, nisi ex speciali Dei priuilegio, non hoc poterit quiuis iustus sicut nos diximus, sed paucissimi, immo nullus, nisi cui fuerit communicatum tale priuilegiũ.

2. Secundo: Omne priuilegium, derogatio est legis communis. Neq; locum habẽt priuilegia, nisi vbi aliqua est lex in contrarium. Si ergo nullus mortalis vitare potest omnia peccata, nisi ex priuilegio, necesse erit secundum legem, omnes mortales aliquando incidere in aliquod peccatum: & impossibile, iustos aliquos omnibus obsistere peccatis. Atque ideo cum, theologice loquendo, ea dici debeant simpliciter impossibilia, quæ nequeunt fieri secundũ legem: nõ potest absolute concedi, posse iustos etiam per Dei gratiam omnia deuitare hic peccata.

3. Tertio: Si possunt iusti secundum legem omnes laqueos peccatorum euadere, nihil opus est Deum impartire quenquam aliquo priuilegio, vt id faciat, neque beata virgo ex speciali priuilegio omnia euitauerit. Quorum contraria hic statuerunt Patres. Et quidem manifesta videtur cõtradictio, asserere nos indigere speciali priuilegio, vt id faciamus, quod possumus absq; derogatione a iure legis facere. Nam perspicuũ est, citra priuilegium posse in actum reduci omnem potentiam faciendi aliquid, quod non est contra legem. Neq; ex speciali priuilegio potest dici quispiam facere, quod potest facere secundum legem cõmunem. Et si mortalium aliquis hoc potuisset per Dei gratiam præstare, vt se tota vita liberũ seruaret & immunem à peccato, maxime hoc potuisset beatissima virgo, neq; ambigendum esset, quin ipsa hanc potentiã deduxisset in actum. Quantum enim humanæ vires intentæ possunt esse DEI mandatis exequendis, quantumque affectus & seruitutis homo potest in hac vita Deo amando & colendo præstare, tantum & intentam mandatis eam fuisse Dei obedientiæ, cultui atq; amori, certum & indubitatum est. Quod si illa hoc potuit ex lege, frustra Deus, qui nihil facit frustra, aliquod Dei priuilegium ad eam rem impendisset.

Cum igitur illa ex priuilegio dicatur omnia euitasse, manifeste sequit̃, neq; ipsam potuisse tantum Deo obsequium præstare secundum legem. Et si illa non hoc potuit secundum legem, non id poterit quispiam mortalium. Quis enim nostrum tantam poterit vel ad horam adhibere solicitudinem, quis tantum feruoris & alacritatis adimplendis Dei mandatis, vel ad minimam temporis particulam impẽdere, quãtum illa tota vita præstitit? Cui etiam paratior quam illi, aut plenior possit contingere Dei gratia? Totus itaq; canon, & ea præcipue, quæ speciale priuilegiũ ad vitandum omnia peccata requirunt, quæque asserunt B. Virginem ex speciali priuilegio ea vitasse, aperto Marte videntur depugnare contra nos. Non vna tamen, sed triplex ratio cum nobiscum conciliandi occurrit.

Primo, sicut in scriptura & apud graues authores ea impossibilia dici ostendimus, quæ moraliter fieri nequeunt: ita dicere possumus, Patres asseruisse impossibile, quẽquam vitare omnia peccata, nisi ex speciali priuilegio, quia hoc est impossibile moraliter. Non enim verisimile, voluisse Patres his verbis amplius diffinire, quam quod olim Patres in Cõcilio Mileuitano, & August. & Hier. in locis cit. cõtra Pelagiũ statuerunt, neminẽ videl. hic viuere, aut vixisse, aut victurũ esse, aut moraliter posse viuere sine peccato, nisi quẽ Deus sua specialissima gratia ab omni culpa præseruauerit. Expositio 1a. Can. 23.

tueri, si diligenter pro nostra tenuitate explicarem, quemadmodum eximia illius & omnino præstantissima merita nobis communicarentur, & quadam participatione nostra fierent, ac quatenus id nobis, & quoties est necessarium. Sed ipsa in primis Sanctæ Synodi verba, omni veneratione digna, attentè audiamus.

DE FRVCTV IVSTIFICATIONIS, HOC EST, DE MERITO BONORVM OPERVM, DEQVE IPSIVS MERITI RATIONE.

Caput Decimumsextum.

HAc igitur ratione, iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo seruauerint siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. *Et,* Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *Atque ideo bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen & cursum, repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Cum enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi, pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur, cum Christus saluator noster dicat:* Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ita neque propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur, nec ignoratur, aut repudiatur iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis vsqueadeo tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum: & Apostolus testetur, id quod in præsenti & momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen, vt Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia* in multis offendimus omnes, *vnusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita seueritatem & iudicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare. Quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei,* qui illuminabit

Corin. 15. Heb. 6. & 10. Ioan. 4. Iacobi 3.

minabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui, *vt ſcriptum eſt*, reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

CAPVT I.

Compendium ſententiæ cap. 16. cum erroribus in eo damnatis.

Diffinita 4. in hoc cap.

QVATVOR præcipua hic video diffiniri à Patribus. Primo in ipſa fronte capituli, opera bona & pios iuſtorum labores non inanes eſſe, ſed magnam omnino habere remunerationem, ex Pauli teſtimonijs colligunt. Et vt omnium animos in ipſius amorem ac deſiderium inflamment, in illis verbis, Atque ideo bene operantibus &c. qualis & quanta ſit hæc remuneratio, & quemadmodum bonis operibus iuſtorum repoſita ſit, & propter Chriſtum promiſſa, ac ſuo tempore, vt gratia & merces fideliſſime reddenda, diſerte exponunt. Secundo, iuſtificatis bene operantibus diffiniunt nihil amplius deeſſe, vt & ſatisfeciſſe legi diuinæ, & beatitudinem ſuo tempore conſequendam promeruiſſe cenſeantur. Quod vt eſſet apertius, in Canone 32. anathema indixerunt neganti, iuſtificatos per bona ſua opera mereri vitam ipſam æternam, & ipſius conſecutionem. Voluerunt namque pro certo & conſtanti haberi, decedentes in gratia, ſtatim conſequi beatitudinem, ſi abſque vllo pœnarum aliquarum reatu hinc deceſſerint, neque aliqua eos rurſus imputatione, aut præſentatione, vel oblatione iuſtitiæ Chriſti ad conſequendam beatitudinem indigere. Et præter

Ioan. 4. Chriſti teſtimoniũ, *Si quis biberit ex aqua &c.* firmata eſt hæc ſententia à Patribus hac potiſſimum ratione, quod à Chriſti meritis habent iuſti, quod bene operentur, & quod opera ſua bona, meritoria ſint & magni precij apud Deum. Quare opus eſſe non videtur alia rurſus imputatione, aut oblatione iuſtitiæ Chriſti, vt illa ſufficiant ad conſecutionem beatitudinis. Et cum dicunt Patres, virtutem bonam, quam Chriſtus iugiter influit in iuſtificatos, bona eorum opera antecedere, comitari & ſubſequi, virtutem bonam appellant auxilia ſpecialia, quibus Deus propter Chriſti merita præuenit, comitatur & ſubſequitur iuſtos, vt incipere & proſequi poſſint bona opera, & in eis perſeuerare. Valor etiam, quem ipſis tribuit, & meritum bonorum operum, & conſeruatio gratiarum, in quibus perſeuerant, virtus eſt à Chriſto influxa. Nam hæc omnia copioſe in lib. 4. oſtendimus, nobis à Deo conferri propter Chriſtum, & ab illius iuſtitia & meritis, quo ad ſuum eſſe & conſeruari, pendere.

Tertio in illis verbis, *Ita neq; propria, &c.* 1.
inferunt Patres ex prædictis, iuſtitiam noſtram, & noſtram eſſe, quia nobis inhæret & in nobis eſt: & Dei eſſe, quia à Deo nobis per Chriſtum infunditur. Et ne fructum 4.
adeo præcellentem noſtræ iuſtificationis ob noſtram ſuperbiam amittamus, duo ſaluberrima his ſubnectunt conſilia.

Ac primo quidem admonent, non eſſe cuiquam, niſi in Chriſto, gloriandum. Nam & merita noſtra, dona ſunt Dei, & ab eo habent, vt ſint merita. Deinde conſulunt, vt nemo ſe iudicet, etiamſi nihil ſibi conſcius fuerit, ſed ſicut miſericordiam & bonitatem Dei, ita ſeueritatem ipſius & iudicium ob oculos ſemper ſtatuamus, differentes examen & iudicium iuſtitiæ noſtræ Deo, qui illuminabit abſcondita tenebrarum. In quibus omnibus quinq; præcipue erroribus obuiam iuit S. hæc ſynodus.

Errores 5. damnati in hoc cap.

Primus eſt Lutheri, & ſuorum ſectatorum, aſſerentium iuſtos debere eſſe certos ſupra omnem certitudinem de ſua iuſtificatione. Secundus eſt dicentium, hoc in ſtatu poſſe nos habere citra Dei reuelationem certitudinem de obtinenda à nobis beatitudine. Tertius eſt negantium inhærentem iuſtitiam. Quartus eſt affirmantium opera iuſtorum non eſſe meritoria beatitudinis. Quintus error eſt exiſtimantium neceſſariam eſſe iuſtis ad conſequendam beatitudinem, nouam quandam imputationem, ſeu oblationem iuſtitiæ Chriſti. Quanquam autem contra primum, 2.

arbitrij potestatem. Et mirifice laudat Augustinum eosdem impugnantem, quod diceret, posse hominem esse sine peccato, si velit, absque Dei gratia: ex quo etiam ostendit, non aliud se voluisse contra eosdem stabilire.

Pensatis igitur omnibus & expensis mature, quæ illis libris D. Hieronymus edisserit, licet in principio libri & alias non semel eo videatur inclinasse, vt in singulis bonis operibus, quantuncunque paruis & facilibus, & nihil ad religionem spectantibus, Dei indigeamus & fruamur auxilio, & in singula talia illud debeamus implorare: tamen tandem in posterioribus asserit, posse hominem per liberum arbitrium vitare aliqua peccata, sed nequaquam posse, nisi per gratiam Dei, omnia subterfugere. Quare non contra nos stare, sed pro nobis, potius dimicare, existimandus est. Vt tamen sub compendio aliquo habeamus omnia, quæ doctissime quidem, sed prælonge & subobscure ibi disputat: commodum erit ad nonnulla argumenta respondere, quæ aduersus nos inde posset curiosus lector colligere.

CAPVT XXIII.

De argumentis, quæ ex Hieronymo possunt colligi contra potentiam vitandi omnia peccata.

Obiectio I. AC primo quidem obijci nobis possunt plurima vtriusque paginæ testimonia, diligentissime ibi à Diuo Hieronymo accumulata, & à nobis maxima ex parte iam citata, quibus asseri videtur nemo hic fuisse sine proprio peccato, quique de sua innocentia vel munditia potuerit gloriari.

Responsio. Verum ea omnia, si bene expendantur, difficultatem & raritatem rei indicant, & impotentiam moralem, aut certe liberi arbitrij imbecillitatem, & nostræ iustificationis incertitudinem: neque vel minimum est inter illa omnia testimonium, quod sic gratiæ Dei aduersetur, vt ne per ipsam quidem vitari posse omnia peccata doceamur.

Secundo possunt contra nos produci ignorantiæ & humani lapsus sanctorum, qui nos præcesserunt. Si enim etiam in sanctissimis viris, qui omni se animo ad virtutes contulerunt, & totis se viribus Dei obsequio & gloriæ consecrarunt, si in patriarchis, in prophetis, in Apostolis nullus fuit, qui omnia deuitauerit peccata, vt paulo ante ostendimus: quæ ista temeritas est, vt nos posse dicamus per gratiam, quod nullus quantuncunque iustus etiam per eam potuit? Nunquid possumus esse meliores Patribus nostris, ac patriarchas & prophetas & Apostolos antecellere? Nunquid maior gratia ad futura nobis est, quam illis, qui primitias Spiritus acceperunt? An forte errasse credendus est Ecclesiastes, qui ait, secundum quod citat Diuus Hieronymus: *Omne quod futurum est, iam factum est in priori seculo?* Obiect. 2

Sed nos neque futurum aliquem ita sanctum credimus, qui nullum in vita admittat peccatum, neque maiorem sanctitatem, aut innocentiam aut munditiam asserimus in nouissimis temporibus futuram, quam fuerit in principio nascentis Ecclesiæ. Atque idipsum, quod nos possumus per gratiam, fatemur & potuisse multo facilius patres nostros. Ecclesiastæ autem testimonium ad naturalia opera, & communem huius seculi cursum referendum est, non autem ad ea quæ ex nostro vel Dei arbitrio pendent. Erunt enim & fuerunt semper pleraque ex his multa, quorum nulla præcesserunt omnino similia. Et quamuis nullus futurus esset omnino iustus, tamen id nolumus asserere cum Diodoro impossibile. Longe enim rectius, quam ille Chrysippus, philosophatus est, qui possibilia esse dicit multa, quæ nunquam tamen futura sunt. Potest enim fieri, vt ego vel hunc diem absque omni peccato transigam, quod tamen forsan nunquam futurum est. Respon.

Neque in iniuriam existimamus cedere Patriacharum, Prophetarum, vel Apostolorum, si dicamus posse nos quidem per Dei

Dei gratiam id esse, quod illi quoque esse potuerunt, sed non fuerunt. Voluit enim Deus eam potestatem communem esse omnibus. Et necesse est profecto concedere, posse nos illa vitare peccata, quæ illi non vitarunt. Satisque est, vt sua illis prærogatiua intacta & inuiolata sit, constanter fateri, vt par est, nos nunquam ad gradum sanctitatis eorum peruenturos, neque tot cauturos peccata, quot illi per Dei gratiam, & admirandam diligentiam & solicitudinem suam cauerunt.

Neque tamen scio reuera, vnde necesse sit concedere, nomine sanctorum posse cum Dei gratia ad eorum sanctitatem*, nisi loquamur de impotentia morali, & ex lege, qua ea solemus dicere esse impossibilia, quæ nunquam futura esse secundum legem Dei scimus. Qua quidem impotentia & nos quoque palam affirmamus, neminem posse deuitare omnia peccata. Quare nemo sic poterit esse sanctus, per Apostolos, aut quod Apostoli non fuerunt.

*peruenire

Obiect. 3. Sed si possunt homines per Dei gratiam omnes culpas vitare, cur nullus tamen hactenus vitauit?

Responsio. Respondeo breuiter cum Augustino, 2. de peccatorum meritis & remissione, capite decimoseptimo, quia homines nolunt. Et si rursus quæratur, quare homines nolunt? dico cum eodem sine præiudicio diligentioris inquisitionis, Nolunt homines facere quod iustum est, siue quia latet, an iustum sit, siue quia non delectat.

Obiect. 4. Quarto & imbecillitas ipsa nostri corporis videtur contra nos indui posse. Cum enim ex corpore & anima compacti simus, & in vtraque parte vulnerati per peccatum, & id sit in anima peccatum, quod in corpore languor, cum nullus in hac vita sic possit perfecta sanitate frui, vt non aliquando incidat in ægritudinem: videtur & eadem ratione concedendum esse, neque posse animas nostras ita valetudinem suam semper & in toto vitæ decursu tueri, vt non aliquando alicui saltem leui culpæ fiant obnoxiæ.

Respons. Tamen hæc similitudo eatenus duntaxat acceptanda est, quatenus docet nos per vires nostras naturales haudquaquam posse vitare omnia peccata. Aliud est enim, quod per gratiam possumus saluatoris: aliud, quod per vires nostras ipsius fauore destitutas.

CAPVT XXIIII.

De sententia & argumentis Caluini, contra potestatem implendi legem Dei per gratiam.

ATQVE hoc minus ferendi sunt hæretici nostri temporis, quod ne per auxilium quidem gratiæ Dei, posse nos putant implere vniuersam legem. Sed quoniam contra Lutherum huius doctrinæ parentem, abunde Libro vndecimo disputauimus, & eadem ad euertendum Caluinum satis sunt, tantum curabo num illa refellere, quæ iste contra definitionem & argumenta Patrum obiectat: Fatemur, ait Augustinus, Deum, si velit, posse hominem euehere ad tantam perfectionem, vt impleat legem: sed neque fecisse vnquam, neque facturum, quia aliter scripturæ doceant. Ego autem vlterius progredior, atque impossibile esse assero, quod scripturæ nunquam futurum pronunciant. Hæc Caluinus. Cal. inst. li. 2 sess. 6

In limine videlicet naufragium. Salomon monet, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* At ille, Fatetur, inquit, Augustinus. Ego autem vlterius progredior. Quo vero miser progrederis? Plane in præcipitium. Impossibile, dicis, esse assero, quod scripturæ nunquam futurum pronunciant. Et quis tibi hanc potestatem dedit? Nonne ipsa scriptura tibi interdixit, ne addas quicquam ipsius verbis, vel minuas? Quo iure tibi vsurpas, vt quæ illa dixit non futura, tu impossibilia dicas? Nunquid & Deo libertatem vis cum Vuiclefo abrogare, & necessaria fore asserere, quæcunque scriptura futura pronunciat? Quid quod neque Augustinus, neque aliquis Prou. 22

quis vnquam Catholicus eo, quo tu, sensu dixit neminem implesse legem? Nam tu neminem contendis seruasse legem citra culpam mortalem, & omnibus iustis necessariam fuisse veniam, vt permanerent in Dei gratia. Augustinus vero, vt patet ex testimonijs ipsius supra citatis, & omnes Catholici nonnullos credunt fuisse iustos, qui legem Dei semper seruauerint, nec admiserint, nisi culpas minutas & veniales, & posse ab omnibus iustis cum Dei adiutorio lethales culpas vitari, sicut à Patribus in hoc capite statutum est, indubitatum esse crediderunt. Nam si tu diceres, non posse à nobis seruari legem ex toto, hoc est, citra culpam omnem venialem & mortalem, quamuis aliud à nobis, & á sanctis Patribus iam citatis sentires, non tibi tamen ea ratione hæreseos notam impingeremus.

Et quanquam ex iam citatis ex tua ista execranda antidoto, liquidum est, te abrogare nobis potestatem vitandi culpam lethalem etiam cum Dei adiutorio, tamen ne mihi quispiam fidem abrogat, nec dubitet te in hac impietate fuisse, alia tua verba subiungam.

In ca. 7. Longum esset ac molestum singula notare, sed hoc magis insigne est, quam vt præteriri debeat. Subijciunt, catechumenis fidem ab Ecclesia petentibus responsum dari: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Væ eorum catechumenis, si tam dura illis conditio imponitur. Quid enim aliud, quam æterna illis maledictio imponitur? Agnosces, credo, hæc tua esse verba. Sed dic impie: Nunquid & Christus maledictionem, indicebat adolescenti, qui pie illum, vt supra ostendimus, rogauit, quid faciendo vitam æternam possideret? Ita gratus es omnium Saluatori, vt viuifica illius verba maledictionem cuiquam putes indicere? Væ, inquis, eorum catechumenis, si tam dura illis conditio imponitur. Immo væ sine dubio tibi, si eam non expleueris. Nec enim potes aliter saluus fieri. Quid vero amplius dicit Ecclesia, quam Christus? Non aduertis te Christum ipsum reprehendere, cum nobis exprobras, quod illius verbis vtamur? Quid licet tradere mundo ex ipsius doctrina, si hoc non licet? Equidem & toti vestro dogmati consonat, omnem obseruantem mandata, ad vitam peruenire. At enim, inquis, nemo seruat mandata, sed neque seruare potest. Hoc est quod te dicere volebam. Cur igitur Christus isti adolescenti hoc præcipiebat, aut necessarium ad beatitudinem suggerebat? Nequeunt sane impossibilia necessaria esse ad assequenda possibilia. Irridereque hoc erat, non docere, neque respondere. Dic mihi: Si quempiam rogares, quid faciendo peruenires ad gratiam Imperatoris, & tibi ille responderet: Si vis ad eius gratiam venire, conscende in cœlum: Nonne eum crederes, aut illudere tibi velle, aut certe significare, id non esse tibi vllo pacto possibile?

Dic igitur plane, Christum illusisse hunc adolescenti, quando non ita insanis, vt dicas nobis esse significatum, quod non possimus peruenire ad vitam. Nunquid autem & Apostolis illusit, cum eis dixit: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea?* Io. 15. & 14 rursus, *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea?* Absit tanta impietas ab optimo & veracissimo magistro. Nulli vnquam ille illusit, nec dolus inuentus est in ore eius. Quin vero, cum diceret adolescens ille se omnia mandata seruasse, intuitus eum, * dilexit ipsum, teste Marco, nec mendacij illum coarguit, sed ad maiora & perfectiora est exhortatus.

Hanc stellā sequentia ad fin. pag. incuriā typothetæ his sunt posita, quæ pius lector trāsibit

Verum audi pie lector, qua stropha verba Christi deludat: Quia interrogauerat adolescens, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* quasi non absolute rogauerit, quid esset necessarium ad vitam æternam possidendam, sed quid facere ad id oporteret, perinde putat Christum respondisse, ac si apertius dixisset, Certè quisquis vitam operibus vult promereri, regulam habet sibi à lege præscriptam, *Hæc fac, & viues.* Sed considerandus est, addit, qui à Paulo indicatur finis, vt vires suas expertus homo, vel potius impotentiæ suæ conuictus, deposita superbia, nudus ad Christum confugiat. Sed nunquid non & hoc facere oportet ad

dilexit ipsum, teste Marco, nec mendacij illum coarguit, sed ad maiora & perfectiora est exhortatus.

Stropha Caluini.

Verum audi pie lector, qua stropha verba Christi deludat: Quia interrogauerat adolescens, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* quasi non absolute rogauerit, quid esset necessarium ad vitam æternam possidendam, sed quid facere ad id oporteret, perinde putat Christum respondisse, ac si apertius dixisset, Certe quisquis vitam operibus vult promereri, regulam habet sibi à lege præscriptam, *Hæc fac, & viues.* Sed considerandus est, addit, qui à Paulo indicatur finis, vt vires suas expertus homo, vel potius impotentiæ suæ conuictus, deposita superbia, nudus ad Christum cōfugiat. Sed nunquid non & hoc facere oportet ad ingrediendum ad vitam? Cur nō ergo & hoc illi optimus magister præscribebat? Cur & hoc à mandatis seiungis? Si per fidem hoc fi, an nō ipsa opus à Christo dicitur, & nobis est proculdubio in mandatis? Quod si & hoc Christus respondit, quod ais, eo ipso satis indicabat mandata esse possibilia, & sufficere ad perueniendum in vitam. Quid est aliud, *Hæc fac, & viues:* quam, Si hæc feceris, viues? Vt quid autem Tridentinos Patres insimulas, quod à gratia Christi nos ad Moysen traducant? Certe necessitatem decalogi non apertius tradit vetus testamentum, quam nouum: neque fides legem destruit, sed statuit, & tu ipse in canon. 21. fateris Christum esse datum nobis, vt legislatorem, cui obediamus, & in canonem 11. fidem, quæ iustificat, non esse solam. Qua ratione vero necessarium est, vt obseruationem mandati pœnitentiæ vel spei, aut dilectionis coniunctam habeat, vt possit iustificare, indigebit & obseruatione aliorum mandatorum. Nam Deus omnia exigit & perinde ad omnia obligauit. Sed agnosce hic inconstantiam tuam & falsitatem nunquam posse satis subsistere. Requiri in his mandatorum obseruationem, & iustos palam subijcis diuinis mandatis, tamen in cap. 7. maledictos asseueras omnes, qui legi sunt obnoxij, & iustitiæ legis: ideo ais Paulum opponere fidei iustitiam, quod operibus minime constet, sicut illa.

Calumnia Caluini.

Contradictio Calu.

Addis etiam, oportere iustitiam, quæ ex lege est, vt noxium impedimentum abijcere, vt illam obtineamus, quę ex fide est Iesu Christi. Et in cap. 8. Petrum sensisse, non esse exigendam à Gentibus legis obseruationem, quod nō sit salus nisi per Christi gratiam. Et in c. 9. indistincte: Fidei nullam fore certitudinem, si operib⁹ nitatur salus hominū. Et in can. 20. in eo differre à lege Euangelium, quod non ex conditione operū, sicut illa, sed ex fide, vitam promittat. Quæ si vera sunt, non modo fides sola iustificat, sed fides, quanuis resultes, iustificare oēs potest etiam sola. Si eñ euangelium vitam promittit absque conditione operum, nullum igitur opus necessarium est ad vitam.

Sed quot hîc sunt ô bone Deus, errorū portenta? Tot profecto, quot sententiæ. Paulus maledictos asseuerat, iuxta testimonium legis, eos qui præuaricatores sunt legis. Caluinus etiam, omnes obnoxios legi, maledictos dicit. Profecto, vt quando oēs subiecti sumus legi, omnes inuoluat maledictione æterna, cui ipse subest. Paulus nūquam opponit iustitiam legis iustitiæ fidei. Nam fatetur factores legis iustificari, & fidei iustitiam, etiam iusti iam legis complecti. Caluinus alteram alteri opponere illum dicit, & contrarias sibi inuicem istas tradidisse iustitias. Paulus legem affirmat sanctam, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum, & legem ait pædagogum nostrum fuisse in Christo, atque eam stabiliri per fidem. Caluinus dicit oportere iustitiā, quæ ex lege est, vt noxium impedimentū, abijcere. Petrus & cęteri Apostoli, qui Cōcilio Hierosolymitano de obseruatione legalium interfuere, sua vel potius sancti spiritus authoritate indicunt quædam mādata Gentibus, & necessaria illis affirmant. Caluinus dicere audet, Petrum sensisse, nō esse à Gentibus exigendam legis obseruationem, & quod ille ad legalia & cæremonialia veteris legis retulit, ipse ad moralia & ad vniuersam legem transfert.

Errores Caluini acerui.

Atque vt omnem expleat impietatem, cum euangelium & vniuersi Apostoli passim requirant ad gratiam & gloriam opera,

pera, videlicet obseruationem mandatorum, ipse contra in eo differre traditã lege euangelium, quod non ex conditione operum sicut illa, sed ex fide vitam promittat. Et qui Catoniana nobis inflatur superbia, & Milonis humeris intumescit, non intelligit Euangelium & Apostolos non abijcere opera, sed ea dicere, quod & nos incunctanter fatemur, ad iustitiam minimè sufficere. Neque Iudæos dicit Paulus ad iustitiam non peruenisse, quia operibus intendebant, sed quia neglecta fide, ipsa sibi opera ad iustificationem putabant satis esse, quæ sine fide & sine gratia Dei per vires proprij arb. faciebant. Hoc quippe est quod ait *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Et rursus: *Israel sectando legem iustitiæ ad legem iustitiæ non peruenit.* Quare? *Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.*

Rom. 3. & 9

Differentia legis & euangelii.

Et vt intelligas Caluine, quam non assequeris, differentiam legis & euangelij, ac iustitiæ operum & iustitiæ fidei, quas Paulus videtur nonnunquam inter se opponere, scito & intellige, euangelium seu fidem palam prædicare, necessariam esse nobis ad vitam & gratiam Dei, & merita Christi, & aduersari errori siue Iudæorum, siue Pelagianorum, existimantium propria liberi arbitrij opera ad veram iustitiam sufficere. Atque hic error & vana iustitiæ persuasio, est noxium illud impedimentum, quod Paulus docet oportere abijcere ad apprehendendam veram iustitiam. Quia vero Euangelium vel fides gratiam & merita Christi comprehendit, quibus potissimum iustificamur, & ea in se non comprehendit lex, vt distinguitur ab euangelio & fide, ideo per fidem & euangelium constanter fideles dicimus homines iustificari, ac vere apprehendere iustitiam, quam non potuit conferre lex. Atque ideo dicit Paulus: Si qui ex lege, hæredes, exinanita est fides: quia si lex sufficit ad obtinendum hæreditatem, superflua est fides, nec opus erat, legi superaddi fidem. Sed non amplius lectorem morabor in tuis explicandis erroribus: veniam ad tua argumẽta, & pedẽ cum pede conferã, ac iuxta disputationis tuæ ordinem, nostræ quoq; resp. ordo procedet.

Primum argumentum, quod torques contra anathema latum à Patribus contra dicentes, homini iustificato præcepta esse ad obseruandum impossibilia, hoc est: An Spiritum sanctum arguemus mendacij, qui vniuersos, non vnius tantum seculi, homines transgressionis reos peragit, sed quotquot vsque in finem mundi futuri sunt? *Non est homo super terram*, inquit Salomon *qui non peccet.* Dixerat autem Dauid: *Non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuentium.* Si possibile est aliquem inueniri, qui legem impleat, retractet Spiritus sanctus hæc oracula.

Obiectio 1. Caluini in cap. 11.

3. Reg. 8.

Psalm. 142

Responsio.

Atqui nihil opus est hæc retractari, quia Salomon & Dauid non potentiam negãt, vt tu facis, sed factum duntaxat. Neq; nos dicimus nostræ potestati subesse, vt non fuerimus peccatores & rei in conspectu Dei propter peccatum originale, & ad eius remissionem obtinendam indigere nos gratia & benignitate Dei, in confesso est apud omnes Catholicos: sed de vitandis nouis & proprijs peccatis actualibus nunc agimus. Et Dauidem quidem, quem tu allegas, non semel veracissima scriptura plenè testatur, vt libr. 11. ostendimus, omnia Dei seruasse mandata, antequam lapsus esset in adulterium & homicidium, & post illorum delictorum pœnitentiam. Et alioqui, sicut rectè dicit Augustinus, 1. retract. 19 omnia mandata, facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Nec veniales culpę impediunt, vt iam ostendimus, quo minus quis dicatur seruare mandata. Nam si impedirent, quis esset in gratia, præsertim si, vt tu dicis, vix momentum præterit, quo non contrahamus nouum aliquẽ reatum?

Obiect. 2. Caluini. Gal. 3.

Sed addis: Quin etiam euanesceret illud Pauli argumentum: Scriptum est, *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt.* Ergo quicunque sunt sub lege, maledictioni sunt obnoxij. Promptum enim erit excipere, Legem posse impleri. Sed Apostolus pro confesso principio sumit, quod anathemate isti damnant.

Responsio. Adulterat Scripturam Caluinus.

Quantis vero hic peccas Caluine: Hoc est quod tibi & tuis arrogas, plus lucis intelligendis scripturis attulisse, quã omnes, qui ab exorto, vt ais, Papatu inter nos fu-

erunt Doctores? Obscurare hoc est, non elucidare scripturas: adulterare, non interpretari. Paulus non assumit pro principio, legem nō posse impleri. Siquidem disertissime asseruit factores legis iustificari, & præuaricatores legis terribilibus pœnis subijcit. Nec omnes, qui sunt sub lege, maledictioni obnoxios facit, sed eos duntaxat qui ex operibus legis sunt. Verba enim illius hæc sunt: *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Esse autem illos intelligit ex operibus, qui per opera legis, absque fide & gratia peruenire se putant ad veram iustitiam. Nam, vt copiose prosecuti sumus in q. 2. libr. de iustific. opera, ex quibus dicit Paulus neminem iustificatum, & quorum iustificatio aduersaretur iustificationi gratuitæ, sunt opera, per legem aut vires naturales, sine auxilio gratiæ Dei, facta. Neque damnabat, cæce, vt tu putas, opera, sed insufficientiam eorum, & necessitatem fidei & gratiæ ostendebat. Ac propterea dixit, eos, qui ex operibus legis erant, sub maledicto esse: quia qui fidem & gratiam non requirunt, nec ipsam legem possunt implere. Quare & alibi dicit, legem neminem ad perfectum adduxisse, neq; potuisse quenquam iustificare, sed quod durius est, occidere & non viuificare, nisi viuificet spiritus. Qui enim de operibus suis præsumunt, & quasi viribus suis conantur legē implere: nō in alijs, b. sed in multis necesse est deficiant.

Pulchre Augustinus, in psal 70. *Lex sine gratia, litera sola est: Manet ad conuincendam iniquitatem, non ad auferendam. Habes literam, sed non imples literam. Vnde non imples literam? Quia de te præsumis, opera tua extollis, nescis necessariam esse gratiam adiuuantis, vt impleatur præceptum iubentis.* Et propterea in psal. 83. explicat dixisse Apostolum, occasione accepta peccatum per mandatum operatum esse nobis mortem: quia dum homines quasi ex suis viribus conati sunt illud implere, turpiter & miserabiliter corruerunt. Et ser. de illuminatione cæci. Quid fecit lex sine gratia, nisi magis reos? Quare? Quia legis auditores, & non factores, ac per hoc peccatores præuaricatores. Ac vbi aliud non esset, vel illud certe debuisset te deterrere à sic exponendo Paulo quod absurdum est & impiū, maledictos fuisse dicere tam multos & præcellentes viros, qui in veteri testamento fuerunt. Nam oēs illi sub lege fuerūt, nec maledicti, sed benedicti à Deo, & mirificis laudibus exornātur ab ipso Paulo. Fidem enim habuerunt & gratiā, ac vt Aug. epist. 120. c. 2. & alij Dd. recte colligunt, ad nouum testamentum, tametsi essent sub lege, ea ratione spectabant.

Sed non mirum, si tam inique de illis hic senseris, qui hoc ipsum apertius confirmās, mox subijcis. Quanq̃ si de voce *Impossibilis* agitur, ea quoq; expressa est à Petro, cum legem iugū appellat, quod null⁹ patrū ferre potuerit. Fallit enim, qui putat, ad cæremonias tantū hoc spectare. Quid n. tam arduum continebant cęremonię, vt omnes humanæ vires sub earū onere deficerent? Sed procul dubio signabant, impares fuisse ab initio vniuersos mortales legis obseruationi, hodieq; esse, immo nihil restare, nisi vt confugiamus ad Christi gratiā, quę soluto legis iugo, sub libera custodia quodammodo nos cōtinet. Ac notandum, addis, de regeneratis ipsum loqui, ne cauilletur Tridentini Patres de carnis infirmitate id esse dictum, vbi abest auxiliū spiritus. Prophetas enim & patriarchas & pios reges, vtcunque Dei spiritu adiuuarentur, ferēdo legis iugo pares fuisse negat, ambigue pronūciat impossibilem fuisse legis obseruationem. Obiectio Caluini.

Hacten⁹ placuit ipsissima tua verba referre vt intelligant oēs, nō immerito me tibi tribuisse, q̀ sanctos oēs veteris test. maledictioni subijcias, & nos à vinculo legis solutos, & nec illos, nec quenquā ex nobis, sub gratia viuētem, legē obseruasse contendas. Tam absurda vero sunt quę dicis, vt nesciā, vnde illis respondere aggrediar. Nō pudet te impientissime hominū, ita legi, ita gratiæ ita spiritui Dei detrahere, vt dicas oēs San. vtcunq; Dei spiritu adiuuarēt. ferēdo legis iugo impares fuisse, & hodie esse? Quid potest iniquorem Dei legē facere? qd infirmiorem Dei gratiam? quid imbecilliorem Dei spiritum? Ad quid vult nos Deus postulare suam gratiam? ad quid impartitur suū Spiritum, si ne per illum quidē, possumus ipsius le-

us legem seruare? Potuerunt Israelitæ per humanas vires, iuxta tuam sententiam, veteris legis cæremonias seruare, quæ solæ faciebant illam grauiorem & duriorem, quã sit lex gratiæ. Et ne sanctissimos quidem viros per auxilium gratiæ Dei vis potuisse seruare, quod reliquum erat legis?

Quanto te rectius de vniuersa lege pronunciat Augustinus, 2. de bap. paruulorum. *Lex data est vt gratia quæreretur: gratia data est, vt lex impleretur?* Quanto Bernard. qui de gr. & lib. arbit. ait: *Non hic possumus penitus esse sine peccato & miseria, possumus tamẽ, gratia iuuante, nec peccato superari, nec miseria?* Quanto alij sancti Doctores, lib. 11. citati? Sed vbi non vis admittere Petrum retulisse verba sua ad solas legis cæremonias, de quibus tum vel solum, vel certe præcipue tractabatur, neque ea illum dixisse patetis propter solam virium humanarum imbecillitatem, admittes ingratis, eum ita locutum esse propter grauem legis difficultatem, & quia rarissimi potuerunt illam ad perfectum implere. Nam & vulgo inexpugnabile castrũ dicimus, quod vix aut difficilime expugnari potest: & importabile onus affirmamus, quod non nisi magna difficultate & graui labore portari potest. Et supra sæpe docuimus, scripturam hoc genere locutionis fuisse vsam. Nec amplius erat necessarium proposito Petri, qui hoc tantum nitebatur, ne adeo difficilis sarcina imponeretur humeris credentium. Nouerat, vt de alijs sanctis sileam, Zachariam & Elizabeth incessisse, sicut dicit Lucas, in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Quod & Paulus, authore Augustino, 2. de pec. me. & re. cap. 13. de se testatur, cum dicit, secundum iustitiam, quæ ex lege est, fuisse se sine querela. Quorsum vis Caluine Deum optimum & sapientiss. mortalibus eiusmodi legem tulisse, quam nec per illius adiutorium quispiam possit seruare?

Obiect. 4. Psalm. 129. Vt confugiant, inquis, ad gratiam Dei. Propter hoc enim ait Dauid, *Apud te est propitiatio, vt timearis.*

Respõsio. Et quid opus est, vt Deus indulgeat, quod euitari non potest? Vbi libertas nõ est, nec culpa est. Vbi culpa non est, propitiatione opus non est. Deinde: Ne homo sibi fidat, sed confugiat ad Dei gratiam, satis est legẽ non posse impleri ex proprijs viribus, & indigere nos eam in rem diuina opitulatione. Non hoc agit Dauid, si translatione vtamur, quam sequeris, vt ostendat, necessarium esse nobis ad timendum & colendũ Deum, vt semper subiaceamus alicui culpæ, quæ venia indigeat. Quid minus necessarium ad confugiendum in Deum? Sed ideo ex animo Deum coli significat, quia remittit misericorditer peccata. Nisi enim ea bonitate esse agnosceretur, vt condonaret admissas culpas, nemo illum pie & ex corde veneraretur, sed duntaxat metueret vt tyrannum. Si non est voluntatis diuinæ mors impij etiam corporalis, multo minus erit spiritualis. Vult ergo sine dubio Deus, vt cõfugiamus ad ipsius gratiam, vt obseruemus legem: nec dedit legem, vt rei transgressionis, ipsius imploremus misericordiam.

Vnde Augustinus serm. 13. de verb. Apost. & in psa. 118. in adiutoriũ quidem datam esse nobis legem affirmat, ne nos sanos putaremus, & vt de magnis & superbis paruos & humiles faceret, non quidem ita vt vos putatis, quia agnoscẽtes nos ipsius præuaricatores, confugeremus ad fidem, & per illam sine vlla legis impletione apprehenderemus iustitiã: sed quia per illam agnoscimus morbum & imbecillitatem nostrã, atque inde cogimur implorare diuinã misericordiã, vt ipsius adiutorio impleamus legẽ, nec præuaricationẽ incurramus. Sed hæc pluribus fortassis quam opus erat, ne queri possis me aliquid dissimulasse, quod pro te faceret. Nam alioqui sententias vestras prodidisse, superasse est.

CAPVT XXV.

De germana canonis XXII. expositione.

VERVM illud premere magis & vrgere videtur sententiam istam de non esse vitandi omnia peccata, quod à Patribus definitum est in canone 23. huius decreti. Nanq; ibi anathema indicitur asserẽti, hominem iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiã venialia vitare, nisi ex speciali

ciali Dei priuilegio, quemadmodũ de beata virgine tenet ecclesia. Et quanquam ipse per se canon satis aperte militat cõtra nos, & planè videtur opponi sententiæ, quam tuemur, neque vlla inductione aut expositione egere, tamen quo clarior sit repugnantia, trifariam possumus eum contra nos inducere.

1. Primo: Quæ non possunt fieri à nobis nisi ex speciali Dei priuilegio, ea neq; ab omnibus fieri possunt, neq; ab aliquo, ante impartitum priuilegium. Sunt enim priuilegia paucorum, & nemini frustra dantur. Frustra autẽ darentur, si eadem possemus sine illis, quæ possumus & per ipsa. Cum igitur manifeste hic diffinierint Patres; nullum iustorum posse vitare omnia peccata, etiam venialia, nisi ex speciali Dei priuilegio, non hoc poterit quiuis iustus sicut nos diximus, sed paucissimi, immo nullus, nisi cui fuerit communicatum tale priuilegiũ.

2. Secundo: Omne priuilegium, derogatio est legis communis. Neq; locum habẽt priuilegia, nisi vbi aliqua est lex in contrarium. Si ergo nullus mortalis vitare potest omnia peccata, nisi ex priuilegio, necesse erit secundum legem, omnes mortales aliquando incidere in aliquod peccatum: & impossibile, iustos aliquos omnibus obsistere peccatis. Atque ideo cum, theologice loquendo, ea dici debeant simpliciter impossibilia, quæ nequeunt fieri secundũ legem: nõ potest absolute concedi, posse iustos etiam per Dei gratiam omnia deuitare hic peccata.

3. Tertio: Si possunt iusti secundum legem omnes laqueos peccatorum euadere, nihil opus est Deum impartire quenquam aliquo priuilegio, vt id faciat, neque beata virgo ex speciali priuilegio omnia euitauerit. Quorum contraria hic statuerunt Patres. Et quidem manifesta videtur cõtradictio, asserere nos indigere speciali priuilegio, vt id faciamus, quod possumus absq; derogatione aliuius legis facere. Nam perspicuũ est, citra priuilegium posse in actum reduci omnem potentiam faciendi aliquid, quod non est contra legem. Neq; ex speciali priuilegio potest dici quispiam facere, quod potest facere secundum legem cõmunem. Et si mortalium aliquis hoc potuisset per Dei gratiam præstare, vt se tota vita liberũ seruaret & immunem à peccato, maxime hoc potuisset beatissima virgo, neq; ambigendum esset, quin ipsa hanc potentiã deduxisset in actum. Quantum enim humanæ vires intentæ possunt esse DEI mandatis exequendis, quantumque affectus & seruitutis homo potest in hac vita Deo amando & colendo præstare, tantum & intentam mandatis eam fuisse Dei obedientiæ, cultui atq; amori, certum & indubitatum est. Quod si illa hoc potuit ex lege, frustra Deus, qui nihil facit frustra, aliquod Dei priuilegium ad eam rem impendisset.

Cum igitur illa ex priuilegio dicatur omnia euitasse, manifeste sequit, neq; ipsam potuisse tantum Deo obsequium præstare secundum legem. Et si illa non hoc potuit secundum legem, non id poterit quispiam mortalium. Quis enim nostrum tantam poterit vel ad horam adhibere solicitudinem, quis tantum feruoris & alacritatis adimplendis Dei mandatis, vel ad minimam temporis particulam impẽdere, quãtum illa tota vita præstitit? Cui etiam paratior quam illi, aut plenior possit contingere Dei gratia? Totus itaq; canon, & ea præcipue, quæ speciale priuilegiũ ad vitandum omnia peccata requirunt, quæque asserunt B. Virginem ex speciali priuilegio ea vitasse, aperto Marte videntur depugnare contra nos. Non vna tamen, sed triplex ratio cum nobiscum conciliandi occurrit.

Primo, sicut in scriptura & apud graues authores ea impossibilia dici ostendimus, quæ moraliter fieri nequeunt: ita dicere possumus, Patres asseruisse impossibile, quẽquam vitare omnia peccata, nisi ex speciali priuilegio, quia hoc est impossibile moraliter. Non enim verisimile, voluisse Patres his verbis amplius diffinire, quàm quod olim Patres in Cõcilio Mileuitano, & August. & Hier. in locis cit. cõtra Pelagiũ statuerunt, neminẽ videl. hic viuere, aut vixisse, aut victurũ esse, aut moraliter posse viuere sine peccato, nisi quẽ Deus sua specialissima gratia ab omni culpa præseruauerit. Expositio 1. Can. 23.

Neque in cap. 11. cui respondet hic canon, amplius diffinitum est. Non tamē contenti fuere patres asserere, nullum iustorum omnia vitasse peccata, nisi ex speciali priuilegio, sed dixerunt etiam neminem hoc potuisse. Voluerunt namque, vel voluit potius Spiritus sanctus per eos, nos constringere ad hanc loquendi formulam, quę gratiæ Dei magis attestatur, & aptior est nostræ infirmitati & imbecillitati, quaque patet ex dictis frequentius vsos esse Dd. sanctos, nēpe vt absolute & simpliciter dicamus, non posse etiam iustos vitare omnia peccata, nisi ex speciali Dei priuilegio. Cum enim liberis verbis loquantur philosophi, nos decet eloquia nostra semper aptare, & quantum maxime fieri poterit, conformare linguæ sacræ scripturæ, & communi mori & consuetudini Dd. Et apud ipsos & in scriptura scim⁹ ea passim dici impossibilia, quæ moraliter talia sunt, quia difficilima præstitu, neque vllus vnquam ea præstitit, aut præstabit, quantancunque curam & diligentiam ei rei adhibeat.

Exposit. 2. Secundo dicere possumus, priuilegium acceptum hic esse à Patribus, non in eo rigore, quo communiter accipitur, cum traditur esse derogatio quædam legis cōmunis. Nusquam enim dabitur lex aliqua lata à Deo, secundum quam necesse sit, hominem, etiam Dei gratia fultum & adiutum, aliquādo incidere in peccatum. Neq; Deus suam gratiam & fauores speciales his cancellis vsquam constrinxit. Sed priuilegium speciale hic est vocatū gratia specialis paucis communicata, citra quam nos etiam indubitatum credimus, neminē posse omnia declinare peccata. Neque insolita est hæc acceptio priuilegij. Frequenter dicimus hō posse homines, nisi ex speciali priuilegio, omnia vitare peccata, quādiu in magnis sunt periculis & grauibus peccatorum occasionibus. Licet enim nulla sit lex, secundum quam necesse sit eos labi, & tanta sit libertas nostræ voluntatis, vt etiam tum per Dei gratiam possit se à peccatis continere: quia tamē non cōmuniter hoc fit neque Deus, nisi rarissime & ex magna gratia tātum alicui auxilij impendit, dicimus necessarium esse ipsius auxilium & priuilegium, vt tantum periculū liberi euadamus, quia necessaria est ad hoc peculiarissima & insolita ac rarissima ipsius gratia. Et si sic accipiamus priuilegium, omnia, quæ illata sunt incommoda, sua spōte corruunt: quoniā ex vna rigida acceptione priuilegij dimanabant.

Quod si quis contenderit oportere in Canon. S. Synodi verbum, *Priuilegium*, iuxta communem rigorem accipere, quoniam alias oportebit dicere, omnes iustos potuisse hanc singularem gratiam beatæ virginis adipisci, si nulla est lex secundum quā necesse sit eos incidere in peccatum. Ego quidem quid hoc concedere, laudibus vel meritis aut dignitati beatæ Virginis deroget, non video. Quin vero in ipsius laudem cedit, & eam nobis, sicut par est, mirifice commendat. Patefacit quippe & ob oculos nostros ponit, quantum nos illa vel in hoc excelluerit, quæ sola habuit, ac fortassis suis præcellentibus meritis obtinuit, quod omnes quidem consequi possumus per paratissimam Dei in omnes gratiam, & tamen propter nostram ignauiam nullus hactenus assecutus est. Sed si tandem vt inuiolatæ sint prærogatiuæ Deiparæ Virginis, necessarium videatur fateri, esse aliquam legem, secundum quam necesse sit, quātuncunque iustos aliquando labi & peccare, adhuc tertia occurrit elabendi via. Nos enim nō concessimus, simpliciter iustos posse vitare omnia peccata, sed tantum ostendimus quid possent ipsi, quantū est ex parte libertatis suæ diuina gratia subnixæ. Et quemadmodum absolute dicimus, confirmatos peccare mortaliter non posse, quia non possunt secundum legem communem, licet hoc possint ex parte suæ libertatis, quia libere seruant præcepta: ita dicemus, iustos non posse absolute vitare peccata, quia Deus non sic homines huius status in commune adiuuat, vt omnia deuitent peccata: sed cum hoc stare, vt possint ea dialectice vel metaphysice, sicut diximus, vitare: quia quantum est ex parte suæ libertatis & gratiæ superexcellentis & rarissimæ, quam possunt nancisci, si totis suis viribus Dei implendis mandatis intendāt, Exposit. 3. Canon. potest

potest quiuis iustus eam gratiam promereri, aut certe Deus eam potest cuiuis impartiri, vt sit ex his, quos speciali priuilegio ab omni labe præseruat. Et differt hæc tertia ab alijs duabus, quia in prima diximus Patres diffinisse, neminem posse vitare omnia peccata, quoniam difficilimum id est & à nullo vnquam factum: in secunda verò diximus illud Patres statuisse, quia nemo hoc potest, vt explicarunt, nisi ex speciali Dei gratia: nũc autem dicimus, id Patres affirmasse, quia nemini subest tã a potestas secundum legem communem.

Sed non possum credere, Deum statuisse aliquam legem, secundum quam nullus possit ad iustum seruare legem ab ipso latam. Lex enim est, vt omnes possint seruare legem Dei, & leges diuinæ non sunt inter se contrariæ. Quare donec S. Synodus, vel sedes Apostolica hæc aliter declarauerit, constanter crediderim, priuilegium nõ hic acceptum fuisse à Patrib' vt legi opponitur & derogat, sed duntaxat vt opponitur communibus & consuetis Dei gratijs: & tantundem fuisse dicere, nõ posse iustos vitare omnia peccata, nisi ex speciali priuilegio, ac si apertius & citra omne ambiguum dictũm fuisset, non posse iustos vitare omnia peccata, nisi ex speciali, & rara atque insolita Dei gratia. Et hanc sententiam illud quoque mihi suadet, quod non video quid fuerit opus amplius aliquid quã hoc definire, neq; propter antiquos, neq; propter nostri temporis hæreticos. Atque hęc nunc sufficient pro explicatione & corroboratione eorũ quæ sancta Synodus de peccato mortali & veniali statuit.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE VERA ET FICTA IVSTITIÆ CHRISTI IMPVTATIONE, LIBER XV. IN XVI. CAP. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

POst tam multa de iustificatione ipsa, & de dispositionibus & caussis illius, & de necessarijs ad eius augmentum, conseruationem, ac reparationem, superioribus capitibus tradita, commodissime Patres in hoc postremo, vt omnes ad quærendam & retinendam iustitiam excitarent, de fructu iustificationis & bonorum operum edisserunt. Atque in eius expositionem, & extirpationem errorum aduersantium, nos quoque, Christiane Lector, postremo huius operis libro, Dei auxilio freti, manum iam admouemus. Quem idcirco de vera ac ficta iustitiæ Christi imputatione præsignuimus, quoniam in eo mens est de necessitate imputationis meritorum Christi præcipuè disserere. Nam cum ante hæc tempora parum fuerit tractatum, quousque & quatenus hæc imputatio sit necessaria, nunc autem inter Catholicos & inter hæreticos, in Concilio & ante Concilium accuratissimè id fuerit examinatum: operæprecium me facturum putaui, & rem studiosis non ingratam, si scriptis mandarem, quidquid ex doctissimorum virorum lucubrationibus & nostris quoque laboribus circa hoc argumentum habere potui. Et alioqui, cum Christus ipse origo sit & consummatio nostræ iustificationis, neque aliud sit nobis nomen datum sub cœlo, in quo possimus salui fieri, ita demum credidi me posse cõmodius statuta à Patribus enucleare & tueri.

Digitized by Google

tueri, si diligenter pro nostra tenuitate explicarem, quemadmodum eximia illius & omnino præstantissima merita nobis communicarentur, & quadam participatione nostra fierent, ac quatenus id nobis, & quoties est necessarium. Sed ipsa in primis Sanctæ Synodi verba, omni veneratione digna, attentè audiamus.

DE FRVCTV IVSTIFICATIONIS, HOC EST, DE MERITO BONORVM OPERVM, DEQVE IPSIVS MERITI RATIONE.

Caput Decimum sextum.

Corin. 15. *HAc igitur ratione, iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo seruauerint siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba:* Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam

Heb. 6. & 10. ostendistis in nomine ipsius. *Et,* Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *Atque ideo bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen & cursum, repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Cum enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi, pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur, cum Christus saluator noster dicat:* Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo

Ioan. 4. fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ita neque propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur, nec ignoratur, aut repudiatur iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis vsqueadeo tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum: & Apostolus testetur, id quod in præsenti & momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen, vt Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia* in multis offendimus omnes,

Iacobi 3. *vnusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita seueritatem & iudicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare. Quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei,* qui illuminabit

minabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui, *vt scriptum est*, reddet vnicuique secundum opera sua.

CAPVT I.

Compendium sententiæ cap. 16. cum erroribus in eo damnatis.

Diffinita 4 in hoc cap. QVATVOR præcipua hic video diffiniri à Patribus. Primo in ipsa fronte capituli, opera bona & pios iustorum labores non inanes esse, sed magnam omnino habere remunerationem, ex Pauli testimonijs colligunt. Et vt omnium animos in ipsius amorem ac desiderium inflamment, in illis verbis, Atque ideo bene operantibus &c. qualis & quanta sit hæc remuneratio, & quemadmodum bonis operibus iustorum reposita sit, & propter Christum promissa, ac suo tempore, vt gratia & merces fidelissime reddenda, diserte exponunt. Secundo, iustificatis bene operantibus diffiniunt nihil amplius deesse, vt & satisfecisse legi diuinæ, & beatitudinem suo tempore consequendam promeruisse censeantur. Quod vt esset apertius, in Canone 32. anathema indixerunt neganti, iustificatos per bona sua opera mereri vitam ipsam æternam, & ipsius consecutionem. Voluerunt namque pro certo & constanti haberi, decedentes in gratia, statim consequi beatitudinem, si absque vllo pœnarum aliquarum reatu hinc decesserint, neque aliqua eos rursus imputatione, aut præsentatione, vel oblatione iustitiæ Christi ad consequendam beatitudinem indigere. Et præter

Ioan. 4. Christi testimoniū, *Si quis biberit ex aqua &c.* firmata est hæc sententia à Patribus hac potissimum ratione, quod à Christi meritis habent iusti, quod bene operentur, & quod opera sua bona, meritoria sint & magni precij apud Deum. Quare opus esse non videtur alia rursus imputatione, aut oblatione iustitiæ Christi, vt illa sufficiant ad consecutionem beatitudinis. Et cum dicunt Patres, virtutem bonam, quam Christus iugiter influit in iustificatos, bona eorum opera antecedere, comitari & subsequi, virtutem bonam appellant auxilia specialia, quibus Deus propter Christi merita præuenit, comitatur & subsequitur iustos, vt incipere & prosequi possint bona opera, & in eis perseuerare. Valor etiam, quem ipsis tribuit, & meritum bonorum operum, & conseruatio gratiarum, in quibus perseuerant, virtus est à Christo influxa. Nam hæc omnia copiose in lib. 4. ostendimus, nobis à Deo conferri propter Christum, & ab illius iustitia & meritis, quo ad suum esse & conseruari, pendere.

Tertio in illis verbis, *Ita neq; propria, &c.* inferunt Patres ex prædictis, iustitiam nostram, & nostram esse, quia nobis inhæret & in nobis est: & Dei esse, quia à Deo nobis per Christum infunditur. Et ne fructum adeo præcellentem nostræ iustificationis ob nostram superbiam amittamus, duo salubertima his subnectunt consilia. 3. 4.

Ac primo quidem admonent, non esse cuiquam, nisi in Christo, gloriandum. Nam & merita nostra, dona sunt Dei, & ab eo habent, vt sint merita. Deinde consulunt, vt nemo se iudicet, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, sed sicut misericordiam & bonitatem Dei, ita seueritatem ipsius & iudicium ob oculos semper statuamus, differentes examen & iudicium iustitiæ nostræ Deo, qui illuminabit abscondita tenebrarum. In quibus omnibus quinq; præcipue erroribus obuiam iuit S. hæc synodus.

Primus est Lutheri, & suorum sectatorum, asserentium iustos debere esse certos supra omnem certitudinem de sua iustificatione. Secundus est dicentium, hoc in statu posse nos habere citra Dei reuelationem certitudinem de obtinenda à nobis beatitudine. Tertius est negantium inhærentem iustitiam. Quartus est affirmantium opera iustorum non esse meritoria beatitudinis. Quintus error est existimantium necessariam esse iustis ad consequendam beatitudinem, nouam quandam imputationem, seu oblationem iustitiæ Christi. Quanquam autem contra primum, 2. & 3. Errores 5. damnati in hoc cap.

& 3. errorem lib. 7. 9. & 12. copiose disputauimus, & opera bona iustorum, merita beatitudinis esse, in libello de iustificatione luculenter ostendimus, ac solus nobis quintus error euertendus supererat, vt plene tamen respondeamus Caluino, nonnulla obiter & circa alios adijciemus.

Respon. ad Cal. pro c. 9. Atque hic quidem præterire nequeo, quantis erroribus & perplexitatibus inuoluatur Caluinus, dum non vult certissimæ Patrum doctrinæ acquiescere. Primo putat necessarium esse, vt dubitet de sua iustificatione, qui non habet de illa certitudinẽ fidei, nec intelligit mediam esse certitudinem moralem, inter dubium & certitudinem. Secundo non credit sine certitudine fidei de nostra iustitia posse nos habere fiduciam & audaciam apud Deum, immo nec inuocare ipsum, aut ab eo aliquid flagitare: nec videt aliam esse fidem, de qua Iacobus loquitur, cum docet, vt postulemus in fide absq; hæsitatione, & multa nos audere apud amicos, & in multis confidere illis præter certitudinem fidei de ipsorum in nos beneuolentia & benignitate. Tertio non assequitur, quomodo possit quisquam nostrum credere Christum esse suum redemptorem, nisi sit certus se habere meritis illius gratiam, cum manifestissimum sit, satis esse, vt vere ille fuerit redemptor Petri, si illa exoluerit, & reddiderit pro Petro, quę satis sunt, si per illum non steterit, vt vere liber ille sit & redemptus.

Quarto ex certitudine Pauli, & aliorum Apostolorum putat & nostram reuinci, neque attendit priuilegia esse paucorum, & iniquum esse illis admirandis orbis luminibus pares nos facere, miseros videlicet, & nullius precij homunculos.

Verum illa minus ferenda, quæ his adijcit. Putat rectam fidem esse non posse sine hac inani & temeraria persuasione, & Ioannem non agnoscere filios Dei, & Paulum reprobos pronunciare, qui non agnoscunt & per fidem sciunt Spiritum sanctum in se habitare. Atq; vt hos errores tueatur, addit, hac sola fiducia de diuina in nos beneuolentia iustificationem nostram perfici: & cum Patres cap. 6. 11. & 13. disertissime explicuerint, quomodo comparari & reparari debeat iustitia, tamen illis calumniatur, quod in suspenso reliquerint, quibus & quando remittantur peccata, dum omnes conscientias hac fide, vel, vt ipse dicit, tranquilla fiducia expoliant.

Absurda Cal. expos. Quam absurde vero & inepte Paulum pro se inducit, contendens illis verbis, *Si qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides.*, eum sensisse, fidei nullam fore certitudinem, si operibus nitatur salus hominum? Nonne manifestissimum est, ibi Paulum non agere de certitudine fidei, sed fidem dicere inanem esse & superfluam, si lex satis sit ad iustificandum? Neq; sibi in hoc errore constat. Contradictio Calu. Nam in can. 14. fatetur necessariam esse, præter hanc fidem, pœnitentiam. Et quo consequens est, non sufficere illam fidem ad iustitiam, & salutem hominum non sola ea fide niti. Et cum distinctissima sint, necessariam esse hanc fidem ad obtinendam Cæcitas Caluin. remissionem peccatorum, & eam solam ad iustificationem sufficere, ac propterea Patres distinctis canonibus ea anathematizauerint, Cal. error grauiss. ipse talpa cæcior deridet Patres, quod bis idem damnarint, velut timentes, ne cassum esset prius fulmen. Nec contentus his tantis & tam absurdis erroribus, addit intolerabiliorem, neminem, quid nobis per Christum datum sit, vere tenere, nisi qui secum certo statuit, se illi à patre datum esse, ne pereat. Itaq; secundum illum, omnes iusti debent certo credere se non esse perituros, ac per hoc & prædestinatos. Vnde & huc existimat pertinere, quod Christus apud Ioannem dicit, neminem posse rapere à se oues suas, & hoc iustos addit scire ex speciali reuelatione, qua pater cœlestis dignatur filios suos, & de qua loquitur Paulus, dicens: *Nobis autem reuelauit.* 1. Cor. 2. Ad quæ manifeste sequitur, omnes iustos esse destinatos. Nam ad certo credendum Cal cũ Iouini. sentit falsa, Deus neminem obligauit. Et ne dubitemus illum sentire cum Iouiniano, semel iustos non posse perdere suam iustitiam, cum in can. 15. ista palam confirmasset, tandem in decimosexto subdit: Denique regenerationis spiritum non dari, nisi electis, quisquis ignorat, nescio quid in scri-

scripturis teneat. Et tamen vt inconstantiam videas hominis, ac iuxta suum testimonium nihil illum de scripturis intelligere, mox in can. 23. ita scribit: Qui hominem semel iustificatum, peccare posse negant, eos damnamus: qui item vere iustificatos esse negant, quibus labi contingit. Quæ potest esse contradictio, si hæc non est? Nunquid, impie, aliquis iustificatur sine spiritu regenerationis? Si ergo possunt labi iustificati, poterunt & damnari, ac ex consequenti esse reprobi: & falsum erit quod statim dixisti, Spiritum regenerationis non dari electis. Sed hæc omnia in citatis libris abunde subruimus, pateique hic prima fronte blasphemia, nec necesse habet conuinci, teste Hieron. quod sua statim professione blasphemum est.

Contradi. Caluini.

Hieron. ad Ctesiph.

CAPVT II.

De abusibus verbi imputationis, ac legitimo vsu ipsius.

VT veram à ficta iustitiæ Christi imputatione discernamus, quia rectum est index sui & obliqui, de vera & sana illius imputatione prius agemus, atque inde recto cursu transibimus ad discutiendam fictitiam nescio quam imputationem, quam quidam hoc tempore orbi inuehere sunt conati. Quo vero omnia dilucidiora sint, à nomine imputationis exordium faciemus. Et pro cautela quidem piorum aduertendum est, varie hoc vocabulo abuti hæreticos nostræ tempestatis.

Abusus verbi imputationis.

Primo abutuntur, vt abrogent sacramentis virtutem ad conferendam gratiam. Volunt enim imputatiue tantum nobis in eis conferri gratiam, hoc est, duntaxat propter merita Christi nobis imputata. Ac sic sæpe abusus videtur hoc vocabulo Sarcerius in locis communibus. Secundo abutuntur eo, vt tollant iustitiam inhærentem. Quid enim illa, aiunt, opus est, cum satis sit, vt simus iusti, imputari nobis iustitiam Christi, ac si nostra esset? Tertio abutuntur, vt conficiant simul cum culpa deleri omnem pœnam, & nulla prorsus esse opus satisfactione. Qua enim satisfactione indigeant, quibus imputatur plenissima illa Christi satisfactio, ac si sua esset? Et his 2. modis abutitur Caluinus in locis infra citandis.

Primus.

Abusus 2.

3.

4.

Quarto & perperam hac voce vtuntur, vt suadeant omnes iustos æquales esse in gratia & in gloria. Quippe si omnibus imputatur iustitia Christi, ac si sua esset, cum illa vnica sit, neque alicuius sit valoris apud Deum iustitia nostra præter illam: quid superest, aiunt, nisi vt omnes iusti æquales sint in iustitia & gratia & gloria apud Deum? Abutuntur & alij quinto hoc eodem nomine, vt dicant, non sufficere aliquam iustorum iustitiam ad consequendum vitam æternam, nisi nobis Christi iustitia post hanc vitam, vel in morte denuo imputetur, ac si nostra esset. Quidquid autem sit de huius nominis abusibus, certum est, in sacris literis nusquam inueniri sic vsurpatum hoc vocabulum, vt dicatur Christi iustitia imputari nobis, ac si nostra esset, sicut nunc passim à plerisq; dicitur. Dicit quidem scriptura, fidem nostram reputari nobis ad iustitiam. Dicit beatum esse, cui Deus non imputauit sua peccata. Dicit propter Christi iustitiam non reputasse nobis Deum delicta nostra. Et vbi nos communiter legimus, *Vt reputetur & illis ad iustitiam*: Græce aperte est, *Vt imputetur & ipsis iustitia*. Nunquam tamen scriptura dicit, imputasse nobis ad iustitiam, iustitiam Christi.

Propositio.

Rom. 4.

Et authores, per quos nobis Deus scripturas tradidit, & alij antiqui Doctores, qui eos fideliter imitati sunt, & Bernardum præcesserunt, contenti fuerunt hactenus in hoc proposito, nominibus communicationis, participationis, diffusionis, deriuationis, applicationis, copulationis, coniunctionis. Et applicari nobis, & copulari, & coniungi, ac communicari dixerunt iustitiam Christi, & participari à nobis ipsius sanguinem & merita, eaque ad nos defluere, diffundi, & deriuari: sed nunquam asseruerunt, quod quidem recolere aut legere potuerim, ea nobis imputari, hac præsertim adiectione, ac si nostra essent. Paulus ait, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? E. pa-* 1. Cor. 10.

nis,

& 3. errorem lib. 7. 9. & 12. copiose disputauimus, & opera bona iustorum, merita beatitudinis esse, in libello de iustificatione luculéter ostendimus, ac solus nobis quintus error euertendus supererat, vt plene tamen respondeamus Caluino, nonnulla obiter & circa alios adijciemus.

Respon. ad Cal. pro c. 9. Atque hic quidem præterire nequeo, quantis erroribus & perplexitatibus inuoluatur Caluinus, dum non vult certissimæ Patrum doctrinæ acquiescere. Primo putat necessarium esse, vt dubitet de sua iustificatione, qui non habet de illa certitudinē fidei, nec intelligit mediam esse certitudinem moralem, inter dubium & certitudinem. Secundo non credit sine certitudine fidei de nostra iustitia posse nos habere fiduciam & audaciam apud Deum, immo nec inuocare ipsum, aut ab eo aliquid flagitare: nec videt aliam esse fidem, de qua Iacobus loquitur, cum docet, vt postulemus in fide absq; hæsitatione, & multa nos audere apud amicos, & in multis confidere illis præter certitudinem fidei de ipsorum in nos beneuolentia & benignitate. Tertio non assequitur, quomodo possit quisquam nostrum credere Christum esse suum redemptorem, nisi sit certus se habere meritis illius gratiam, cum manifestissimum sit, satis esse, vt vere ille fuerit redemptor Petri, si illa exoluerit, & reddiderit pro Petro, quę satis sunt, si per illum non steterit, vt vere liber ille sit & redemptus.

Quarto ex certitudine Pauli, & aliorum Apostolorum putat & nostram reuinci, neque attendit priuilegia esse paucorum, & iniquum esse illis admirandis orbis luminibus pares nos facere, miseros videlicet, & nullius precij homunculos.

Verum illa minus ferenda, quæ his adijcit. Putat rectam fidem esse non posse sine hac inani & temeraria persuasione, & Ioannem non agnoscere filios Dei, & Paulum reprobos pronunciare, qui non agnoscunt & per fidem sciunt Spiritum sanctum in se habitare. Atq; vt hos errores tueatur, addit, hac sola fiducia de diuina in nos beneuolentia iustificationem nostram perfici: & cum Patres cap. 6. 11. & 13. disertissime explicuerint, quomodo comparari & reparari debeat iustitia, tamen illis calumniatur, quod in suspenso reliquerint, quibus & quando remittantur peccata, dum omnes conscientias hac fide, vel, vt ipse dicit, tranquilla fiducia expoliant. Quam absurde vero & inepte Paulum pro se inducit, contendens illis verbis, *Si qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides*, eum sensisse, fidei nullam fore certitudinem, si operibus nitatur salus hominum? Nonne manifestissimum est, ibi Paulum non agere de certitudine fidei, sed fidem dicere inanem esse & superfluam, si lex satis sit ad iustificandum? Neq; sibi in hoc errore constat. Nam in can. 14. fatetur necessariam esse, præter hanc fidem, pœnitentiam. Et quo consequens est, non sufficere illam fidem ad iustitiam, & salutem hominum non sola ea fide niti. Et cum distinctissima sint, necessariam esse hanc fidem ad obtinendam remissionem peccatorum, & eam solam ad iustificationem sufficere, ac propterea Patres distinctis canonibus ea anathematizauerint, ipse talpa cæcior deridet Patres, quod bis idem damnarint, velut timentes, ne cassum esset prius fulmen. Nec contentus his tantis & tam absurdis erroribus, addit intolerabiliorem, neminem, quid nobis per Christum datum sit, vere tenere, nisi qui secum certo statuit, se illi à patre datum esse, ne pereat. Itaq; secundum illum, omnes iusti debent certo credere se non esse perituros, ac per hoc & prædestinatos. Vnde & huc existimat pertinere, quod Christus apud Ioannem dicit, neminem posse rapere à se oues suas, & hoc iustos addit scire ex speciali reuelatione, qua patet cœlestis dignatur filios suos, & de qua loquitur Paulus, dicens: *Nobis autem reuelauit.* 1. Cor. 2. Ad quæ manifeste sequitur, omnes iustos esse destinatos. Nam ad certo credendum falsa, Deus neminem obligauit. Et ne dubitemus illum sentire cum Iouiniano, semel iustos non posse perdere suam iustitiam, cum in can. 15. ista palam confirmasset, tandem in decimosexto subdit: Denique regenerationis spiritum non dari, nisi electis, quisquis ignorat, nescio quid in scri-

Absurda Cal. exposi.

Contradictio Calui.

Cæcitas Caluini.

Cal. error grauis.

Cal. cũ Iouini. sentit.

scripturis teneat. Et tamen vt inconstantiam videas hominis, ac iuxta suum testimonium nihil illum de scripturis intelligere, mox in can. 23. ita scribit: Qui hominem semel iustificatum, peccare posse negant, eos damnamus: qui item vere iustificatos esse negant, quibus labi contingit. Quæ potest esse contradictio, si hæc non est? Nunquid, impie, aliquis iustificatur sine spiritu regenerationis? Si ergo possunt labi iustificati, poterunt & damnari, ac ex consequenti esse reprobi: & falsum erit quod statim dixisti, Spiritum regenerationis non dari electis. Sed hæc omnia in citatis libris abunde subruimus, patetque hic prima fronte blasphemia, nec necesse habet conuinci, teste Hieron. quod sua statim professione blasphemum est.

Contradi. Caluini.

Hieron. ad Ctesiph.

CAPVT II.

De abusibus verbi imputationis, ac legitimo vsu ipsius.

VT veram à ficta iustitiæ Christi imputatione discernamus, quia rectum est iudex sui & obliqui, de vera & sana illius imputatione prius agemus, atque inde recto cursu transibimus ad discutiendam fictitiam nescio quam imputationem, quam quidam hoc tempore orbi inuehere sunt conati. Quo vero omnia dilucidiora sint, à nomine imputationis exordium faciemus. Et pro cautela quidem piorum aduertendum est, varie hoc vocabulo abuti hæreticos nostræ tempestatis.

Abusus verbi imputationis.

Primo abutuntur, vt abrogent sacramentis virtutem ad conferendam gratiam. Volunt enim imputatiue tantum nobis in eis conferri gratiam, hoc est, duntaxat propter merita Christi nobis imputata. Ac sic sæpe abusus videtur hoc vocabulo Sarcerius in locis communibus. Secundo abutuntur eo, vt tollant iustitiam inhærentem. Quid enim illa, aiunt, opus est, cum satis sit, vt simus iusti, imputari nobis iustitiam Christi, ac si nostra esset? Tertio abutuntur, vt conficiant simul cum culpa deleri omnem pœnam, & nulla prorsus esse opus satisfactione. Qua enim satisfactione indigeant, quibus imputatur plenissima illa Christi satisfactio, ac si sua esset? Et his 2. modis abutitur Caluinus in locis infra citandis.

Primus.

Abusus 2.

Quarto & perperam hac voce vtuntur, vt suadeant omnes iustos æquales esse in gratia & in gloria. Quippe si omnibus imputatur iustitia Christi, ac si sua esset, cum illa vnica sit, neque alicuius sit valoris apud Deum iustitia nostra præter illam: quid superest, aiunt, nisi vt omnes iustiæquales sint in iustitia & gratia & gloria apud Deum? Abutuntur & alij quinto hoc eodem nomine, vt dicant, non sufficere aliquam iustorum iustitiam ad consequendum vitam æternam, nisi nobis Christi iustitia post hanc vitam, vel in morte denuo imputetur, ac si nostra esset. Quidquid autem sit de huius nominis abusibus, certum est, in sacris literis nusquam inueniri sic vsurpatum hoc vocabulum, vt dicatur Christi iustitia imputari nobis, ac si nostra esset, sicut nunc passim à plerisq; dicitur. Dicit quidem scriptura, fidem nostram reputari nobis ad iustitiam. Dicit beatum esse, cui Deus non imputauit sua peccata. Dicit propter Christi iustitiam non reputasse nobis Deum delicta nostra. Et vbi nos communiter legimus, *Vt reputetur & illis ad iustitiam*: Græce aperte est, *Vt imputetur & ipsis iustitia*. Nunquam tamen scriptura dicit, imputasse nobis ad iustitiam, iustitiam Christi. Rom. 4.

Propositio.

Et authores, per quos nobis Deus scripturas tradidit, & alij antiqui Doctores, qui eos fideliter imitati sunt, & Bernardum præcesserunt, contenti fuerunt hactenus in hoc proposito, nominibus communicationis, participationis, diffusionis, deriuationis, applicationis, copulationis, coniunctionis. Et applicari nobis, & copulari, & coniungi, ac communicari dixerunt iustitiam Christi, & participari à nobis ipsius sanguinem & merita, eaque ad nos defluere, diffundi, & deriuari: sed nunquam asseruerunt, quod quidem recolere aut legere potuerim, ea nobis imputari, hac præsertim adiectione, ac si nostra essent. Paulus ait, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Epa- 1. Cor. 10.

nis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Et sicut communicare nos in sanguine Christi, & participare corpus ipsius in sacramento altaris dicit, ita & in meritis ipsius communicare & participare fructum suæ passionis diceret. Nam & participes suos vocat omnes iustos in epistola ad Heb. & alibi cupere se indicat cognoscere virtutem resurrectionis eius, & societatem siue communicationem passionum illius. In quæ verba August. ser. 15. de verbis Apostoli. *Communicatio passionum Christi, virtus tua erit.* Et Ioannes ait, *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Ac Chrysost. hom. 13. super Io. 1. exponens, quid Ioannes his verbis significarit, analogia fontis, vnde aquam haurimus, & ignis, vnde lucernas accendimus, diffusionis quidem & participationis verbis vtitur, non imputationis. Sunt autem hæc verba Chrysostomi: *Non habet Christus donum participabile, sed ipse fons est, & radix bonorum omnium ipse vita, ipse lux, ipse veritas, non in seipso bonorum diuitias continens, sed in vniuersos diffundens: quibus diffusis, plenus permanet: neque aliorum satietate minuitur, sed diuitias suas elargitur semper vberius, cumque omnes his bonis impartiat, in eadem permanet perfectione. Quod autem ego fero, participabile est: ab alio enim id accepi, & exigua pars totius est, & quasi gutta parua, ad immensam abyssum & infinitum pelagus comparata. Immo neque exemplum sufficiens est ad id quod volumus ostendendum. Nam si guttam è pelago acceperis, ea tamen pelagus, & si visu percipi nequeat, diminuit. De illo autem fonte, hoc dici non potest: sed quantumcunque quis hauriat, nihil deficit. Quare alio exemplo vtendum est, cum hoc infirmum sit, neque possit, quod volumus, demonstrare. Alterum igitur afferemus, quod magis ad propositam nos adducat sententiam. Constituamus nobis igneum fontem, à quo innumeræ accendantur lucernæ, & totidem, & item totidem. Nonne huiusmodi fons ita plenus est ignis, quemadmodum antequam ex eo quicquam sumeretur? Sane perspicuum &c.* Hæc Chrys.

Ioan. 1.

Et secutus, vt solet, Theophylact. ita in hunc locum de Christo loquitur. *Fons omnis boni, & omnis sapientia ac prophetia existens, superfluit, & dat se omnibus dignis, & effluens plenus manet, ac nunquam exhauritur.* Ac paria istis tradit Cyrill. 1. in Io. cap. 20. Nam & omnes nos, qui sanctorum locum possidemus, proprijs ipsius bonis locupletati sumus, & natura humana illius bonis magis quam suis gaudet. De plenitudine namque filij sui, quasi iugi fonte, gratiarum donum scaturiens, in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit. Et quoniam de S. Thoma peculiaris fuit contentio, ille quidem, cum de his disserit 3. par. quæst. 69. artic. 2. verbo communicationis vtitur, non imputationis: Omni, ait, baptizato communicatur passio Christi in remissionem, ac si ipse passus & mortuus esset. Et addit ad primum: Pœna passionis Christi communicatur baptizato, inquantum fit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinuisset. Et neque ibi, neque alibi quod meminerim, dicit pœnas passionis Christi nobis imputari, ac si nostræ essent. Et instinctu forte & prouidentia Spiritus sancti factum est, vt nunquam antiqui sic verbo imputari, in huiusmodi vterentur, ne hæretici videri possint ex illis ansam suorum errorum sumpsisse. Non est tamen adeo inuisum nobis hoc vocabulum, vt credam nunquam nos posse hoc in proposito bene illo vti. Vere namque & sane ac Latine possumus dicere, ad satisfactionem & meritum imputatam esse generi humano iustitiam Christi in passione sua, & iugiter imputari omnibus, qui iustificantur & satisfaciunt pro peccatis suis, & vitam æternam suis bonis operibus merentur. Cum enim per iustitiam Christi satisfecerit genus humanum pro suis peccatis, & per illam reconciliatum sit Deo, ac ianuæ paradisi reseratæ sint ipsi, & omnes qui iustificantur, aut satisfaciunt, aut merentur apud Deum, quod per ipsius merita iustificentur, & reconcilientur Deo, & satisfaciant pro se, ac augmentum gratiæ & beatitudinem mereantur, negari profecto non potest, quin generi humano & omnibus sic iustificatis imputetur iustitia Christi ad satisfactionem & meritum. Quin vero quando peccatores iustificantur, hac ratione coniungi, copulari, applicative, aut com-

Proposit. 2.

Communicatur nobis iustitia Christi, qua imputatur nobis.

communicari, siue diffundi & deriuari ad eos, aut participari ab eis merita & satisfactiones Christi crediderim, quia imputantur illa ipsis à Deo, qui in eorum meritum & satisfactionem acceptauit voluntatem, quam Christus habuit merendi eis, & satisfaciendi pro ipsis. Non enim transit iustitia Christi realiter ab illo in iustificatos, neque (vt libro septimo ostendimus) per eam sumus iusti formaliter. Sed imputatio vna Dei est, quæ merita Christi nobis iungit, & nostra suo modo facit, vt propter ipsa nobis largiatur iustitiam, qua iusti sumus. Sicut etiam quando aliquis pro nobis Deo vel homini satisfacit, non aliter nobis applicatur satisfactio illius, nisi quia Deus vel homo eam acceptat ad satisfactionem pro nostris debitis. Et cum iustificamur ad orationes vel merita alicuius, ea ratione nobis communicari iustitiam ipsius possumus dicere, quia Deus acceptat ad nos præparandum ad iustificationem, orationes & merita illius. & nobis ea imputat, perinde ac si a nobis, vt id obtineremus, fierent, in nostram iustificationem & gloriam.

Proposit. Neq; in solo sacramento baptismi quidquid vir quidam doctissimus contenderit, imputatur nobis iustitia Christi, sed & in aliis sacramentis, & quoties aliquod à Deo donum accipimus. Non enim opus est, quidquid ille de rigore huius verbi contenderit, id solum dicere nobis imputari, quod ex toto & in totum imputatur. Imputari quidem diceremus Michaeli à rege ob [illegible] sui patris, si propter illud daret ei [illegible] mille aureorum, & totidem [illegible] suis fratribus. Neq; minus certe singulis diceretur imputari, quia nulli eorum imputaretur in totum, neq; quantum illud merebatur. Et alias neque in baptismo, nisi forte quo ad satisfactionem, possemus dicere alicui imputari iustitiam Christi, quia nullus est, cui tantum imputetur, quantum ipsa meretur, & digna est. [illegible] dixerit imputari nobis iustitiam Christi, ac si nostra esset, caute hoc [illegible] & prudenter vtatur. Ad satisfactionem quidem pro peccato originali, & pro actualibus applicatur plenissime passio Christi in baptismo, & paruulis & adultis. ac si suaipsorum esset, hoc excepto, quod si sua esset, nullo alio esset opus, vt plenissime satisfacerent: nunc autem licet (vt ait Amb.) non planctus, nec gemitus, tamē aliqua præparatio ad baptismum adultis opus est, vt ipsis sic applicetur.

Sed quo ad satisfactionem, nunquam extra baptisma & ad meritum, vel acquisitionem gratiæ vel gloriæ; aut aliorum donorum, neque in baptismo, neque alias iustitia Christi imputatur nobis, ac si nostra esset: Quia licet imputetur nobis ad illa omnia, ac si nostra esset, imputatur tamen finitè & limitatè. & non nisi iuxta eum gradum & quantitatem & mensuram, in quam Christus voluit, & pater acceptauit eam nobis communicari & applicari. Et ne quispiam his adhibitis temperamentis, vereatur vti hoc vocabulo, poterit sufficere authoritas Bernardi, qui in epistola 109. ad Innocentium Papā ita scribit: *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, vt videlicet satisfactio vnius omnibus imputetur, sicut omnium peccata vnus ille portauit.* Atque hactenus quidem de nomine. Proposit.

CAPVT III.

Nulli imputatur iustitia Christi ad primam iustificationem sine baptismo in re, vel in voto.

VT sciamus tamen veram, & eam, quæ vel iustis, vel peccatoribus necessaria *est applicatio, seu imputatio meritorum Christi, illud ante omnia meminisse debemus, quod & ex dictis lib. 4. dilucidum esse potest, toties ad nos pertingere virtutem & eorum apud Deum efficaciam, quoties nouum aliquod spiritale beneficium ab ipso recipimus. Statuit enim pater cœlestis pro sua summa caritate & beneuolētia in suum filium, in hoc illum honorare, vt sicut nihil in natura, nisi per illum, quatenus Deus est, facit: ita & nihil, nisi propter illum, vt homo est, facit ex iis, quæ ad nostram iustificationem & reparationem spectant. Et sicut omnia noua eiusmodi beneficia, nouam Dei beneficentiam, ita & nouam applica-

*est, applicatione, seu imputatione.

plicationem & imputationem meritorum Christi, quæ illa antecedat, & ratio ipsius sit, requirunt.

Vnde & eos, qui plura aut maiora Dei beneficia participant, non dubitamus plus etiam de meritis Christi participare. Et tunc vnumquemque nostrum nouiter eorum fieri participem constanter asserimus; & nouas Christo gratias debere, cum nouum aliquod Dei munus & donum assequitur. Nec ob aliud dilata est iustis veteris testamenti beatitudo, vsq; ad mortem Christi, licet in Dei essent gratia, ac in multis alijs benignitate & liberalitate diuina gauderent, nisi, quia licet merita Christi præuisa ad ea beneficia acceptabantur, atque ob Dei bonitatem, cum nondum essent, perinde ac iam essent, illis coniungebantur, ad beatitudinem tamen eis ante id temporis conferendam, minime imputabantur. Et nunc quamuis iam sit solutum precium pro illis & pro nobis, atq; hac ratione multum inter nos & illos intersit, tamen cum in via sumus, nondum felicitate vitæ æternę gaudemus, quia nondum in tantum & tam eximium beneficium nobis conferendum merita Christi imputantur.

Proposit. 1. Quanquam autem multa & magna beneficia & infidelibus & paruulis nondum renatis propter virtutem meritorũ Christi se ad omnes homines diffundentiũ, à Deo benigne conferantur, tamen ex supra iam traditis liquidissimum esse potest, nemini Christi iustitiam ad primam iustificationem imputari sine baptismo in re, vel in voto.

Error Caluini de paruulis. Lege Caluine, quæ lib. 5. de his scripsimus, & nisi prorsus rebellis pergas esse lumini diuino, agnosces te contra scripturam & contra Ecclesiam Catholicam asserere, paruulos fidelium hoc solo, quod filij fidelium sunt, regnum cœlorum consequi, etiamsi moriantur sine baptismo.

Obiectio. 1. Sed argumentis illius hic commodum

Responsio. erit respondere. Cur igitur, inquit, Paulus eos vocat sanctos? Non vniusmodi est sanctificatio, respondit olim Aug. huic argumento, 2. de pec. me. & re. c. 26. quo Pelagiani vtebantur ad negandum peccatum originale. Nam & catechumenos secundum quendam modum suum, per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari, & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam sacramentum est. Verum & ipsos cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ vitæ huius alimur, sanctificari idem Apostolus dixit per verbum Dei & orationem, qua oramus vtique nostra corpuscula refecturi. Et paulo post subdit: *Illa sanctificatio cuiuscunque modi sit, quam in filijs fidelium esse dixit Apostolus, ad istam de baptismo & de peccati origine vel remissione quæstionem omnino non pertinet. Nam & coniuges infideles in coniugibus fidelibus sanctificari dicit, eo ipso loco ita loquens: Sanctificatur enim vir infidelis in vxore fideli &c. Nec, opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, vt ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit vxor eius, neque iam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem peruenisse, & in regnum cœlorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in vxore.* 1. Cor. 7. Hæc Augustinus.

Obiect. 2. Caluini. Sed inclusa est, ait Cal. infantium salus in promissione, qua Deus fidelibus testatur, se fore illis & semini eorum in Deum, & cum Deus in regnum suum eos adoptauerit, iniuria fit promissioni diuinæ, si necessariũ eis putemus baptismum, quasi per se illa ad salutem non sufficiat. Ac proinde & intrepide colligit, non à baptismo initiũ habere eorum salutem, sed quæ iam verbo fundata erat, baptismo obsignari.

Atqui si hæc vera sunt, necesse est, te Responsio. Caluine cum Pelagianis negare peccatum originale. Qua enim ratione dicis, aliquo momento propter hanc solam promissionem iustificari infantes, cogeris nimirum dicere & in ipso vitæ exordio, quo filij fidelium esse incipiunt, sanctos eos esse & mundos, & neminem ex fidelibus nasci aut concipi filium iræ. Cum enim promissio absoluta per te sit, nec ad vllum tempus coarctata, sufficiet impedire, ne contrahatur peccatum, quando & sola sufficit illud iam contractum extinguere.

Quod si, vt ais in Decretum 1. sess. 5. audiendi Contradictio Calui.

diendi non sunt, videlicet Zuingliani, qui infantes negant proprie cum peccato nasci, profecto nec tu audiendus es, qui ea prædicas, ex quibus aperte sequitur, nec proprie, nec improprie cum peccato illos nasci. Quanta vero tua amentia est, ex ea promissione iustitiam paruulis sine baptismo polliceri? Nunquid si filij fidelium sint in peccato mortali, & illos quoque, si sine pœnitentia decedant, saluos futuros propter eam promissionẽ concedes? Non opinor ita delirabis. Sicut igitur promissionem istam Dei in hoc valere dices, vt salutem assequantur adulti filij fidelium, si quidem præscripta sibi in lege Dei fecerint, ita & nos eam promissionem & infantibus sufficere dicimus, si adhibeatur illis baptismus, qui toties in scripturis explicatur cunctis esse necessarius. Non sunt enim, quod sæpe tibi dictum velim, nam sæpe in hoc hallucinaris: non sunt, inquam, istæ Dei promissiones absolutæ, sed conditionales, vt lib. XI. cum sancta Synodo explicuimus.

Obiect. 2 Caluini. Quo iure ergo, addis, ad baptismum filios fidelium admittimus, nisi quod promissionis sunt hæredes, & huius promissionis beneficio, ecclesiæ censentur membra? Nisi iam ante ad eos pertineret vitæ promissio, baptismum profanaret, quisquis illis daret.

Respon. Quam longe vero hic a tota Ecclesiæ doctrina aberras? in baptismo illa infantes credit se generare, sibique & Deo filios, ac membra viua Christi & sua, & promissionis nobis ab eo factæ participes facere. Tu nec te, nec voto suo baptizatos, filios Dei & membra ecclesiæ, & participes promissionis asseris. Per baptismum illa ianuam se vitæ spiritalis & regnum cœlorum aperire infantibus semper credidit. Hilar. in Psalm. 65. *Per Iordanem via nobis cœlestis regni, & noua regenerationis lauacro possessio æternorum corporum inchoatur.* Hieron. in 47. cap. Ezech. & epistol. ad Oceanum. *Aqua baptismi, initia profectuum.* Et rursus: *Abeo tempore censemur, ex quo in Christo renascimur.* Similia passim occurrunt in alijs doctoribus. Tu contra Ecclesiam & eos omnes, & ante baptismum salutem illorum inchoatam dicis: & quod ne Pelagiani quidem mutire sunt ausi, regno cœlorum dignos habendos esse, etiam sine baptismo affirmas. Et quia baptismum, profanari dicis si detur ijs, qui non sunt hæredes promissionis, iuxta tuam sententiam, nec dabit ille fidelium filijs gratiam, saltem primam, sed eam tantum obsignabit, nec dabitur eis in remissionem peccatorum, sed in signum iam datæ. Quod quidem non semel est ab Ecclesia damnatum. Quin & ad tuum istum errorem aperte sequitur, infidelium filios etiam ex voluntate suorum parentum, non licere in articulo mortis baptizare, neque ipsos infideles volentes fieri Christianos, donec eos participes promissionis factos credamus.

Quid vero tecum te his, pluribus agam, qui non vereris in testimonio illo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.* quod tota Catholica Ecclesia de aqua elementari hactenus intellexerit, aquæ nomen pro mortificatione acceptum dicere, vel certe epitheti vice adiectum, vt vim & naturam Spiritus sancti exprimeret? Si non credebas impie nostro Concilio, quod sess. 7. can. 2. de baptismo anathema indixit detorquenti hæc verba ad aliquam metaphoram: nec Concilio Florentino, quod de aqua elementari illud exponit, atque inde colligit, sine baptismo neminẽ introire in regnum cœlorum, & eum esse asserit vitæ spiritalis ianuam, ac per ipsum membra effici Christi, & de corpore ecclesiæ: crederes saltem Ambr. 4. de initiat. myster. & Hieron. in epist. ad Oceanum qui eandem expositionem tradunt: crederes Chrysost. Theophylact. Cyrill. August. in Ioannem, & Basil. hom. 52. & Gregor. 4. Moral. c. 2. & lib. 9. c. 16. qui & hinc colligunt, necessarium esse omnibus baptismum ad assequendum regnum cœlorum. Certe nullum istorum authorum poteris dicere fuisse tempore, quo dicis extinctam fuisse Euangelij lucem. Vnde item aliunde sacri pontifices & venerandi ecclesiæ Doctores, & ecclesia Catholica, ac ipsi Christi apostoli moti sunt, vt passim baptismum appel-

Absurda Cal. exposi. cõtra Eccle. Catho.

Conc. Flor.

us legem seruare? Potuerunt Israelitæ per humanas vires, iuxta tuam sententiam, veteris legis cæremonias seruare, quæ solæ faciebant illam grauiorem & duriorem, quã sit lex gratiæ. Et ne sanctissimos quidem viros per auxilium gratiæ Dei vis potuisse seruare, quod reliquum erat legis?

Quanto te rectius de vniuersa lege pronunciat Augustinus, 2. de bap. paruulorum. *Lex data est vt gratia quæreretur: gratia data est, vt lex impleretur?* Quanto Bernard. qui de gr. & lib. arbit. ait: *Non hic possumus penitus esse sine peccato & miseria, possumus tamẽ. gratia iuuante, nec peccato superari, nec miseria?* Quanto alij sancti Doctores, lib. 11. citati? Sed vbi non vis admittere Petrum retulisse verba sua ad solas legis cæremonias, de quibus tum vel solum, vel certe præcipue tractabatur, neque ea illum dixisse pateris propter solam virium humanarum imbecillitatem, admittes ingratis, eum ita locutum esse propter grauem legis difficultatem, & quia rarissimi potuerunt illam ad perfectum implere. Nam & vulgo inexpugnabile castrũ dicimus, quod vix aut difficilime expugnari potest: & importabile onus affirmamus, quod non nisi magna difficultate & graui labore portari potest. Et supra sæpe docuimus, scripturam hoc genere locutionis fuisse vsam. Nec amplius erat necessarium proposito Petri, qui hoc tantum nitebatur, ne adeo difficilis sarcina imponeretur humeris credentium. Nouerat, vt de alijs sanctis sileam, Zachariam & Elizabeth incessisse, sicut dicit Lucas, in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Quod & Paulus, authore Augustino, 2. de pec. me. & re. cap. 13. de se testatur, cum dicit, secundum iustitiam, quæ ex lege est, fuisse se sine querela. Quorsum vis Caluine Deum optimum & sapientiss. mortalibus eiusmodi legem tulisse, quam nec per illius adiutorium quispiam possit seruare?

Obiect. 4. Psalm. 129. Vt confugiant, inquis, ad gratiam Dei. Propter hoc enim ait Dauid, *Apud te est propitiatio, vt timearis.*

Respondeo. Et quid opus est, vt Deus indulgeat, quod cauari non potest? Vbi libertas nõ est, nec culpa est. Vbi culpa non est, propitiatione opus non est. Deinde: Ne homo sibi fidat, sed confugiat ad Dei gratiam, satis est legẽ non posse impleri ex proprijs viribus, & indigere nos eam in rem diuina opitulatione. Non hoc agit Dauid, si trãslatione vtamur, quam sequeris, vt ostendat, necessarium esse nobis ad timendum & colendũ Deum, vt semper subiaceamus alicui culpæ, quæ venia indigeat. Quid minus necessarium ad confugiendum in Deum? Sed ideo ex animo Deum coli significat, quia remittit misericorditer peccata. Nisi enim ea bonitate esse agnosceretur, vt condonaret admissas culpas, nemo illum pie & ex corde veneraretur, sed duntaxat metueret vt tyrannum. Si non est voluntatis diuinæ mors impij etiam corporalis, multo minus erit spiritualis. Vult ergo sine dubio Deus, vt cõfugiamus ad ipsius gratiam, vt obseruemus legem: nec dedit legem, vt rei transgressionis, ipsius imploremus misericordiam.

Vnde Augustinus serm. 13. de verb. Apost. & in psa. 118. in adiutoriũ quidem datam esse nobis legem affirmat, ne nos sanos putaremus, & vt de magnis & superbis paruos & humiles faceret, non quidem sicut vos putatis, quia agnoscẽtes nos ipsius præuaricatores, confugeremus ad fidem, & per illam sine vlla legis impletione apprehenderemus iustitiã: sed quia per illam agnoscimus morbum & imbecillitatem nostrã, atque inde cogimur implorare diuinã misericordiã, vt ipsius adiutorio impleamus legẽ, nec præuaricationẽ incurramus. Sed hæc pluribus fortassis quam opus erat, ne queri possis me aliquid dissimulasse, quod pro te faceret. Nam alioqui sententias vestras prodidisse, superasse est.

CAPVT XXV.

De germana canonis XXIII. expositione.

VERVM illud premere magis & vrgere videtur sententiam istam de præstite vitandi omnia peccata, quod à Patribus definitum est in canone 23. huius decreti. Nanque ibi anathema indicitur asserẽti, hominem iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiã venialia vitare, nisi ex speciali

ciali Dei priuilegio, quemadmodũ de beata virgine tenet ecclesia. Et quanquam ipse per se canon satis aperte militat cõtra nos, & palam videtur opponi sententiæ, quam tuemur, neque vlla inductione aut expositione egere, tamen quo clarior fit repugnantia, trifariam possumus eum contra nos inducere.

1. Primo: Quæ non possunt fieri à nobis nisi ex speciali Dei priuilegio, ea neq; ab omnibus fieri possunt, neq; ab aliquo, ante impartitum priuilegium. Sunt enim priuilegia paucorum, & nemini frustra dantur. Frustra autẽ darentur, si eadem possemus sine illis, quæ possumus & per ipsa. Cum igitur manifeste hic diffinierint Patres: nullum iustorum posse vitare omnia peccata, etiam venialia, nisi ex speciali Dei priuilegio, non hoc poterit quiuis iustus sicut nos diximus, sed paucissimi, immo nullus, nisi cui fuerit communicatum tale priuilegiũ.

2. Secundo: Omne priuilegium, derogatio est legis communis. Neq; locum habẽt priuilegia, nisi vbi aliqua est lex in contrarium. Si ergo nullus mortalis vitare potest omnia peccata, nisi ex priuilegio, necesse erit secundum legem, omnes mortales aliquando incidere in aliquod peccatum: & impossibile, iustos aliquos omnibus obsistere peccatis. Atque ideo cum, theologice loquendo, ea dici debeant simpliciter impossibilia, quæ nequeunt fieri secundũ legem: nõ potest absolute concedi, posse iustos etiam per Dei gratiam omnia deuitare hic peccata.

3. Tertio: Si possunt iusti secundum legem omnes laqueos peccatorum euadere, nihil opus est Deum impartire quenquam aliquo priuilegio, vt id faciat, neque beata virgo ex speciali priuilegio omnia euitauerit. Quorum contraria hic statuerunt Patres. Et quidem manifesta videtur cõtradictio, asserere nos indigere speciali priuilegio, vt id faciamus, quod possumus absq; derogatione a iussu legis facere. Nam perspicuũ est, citra priuilegium posse in actum reduci omnem potentiam faciendi aliquid, quod non est contra legem. Neq; ex speciali priuilegio potest dici quispiam facere, quod potest facere secundum legem cõmunem. Et si mortalium aliquis hoc potuisset per Dei gratiam præstare, vt se tota vita liberũ seruaret & immunem à peccato, maxime hoc potuisset beatissima virgo, neq; ambigendum esset, quin ipsa hanc potentiã deduxisset in actum. Quantum enim humanæ vires intentæ possunt esse DEI mandatis exequendis, quantumque affectus & seruitutis homo potest in hac vitã Deo amando & colendo præstare, tantum & intentam mandatis eam fuisse Dei obedientiæ, cultui atq; amori, certum & indubitatum est. Quod si illa hoc potuit ex lege, frustra Deus, qui nihil facit frustra, aliquod Dei priuilegium ad eam rem impendisset.

Cum igitur illa ex priuilegio dicatur omnia euitasse, manifeste sequit᷑, neq; ipsam potuisse tantum Deo obsequium præstare secundum legem. Et si illa non hoc potuit secundum legem, non id poterit quispiam mortalium. Quis enim nostrum tantam poterit vel ad horam adhibere solicitudinem, quis tantum feruoris & alacritatis adimplendis Dei mandatis, vel ad minimam temporis particulam impẽdere, quãtum illa tota vita præstitit? Cui etiam paratior quam illi, aut plenior possit contingere Dei gratia? Totus itaq; canon, & ea præcipue, quæ speciale priuilegiũ ad vitandum omnia peccata requirunt, quæque asserunt B. Virginem ex speciali priuilegio ea vitasse, aperto Marte videntur depugnare contra nos. Non vna tamen, sed triplex ratio eum nobiscum conciliandi occurrit.

Primo, sicut in scriptura & apud graues authores ea impossibilia dici ostendimus, quæ moraliter fieri nequeunt: ita dicere possumus, Patres asseruisse impossibile, quẽquam vitare omnia peccata, nisi ex speciali priuilegio, quia hoc est impossibile moraliter. Non enim verisimile, voluisse Patres his verbis amplius diffinire, quam quod olim Patres in Cõcilio Mileuitano, & August. & Hier. in locis cit. cõtra Pelagiũ statuerunt, neminẽ videl. hic viuere, aut vixisse, aut victurũ esse, aut moraliter posse viuere sine peccato, nisi quẽ Deus sua specialissima gratia ab omni culpa præseruauerit. Expositio 1a. Can. 23.

Yyyy 2 Neq;

Neque in cap. 11. cui respondet hic canon, amplius diffinitum est. Non tamē contenti fuere patres asserere, nullum iustorum omnia vitasse peccata, nisi ex speciali priuilegio, sed dixerunt etiam neminem hoc potuisse. Voluerunt namque, vel voluit potius Spiritus sanctus per eos, nos constringere ad hanc loquendi formulam, quę gratiæ Dei magis attestatur, & aptior est nostræ infirmitati & imbecillitati, qua que patet ex dictis frequentius vsos esse Dd. sanctos, nēpe vt absolute & simpliciter dicamus, non posse etiam iustos vitare omnia peccata, nisi ex speciali Dei priuilegio. Cum enim liberis verbis loquantur philosophi, nos decet eloquia nostra semper aptare, & quantum maxime fieri poterit, conformare linguæ sacræ scripturæ, & communi mori & consuetudini Dd. Et apud ipsos & in scriptura scim⁹ ea passim dici impossibilia, quæ moraliter talia sunt, quia difficilima præstitu, neque vllus vnquam ea præstitit, aut præstabit, quantancunque curam & diligentiam ei rei adhibeat.

Exposit. 4. Secundo dicere possumus, priuilegium acceptum hic esse à Patribus, non in eo rigore, quo communiter accipitur, cum traditur esse derogatio quædam legis cōmunis. Nusquam enim dabitur lex aliqua lata à Deo, secundum quam necesse sit, hominem, etiam Dei gratia fultum & adiutum, aliquādo incidere in peccatum. Neq; Deus suam gratiam & fauores speciales his cancellis vsquam constrinxit. Sed priuilegium speciale hic est vocatū gratia specialis paucis communicata, citra quam nos etiam indubitatum credimus, neminē posse omnia declinare peccata. Neque insolita est hæc acceptio priuilegij. Frequenter dicimus hō posse homines, nisi ex speciali priuilegio, omnia vitare peccata, quādiu in magnis sunt periculis & grauibus peccatorum occasionibus. Licet enim nulla sit lex, secundum quam necesse sit eos labi, & tanta sit libertas nostræ voluntatis, vt etiam tum per Dei gratiam possit se à peccatis continere: quia tamē non cōmuniter hoc fit neque Deus, nisi rarissime & ex magna gratia tātum alicui auxilij impendit, dicimus necessarium esse ipsius auxilium & priuilegium, vt tantum periculū liberi euadamus, quia necessaria est ad hoc peculiarissima & insolita ac rarissima ipsius gratia. Et si sic accipiamus priuilegium, omnia, quæ illata sunt incommoda, sua spōte corruunt: quoniā ex vna rigida acceptione priuilegij dimanabant.

Quod si quis contenderit oportere in Canon. S. Synodi verbum, *Priuilegium*, iuxta communem rigorem accipere, quoniam alias oportebit dicere, omnes iustos potuisse hanc singularem gratiam beatæ virginis adipisci, si nulla est lex secundum quā necesse sit eos incidere in peccatum. Ego quidem quid hoc concedere, laudibus vel meritis aut dignitati beatæ Virginis deroget, non video. Quin vero in ipsius laudem cedit, & eam nobis, sicut par est, mirifice commendat. Patefacit quippe & ob oculos nostros ponit, quantum nos illa vel in hoc excelluerit, quæ sola habuit, ac fortassis suis præcellentibus meritis obtinuit, quod omnes quidem consequi possumus per paratissimam Dei in omnes gratiam, & tamen propter nostram ignauiam nullus hactenus assecutus est. Sed si tandem vt inuiolatæ sint prærogatiuæ Deiparæ Virginis, necessarium videatur fateri, esse aliquam legem, secundum quam necesse sit, quātuncunque iustos aliquando labi & peccare, adhuc tertia occurrit elabendi via. Nos enim nō concessimus, simpliciter iustos posse vitare omnia peccata, sed tantum ostendimus quid possent ipsi, quantū est ex parte libertatis suæ diuina gratia subnixæ. Et quemadmodum absolute dicimus, confirmatos peccare mortaliter non posse, quia non possunt secundum legem communem, licet hoc possint ex parte suæ libertatis, quia libere seruant præcepta: ita dicemus, iustos non posse absolute vitare peccata, quia Deus non sic homines huius status in commune adiuuat, vt omnia deuitent peccata: sed cum hoc stare, vt possint ea dialectice vel metaphysice, sicut diximus, vitare: quia quantum est ex parte suæ libertatis & gratiæ superexcellentis & rarissimæ, quam possunt nancisci, si totis suis viribus Dei implendis mandatis intendāt, potest Exposit. 5. Canon.

poteſt quiuis iuſtus eam gratiam promereri, aut certe Deus eam poteſt cuiuis impartiri, vt ſit ex his, quos ſpeciali priuilegio ab omni labe præſeruat. Et differt hæc tertia ab alijs duabus, quia in prima diximus Patres diffiniſſe, neminem poſſe vitare omnia peccata, quoniam difficilimum id eſt & à nullo vnquam factum: in ſecunda verò diximus illud Patres ſtatuiſſe, quia nemo hoc poteſt, vt explicarunt, niſi ex ſpeciali Dei gratia: nūc autem dicimus, id Patres affirmaſſe, quia nemini ſubeſt tā a poteſtas ſecundum legem communem.

Sed non poſſum credere, Deum ſtatuiſſe aliquam legem, ſecundum quam nullus poſſit ad iuſtum ſeruare legem ab ipſo latam. Lex enim eſt, vt omnes poſſint ſeruare legem Dei, & leges diuinæ non ſunt inter ſe contrariæ. Quare donec S. Synodus, vel ſedes Apoſtolica hæc aliter declarauerit, conſtanter crediderim, priuilegium nō hic acceptum fuiſſe á Patrib' vt legi opponitur & derogat, ſed duntaxat vt opponitur communibus & conſuetis Dei gratijs: & tantundem fuiſſe dicere, nō poſſe iuſtos vitare omnia peccata, niſi ex ſpeciali priuilegio, ac ſi apertius & citra omne ambiguum dictūm fuiſſet, non poſſe iuſtos vitare omnia peccata, niſi ex ſpeciali, & rara atque inſolita Dei gratia. Et hanc ſententiam illud quoque mihi ſuadet, quod non video quid fuerit opus amplius aliquid quā hoc definire, neq; propter antiquos, neq; propter noſtri temporis hæreticos. Atque hęc nunc ſufficient pro explicatione & corroboratione eorū quæ ſancta Synodus de peccato mortali & veniali ſtatuit.

ANDREÆ VEGÆ THEOLOGI HISPANI, DE VERA ET FICTA IVSTITIÆ CHRISTI IMPVTATIONE, LIBER XV. IN XVI. CAP. DECRETI DE IVSTIFICATIONE.

PROLOGVS.

POſt tam multa de iuſtificatione ipſa, & de diſpoſitionibus & cauſis illius, & de neceſſarijs ad eius augmentum, conſeruationem, ac reparationem, ſuperioribus capitibus tradita, commodiſſime Patres in hoc poſtremo, vt omnes ad quærendam & retinendam iuſtitiam excitarent, de fructu iuſtificationis & bonorum operum ediſſerunt. Atque in eius expoſitionem, & extirpationem errorum aduerſantium, nos quoque, Chriſtiane Lector, poſtremo huius operis libro, Dei auxilio freti, manum iam admouemus. Quem idcirco de vera ac ficta iuſtitiæ Chriſti imputatione præſignjuimus, quoniam in eo mens eſt de neceſſitate imputationis meritorum Chriſti præcipuè diſſerere. Nam cum ante hæc tempora parum fuerit tractatum, quouſque & quatenus hæc imputatio ſit neceſſaria, nunc autem inter Catholicos & inter hæreticos, in Concilio & ante Concilium accuratiſſimè id fuerit examinatum: operæprecium me facturum putaui, & rem ſtudioſis non ingratam, ſi ſcriptis mandarem, quidquid ex doctiſſimorum virorum lucubrationibus & noſtris quoque laboribus circa hoc argumentum habere potui. Et alioqui, cum Chriſtus ipſe origo ſit & conſummatio noſtræ iuſtificationis, neque aliud ſit nobis nomen datum ſub cœlo, in quo poſſimus ſalui fieri, ita demum credidi me poſſe cōmodius ſtatuta à Patribus enucleare & tueri.

Digitized by Google

tueri, si diligenter pro nostra tenuitate explicarem, quemadmodum eximia illius & omnino præstantissima merita nobis communicarentur, & quadam participatione nostra fierent, ac quatenus id nobis, & quoties est necessarium. Sed ipsa in primis Sanctæ Synodi verba, omni veneratione digna, attentè audiamus.

DE FRVCTV IVSTIFICATIONIS, HOC EST, DE MERITO BONORVM OPERVM, DEQVE IPSIVS MERITI RATIONE.

Caput Decimum sextum.

Hac igitur ratione, iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo seruauerint
siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in o-
Corin. 15. mni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.
Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam
Heb. 6. & 10. ostendistis in nomine ipsius. *Et*, Nolite amittere confidentiam vestram, quæ
magnam habet remunerationem. *Atque ideo bene operantibus vsque in finem, &*
in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum
Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum
operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum
certamen & cursum, repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam: non
solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Cum enim ille ipse Christus
Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter
virtutem influat quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur,
& sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius de-
esse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi,
pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia
decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur, cum Christus saluator noster dicat:
Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo
Ioan. 4. fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ita neque propria nostra iustitia, tanquam ex*
nobis propria statuitur, nec ignoratur, aut repudiatur iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra
dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis in-
funditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus
in sacris literis vsqueadeo tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ
dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum: & Apostolus testetur,
id quod in præsenti & momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in subli-
mitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen, vt Christianus homo in seipso
vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas,
vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes,
Iacobi 3. *vnusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita seueritatem & iudicium ante oculos*
habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare. Quoniam o-
mnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei, qui illu-
minabi

minabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui, *vt scriptum est*, reddet vnicuique secundum opera sua.

CAPVT I.

Compendium sententiæ cap. 16. cum erroribus in eo damnatis.

Diffinita 4. in hoc cap. QVATVOR præcipua hic video diffinita à Patribus. Primo in ipsa fronte capituli, opera bona & pios iustorum labores non inanes esse, sed magnam omnino habere remunerationem, ex Pauli testimonijs colligunt. Et vt omnium animos in ipsius amorem ac desiderium inflamment, in illis verbis, Atque ideo bene operantibus &c. qualis & quanta sit hæc remuneratio, & quemadmodum bonis operibus iustorum reposita sit, & propter Christum promissa, ac suo tempore, vt gratia & merces fidelissime reddenda, diserte exponunt. Secundo, iustificatis bene operantibus diffiniunt nihil amplius deesse, vt & satisfecisse legi diuinæ, & beatitudinem suo tempore consequendam promeruisse censeantur. Quod vt esset apertius, in Canone 32. anathema indixerunt neganti, iustificatos per bona sua opera mereri vitam ipsam æternam, & ipsius consecutionem. Voluerunt namque pro certo & constanti haberi, decedentes in gratia, statim consequi beatitudinem, si absque vllo pœnarum aliquarum reatu hinc decesserint, neque aliqua eos rursus imputatione, aut præsentatione, vel oblatione iustitiæ Christi ad consequendam beatitudinem indigere. Et præter Ioan. 4. Christi testimoniũ, *Si quis biberit ex aqua &c.* firmata est hæc sententia à Patribus hac potissimum ratione, quod à Christi meritis habent iusti, quod bene operentur, & quod opera sua bona, meritoria sint & magni precij apud Deum. Quare opus esse non videtur alia rursus imputatione, aut oblatione iustitiæ Christi, vt illa sufficiant ad consecutionem beatitudinis. Et cum dicunt Patres, virtutem bonam, quam Christus iugiter influit in iustificatos, bona eorum opera antecedere, comitari & subsequi, virtutem bonam appellant auxilia specialia, quibus Deus propter Christi merita præuenit, comitatur & subsequitur iustos, vt incipere & prosequi possint bona opera, & in eis perseuerare. Valor etiam, quem ipsis tribuit, & meritum bonorum operum, & conseruatio gratiarum, in quibus perseuerant, virtus est à Christo influxa. Nam hæc omnia copiose in lib. 4. ostendimus, nobis à Deo conferri propter Christum, & ab illius iustitia & meritis, quo ad suum esse & conseruari, pendere.

Tertio in illis verbis, *Ita neq. propria, &c.* inferunt Patres ex prædictis, iustitiam nostram, & nostram esse, quia nobis inhæret & in nobis est: & Dei esse, quia à Deo nobis per Christum infunditur. Et ne fructum adeo præcellentem nostræ iustificationis ob nostram superbiam amittamus, duo saluberrima his subnectunt consilia. 3. 4.

Ac primo quidem admonent, non esse cuiquam, nisi in Christo, gloriandum. Nam & merita nostra, dona sunt Dei, & ab eo habent, vt sint merita. Deinde consulunt, vt nemo se iudicet, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, sed sicut misericordiam & bonitatem Dei, ita seueritatem ipsius & iudicium ob oculos semper statuamus, differentes examen & iudicium iustitiæ nostræ Deo, qui illuminabit abscondita tenebrarum. In quibus omnibus quinq; præcipue erroribus obuiam iuit S. hæc synodus.

Primus est Lutheri, & suorum sectatorum, asserentium iustos debere esse certos supra omnem certitudinem de sua iustificatione. Secundus est dicentium, hoc in statu posse nos habere citra Dei reuelationem certitudinem de obtinenda à nobis beatitudine. Tertius est negantium inhærentem iustitiam. Quartus est affirmantium opera iustorum non esse meritoria beatitudinis. Quintus error est existimantium necessariam esse iustis ad consequendam beatitudinem, nouam quandam imputationem, seu oblationem iustitiæ Christi. Quanquam autem contra primum, 2. Errores 5. damnati in hoc cap.

& 3. errorem lib. 7. 9. & 12. copiose disputauimus, & opera bona iustorum, merita beatitudinis esse, in libello de iustificatione luculéter ostendimus, ac solus nobis quintus error euertendus supererat, vt plene tamen respondeamus Caluino, nonnulla obiter & circa alios adijciemus.

Respon. ad Cal. pro c. 9.

Atque hic quidem præterire nequeo, quantis erroribus & perplexitatibus inuoluatur Caluinus, dum non vult certissimæ Patrum doctrinæ acquiescere. Primo putat necessarium esse, vt dubitet de sua iustificatione, qui non habet de illa certitudinẽ fidei, nec intelligit mediam esse certitudinem moralem, inter dubium & certitudinem. Secundo non credit sine certitudine fidei de nostra iustitia posse nos habere fiduciam & audaciam apud Deum, immo nec inuocare ipsum, aut ab eo aliquid flagitare: nec videt aliam esse fidem, de qua Iacobus loquitur, cum docet, vt postulemus in fide absq; hæsitatione, & multa nos audere apud amicos, & in multis confidere illis præter certitudinem fidei de ipsorum in nos beneuolentia & benignitate. Tertio non assequitur, quomodo possit quisquam nostrum credere Christum esse suum redemptorem, nisi sit certus se habere meritis illius gratiam, cum manifestissimum sit, satis esse, vt vere ille fuerit redemptor Petri, si illa exoluerit, & reddiderit pro Petro, quę satis sunt, si per illum non steterit, vt vere liber ille sit & redemptus.

Quarto ex certitudine Pauli, & aliorum Apostolorum putat & nostram reuinci, neque attendit priuilegia esse paucorum, & iniquum esse illis admirandis orbis luminibus pares nos facere, miseros videlicet, & nullius precij homunculos.

Verum illa minus ferenda, quæ his adijcit. Putat rectam fidem esse non posse sine hac inani & temeraria persuasione, & Ioannem non agnoscere filios Dei, & Paulum reprobos pronunciare, qui non agnoscunt & per fidem sciunt Spiritum sanctum in se habitare. Atq; vt hos errores tueatur, addit, hac sola fiducia de diuina in nos beneuolentia iustificationem nostram perfici: & cum Patres cap. 6. 11. & 13. disertissime explicuerint, quomodo comparari & reparari debeat iustitia, tamen illis calumniatur, quod in suspenso reliquerint, quibus & quando remittantur peccata, dum omnes conscientias hac fide, vel, vt ipse dicit, tranquilla fiducia expoliant.

Absurda Cal. exposi.

Quam absurde vero & inepte Paulum pro se inducit, contendens illis verbis, *Si qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides*, eum sensisse, fidei nullam fore certitudinem, si operibus nitatur salus hominum? Nonne manifestissimum est, ibi Paulum non agere de certitudine fidei, sed fidem dicere inanem esse & superfluam, si lex satis sit ad iustificandum? Neq; sibi in hoc errore constat.

Contradictio Calui.

Nam in can. 14. fatetur necessariam esse, præter hanc fidem, pœnitentiam. Et quo consequens est, non sufficere illam fidem ad iustitiam, & salutem hominum non sola ea fide niti. Et cum distinctissima sint, necessariam esse hanc fidem ad obtinendam remissionem peccatorum, & eam solam ad iustificationem sufficere, ac propterea Patres distinctis canonibus ea anathematizauerint, ipse talpa cæcior deridet Patres, quod bis idem damnarint, velut timentes, ne cassum esset prius fulmen.

Cæcitas Caluin.

Cal. error grauiss.

Nec contentus his tantis & tam absurdis erroribus, addit intolerabiliorem, neminem, quid nobis per Christum datum sit, vere tenere, nisi qui secum certo statuit, se illi à patre datum esse, ne pereat. Itaq; secundum illum, omnes iusti debent certo credere se non esse perituros, ac per hoc & prædestinatos. Vnde & huc existimat pertinere, quod Christus apud Ioannem dicit, neminem posse rapere à se oues suas, & hoc iustos addit scire ex speciali reuelatione, qua pater cœlestis dignatur filios suos, & de qua loquitur Paulus, dicens: *Nobis autem reuelauit.* 1. Cor. 2.

Cal. cũ Iouini. sentit.

Ad quæ manifeste sequitur, omnes iustos esse destinatos. Nam ad certo credendum falsa, Deus neminem obligauit. Et ne dubitemus illum sentire cum Iouiniano, semel iustos non posse perdere suam iustitiam, cum in can. 15. ista palam confirmasset, tandem in decimosexto subdit: Denique regenerationis spiritum non dari, nisi electis, quisquis ignorat, nescio quid in

scri-

scripturis teneat. Et tamen vt inconstantiam videas hominis, ac iuxta suum testimonium nihil illum de scripturis intelligere, mox in can. 23. ita scribit: Qui hominem semel iustificatum, peccare posse negant, eos damnamus: qui item vere iustificatos esse negant, quibus labi contingit. Quæ potest esse contradictio, si hæc non est? Nunquid, impie, aliquis iustificatur sine spiritu regenerationis? Si ergo possunt labi iustificati, poterunt & damnari, ac ex consequenti esse reprobi: & falsum erit quod statim dixisti, Spiritum regenerationis non dari electis. Sed hæc omnia in citatis libris abunde subruimus, patetque hic prima fronte blasphemia, nec necesse habet conuinci, teste Hieron. quod sua statim professione blasphemum est.

Contradi. Caluini.

Hieron. ad Ctesiph.

CAPVT II.

De abusibus verbi imputationis, ac legitimo vsu ipsius.

VT veram à ficta iustitiæ Christi imputatione discernamus, quia rectum est iudex sui & obliqui, de vera & sana illius imputatione prius agemus, atque inde recto cursu transibimus ad discutiendam fictitiam nescio quam imputationem, quam quidam hoc tempore orbi inuehere sunt conati. Quo vero omnia dilucidiora sint, à nomine imputationis exordium faciemus. Et pro cautela quidem piorum aduertendum est, varie hoc vocabulo abuti hæreticos nostræ tempestatis.

Abusus 5. verbi imputationis.

Primo abutuntur, vt abrogent sacramentis virtutem ad conferendam gratiam. Volunt enim imputatiue tantum nobis in eis conferri gratiam, hoc est, duntaxat propter merita Christi nobis imputata. Ac sic sæpe abusus videtur hoc vocabulo Sarcerius in locis communibus. Secundo abutuntur eo, vt tollant iustitiam inhærentem. Quid enim illa, aiunt, opus est, cum satis sit, vt simus iusti, imputari nobis iustitiam Christi, ac si nostra esset? Tertio abutuntur, vt conficiant simul cum culpa deleri omnem pœnam, & nulli prorsus esse opus satisfactione. Qua enim satisfactione indigeant, quibus imputatur plenissima illa Christi satisfactio, ac si sua esset? Et his 2. modis abutitur Caluinus in locis infra citandis.

Primus.

Abusus 2.

3.

Quarto & perperam hac voce vtuntur, vt suadeant omnes iustos æquales esse in gratia & in gloria. Quippe si omnibus imputatur iustitia Christi, ac si sua esset, cum illa vnica sit, neque alicuius sit valoris apud Deum iustitia nostra præter illam: quid superest, aiunt, nisi vt omnes iusti æquales sint in iustitia & gratia & gloria apud Deum? 4. Abutuntur & alij quinto hoc eodem nomine, vt dicant, non sufficere aliquam iustorum iustitiam ad consequendum vitam æternam, nisi nobis Christi iustitia post hanc vitam, vel in morte denuo imputetur, ac si nostra esset. Quidquid autem sit de huius nominis abusibus, certum est, in sacris literis nusquam inueniri sic vsurpatum hoc vocabulum, vt dicatur Christi iustitia imputari nobis, ac si nostra esset, sicut nunc passim à plerisq; dicitur. Dicit quidem scriptura, fidem nostram reputari nobis ad iustitiam. Dicit beatum esse, cui Deus non imputauit sua peccata. Dicit propter Christi iustitiam non reputasse nobis Deum delicta nostra. Et vbi nos communiter legimus, *Vt reputetur & illis ad iustitiam*: Græce aperte est, *Vt imputetur & ipsis iustitia*. Nunquam tamen scriptura dicit, imputasse nobis ad iustitiam, iustitiam Christi. Propositi. Rom. 4.

Et authores, per quos nobis Deus scripturas tradidit, & alij antiqui Doctores, qui eos fideliter imitati sunt, & Bernardum præcesserunt, contenti fuerunt hactenus in hoc proposito, nominibus communicationis, participationis, diffusionis, deriuationis, applicationis, copulationis, coniunctionis. Et applicari nobis, & copulari, & coniungi, ac communicari dixerunt iustitiam Christi, & participari à nobis ipsius sanguinem & merita, eaque ad nos defluere, diffundi, & deriuari: sed nunquam asseruerunt, quod quidem recolere aut legere potuerim, ea nobis imputari, hac præsertim adiectione, ac si nostra esset. Paulus ait, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Et pa- 1. Cor. 10.

nis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Et sicut communicare nos in sanguine Christi, & participare corpus ipsius in sacramento altaris dicit, ita & in meritis ipsius communicare & participare fructum suæ passionis diceret. Nam & participes suos vocat omnes iustos in epistola ad Heb. & alibi cupere se indicat cognoscere virtutem resurrectionis eius, & societatem siue communicationem passionum illius. In quæ verba August. ser. 15. de verbis Apostoli. *Communicatio passionum Christi, virtus tua erit.* Et Ioannes ait, *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Ac Chrysost. hom. 13. super Io. 1. exponens, quid Ioannes his verbis significarit, analogia fontis, vnde aquam haurimus, & ignis, vnde lucernas accendimus, diffusionis quidem & participationis verbis vtitur, non imputationis. Sunt autem hæc verba Chrysostomi: *Non habet Christus donum participabile, sed ipse fons est, & radix bonorum omnium ipse vita, ipse lux, ipse veritas, non in seipso bonorum diuitias continens, sed in vniuersos diffundens: quibus diffusis, plenus permanet: neque aliorum satietate minuitur, sed diuitias suas elargitur semper vberius, cumque omnes his bonis impartiat, in eadem permanet perfectione. Quod autem ego fero, participabile est: ab alio enim id accepi, & exigua pars totius est, & quasi gutta parua, ad immensam abyssum & infinitum pelagus comparata. Immo neque exemplum sufficiens est ad id quod volumus ostendendum. Nam si guttam è pelago acceperis, ea tamen pelagus, & si visu percipi nequeat, diminuit. De illo autem fonte, hoc dici non potest: sed quantumcunque quis hauriat, nihil deficit. Quare alio exemplo vtendum est, cum hoc infirmum sit, neque possit, quod volumus, demonstrare. Alterum igitur afferemus, quod magis ad propositam nos adducat sententiam. Constituamus nobis igneum fontẽ, a quo innumeræ accendantur lucernæ, & totidem, & item totidem. Nonne huiusmodi fons ita plenus est ignis, quemadmodum antequam ex eo quicquam sumeretur? Sanè per spiritum &c.* Hæc Chrys.

Ioan. 1.

Et secutus, vt solet, Theophylact. ita in hunc locum de Christo loquitur. *Fons omnis boni, & omnis sapientiæ ac prophetiæ existens, superfluit, & dat se omnibus dignis, & effluens plenus manet, ac nunquam exhauritur.* Ac paria istis tradit Cyrill. 1. in Io. cap 20. Nam & omnes nos, qui sanctorum locum possidemus, proprijs ipsius bonis locupletati sumus, & natura humana illius bonis magis quam suis gaudet. De plenitudine namque filij sui, quasi iugi fonte, gratiarum donum scaturiens, in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit. Et quoniam de S. Thoma peculiaris fuit contentio, ille quidem, cum de his differit 3. par. quæst. 69. artic. 2. verbo communicationis vtitur, non imputationis: Omni, ait, baptizato communicatur passio Christi in remissionem, ac si ipse passus & mortuus esset. Et addit ad primum: Pœna passionis Christi communicatur baptizato, inquantum fit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinuisset. Et neque ibi, neque alibi quod meminerim, dicit pœnas passionis Christi nobis imputari, ac si nostræ essent. Et instinctu forte & prouidentia Spiritus sancti factum est, vt nunquam antiqui sic verbo imputari, an huiusmodi vterentur, ne hæretici videri possint ex illis ansam suorum errorum sumpsisse. Non est tamen adeo inuisum nobis hoc vocabulum, vt credam nunquam nos posse hoc in proposito bene illo vti. Vere namque & sane ac Latine possumus dicere, ad satisfactionem & meritum imputatam esse generi humano iustitiam Christi in passione sua, & iugiter imputari omnibus, qui iustificantur & satisfaciunt pro peccatis suis, & vitam æternam suis bonis operibus merentur. Cum enim per iustitiam Christi satisfecerit genus humanum pro suis peccatis, & per illam reconciliatum sit Deo, ac ianuæ paradisi reseratæ sint ipsi, & omnes qui iustificantur, aut satisfaciunt, aut merentur apud Deum, quod per ipsius merita iustificentur, & reconcilientur Deo, & satisfaciant pro se, ac augmentum gratiæ & beatitudinem mereantur, negari profecto non potest, quin generi humano & omnibus sic iustificatis imputetur iustitia Christi ad satisfactionem & meritum. Quin vero quando peccatores iustificantur, hac ratione coniungi, copulari, applicarive, aut com-

Proposit. 2.

Communicatur nobis iustitia Christi, qa imputatur nobis.

communicari, siue diffundi & deriuari ad eos, aut participari ab eis merita & satisfactiones Christi crediderim, quia imputantur illa ipsis à Deo, qui in eorum meritum & satisfactionem acceptauit voluntatem, quam Christus habuit merendi eis, & satisfaciendi pro ipsis. Non enim transit iustitia Christi realiter ab illo in iustificatos, neque (vt libro septimo ostendimus) per eam sumus iusti formaliter. Sed imputatio vna Dei est, quæ merita Christi nobis iungit, & nostra suo modo facit, vt propter ipsa nobis largiatur iustitiam, qua iusti sumus. Sicut etiam quando aliquis pro nobis Deo vel homini satisfacit, non aliter nobis applicatur satisfactio illius, nisi quia Deus vel homo eam acceptat ad satisfactionem pro nostris debitis. Et cum iustificamur ad orationes vel merita alicuius, ea ratione nobis communicasti iustitiam ipsius possumus dicere, quia Deus acceptat ad nos præparandum ad iustificationem, orationes & m[illegible] illius, & nobis ea imputat, perinde ac si a nobis, vt id obtineremus, fierent, in nostram iustificationem & gloriam.

Proposit. 5. Neque in solo sacramento baptismi quidquid vni quidam doctissimus contenderit, imputatur nobis iustitia Christi, sed & in alijs sacramentis, & quoties aliquod à Deo donum accipimus. Non enim opus est, quidquid de ille de rigore huius verbi contenderit, id solum dicere nobis imputari, quod ex toto & in totum imputatur. Imputari quidem diceremus Michaeli à rege obsequium sui patris, si propter illud da[ret] ei [illegible] mille aureorum, & totidem ijs fratribus suis. Neq; minus certe [illegible] imputari, quia nulli eorum imputaretur in totum, neq; quantum ad id merebatur. Et alias neque in baptismo, nisi forte quo ad satisfactionem, possemus dicere alicui imputari iustitiam Christi, quia nullus est, cui tantum imputetur, quantum ipsa meretur, & digna est. Si tamen quis dixerit imputari nobis iustitiam Christi, ac si nostra esset, caute hoc [illegible] loquendi & prudente vtatur. Ad satisfactionem quidem pro peccato originali, & pro actualibus applicatur plenissime passio Christi in baptismo, & paruulis & adultis. ac si suaipsorum esset, hoc excepto, quod si sua esset, nullo alio esset opus, vt plenissime satisfacerent: nunc autem licet (vt ait Amb.) non planctus, nec gemitus, tamé aliqua præparatio ad baptismum adultis opus est, vt ipsis sic applicetur.

Proposit. 6. Sed quo ad satisfactionem, nunquam extra baptisma & ad meritum, vel acquisitionem gratiæ vel gloriæ; aut aliorum donorum, neque in baptismo, neque alias iustitia Christi imputatur nobis, ac si nostra esset: Quia licet imputetur nobis ad illa omnia, ac si nostra esset, imputatur tamen finitè & limitatè. & non nisi iuxta eum gradum & quantitatem & mensuram, in quam Christus voluit, & pater acceptauit eam nobis communicari & applicari. Et ne quispiam his adhibitis temperamentis, vereatur vti hoc vocabulo, poterit sufficere authoritas Bernardi, qui in epistola 109. ad Innocentium Papã ita scribit: *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, vt videlicet satisfactio vnius omnibus imputetur, sicut omnium peccata vnus ille portauit.* Atque hactenus quidem de nomine.

CAPVT III.

Nulli imputatur iustitia Christi ad primam iustificationem sine baptismo in re, vel in voto.

Vt sciamus tamen veram, & eam, quæ vel iustis, vel peccatoribus necessaria * est applicatio, seu imputatio meritorum Christi, illud ante omnia meminisse debemus, quod & ex dictis lib. 4. dilucidum esse potest, toties ad nos pertingere virtutem & eorum apud Deum efficaciam, quoties nouum aliquod spiritale beneficium ab ipso recipimus. Statuit enim pater cœlestis pro sua summa caritate & beneuolẽtia in suum filium, in hoc illum honorare, vt sicut nihil in natura, nisi per illum, quatenus Deus est, facit: ita & nihil, nisi propter illum, vt homo est, facit ex ijs, quæ ad nostram iustificationem & reparationem spectant. Et sicut omnia noua eiusmodi beneficia, nouam Dei beneficentiam, ita & nouam appli-

*for. *est, applicatiõne, seu imputationem.

diendi non sunt, videlicet Zuingliani, qui infantes negant propriè cum peccato nasci, profectò nec tu audiendus es, qui ea prædicas, ex quibus aperte sequitur, nec propriè, nec impropriè cum peccato illos nasci. Quanta verò tua amentia est, ex ea promissione iustitiam paruulis sine baptismo polliceri? Nunquid si filij fidelium sint in peccato mortali, & illos quoque, si sine pœnitentia decedant, saluos futuros propter eam promissionẽ concedes? Non opinor ita delirabis. Sicut igitur promissionem istam Dei in hoc valere dices, vt salutem assequantur adulti filij fidelium, si quidem præscripta sibi in lege Dei fecerint, ita & nos eam promissionem & infantibus sufficere dicimus, si adhibeatur illis baptismus, qui toties in scripturis explicatur cunctis esse necessarius. Non sunt enim, quod sæpe tibi dictum velim, nam sæpe in hoc hallucinaris: non sunt, inquam, istæ Dei promissiones absolutæ, sed conditionales, vt lib. XI. cum sancta Synodo explicuimus.

Obiect. 2. Caluini. Quo iure ergo, addis, ad baptismum filios fidelium admittimus, nisi quod promissionis sunt hæredes, & huius promissionis beneficio, ecclesiæ censentur membra? Nisi iam ante ad eos pertineret vitæ promissio, baptismum profanaret, quisquis illis daret.

Respon. Quam longe verò hic à tota Ecclesiæ doctrina aberras? in baptismo illa infantes credit se generare, sibique & Deo filios, ac membra viua Christi & sua, & promissionis nobis ab eo factæ participes facere. Tu nec re, nec voto suo baptizatos, filios Dei & membra ecclesiæ, & participes promissionis asseris. Per baptismum illa ianuam se vitæ spiritalis & regnum cœlorum aperire infantibus semper credidit. Hilar. in Psalm. 65. *Per Iordanem via nobis cœlestis regni, & noua regenerationis lauacro possessio æternorum corporum inchoatur.* Hieron. in 47. cap. Ezech. & epistol. ad Oceanum. *Aqua baptismi, initia profectuum.* Et rursus: *Ab eo tempore censemur, ex quo in Christo renascimur.* ...milia passim occurrunt in alijs docto... Tu contra Ecclesiam & eos omnes, & ante baptismum salutem illorum inchoatam dicis: & quod ne Pelagiani quidem mutire sunt ausi, regno cœlorum dignos habendos esse, etiam sine baptismo affirmas. Et quia baptismum, profanari dicis si detur ijs, qui non sunt hæredes promissionis, iuxta tuam sententiam, nec dabit ille fidelium filijs gratiam, saltem primam, sed eam tantum obsignabit, nec dabitur eis in remissionem peccatorum, sed in signum iam datæ. Quod quidem non semel est ab Ecclesia damnatum. Quin & ad tuum istum errorem aperte sequitur, infidelium filios etiam ex voluntate suorum parentum, non licere in articulo mortis baptizare, neque ipsos infideles volentes fieri Christianos, donec eos participes promissionis factos credamus.

Quid verò tecum te his, pluribus agam, qui non vereris in testimonio illo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.* quod tota Catholica Ecclesia de aqua elementari hactenus intellexerit, aquæ nomen pro mortificatione acceptum dicere, vel certe epitheti vice adiectum, vt vim & naturam Spiritus sancti exprimeret? Si non credebas impiè nostro Concilio, quod sess. 7. can. 2. de baptismo anathema indixit detorquenti hæc verba ad aliquam metaphoram: nec Concilio Florentino, quod de aqua elementari illud exponit, atque inde colligit, sine baptismo neminẽ introire in regnum cœlorum, & eum esse asserit vitæ spiritalis ianuam, ac per ipsum membra effici Christi, & de corpore ecclesiæ: crederes saltem Ambr. 4. de initiat. myster. & Hieron. in epist. ad Oceanum qui eandem expositionem tradunt: crederes Chrysost. Theophylact. Cyrill. August. in Ioannem, & Basil. hom. 52. & Gregor. 4. Moral. c. 2. & lib. 9. c. 16. qui & hinc colligunt, necessarium esse omnibus baptismum ad assequendum regnum cœlorum. Certe nullum istorum authorum poteris dicere fuisse tempore, quo dicis extinctam fuisse Euangelij lucem. Vnde item aliunde sacri pontifices & venerandi ecclesiæ Doctores, & ecclesia Catholica, ac ipsi Christi apostoli moti sunt, vt passim baptismum

Absurda Cal. exposi. cōtra Eccle. Catho.

Conc. Flor.

apoci-

appellarent regenerationem, aut renascentiam, aut sacramentum regenerationis? Quare Cypr. 3. epist. 8. cum toto quodam Concilio Africano censuit, nec recens natis esse gratiam baptismi denegandam, & Apostoli, teste Orig. lib. 5. super epist. ad Rom. tradiderunt ecclesiæ, vt paruulis baptismum daret, nisi quia ex hoc loco intellexerunt, necessarium esse hoc sacramentum ad ingressum in regnum cœlorum? Vbi etiam homines grauissimis obrutos peccatis, & Spiritu sancto renasci posse credis, quam in baptismo? Si ibi duntaxat renascimur, quamobrem hinc aquam vis excludi, sine qua non est baptismus? Qui sunt isti veteres, quos ais aquam hic pro mortificatione accepisse? Cur dissimulas? cur silentio præteris? cur non profers, vt vel aliquod habeas tuæ temeritatis patrocinium, nec tam perniciosæ interpretationis primus videaris fuisse parens? Et nonne ipsa te sensus absurditas expergefacere poterat, vt nec tibi, nec alij tam alienam expositionem cuderes. Quis vnquam dixit, ex mortificatione nos renasci? Renatis consulit Paulus, vt mortificent seipsos, & post renascentiam hoc tota vita agimus, vt veterem hominem exuamus, & de die in diem in Christo renouemur. Sed ex mortificatione nos renasci, nemo præter te dixit. Quod si epitheti vice, aquæ nomen est positum, cur non potius post verbum, Spiritus sancti, est adiectum? Quanto te rectius nonnulli ex sanctis doctoribus, quos citauimus, ideo aquam subiectam à Christo dicunt, vt Nicodemus, qui non intellexerat priora verba, Nisi quis renatus fuerit denuo &c. paulatim deduceretur ad intelligendum sacramentum baptismi, in quo, cooperante Spiritu sancto, homo renascitur Deo? Atque ex illis potuisses dicere, nec ignem epitheti vice positum, in illis verbis, *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* (Matth. 3.) Quod si paruulis non renatis ex vitali aqua, baptismi salutem promittis, vt magnificentius quam nos, de diuina misericordia videar s sentire, cur non & adultis peccatoribus sine baptismo & sine pœnitentia indulgentiam concedis? Non enim apertius istis indicat scriptura necessariam esse pœnitentiam, quam illis baptismum, & Christus non magis pro peccatis illorum, quam pro peccatis istorum satisfecit. Eademque ratione & damnatis omnibus, & ipsis dæmonibus poteris cum Origenistis aliquando tandem salutem polliceri.

Sed te in hæc præcipitia Calui ne tua superbia & arrogantia pertrahit, qui vis semper licere de diffinitis à Patribus disputare, nec intelligis nihil posse esse satis certum in ecclesia, nec alia via certiorem aditum posse dari omnibus tenebris & seditionibus, quam si tua ista admittatur licentia. (Respons. ad Cal. præf. & notata. con. dec. 2. sess 5.) Vt enim semel hic obiter pro authoritate Conciliorum generalium respondeam, & pauca quædam ijs, quæ lib. 1. huius operis tradidimus, tua causa adijciam, non vides, si vel minimum Concilium si legitime congregatum, in fide aut moribus contemnis, (Authoritas conciliorū.) vt aperte facis, dum sex aut septem ex illis adulterina vocas, vniuersam plane omniū Conciliorum authoritatem te subruere & labefacere? Vnde certum habeamus Spiritum sanctum adstitisse quibusdam, & non alijs? Quis erit finis contentionum & disputationum in ecclesia, si, vt tu vis, reuocare semper licet in disputationē, quæ conclusa & mature diffinita in eis fuerunt?

Si difficile & ambiguum, dixit Deus olim (Deut. 17.) Moysi, *apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Et tu non credis Concilijs generalibus assistere Spiritum sanctum ad edocendum & indicandum quæ vera sunt in his, quæ dubia & controuersa fuerint in ecclesia? Minusne diligit Deus nunc ecclesiam, quam olim synagogam? Minusne prospexit illius dubijs & necessitatibus? Non pudet te Christianum dicere, & conciliorum generalium abrogare authoritatem? Si aliquando, vt ais, extincta fuit sanæ doctrinæ lux, & aliqua Concilia generalia errauerunt, atque vt audet tuus sodalis Bucerus (Bucer. exécrandus error.) assere-

asserere, ecclesia errauit vltra sexcentos annos, non solum in canticis & lectionibus, sed in administratione baptismi & Eucharistiæ, & in superstitione nouorum sacramentorum, & benedictionum, vt quidam alij nunc ex vobis contendunt, iniquum est à vobis petere, vt vos subijciatis Concilijs generalibus: vbi erunt magnifica illa Christi promissa, *Et ego rogabo patrem, & aliũ paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis*: Et iterum, *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem*: Et rursus, *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi?*

Ioan. 14. & 15

Matth. 28

Si mansit cum ecclesia spiritus veritatis, & ipsa veritas & sapientia patris, profecto libera illa fuit ab errore Si non mansit promissionem suam non impleuit. Vides cornuta te interrogatione teneri, & necesse esse, vt vel Christum vel Spiritum sanctum dicas non fuisse veracem, si concilium aut ecclesiam errasse, aut errare posse contendas? Quibus vero strophis sacrosanctam istam conciliorum authoritatem violare & eneruare conetur, audiamus.

Obiectio 1. Cal in præ. antidoti.

Augustinus non vult, ait, oraculi instar haberi, & absque controuersia recipi, quicquid prodierit ex Concilijs. Nam lib. 3. cap. 14. aduersus Maximinum Arrianum scribens: *Neque ego*, inquit, *Nicenum, neque tu Ariminense debes tanquam præiudicaturus, proferre concilium.*

Responsio.

Cur non vides Caluine ista Augustinum dixisse illi hæretico, qui Synodum Nicenã non recipiebat, & conuentum inter ipsos fuisse, vt ex scripturis duntaxat, & absque præiudicio alicuius Synodi, de fidei veritate certarent? Nonne & ibi & alias non semel ostendit, vt inuiolabile & certissimum se habuisse, quidquid Syn. Nicena statuit, & hæreticos esse, qui illam labefactare conantur? Et cur verba Aug. detruncas? Nam & ea si integra citasses, mox tua conspicua fuisset versutia. *Sed nunc*, inquit, *nec ego Nicenum, &c.* Verum fides, addis, non temere nudis hominum placitis, sed vni tantum Deo subscribit. Quasi vero temere, & non summa maturitate diffiniantur, quæ stabiliuntur in Conciliis. Quanto te fidelius

Obiect. 2.

Responsio.

Gregorius, 1. epist. 24. lib. 9. epist 61. qui palam affirmat se, vt sancta quatuor euangelia, venerari sancta quatuor priora concilia generalia? Atque idem mox subnectit de quinto, & anathema indicit omnibus, qui aliud ab ipsis sentiunt. Et alibi, redeuntes à Nesteriana hæresi, non vult recipi, nisi venerandas Synodos, quas vniuersalis ecclesia recipit, se recipere & venerari promittant. Et 7. epist. 53. Quoties in 4. præcipuis sedibus antistites ordinantur, Synodales sibi epistolas inuicem mittunt, in quibus se sanctã Chalcedonensem Synod. cum alijs generalibus custodire fateantur. Ab istis purissimarum aquarum fontibus disce doctrinam Theologicam, & intelliges certum & indubitatum fuisse iam olim in ecclesia, & oraculi vice receptum, quidquid à Concilijs generalibus emanauit, neque placitis humanis, sed Deo ipsi fidem subscribere, cum eis toto corde assentimur. Neque miror tamen te in istis labi, cum & circa primatum Ro. pontificis vbique cæcutias, neque illum vicarium Christi agnoscas, cuius authoritate congregentur & roborentur vniuersa Concilia. Lege cæce totam d. 17. decreti Gratiani. Lege quæ contra istam vestram hæresim scripsere illustres illi propugnatores Ecclesiasticę, Hierarchię. Roffensis, Eccius, Alb. Pigius Campensis, Alphonsus: neque ita turpiter errabis, vt ad vniuersam Ecclesiam referas, quod Concilium 3. Carthaginense statuit pro Africana prouincia, & in honorem Sedis Apostolicæ, ne quis videlicet inter eos princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi appelletur.

Prima sedis dist 99.

Sileo de alijs concilijs Africanis, quibus interfuerunt Legati Sedis Apostolicę. Certè Africani erant Patres, qui ex Concilio Mileuitano & alio Concil. Carthag. Scripserunt ad Innocent. 1. rationem reddẽtes omnium, quæ contra Pelagianos statuerant, ac illius, vt capitis, confirmationem & approbationem postulãtes. Et ex epist. eiusdem Innoc. ad Mileuit. Concil. pater, illud concilium authoritate ipsius congregatum & approbatum. Nonne etiam Africanus erat S. Cyprian qui in epistola 3. ad

Cornelium, inter alia pientissime scribit? Neq; enim aliunde hæreses ortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Lege hanc totam epist. & videbis quantorum peccatorum sitis rei, qui vicarium Christi perpetuis conuicijs insectamini. lege item, quæ Augu. & is etiam Africanus, ad Bonifacium Papam scribit, quæq; alij Patres, Orig. Hilar. Chry. Theoph. Cyrillus, Damas. & innumeri alij Doctores, sanctitate eruditione clarissimi, de Petri & successorum ipsius primatu scripserunt: & si velis salubriter vinci, fide dubio agnosces testatissimum esse in sacris literis vnius capitis sub Christo principatū: neq; quod hic aut ille male functus fuerit suo officio, necessitatem & vtilitatem vnius primæ Sedis, cui omnes catholici obediamus, negabis. Verum hæc satis nunc tibi. reuertamur, vnde huc, te cogente, digressi sumus.

CAPVT IIII.

Quatenus iustitia Christi peccatoribus imputetur.

Beneficia 6. peccatorib. exhibet De us propter Christum. ATQVE vt de beneficijs corporalibus, Christi merito peccatoribus exhibitis, nunc sileamus, ad sex potissimum spiritalia beneficia, illis Christi iustitiam imputari video.

Primum. Primo enim & propter Christum à multis peccatis seruantur, in quæ alioqui laberentur, & ei par est gratias agant, quod ob ipsius gratiam & preces apud patrem, misericordissima ipsius manu impediti sunt, ne frequentius & grauius corruerent.

Deinde & propter eundem longanimiter expectantur ad pœnitentiam. Ac tertio, Christi nomine & causa, aliqua eis impartitur Deus auxilia, vt non solū resistant viriliter aliquibus tentationibus, sed & aliqua bona & difficilia opera faciant, per quæ mandata Dei impleant, ac vitent pœnas æternas, quas, si non facerent, mererētur. Vt enim lib. 6. cap. 39. ex scripturis & Patribus abunde firmauimus, etiam in grauissimis peccatoribus inueniuntur aliqua bona opera digna laude.

Et pessime de omnibus peccatoribus Caluinus hac in parte meretur, qui contra cap 8. huius decreti, ita scribit: *Posteris vix persuadebitur, tantum stuporis fuisse in Papatu, vt iustifi ationi vllum opus praeponerent, etiamsi negarent esse tanti boni meritorium. Quid enim ab homine prodibit, donec spiritu Dei fuerit regenitus?* Et hoc confirmat circa can. 7. Primo, quia arbor mala non potest nisi malos fructus facere: omnes autem sumus malæ arbores, donec in Christum inseramur. Secundo, quia infideles facta sua non ad legitimum finem referunt, atq; vt dicit Aug. 3. ad Bon. c. c. *Religio nostra iustos ab iniustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit.* Tertio, quia Paulus dicit, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Calu. dānat omnia peccatorum opera. Hebr. 11.

Quod vero mirum, si Caluinus omnia opera peccatorum dānet, cum damnet, vt supra explicuimus, etiam omnia opera iustorum? Si, quia arbor mala non potest nisi malos fructus facere, damnas opera infidelium, quia iustificati, sunt bonæ arbores: approba saltem aliqua opera ipsorum. Et si, quia sine fide impossibile est placere Deo, colligis, omnia opera infideliū Deo displicere: collige & inde, non omnia opera fidelium eis displicere. Quod si certo scis, nō omnia opera iustorum, tametsi bonæ sint arbores, esse bona, doceat te paritas rationis, nec omnia opera malorū esse mala. Possunt enim aliqua, puræ esse & nudæ obseruationes mandatorum, & in nullum finem malum, sed in bonum potius esse ordinatæ. Et Aug. qui 1. Re. 22. tra. 13. in Ioan. & lib. 5. con. Faustum c 9. pro nobis militat in loco, quem tu allegas, non opera bona à malis, sed iustos ab iniustis lege fidei dicit discerni. Nec quia aliquis nobis displiceat, necesse est & omnia ipsius displicere. Fortius vero pro te pugnat, quod alibi ait. Nisi quisq; iniquam voluntatem mutauerit, bonum operari non potest. Et alias: Initiū operū bonorum confes. est operū malorū.

Sed pro his & similibus, ac pro illis, quæ de mala arbore iactas, lege quæ lib. citato scripsimus, & in q. vlt. de iustificat. & ex eis intelliges, bona ab scripturis & sanctis doctoribus

ctoribus ea duntaxat aliquando censeri, quæ vitæ æternæ sunt meritoria:atque ideo dictum esse, arborem malam non facere fructus bonos, quia peccatorum opera, esto bona sint, meritoria beatitudinis non sunt. Nec ideo tamen ea debes dicere mala. Non enim dixit Christus, sicut tu citas non posse arborem malam nisi malos fructus facere:sed,vt nullam hinc ansam seu patrocinium vestro errori sumeretis, dixit, sicut nos dicimus, non posse arborem malã bonos fructus facere.

Benefic. 4. Præter hæc aũt imputatur iustitia Christi peccatoribus, vt vocentur, alliciantur, & inuitentur ad gratiam. Et hæc sic à Deo in nobis propter Christum fiunt, vt nullam in his partem habeat libertas nostra, vt lib. 6. c. 8. docuimus. Quod & in Aug. Greg & Ber. de gra. & lib. arb. certo memini me legisse. Nec Christo tantum imputanda est gratia excitans peccatores: imputanda & illi est gratia adiuuans, qua fit, vt ipsi libere & sponte assentiantur gratiæ vocantis, ac se dispõnãt & præparent ad gratiam & amicitiam Dei per ea, quæ lib. 6. necessaria vel commoda ad hoc statuimus. Cum enim necessaria sit gratia & fauor Dei ad pænitẽtiam, vt abunde probauimus q. 11. de iusti. & Leo. 1. ep. 89. & August. epist. 106. indubitatum asserunt, nunquam eam gratiam obtinerent peccatores, nisi propter merita Christi.

(Margin: Vocatio peccatorũ non subest libertati.)

(Margin: Benefic. 5.)

Respon. ad Cal pro ca. 5. can. 5. Fatemur igitur, audi Cal. neq; te pigeat discere, quod tota ista antidoto satis indicas non intellexisse. Fatemur, inquam, à Deo esse quod possimus in ipsum à peccatis conuerti, & quod in ipsum conuertamur, & quod cõuersos ille recipiat in gratiam, neq; quisquam catholicus sibi arrogat, quod solis liberi arbitrij sui viribus se possit ouem Christi facere. Quin hæc oĩa per Christum nobis concedi, certo scimus neq; dubitamus verissimum esse, quod ex Aug. 2. ad Bonif. c. 8. allegas: Per mediatorem Christum ex malis Deus facit in æternum bonos. Atque gratiam per Christum nobis nunc factam, hoc exuperare nouimus gratiam Adæ, quod cum ille accepetit posse, nos accipiam⁹ & facere. Et ista luculẽtius & pleni⁹, q̃ vos, docuerunt supra Patres, vt ex li. 3. 4. & 6. huius operis potes intelligere.

Quare perspicuum est, non Patres, sed te hallucinari, qui illis impingis, ꝙ motum nobis offerri somniẽt, q̃ mediã electionem nobis relinquãt. Credis enim tantum illos posuisse gratiã, quę antecedat liberã cõuersionem peccatoris, cum illi liqdissime meminerint excitãtis & adiuuantis, hoc est, vt li. 6. docuim⁹, antecedentis & comitantis. Inde vero in istis erras, quia non intelligis mixtim hæc fieri à li. arb & gratia, & nõ singulatim, simulq; & non vicissim p singulos profectus illa operari. Pulchre namq; Ber. de gra, & lib. ar. Non partim gratia, partim lib. arb. sed totum singula opera indiuidua peragunt: totum quidẽ hoc, & totũ illa, sed vt totũ in illo, sic totũ ex illo: & queadmodum in operib. q̃ facimus per solũ Dei concursum naturalẽ, libertati nostrę nõ præiudicat cõcursus diuinus, ita neq; in istis præiudicat cõcurs⁹ gratuitus. Administrat gppe, p sua summa sapiẽtia ille oĩa suauissime & iuxta vniuscuiusq; rei naturã & proprietatem. Quod si istum concursum intelligeres, quo Deus peculiariter adiuuat nos ad bonum, & non ad malum, propter testimonia, quæ sane & commodissime sunt iam exposita à Doctoribus, quæq; de concursu generali exponi queunt, nunquam aduersareris Synodo in can. 6. Non enim negat Deum concurrere voluntate sua & concursu communi ad mala, sed quia non perinde ad ea concurrit, atq; ad bona: neq; voluntates nostras ad mala excitat & extimulat, aut adiuuat, sicut ad bona: ideo anathema indicit dicenti, non minus proprium esse opus Dei proditionem Iudæ, quam vocationem Pauli. Nam & propter hoc. & quia non impedit peccata, & cæcitatem, & obstinationem peccatorum, cum tamẽ hæc in lege prohibeat, permissiue tãtum dicitur se habere in peccatis, & permissiue excæcare, ac indurare, & simil. Sed de istis satis multa supra li. 2. c. 15. diximus.

(Margin: Resp. Cal. pro can. 6.)

Nec miror tamen, quod non intellexeris, per adiuuantem gratiam hoc præstari nobis iuxta sententiam Patrum, quod tu

vis, nempe vt ex nolentibus volentes fiamus. Tantis quippe tenebris obrueris, vt cum disertissime & Augustinus & cæteri Patres, atque ipsa sacra scriptura libertatem nostram in his omnibus prædicet, tu tamen in illis, quæ contra caput 5. scribis, nomen hoc libertatis sic deludas, quasi propterea tantum dixerint, libere nos conuerti in Deum, quia non inuiti, sed voluntarij, Deo faciente, conuertimur. Dic impie, & tuæ ipsius conditionis & nobilitatis ignare, quando Deus omnibus peccatoribus benignissime pollicetur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, cur conuersionem eorum ab ipsis requirit? Cur hortatur, vt se in ipsum conuertat? cur pulsat ad ostium obstinatæ voluntatis? cur excitat? cur inuitat? cur clamat? si non subest eorum potestati, vt conuertantur, vel non conuertantur? Nunquid ista Deum cum brutis facere audisti, aut legisti vnquam, tametsi illa faciat, non inuito, sed voluntarie per suum appetitū ei obsequi in omnibus, quæ de ipsis ipse per se disponit? Cur hoc tam apertum, & tam forte libertatis nostræ testimonium, quo Patres vsi sunt, deludis, & nihil, quod vel in speciem verisimile sit, ad ipsum respondes? Cur imputatur peccatoribus impœnitentia si non subest eorum potestati sua conuersio? Cur non distinguis à naturali appetitu voluntarium consensum, qui, definiente Bernardo, de gra. & lib. ar. est habitus animi liber sui, vel nutus voluntatis spontaneus?

Negat Cal. libertatem.

Zach. 1.

Sed piget me & pudet, rem adeo apertam, & tot scripturæ, sanctorū, & luminis naturalis, testimonijs lib. 2. confirmatam, nunc vel obiter attingere. Respondebo tantum tuis argumentis. Ais primo: Qui liberum arbitrium hoc est, facultatem in vtramque partem liberam & solutam, titulum sine re dicunt esse, Christum habent authorem, cum dicit liberos fore, quos filius liberauit, alios esse seruos peccati. Vt quid vero Christi verba decurtas & minuis? Non dixit Christus, vt tu allegas, liberos fore, quos filius liberauerit: sed ait, *Si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* Illius particulæ, Vere, adiectione, vestro errori ansam omnem amputauit, & ostendit, sicut sancti Doctores docuerunt, & antecedentia postulabant, non se de libertate naturæ agere, quæ in illis etiamnum erat, sed de libertate gratiæ & gloriæ, quam ille largitur iustificatis. Lege Doctores Theologos, & ipsi te docebunt triplicem esse libertatem, sicut & Bernardus de gra. & lib. diserte tradidit. Est enim libertas naturæ, quæ est libertas à necessitate, & communis est bonis & malis. Est libertas gratiæ, quæ est libertas à peccato lethali, & propria est iustorum, quia peccatores omnes sunt serui peccati. Est libertas gloriæ, quæ est libertas à miseria, & propria est beatorum.

Obiectio 1. Caluini.

Ioan. 8.

Libertas triplex.

Sed addis: Quod ad ipsam vocem attinet audiant Aug. qui liberam hominis voluntatem esse negat, quandiu vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita est. Alibi autem sic loquitur. *Victa vitio, id quod cecidit voluntate caret libertate natura.* Item *libero arbitrio male vsus homo & se perdit & ipsū.* Item: *Magnas homo libero arb. vires, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit.*

Obiectio 2. Caluini.

Ne tamen his aut similibus verbis Aug. Homil. 53. in Io. ser. 3. de verb. ap. de spir. & lit. cap. 30. deceptus, in tuo errore, vt facis, permaneas, scito Augustinum sæpe de libertate gratiæ more Christi & Pauli loqui, atque ideo abrogare libertatem peccatoribus. Alias vero, quia de libertate ad bonum duntaxat loquitur, & sufficiens non est nostra libertas ad surgendum à peccato, & mandata Dei implenda, nisi à Deo adiuuetur: exiguaque omnino est particula, quæ nobis ad bene operandum reliqua est post peccatum, more communi, quo parum, pro nihilo imputatur, nullam in nobis libertatem ad bonum superesse dicit. Et ne aliter exciperentur hæc, quæ tu citas, & alia, quæ nos citauimus similia, in q. de iustific. & in libr. 2. huius operis, ipse multis locis & libris ibi à nobis citatis, diligenter cauit, & in libro primo Retract. ca. 26. palam dicit, non ita accipiēda hæc esse, quasi totum amiserit homo, quod accepit.

Respon.

Vnde docte Richardus de statu inte. ho. cap. 12. *Cum audis liberum arbitrium esse captiuū: nihil aliud intellige, quam infirmum, & natiua*

potestatis

potestatis virtute priuatum. Et paulo ante ista explicat, per hanc potestatem, quammodo recuperare non possumus, potuisse hominem omne debitum soluere, & omne malum cauere: sed per peccatum, ait, amisit homo potestatem, non libertatem. Nam bonum posse, est vere posse: sicut cogi non posse, est vere liberum esse. *Et hac libertas,* addit, *nec in bonis est maior, nec in malis minor, qua nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur.*

Quia tamen Aug. epist. 89. libertatem in locis citatis vocabat potestatem sufficientem ad bonum, & hæc tanto maior est, quanto nos meliores sumus: ideo alibi dicit, *Tanto liberior voluntas, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto diuinæ misericordiæ, gratiæque subiectior* Quod si solis peccatoribus abrogare Caluine voluisti libertatem, cur is obuiam Patribus, damnantibus dicentes liberum arbitr. esse titulum sine re? Nonne saltem res subsistit in iustis? Esto tamen, libertatem nobis in his abroges, quam & nos sine gratia Dei & imputatione iustitiæ Christi, parum posse non negamus: cur in illis, quæ contra c. 7. notasti, dispositionis nomen abhorres? Qualem, obsecro, ais, dispositionem inueniet spiritus Dei in cordibus lapideis? An non pudet eos dispositionem fingere, vbi spiritus ipse vbiq; in scripturis pronunciat omnia esse contraria? Cur vero nos pudeat verbi, Dispositionis, cum non nobis, sed DEO, qui emollit & præparat corda nostra, eam tribuamus? Te pudeat qui non intellectis verbis Patrum, exclamas in canone 4. Et qualis erit cordis ferrei à seipso præparatio, donec mirabili conuersione carneum esse cœperit? Quasi vero Patres non disertissime explicuerint, istas omnes præparationem esse à Deo, qui nobiscum & per nos præparat corda nostra.

Caluinus negat dispositiones ad gratiam.

Cōtradict. Caluini.

Curautem non vides, aperta te hic contradictione teneri? Nonne fidem & pœnitentiā tu ipse à peccatoribus, vt iustificētur, requiris, & fide ais apprehendi iustitiam? Quid aliud fides & pœnitencia sunt, quam dispositiones, quas nos ad iustitiam exigimus? Si fide apprehendimus iustitiam, præcedit ergo fides iustitiam, & dispositio ad illam est. Dicis: Ita præcedit, vt tamen Dei respectu sequatur. Ecquis tibi negat, à Deo nobis illam cōcedi, & priores ac principaliores partes Deum in ipsa & in omni dispositione nostra tenere? Hoc tantum contendimus, aliqua Deum prius in nobis efficere, quam nos iustificet, & per ea nos ad recipiendam iustificationem, ab eo præparari & disponi. Antecedunt enim nostræ dispositiones gratiam gratum facientem, & sequuntur gratis datam nos præuenientem.

Dispositiones reconciliationē præcedunt.

Vnde Augustinus: lib. 83. q. 68. *Parum est velle, nisi Deus misereatur sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem.* Nec retractauit hæc in 1 Ret. c. 26. sed docuit, misericordiam Dei præuenire hanc voluntatem, & per eam præparari nos à Domino, atque ad illam pertinere vocationem, quæ præuenit & fidem. Quod & in expositione inchoata epistolæ ad Rom. his verbis docuit: *Iusta est ergo gratia Dei, & gratia iustitiæ, cum etiam pœnitentia meritum gratia præcedit, quod nemini in peccati sui pœniteret, nisi admonitione aliqua gratiæ Dei.*

Quia tamen peccator indignus est pane, quo vescitur, & promereri non potest, nec vlla sua pœnitentia debitam sibi facere remissionem peccatorum, adhuc opus est ei imputari denuo iustitiam Christi, vt reconcilietur Deo. Sicut enim Aug. q. 68. lib. 83. luculenter explicat, quantocunq; pœnitentiæ dolore misericordia dignus quis fuerit, Dei indiget clementia & benignitate, qui eius precibus doloribusq; subueniat, & si sibi delinqueretur, interiret. Quare & imputatione indiget iustitiæ Christi, per quem vnum placuit patri omnia reconciliare. Et per eum vnum dispositiones omnes peccatorum ad gratiam idoneæ, à patre cœlesti habentur ad eorum reconciliationem.

Beneficiū.

CAPVT V.

Ad quæ imputatur iustitia Christi in ipso momento iustificationis.

QVANQVAM autem Caluinus plane consentit, peccatoribus imputari Christi iustitiam ad ipsorum iustificationem, atque in his sic in genere traditis nihil nobis aduersetur: si tamen peculiariter disquiramus,

Respons. ad Caluin pro. cap 7.

quiramus, ad quid peccatoribus imputatur iustitia Christi in ipso momento iustificationis, non mediocris inter illum & nos inuenietur controuersia. Nos enim, vt iuxta sententiam patrum lib. 5. cap. 2. & seq. copiose declarauimus, nomine iustificationis, remissionem peccatorum, sanctificationem, renouationem, & adoptionem, in filios Dei & hæredes regni cœlorum, comprehendi intelligimus. Ille vero vnam remissionem peccatorum, nomine iustificationis intelligit. Et quanquam perpetuo coniunctas, ac sibi cohærentes iustificationem & sanctificationem asseuerat, nec posse alteram ab altera diuelli, tamen Patres accusat, quod ista confuderint, & eadem inter se fecerint. Ac sanctificationem & renouationem, pro eodem omnino accipit. Sed vtriusque nomine quid voluerit intelligi, aut quatenus illas à remissione peccatorum distinxerint, non explicat. Palam tamen indicat, se in duobus saltem à nobis toto cœlo distare. Nam primo quidem non credit hominem, cum iustificatur, in obedientiam Dei reformari.

Verba illius hæc sunt: *Verum cum tunc iustificari hominem tradunt, cum in obedientiam Dei reformatur, totum illud Pauli argumentum euertunt: Si ex lege est iustitia, exinanita est fides, & abolita promissio.*

Ac vide quam aliter hic interpretetur hunc locum, ac dum ex eo colligit certitudinem gratiæ, vt cap. 1. citauimus. Subdit namque statim: *Intelligit enim neminem inuentum iri inter homines, in quo salutis promissio compleatur, si innocentiæ conditione sit implicita, & nullam mox esse fide, si operibus fulciatur.* Et mox: *De regeneratis loquor. Quantum enim abest à iustitia quæ in hac vita inchoatur, vitæ nouitas?*

Sed & in altero à Patribus dissentit. Non vult enim iustificatis propriam aliquam in sua iustificatione conferri iustitiam, sed eos vna gratuita acceptione propter Christum vel vnica Christi iustitia sibi imputata, aut gratuita imputatione iustitiæ ipsius esse iustos. Causam, inquit, iustificationis Tridentini Patres duplicem fingũt, ac si partim remissione peccatorum, partim spirituali regeneratione iusti essemus. Vel vt alijs verbis exprimam, quod sentiunt, ac si partim imputatione, partim qualitate iustitia nostra constaret. Ego autem vnicam & simplicem esse assero, quæ tota continetur gratuita Dei acceptione. Eam præterea extra nos constituo, quia in solo Christo iusti sumus.

Et paulopost contradicit Patribus, quod affirmant nos vere esse iustos, & non tantum reputari. Quis vero tantos errores, immo blasphemias possit iam æquo animo ferre? Vbi est impie, quod Paulus & eum secuti Doctores sancti, diserte affirmant, Baptizatos nouas esse creaturas, & per baptismum veterem nos hominem crucifigere ac exuere, & induere nouum, & renouari ad pœnitentiam, si hec in hac vita admittis esse vitæ nouitatem? Cur Christus dicit nos renasci per baptismũ, si abest à iustitia, quæ in hac vita inchoatur, vitæ nouitas? Quid & tu cæce ibidem dicis simul ac iustificamur, sanctificari nos, & renouari ac regenerari in vitæ sanctitatem? Quid aliud est vitæ sanctitas, quam vitæ nouitas? Si dicis, regenerari iustos in vitæ sanctitatem, non quæ statim fiat, sed quæ in patria futura est, ac propterea sine vitæ nouitate posuisse te, sanctificationem fieri in hac vita, aut quia vitæ nouitas, quam acquirimus per baptismum, est tantum (vt postea addis) inchoata, & non meretur dici vitæ nouitas, nimium profecto deludis vim baptismi, & per ipsum vere nos Deo regenerari, ignoras. Siquidem regeneratio sine nouitate esse non potest.

Rom. 6. Galat. 5. & 6. Hebr. 6.

Rom. 6.

Cõtradic. Caluini.

Quomodo vero sanctificationem & innouationem remissioni peccatorum coniunctas dicis, si cum remittũtur nobis peccata nulla sit alia nouitas in nostro spiritu? Non requisiuerunt Patres ad iustificationem, nouitatem operum. Nam paruuli iustificantur sine illa, & hæc vitæ nouitas sequitur, & finis est iustificationis, sicut Paulus explicuit ad Rom. 6. Sed requisiuerunt duntaxat, vt simul, cum iustificatur homo, renouaretur & reformaretur, seu sanctificaretur interius ad obediendum suo loco & tempore. Et hanc nouitatem ipsa ratio iustificationis à nobis efflagitat. Nam si nihil, cum iustificamur, acquirimus, quo Deo simus.

si nus gratiores, & ad ipsius exequenda mãdata promptiores: nec sancti possemus dici nec iusti, nec noua creatura per iustificationem fieri. Lege Caluine quæ libro septimo tradidimus, & agnosces contra authoritatem Sanctorum, & contra rationem te negare habitum iustitiæ.

Caluinus negat nec vere esse iustos.

Atqui vbi negare libebat habitum iustitiæ, continere te certe debueras ab illa blasphemia, quam incurris, dum negas nos vere esse iustos, & non tãtum reputari. Quippe cum Scriptura passim hoc elogio exornet Sanctos, pudere te debuit, si quicquam in te esset frontis, cõtradicere Synodo asserenti eos non tãtum reputari, sed vere esse iustos. Esto, aliquando scriptura Ioseph patrem Christi dixerit, quia talis putabatur communiter, & ille loquendi tropus non erat vulgo, nec doctis inconsuetus: tamen grauissimus profecto error est, & authoritati & sanctitati Scripturarum vehementer repugnans, si putas licere, vt dicat quispiam, quos scriptura iustos vel peccatores prædicat, haudquaquam tales fuisse, sed d'in(t)axat reputatos esse. Ad hocne Filius Dei factus est homo, ad hoc tot & tam graues labores, ac mortem turpissimam & acerbissimam pro nobis pertulit, vt nos reputatiue tantum, & non vere faceret iustos? Quam vereor, Caluine, te consortem eorum minime futurum, quorum gloriæ tam leuiter & tam frequenter detrahis? Attamen argumenta, quibus hæc tanta & tam absurda portenta comprobat, patienter audiamus.

Obiectio 1. Caluini.

Cum docet, inquit, Apostolus, propter vnius obedientiam iustos constitui multos, satis (nisi fallor) ostendit, mutuari nos aliunde iustitiam, cuius nobis indigemus, Et cum dicit nos prædestinatos esse in adoptionem filiorum Dei, vt grati essemus in filio, summã iustitiæ nostræ complectitur.

Responsio.

Atqui argumentorum tuorum palæstra nobis palmam profecto victoriæ desudat. Si enim propter Christi obedientiam iusti constituuntur multi, non ergo tantum reputantur. Si mutuamur aliunde nobis iustitiam, vbi nobis igitur gratis illa communicata fuerit, vere & non tantum reputatiue eam habebimus: supplebitque Dei benignitas indigentiam nostram, & non perinde nos egenos, nudos, ac vacuos, acceramus prius, relinquet. Egregium vero esset mutuum, ex quo nihil noui haberemus. Et non te à tanto vsu deterruerunt ipsæ collationes, quas ibi facit Paulus inter Christum & Adam? Si delictum Adæ, vere & non tantum iuxta reputationem quandam peccatores nos effecit, & inimicitiæ, & morti, ac damnationi subiecit: non multo magis gratia Dei & donum in Christo abũdauerit, vt nos vere iustos ac sanctos, & amicos Dei, & liberos à damnatione, & hæredes veræ vitæ effecerit? Potentius sane fuisset delictum Adæ, quam gratia Christi, nisi nos vere iustos Christus effecerit. Falsumque esset, quod Apostolus ibi subiunxit: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Rom. 5

Quanto te rectius de Christi gratia Cyrillus, 11. in Ioan. ca. 31. qui alicubi ita loquitur: In horto Christi gratia incipit, per quã à malis liberati, in pristinum habitum restituti sumus. Si iusti ergo fuerunt vere protoparentes nostri, & non tantum reputati, & nos ergo vere iusti sumus. Nam alioqui in pristinum habitum restituti non essemus. Deinde: Si grati sumus in filio, veraq; est. & non tantum putatiua adoptio per iustificationem acquisita: vere igitur, & non quadam solummodo reputatione, sumus iusti. Adde, quod apud Deum, qui falli non potest, quicquid reputatur, vere est. Quare si propter Christi obedientiam reputamur iusti, velis nolis, necesse est, nos asseras vere esse iustos.

Sed addis: Proferant, si quod habent, scripturæ testimonium. Ego cum totam habeam scripturam mihi suffragantem, hac vna ratione nunc cõtentus ero, quod cum mentio fit iustitiæ operum, eam lex & Euangelium in perfecta legis obedientia constituunt. Ea cum nusquam appareat, nihil aliud faciunt reliqui, nisi vt cogimus ad solum Christum, vt in ipso nobis cõseamur, quod in nobis ... hi locum vnum proferent, qui ... nouitatem pro iustitia apud Deum proba- Obiectio 2.

ri le-

ri testetur vel in totum, vel ex parte? Quod si authoritate destituuntur, cur non liceat repudiare, quod hic obtrudunt figmentum de partiali iustitia? Et paulo post: Quantulacunque iustitiæ portio in opera nostra conferatur, eatenus vacillabit fides, salusque nostra hoc modo tota periclitabitur. Et post pauca: Denique vbi de causa quæritur, quorsum attinet accidens inseparabile obtrudere?

Responsio. Caluinus non intelligit sententiam Patrũ.

Verum hæc tam multa propterea tanta verbositate replicas, quia non assequeris sententiam patrum. Nec enim illi habitum iustitiæ ponunt, vt causam acquirendæ iustitiæ, sed vt donum defluens ab ipsa imputatione iustitiæ Christi, vt efficiat nos iustos, ac renouet, & procliues efficiat ad obediendum Deo. Et si, vt tu recte ais, quod subordinatur, non repugnat: nihil equidem repugnabit hic habitus imputationi iustitiæ Christi, nec salus nostra ex illius positione quicquam periclitabitur. Nec putare debes, ab isto habitu & à Iustitia Christi, vt ab vna tota causa & integra, nos iustificari. Nam causæ diuersorum generum, nunquam integram aliquam causam constituunt. Iste autem habitus, causa est formalis & vnica, qua formaliter iusti sumus: & iustitia Christi, causa est meritoria vel efficiens nostræ iustificationis. Licet vero ab amore, quo Deus iustos amat formaliter, possunt dici Deo cari & dilecti, & ab imputatione iustitiæ Christi possent etiam formaliter, vt vis, dici iusti, hoc est, absoluti à peccatis, tamen si philosophice de iustitia & sanctitate loquamur, nunquam quisquam dixerit, quod tu audes dicere, nostram iustitiam in prædicamento esse relationis, cũ ab omnib. philosophis & dialecticis ponatur in prædicamento qualitatis.

Iustitia Christi & nostra, non in eodem genere sunt causæ nostræ iustificationis.

Iustitia Christi non est causa formalis nostræ iustificationis.

Et vtcunque sit de amore diuino, vel imputatione, certe à iustitia & meritis Christi nemo dixerit nos formaliter esse iustos, ac propterea mirari non debebas, nec reprehendere, quod Patres, qui dixerant vnam esse causam formalem nostræ iustificationis, videlicet iustitiam nobis benigne à Deo collatam, cano. 10. anathematizauerint, dicentes nos esse formaliter iustos per iustitiam Christi. Cur autem non vides gratiter te in hoc argumento peccare, cum, vt subruas habitum iustitiæ, probas nos non iustificari ex operibus? Alia quæstio est, an necessaria sint opera ad acquirendam iustitiam: alia, an necessarius sit habitus iustitiæ, vt dicamur iusti. Nec oportebat tam diuersas adeo quæstiones in vnam confundere. Nam quamuis daremus tibi, non pendere iustitiam nostram ab operibus, nec ea requirere, exigeremus tamen à te habitum iustitiæ, vt essemus iusti. Et licet daremus tibi, non requiri habitum vllum, vt essemus iusti adhuc requireremus opera, vt perueniremus ad eum statum, in quo nobis imputetur iustitia Christi. Nec ex hoc periclitabitur salus nostra, cum opera dicamus suam habere virtutem à meritis Christi, & propterea ipsum Deum nos ad illa adiuuare, neque vnum, sed centum loca tibi data ad hæc, quæ requiris, supra lib. 6. & 7. inuenies, si illos dignaberis legere. Et cum tu necessarias fateris pœnitentiam & fidem, vt imputetur iustitia Christi peccatoribus: eo ipso cogeris, non eam solam iustitiam causam nostræ iustificationis asserere, nisi forte propterea contendas posse dici solam, quia nec fidem quisquam habet, nec pœnitentiam, nisi propter ipsam iustitiam Christi.

Obiectio Caluini.

Veniam tamen ad id, in quo Patres accusas, quod iustificationem cum sanctificatione confuderint.

Responsio.

Non illi quicquam confuderunt, Caluine. Tuum est hoc vitium, qui sanctificationem cum innouatione confundis, nec intelligis earum distinctionem, & præter remissionem peccatorum & renouationem, hoc quoque in iustificatione fieri, vt qui ante erant inimici, non solum absoluantur à suis delictis, sed fiant amici Dei & filij, ac per hoc sancti, sicut & ipse pater sanctus est. Potuisses quidẽ minori culpa dicere, plus illos comprehendisse nomine iusticationis, quam scriptura comprehenderit. Nam eo tendunt tua omnia argumenta, vt ostẽdas iustificationis nomine, tantum designari remissionem peccatorum, quam manifestum est Patres distinxisse à sanctificatione, cum dixerunt cap. 7. iustificationem non

non esse solam remissionem peccatorum, sed & sanctificationem, & renouationem: ac mox velut docentes, quid sanctificationis & renouationis nominibus intelligerent, subdiderunt, cum remissione peccatorum simul hominē accipere fidem, spem, & caritatem.

Sed quod nec iuste possis criminari sanctam Synodum quod illa omnia ista nomine iustificationis complexa fuerit, ex his poteris intelligere. Verissimum quidē est, quod tu ais, iustificationem idem esse, quod remissionem peccatorum: & iustificare, idem quod absoluere. Et hæc acceptio iustificationis, potest comprehendi sub priore acceptione huius verbi, posita à nobis lib. 5. cap. 3 aut certe pro maiori claritate, tribus ibi commemoratis, vt distincta præmitti, & melius quā tuis testimonijs potent probari ex illis, quæ pro prima acceptione ibi induxi. Nec aliquando negabo scripturam, iustificationem & sanctificationem distinguere, vel tanquam res omnino distinctas vt tu vis: vel certe, vt magis credo, tanquam totum & partem. Et ex multis testimonijs, quæ ad hoc firmandum inducis, illud vnū, vt commodum ad hoc probandum, accepto, quo Paulum inducis dicentem, Christum esse factum nobis iustitiam, sanctificationem, & redemptionem. Suntque in tuum fauorem illa ipsius verba, quæ prætermisisti: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Nam ad alia omnia, quæ allegas, facile possemus tibi dicere, ideo iustificationem Paulum probasse ex remissione peccatorum, aut ex eo, quod non imputat Deus peccata, quia iustificatio hoc etiam in se claudit.

Iustificati quandoq; idem est, quod ab solui a peccatis.

1. Cor. 1.

1. Cor. 6.

Iustificatio plus complectitur, quam remissionem peccatoru.

Cur autem vis propter vnum aut alterum locum, in quibus iustificatio à sanctificatione distinguitur, iustificationis verbum ad solam remissionem peccatorum coarctare? Nonne iustificatio à iustitia, vel iusto descendit, & idem est quod iusti effectum? & cum Deus iustificare nos dicitur in scriptura, Doctores intelligunt, iustos nos effi erre. Nunquid ergo vis, vt cum iustos aliquos scriptura appellat, duntaxat intelligamus eos dici absolutos à peccatis, & non sicut omnes intelligimus, sanctos & amicos Dei, atque sectatores operum iustitiæ? Enimuero cum Dauid dicit, iustificasse se cor suum, non absoluisse se illud à peccatis indicabat, sed innouasse, mundasse, purumq; effecisse studio innocentiæ, quod gerebat. Et cum Paulus dicit, iustificatum fuisse Abraham ex fide, & non ex operibus, & fidem ei reputatam ad iustitiam, non intelligit ex fide remissa ei fuisse peccata, à quibus iam tum liber erat, vt tu bene alibi dicis, aut certe non hoc solum intelligit, sed ex fide explicat eum obtinuisse, vt sanctus & iustus haberetur apud Deum & homines.

Psal. 72.

Rom. 4.

Cumque distincta sint, absolui à peccatis, & amicum Dei, ac filium fieri, & prius à posteriori possit præter legem separari: non ita tamen, credo, insanies, vt dicas, nomine iustificationis, nunquam comprehensum esse secundum. Quippe manifestissima sunt & frequētissima testimonia in scriptura, in quibus dum iustificati dicimur, non tantū absoluti à peccatis, sed & reconciliati Deo, & amici ipsius, ac filij effecti pronunciamur. Et cum Paulus nos dicit iustificatos per fidem, & effectos iustitiam Dei in ipso, & neminem ex operibus posse iustificari: proculdubio intelligit nos per Christum liberos effectos à peccatis, & renouatos, ac sanctificatos, & iustos, atque amicos Dei effectos, & nihil horum quenquam potuisse per sua opera aut virtutem adipisci.

2. Cor. 5.

Ac ne te amplius super his vrgeam, illud tandem pacifice velim tecum perpenderes. Si semper dum quis iustificatur, etiam secundum tuam sententiam sanctificatur: quod peccatum est, statuere aliquod verbum, quo explicemus vtrumque, & generatim omnia beneficia, quæ illo momento peccatori à Deo fiunt? Si aliquem docere velimus, quid à Deo accipiat, cum ei remittuntur peccata, aut cum ad gratiam diuinā admittitur non patieris nos dicere, velle illum docere beneficia, quæ in sua iustificatione assequatur? Quo verbo commodius vtamur ad complectenda illa omnia vna voce, quam hoc, quod frequentissimum est in scriptura, & ab illis verbis etymologiam suam ducit, quibus & absolui à peccatis,

catis, & reconciliatio cum Deo, & amicitia ipsius atque adoptio, & executio operum iustitiæ designatur? Sed cæteris tu quidem quod voles, nolo enim amplius de verbo tecum litigare.

Paulus explicuit 4. iustificationis beneficia. Equidem sancta Synodus Paulum habet, quo se possit in hoc contra omnes tueri. Quippe cùm vna hac voce hæc omnia sæpe alias comprehendisset, disertissime tamen prouidentia Spiritus sancti, vt tuam possis inscitiam agnoscere, cum dixisset ad Rom. 5. per Christum nos abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accepisse, vt in vita regnemus per ipsum, in quibus dilucide expressit quatuor iustificationis beneficia expressa à Patribus, statim ea omnia vno verbo iustificationis complexus est, dicens: *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Rom. 5.

Et ne dubitaret quispiam, hæc se quoque omnia complexum fuisse, quoties nos dicebat iustos effectos per Christum, continuo addidit: *Sicut enim per inobedientiã vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionẽ iusti constituentur multi*: Et propter hæc ẽt subjecit: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*: Nam si in iustificatione tantum absolueremur à peccatis, nõ perinde superabundasset gratia, quia tãtum ablatum esset, quod intulerat nobis damni & reatus peccatum.

CAPVT VI.

De faciendis à peccatoribus, vt ad eorum iustificationem imputetur iustitia Christi.

QVID autem debeant facere peccatores, vt ad hæc tanta & tam eximia beneficia imputetur illis Christi iustitia, luculenter supra tradidimus: pro non renatis quidem, lib. 6. pro lapsis vero à gratia baptismali, lib. 13. Ea si legat Caluinus, intelliget, quod non assequitur, sapienter Patres in capit. 6. & 7. solius baptismi meminisse ex omnibus sacramentis, quia de prima iustificatione agebant. Et ex ibi traditis liquidum esse potest, aliquando peccatoribus, imputari ad iustitiam Christi merita sine sacramentis, aliquando vero sine illis propter fidem & pœnitentiam ipsorum, & falso Caluinum criminari sanctæ Synodo, in sess. 7 canon: 6. 5. & 4. quod remissionem peccatorum alligauerit sacramentis. Inde etiam liquet, semper necessarium fuisse ex iure diuino baptismum in re, vel in voto, pro non baptizatis, & confessionem auricularem in re, vel in voto pro lapsis à gratia baptismi. Nec quisquam Catholicus asseruit, quod sanctæ Synodo non veretur Caluinus imponere, absq; fide prodesse adultis sacramenta ecclesiastica. Ideo autem fidem non posuit partem esse sacramenti pœnitentiæ, quia fundamentum est & radix Christianæ iustitiæ, & inepte à Philippo & Sarcerio in loc. com. inter partes pœnitentiæ fidelium computatur. Et quanquam verum est, vt supra docuimus, sacramenta ecclesiæ non habere suam virtutem à fide nostra, sed ex se propter Christi merita, tamen nec hoc statutum est à sancta Synodo, cum definiuit ea conferre gratiam ex opere operato. Quare nec hac gratia accusare debuit ecclesiam Dei Caluinus. Stat enim alterum sine altero, nec se ea mutuo consequuntur. Nec vim magicã ponimus in sacramentis, vt ille calumniatur, sed diuinam.

Calumniæ 4. Caluini.

Nec improbandum quidem est, quod peccatores, qui lapsi sunt à gratia baptismi, dum de peccatis suis dolent, ne animum despondeant, recordentur se baptizatos, ac tam receptos fuisse à Deo in filios, ac proinde dubitandum non esse, quin & eos rursus pater misericordiarum in suam gratiam recipiat, si vere & ex animo in ipsum conuertantur. Veruntamen hanc recordationem suscepti baptismi cum fide, non modo facere peccata venialia, sed ea prorsus obliterare, ac propterea quoties de remissione peccatorum agitur, ad bapt'smum esse cõfugiendum, vt inde petamus eius confirmationem, nouus est hæreticorum nostræ tempestatis error, & damnatus merito à Patribus, in sess. 7. canon: 10. de baptismo. Inde vero hunc canonem Caluinus impugnat, & exprobrat nobis, quod vim baptismi

ſmi mon etanea & euanida gratiæ promiſſione includamus, quia baptiſmus eſt perpetuum gratuitæ Dei propitiationis teſtimonium, & eo nobis Deus obſignat fidem & certitudinem noſtræ reconciliationis, quæ quotidie fit, & vſque ad mortem repetitur.

Contradictio Calu.

Cur vero tecum non conſtas Caluine? Vbique clamas ſolam fidē iuſtificare, nec in eius conſortium caritatem aut pœnitentiam admittis, quas admittit ſcriptura. Et nunc tam leui argumento concedis, recordationem ſuſcepti baptiſmi prorſus obliterare peccata. Quis miſer te docuit tam male theologizari? Certe hanc doctrinam non ex tritis noſtris, quas dicis, rhapſodijs, ſed ex lutoſis tuarum ranarum paludibus hauſiſti. Non plus enim, nec minus, iuxta Catholicorum ſententiam, Eccleſiæ ſacramenta ſignificant, quam efficiunt, nec econtrario. Quare cum baptiſmus tantum det vitam, cum ſuſcipitur, nec impeccantiam largiatur, vt Iouinianus credidit, nec erit teſtimonium propitiationis diuinæ vſque ad mortem. Quanquam autem hanc doctrinam nouam de efficacia recordationis baptiſmi, nonnihil ille mitigat, dum dicit eos, qui tradunt ſola ea recordatione deleri peccata, non nudam ipſam & frigidam intelligere, ſed fide ac pœnitentia coniunctam, tamen vel ob hoc velim eam nihilo ſecius reputari, quod eo videantur illius authores tendere, vt probent non eſſe lapſis neceſſariū ſacramentum pœnitentię.

Baptiſmus non eſt ſignum propitiationis diuinæ vſque ad mortem

Error Calui de pœnitentia.

Et Caluinum quidem eo tendere perſpicuum eſt. Adijcit enim ſtatim in Patres: Baptiſmi promiſſiones in præteritum reſtringunt, ſimulatque peccauerit quiſpiam, ſepulta baptiſmi memoria, iubent in fictitio pœnitentiæ ſacramento conquieſcere. Quaſi vero non ipſe baptiſmus proprium eſſet pœnitentiæ ſacramentum. Et in illis, quæ contra Cap. 13. noſtri decreti, & contra ſeſſionem 7. ſcribit, plane aſſeuerat nullum tale eſſe ſacramentum à Chriſto conſtitutum, & ſcripturam nuſquam auricularis confeſſionis meminiſſe, ſed longo poſtmodum tempore eam cerebris humanis excuſam, & in tota Eccleſia Orientali, nullum propemodum illius vſum fuiſſe. Immo vbique gentium, addit, diutius mille annis libera fuit obſeruatio. Et ex hiſtorijs noſtris aſſeuerat conſtare, ante annos 400. nullam fuiſſe de ea legem, hoc eſt, vt ait, donec Innocen. 3. laqueum hunc populo Chriſtiano induxit. Nec partem aliam pœnitentiæ admittit, quam odium peccatorum, & innouationem vitæ: & cum culpa deleri dicit totam pœnā, nec opus eſſe aliqua noſtra ſatisfactione.

Lege vero, impie, quæ in libro 13. tradidimus, & diſce eſſe theologus ab ijs, qui verè ſunt. Inde intelliges, niſi clauſis, quod aiunt oculis rebellis pergas eſſe lumini diuino, totam veterum Scriptorum ſeriem cōtra te pro nobis dimicare: nec ad conſtituendum & indicendum omnibus hoc ſacramentū pœnitentiæ, opus fuiſſe alijs verbis, quā illis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Mitto ad ſtultas cōtumelias reſpondere, quib⁹ hic & Patres & monachos adſpergis. Paſſim enim id facis, ac Deum arbitror permiſiſſe te in tam graue peccatū corruere, vt nemo fidē haberet homini, quē videret ita inuerecūdum & maledicū & nihilominus ita cæcū, vt moderationē te dicas tenere, nec accuſare quicquā, cum vbique oēm modū excedas: & vt alia nec nominanda taceam, inſcitiæ, ſtuporis, ſacrilegij, temeritatis, & falſæ doctrinæ, & deprauationis ſcripturarū, omnes, qui concilio interfuerunt, accuſes.

Reſp. pro c 13. & can. 19

Ioann. 20

Veniam ad leuiſſimum fundamentum, quo tantam hæreſeon molem ſuperſtruis: Videlicet, vt ad minimum veræ doctrinæ flatum, cum authore ſuo diſpereat. Præter vnum illud protritum argumentum, quod non legatur Petr⁹ confeſſus ſuam negationem, quod iam diluimus, vnum video te nobis obijcere: Quis ignorat, inquis, in illis verbis, *Quorum remiſeritis peccata &c.* munus Apoſtolis fuiſſe iniunctum, quo erga extraneos fungerentur, & legatos eos eſſe conſtitutos, qui remiſſionē peccatorum mundo annunciarēt? Ea porro legatio eſt quæ per Euangeliū defertur, & quidē nondum in Eccleſiam cooptatis. Et addis hoc eſſe, quod Chriſtus apud Lucam docuit, prædi-

Abſurda expoſitio Cal.

candam esse in suo nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Argum. 1. Verum hanc tuam verborum Christi expositionem, quam nemini ignotam dicis, ignorauit tota Ecclesia vsque ad hoc tempus, quo & tu, & alij ante te, eam nisi estis orbi inuehere ad deludendum faciam. n tum pœnitentiæ.

Argum. 2. Sed dic mihi: Non erant iam Apostoli constituti legati ad prædicādam pœnitentiam? Quid opus erat etiā tum denouo cōfirmare? Nonne hîc Spiritus sanctus prius largitus est, vt idonei fierent ad id recipiendum, & excitarentur ad credendum magnum quid esse, quod tum ela gie batur?

Argum. 3. Et ne tum quidem nouum aliquod donum promisisse putas, cum fungētib. ipsis sua prædicationis legatione, potestatem ligandi & soluendi omnia pollicitus est? Itane inuides gloriæ Apostolorum? ita munera diuina coarctas & restringis?

Matth. 18

Argum. 4. Non te etiam ipsa verba deterrēt á tam absurda & tam violenta expositione? Aliud profecto est, *Euntes per vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* & aliud, *Quorum remiseritis peccata, &c.* Aliæ etiam sunt potestates, aliç functiones, alia munera prædicare, & remittere peccata. Euangelij prædicatio nec optime dispositis remittit peccata, nec largitur ex se gratiam immediate, sed obsequi oportet euangelio & ea facere, quç ipsum præscribit, vt eorū remissio obtineatur.

Marc. 16

Ioann. 20.

Responsio pro c. 7. Quod si intellexisses, non calumniareris alibi Patres, quod verbum Dei non connumerauerint inter causas instrumentales iustificationis.

Argum. 5. Insuper: Licet Apostoli poterant non annunciare verbum Dei illis, qui eos non recipiebant, & iuxta mandatum alias à Christo, etiam puluerem pedum suorum debebant excutere supta illos, nec margaritas suas iacere ante porcos; tamen non licebat eis intermittere prædicare verbum Dei, quia aliquos viderent esse in peccatis, & volentes in eis perseuerare. Ergo non potest sensus horum verborum esse, vt illorum remitterentur peccata, quibus ipsi [illegible], & eorum [illegible]nerentur, quibus non annunciarent.

Argum. 6. Præterea: Christus his verbis absolutam potestatem respectu omnium dedit. Non est igitur coarctanda duntaxat ad extraneos, & ad eos, qui prædicatione noua Euangelii indigent: sed ad omnes potius extendenda, qui remissione peccatorum opus habent: & reddenda sunt singula singulis, vt non baptizatis, remittant per collationem baptismi: baptizatis vero, per sacramentum pænitentiæ.

Argum. 7. Quod si traditionem & consuetudinem vniuersalem totius Ecclesiæ, quæ optima est scripturarum interpres, spectare voluisses, ex ipsa ordinatione sacerdotum & diaconorum intelligere potuisses, aliam esse potestatem prædicandi, aliam remittendi peccata. Sed te ista fugiunt, quia ōtemnis definita à Patrib. in hoc concil. sess. 4. & fidē adeo vis perdere ab scripturis, vt nec illas traditiones, quæ sine scripto à Christi ore, vel ab Apostolis, spiritu sancto dictāte, quasi per manus traditę ad nos vsque peruenerunt, ad fidei doctrinam spectare credas. Nam alias quicquid tu insimules, non perinde cēsuere patres creditu esse necessarias.

Resp. pro sess. 4.

Traditiones aliquæ paris authoritatis cum Scriptura. Et huiusmodi quidem sunt dogmata, quæ certa & indubitata tenet tota Ecclesia. Qualia sunt, Deiparam virginem fuisse perpetuo virginem: Imagines & reliquias sanctorum, esse venerandas: Septem esse Ecclesiæ sacramenta, & multa alia huiusmodi, quæ ad formas & materias ipsorum Sacramentorum, & ad ritū Missæ spectant. Cumq; eadem Ecclesia, quæ tradit baptismum & Eucharistiam esse sacramēta, tradat & alia quinque, pudere te debuit sola hæc duo recipere, & tā pertinaciter, vt facis abrogare omnib. alijs virtutem cōferendi gratiam cū tamen alias ita sis liberalis, vt contra oēs veteres, & cōtra ipsum Ioannē, qui dicebat se tantum baptizare in aqua baptismū illa eiusdē fuisse efficaciæ cū baptismo Christi, cōtra definita à Patrib. proterue cōtendas.

Sess. 7. can. 1. de Bapt. Verum age, te rogo: Vnde scis scripta ab Apostolis, ab eis esse scripta, nisi ex testimonio Ecclesiæ? Si ergo eiusdem testimonio constat, hæc quæ diximus, & similia, ab eis ex [illegible] inspiratione emanasse,

[illegible]

cur non vis eiusdem esse cum scriptura authoritatis & certitudinis? Nunquid apud aliquem minoris est authoritatis verbum alterius, quam scriptura ipsius? Enimuero vel hoc argumento, vbi aliud non esset, certum & indubitatũ tibi esse deberet Missæ sacrificium. Nam & Roften. & Eccius, & Pigius, & Alphonsus, & nouissime Patres illi venerandi, quorum consilio edita est deliberatio omni laude digna, probata comitijs Augustanis 15. Maij, Missam esse verissimum & singulare Ecclesiæ sacrificium pro viuis & defunctis, ex consensu omnium Doctorum Ecclesiæ & ex scripturis dilucide probarunt. Et præter eorum testimonia, ex Aug. de spir. & lit. ca. 11. & 18. de ciuit. cap. 35. & 9. confes. c. vlt. hoc potes discere.

Missæ sacrificium.

Ac propter hanc Ecclesiæ authoritatem, tametsi alia deessent argumenta, quæ quidem non desunt, & fortissima, recipere incunctanter debuisses, quæ de charactere & de necessitate intentionis ad conficienda sacramenta, & de non iterandis baptismo, confirmatione & ordine, & de differentia episcopi & presbyteri, à Concilio Florentino salubriter definita sunt, & ab hoc sacro concilio cõprobata in sessione 7. & cauere debuisses, ne inuocationes sanctorum & ieiunia Ecclesiastica damnares.

Obiect. Caluini.

Sed dicis: Etiam eo tempore, quo eousque inualuerat superstitio, vt rectam lineam tenere non possent sancti pastores, in Concilio quodam Carth. prohibita fuit inuocatio sanctorum ad altare, & ne hanc vocem proferrent sacerdotes, *Sancte Petre, vel, Paule, ora pro nobis.*

Resp. pro sess. 2.

Cur non citas verba can. & numerũ cõcilij? & intelligent omnes, nihil aliud præceptum esse ab aliquo Concilio Carthaginensi, quam quod ab vniuersa Ecclesia obseruatur: & in Concil. Carthag. 3. confirmato in 6. Synod. generali ca. 23. statuitur, vt in Missarum sacrificio, cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.

Vetustas inuocationis Sanctorum.

Si concilijs Prouincialibus inniti vis, legas Aurelianense, Gerundense, Toletanum 5. & 6. & Braccaren. 2. & in eis approbatas videbis Rogationes & Litanias Ecclesiasticas: & nisi prorsus stupidus sis, ac in reprobum sensum datus, horrebis sic os posuisse in cœlum, vt eas diceres esse centones, tot ex blasphemijs consutos, quot verbis. Nam quod obijcis, de Christi intercessione illic altum esse silentium, prudentissime ab Ecclesia statutum est. Ne enim daretur ansa errori Arrianorum, orandum eum potius censuit, vt misereretur nostri, quã vt oraret pro nobis: & contenta fuit suas orationes velut obsignare cõmuni illo Ecclesiasticarũ orationum fine, *Per Christum D N. &c.*

Atque ex traditis in præfatis Concilijs & in Synodo 2 Nicena, facile poteris perspicere, etiam ob merita Sanctorum, siue hic viuentium, siue iam cum Christo regnantium, imputari persæpe peccatoribus iustitiam Christi, vt conuertantur in Deum & resipiscant à diaboli laqueis. Nimis enim honorificat Deus suos amicos, & quo omnes ad sui amorem alliciat, laudari se vult in illis: & quamuis ad benefaciendum nobis sit promptissimus, tum ob magna commoda nostra, & gloriam eorum, multa nobis beneficia, non nisi ad preces eorum, & in ipsorum gratiam, largitur. Sed acta agimus. Hæc de imputatione, quæ fit peccatoribus, disseruisse hic sufficiat.

CAPVT VII.

Non omnis noua applicatio iustitiæ Christi, requirit nouam imputationem.

QVANQVAM autem iustis nullum à Deo exhibetur spiritale beneficium, nisi ratione iustitiæ Christi, imputatæ aut communicatæ sibi ad illud obtinendum, tamen hoc antecellunt peccatores, quod non omne beneficium eis præstitum noua indiget imputatione, sed ad nõnulla bona, quæ denuo accipiunt, communicatur sibi passio Christi propter solam antiquam, & iam factam imputationem. Et vt in genere prius ista explicemus, huiusmodi sunt beneficia, ad quæ absolute & simpliciter acceptantur in prima sua iustificatione. Cũ enim ista ex lege sequãtur ad ipsam iustificationẽ, immo debeant ꝓpter illã: nõ opus est

noua imputatione ad ea assequenda, sed satis est applicatio meritorum Christi ad ipsa. Et hæc fit, cum Deus propter Christum illa nobis elargitur, ad quæ propter ipsum acceptauerat. Quando vero iusti nouis exornantur beneficijs, ad quæ non fuerant absolute in sua iustificatione acceptati, noua fit eis imputatio iustitiæ Christi, nec sine ipsa illa obtinerent. Quæ hoc exemplo possumus perspicua facere: Si rex ob præclara alicuius ducis & illustria in bello facinora, reciperet Ioannem filium ipsius in suā domum, & vbi adolesceret ac vir fieret, promitteret aliquam se ei egregiam & honorificam administrationem in regno suo daturum, non opus esset Ioanni, ad illam assequendam noua imputatione meritorum sui parentis, sed duntaxat ea indigeret ad alia beneficia quæ rex ei vellet vltra promissa in gratiam sui parentis, & ob merita illius conferre. Quamuis autem noua ei imputatio necessaria non esset ad habendam promissam & debitam sibi functionem, noua tamen applicatione meritorum sui parentis ad id indigeret: nec haberet illud beneficium, nisi sicut valuerunt illa egregia merita, vt cum rex inter suos domesticos reciperet, ac illud officium seu dignitatem promitteret, ita valeant, vt debito & statuto tempore tandem conferat. Ex quibus omnibus colligere possumus, magnum esse interuallum inter applicationem iustitiæ Christi & imputationem. Fit enim noua ipsius applicatio, quando nulla fit noua imputatio. Et imputatur ad aliqua, quando nondum ad ipsa applicatur. Et vis ipsa verborum istorum hanc videtur postulare differentiam. Nam imputantur aliqua ad præsentia & futura: & quando ad futura, noua opus non est imputatione, vt ea debito loco & tempore consequantur: applicari vero non dicimus quicquam, nisi ad illa, quæ actu exhibentur. Quare omnia noua beneficia nouam diffusionem meritorum Christi in ipsa videntur requirere, non tamen nouam imputationem. Quæ vero sint beneficia ista, & quæ illa, particulatim deinceps aperiemus.

Differentia inter imputationē & applicationem.

CAPVT VIII.

De necessitate nouæ imputationis iustitiæ Christi ad perseuerandum in iustitia.

Perseuerantia indiget noua imputatione iustitiæ Christi.

AC primo quidem manifestum est, noua indigere iustos imputatione meritorum Christi, vt perseuerent, idque toties, quoties noua eis dantur auxilia, sine quibus, tentationibus succumberent, & à gratia exciderent. Nam donum perseuerantiæ non est aliqua qualitas, sicut virtutes: & iustis non debetur perseuerantia in iustitia eis communicata, neque in ea possunt aliquanto tempore perseuerare, nisi per plura Dei auxilia, vt ex scripturis & patribus lib. 12. certum fecimus. Atque ex ibi dictis dilucidum esse potest, toto cœlo errare Caluinum, qui perire non posse asseuerat, qui Spiritum regenerationis acceperint. Idque si verum esset, ad hoc acceptarentur in prima sua iustificatione, nec opus eis esset ad perseuerandum noua iustitiæ Christi imputatione. Sed cum in hoc & ipse sibi repugnet, vt cap. 1. notauimus, satis erit hic argumentum Patrum confirmare, quod ipse absurdissima stropha nititur eludere.

Resp. pro ca. 11 1. Cor. 10

Ne quispiam sibi suæ perseuerantiæ arrogaret hac in vita certitudinem, vsi sunt Patres verbis illis Pauli: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Non enim sic esset Apostolus locutus, nisi certus fuisset, stantes posse corruere, & merito sibi deberet timere, & cauere, nec arrogare certitudinem de sua constantia. Hæc autem verba, quæ 1. Cor. 10. legimus, Caluinus desumpta putauit ex cap. 11. ad Roman. lapsu quidem leui, & digno venia. Quia & ibi dicit Apostolus, *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* Quæ verba eundem pene sensum habent cum prioribus. Sed dupliciter ea eludit Caluin⁹.

Violentæ expositiones Calu.

Primo, ait, nihil aliud ibi prohibet Paulus, quam carnis arrogantiam, & ad omnes sermonem dirigit, qui Christo vtcunque nomen dederant, inter quos permulti poterant esse inani confidentia turgidi. Secūdo dicit, & in hanc sententiam magis inclinat, non ibi præcipi timorem, qui vel tantillum minuat de fidei aut spei certitudine, sed

sed tantum qui nos in Dei timore solicitos contineat.

Sed rogo te Caluine: Esto, Apostolus loquatur solis arrogantibus & vana confidentia tumidis, nunne aperte indicat & eis, etiam si starent, timendum esse de ruina? Quare subiecit statim, Alioquin & tu excideris, nisi vt intelligerent, nec se liberos esse à periculo? Quis item timor nos potest continere solicitos in obseruatione mandatorum, immo quis timor potest esse, qui non aliquid minuat de certitudine fidei, qua certi sunt iusti, iuxta tuam sententiam, de sua perseuerantia? Equidem beati qui certi sunt de sua perpetua beatitudine, nec minimum habere possunt timorem de ea perdenda. Et licet cum certitudine de perseuerantia, stare possit ac simul steterit in confirmatis vehemens & intenta obseruationis mandatorum Dei sollicitudo, tamen cum ea certitudine esse non potest timor de perseuerantia.

Contradict. Caluini. Non admittis, cum incertitudine de assequenda beatitudine, posse stare firmissimam ipsius spem, ac Patres calumniaris sibi repugnasse, quod firmissime iusserint sperare, quos iubebant esse incertos de sua beatitudine. Et tamen nunc certissime fidei & spei de perseuerantia, timorem simul coniungis? Nescis nos ea duntaxat proprie timere, quæ credimus posse accidere? Quod si dixeris de alio te timore locutum, eoipso coargueris te non assecutum fuisse sensum Pauli. Nam vt consequentia indicant, ille proculdubio de huiusmodi timore loquebatur. Sed & in alio hic peccas. Qui paululum philosophiæ degustarunt, sciunt certitudinem vel incertitudinem ad intellectum spectare, & expectationem ad voluntatem.

Tu tamen, quæ Patres de incertitudine tradunt, ad expectationem transfers, cum ais: Sed nobis primum ostendant, quonam cæmento coagmentari queant res tantopere inter se dissidentes, firmissima spes, & suspensa expectatio. Quod si aduerteres spem esse voluntatis, certitudinem vero intellectus, non videretur tibi impossibile, vt firmiter speret beatitudinem, qui non est certus de eius assecutione. Quia & multa sæpe firmiter confidimus nos habituros ab amicis, quæ tamen an assecuturi simus, certi nō sumus. Sed tandem si absolutam certitudinem iustificati possunt habere de sua perseuerantia, cur Paulus ibi, cum iussit, vt stātes perpenderent Dei in se bonitatem, statim adiunxit: *Si permanseris in bonitate. Alioquin & tu excideris.* Rom. 11. Equidem nec talis conditio adijci solet, nec eiusmodi timor incuti, vbi certitudo est de perpetuo fruendo aliquo beneficio. Sed quando tu tibi in his nō constas, & sexcenta supra iam produximus loca, quæ tuam istam insaniam funditus euertant, hæc de perseuerantia adiecisse tua causa sit satis.

CAPVT IX.

Necessaria est noua iustitiæ Christi imputatio ad proficiendum in iustitia.

CVMQVE indubitatum sit, vt lib. 10. monstrauimus, iustos, quandiu hic viuunt, proficere posse in iustitia, & id possit fieri vel per sacramentorum piam & deuotam susceptionem, vel per opera bona, quæ ex gratia faciunt, ad profectum in gratia per sacramenta, manifestum est nouam meritorum Christi imputationem requiri: quia illud augmentum in gratia, non debetur primæ iustificationi. Et sicut gratia nostra, iuxta dicta in lib. 5. pendet, quo ad esse & conseruari, à meritis Christi, ita & efficientia Sacramentorum. Omnis que omnino applicatio noua & indebita iustitiæ Christi, nouā ipsius imputationē requirit. Proposit. 1.

Ac par, quod ista, ratio est de profectu in gratia, qui fit per opera bona, quæ specialem gratiam requirunt. Quanquam enim iustis debetur ex lege, vt si bona opera fecerint, imputētur ipsis ad augmentum iustitiæ, tamen non debentur auxilia specialia ad opera bona requisita. Cum vero per omnia opera bona proficiant iusti in gratia, vt probabilius est inter Scholasticos, & aliqua opera sint bona, quæ (vt tradidimus in libro de iustific.) specialem Dei gratiam non requirunt, quia leuia sunt & facilia fa- Proposit. 2.

ctu:

ctu: merito potest dubitari, an & ille profectus in gratia, qui per huiusmodi opera fieret, noua opus habeat iustitiæ Christi imputatione. Nam cum nouo auxilio & fauore Dei ad ea opus non sit, & ex lege Dei imputatione meritorum Christi facta in prima iustificatione, debeatur eis illud incrementum iustitiæ, videtur non esse necessaria secunda imputatio.

Proposit. 3. Omnis gratiæ profectus requirit nouam imputationē.

Quo tamen accuratius ista considero, eo magis in hanc sententiam propendeo, vt credam, qualencunq; iustitiæ profectū noua indigere imputatione iustitiæ Christi. Vix quippe possum persuaderi, aliquē fieri posse in hac vita iustiorem & sanctiorem, absque noua imputatione iustitiæ Christi. Ac inconueniens videtur concedere, Petrum plus participare merita Christi, quam Ioannem, & tamen non ei magis illa imputari. Hoc autem necesse est dare, si cum fuerint æqualiter iustificati, Petrus sine noua imputatione aut augmento prioris, proficere posset in iustitia. Et licet debitum sit ex lege augmentum in iustitia, suppositis bonis operibus, ac per hoc minus necessaria videatur imputatio iustitiæ Christi ad proficiendum, quam ad perseuerandum, vel habenda auxilia noua: tamen cum nullus profectus iustitiæ fiat tantum propter primam iustificationem, nec ad eum facta fuerit in ipsa aliqua imputatio iustitię Christi, adhuc videtur necessaria esse ad ipsum noua imputatio. Nec debitus fortassis hic profectus est, nisi quia imputatur denuo iustitia Christi, vt opera illa faciat meritoria esse gratiæ. Inde enim habent suum valorem & virtutē opera nostra, alioqui nullius aut parui momenti apud Deum futura.

Resp. Calu. pro cap 10. & can 24.

Et supposita hac Christi imputatione, tuto possumus dicere, ipsa opera bona iustorum, causam esse augendæ iustificationis. nec vereri iniqui censoris Caluini ferulam, qui hoc dicentes asserit nescire, quid nomen iustificationis valeat, nec quid sit causa. Lege impie, & de bonis omnibus & hominib. & operibus, & de Deo ipso & donis eius pessime merite, quæ lib. 8 cap. 9. scripsimus, & cognosces ab scriptura & à Deo ipso, qui melius & mitius hæc norunt

Opera bona iustorum causa sunt augendæ iustitiæ.

censere, causam nostræ iustificationis etiā inchoandæ, quod multo ma[ius] est, sæpe dici. Et necesse est hoc vos dicatis de fide, quando recte ea dicitis apprehendi iustitiam.

Argum. 1. Quod si fides suo modo causa est iustitiæ, cur nō & alia Corinthiorū crescens fides, cuius augmento & profectu Apostolus se in dies maiorem fore sperabat, causa credatur fuisse maioris in ipsis iustitiæ?

Argum. 2. Et cum Abrahæ dicitur fides reputata ad iustitiam, qui iam tum multis iustitiæ prærogatiuis erat illustris, nonne aperte designatur & fides illa ipsius eximia, aliqua causa fuisse, vt apud Deum iustior esset & ei gratior?

Argum. 3. Sed & hoc manifestissimum fecit Iacobus, dum asseruit eum ex operibus suis fuisse iustificatum, oblatione videlicet filij sui super altare. Quomodo potuit vere dici iustificatus ex operibus, si opera nullo modo fuerunt causa augēdæ ipsius iustitiæ? Nonne particula illa, *Ex*, aliquā efficientiam notat? Dicis: Iustificationē accipit Iacob. pro approbatione. Idemq; tecum videtur ante te Philipp respondisse. Ait enim: *Iustificatur homo ex operibus*, id est, approbatur & placet Deo, non recōciliatur. Veruntamē cum iā tum Abraham, vt & vos nobiscum sentitis, iustus esset, si ipsius opera fuerūt causa, vt magis placeret Deo, vel vt magis ab eo approbaretur: nonne necesse est dicere, opera fuisse causam augēdæ iustificatiōis illius? Certe Deo nō placet magis, nisi qui iustior est, nec quenquā ille magis approbat quin & ille eoipso vel fiat, vel declaretur iustior.

Argum. 4. Ad hæc: Obedientia illa singularis Abrahæ, & oblatio illa filij sui, aperte declaratur à Deo fuisse causa promissionis illius magnificentissimæ de suscipienda carne ex posteritate ipsius: *Quia fecisti*, ait, *hanc rem, &c.* Et statim: *Quia obedisti voci meæ.* Quæ ergo tantum apud Deum valuerunt, vt causa asserantur tam benignæ promissionis, qui possumus dubitare, & causa etiam suo modo fuisse augendæ illius iustitiæ? Gen. 22.

Argum. 5. Si negare nō potes, iustos per bona opera proficere in iustitia, & Deum ad ea respicere, & propter ipsa nouis eos beneficijs exornare & cumulare: cur negas ipsa esse cau-

causam augendæ iustificationis, cum nos non aliud quam hoc, intelligamus, asserentes illa esse causas augendæ iustificationis? Neque enim illa eo pertingere putamus, vt efficienter augeant gratiam, aut causa sint diuinæ voluntatis, quæ nullam extra se potest habere efficientem causam. Sed quæ te, malum, hic rabies exagitat, vt impietatis, sacrilegij, & execrabilis in Deum blasphemiæ accuses dicentes, per obseruationem mandatorum ecclesiæ, aut per traditiones humanas proficere posse iustos in iustitia? Si aliqua opera præcepta ab ecclesia, vel à principibus vel à dominis, vel à parentibus tam grata sunt nonnunquam Deo, ac illa, quæ & ipse præcepit, vt de multis manifestum est: quod piaculum est, & per ea asserere iustos incrementa sibi facere iustitiæ, & non tantum per obseruationem mandatorum Dei?

Negat ecclesiæ Caluin. potestatem sanciẽdi leges, in sess. 7. canon. 11 de baptis.

Esto, vnus tantum sit Deus legislator, & Ecclesia sancta non sit, quæ leges aliquas Christi legibus adiecerit, vt hæreticissime vis cum Valdensibus, Pseudoapostolis, Viuiclefistis, Husitis, & alijs hæreticis, aperte repugnantibus Christo & Apostolis, & toti Ecclesiæ, nunquid præceptum humanum violat opus virtutis? Si Missæ interesse, si ieiunare, si dare decimas, si legere horas Canonicas, & similia, secluso iure humano, sancta & pia sunt, & per ea proficiunt iusti in iustitia, quid eis præceptum humanum detrahit, vt dicas ne Pelagium quidem tentasse asserere, quod Patres tradiderunt, per obseruationem præceptorum humanorum posse iustos proficere in iustitia? Erat quidem Pelagius multo te doctior, ac quantum possum colligere ex illius verbis, à Hieronymo & August. citatis, multo minus te impius.

Caluin. Pelagio minus doctus & magis impius.

Atque ideo nunquam tam ineptæ distinctionis in proposito meminit. Nouerat enim multa præcepta ab hominibus digna esse laude, nec caritura mercede apud eum, qui calicem aquæ frigidæ datum in nomine discipuli, remuneraturum se promisit. Et propterea, non inter præcepta ab hominibus, vel à Deo distinguebat, sed generatim affirmabat operibus virtutum per lib. arb. factis, posse homines & conquirere, & augere iustitiam.

Respõ. pro testimonio ex Eccle. 18.

Sed quod ille operibus solius lib. arb. dabat, tu multo illo in nos & in gratiam Dei & Christi iniquior, & operibus per gratiam Dei factis, & meritis Christi innixis detrahis. Quid vero est, quod clamas & cœlum terræ misces, & impudenter à Patribus corruptum illum textum vociferaris, *Ne verearis vsque ad mortem iustificari?* Cohibe te paululum Caluine. Ne tam cito putes te de sancta Synodo triumphasse. Expendimus ista, quæ tu admones, vt ex cap. 1. lib. 10. huius operis potes cognoscere. Quia vero ad sensum parum intererat, siue legamus, *Ne veteris:* siue, *Ne verearis:* sequi placuit Patribus communiorem lectionem. Sed ais: Immo ad sensum multum refert. Inuehitur enim Scriptor ille aduersus eorum socordiam, qui suam ad Deum conuersionem procrastinant. Quanquam potius vertendum erat, *Ne differas.* Nam Græcum verbum est μείνῃς. Et addis, Quod de initio dictum est, religiosi Patres ad progressum non tantum crassa inscitia, sed aperta etiam malitia falso referunt. O si posses aliquando modum aliquem tuæ maledicentiæ imponere, & placido & quieto animo sensa legitima scripturarum perquirere. Plane videres nullam te hic malitiam potuisse iuste obijcere Patribus. Nihil enim tradunt toto capite illo, quod non tu etiam fatearis, eo dempto, quod ad obseruationem mandatorum ecclesiæ spectat, quod nec hoc testimonio confirmant. Et ad id approbandum, quod statuere voluerunt, satis superque sunt duo alia testimonia, quæ ibi inducunt, & corrupta non potes dicere. Sed quando calumnia de malitia aperta est, & confutatione non indiget, de inscitia crassa, quam obijcis, pacifice videamus. Verbum, μείνῃς, tu non negabis, posse etiam verti, *maneas,* vel *cesses.* Nam & μένω, vnde originem trahit, frequentius vsurpatur pro *manere* & *cessare,* quam pro differre & expectare. Itaque sicut vertendo, vt tu vertis, ne differas, legitimum & genuinum sensum non negabo te collegisse: ita nec te iure potes nobis negare, si vertamus,

Ne cesses, vel, *Ne maneas*: vel, *Ne veteris*: sensum Ecclesiastici esse, semper vsque ad mortem studendum & intendendum nostræ iustificationi, nec ad initium, sed ad progressum iustitiæ, vt Patres voluerunt, hæc verba spectare. Quoniam igitur si solam vim verbi Græci spectemus, perspicuum est, vtrunque sensum posse stare, expendamus nunc Theologice, iuxta regulas datas à Patribus nostris ad requirendos genuinos scripturarum sensus, vter sensus magis conueniat omnibus circumiacentibus, & alijs scripturæ locis, & communi ecclesiæ doctrinæ. Profecto quo attentius omnia expendo, eo apertius mihi videre videor germaniorem multo esse sensum, quem secuti sunt Patres, quam quem tu sequeris. Nam quod tu vis, iam sæpe monuerat idem Ecclesiasticus: *Ne tardes*, inquit, *conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Et rursus: *Ante obitum tuum operare iustitiam*. Et iterum: *Ante mortem confitere, quoniam à mortuo*, hoc est, morituro in proximo *quasi nihil perit confessio*. Et alias: *Ante languorem humilia te*. Deinde, ante hæc verba, *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*: præcedunt illa, *Non impediaris orare semper*. Quæ non ad peccatorem procrastinantem suam pœnitentiam ad mortem, sed ad iustos potius diriguntur.

Senſus Patrũ multo germanior.

Eccl. 5 & 14. 17. & 18.

Quoniam vero non satis est semper orare, sed oportet etiam operibus iustitiæ iugiter intendere, adiectum est mox: *Et ne verearis vsque ad mortem iustificari*. Hoc est, Nullo timore cesses, nulla ratione impediaris, vsque ad mortem vacare operibus iustitiæ, & augendæ ipsi incumbere. Ac quoniam cum iustis agebat, non subiunxit, sicut prius, *Subito enim veniet ira illius*: Vel, *Quoniam non est apud inferos inuenire cibum*: Vel, quod paruæ aut nullius vtilitatis sit confessio vel post mortem, vel ipsa instante, nec denique aliquid ex illis, quibus solet scriptura vti ad deterrendos peccatores à procrastinatione pœnitentiæ: sed subdidit, *Quoniam merces Dei manet in æternum*. Quibus verbis solent excitari iusti ad iuge orationis & virtutum studium. Cumque iustificatio prima aut solius Dei opus sit, vt vos dicitis; aut certe, vt nos credimus, magis opus Dei, quam nostrum: non satis videtur commode dictum: *Ne vsque ad mortem differas iustificari*: & multo minus, *Ne differas vsque ad mortem iustificari*. Nec sic solet loqui scriptura, sed sic potius: *Ne tardes conuerti ad Dominum*. Et vtcunque de his sit, equidem istis verbis iuxta tuum sensum expositis, duriuscule appenduntur illa: *Quoniam merces Dei manet in æternum*. Commodissime vero, si iuxta nostrum sensum illa exponantur. Acerrimus quippe stimulus ad bene operandum, est merces æterna bonis operibus reposita. Et eius intuitu bene operari, non modo non est peccatum, sed est etiam sanctum & laudabile, vt libro 11. ostendimus, & confirmari potest ex relatis è Concil. Lateranen. in cap. Cum ex eo, de pœnit. & re. Sed ne erres, vt facis, circa approbationem vulgatæ editionis, factam in sessione 4. nec frustra labores in ostendendis vitijs vulgatæ editionis, audi obiter hæc pauca, quæ & Philippo dicta velim, qui & ante te grauiter de hoc accusat Patres. Synodus non approbauit menda, quæ linguarum periti, & in sacris literis mediocriter versati, in ea deprehendant.

Intuitus beatitudinis, non vitiat opera nostra.

Approbauit duntaxat vulgatam editionem repurgatam à mendis, quæ vitio Scriptorum vel chalcographorum in ea obrepserunt. Nec eam tanquam è cœlo delapsam adorari voluit. Interpretem illius, quisquis ille fuerit, sciebat non fuisse prophetam, nec nos meruisse hactenus quenquam, qui eodem in omnibus spiritu sacras literas à propria & natiua lingua in alienam linguam transfuderit. Ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent melius potuisse aliqua verti, & vno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum sanctum sensus, vel certe alios commodiores, quam è vulgata editione possent haberi. Sed in honorem vetustatis & honoris, quem ei iam à multis annis detulerant concilia Latina, quæ sunt ea vsa, & vt certo scirent fideles, quod & verissimum est, nullum inde haberi posse perniciosum errorem, & tuto illam & citra periculum posse legi, ad coercendam etiam

Qualis fuerit vulgatæ editionis approbatio in sess. 4.

confu-

confusionem, quã affert multitudo translationum, & temperandam licentiam nimiam cudendi semper nouas translationes, sapienter statuit, vt ista vteremur in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus. Atq; eatenus voluit eam authenticam haberi, vt certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset, atque ideo adiecit, ne quis illam quouis prætextu reijcere auderet.

Et hanc fuisse mentem Synodi, nec quidpiam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis & ex alijs consuetis approbationibus concilij potes colligere. Et ne dubites de his, verissime possum tibi allegare pro his amplissimum & obseruantissimum dominum sanctæ Crucis Cardinalem, de pietate & de literis & studiosis omnibus optime meritum, qui illi sessioni & alijs omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaretur, & postea non opinor semel mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam alius propter hanc approbationem vulgatæ editionis impeditur, quo minus, vbi hæsitauerit, ad fontes recurrat, & in medium proferat, quicquid habere potuerit, quo iuuentur & locuplerentur Latini, & vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ sensui Spiritus sancti & ipsis fontibus sunt magis consentanea, assequantur.

CAPVT X.

Quomodo sit necessaria noua imputatio ad remissionem venialium, & pœnarum temporalium.

QVAMVIS autem nouè imputentur iustis merita Christi ad remissionem peccatorum venialium, & absolutionem à pœnis temporalibus, quas vel pro illis, vel pro lethalibus iam dimissis Deo debent, tamen illud probabiliter ausim asserere, nullam talem imputationem eis esse ad ista necessariam. Propofit. 1. Et sæpe quidem iustis nouiter imputari merita Christi ad remissionem leuium peccatorum, & huiusmodi pœnarum, facile potest ostendi. Ex virtute enim passionis Christi habent sacramenta & sacramentalia Ecclesiæ virtutem ad hæc præstandum. Et per ea consequuntur sæpe iusti eiusmodi remissionem. Neque tantum beneficium est eis debitum ex sua iustificatione. Nunquam etiam tantas & tam seueras pœnas exigit Deus à iustis, quantas, vbi Christus non passus esset pro eis, deberent pro suis huiusmodi peccatis. Et ipse est propitiatio & hostia oblata patri cœlesti pro omnibus peccatis nostris. Neque sine sanguinis ipsius effusione placuit reconciliare quenquam, aut aliqua condonare delicta. Eoque magis quisque participat merita Christi, quo plura sibi condonantur peccata, vel maiores pœnæ pro peccatis debitæ. Propofit. 2. Quod tamen etiam sine hac noua imputatione possent iusti consequi remissionem venialium, & temporalium quarumcunque pœnarum, quas deberent pro peccatis, quod quidem & non immerito multis, sat scio, videbitur difficilius, his argumentis suadeo.

Argum. 1. Primo: Omnis iustus est amicus Dei, & acceptus Deo ad vitam æternam, & ius habet ad ipsam per suam iustificationem. Ergo absque vlla noua imputatione iustitiæ Christi, quotcunque peccatorum venialium sit reus, quantascunque etiam pœnas temporarias debeat, si modo à gratia & amicitia diuina non ceciderit, vt certe non cadet, etiam si peccet millies venialiter, tandem assequetur omnium peccatorum venialium, & omnium talium pœnarum remissionem.

Argum. 2. Item, Non debetur peccato alicui veniali pœna æterna. Esset enim hoc, vt lib. * ostendimus, contra humanitatem & misericordiam diuinam, & certe repugnat legi Dei, quæ aperte distinguit inter venialia & mortalia ex parte pœnæ æternæ & temporalis. Et si de per se veniali responderet pœna æterna, esset profecto mortale, & gratiam diuinam tolleret, quæ non stat cum pœna æterna. Pro pœna etiam temporali, in quam commutata est pœna æterna, quæ debebatur pro mortali iam dimisso

missio, certo non exiget Deus vnquam à nobis pœnam æternam. Sine pœnitentia enim, & vt verbo Augustini dicam, impœnitenda sunt dona Dei, neque illa Deus vnquam retractat, nisi hoc exigant nostra peccata.

Argum. 3. Præterea: Qui decederet cum eiusmodi reatibus, certe non detruderetur neque in infernum, neque in limbum puerorum. In his enim locis non erunt, qui decesserint cum gratia Dei. Ergo recluderetur in Purgatorium. Purgatorium autem non erit perpetuum, sed tantum durabit vsque ad diem iudicij. Quare & isti iusti, qui ad illud deferrentur, tandem inde exirent, etiamsi non fieret eis noua vlla applicatio meritorum Christi.

Obiectio. Dicet aliquis: Si non est necessaria noua imputatio iustitiæ Christi, vt iusti assequantur remissionem venialium, vel absoluantur à pœnis temporalibus, quas debent pro peccatis iam dimissis, nunquam igitur ad hæc eis imputabitur. Deus enim & natura nihil faciunt frustra, neque superfluò.

Responsio. Superabundat tamen semper misericordia Dei, & benignitas Christi erga nos. Et sicut nobis suam gratiam non solum communicat ad ea, ad quæ est necessaria, sed etiam vt facilius & leuius aliqua faciamus & obtineamus, quæ etiam sine ipsius gratia tandem facere & assequi possemus: ita & iustitiam Christi non solum imputat ad remissionem, ad quam illa est necessaria, sed & imputat ad remissionem venialium peccatorum, & temporalium pœnarum, tametsi ad hæc non sit necessaria. Neque hoc tantum facit Deus in via, condonando aliquã partem pœnarum per sacramenta vel sacramentalia, & communicando auxilia ad aliquos feruentes actus, quibus & à venialibus, & à prædictis pœnis expiamur, sed facit hoc etiam fortassis in Purgatorio, faciendo pœnas ibi toleratas, magis sufficientes esse ad satisfactionem pro peccatis, quam essent alias, vbi ipse non applicaret nobis merita Christi.

Virtus passionis Christi operatur etiã in purgatorio. Pertingit enim ad omnem locum, vbi iusti possunt esse, virtus passionis Christi, & eximia illius merita vtiliores faciunt omnes labores & pœnas iustorum, ad meritum quidem & satisfactionem in hac vita, ad satisfactionem vero post hanc vitam.

Obiect. 2. Sed adhuc vrgebit aliquis: Quia nemini sine Christi meritis ei imputatis dimittentur secundum legem, neq; dimitti possunt peccata venialia, aut reatus pœnarum temporalium pro peccatis. Et de peccatis venialibus palam hoc asserit Bernar. ser. de cœna Domini. in hæc verba: *Nemo leuia peccata contemnat. Impossibile est enim cum eis saluari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum Iesum & à Christo.* Et August. lib. 83. q. q. 68 tam de eo qui leuioribus peccatis obnoxius est, quam de eo qui grauioribus, pronunciat, quod si sibi relinquerentur, interirent.

Respon. Sed hæc in eos quidem possent nonnullam vim habere, qui asserunt, etiam peccatores posse pro huiusmodi ad plenum satisfacere. Verum in nos parui omnino momẽti sunt, qui de iustis tantum loquimur, & ab ea quæstione, quæ controuersa est inter [pios] de satisfactione eorum, qui sunt in peccato, de industria abstinuimus. Et iustis quidem propter Christum hæc dimitti, possumus & debemus intrepide asserere, quia opera & satisfactiones iustorum, valorem suum habent à gratia ipsis in sua iustificatione, propter merita Christi communicata. Aliudque est, sibi relictum peccatorem interire: aliud, iam iustificatum noua indigere imputatione, ne intereat. Et alioqui impossibilia sæpe monuimus à sanctis dici, quæ nunquam iuxta communem legem fient. Ac nos quidem non asserimus de lege fieri posse, vt cuiquam venialia remittantur sine Christi iustitiæ imputatione etiam noua, sed eam impossibilitatem dicimus non esse ex defectu [potentiæ iustorum], sed ex misericordia Dei, benigne præueniente nostram fragilitatem. Nec August. de obnoxio solis venialibus, quæ citantur, asseruit. Mox enim temperauit sermonem, adijciens; *Aut certe de eo, qui est in grauioribus.* Et nisi Bernardus, *Per*, vsus forte fuerit pro *Propter*, facile possemus dicere, & eos, qui peccatoribus dicerent non esse necessariam iustitiæ Christi imputationem ad remissionem venalium, nequaquam negare, quin neces-

necessarium sit, vt ab eo & per eum remittantur.

Obiect. 1. Adhuc tamen posset aliquis valde nos impugnare ex eo, quod iusti non possunt assequi remissionem peccatorum venialium, nisi Deus velit remittere. Quidquid enim ex se possunt facere, promereri nequit, aut debitam sibi simpliciter facere remissionem ipsorum. Quare cum Deus gratuito remittat, & nolit remittere, nisi propter Christum, nec iusti poterunt sine noua illius iustitiæ imputatione, eorum remissionem assequi. Responsio. Verum hæc duntaxat probant necessitatem ex lege, quam non negamus. Et alioqui ad alia properanti immorari his, quæ præter legem sunt, magis non licet. Respon ad calumnii Cal. in c. 15. Quoniam vero de remissione venialium agimus, obiter hic commodum erit monere, improbe Caluinum calumniari Patres, quod nullum peccatum, nisi crassum & palpabile, mortale agnoscant. Nullus est, Caluine, inter Catholicos qui ignoret, quod dicis, pleraque interiora grauius ad interitum vsq; animas vulnerare, quam illa, quæ cap. 15. mortalia asseruerunt, & ea complexi sunt illis verbis, Cæterosque omnes, qui lethalia committunt peccata. Sed quoniam proposito suo ea satis erant, commodius censuerunt duntaxat numerare, quæ 1. Cor. 6. Paulus attigerat.

CAPVT XI.

De duplici sententia circa necessitatem nouæ imputationis iustitiæ Christi ad consequendum beatitudinem.

MAIVS vero dubium & magis controuersum hoc tempore fuit, an noua imputatio iustitiæ Christi, necessaria sit iustis ad consequēdam beatitudinem. Cumque apud omnes Catholicos certum & indubitatum semper fuerit, omnem eum beatitudinem sine dubio habiturum, quem contigerit de hac vita cum Dei gratia decedere, & pro expiandis peccatis venialibus & pœnis debitis pro peccatis lethalibus iam dimissis, necessarium esse Purgatorium illis, qui cum aliquo tali reatu hinc migrarent, duo tamen fuerunt præcipue hic controuersa:

Primum est, an post plenam peccatorum expiationem decedentibus in gratia detur statim beatitudo, vel differetur potius ipsius collatio vsque ad diem generalis iudicij. Secundum est, an aliqua saltem noua imputatio iustitiæ Christi, vel oblatio aut præsentatio ipsius denuo requireretur, vt ad beatitudinē admitterentur, qui vel hic, vel in Purgatorio pœnas debitas pro peccatis exoluissent. Et prius quidem horum dubiorum olim controuersum fuit, nunc autem duntaxat posterius, ac propterea tantum leui manu & obiter, quid in priori sentiendum sit, attingemus. Vt autem quid circa posterius tenere debeamus, exactius nouerimus, hoc in primis aduertamus oportet: Cum disputatur inter Catholicos, an ad consecutionem beatitudinis, necessaria sit iustis noua aliqua meritorum Christi imputatio vel applicatio, non ambigitur de necessitate diffusionis & communicationis iustitiæ Christi vsque ad collationem beatitudinis. Certo sciunt omnes Catholici, ipsum esse vnicum mediatorem inter nos & Deum, nec posse nos nisi ope & patrocinio ipsius ac gratia apud patrem aliquod spiritale beneficium participare. Et tanto minus licet hoc de beatitudine sub dubio ponere, quanto illud omnium Dei in nos beneficiorum longe eximium est & præstantissimum. Status huius controuersiæ. Sed hoc vnum in dubium vertitur, an ad consecutionem beatitudinis necessaria sit noua aliqua applicatio, seu imputatio iustitiæ Christi, quæ antecedat collationem beatitudinis, & ad ipsam disponat & præparet; ac nos dignos & idoneos ad eam suscipiendam faciat, & ex consequenti gratiam acceptam in prima iustificatione augeat, & beatitudinem faciat vel debitam iustis, vel certe magis debitam, quam ante erat.

Et de hoc duæ extiterunt hoc tempore variæ sententiæ. Quidam viri doctrina & pietate insignes, ad consecutionem beatitudinis, nō tantum crediderunt duplicem nobis necessariam esse iustitiam: alteram formalem, qua formaliter iustificamur: alteram imputatam, quæ iustitia Christi est, sed & hanc bis pro nobis offerri, & præsen-

tari patri cœlesti à Christo, & ab eo acceptari necessarium putarunt: primo quidem antecedenter, vt iustificemur: secundo vero consequenter, vt rigorem diuini iudicij euadamus, neque pro meritis nostris, sed pro summa sua misericordia iudicemur, & nostra qualiscunque iustitia, à Deo censeatur idonea & sufficiens, vt admittatur ad regnum cœlorum.

Opin. 2. cōmunis. Alij vero & numero & sapientia & pietate ac authoritate longe superiores, ad consecutionem beatitudinis, eam iustis existimarunt sufficere iustitiam, quæ ipsis in prima sua iustificatione communicata est: neque opus esse, vt ipsius defectus, vel imperfectio, quantumcunque parua & imperfecta sit, à iustitia Christi suppleatur. Neque aliter huius opin. authores credunt nobis communicari, aut applicari iustitiam Christi ad consequendum beatitudinem, quam quia ex meritis ipsius nobis communicantur omnia requisita vt iustificemur, nempe iustitia ipsa formalis, & auxilia multa necessaria, aut certe vtilia ad acquirendam iustitiam, & proficiendum & perseuerandum in ipsa. Vt sciamus autem, vtra istarum opinionum probabilior sit apud omnes, primo videbimus, quæ sit, & qualis, ac quanta iustitia, quæ à nobis exigitur ad beatitudinem: deinceps vero, an ea quæ exigitur, sine noua imputatione iustitiæ Christi sufficiat.

CAPVT XII.

De iustitia, quæ à nobis exigitur ad consecutionem beatitudinis.

Proposit. 1. AC primo quidem illud apud omnes cōstat, vt assequamur beatitudinem, Deum à nobis non exigere iustitiam, quæ perfecta sit, collata ad iustitiam suam. Excedit quippe iustitia diuina in infinitum omnem iustitiam, quæ potest esse in creaturis: nec potest esse tanta alicuius creaturæ iustitia, vt non, si ad diuinam conferatur, illius puritate & claritate obtenebretur, & quodammodo inquinetur. Verissimeque Iob dicit: *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mund[..] [..]de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Et sapienter Salomon: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quanquam enim omnes creaturæ bonæ sunt, vt à bono creatore conditæ, tamen ad æternam, solidissimamq; & indefectibilem & incommutabilem Dei essentiam comparatæ, vanum quiddam & inane sunt, ac verius non esse, quam esse sunt existimandæ. Vnde & Hieron. tractans hæc verba, ita eleganter alicubi scribit: *Lucerna, lampadis comparatione pro nihilo est. Lampas stellæ comparatione non lucet. Stellam lunæ confer, cæca est. Lunam soli iunge, non rutilat. Solem Christo confer, tenebræ sunt. Ego sum, inquit, qui sum. Omnem igitur creaturam si Deo contuleris, non subsistit.* Hæc Hieronymus. Et hanc tantam iustitiæ puritatem, à creaturis suis corruptibilibus, & innumeris infirmitatibus obnoxijs Deum non exigere, pulchre profecto Hilarius in Psal. 142. his verbis edisserit. *Quid enim spei est, si iudicari nos secundum se Deus velit, si ad comparationem sui, vita nostræ innocentiam postulabit? Iustificari autem in conspectu Dei quis viuentium potest cui ira, cui dolor, cui cupiditas, cui ignoratio, cui obliuio, cui casus, cui necessitas vel per naturam corporis, vel per motum animæ semper fluctuantis, admixta sunt? cui & quotidie grauissimus hostis immineat, diabolus videlicet animæ viri fidelis insidians, eamq; ad interitum persequens? Hanc enim esse causam docet, ob quam nemo viuens iustificari in cōspectu Dei possit, quia persecutus est inimicus animā meam.* Hæc Hilarius.

Iustitia nostra respectu diuinæ, pannus est menstruatæ.

Iob 25.

Ecclesi. 1.

Exod. 3.

Proposit. 2. Iustitia nostra imperfecta est, collata ad iustitiam humanitatis Christi. Indubitatum item inter omnes est, neq; ad consecutionem beatitudinis requiri à nobis iustitiam, quæ perfecta sit in comparatione ad iustitiam humanitatis Christi. Nam iustitia humanitatis Christi tanta est, vt omnis iustitia, non tantum hominum, sed etiam angelorum, illius splendore & fulgore obscuretur. Infinita enim est intensiue, aut certe summa, & quantum creaturæ conuenire potest, omni ex parte absolutissima. Datus enim est Christo, quatenus homo est, spiritus non ad mensuram: & per omnia, & in omnibus exactissime ille impleuit omnem iustitiam, & voluntatem patris cœlestis summo affectu vbique &

semper

Proposit. 3. ſemper executus eſt. Conſentiunt etiam inter ſe omnes catholici, non exigere Deũ à nobis tãtam & tam perfectam iuſtitiam, quantam ipſi habebimus in cœlis, ſi ex dono Dei eo tandem aliquando perueniamus. Et communis omnium horum trium, & in promptu ratio eſt. Deus enim neminem ad impoſſibile obligauit. Vt autẽ impoſſibile eſt ſimpliciter, noſtram iuſtitiam tantam eſſe, vt non imperfecta ſit, ſi conferatur ad diuinam: ita ſecundum legem nullo pacto noſtra iuſtitia æquari poteſt iuſtitiæ humanitatis Chriſti, aut iuſtitiæ, quam habebimus in patria. Iuſtitia enim Chriſti plena eſt, & omni ex parte abſoluta & perfecta: noſtra autem iuſtitia, parua quædam participatio illius: & perfectio huius ſtatus imperfectio eſt, ſi ad perfectionẽ comparetur, quam habebunt beati omnes in cœlo.

Iuſtitia vitæ imperfecta eſt reſpectu iuſtitiæ patriæ.

Propoſit. 4. Hic paruuli omnes ſumus, illic autem omnes erimus viri perfecti. Hic ſi qua lux eſt, lux eſt auroræ, illic lux erit meridiana. Et minimus in regno cœlorum, maior eſt, ſicut Chriſtus dixit, quam hic fuerit Ioannes Baptiſta. At ſicut in Concilio Viennen. ſi damnatus eſt error Begardorum & Beguinarum, aſſerentium hominem in præſenti ſtatu poſſe aſſ. qui finalem beatitudinem ſecũdum omnem gradum perfectionis, quem habebit in vita beata: ita & ſimili, immo eadem ratione, erroneum cenſendum eſt, ſi quis dixerit, tantam eſſe poſſe iuſtitiam noſtram, quanta erit iuſtitia patriæ cæleſtis. *Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et nunc ex parte cognouimus, tunc autem cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus.* Nunc etiam neque ſemper, neque ex toto affectu diligimus: tunc autem & ſine intermiſſione, & quantum maxime poterimus, diligemus.

1. Cor. 13

Propoſit. 5 Sed & præter hæc certum eſt, neq; tantam à nobis exigi iuſtitiam, quantam debemus, vt ei perinde ac dignus eſt, ſeruiamus. Siue enim illius magnitudinem ſpectemus ſiue beneficia nobis exhibita, nemo eſt inter nos, qui tantam puritatem & perfectionem præſtare poſſit, quantam & magnitudo illius & beneficia merentur.

Quin & illud receptum extra controuerſiam eſt, à nobis non immediate exigi iuſtitiam habitualem infuſam: Quia præcepta de actibus ſunt, qui noſtræ ſubiacent poteſtati, non de habitibus, qui à ſola Dei donantis liberalitate pendent. Propoſit. 6.

Tantumq; dedit Deus nobis præcepta faciendi illa, quibus factis, ipſe ex benignitate ſua iuſtitiam habitualem nobis infundit. Et ea licet minima ſit, ſatis erit, quantum eſt ex parte habitus ad beatitudinem: Quia non minus parua, quam magna, nos facit caros Deo, & filios Dei. *Etſi filius, ergo hæres*, teſte Apoſtolo. Sed de vna iuſtitia actuali dubium eſt, qualis debeat eſſe & quãta pro hoc ſtatu, vt beatitudinem aſſequamur Et ſunt quidem aliqui viri docti, qui rem alioqui clariſſimam, quamque vel hac luce oportet Chriſtianis omnibus eſſe apertiorem, diſtinctione iudicij diuini in rigidum & moderatum, obſcurant & confundunt. Neque ſatis quidem illi aperiunt, quod volunt, verum in hanc tandem ſententiam inclinare videntur, vt dicant, ſecundum iudicium Dei rigidum eiuſmodi eſſe debere noſtram iuſtitiam, vt conſequamur beatitudinem, vt ne minimam quidẽ aut leuiſſimam culpam, vel exorbitantiam à lege diuina, admittat: ſecundum vero iudicium Dei moderatum, & noſtræ fragilitati attemperatum, ſatis eſſe, ſi mandata omnia diuina ſic impleamus, vt nullum eorum lethaliter omittamus, vel prætereamus. Etſi quidem remota miſericordia & imputatione iuſtitię Chriſti iudicemur, vel minutas culpas impedimento fore dicunt, vt adipiſcamur beatitudinem. Per ipſiuſq; iuſtitiæ Chriſti imputationem fieri credũt, vt moderate iudicemur, & ſatis ſit ad conſequendum beatitudinem obſeruantia diuinorum mãdatorum, etiamſi multis peccatis venialibus ſit coniuncta.

Propoſit. 7

Rom. 8 Galat. 4

Opinio de duplici Dei iudicio. rigido & moderato.

Et inde exiſtimant profectum eſſe, vt ſancti viri nonnunquam confidenter dicant cum Iob. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui.* Et cum Dauide. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meã.* Nõnunquam vero diuinorum iudiciorum contemplatione perterriti, vereantur cum Iob omnia opera

Iob 6.

Pſalm 44.

Lib. 9. Psal. 6. 31. opera sua, & cum Dauide clament: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et iterum: *Non intres in iudicium* Psal. 142. *cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Cum enim, aiunt, incerti sint, quali istorum iudiciorum, rigido ne, an moderato, Deus in eis iudicandis vsurus sit, quidam velut præsumentes, se iudicio moderato ab eo iudicandos confidenter dicunt: alij vero cum magno timore de se loquuntur, illud veriti, ne Deus eorum vitam rigide & remota misericordia examinet. Atque ideo necessarium esse putant, ad diuinam semper misericordiam confugere, & Christi iustitiam semper patri cœlesti præsentare, vt per illam, rigorem sui iudicij in nos, temperet. Verum ista distinctio iudicij diuini in rigidum & moderatum, necessaria in proposito non est, & nulli satis firmo scripturarum, aut sanctorum Doctorum testimonio, quod sciam, innititur: & obumbrare magis posse veritatem, quam elucidare, videtur. Quamuis enim iudicare possit Deus vitam nostram & rigide, & moderate, tamen secundum legem scimus, eum moderate semper sic eam iudicare, vt neque exigat à nobis aliud ad consequendum beatitudinem, quam suorum mandatorum obseruantiam, licet plura & grauiora posset exigere: neque veniales & minutulas culpas, quantumcunque multas, ad pœnam æternam, aut ad inimicitiam in se imputet, vt posset in aliquo saltem magno numero imputare. Et si ratione imputationis iustitiæ Christi, vel ipsius pro nobis intercessionis, rigor diuini iudicij sic attemperatus est, etiam nobis non recurrentibus ad iustitiam Christi, neque offerentibus eam pro nobis, sic Deus suum iudicium moderabitur. Neminem quippe aliter iudicabit, quam secundum legem, quam ipse præscripsit, & nostræ infirmitati & imbecillitati attemperauit.

Proposit. 8. Impugnatur distinctio iudicii Dei in rigidum & moderatum.

Intermissa igitur huiusmodi distinctione, breuiter & planissime possumus dicere, iustitiam quam Deus à nobis exigit ad consequendum beatitudinem, esse solam obseruantiam mandatorum diuinorum. *Si* Matt. 19. *vis enim*, ait Christus, *ad vitam ingredi, serua mandata.* Neque quidpiam aliud Deum à nobis exigere, expressit vnquam scriptura vel Ecclesia. Quin vero, vt lib. 14. docuimus, semper velut certum illa habuit & tradidit, neminem propter peccata venialia excludendum esse à regno cœlorum. Et hac potissimum ratione distinxit illa semper mortalia à venialibus, quod mortalia excluderent à gratia Dei & vita æterna, non autem venialia. Et cum hæc doctrina tam certa sit, & in confesso apud omnes Ecclesiasticos authores, & communi consensu & traditione Ecclesiæ probata, iniuriam profecto faciunt prophetis, per quos veritatem fidei nostræ accepimus, qui huius doctrinæ ignorantiam eis inurunt. & nunc quidem dicunt, eos persuasos fuisse de diuini iudicij temperamento, nunc vero ipsius rigorem formidasse.

Proposit. 9. Iustitia requisita ad beatitudinem.

CAPVT XIII.

De causis, propter quas iusti Dei iudicium semper formidarunt.

VNDE igitur, inquies, illæ voces, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens? Domine, ne in furore tuo arguas me, &c.* Cur formidabant iusti vbique rigorem diuini iudicij? Cur pauidi illud expectabant, si Deum sciebant non nisi temperato in ipsos vsuros iudicio? Militare item videtur pro distinctione iudicij diuini in rigidum & moderatum, communis illa oratio ecclesię in officio sepulturæ fidelium: *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo*, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat, sed gratia tua illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Si enim certum esset, omnes moderato iudicio iudicari, neque aliter posse secundum legem iudicari, nihil opus esset orare, vt Deus mitiget rigorem & seueritatem sui iudicij in fideles defunctos.

Obiectio. Psal. 142. 6. 31.

Psal. 142.

Sed

Sed alia de causa formidabant sancti diuinum iudicium. Non verebantur sane illi, ne Deus mortalia iam dimissa, aut vlla venialia ad pœnas imputaret æternas. Certi erant, alienum hoc esse à lege diuina, & à clementia & benignitate ipsius.

Sed illius timoris diuini iudicij causa erat triplex. Prima, incertitudo gratiæ & remissionis suorum peccatorum, quæ admisisse se vel sciebant, vel certe dubitabant. Fide quippe certissima persuasi erant, fore Dei iudicium terribile & omnino formidandum eis, qui suorum peccatorum veniam assecuti non fuerint. Vnde & Ezechias tametsi iustus & corde perfecto, tamen iturus ad Dominum, flebat fletu magno. Et hanc fuisse causam tanti fletus, explicuit Hieronymus 2. in Pelag. his verbis: *Quæris rationem fletuum? Si cogitaueris hominem, non miraberis causas doloris. Nullus enim intrepidus vadit ad iudicium Domini habens conscientiam peccatorum.* Et paulo post, ostendens merito & hoc ipsum timendum esse omnibus, ita scribit: *Luna erubescit sol confunditur, & cælum operitur cilicio: & nos intrepidi atque lætantes, quasi omni careamus vitio, occurremus iudicum maiestati, quando tabescent montes, erecti videlicet in superbiam, & omnis militia cælorum, vel astra, vel angelicæ dignitates, & complicabuntur sicut libri, cæli, & omnis exercitus eorum instar foliorum defluet?* Hæc Hieron.

Explicuit & hanc causam timoris sanctorum diuus August. in Psal. 142. quia multo aliud est iudicium diuinum ab humano. *Omnis*, inquit, *viuens iustificare forte potest se coram se, non coram te. Quomodo coram se? Sibi placens, tibi displicens: Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & paruus inuenior.* Et super illa verba. *Vt quid tristis es anima mea, & vt quid conturbas me?* statim addit, *An forte ideo, quia difficile purgata anima inuenitur, cum ille iudicat, qui non it ad purum & liquidum iudicare? Quia etsi probabilis iam vita est inter homines, ita vt homines quidnam reprehendant, iuste non habeant, procedit examen ab illius oculis, procedit regula exæquans non fallaciter, & inuenit in homine quædam quæ reprehendat Deus, quæ homines reprehendenda non videbant, neque ille ipse, qui intus iudicando est.* Hæc Augustinus. Et cum pro matre oraret iam defuncta, tanquam rationem redderet, cur pro ea oraret, cum vita fuerat moribusque laudabilis, ita cum Domino loquitur: *Non audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum, & dictum est à veritate filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matt. 5. *Quasi diceret: Oro pro ea, propter peccata quæ potuit commisisse.* Et subiungit: *Et væ etiam laudabili vitæ hominum si remota misericordia discutias eam.* Ac si dicat: Alia ratio est orandi, quia non solum vita hominum misericordia indiget propter peccata, verum etiam si laudabilis fuerit humano iudicio.

Secunda causa timoris sanctorum erat certa fragilitatis suæ scientia, & fides de potestate diuina. (Causa 2. timoris.) Nouerant Deum nullis adstringi legibus, & posse non obstāte quauis lege, ex toto rigore suæ iustitiæ nos iudicare, & vel pro leuibus peccatis, in quæ passim incidebant, vel simpliciter liberrime posse nobis subtrahere auxilia specialia, necessaria ad perseuerandum in sua gratia, ac vel ista via posse incidere in horrendam illam iram & furorem, quo Deus iustissime sæuiet in eos, quos flammis æternis deputabit.

Tertia causa huius timoris, erat notitia certa grauitatis & acerbitatis pœnarum, (Causa 3. timoris.) quas Deus præscripsit à nobis ferendas post hanc vitam ob quæuis etiam leuia peccata. Et duabus his posterioribus de causis, etiam certi de sua gratia, timere poterant, quia neque ideo certi erant de sua perseuerantia, & iustos omnes communiter aliqua venialia admittere probe nouerant. *Quamdiu caritas augeri potest*, ait Augustinus, *profecto illud quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens.* Et Hieron. in Pelag. tractans illa verba, *Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* (1. Pet. 4.) sic scribit: *Certe iustus est, qui in die iudicij vix saluatur. Saluaretur autem facile, si nihil in se haberet maculæ. Ergo iustus est in eo, quod floret multis virtutibus & vix saluatur in eo, quod in quibusdam Dei indiget*

n. [illegible] B. rn. *Nostra si qua est humilis* [illegible] *meliores esse nos credimus quam Patres nostros, qui non* Esa. 64. *minus veraciter, quam humiliter, dixerunt. Omnes iustitiæ nostra tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura iustitia, vbi non potest culpa deesse?* Hæc Bernar. Et merito timere debemus saltem de illius circumstantiæ neglectu, de qua scriptum est: Esdra 4. *Videte, ne negligenter hoc impleatis.* Hier. 48. Et iterum: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.* Eccles. 26. Et rursus: *Difficile exuitur negociam a negligentia.* Et quis est, qui in tremendis sacramentis, atq; alijs rebus sacris tractandis, aut in officio diuino, & in cultu quocunq; Dei, non merito formidare debeat, se aliquam culpam venialem incurrisse, nec omnem puritatem & reuerentiam & deuotionem, tantis mysterijs debitam, examussim præstitisse? Ijs igitur tribus nominibus, vel aliquo eorum, iustissime timebant sancti.

Et quia orationem præsidium esse sciebant ad euadendum omnia imminentia mala, ad eam velut ad tutissimam & sacram periclitantium ancoram, cum fiducia recurrebant, & clamantes ad Deum, feruenter & instanter petebant, vt mitigaret in eos iram suam, neque cum eis intraret in iudicium. Non quidem, quod crederent appo[illegible] post viam iustitiam Christi si[illegible] vel passionibus nostris, vt mox [illegible] faciemus, sed vt his orationibus [illegible] impetrarent veniam suorum [illegible], si dum nondum eam assecuti [illegible] auxilia diuina obtinerent ne[illegible] perseuerandum, vel certe vt eas pœnas [illegible], quas Deus secundum moderatum suum iudicium peccatis singulis constituit & præfixit. Atque hoc modo intelligenda est ecclesiæ oratio, allegata ex officio pro defunctis. De iustificatione enim perfecta, quæ exoluit Deo quidquid debet, siue obseruantiæ mandatorum [illegible] bitarum pro peccatis, dicit, non esse quenquam iustificandum in conspectu Dei, nisi per illum ipsum tribuatur ei peccatorum remissio. Et ideo statim subdit, *Ne eum, quæsumus, tua iudicialis sententia premat, &c.* vt Deus mitiget seueritatem suam propter eam orationem [illegible] tantum exigat pœnarum, quantum [illegible] in æquo & moderato iudicio, quo [illegible] stabiliuit, ab eis exigeret, quibus nu[illegible] clesiæ vel fidelium suffragia opitul[illegible] Atque hoc est temperamentum diui[illegible] dicij, quod per merita Christ & sanct[illegible] implorandam est ijs, qui in iustitia qu[illegible] sed cum aliquo reatu peccatorum, [illegible] vita decesserunt.

CAPVT XIV.

De iustitia, quæ sufficit ad consecutionem beatitudinis.

ATQVE ex dictis liquidum esse potest, quæ sit iustitia, quæ sufficiat nobis ad obtinendam beatitudinem. Nam qui dixit, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata:* satis Matt. 19. aperte indicauit, vel eam iustitiam, quæ à nobis exigitur, satis fore ad beatitudinem, vel certe se adiecturum, quidquid amplius esset requisitum. Aut enim neminem ad gloriam suam Deus admittet, aut certe admittet omnes, qui eam habuerint iustitiam, quam ipse ad eam elargiendam requisiuit. Quare si ad consecutionem beatitudinis necessaria sit iustis noua imputatio, aut præsentatio iustitiæ Christi, ambiguum esse non potest, quin ea facienda sit iustis decedentibus in gratia. Ac propterea nec nostra multum interest scire, an ea indigeamus, necne. Certi quippe sumus, nemini ipsam defuturam, qui hic fecerit quod fuerit in se. Quia vero ad cognitionem perfectionis iustitiæ, quam hic habemus, & aliquorum locorum scripturæ, huius quæstionis intelligentia necessaria est, de hoc quoque, vt cœpimus, exacte pro nostra virili disseremus.

Et si quidem obseruemus diuina mandata, sed leues aliquas culpas, contra ea vel [illegible] præter ea admiserimus, saluabimur quidẽ, sic tamen, vt prius ab eis igne amoris, vel deuotionis, vel pœnitentiæ, vel tribulationis, aut certe Purgatorij, expiemur. Vtque hoc fiat celerius & mitius, quam peccata nostra exigunt, imputantur quidem & nunc merita Christi: verum hoc simpliciter necessa-

ceda-

ceſſariū non eſt, vt iam ſupra conſtituimus. Si vero aliqui iuſti hinc decedant ſine reatu alicuius pœnæ temporalis, ſiue quia nulla admiſerunt peccata, ſiue quia admiſſa, ſunt eis pleniſſime condonata, vel ex benignitate ſola diuina, vel propter ſacramentum baptiſmi, vel propter plenam de ipſis ſatisfactionem, neceſſaria illis nō eſt noua aliqua imputatio iuſtitiæ Chriſti, vt conſequantur beatitudinem. Idq; his argumentis firmabimus. Primo: Quicunque meritis Chriſti eſt iuſtificatus, habet ius ad gloriā. Claudit enim in ſe hoc beneficium iuſtificatio, vt lib. 5. explicuimus, & eſſe in gratia Dei, idem eſt, quod eſſe ei carum & acceptum ad gloriam. Et gratia, quia iuſtificamur, fons eſt aquæ ſalientis in vitam æternam: & qui iuſtificati ſunt, ciues ſanctorum & domeſtici Dei dicuntur à Paulo, & conſedere aſſeruntur, etiam dum hic ſunt, in cœleſtibus: & quicunque iuſti, ſua iuſtificatione fiunt membra Chriſti, & amici & filij Dei. *Et ſi filij, ergo hæredes*, ait Paulus, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Si inter homines quiuis filius, defuncto ſuo parente, quia illud eſt tempus, quo ſecundum leges humanas incipit gaudere hæreditate paterna, abſque vlla noua imputatione vel acceptatione ſecundum iura humana poteſt adire hæreditatem paternam, & eam incipere poſſidere: multo magis poterunt iuſti ſtatim, vbi decedunt ex hac vita, liberi ab omni reatu peccati, intrare in gaudium Domini ſui, & abſq; vlla noua, præſertim indebita, imputatione iuſtitiæ Chriſti, incipere beatitudinem poſſidere, cum illud ſit tempus, quo ſecundum leges diuinas adeunda eſt & poſſidenda hæreditas regni cœlorum. Deinde: Suffecit angelis ad beatitudinem gratia Dei ſibi gratis communicata, nec opus illis fuit, iuxta communem opinionem imputatio aliqua iuſtitiæ Chriſti. Eademque ratio fuiſſet de hominibus ante lapſum, ſi quidem in gratia Dei permanſiſſent. Gratia autem, quæ datur nobis in iuſtificatione propter merita Chriſti, non eſt ſane minus perfecta. Nam alias [illegible] abundauit delictum, ſuperabundaſſet gratia, ſed defeciſſet potius neque reſtituiſſet nos Chriſtus in tam perfectum in gratuitis ſtatum, ac fuit ille, à quo excidimus. Adhæc: Quando iuſtificatur Petrus meritis Ioannis, ſicut Paulum credit Aug. iuſtificatum meritis Stephani, mox imputantur ei merita illius & ad gratiam, & ad beatitudinē: neq; opus eſt vlla imputatione noua meritorum Ioannis, vt Petrus tempore à Deo præfixo conſequatur eam beatitudinem. Et ſi rex ob preces & merita ſui filij primogeniti admitteret Petrum in ſuam gratiam & familiaritatem, & daret ei veſtem aliquam, quæ eſſet ſignum communne gratiæ & familiaritatis regiæ, & tale, vt omni habenti eam veſtem, ex lege & promiſſione regali deberetur ducatis aureus quolibet die, nulla profecto eſſet opus imputatione gratiæ filij regis, vt Petrus ſemel admiſſus ob merita ipſius ad gratiam regis, & donatus ea veſte, haberet eum aureum. Quid autem eſt caritas, quam veſtis nuptialis, qua ob gratiam Chriſti ornamur & induimur, vt digni habeamur conuiuio illo cœleſti, de quo dicitur, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei?* Nonne & ipſa conſuetum ſignum eſt gratiæ, & familiaritatis diuinæ, & pignus hæreditatis cœleſtis? Quid igitur noua imputatione opus eſt illis, qui cum illa libe[illegible] tu, hinc deceſſerint? Sed & illi [illegible] peccati Adæ ad iuſtitiam Chriſti, qua vtitur Paulus ad Roma. 5. docere hoc nos poteſt. Equidem ad peccatū & condemnationem omnium filiorum Adæ, qui non ſunt ex gratia Chriſti iuſtificati, ſatis fuit vnica imputatio iniuſtitiæ & inobedientiæ Adæ. Per illius enim inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, & multi mortui ſunt, & mors regnauit in multis. Multo igitur magis ad iuſtitiam ad ſalutem omnium, qui per baptiſmum fiunt filij Chriſti, ſatis erit vnica imputatio iuſtitiæ vel meritorum Chriſti. Præterea, omnibus iuſtificatis eſt applicata & imputata iuſtitia Chriſti ad remiſſionem ſuorum peccatorum, & ad perfectionem ipſorum per gratiam & virtutes & dona, & ad conſecutionem beatitudinis. Erā iuſtitia Chriſti habent opera bona iuſtorum ſuam efficaciam & meri-

Argum. 1.

Rom. 8.

Argum. 2.

Argum. 3.

Lucæ 14

Argum. 4.

tum apud Deum. Quorsum ergo eis fiat noua alia imputatio iustitiæ Christi. siue in vita, siue in morte, vt consequantur beatitudinem? Si alia noua applicatio requireretur, prior esset insufficiens & valde imperfecta: & si fieret, etiam si non esset requisita, prorsus esset superflua. Et hoc est argumentum, quo, licet obscure, firmarunt Patres hanc sententiam in illis verbis, *Cum enim ille ipse Christus &c.* Potestque aliter eius vis declarari hoc pacto: *Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora.* Sed priori imputatione iustitiæ Christi potest fieri, quidquid fieret per secundam, vt manifestum est. Possunt enim singularia illa & eximia ipsius merita tribuere eum valorem iustitiæ nostræ inhærenti, quem habet modo, & vltra eum, illum etiam, qui adijceretur ex 2. imputatione iustitiæ Christi. Et quidquid secunda imputatione iustitiæ Christi accederet iustis, si quidpiam accederet, accedere profecto potuisset per primam.

Et aliquanto magis possumus hoc idem premere. Nihil est asserendum à Christiano, quod deroget gloriæ vel iustitiæ Christi, aut misericordiæ ipsius in nos. Eius enim gloriæ per omnia augendæ & magnificandæ incumbere & desudare habemus omnes, qui ipsius sanguine sumus redempti, & illas opiniones decet nos semper amplecti & recipere propensius, quæ ipsius gloriæ magis attestantur. Vehementer autem derogat gloriæ Christi, & eximiæ ipsius in nos misericordiæ, asserere necessariam esse istam 2. imputationem meritorum ipsius. Nam hoc quid aliud est, quam priorem extenuare, & insufficientem facere, & dicere eum non perfecte iustificare peccatores, etiam cum ex toto corde se ad Deum conuertunt, neq; reconciliare eos Deo perfecte? Quo quid potest magis gloriam ipsius aut merita, vel certe dona nobis per ipsum communicata, minuere? Amplius: Ista imputatio noua, quæ ponitur antecedere collationem beatitudinis, non fiet quando iusti præsentabuntur ante tribunal Christi, vt audiant sententiam veri iudicis, neque in ipso articulo mortis. Eo quippe ipso, quo

Gloriæ Christi tuendō

Argum. 6.

quis iustificatus est, habet vnde secure, & sine timore repulsæ expectet sententiam iudicis, siue in vita, siue in morte. Neque tale priuilegium habet mors aut tempus, quo sistimur ante tribunal Christi. Sed absolute & simpliciter *lignum vbi ceciderit, ibi erit. Et recipiet vnusquisque*, teste Paulo, *propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Vnumquemq; enim sua sequuntur opera*, sicut ait Ioannes. Et quales nos inuenerit noster nouissimus dies, tales nos inueniet mundi nouissimus dies, vt pulchre dicit Aug. ad Esychium lib 83. q q 59. Atque vt idem ait, *Quisquis paratus est vsque ad somnum, id est, vsque ad mortem, quæ omnibus dei etur paratus inuenietur cum illa vox media nocte sonuerit, qua omnes exigilaturi sunt.*

Item: Hi iusti, de quibus nunc loquimur, statim vident Deum, vbi exeunt à corpore. Aut nulli enim Deum vident, aut hi videbunt. Par quippe est ratio de ipsis & de alijs. Et hoc diffinitum est à Benedicto 12. in quadam extrauagante, & in Conc. Floren vt statim ostendemus. Et q[illegible] quid Irenæus in fin lib 5 cont. hære. Theophylact. in 11. ad Hebr. & Lucæ 23 & Bern. ser. 3. & 4. de festo omn. sanct. elim senserint, hæc semper fuit fides Ecclesiæ Catholicæ, & hoc nobis pro certo & constanti tradiderunt Amb. in illa verba Pauli, *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Aug. hom. 6. super Apocal. Grego. in illa verba Psalmistæ, *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.* Hieron. in multis locis, & nominatim in epitaphio Paulæ. Anselm. in verba Pauli, *Scimus quoniam si terrestris domus nostra &c.* Beda, Rich. de S. Vict. Haymo, Ambr. Ansber. in illa verba Apoc. *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.*

Argum. [illegible]

Et vt testimonia aliorum sanctorum omittamus, manifesta argumenta [illegible] his, & scripturæ testimonia, quæ alias Deo fauente, proferemus. [illegible] nationis & militiæ huius vitæ [illegible] Solum enim [illegible] quamdiu in hoc [illegible] Paulus. Adde his quod [illegible] nisi ad gratias aliquas præuenientes applicatur nobis seu imputatur iustitia Christi ad iu-

stificationem aliter, ac per sacramenta, vel per bona opera nostra. Et alias etiam dormientibus applicaretur, neque vllam haberemus neque conditionalem certitudinem applicationis ipsius, & illimitata esset talis applicatio. Nihil namque esset in nobis, vnde ea limitaretur.

Argum. 1 Cum que nullum habeat hęc imputatio solidum argumentum, neque fundamentum vllum, aut in sacra scriptura, aut in sanctis Doctoribus, sed recens sit & noua, & ante hæc tempora inaudita, vel hoc nomine, merito vt prophanæ vocum nouitates, iuxta consilium Pauli, repellenda est.

CAPVT XV.

Vel inutilem esse, vel periculosam & multorum errorum inductiuam, nouam istam iustitiæ Christi imputationem.

VRGERE item possumus commentum hoc requirentium nouam iustitiæ Christi imputationem, vt iusti adipiscantur beatitudinem: quia ista imputatio iustitiæ Christi, quæ ponitur consequi iustificationem, & antecedere collationem beatitudinis, aut inutilis est nobis, aut certe periculosa est, & inducit in errorem, ne dicam, in errores permultos. Nulla est autem credenda, neque admittenda applicatio iustitiæ Christi, quæ non sit eis vtilissima, quibus applicatur. Et ea si fieret, ab erroribus, periculis, & ægritudinibus spiritalibus liberaret, non in tale aliquid incommodum induceret. Quod autem vel inutilis sit, vel periculosa, probatur. Si enim hæc imputatio vtilis esset, faceret iustos gratiores coram Deo, & aptiores eos redderet ad habendam beatitudinem: aut in causa esset, ne imputarentur eis aliqui defectus, vel peccata saltem in tantam culpam, vel in tantam pœnam, in quantam alioquin deberent imputari, aut denique suppleret defectus iustitiæ eorum. Ad quid enim erit ... vtilis, si non ista omnia, vel saltem aliquod eorum efficiat & præstet? Quodcunque autem horum ab ea fieri dicatur, euitari non poterit lapsus in aliquem errorem.

Sed explicemus ista, & ostendamus singulatim. Si faciat hæc secunda imputatio iustitiæ Christi grauiores apparere iustos in conspectu Dei, aut facit post mortem gratiores esse, quam fuerit in hac vita: aut in hac vita facit esse gratiores, quam alioqui essent per suam gratiam gratum facientem. Si primum, incidimus in duos errores. Alter est de inæqualitate gratiæ præsentis vitæ ad gloriam conferendā nobis post mortem. Alter, de inæqualitate & excessu gloriæ supra merita huius vitæ. Si enim gratiores erunt iusti per hanc imputationem post hanc vitam, quam fuerint in hac vita: habebunt ergo maiorem beatitudinem, quam fuerit eorum gratia & merita in hac vita, & non exæquaretur gratia huius vitæ, gloriæ alterius, contra illud Zachariæ: *Exæquabit gratiam gratia*, neque redderetur beatitudo Zach. 4. iuxta modum & mensuram bonorum operum, quæ quis fecerit in hac vita. Quod est contra illud Pauli, *Omnes nos manifestari* 2. Cor. 5. *oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*. Si vero imputatio ista dicatur facere nos gratiores, non quidem comparando gratiam alterius vitæ, ad gratiam huius vitæ, sed duntaxat comparando acceptationem, quam per illam & per iustitiam nostram habemus, ad acceptationem, quam alias haberemus per solam iustitiam nostrā, incidimus etiam in hoc incommodum. Necesse enim erit dicere, iustos non vniformiter esse acceptos ad gradus suæ beatitudinis, sed ad quosdam per iustitiam inhærentem, ad alios vero per iustitiam imputatam. Quod quidem incōueniens est. Nam cum eiusdem rationis sint omnes gradus beatitudinis, æquum est & verisimilimum, eodem modo nos à Deo ad illos acceptari. Et si ad gradus respondentes iustitiæ inhærenti, acceptamur per aliquid nobis inhærens, cur non etiam similiter acceptabimur ad gradus respondentes iustitiæ imputatæ: Et si ad hos non requiritur gratia inhærens, neque necessaria erit pro alijs, & su-

perfluè poneretur. Deinde cum vtraque istarum acceptationum sit ex applicatione seu imputatione meritorum Christi ad eundem effectum, nempe ad consecutionẽ gloriæ: non videtur cōuenire, vt ponamus tantam diuersitatẽ in ipsis applicationibus vt prius quidẽ applicetur per collationem gratiæ, postea vero sine illa. Esset etiam, si hoc dicatur, iustitia Christi causa formalis aliquorum graduum iustitiæ nostræ, quod supra satis confutauimus. Quod si quispiam dixerit, per hanc secundam imputationem fieri nos gratiores & iustiores per augmentum & perfectionẽ ipsius iustitiæ inhærentis, poterit hoc quoque impugnari:

Impugn. 1. Primo, quia superfluum est, & non necessarium hoc augmentum. Nam minima gratia sufficit ad minimam saltem beatitudinem. Et si hoc augmentum facit ex gratia vt duo, gratiā vt quatuor, gratia igitur vt quatuor, non indigebit hoc augmento, & ita in solis habentibus minimam gratiam, esset necessaria hęc imputatio, vt facili ma calculatione potest demonstrari. Præterea: Hoc

Secunda. augmentum vel deberetur primæ iustificationi, vel gratuito fieret. Si debetur, ergo statim fiet propter primam applicationem iustitiæ, absque alia noua imputatione. Nulli enim statim procrastinat Deus beneficia, quæ ei pollicitus est. Si gratuito fit, sicut ipsa prima iustificatio, vel semper ipsam ex lege consequitur, vel non. si non, aliqui ergo saluabuntur sine illa. Si sequitur ex lege, cur non statim fiat, ac si deberetur, sicut conuertit se Deus conuertentibus se ad eum: licet hoc nulli debeat? Vtcunque igitur quis hoc defendat, apertum est inconueniens, ponere hanc secundam imputationem, vt nos efficiat DEO gratiores.

Noua imputatio nō facit venialia mortalia. Si vero quis dixerit ipsam poni, vt quæ alioqui essent mortalia, fierent venialia, aut incidit in opinionem dicentium venialia non differre natura sua à mortalibus, quam lib. 14. confutauimus: aut certe asseritur inuerti natura peccatorum ob imputationem iustitiæ Christi. Quod si hoc ita defendatur, quasi hæc noua imputatio, illa quæ iam fuerunt apud Deum lethalia, efficiat tandem venialia, in maiora incidetur incommoda. Necesse quippe erit fateri, hac imputatione fieri, vt quis ex inimico Dei transeat in amicum: & habebit illa vicem sacramenti, immo exuperabit virtutem sacramenti. Faciet enim quandoque amicum eum, qui erat inimicus, idque absque aliquo ipsius actu. Et si huiusmodi imputatio fieri credatur post hanc vitam, aliquis decessisset in mortali, & nihilominus saluaretur. Quæ omnia palam sunt absurda & erronea. Si autem asseratur hæc imputatio, vt non imputentur nobis aliqua peccata, aut certe, ne imputentur in tantam pœnam, quantam merentur, adhuc non euitantur magna incommoda. Noua im putatio non [illegible] Si enim per hanc imputationem fieret, vt non imputarentur aliqua peccata, oportebit concedere aliqua peccata nobis gratuito condonari absque vllo sacramento, sacrificio, opere, vel passione nostra, aut aliorum pro nobis. Et cum non sit maior ratio de vno peccato, quam de alio, & passio CHRISTI sufficientissima fuerit ad satisfactionem plenam pro omnibus, nihil esset nobis opus nostris satisfactionibus, & superflueret Purgatorium. Si autem hac imputatione fieret, vt non imputarentur peccata in tantam pœnam, quantam merentur, aliqua pars pœnæ debitæ remitteretur nobis sine nostro opere, & sine sacramento. Item hæc peccata non possunt esse mortalia. Repugnant enim gratiæ mortalia peccata, sicut amicitiæ inimicitia, neque vnquam cum ipsa stant. Nec possunt esse venialia, quia siue imputatio ista fieret in hac vita, siue post hanc vitam sufficeret ad ea omnia exhaurienda, & nulla esset opus satisfactione pro ipsis. Insuper: In proposito agimus de iustis, liberis ab omnibus peccatis & reatibus: nihil ergo istis est necessaria, aut vtilis imputatio.

Quod vero ista imputatio non sit necessaria ad supplendum defectus iustitiæ nostræ, facilime potest ostendi. Si enim defectus isti sunt peccata, nihil est illud supplementum necessarium pro iustis liberis ab omnibus peccatis & reatibus, de quibus

bus nunc tantum agimus. Si vero non sunt peccata, illam hil impediunt à consecutione vitæ æternæ. Ipsa enim beatitudo tollet omnes hos defectus. Et Deus neminem in ptum censet suo consortio, nisi propter peccatum. Itaque vel hæc imputatio nobis est inutilis, vt à principio intulimus: vel si non est nobis inutilis, inducit certe in aliquem, vel aliquos illorum VIII. errorum.

Primus est: Gloria patriæ exuperat gratiam viæ, & maior est, quam meritis nostris & susceptioni sacramentorum debetur. Secundus: Ad aliquos gradus gloriæ summus acceptiabsq; gratia gratum faciente. Tertia: Mortalia non differunt natura sua à venialibus. Quartus: Aliquis ex inimico Dei fit amicus ipsius absq; actu proprio & sacramento, vel certe sine sacramento, & sine actu proprio. quia ad gratiam sufficiat. Quintus: Dimittuntur peccata venialia, aut certe aliqua pars pœnæ debitæ pro peccatis, absq; opere vel satisfactione nostra. Sextus: Non erit, sed superfluet, Purgatorium. Septimus: Omnia opera nostra, peccata essent: vel certe venialia peccata, essent mortalia: & pœna æterna punirentur, si non esset propter hanc imputationem. Octauus: Non sufficit ad beatitudinem iustitia quæ facit nos amicos & filios Dei, quæq; nobis reddit obseruantiam mandatorum, & quidquid pœnarum pro peccatis debetur. Et illos omnes errores, velim, præ oculis haberent, quibus placet ista secunda iustitiæ Christi imputatio, vt eum videren, necesse esse in aliquem eorum incidere, si eam acceptarent, vt vitarent omnes illos, vitarent & illam.

CAPVT XVI.

Ex meritis iustorum, & promissionibus vitæ æternæ ostenditur superfluitas fictitiæ imputationis.

SVNT insuper duo alia capita, ex quibus dilucide potest probari, non esse ad beatitudinis consecutionem, necessarium iustitiam illam, quæ fingitur, iustitiæ Christi imputationem. Nam & beatitudo illis debita est ex quo ad gratiam sunt accepti, & opera illorum bona, meritoria sunt de condigno ipsius beatitudinis. Quanquam autem vtrumque horum dilucide probaui q. 4. & 5. opusc. de iustifi. tamen quia grauius hic Calu. & alij suæ factionis, definitis à S. Syn. reluctantur, adhuc illis aliqua visum est adijcere. Ita fiet, vt & nostra magis confirmemus, & illos vrgentius prematimus, quatenus ad agnitionem veritatis, si quo modo fieri possit, certius trahantur. Negauit quidem Lutherus omne meritum hominum. Et sane consequenter. Sublata enim libertate, quam ipse nobis abrogauit, nulla potest subesse alicui operi ratio meriti. Nam meritum supponit ante omnia libertatem, nec quisquam apud alium meretur, nisi per ea, quæ sponte sua in commodum aut gloriam alterius facit: & si non est dominus eorum, quæ facit, vt illa vel facere queat vel intermittere, neque bene apud alium mereri poterit. Libertas fundamentum meriti.

Et hoc tradunt communiter tam Doctores antiqui, quam Scholastici. Et Bernardus serm. 81. in Cant. scribit: *Ex lib. arb. homo ad promerendum potis.* Et Tertullianus 2. in Marc. ait: *Nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.* Vehementerq; profecto abutuntur vocabulo Meriti, qui meritum fingunt in operibus, quæ nostræ non subsunt potestati. Et Caluinus in hoc sibi non constat. Nam abrogat nobis libertatem ad bonum, & nihilo secius fatetur opera iustorum esse meritoria. Obiich 4. lib. 1. & aut. scholast.

Atq; ideo mirandum non est, si dicat eanonem nonum minime esse canonem ... rerum inter se pugnatium complexionem continere. Non enim intellexit Patres in eo non asseruisse, fide iustificari hominem nullo suæ voluntatis motu: sed contra illum, & alios negantes libertatem, statuisse, sic fide iustificari homines, vt etiam illa libera sit, & proximum voluntatis motum requirat. Sed & illud est, vnde Lutherus omne meritum consequenter nobis abrogare cogebatur. Qui enim omnia opera nostra damnat, & infecta aliqua labe pec- Contradict ... Caluin.

cati

cati asseuerat, dicere non poterat ea esse apud Deum meritoria. Nemo quippe proprie præmium apud alium meretur per illius offensam. Et consequentius ille locutus in istis est, quam Cal. qui in his quæ scripsit contra hoc cap. 16. quod modo confirmamus, hallucinari ait Patres, qui non cognoscunt quidquid à nobis operum prodit, hoc solo nomine Deo acceptum esse, cum paterna indulgentia, quidquid vitiosum est, ignoscitur.

Côtradict. Caluini.

Et illum ei cæcitati subiacere, quam Patribus impingit, vel hoc argumento possumus euincere. Aut enim Deus quod vitiosum est in nostris actibus, ignoscit cum fiunt, aut post. Si cum fiunt, nihil ergo tum vitij in illis est, itaque aliqua opera nostra saltem per indulgentiam paternam non erunt peccata. Si autem postquam sunt facti, ignoscit illis: tunc ergo cum fiebant, non erant meritorij. Quare, cum dici non possint merita esse, quæ non sunt, nullum opus nostrum erit meritorium, si, vt ait, omnia opera nostra, sunt peccata, & aliquid habent fæcis admixtum. Vtcunque tamen de his sit, & ipse Caluinus & omnes Protestantes palam discessêrunt in hoc à doctrina sui magistri. Et quia videbant contra se stare omnes Doctores, & receptius esse apud omnes verbum *Meriti*, quam vt ab eis posset aliqua ratione conuelli, aperte asseruerunt aliqua opera nostra esse meritoria.

Protestantes receperunt merita vitæ æternæ.

Quin, vt liquet ex art. 2. Confess. Augustanæ, manifeste concessere Protestantes, opera bona iustorum mereri gloriam & incrementum gratiæ. Ac Philippus in Apologia illius confess. & in locis com. quamuis sæpe resultare videatur, & negare ea esse meritoria gloriæ, tamen tandem huc profecto alicubi inclinat, vt solum neget ea esse vitæ æternæ meritoria de condigno. Sed Caluinus in hoc illo iniquior, palam dicit, opera bona iustorum mereri aliquam retributionem, & aliqua bona in vita æterna, sed tamen non mereri vitam æternam, nec ipsam esse eorum operum mercedem, Idemque ante illum dixerunt authores didagmatis obtentæ reformationis, & libelli Imperatori oblati in colloquio Ratisponési.

In cap. 16. & can. 32.

Bucerus etiam hoc videlicet cauens, in illa verba Pauli, *Qui reddet vnicuique iuxta opera sua:* admonet, verbum illud, iuxta opera, nullam dicere causam aut meritum nostrorum operum, sed tantū compensationem. Rom. 2.

Sed contra illos omnes sententiam Patrum in hoc cap. & can. 32. quod opera bona iustorum sint & ipsius vitæ æternæ meritoria, his argumentis, præter illa, quæ vbi supra induximus, possumus denuo firmare.

Primo: Vita ipsa æterna vocatur merces operum bonorum. Aliqua ergo præcedūt in iustis merita illius. Nam merces correlatiua est meriti. Verum ipsa proferamus scripturæ testimonia, vt ipsius lumine tenebræ hæreticorum dispereant. Cum illa vnica esset iustorum expectatio, vt descenderet filius Dei, & sua iustitia fores paradisi reseraret, & mercedem acciperent, quam sua fide & pietate promeruerant, in eorum consolationem Deus per Esaiam pronunciat, *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo.* Esaiæ 40. Et vt eundem se esse ostenderet, quem Esaias prædixerat, per Ioannem dicit: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique iuxta opera sua.* Apoc. 22. Eandem hanc præcipue mercedem exspectabāt Patres, vt Deum viderent, & eo fruerentur. Nam cum Dauide iugiter dicebant: *Quid mihi est in cælo, aut a te quid volui super terram?* Psalm. 72. Et aliæ omnes mercedes communes sunt omnibus iustis, & perinde à Patribus veteris testamenti haberi poterant, atq; à nobis. Et vna est beatitudo, in qua discernuntur & rependantur opera iustorum iuxta suum precium & valorem. Siquidē & inde pro certo habemus, non omnes fore æquales in beatitudine, vt lib. 10. ostendimus, quia nec hic sunt omnes æquales in operibus virtutum. Quod si beatitudo non esset merces operum bonorum, nec necessarium esset, vt ille esset in vita æterna beatior, qui hic clarior & illustrior fuisset in operibus virtutum. Omnia etiam alia bona, quæ poterunt fingi præmia esse operum bonorum, sicut sunt aureolæ Martyrum, Virginum & Doctorum, & alia gaudia accidentalia à beatitudine ipsa defluunt. Ac propterea necesse est & eam dicere merce-

mercedem, si alia sunt merces operum bonorum. Nam si merces ipsa non esset, nec mercedis ratio illis conueniret, quæ ex ea, vt quoddam auctarium & corollarium, necessario consequuntur. Cur igitur ista tam clara, & tam aperta testimonia, & multa alia de mercede iustorum, quæ hactenus de vita æterna intellecta sunt à tota Ecclesia, sic perperam Caluine deludis, & ad præmia minora quam sit vita æterna, refers? Non vides vel hac vna ratione optime potuisse Patres amputare vobis, sicut & amputarunt, licentiam interpretandi scripturas contra vnanimem consensum patrum? Ecquis potuisset error conuinci, si non fuisset penes Ecclesiam authoritas iudicandi de vero sensu scripturarũ? Quid tam apertum est, quod & tu & alij hæretici non audeatis inuertere, obumbrare, adulterare, torquere, & contra sensum Ecclesiæ, & Spiritus sancti exponere?

Interpretatio [illegible] abiecta.

Resp. pro lei 4 dea 2

Sed age, cum dicebat Christus Apostolis, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*: quis potest credere, de alia mercede eum locutum: quam de vita æterna? Quam aliam mercedem ipse prædicabat operum bonorum, quam vitam æternam, quam regnum cœlorum, quam coronam gloriæ immarcescibilem? Et nonne vel ipsa antecedentia à tanto te stupore expergefaciunt? An non statim pauperibus Spiritu regnum cœlorum promiserat, & mundis corde visionem Dei? Equidem, cũ dixisset statim, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: non eis contentus, adiecit: *Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis*: vt intelligerent Apostoli, non vtcunque se consecuturos esse regnum cœlorum, sed quod gloriosissimum erat, etiam via meriti. Nam merces respondet merito.

Matth 5.

Ibidem.

Et hac ratione cum explicuisset, per obseruationem mandatorum vitam æternam esse possidendam, roganti Petro, quod igitur præmium illis esset eis, qui & omnia propter ipsum reliquissent: respondit, *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Ac vt sciremus omnes, ita ipsam æternam vitam fore mercedem bonorum, ac alia præmia accidentalia, continuo eodem tenore adiecit: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et hæc est profecto merces, quam prophetæ & Apostoli & Doctores omnes Ecclesiæ, vno ore, quia & vno Spiritu, semper hactenus prædicarunt, cum mercedem docuerunt respondere post hanc vitam operibus bonis: & propterea plena merces non semel dicta est in scripturis, prouidentia videlicet Spiritus sancti.

Matth 19.

Possumus item hoc idem euincere ex locis, quibus passim in scripturis vita æterna dicitur retributio. Hac enim de causa verbo donandi aut imputandi vsa videtur scriptura in iustificatione & collatione gratiæ: verbo autem reddendi aut retribuendi, in collatione gloriæ: vt intelligeremus esse proprie merita respectu gloriæ, quæ non essent respectu gratiæ. Quid aliud est dicere, Reddet vnicuique secundum opera sua: quam, Reddet iuxta meritum operum suorum? Secutus quidem communem translationem, & opinionem scholasticorum, credidi q. 4. de iustificat. maxime posse probari vsum verbi, meriti, ex Ecclesiastico, dicente, *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum*: & ex Paulo qui ait, *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur Deus.*

Argum. 2.

Vita æterna redditur, gratia donatur.

Eccli. 16.

Hebr. 13.

Et quamuis Græce non habeatur in Ecclesiastic. nisi κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, hoc est, iuxta opera sua: & verbum, εὐαρεστεῖται, quo vsus est Paulus, Placatur, siue Conciliatur, aut Demeretur, possit verti: ac proinde non satis ex his locis, si vim solam verborum spectemus, euincere possimus, quod volumus: tamen quod attinet ad sensum, nonne videris idem esse, *Secundum opera*, & *Secundum meritum operum*: atque ideo & interpretem vsum esse verbo *Meriti*, quia & vsitatius erat, & sensum Spiritus sancti magis exprimebat?

Nec elabi potes, Caluine, diuerticulo illo, quod tuis tibi erroribus aperuisti, dum

Respõ. pro approbatis lib. scripturæ, lect. 4.

Eeeee con-

contemnis approbationem Ecclesiastici & aliorum librorum, qui non recipiuntur ab Hebræis in canone. Nam vt obiter hoc tibi dicam, & à Concilio Florentino. & à Concilio tertio Carthaginensi, approbato in sexta Synodo generali, & ab Innocentio primo in epistola ad Exuperium Tolosanum episcopum, & à Gelasio cum Concilio 70. episcopor. ea approbatio iam olim facta fuerat. Et Egesippus & Irenæus vicini Apostolicorum temporum, hunc librum Ecclesiastici, vt propheticum citant, testantibus hoc Eusebio lib. 4. & Augustino, 17. de ciuit. Dei cap. 2. qui & in 2 de doctrina Christiana, capite 8 eundem catalogum librorum sacrorum numerat, ac Damasc. lib. 4. cap. 18. propheticis illum adtexit. Sed de his exactius Luthero responderunt doctissimi illi ipsius Antagonistæ, Driedonis, Clichtoueus, Alphonsus.

Respo. pro lib. Mach. Nec mirari debes, si vt author quidam humanus, loquatur alicubi author historiæ Machabæorum. Alius est stylus propheticus, & alius stylus historiæ. Atque ideo more hominum, & alij prophetici scriptores permulta scripserunt in his quæ ad historias spectabant. Quamuis enim Spiritus sancti illustratione adiuuarentur, necubi falsa dicerent, & hoc eis ignotum non esset, tamen in cæteris more hominum sinebat eos Spiritus sanctus loqui. Et quia conscius sibi non erat ille scriptor, quisquis fuerit, tanto se fungi munere aut dono linguarũ, vt eleganter & ornatè cuncta scriberet, potuit optare, vt bene & congruenter scripserit, & sicubi ea in parte, quæ sua erat, defecisset, veniam humiliter, vt facit, precari. Siquidem & Paulus se fatetur imperitum sermone fuisse. Reuertamur tamen, vnde huc digressi sumus. Enimuero vel eo cogi debuistis, vt bona opera non dubitaretis meritoria esse beatitudinis, quia reddi & retribui dicitur secundum opera & labores nostros.

Argum. 3. Quod si compensationem admittis esse, vt Philippus & Buc. palam dicunt, hoc fatemini merita ipsius. Nam compensatio vsique meriti est. Ac nisi redderetur meritis, cum dixit Christus mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dandam misericordibus, non dixisset de illa: *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* Et quid aliud nobis explicuit Paulus, cum vitam æternam non tantum fidei, sed & operum bonorum asseruit esse coronam iustitiæ, & brauium seu palmam bene operantibus repositam? Si non sunt opera, vitæ æternæ meritoria, corona erit illa tantum gratiæ, non iustitiæ. Nam si iustitiæ rationem in datis ponis, ponis & meritum. Luca 6

Argum 4. Ad hæc: Christus in sententia ferenda in die iudicij, explicuit opera bona se allegaturum pro causa remunerationis bonorum. Sunt igitur illa, causa & meritoria ipsius. Tunc, ait, dicet rex his qui à dextris eius erunt: *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui &c.* Et hoc idem explicant illa verba, quæ ad seruos, in talentis ipsis creditis fideles, se dicturum pronunciauit: *Euge serue bone & fidelis. quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Ac nisi iusti & sibi & alijs possent promereri beatitudinem, nunquam dixisset: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et tribulationes patienter toleratas causam esse consequendæ vitæ æternæ, dilucidum fecit Paulus, cum dicit eas operari nobis insigniter & supra modum æternum gloriæ pondus. Et alias aperte dicit: *Qui seminat in Spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Et perinde ibi & sæpe alias & ipse, & tota sacra scriptura de operibus bonis respectu vitæ æternæ loquitur, ac de malis respectu damnationis æternæ. Quare si de malis non dubitatur, quin sint causa damnationis: nec de bonis ambigi debet, quin sint aliqua causa beatitudinis. Et si causæ sunt ipsius, erunt & meritoria: quippe nec fingi potest hic aliqua ratio causæ, quam meritoria. Marc. 25 · Ibidem · Luca 17 · Gal. 6

Argum. 5. Deinde: Deus promisit iustis beatitudinem propter bona opera, & illi sunt digni tanto præmio. Nihil igitur illis operibus deest, quò minus cẽseatur illius meritoria. Aut enim nullum potest esse opus, quod meritorium sit alicuius præmij, aut certe ad

id

id satis est, illud præmium promissum esse ei operi: & facientem ea, remuneratione esse dignum. Et quidem de vtroque luculenta habemus scripturæ testimonia. Paulus quippe dicit:

1. Tim. 4

Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Et rursus:

2. Tim. 2

Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Et cum explicuisset, spem æternam promissioni & iuramento diuino inniti, exhortatus ad constanter & firmiter sperandũ paradisum nobis reseratum per Christum: *Fidelis, inquit, est qui repromisit.*

Vnde & Bernardus serm. 69. in Cant. ex illis verbis, *Negare seipsum non potest, securitatem & gloriam Ecclesiæ colligit de promissa beatitudine.* Et huius magnificentissimi præmij expectatione exhortatur Petrus Pastores Ecclesiæ ad pascendum legitime gregem Domini.

1. Pet. 5

Cum apparuerit, inquit, princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Et mox omnibus ita loquitur: Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Et hoc est quod Christus fidei & operibus aperte pollicetur, dicens:

Ioan 3. & 5

Qui credit in filium, habet vitam æternam. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.

Matth. 19
Ioan. 14

Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Qui diligit me, diligetur a patre meo: & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum. Audi hæc, Caluine, ne dubites dilectionem Christi meritoriam esse visionis Dei. Nam hanc promittit diligentibus se Christus, non quæ vos somniatis aut comminiscimini leuiora præmia. Et in beatitudinib. descriptis in ser. in monte, has promissiones confirmauit. Et ideo ad Apostolos suos in cęna dixit:

Luca 22

Vos estis, qui permansistis mecum &c. Atque istam tam magnificam promissionem Dauid iam olim explicuit, cum expressit, quis habitaturus esset in tabernaculo Domini: nec enim probare possum, quod quidam aiunt in veteri testamento non fuisse regnũ cœlorum promissum. Et ex his patet, merito Patres dixisse in hoc cap. promissam esse bonis operibus vitam æternam. Nec de dignitate iustorum respectu tãti præmij, subticuit scriptura: *Tentauit enim* inquit, *& inuenit eos dignos se.*

Sap. 3
Coloss. 1

Et Paulus ait: *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Et Thessalonicenses testatur pati tribulationes, vt digni habeãtur regno Dei. Profer igitur Caluine, quid deest operibus iustorum, quo minus meritoria censeantur beatitudinis, aut desine nobis calumniari, quod cœlum promercale exponamus. Deus enim ipse fecit promercale, & sicut Augustinus alicubi dicit, tanti venditur, quanti illud volueris emere.

Quod si legisses Origenem, Hieron. August. Chrys. Gregor. in parabolam illam de conuentione cum mercenarijs ex denario diurno, non putares, hanc doctrinam tam certam, & a cunctis antiquis receptam, figmentum esse monachorum, qui nullum certamen conscientiæ experti, de legis perfectione garriunt. Omnes illi te docerent, beatitudinem esse denarium diurnum, ex cuius promissione & conuentione Dominus vult pro sua quenque virili in hac vita laborare. Et ex his colligere possumus, non immerito communiter Doctores Scholasticos posuisse meritum de condigno, etiam respectu beatitudinis. Saltem enim per hanc promissionem, æqualitatem aliquam habent opera bona iustorum ad præmium vitæ æternæ, nec opus eis esse aliquo nouo valore, vt acceptentur & habeantur digna tanta remuneratione.

Atque hinc moti sunt Sanctus Bonauentura, Scotus, Richardus, & alij, vt intrepide assererent deberi iustis beatitudinem. Beatitudo debetur bonis operib.

Debetur enim, quod promissum est. Et vt de promissione facta operibus iustorum, ex citatis testimonijs satis constat, ita de gloria respondenti gratiæ baptismi, & susceptionis Eucharistiæ, liquere potest ex illis Marci decimosexto cap. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* Et ex illis Ioan 6. cap. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et par est ratio de alijs sacramentis. Sunt enim signa veracia, & ad hoc à Deo nobis data & instituta, vt per piam & deuotam eorum susceptionem perueniamus ad beatitudinem. Cumque Christus dicebat,

Matth. 4

Pœnitentiam agite, Appropinquauit enim regnũ cælorum,

suis aperte promittebat pœnitentibus non tantum remissionem peccatorum, sed & regnum etiam cœlorum. Et præter testimonia clarissima citata vbi supra ex Augustino, ser. 16 de verb. do. & 105. de tempore. habemus definitionem expressam pro his in Concil. 2. Arausic. can. 18. vbi ita legimus Debetur merces bonis operibus, si fiant.

Consensus Ecclesiæ de meritis.

Et ne dubites Caluine semper ecclesiam tenuisse, opera iustorum esse vitæ æternæ meritoria, accipe hæc pauca. Cœlestinus 1. can 12. epist. 1. ita definiuit: *Tanta erga homines est bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* In Concil. Lateran. sub Inno. 3. Firmiter de sum. trin. & fi. ca. ita legimus: *Non solum autem virgines & continentes, verumetiam coniugati per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.* Augustinus in epi. 105. ad Sixtum quærit: *Nullane igitur sunt merita iustorum?* Et ipse sibi hunc in modum respondet: *Sunt plane. quia iusti sunt. Sed vt iusti fierent, merita non fuerunt.* Vides vt negat merita ante iustitiam, & ea post ipsam adeptam concedit? Et 1. retract. 13. Fide retinebam, non solum conuersos ad Deum, gratia eius adiuuari, vt proficiant ac perficiantur, vbi adhuc dici potest pro merito conuersionis eorum istam dari gratiam, verumetiam vt conuertantur ad Deum, ad ipsam Dei gratiam pertinere. Hîc quidem meritum profectus & perfectionis iustitiæ affirmat. Et alias pro bonis meritis in resurrectione nouissima dicit recipienda esse præmia, & pro malis horrenda supplicia.

De prædestin. sanct. ca. 11.

Sed quia vitæ æternæ merita requiris, animaduerte in citata epistol. 14. de trinit. cap. 15. expresse Augustinum dicere, vitam ipsam æternam meritis præcedentibus reddi, & merito iustitiæ tanquam stipendium reddi, sicut mortem merito peccati: sed ideo appellatam esse gratiam à Paulo, quia gratis datur, & quia data sunt ipsa merita. *Gratia, inquit, nuncupatur, non quia non meritis datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Et alio in loco: *Quid animam faciet beatam, nisi meritum suum, & præmium Domini sui? Sed & meritum eius gratia est illius, cuius præmium erit beatitudo eius.* Et statim subnectit: *Homo cum conderetur, accepit iustitiam, propter quam beatitudinem accipere mereretur.*

Isidorus: 2. de sum. bon. c. 5. *Hominis meritum superna gratia, non vt veniat, inuenit, sed postquam venerit, facit: atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum, quod remuneret, quæ solum inuenerat quod puniret.* Sed intermittam testimonia aliorum sanctorum, quæ passim occurrunt.

Ex vno Bernardo, quia maxime à quibusdam de sententia eius ambigebatur, & illum omnia merita negasse colligebant ex quodam serm. de Annunciatione, perperam intellecto, adiungam his quoddam manifestum testimonium. In serm. 69. in Cant. ita scribit: *Sufficit ad meritum, scire quod non sufficiant merita. Sed vt ad meritum satis est, de meritis non præsumere: sic carere meritis, satis ad iudicium est: Porro infantium renatorum neminem carere meritis sed Christi habere merita. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua iungere quiuerunt, sed neglexerunt: Quod quidem periculum iam adultæ ætatis est. Merita proinde habere cures. Habita, data noueris: fructum speraueris Dei misericordiam, & omne periculum euasisti, paupertatis, ingratitudinis, præsumptionis. Perniciosa paupertas penuria meritorum: Præsumptio autem spiritus fallaces diuitiæ. Et ideo diuitias & paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Felix Ecclesia, cui neque merita sine præsumptione, neque præsumptio absque meritis deest. Habet vnde præsumat, sed non merita. Habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum non præsumere, nonne promereri est?* In serm. item 81. in eadem Cant. & in illum versum Psalm 90. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum,* & in sermo. 1. dedic. Ecclesiæ agnoscit merita. Et sicubi aliquis sanctorum ea negasse videatur respectu beatitudinis, sicut videtur quidem Basil. hom. 28. in Psalm. aduertat pius lector non negare illos meritum, aut debitum ex gratia & promissione diuina, sed merita ex libertate & viribus nostris. Loquuntur quippe, vt Paulus, qui verissime dicit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Et hæc sunt merita, q̃ nos obliuisci vult Au. vt dona Christi toto pectore amplectamur.

Expositio. Sanctorum negantium in speciem merita beatitudinis.

Rom. 8

Sed

Obiectio Caluini.

Sed objicit nobis Caluinus, scripturam vbique clamare, vitam æternam esse hæreditatem, quæ non alio, quam gratuitæ adoptionis iure nobis obuenit. Et hoc argumento vtitur etiam Philip. in apologia cōfess. Augustanæ, vt dicat non deberi propter opera beatitudinem, licet sit compensatio laborum & afflictionum huius vitæ. Et quoniam alia argumēta, quæ contra nos sunt, in q. citatis explicatè dissolui, huic vni nunc breuiter respondeo: Quod scriptura hæreditatem appellet vitam æternam, perspicuū est: sed quod nullo alio, quam gratuitæ adoptionis iure, nobis eam obuenire vbique clamitet, liquet ex iam dictis eam esse falsum, quam quod falsissimum. Nec incōuenit, quod iure hæreditario debetur, fieri etiam bonis operibus debitum. Nam & in humanis obsequētes filij possunt sua pietate & obsequiis in patrem, promereri hæreditatem iure filiationis sibi debitam.

Vita æterna retributio hæreditatis

Et Christus dotes corporis & exaltationem sui nominis, & iudiciariam potestatem ac dominium orbis, suis præcellentibus operibus meruit, etiamsi gloria saltem corporis debita esset sibi iure primogenituræ. Atque vt videas, & adores Caluine prouidentiam spiritus sancti, ne locus esset huic vestro cauillo, hęreditati cōiunxit scriptura retributionē. & econuerso. Paulus seruis ait: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Vides hæreditatem retribui iure bonæ & fidelis seruitutis hominib. exhibitæ. Et alibi idem Paulus, *Non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabant promissiones.* Audis Caluine, etiam iure fidei & patiētiæ obuenturam iustis promissam hæreditatem? Atq; vt intelligeremus regnum cœlorum esse hæreditatem eiusmodi, vt bonis operibus promerenda exposita sit, vbi dixit Paulus: *Si filij, ergo hæredes:* mox subiunxit, *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et vbi Christus ad possessionem præmii bonorum operum iustos inuitat illis verbis *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum:* pro verbo, *Possidete*, habetur Græcè κληρονομήσατε, hoc est, *Hæreditate possidete.*

Coloss. 3

Hebr. 6

Galat. 4. Rom. 8

Matth. 25.

Quibus verbis constare nobis voluit, beatitudinem donari iustis, & vt præmium suorum laborum, & vt hæreditatem perpetuam, filiis gratissimis donatam. Et hinc ecclesia videtur didicisse, quod de martyribus canit: *Tradiderunt corpora sua propter Deū ad supplicia, vt hæredes fierent in domo Domini.* Ac vel vnum martyrum exemplum, confirmare potest & velut obsignare omnia ista. Quis enim dubitet, admirabilem eorum virtutem & patientiam cœleri apud Deum, certaminum suorum agonothetam æquissimum, meritum beatitudinis, pro qua illi tanta & tam horrenda tormenta æquanimiter, alacriter, & lætanter tolerarunt? Equidem & nihil illis deesse ad ipsam consequendam, satis declarauit Ecclesia, cum definiuit iniuriam facere martyri, qui orat pro martyre. Et hoc idem particulatim vt certum affirmat Richard. de S Vict. cap. 10. de potestate ligan. & soluend. de illis, qui vel nihil commiserunt, vel nihil habent expiandum.

Cum Marth. de cele. miss.

CAPVT XVII.

Definitio Ecclesiæ contra impugnatam fictam iustitiæ Christi imputationem.

SED tandem, vt finem istis imponamus, litem istam de necessitate nouæ imputationis iustitiæ Christi ad consecutionem beatitudinis, Concil. Flor. resoluisse videtur in hæc verba: Illorum animas diffinimus, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem, exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox suscipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Et in instructione Armenis data ab Eugenio quarto, eodem approbante Concil. similiter diffinitur, morientes post susceptum baptismum, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem peruenire. Si autem opus esset aliqua noua im-

putatione iustitiæ Christi, aut aliquo nouo recursu ad eam, vel imploratione ipsius, non pollicitum esset Concil. beatitudinem huiusmodi iustis ita im reddendam, taciris in totum omnibus, quę ad eam nouam imputationem spectant.

Obiectiõis tacitæ exclusio, seu præuentio. Et ne aliquis diceret, istam imputationem fieri statim post mortem, etiam sine vlla inuocatione ipsius, & hoc suppositum fuisse Concilio, vt nullus euadendi aut tergiuersandi locus esset, placuit sanctæ Synodo in capite quod modo exponimus, omnem ambiguitatem dirimere illis verbis, quæ ca. 1. in hoc propositum notauimus Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est. Idemque ipsum fecerunt in canon. penult. vbi solum requisierunt, vt huiusmodi iusti cōsequerentur beatitudinem, recessum ex hac vita in gratia. Et hanc fuisse Synodi mētem, nominus certo omnes, qui ei interfuimus: Et omnia testimonia quibus sancti Doctores, vt pauloante citauimus, asseuerūt, & martyres, & iustos a'ios decedentes ex hac vita, post plenam satisfactionem suorum peccatorum, statim videre Deum, aperte militāt pro hac veritate. Nemo quippe eorum meminit huius fictæ imputationis, neque docuit aliquid aliud esse huiusmodi iustis necessarium. Nec alias ita constanter tradidissent, statim post hanc vitam ipsos videre Deum. Vnde enim scire potuissent, continuo apponi illam nouam meritorum Christi imputationem, quę quidem illis deesset ad consecutionem beatitudinis, si vera esset opposita sententia?

Atque hoc videtur esse, quod Paulus Corinthiis gratulatur, cum gratias se agere Deo pro illis affirmat, qu ad ita diuites in Christo facti erant, vt nihil illis deesset in vlla gratia expectantibus reuelationē Domini nostri Iesu Christi. Adeo vero certa & aperta videntur argumenta iam facta, vt etiam seclusa Ecclesiæ definitione, crediderim, nullum Catholicorum posse asserere talibus iustis necessariam esse nouam iustam iustitiæ Christi imputationem, neque mihi hactenus persuadere potui de his iustis locutos fuisse, qui ex Catholicis crediti sunt eam asseruisse. Verum tamen ista se habeant, commodum erit diluere argumenta, quæ aduersus hanc partem definitionem possunt obiici.

CAPVT XVIII.

De fiducia in solo Deo & iustitia Christi.

PORRO necessariam esse iustis nouam iustitiæ Christi imputationem, vt consequantur beatitudinem, inde primo potest quis suadere, quia solum diuinæ misericordiæ & iustitiæ Christi est innitendum & confidendum, vt consequamur beatitudinem. Et periculosum ac præsumptuosum videtur, quantamcunque obtinuerimus iustitiam, nostræ iustitiæ inniti ad tantum & tam eximium beneficium. *Non sunt enim condignæ*, teste Paulo, *passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Et cum fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicere nos habemus iuxta mandatum Saluatoris, seruos inutiles, hoc est, neque idoneos, neque sufficiētes nisi ipse nobis cōiuncto, & indignos prorsus aliquo, nedum tanto & tam præcellenti, præmio. Et spem in vno Deo collocandam, & non in nobis, quantumcunque iusti simus, satis docuit Hiere. illis verbis: *Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Obiect. 1. Rom. 8. Ierem. 17.

Vnde & Hilar. in Psalm. 61. in illa verba, *Effundite coram illo corda vestra*, ita scribit: *Effundendus coram Deo omnis affectus est, vt nihil de nobis met ipsis fiducia sit, sed vt per eum, ante quem nos tanquam pro peccato effundimus, adiuuemur.* Et Augu. dicit vnam spem nobis reliquam esse, quandiu sub carnis infirmitate gemimus, quod mediatorem habemus Christū, per quem Deo reconciliamur. Atque huius communis fidei non obscurum testimonium videtur, quod omnes vere pii in articulo mortis constituti, propriæ iustitiæ diffisi, ad vnam Christi iustitiam recurrunt, eamque patri cælesti pro se præsentant, eique vni innituntur. Neque peccatores soli vt redeant in gratiam cum Deo, ipsius fauorem & misericordiam per iustitiā Christi implorant: sed & iusti, vt consequantur beatitudinem, merita Christi patri cælesti

præ-

præſentant, & iuxta morem receptum in tota Eccleſia, nunc per ipſius Chriſti paſſionem, nunc per ieiunium, nunc per reſurrectionem, & alia ſuæ ipſius vitæ myſteria ipſum obſecrant, & interpellant. Itaque ſi, vt veriſſime dicit Cœleſt. epiſt. 1. c. non. 11. legem credendi ſtatuit lex ſupplicandi, vel ex iſtis ſupplicationibus poteſt colligi, etiam iuſtos indigere noua imputatione iuſtitiæ Chriſti.

Reſponſio. Atque hinc moti videntur multi huius temporis Doctores, & præſertim authores libelli oblati cap. 5. à Cæſare Ratiſponæ ad componendum religionem, vt aperte docerent, animam fidelem non debere iuſtitiæ ſibi inhærenti fidere, ſed ſoli iuſtitiæ Chriſti. Et Caluinus in canone 26. fortaſſis propter hæc dicit non eſſe expectandam pro bonis operibus vitam æternam, ſed duntaxat ex gratia Dei. Verum hæc omnia quæ obiecta ſunt, duntaxat probant, non eſſe in nobis fidendum, quatenus nudi & in ſolis viribus noſtris conſideramur, nec in operibus, quæ à nobis vt ſic procedunt: nec Patres in can. 26 voluerunt pro talibus operibus nos expectare vitam æternam, ſed vt diſerte explicuerunt, pro operibus in Deo factis, hoc eſt, auxilio ipſius & per merita Chriſti factis, & à Deo miſericorditer propter Chriſtum ad beatitudinem acceptatis.

Et in hoc contingit hic decipi, quia putatur fiducia in huiuſmodi operibus, eſſe fiducia in nobis, & non in Deo, nec in Chriſti iuſtitia, cum tamen veriſſime in illis ſit. Quia licet opera noſtra, & miſericordia DEI, & merita Chriſti, neceſſaria ſint ad beatitudinem, ſicut lumen & viſus ad viſionem: potiorem tamen partem & principaliorem tenent merita Chriſti, à quibus pendent noſtra merita, & valorem ſuum mendicant. Deinde: Neque ſi ſoli iuſtitiæ Chriſti eſſet innitendum, ideo conſequens eſt, vt neceſſaria ſit nobis ad conſequẽdam beatitudinem noua ipſius imputatio. Innitendum enim eſt iuſtitiæ Chriſti iam nobis applicatæ, cum recte confidimus. Neque quiſpiam debet inniti applicationi faciendæ, ſed ſpectare illam dũtaxat, ſi quidem bonis operib. vel orationib. eã promereatur.

Et ideo in Eccleſia communiter docemur, recurrere, præſertim in articulo mortis, ad merita Chriſti, & eorum applicationem poſtulare, eaque præcipue Deo tunc offerre, quoniam iſto recurſu & poſtulatione, & oblatione paſſionis Chriſti, cauemus inanem gloriam, profitemurque, eum eſſe præcipuum authorem & conſummatorem noſtræ iuſtitiæ, & denuo promeremur, ipſi⁹ merita nobis applicari ad vincendas tentationes, quæ tum occurrunt, & perſeuerandum in iuſtitia, & proficiendum in ea, & ad conſequendum aliquam remiſſionem pœnæ, virtute & merito ipſius orationis. Et ad hoc vl imum præſentamus paſſionem Chriſti pro exiſtentibus in Purgatorio. Si enim plurimum poſſunt valere martyrum merita & opera iuſtorum, cum ante tribunal Chriſti populus eius adſtiterit, vt aperte teſtatur Cyprianus, ſer. 5. de lapſis, quanto magis poterunt eo in tempore iuuare nos merita Saluatoris noſtri? Recurrendum ad iuſtitiã Chriſti in articulo mortis.

Vnde & Diuus Auguſtinus, cum pro bonis matris ſuæ operibus gratias agit Deo, ꝑ peccatis, Chriſti iuſtitiam implorat his verbis: *Ego itaque laus mea, & vita mea Deus cordis mei ſepoſitis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago: nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam, interpellat pro nobis.* Hæc ille.

Ac tibi quidem Caluine, ne improbares canonem Patrum, ſufficere debuerunt verba Pauli, qui vtique palam oſtendit, ſe pro laboribus ſuis expectaſſe vitam æternam, cum dixit: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Nec Deo diſplicuit Ezechias, ſed placuit potius, cum nonnihil oſtendit ſe confiſum fuiſſe in bonis ſuis operibus, vt inueniret apud Deum miſericordiam. *Memento,* inquit *quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto.* 2. Tim. 4. 4. Reg. 20.

Et cum Doctores ſancti citati, & Eccleſia non ſemel in officiis Eccleſiaſticis, vt q. 4. de iuſtificat. allegaui, diffidere noſtris meritis docent, ſatis indicant ex cohærentibus, de meritis loqui ſeiunctis à gratia Dei. Expoſit Sy... docentes diffidere noſtris meritis.

Dei, & duntaxat secundum id, quod à nobis habent. Et de veris meritis, hoc est, de operibus nostris, vt à gratia Dei & meritis Christi pendent, & ab eis participant suum precium, eadem tradere potuerunt, quia illa communiter nobis non satis constant, & salubrius est & tutius, ad vitandum omne superbiæ periculum, & Dei misericordiam certius ac plenius promerendam, ad illius semper benignitatem & iustitiã Christi confugere. Tametsi enim in probabiliter creditis veris meritis, liceat modo iam expresso confidere, & fiducia sancta sit & laudabilis: tamen sanctius est & perfectius, ad imitationem Pauli, posteriora obliuisci & ad ea quæ sunt priora, extendere nosipsos.

CAPVT XIX.

De Timore iustorum in morte.

Obiectio. SECVNDO alij obijcere possunt nobis timorem, quo sæpe concutiuntur iusti, cogitantes districtum rigorem, quo Deus iudicaturus est orbem terrarum. Virtutes enim cœlorum tum commouebuntur. Et iustus vix saluabitur. Et sanctissimus Iob verebatur omnia opera sua. Et columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. Cum enim accepeit tempus, ipse iustitias iudicabit. Responsio. Atqui iusti habent quidẽ in hac vita, & habebunt etiam in beatitudine timorem filialem, quo maiestatis diuinę celsitudinem admirati, sicut decet filios, eam perpetuo supra omnia reuerebuntur. Hic est enim timor Domini vere sanctus, qui permanet etiam in columnis cœli in seculum seculi.

Sed quicquid quidam suspicati fuerint, propter quædam sanctorum testimonia perperam intellecta, certum ex fide est, nõ habituros iustos timorem vllum anxietatis aut hæsitationis de sua salute, cum stabunt ante tribunal Christi, siue in iudicio vniuersali, siue in iudicio particulari, quo omnes & singuli iudicantur, dum exeunt de terreni corporis statione. De iudicio enim vniuersali scriptum est, *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt.* Et dies iudicij, secundum Paulum dies erit reuelationis iusti iudicij Dei, & in eo illuminanda sunt abscondita tenebrarum, & manifestanda consilia cordium. Itaque sicut damnati certi erunt de sua perpetua damnatione, ita & tunc iusti certissimi erunt de sua perpetua salute.

In iudicio non hæsitabunt iusti de sua salute.

Sapient. 5

Pulchre Hieronymus in sententiæ finalis iudicij expositione: *Prudens lector attende, quod & supplicia æterna sint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.* Ex quibus, cum illis, quæ de Gehenna libr. 14. cap. 4. allegauimus, excusari possent aliqua difficilia, quibus alibi vitam tandem polliceri videtur peccatoribus, si cum fide hinc migrauerint. In iudicio etiã particulari, quod fiet in morte vniuscuiusque, omnes animæ iustorum certæ erunt & securæ de sua salute, neque vel minimum habebunt de ea timorem aut hæsitationem. Nã mox vt hinc decesserint iusti, erunt vel in Purgatorio, vel in beatitudine: quia non est locus aliquis medius, vbi audiant sententiam iudicis, priusquam in hunc vel in illum locum recipiantur. Animæ autem Purgatorij, certæ sunt de sua salute, vt meritò diffinitum est à Leone X. contra Lutherum. Si enim hîc per fidem sciebant, ex illis qui erunt in Purgatorio, neminem periturum, & in hac tantum vita locum esse merito vel demerito, vt Hieron. in cõm. Ecclesiastæ 9. & ad Galat. 6. & August. in Enchir. cap. 110. & in lib. de cura pro mortuis agenda. & Origen. in Psalmum 36. & Chrysost. hom. 55. in Ioan. aperte docent, multo magis & ipsæ de seipsis hanc certitudinem ibi habebunt.

In Matt. 25.

Animæ purgatorii certæ sunt de sua salute.

Et de animabus beatis hoc idem lucidissimum est, quia beatitudo habet summam pacem, & repugnat timori, & beatis certum erit, teste Augustino 9. de ciui cap. 27. sic in æternũ ipsos fore, nec posset quis esse beatus sine certitudine de perpetuitate suæ beatitudinis. Et quæ timendi causa potest iustis esse post mortem, cum carnis dissoluto vinculo, aperta luce, mox intelligent se in gratia Dei absoluisse suæ vitæ circulum? *Quis tunc accusabit aduersus electos Dei? Deus qui ipsos iustificauit?* Quis est, qui condemnet? Christus Iesus, qui pro ipsis mortuus est, & resur-

Rom. 8

resurrexit? Equidem ipsos tunc ille, comitantibus angelis, ad se deducet, ac vt carissimos fratres recipiet & exosculabitur, & si quidem liberi ab omni reatu decesserint, vt præclaros & strenuos milites, corona immortalitatis continuo præmiabit. Si timēt igitur iusti, vt vere timent, districtum rigorem iudicij diuini, timent quidem dumtaxat in hac vita, idque solum propter caussas iam supra satis expressas: non autem quia necessarium sibi putent fore aliquam nouā iustitiæ Christi imputationem, si hinc liberi ab omni reatu decesserint. Nam etsi esset necessaria, certo sciunt nemini decedenti in gratia, aliquid defuturum, quod opus sit ad consecutionem beatitudinis.

CAPVT XX.

De imperfectione iustitiæ nostræ.

Obiect. 1. VERVM illo argumento vrgere magis quidam videbantur, necessariam esse quibuscunque iustis iustitiæ Christi imputationem: quia iustitia nostra quantacunq; sit, valde imperfecta est, vt ad perpetuam familiaritatem cum Deo admittatur. Scriptum est enim: *Quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Et alibi: *Non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens.* Et rursus: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Atque his moti videntur quidam docti & pij viri, & nominatim in quadam controuersia doctissimus ille Albert. Pigius Camp. vt assererent omnes etiam iustos, maledicto & iræ diuinæ, cui subiecti sunt legis transgressores, obnoxios futuros fuisse, nisi nobis misericordissime Deus succurreret in suo Filio, & nostra iustitia vacuos, illius inuolueret iustitia. Actum, ait, esset de nobis, nisi diuina misericordia nobis succurreret, ignoscens quod ex parte nostra minus est, & quod exorbitat & subsultat à diuinæ iustitiæ regula. Quia nemo est, addit, quem si ad regulam diuinæ iustitiæ exigas, etiā imperfectiorem, & nostræ fragilitati attemperatam, ad quam exigimur modò, qui nō iure iniquus & iniustus comprobetur.

Esaiæ 64.
Psalm. 142.
& 129.

Quam sententiam videntur & illi secuti, quos citauimus dixisse, ad consequendam beatitudinem necesse esse, vt nostræ iustitiæ defectus, suppleatur per iustitiam Christi, si secundum iudicium Dei rigidum iudicari deberet. Et videtur huic sententiæ fauisse Aug. in testimonio quod nobis sæpe ex illo obijcit Caluin. Ait enim. 19. de ciui. cap. 27. *Ipsa quoque nostra iustitia quamuis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum. Quare cum omnis remissio peccatorum fiat per Christum, semper noua ipsius imputatione erit iusti opus.* Idē etiam postulare videntur verba illa eiusdem: 9. Conf. c. 13. *Væ hominum vitæ quantumcunque laudabili, si remota misericordia discutias eam.* Nec minus illa Bernardi: ser. 1 de fest. omnium Sanct. *Quid potest esse omnis iustitia nostra coram Deo? Nonne iuxta prophetam, velut pānus menstruatæ reputabitur? Et si districte iudicetur, iniusta inuenietur omnis nostra iustitia, & minus habens. Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere iustitia? Propterea obnixe cum Propheta clamantes: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras.* Psalm. 142.

Sed enim licet iustitia nostra, quæcunque & quantacunque sit, ad iustitiam diuinam collata, & ad iustitiam humanitatis Christi, & ad iustitiam alterius patriæ & similiter collata ad legem, quam tenemur sub veniali vel mortali seruare, tamen perfecta est in ordine ad legem quam obligati sumus sub mortali complere. Nam quamuis admittat aliquas culpas veniales, tamen perfecta est in genere suo, & pro modulo huius vitæ, & perfecta vocatur à Ioanne, & qui illam habent, perfecti à Christo dicuntur. Perfectum enim est vnumquodque, cum habet perfectionem conuenientem suo statui, etiamsi careat perfectione alterius status. Et Deus ad consecutionem beatitudinis à nullo exigit quicquam impossibile, vt supra abunde probauimus. Quod si pro venialibus aliqua adhuc requiratur noua imputatio iustitiæ Christi, nihil id nobis aduersatur, qui nunc de solis decedentibus absque vllo reatu, Responsio.

 dispu-

disputamus. Ac propterea illa duntaxat, videntur Augustinus & Bernardus illa quæ obijciuntur, dixisse.

Et Augustinum in loco, cui maxime innititur Caluinus, perspicuum est propter venialia dixisse, nostram iustitiam, etiamsi vera sit, maxime constare remissione peccatorum. Mox enim in huius probatione inducit, quod tota Ecclesia dum hic peregrinatur, orat semper, *Dimitte nobis peccata nostra*. (Matth. 6) Eamque orationem dicit non esse efficacem pro eis, quorum fides sine operibus mortua est, sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. Et necessariam esse hanc orationem omnibus hic viuentibus, probat, quia non perfecte ratio imperat vitijs, sed vtique aliquid subrepit in hoc loco infirmitatis etiam bene confligenti, siue hostibus talibus victis, subditisque dominanti, vnde, si non facili operatione, certe labili locutione, aut volatili cogitatione, peccetur. Ac propter huiusmodi peccata potuit dicere: *Væ hominum vitæ &c.* Vel forte ad antecedentem misericordiam ea retulit, non ad consequentem. Omnibus enim est & fuit semper necessaria misericordia, ad redeundum in gratiam cum Deo, licet iam reconciliatis necessaria non sit misericordia alia noua, ne damnentur. Et quamuis omnia opera nostra, vt hæretici volunt, essent peccata, haberi quidem inde tantum posset, necessariam esse applicationem & imputationem iustitiæ Christi ad eorum remissionem: quod & nos non negamus, qui de liberis ab omnibus peccatis loquimur. Sed vel ob hanc causam deberent illi cum tota Ecclesia asserere Purgatorium, vt ab illis expiarentur transferendi in beatitudinem. Nec enim sine aliqua cooperatione nostra, vel per opera, vel per passiones, remitti possunt nobis de lege peccata.

CAPVT XXI.

De testimonijs Augustini contra potestatem implendi in hac vita præceptum diligendi Deum.

Obiectio 4. SED & ex primo & maximo legis mandato, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. pergunt quidam suadere necessitatem nouæ imputationis iustitiæ Christi: Quia cum arctissime ad illud teneamur, tamen nemo nostrum potest ipsum implere in hac vita. Quare & ad hunc defectum supplendum necessariũ esse putant, imputari omnibus iustitiam Christi, vt consequantur beatitudinem. Et nõ posse à nobis impleri hoc mãdatum, testimonijs Augustini confirmant, quæ hic operæ est explicemus, vt præstemus quod libro 11. promisimus.

Is igitur Augustinus in De perfectione iustitiæ, diserte ait, in illa plenitudine caritatis patriæ, præceptum hoc esse implendũ. Nam cum est adhuc, inquit, aliquid carnalis concupiscentiæ, quod continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Et mox illam perfectionem dilectionis, quam hic habere non possumus, sed duntaxat in patria, videtur asserere nobis præcepta. Cur enim ait non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, si, quo currendum est, nescitur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Et similia his tradit in De Spiritu & litera, his verbis: *Istud præceptũ diligendi Deum ex toto corde, in illa vita complebimus, quando videbimus Deum facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.* Hæc ille.

Sed cum Diuus Augustinus, luculentissime in testimonijs iam citatis tradiderit, neminem à Deo fuisse obligatũ ad impossibile, plane admonuit, ita esse, quæcunque alibi dixerit, temperanda, vt Deus ostendatur æquus & iustus, nec à quoquam exegisse, quæ illius non subessent potestati. Et peculiariter hoc ostendit de hoc præcepto in De Spiritu & litera, cap. 26. Nam cum dissereret de dilectione, ad quam sumus hoc præcepto adstricti, ita scriptum reliquit. Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæ que debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud namque est, nondum totam

assequi

assequi caritatem: aliud, nullam sequi cupiditatem. Et multa ibidem congeminat, vt doceat satis esse impletioni huius præcepti in hac vita, si nulli delectationi vel cupiditati illicitæ consentiamus. Vnde & 3. de doctrin. Christiana ait: *Non præcipit scriptura, nisi caritatē nec culpat nisi cupiditatem.* Et in lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 22. ita exponit hoc præceptum, vt solum insinuet nobis esse prohibitum hoc præcepto, ne alia re fruamur. Dicit enim: *Cum*, ait, *toto corde, tota anima tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui. Sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.*

Exposit. 1. August. ex Thom. 2. 2. q. 44. Ad verba autem obiecta, in quibus perfectionem caritatis patriæ præceptam nobis videtur significare, respondet sanctus Thomas hoc eum dixisse, non quia ad illam simus adstricti, sed quia ille est finis, ad quem assequendum pro virili contendere, & adspirare debemus. Et ipse ea ratione tantam nobis perfectionem præceptam esse dixit, vt per præceptum sciretur, quo esset currendum. Itaque perfectio patriæ non cadit sub hoc præcepto vt materia, sed vt finis. Quare & ab ea deficere, non repugnat impletioni, ad quam sumus constricti: repugnat tamen impletioni perfectæ, in quam suspirare & conniti debemus.

Exposit. 2. Augustini. Quod si cui durū videatur tribuere Augustino rem tam absonam, vt finem præcepti dixerit cadere sub præcepto, possumus & aliter verba ipsius interpretari. Ac pensatis profecto omnibus, quæ in citatis libris ille disseruit, & mature expenso proposito, de quo ipse ibi agebat, hic videtur legitimus & germanus eius sensus, vt nos quidē adstricti simus hoc præcepto ad diligendum Deum ex toto corde ita perfecte, vt omnia Dei mandata seruemus, & ne minimam quidem culpam contra aliquod eorum admittamus: ita tamen, vt sub culpa lethali, ad magnas culpas: sub veniali autem ad paruas. Et quia istam perfectionem nullus habet in hac vita, neque moraliter potest habere, habebunt autem omnes beati in patria, ideo hoc præceptum dixit in plenitudine caritatis patriæ esse implendum, & eam perfectionem esse homini præcepto hoc mandatam, quam nemo habet in hac vita. Neque ex hoc sequitur, Deum præcepisse (secundum Augustinum) aliquid impossibile. Quippe, vt lib. 14. explicuimus, & in eisdem lib. Augustinus docet, hanc perfectionem simpliciter habere possumus per gratiam Dei, neque potest quidpiam esse peccatum, quin sit voluntarium.

Vnde & idem Augustinus 2. de pecca. me. & re. cap. 10. quod Iob 14. cap. dicit iuxta translationem, qua vtebatur, *Annotasti, si quid inuitus commisi:* ad peccata referendum esse docet, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa deuitandæ molestiæ alicuius, aut doloris, aut mortis, quæ quadam necessitate dicūtur committi, quia omnia sunt superanda amore & delectatione iustitiæ. Et huiusmodi peccata inuoluntaria vocat Basilius in initium Prouerbiorum, tametsi sciret, vt diserte passim tradit, omne peccatum & posse, & debere à nobis vitari. Peccata inuoluntar.

Et quoniam Caluinus inde putat deceptos esse Patres, vt dicerent, baptizatos bitores esse vniuersæ legis seruandæ. Paulus ait, *Testificor omni homini circumcise, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* & ipsius Basilij testimonium 2. de baptis. hic adiungemus contra illum: *Omnis*, inquit, *baptizatus debitor est Euāgelij, sicut circumcisus legis.* Irenæus etiam vicinus Apostolicorum temporum, 4. con. hæres. cap. 21. ita scribit: *Christus manifestatus est, nouo testamento [illegible] prædicato per prophetas, vt possint semper proficere credentes in eum, & per testamenta proficere, & maturescere per effectum salutis. Vna enim salus, vnus Deus, qui formauit hominem: præcepta autem multa, & non pauci gradus, qui adducunt hominem ad Deum.*

Vide Caluine, an negauerint hi Patres, multa etiamnum præcepta nobis indicta esse & seruatu possibilia, & necessaria, & per eorum obseruationem venire nos ad Deū, & proficere, & maturescere. Et quid opus est, commentum tuum in verba Pauli, impugna-

qui circumcisionē ingebant esse opus meritorium, & ijs erat profiteri seruandæ legis. Quem dabis ex Iudæis ita delirasse? Et quid necesse erat, vt Paulus eorum abusum tanta allercatione nobis prædicaret? lege doctores sacros, qui mentem Pauli, quæ aperta est, edisserunt: & intelliges, ideo potius eum dixisse, quæ commemoras, vt vel ea ratione à suscipiendo circumsionis ritu fides deterreret, quoniam illum admittentes, admittere debebant totam legem.

CAPVT XXII.

De necessitate nouæ Dei misericordiæ, & nouæ applicationis iustitiæ Christi ad cōsecutionem beatitudinis.

VALIDIVS nimirum suaderi potest, necessariam esse in consecutione beatitudinis noua imputatio meritorum Christi, quia Deus nulli tenetur dare vitam æternā: & cuicunq; eam dat, & gratis & ex misericordia dat. Quod diserte satis traditur à Bern. ser. 1. annun. his verbis *Iam vero de æterna vita scimus, quod non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, neque si vnus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum [illegible] propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriā aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam vt taceam, quod merita omnia, dona sunt Dei & ita homo magis propter ipsa debitor est Deo, quā Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam* [illegible] aliquanto luculentius illud do[illegible]nat ex ipsis diuinis scripturis Au. de cor. & gra. in hæc verba: *Numerus sanctorum per Dei gratiam, Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam vsq; in finem perseuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordia saluatoris sui, siue cum conuertuntur, siue cū coronantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiā necessariam, sancta scriptura testatur, vbi sanctus*

[illegible] *Dauid de Domino suo dicit animæ suæ: Qui coronat te in miseratione & misericordia. Dicit etiam Iacobus Apostolus: Iudicium sine misericordia*

[illegible] [illegible] *Vbi ostendit* [illegible] *sine quæ damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia iudicandos. Propter quod* [illegible] *mater Machabæorum filio suo dicit: Vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Ita* Augustinus.

Quod si, vt supra diximus, necessaria est noua applicatio iustitiæ Christi [illegible] conque beneficium spiritale, nul[illegible] necessaria erit etiam noua imputatio [illegible] tiæ Christi ad consecutionem beatitudinis. Et hoc argumento vtuntur etiam quidam ad probandum, opera iustorum non esse meritoria de condigno, nec beatitudinem esse debitam iustis. Nam si esset debita, cessaret, aiunt, in eius collatione misericordia.

Sed scriptura dum palam docet illam esse coronam iustitiæ, & à Deo iusto vt mercedem retribui, satis insinuauit illam esse aliquo modo debitam. Et vt docuimus latius q. 5. de iustific. propterea locum h[illegible] ibi iustitia. quia iusti digni sunt beatitudine nec Deus posset eam non donare, nisi re[illegible]uocata lege & promissionibus suis. Et quia illas posset reuocare per potestatem suam absolutā, asseruntur ipsa esse, ac velut [illegible] opus misericordiæ. Nec nos negamus [illegible]ctum esse iustitiæ Christi, misericor[illegible] qua Deus vtitur in beatos, concedendo eis beatitudinem. Immo supra concessimus, necessariam esse iustis nouam applicationem iustitiæ Christi, vt eam adipiscantur. Tantum contendimus eam applicationem esse debitam ex lege propter applicationē iustitiæ Christi factam in prima iustificatione, nec esse opus imputatione ipsius nouæ etiam si sit opus noua applicatione. P[illegible] enim omnibus imputationib. adhuc Deus ex misericordia concedet.

Nec imputatio 2. potest Deum compellere ad cōferendam beatitudinē: & quodcunq; ius aut vinculum illa potest inducere potest & prima. Maior quidē iustitiæ Christi diffusio requiritur, vt iusti & beatissimus, non autem maius meritum. Eaq; merita sufficient, vt consequantur iusti beatitudinem, quorum imputatio satis fuit, vt iustificarentur. Etsi exhaustibilia essent me-

ritæ Christi, non plus exhaurietur de illis propter beatitudinem & iustificationem, quam propter solam iustificationem: sed illud meritum sufficeret ad vtrumq; quod sufficit ad iustificationem. Et hoc quidem perspicuum esse potest in iustificatione peccatorũ ob merita aliorũ. Licet enim Paulus iustificatus ob merita Stephani, plus participet modo virtutem eorum, quam in via, tamen non fuit necessarium Stephano maius meritum ad promerendam ei beatitudinem & gratiam, quam ad promerendam gratiam: nec est facta Paulo aliqua noua meritorum Stephani imputatio cum adeptus est beatitudinem respondentem gratiæ ob merita illius acceptæ.

Ad omnia igitur beneficia spiritalia, quę nobis, siue in gratia, siue in peccato à Deo communicantur, necessaria est applicatio & imputatio iustitiæ Christi. Atque ideo & ipsi secundum Deum gratias pro omnibus beneficijs nobis exhibitis, ex asse & solidè debemus semper agere. Veruntamen vbi semel ad beatitudinem, vel ad quodcunq; aliud beneficium imputata nobis fuerit, nõ est opus secunda ipsius imputatione, vt illud suo loco & tempore accipiamus. Atque ex his liquere satis potest, nihil detrahi gloriæ Dei, aut gratiæ Christi per doctrinam, quam Patres tradiderunt de iustificatione in toto hoc decreto. Quia vero & in hoc quoque calumniatur Caluinus can. vltimo S. Synodi, adijciam huic libro canones omnes Patrum, vt manifesta sit omnibus illius calumnia. Ita enim clare & dilucide gloriam Dei & gratiam Christi vbiq; prædicant, vt cum & libero nostro arbitrio, & donis omnibus Dei honorem suum habeant, & media semper incedant via inter Pelagianos & Lutheranos, tamen quoquouersum spectas, nihil aliud in ipsis legas, quam magnificentissimam Dei in nos per Christum misericordiam.

Placuit etiam sic coniunctim omnes subnectere, vt commodius postea respondere possim ad tres calumnias, quas potissimum in vniuersos ipsos torqueri video à Caluino, & vt quæcunque hactenus in hoc opere differuimus, sua illi authoritate velut obsignent & communiant. Et quoniam ipsi per se sunt satis dilucidi, & si quæ erant in ipsis difficilia, ea iam omnia inter exponẽda capitula pro tenuitate nostra exposuimus, & ad cauillos omnes Caluini contra illos abunde respondimus, contenti erimus è regione vniuscuiusque locum signare, in quo illũ exposuimus ac defendimus. Inde poterit, qui nostra dignabitur legere, absque vllo labore habere, quidquid nos circa ipsum canonem scripsimus. Sed ipsa iam verba Patrum auidis mentibus audiamus, & quãta perspicuitate & grauitate errores omnes ad hoc argumentum spectantes, & attigerint, & debito anathemate ferierint, diligenter nobiscum expendamus.

Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non poterit, placuit sanctæ Synodo, hos canones subiungere, vt omnes sciant non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANONES.

I.

Siquis dixerit, hominẽ suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absq; diuina per Christum Iesum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.

II.

Siquis dixerit, Ad hoc solum diuinã gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè viuere ac vitã æternã promereri possit, quasi per liberũ arbitriũ sine gratia vtrunq; sed ægrè tamen & difficulter, possit, anathema sit.

III.

Siquis dixerit, sine præueniẽte spiritus Sãcti inspiratione atq; eius adiutorio hominẽ credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

IIII

77.678. *Siquis dixerit, Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiue se habere, anathema sit.*

V.

23.679. *Siquis dixerit, Hominis liberum arbitrium post Adæ peccatum, amissum vel extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum deniq; à Satana inuectum in Ecclesiam, anathema sit.*

VI.

29.678. *Siquis dixerit, Non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita vt bona, Deum operari non permissiuè solum, sed etiam propriè & per se, adeo vt sit eius proprium opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

VII.

122.128. *Siquis dixerit, Opera omnia quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema sit.*

VIII.

98.100.
606. *Siquis dixerit, Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.*

IX.

158.693. *Siquis dixerit, Sola fide impium iustificari, ita vt intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendum cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atq; disponi, anathema sit.*

X.

16. *Siquis dixerit, Homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit.*

XI.

Siquis dixerit, Homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inhæret, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit.

XII.

Siquis dixerit, Fidem iustificantem nihil 629.
aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit.

XIII.

Siquis dixerit, Omni homini ad remis- 212.
sionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certo & absq; vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse dimissa, anathema sit.

XIIII.

Siquis dixerit, Hominem à peccatis ab- 247.
solui, aut iustificari ex eo, quod se absolui aut iustificari certo credat, aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, anathema sit.

XV.

Siquis dixerit, Hominem renatum & 212.
iustificatum, teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.

XVI.

Siquis magnum illud vsq; in finem per- 433.
seuerantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.

XVII.

Siquis iustificationis gratiam non nisi 43.
prædestinatis ad vitam contingere dixerit,

*reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari
quidem, sed gratiam non accipere, vtpote di-
uina potestate prædestinatos ad malum, a-
nathema sit.*

XVIII.

368. *Siquis dixerit, Dei præcepta homini et-
iam iustificato, & sub gratia constituto, esse
ad obseruandum impossibilia, anathema sit.*

XIX.

585. *Siquis dixerit, Nihil præceptum esse in
Euangelio præter fidem, cætera esse indiffe-
rentia, neque præcepta, neque prohibita, sed
libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad
Christianos, anathema sit.*

XX.

364 *Siquis dixerit, Hominem iustificatum,
& quantumlibet perfectum, non teneri ad
obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ
sed tantum ad credendum, quasi verum E-
uangelium sit nuda & absoluta promissio
vitæ æternæ sine conditione obseruationis
mandatorum, anathema sit.*

XXI.

365. *Siquis dixerit, Christum Iesum à Deo
hominibus datum fuisse, vt redemptorem,
cui fidant, non etiam vt legislatorem cui o-
bediant, anathema sit.*

XXII.

425. *Siquis dixerit, iustificatum vel sine spe-
ciali auxilio Dei in accepta iustitia perseue-
rare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

XXIII.

650. *Siquis Hominem semel iustificatum di-
xerit amplius peccare non posse, neq; gratiam
amittere, atque ideo eum qui labitur & pec-
cat, nunquam vere fuisse iustificatum, aut
contra posse in tota vita peccata omnia etiã
venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuile-
gio, quemadmodum De Beata Virgine tenet
Ecclesia, anathema sit.*

XXIIII.

*Siquis dixerit, Iustitiam acceptam non
conseruari, atque etiam non augeri coram
Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus so-
lummodo, & signa esse iustificationis adeptæ,
non etiam ipsius augendæ causam, anathe-
ma sit.*

XXV.

Siquis, In quolibet bono opere iustum sal- 636.
*tem venialiter peccare dixerit, aut, quod in-
tolerabilius est, mortaliter. Atq; ideo pœnas
æternas mereri, tantumque ob id non mere-
ri, quia Deus ea opera non imputet ad dam-
nationem, anathema sit.*

XXVI.

*Siquis dixerit, iustos non debere pro bonis
operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expecta-
re & sperare æternam retributionem à Deo
per eius misericordiam, & Iesu Christi me-
ritum, si bene agendo, & diuina mandata
custodiendo, vsque in finem perseuerauerint,
anathema sit.*

XXVII.

Siquis dixerit, Nullum esse mortale pec- 619.
*catum nisi infidelitatis, aut nullo alio quan-
tumuis graui & enormi, præterquam infi-
delitatis peccato semel acceptam gratiam a-
mitti, anathema sit.*

XXVIII.

Siquis dixerit, Amissa per peccatum, 628.
*gratia, simul & fidem semper amitti, aut fi-
dem quæ remanet, non esse veram fidem, li-
cet non sit viua, aut eum qui veram fidem
sine caritate habet, non esse Christianum,
anathema sit.*

XXIX.

Siquis dixerit, Eum qui post baptismum 486.
*lapsus est, non posse per Dei gratiam resurge-
re, aut posse quidem, sed sola fide amissam
iustitiam recuperare sine sacramento pæni-
tentiæ, prout Sancta Romana & vniuersalis
Ecclesia à Christo Domino, & eius Aposto-
lis edocta, hucusque professa est, seruauit &
docuit, anathema sit.*

XXX.

Siquis Post acceptam iustificationis gra- 603.
*tiam, cuilibet peccatori pænitenti ita culpam
dimitti, & reatum æternæ pænæ deleri dixe-
rit,*

rit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequã ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.

XXXI.

414. *Siquis dixerit, Iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

XXXII.

Siquis dixerit, Hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt nõ sint et bona ipsius iustificati merita, aut ipsũ iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei grattam, & Iesu Christi meritũ, cuius viuum membrum est, fiunt, non vere mereri augmẽtum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.

XXXIII.

Siquis dixerit, Per hanc doctrinã catholicam de iustificatione, à sacra Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Iesu Gloriam illustrari, anathema sit.

CAPVT XXIII.

Responsio ad Tres potissimum calumnias Caluini contra vniuersos Canones.

CONTRA hos præmissos canones multa Caluinus intorquet, multa clamitat, multa nugatur, multa calumniatur. Exceptis tribus prioribus & 19. & 22. nullus est, qui in totum eius palato faciat satis. Maximam partem eorum damnat, omnes contemnit, deridet, floccifacit, & vbi non potest aliquid damnare, aliquid tamen inuenit quod mordeat. Videas, si leges illius censuras, execrationibus & fulminationibus Patrum eum comprehensum, & Spiritu satanæ agitatum, vix iam posse vlli sanæ doctrinæ acquiescere. Sed ex omnibus quæ in doctrinam Patrum obiectat, tres duntaxat mihi video reliquas esse calumnias, quas hoc loco debeam diluere, vt susceptũ munus fideliter absoluam.

Atque vt à postremo canone incipiam, illud in primis queritur, quod Dei gloriam & Christi gratiam propemodum hac doctrina Patres exinaniuerint. Et quia districte prohibuerunt, ne quis hoc diceret: *Ingeniosa vero cautio*, inquit, *ne quis videat, quod vident omnes*. Et paulopost: *Anathematis terrorem alijs incutiunt, ne impietatem cernere ausint, cuius ipsi sibi conscij erant*. Verum audi patienter Cal. & nisi te pigeat discere, quod ignoras, intelliges non S. Synodum, sed vos esse & in Dei gloriam, & in Christi gratiam impios ac blasphemos. Nec Deus quidem, nec Christus vt homo, indiget bonis & gloria nostra. Propter commodum & gloriam nostram glorificari à nobis vult Christus. Et tum demum glorificari se putat, cùm nos serio & in illo, & per illum vel perficimur, vel perficimus: ac illius in nos dona non leuia esse, aut inania, sed eximia & magnifica sentimus. Quis ergo magnificentius sentit de donis Dei & meritis Christi? vos, an S. Synodus? Iudicium eligam? nobis & inter nos videamus quid sit melius. Teipsum autem constituere hic iudicẽ, nec verebor tuum ipsius iudicium subire, si, quæ dixero, intellexeris, & ex conscientia sententiam tuleris. Vide quantum nostræ causæ confidam. Fatetur ergo S. Synodus, vt manifeste vides, in his Canon. non posse nos nec acquirere iustitiam, nec deperditam reparare, nec in ea proficere aut perficere, nec denique ad ipsius perfectionem venire, nisi ex Dei benignitate per Christum. Nihil igitur est in vniuersa nostra iustificatione, quod Dei gloriæ aut Christi gratiæ subtrahatur. Nam in his quinque gradibus tota illa versatur & perficitur.

Quod si rursus & nos facere posse, ac sæpe aliqua ex his facere ex Dei gratia, & propter merita Christi asseuerat, tanto ergo magis quam vos, Dei gloriam & Christi in nos gratiam commendat, quanto plura & præstantiora concedit per Dei benignitatem

Calu. Cano.

Responsio

tem & propter Christi iustitiam nos posse facere & promereri. Vos vos certe derogatis gloriæ Dei, qui dicitis totam libertatem ad bonum, abstulisse homini per peccatum, & à nobis exigere impossibilia, nec donum aliquod hactenus communicasse homini, per quod possit absque vitio & culpa operari, aut iustificationis suæ, aut profectus, aut perfectionis esse vel minima causa. Et quasi Deus auarus sit aliquis, aut parcissimus, & suorum bonorum indigens, aut quasi gloria nostra gloriæ illius quicquam possit detrahere, ita hæc omnia in solidum Deo tribui vultis, vt nullam prorsus partem suæ gloriæ communem voluerit facere, vel in gratiam sui filij, suis creaturis. Vos vos profecto detrahitis gratiæ Christi, qui tam parum illum potuisse apud suum patrem asseritis, vt eos pro quibus mortem acerbissimam pertulit, nec fecerit donis aliquibus eis inhærentibus iustos, nec auxilia eis promeruerit, quibus possint vel bene operari, vel liberi à peccato & reatu esse in hac vita. Nonne in naturalibus tanto minoris virtutis aliquod agens probatur, quanto pauciores & minus perfectos effectus potest producere? Nonne ille minuit magnificentiam regis, qui minora prædicat eum contulisse suis subditis? Et quis sicut Caluinus inuidet gratiæ Christi, qui ex septem sacramentis nobis ab illo benigne collatis, omnia tollit præter duo, & eorum duorum vim pene omnē euacuat, & opera in ipso Christo, & per ipsum facta, damnat? Et quis sicut Caluinus, Christum deridet & spernit, qui vicarium illius & sponsam suam Ecclesiam in Concilijs & in præceptis irridet, qui traditiones Christi & Apostolorum contemnit, & ipsam sacrosanctam inuiolabilem scripturam decurtat & adulterat?

Calumnia 2. Caluini. Quereris quod tot anathemata Patres in vestros errores fulgurauerint, & Bacchico furore percitos tot dicis eos execrationibus diffluxisse; vt se probarent de numero eorum esse, quorum os maledictione plenum est.

Respo. pro multitudine anath. Sed non tam paucis, sed sexcentis prorsus, & bis mille vos omnes feriendi estis anathematis, qui conturbatis Ecclesiam & miseras oues, dum blandis sermonibus decipitis, à caulis Dominici gregis dispergitis, & à verorum pastorum suorum obedientia subtrahitis, & volentes iam ad rectam fidei lineam reuerti, mille dolis & technis, etiamnum cum aperto iudicio diuino vestra causa damnata sit, impeditis. Non primi Patres Tridentini anathema indixerunt in errores contra fidem. Vsa sunt & ipsis pene omnia concilia generalia, & multa sancta prouincialia. Vsi sunt sancti patres, & nominatim Greg. in lib. 1. epist. 24. Et à Paulo hæc didicit Ecclesia, qui & angelis de cœlo anathema Apostolica authoritate indixit, si aliud à fide, à se tradita, euangelizarent. Nec crudelitas hæc est, vt calumniaris, nec feritas, nec truculentia, sed misericordia, sed benignitas. Cauent sic pastores Christi suis ouibus, & deterrent à pestiferis & noxijs doctrinis. Et vos cogitis ad hæc Ecclesiam qui tantum virus scriptis vestris disseminatis. Tollite pestilentes errores, quibus animas inficitis & perditis, & cessabunt anathemata.

Non pudet, addis, *intonare, neminem iustitiæ compotem futurum, qui non firmiter teneat, quod præscribunt. Quid? An noua iustificationis ratio nuper exorta est? Ac non potius* [illegible] *vna est salus, vna & eadem omnes a*[illegible] *via? Quid ergo Prophetis & Ap*[illegible]*, qui non operam dederunt talibus ma*[illegible] Calumn. 3. Caluini.

Respon. O vero sapientissimam & prudentissimam Caluariam. *Non pudet*, inquit. Quasi pudendum sit, ipsissimum Christi Euangelium, fidelibus necessarium annunciare. *An noua est*, addit, *iustificationis ratio?* Quasi vt noua, hæc dogmata, & non potius, vt vetustissima, Patres comprobauerint. *Et quid erit*, subiungit, *Prophetis & Apostolis, qui talibus magistris operam non dederunt?* Quasi Patres se illorum Doctores, & non verius eorum discipulos & successores, & filios vbique fateantur. Sustine Caluine paululum, & intellige, si potes, sapientiam & mirandum consilium S. Synodi. Non excluserunt Patres Prophetas aut Apostolos à iustificatione, nec aliquem omnino Sanctorum, qui eos præcesserunt, aut hæc non legerunt: sed excluse-

& ipsis ergo tribuenda est ex parte iustificatio nostra, & non fidei soli. Dicant quodcunque voluerint, aduersarij. Excusent, quocunq; libuerit, colore perniciosa hæc sua dogmata, Fides sola iustificat. Fides sola satis est ad iustitiam. In aperto est ac plane conspicuum, multos fuisse propter illa optimis meritis frustratos, & à recta fide decessisse, neq; intellexisse, quæ esset vera via ad gratiam & iustitiam Dei consequendum. Atque hæc vna vel maxima fuit nobis causa, vt intermissis omnib. alijs stud[ijs], huic opusculo de iustificatione, gratia, & meritis, totus omni vi & ope nostra aliquot menses intenderim, quod in his plerosque passim labi, & ab hæreticis seductos esse, certo intellexerim. Et à capite ineunda mihi fuit ratio aduersus hæret.cos. [V]bique neruos omnes nostros & conatus intendere in primis decuit, vbi acrius & frequentius hostes fidei insiliunt, & se de nobis triumphare facile credunt, vndeque certius & grauius & maius periculum fidelibus animabus impendere manifesta luce conspicimus. Quam autem hęc argumenta commodè tractauerim, aliorum esto iudicium. Tam multis enim eruditione & pietate præcellentibus viris, vndecunque confluentibus in hanc præclaram & felicem vel hoc nomine Tridentinam vrbem, alios quidem sperare licet fore, qui œcumenicæ Synodo in ipsa felicissimè modo cœptæ, aurum & argentum & lapides preciosos offerant: alios, qui byssum & purpuram: alios, qui coccum & hyacinthum. Nobiscum bene agitur, si, dum maiora & meliora adornamus, pro paupertate interim & tenuitate nostra, vt fidem nostram, & affectum, & pietatem in sanctissimam hanc Synodum, manifestam faciamus, vel pelles, vel caprarum pilos offeramus. In tabernaculum Dei offert vnusquisque, quod potest, ait Hieronymus. Et nos quidem in paucis his Quæstionibus, quas hic tractauimus, quod potuimus, certe præstitimus. Quanquam enim non omnia persecuti sumus, quæ ad hæc argumenta spectarent, sed ea duntaxat, quæ satis esse visa sunt ad eas quæstiones, quæ inter nos & hæreticos huius temporis præcipue controuersæ sunt, quæq; secundam aliquam manum, & accuratiorem quampiam diligentiam desiderare videbantur: tamen in his, ne actum agere videremur, inseruimus permulta, quæ ad expositionem & germanam intelligentiam multorum locorum scripturæ, & præsertim Pauli, conducent, & nonnulla (absit inuidia verbo) Scholastico stylo primi omnium, quos legerim, disputauimus, & ad certissimam sanctarum scripturarum fidem expendimus, & examinauimus. Et quoniam beato Augustino acerrimo Catholicæ fidei defensori, hanc Notam plerique huius temporis hęretici inurere conati sunt, vt ille suis ipsorum dogmatibus, immo factionibus & pestilentissimis doctrinis fauisse videatur, in gloriam huius clarissimi Doctoris, & vt eum ab hac iniuria aperte vindicarem, adnixus sum vbique, quantum ille toto cœlo ab eorum sectis dissideat, ostendere. Quoque id lucè clarius cunctis constare possit, omnia fermè, quæ ille docuit de iustificatione nostra, gratia & meritis, in libris, quos multos de his rebus edidit, sub quodam compendio lectori ob oculos posui. Ea vero ratione tibi præsul clarissime hanc qualemcunq; opellam dicaui, quod singulari tuo in me amore, & eximijs tuis in me & in totum

nostrum

nostrum ordinem beneficijs,ita me tibi addictum,obstrictum, & obæratum esse intelligo,vt quidquid à me boni proficiscatur,id totum ex asse,& summo quidem iure sit tuum. Et alioqui cum clarissimos tuos Paccecorum & Gueuarensium natales,felicissimum tuum ingeniũ,ac mire dextrum,& in omnia versatile, iudicium in omni genere rerum singulare, tenacissimam memoriam,inauditam consilij vim, peritiam vtriusque iuris,& præsertim canonici, non vulgarem,absolutissimam rerum humanarum prudentiam,&quod ego multo quidem maximi facio, cum generosum istum tuum & erectum animum,feruensque fidei studium,& religionis ardentem zelum,honestissimorumque morum integritatem,humanitatem,suauitatem,&sanctitatem mecum contemplor tacitus, intelligo profecto aptissime tibi, si cuipiam alij,opusculum de iustificatione,gratia,& meritis consecrari. Optime enim respõdent titulo huius libelli,& iustitia, & gratia, & præcellentia merita tua. Tam singulari namque es,& tam rara gratia apud Deum & homines, vt sanctissimus Papa noster Paulus huius nominis tertius,ad præcellentis Giennensis diœcesis honorificam episcopi,qua fungeris,dignitatem, & hoc quoq; velut auctarium his diebus adiecerit, vt te in augustissimum & amplissimum Cardinalium collegium,de omnium eorum consensu, & mirifico omnium Hispanorum applausu cooptauerit. Et præter hoc,tam multa merita & nomina laudis cumulatissime in te splendent, tam multaque & tam præclara iustitiæ & integritatis certissima documenta hactenus dedisti, vt te inuictissimus, idemq; incorruptissimus Imperator noster Carolus huius nominis quintus, iam quater visitatorem,ac velut censorem instituerit,qui nobilissimum illud omnium bonarum literarum emporium, Salmãticensem dico academiam, nutricem ac matrem nostram, illustrissimaque aliquot ipsius tribunalia ea authoritate visitares, corrigeres,componeres,& conformares, vt iustificare penè posses, quos voles, & à tuo æquissimo & incorruptissimo calculo, multorum magnificentissimorum &ornatissimorum virorum integritas,merita, gratia & iustitia pẽderent. Accipe igitur obseruandissime antistes obsequiolum hoc nostrum, multis tibi nominibus debitum,&,vt iure gratiam mereatur apud cęteros,benigno fauore tuo,si dignũ videbitur, prosequere. Quod si quid in eo,quæ humana infirmitas est,merito castigandum fuerit,id omne & humane,vt assoles,& amanter corrige Et tui enim castigatissimi iudicij, & cuiuscunq; rectius sentientis,& in primis Sedis Apostolicæ, totiusque huius sacri Concilij certissimæ censuræ, & hæc, & omnia nostra subiicimus. Vale integerrime præsul,decus&ornamentum nostri seculi non vulgare.Tridenti, Calendis Ianuarij, Anno salutis M. D. XLVI.

QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

PRIMA QVÆSTIO.

Quæ Fides, & qualis illa sit, cui diuina Scriptura, & præcipuè Paulus, iustificationem hominis tribuit?

II. *An Fides sola sufficiat hominibus ad salutem?*

Ccccc 3 III. *An*

disputamus. Ac propter illa duntaxat, videntur Augustinus & Bernardus illa quæ obijciuntur, dixisse.

Et Augustinum in loco, cui maxime innititur Caluinus, perspicuum est propter venialia dixisse, nostram iustitiam, etiamsi vera sit, maxime constare remissione peccatorum. Mox enim in huius probatione inducit, quod tota Ecclesia dum hic peregrinatur, orat semper, *Dimitte nobis peccata nostra*. Eamque orationem dicit non esse efficacem pro eis, quorum fides sine operibus mortua est, sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. Et necessariam esse hanc orationem omnibus hic viuentibus, probat, quia non perfectè ratio imperat vitijs, sed vtique aliquid subrepit in hoc loco infirmitatis etiam bene cōfligenti, siue hostibus talibus victis, subditisque dominanti, vnde, si non facili operatione, certe labili locutione, aut volatili cogitatione, peccetur. Ac propter huiusmodi peccata potuit dicere: *Væ hominum vitæ &c.* Vel forte ad antecedentem misericordiam ea retulit, non ad consequentem. Omnibus enim est & fuit semper necessaria misericordia, ad redeundum in gratiam cum Deo, licet iam reconciliatis necessaria non sit misericordia alia noua, ne damnentur. Et quamuis omnia opera nostra, vt hæretici volunt, essent peccata, haberi quidem inde tantum posset, necessariam esse applicationem & imputationem iustitiæ Christi ad eorum remissionem: quod & nos non negamus, qui de liberis ab omnibus peccatis loquimur. Sed vel ob hanc causam deberent illi cum tota Ecclesia asserere Purgatorium, vt ab illis expiarentur transferendi in beatitudinem. Nec enim sine aliqua cooperatione nostra, vel per opera, vel per passiones, remitti possunt nobis de lege peccata.

Matth. 6

CAPVT XXI.

De testimonijs Augustini contra potestatem implendi in hac vita præceptum diligendi Deum.

Obiectio 4. SED & ex primo & maximo legis mandato, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. pergunt quidam inducere necessitatem nouæ imputationis iustitiæ Christi. Quia cum arctissime ad illud teneamur, tamen nemo nostrum potest ipsum implere in hac vita. Quare & ad hunc defectum supplendum necessariū esse putant, imputari omnibus iustitiam Christi, vt consequantur beatitudinem. Et non posse à nobis impleri hoc mādatum, test[illegible] Augustini confirmant, quæ hic [illegible]pus est explicemus, vt præstemus quod libro [illegible] promisimus.

Is igitur Augustinus in De perfectione iustitiæ, diserte ait, in illa plenitudine caritatis patriæ, præceptum hoc esse implendū. Nam cum est adhuc, inquit, aliquid carnis concupiscentiæ, quod continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Et mox illam perfectionem dilectionis, quam hic habere non possumus, sed duntaxat in patria, videtur asserere nobis præcepta. Cur enim ait non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, si, quo currendum est, nescitur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Et similia his tradit in De Spiritu & litera, his verbis: *Istud præceptū diligendi Deum ex toto corde, in illa vita complebimus, quando videbimus Deum facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.* Hæc ille.

Sed cum Diuus Augustinus, luculentissime in testimonijs iam citatis tradiderit, neminem à Deo fuisse obligatū ad impossibile, plane admonuit, ita esse, quæcunque alibi dixerit, temperanda, vt Deus ostendatur æquus & iustus, nec à quoquam exegisse, quæ illius non subessent potestati. Et peculiariter hoc ostendit de hoc præcep[illegible] De Spiritu & litera, cap. 26. Nam cum dissereret de dilectione, ad quam sum[illegible] præcepto adstricti, ita scriptum reliqui[t]. Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud namque est, nondum totam

[Re]sponsio.

assequi

assequi caritatem: aliud, nullam sequi cupiditatem. Et multa ibidem congeminat, vt doceat satis esse impletioni huius præcepti in hac vita, si nulli delectationi vel cupiditati illicitæ consentiamus. Vnde & 3. de doctrin. Christiana ait: *Non præcipit scriptura, nisi caritatē nec culpat nisi cupiditatem.* Et in lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 22. ita exponit hoc præceptum, vt solum insinuet nobis esse prohibitum hoc præcepto, ne alia re fruamur. Dicit enim: *Cum, ait, toto corde, tota anima tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui. Sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.*

Exposit. 1. August. ex Thom. 2. 2. q. 44. Ad verba autem obiecta, in quibus perfectionem caritatis patriæ præceptam nobis videtur significare, respondet sanctus Thomas hoc eum dixisse, non quia ad illam simus adstricti, sed quia ille est finis, ad quem assequendum pro virili contendere, & adspirare debemus. Vnde & ipse ea ratione tantam nobis perfectionem præceptam esse dixit, vt per præceptum sciretur, quo esset currendum. Itaque perfectio patriæ non cadit sub hoc præcepto vt materia, sed vt finis. Quare & ab ea deficere, non repugnat impletioni, ad quam sumus constricti: repugnat tamen impletioni perfectæ, in quam suspirare & conniti debemus.

Exposit. 2 Augustini. Quod si cui durū videatur tribuere Augustino rem tam absonam, vt finem præcepti dixerit cadere sub præcepto, possumus & aliter verba ipsius interpretari. Ac pensatis profecto omnibus, quæ in citatis libris ille disseruit, & mature expenso proposito, de quo ipse ibi agebat, hic videtur legitimus & germanus eius sensus, vt nos quidē adstricti simus hoc præcepto ad diligendum Deum ex toto corde ita perfecte, vt omnia Dei mandata seruemus, & ne minimam quidem culpam contra aliquod eorum admittamus: ita tamen, vt sub culpa lethali, ad magnas culpas: sub veniali autem ad paruas. Et quia istam perfectionem nullus habet in hac vita, neque moraliter potest habere, habebunt autem omnes beati in patria, ideo hoc præceptum dixit in plenitudine caritatis patriæ esse implendum, & eam perfectionem esse homini præcepto hoc mandatam, quam nemo habet in hac vita. Neque ex hoc sequitur, Deum præcepisse (secundum Augustinum) aliquid impossibile. Quippe, vt lib. 14. explicuimus, & in eisdem lib. Augustinus docet, hanc perfectionem simpliciter habere possumus per gratiam Dei, neque potest quidpiam esse peccatum, quin sit voluntarium.

Vnde & idem Augustinus 2. de pecca. me. & re. cap. 10. quod Iob 14. cap. dicit iuxta translationem, qua vtebatur, *Annotasti, si quid inuitus commisi:* ad peccata referendum esse docet, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa deuitandæ molestiæ alicuius, aut doloris, aut mortis, quæ quadam necessitate dicūtur committi, quia omnia sunt superanda amore & delectatione iustitiæ. Et huiusmodi peccata inuoluntaria vocat Basilius in initium Prouerbiorum, tametsi sciret, vt diserte passim tradit, omne peccatum & posse, & debere à nobis vitari. Peccata inuoluntar.

Et quoniam Caluinus inde putat deceptos esse Patres, vt dicerent, baptizatos debitores esse vniuersæ legis seruandæ. " Paulus ait, *Testificor omni homini circumcise, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* & ...ptius Basilij testimonium 2. de baptis. hic adiungemus contra illum: *Omnis, inquit, baptizatus debitor est Euāgelij, sicut circumcisus legis.* Irenæus etiam vicinus Apostolicorum temporum, 4. con. hære. cap. [illegible] ita scribit: *Christus manifestatus est, nouo testamento cognito & prædicato per prophetas, vt possint semper proficere credentes in eum, & per testamenta proficere & maturescere per effectum salutis. Vna enim salus, vnus Deus, qui formauit hominem: præcepta autem multa, & non pauci gradus, qui adducunt hominem ad Deum.*

Vide Caluine, an negauerint hi Patres, multa etiamnum præcepta nobis indicta esse & seruatu possibilia, & necessaria, & per eorum obseruationem venire nos ad Deū, & proficere, & maturescere. Et quid opus est, commentum tuum in verba Pauli, impugna-

[illegible] loquitur eorum [illegible] opus me- [illegible] seruandæ le- [illegible] adelrasse? Et quid necesse erat, vt Paulus eorum abusum tanta asseueratione nobis [illegible] lege doctores sacros, qui mentem Pauli, quæ aperta est, edisserunt: & intelliges, ideo potius eum dixisse, quæ commemoras, vt vel ea ratione à suscipiendo circuncisionis ritu fides deterreret, quoniam illum admittentes, admittere debebant totam legem.

CAPVT XXII.

De necessitate nouæ Dei misericordiæ, & nouæ applicationis iustitiæ Christi ad cõsecutionem beatitudinis.

VALIDIVS nimirum suaderi potest, necessariam esse in consecutione beatitudinis noua imputatio meritorum Christi, quia Deus nulli tenetur dare vitam æternã: & cuicunq; eam dat, & gratis & ex misericordia dat. Quod diserte satis traditur à Bern. ser. 1. annun. his verbis *Iam vero de æterna vita scimus, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, neque si vnus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriã aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam vt taceam, quod merita omnia, dona sunt Dei & ita homo magis propter ipsa debitor est Deo, quã Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam* [illegible] sed aliquanto luculentius illud docet & confirmat ex ipsis diuinis scripturis Au. de cor. & gra. in hæc verba: *Numerus sanctorum per Dei gratiam, Dei regno prædestinatus,* [illegible] *in finem perseuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordia saluatoris sui, siue cum conuertuntur, siue cũ coronantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiã necessariam, sancta scriptura testatur, vbi sanctus Dauid de Domino suo dicit animæ suæ: Qui coronat te in miseratione & misericordia. Dicit etiam* [illegible] *sine misericordia* [illegible]

[illegible] *iudicio, in quo* [illegible] *stique damnantur, alios cum miseri*[illegible] *ne misericordiæ iudicandos. Propter* [illegible] *mater Machabæorum filio suo dicit: Vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam* [illegible] Augustinus.

Quod si, vt supra diximus, necessaria est noua applicatio iustitiæ Christi ad [illegible] cunque beneficium spiritale, [illegible] necessaria erit etiam noua imputatio iustitiæ Christi ad consecutionem beatitudinis. Et hoc argumento vtuntur etiam [illegible] ad probandum, opera iustorum non esse meritoria de condigno, nec beatitudinem esse debitam iustis. Nam si esset debita, cessaret, aiunt, in eius collatione mi[illegible]dia.

Sed scriptura dum palam docet illam esse coronam iustitiæ, & à Deo iusto vt mercedem retribui, satis insinuauit illam esse aliquo modo debitam. Et vt docuimus a- [illegible] q. 5. de iustific. propterea locum habet ibi iustitia, quia iusti digni sunt beatitudine nec Deus posset eam non donare, nisi reuocata lege & promissionibus suis. Et quia illas posset reuocare per potestatem suam absolutã, asseritur ipsa esse, ac [illegible] opus misericordiæ. Nec nos negamus effectum esse iustitiæ Christi, misericordiam, qua Deus vtitur in beatos, concedendo eis beatitudinem. Immo supra concessimus, necessariam esse iustis nouam applicationem iustitiæ Christi, vt eam adipiscantur. Tantum contendimus eam applicationem esse debitam ex lege propter applicationẽ iusti iã Christi factam in prima iustificatione, nec esse opus imputatione ipsius noua, etiam si sit opus noua applicatione. [illegible] enim omnibus imputationib. adhuc Deus ex misericordia concedet.

Nec imputatio [illegible] potest Deum compellere ad cõferendam beatitudinẽ: & quodcunq; ius aut vinculum illa potest adijcere potest & prima. Maior quidẽ iustitiæ Christi diffusio requiritur, vt iusti & beati simus, non autem maius meritum. Eaq; merita sufficient, vt consequantur iusti beatitudinem, quorum imputatio satis fuit, vt iustificarẽtur. Etsi exhaustibilia essent me-

rita Christi, non plus exhaurietur de illis propter beatitudinem & iustificationem, quam propter solam iustificationem: sed illud meritum sufficeret ad vtrumq;, quod sufficit ad iustificationem. Et hoc quidem perspicuum esse potest in iustificatione peccatorũ ob merita iustorũ. Licet enim Paulus iustificatus ob merita Stephani, plus participet modo virtutem eorum, quam in via, tamen non fuit necessarium Stephano maius meritum ad promerendam ei beatitudinem & gratiam, quam ad promerendam gratiam: nec est facta Paulo aliqua noua meritorum Stephani imputatio cum adeptus est beatitudinem respondentem gratiæ ob merita illius acceptæ.

Ad omnia igitur beneficia spiritalia, quę nobis, siue in gratia, siue in peccato à Deo communicantur, necessaria est applicatio & imputatio iustitiæ Christi. Atque ideo & ipsi secundum Deum gratias pro omnibus beneficijs nobis exhibitis, ex esse & solidè debemus semper agere. Veruntamen vbi semel ad beatitudinem, vel ad quodcunq; aliud beneficium imputata nobis fuerit, nõ est opus secunda ipsius imputatione, vt illud suo loco & tempore accipiamus. Atque ex his liquere satis potest, nihil detrahi gloriæ Dei, aut gratiæ Christi per doctrinam, quam Patres tradiderunt de iustificatione in toto hoc decreto. Quia vero & in hoc quoque calumniatur Caluinus can. vltimo S. Synodi, adijciam huic libro canones omnes Patrum, vt manifesta sit omnibus illius calumnia. Ita enim clare & dilucide gloriam Dei & gratiam Christi vbiq; prædicant, vt cum & libero nostro arbitrio, & donis omnibus Dei honorem suum habeant, & media semper incedant via inter Pelagianos & Lutheranos, tamen quoquouersum spectas, nihil aliud in ipsis legas, quam magnificentissimam Dei in nos per Christum misericordiam.

Placuit etiam sic coniunctim omnes subnectere, vt commodius postea respondere possim ad tres calumnias, quas potissimum in vniuersos ipsos torqueri video à Caluino, & vt quæcunq; hactenus in hoc opere disseruimus, sua illi authoritate velut obsignent & communiant. Et quoniam ipsi per se sunt satis dilucidi, & si quæ erant in ipsis difficilia, ea iam omnia inter exponenda capitula pro tenuitate nostra exposuimus, & ad cauillos omnes Caluini contra illos, abunde respondimus, contenti erimus è regione vniuscuiusque locum signare, in quo illũ exposuimus ac defendimus. Inde poterit, qui nostra dignabitur legere, absque vllo labore habere, quidquid nos circa ipsum canonem scripsimus. Sed ipsa iam verba Patrum auidis mentibus audiamus, & quãta perspicuitate & grauitate errores omnes ad hoc argumentum spectantes, & attigerint, & debito anathemate ferierint, diligenter nobiscum expendamus.

Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non poterit, placuit sanctæ Synodo, hos canones subiungere, vt omnes sciant non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANONES.

I.

Siquis dixerit, hominẽ suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absq; diuina per Christum Iesum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.

II.

Siquis dixerit, Ad hoc solum diuinã gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè viuere ac vitã æternã promereri possit, quasi per liberũ arbitriũ sine gratia vtrunq;, sed ægrè tamen & difficulter, possit, anathema sit.

III.

Siquis dixerit, sine præueniẽte spiritus Sãcti inspiratione atq; eius adiutorio hominẽ credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

IIII

Si quis dixerit, Liberum hominis arbi-
..7.678. trium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiue se habere, anathema sit.

V.

23. 679. *Si quis dixerit, Hominis liberum arbitrium post Adæ peccatum, amissum vel extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum deniq; à Satana inuectum in Ecclesiam, anathema sit.*

VI.

29. 678. *Si quis dixerit, Non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita vt bona, Deum operari non permissiuè solum, sed etiam propriè & per se, adeo vt sit eius proprium opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

VII.

122. 128. *Si quis dixerit, Opera omnia quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema sit.*

VIII.

98. 100. *Si quis dixerit, Gehennæ metum, per quē*
606. *ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.*

IX.

156. 693. *Si quis dixerit, Sola fide impium iustificari, ita vt intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendum cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atq; disponi, anathema sit.*

X.

16.. *Si quis dixerit, Homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit.*

XI.

Si quis dixerit, Homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inhæret, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, Fidem iustificantem nihil 6..
aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit.

XIII.

Si quis dixerit, Omni homini ad remis- 212.
sionem peccatorum assequendam necessariū esse, vt credat certo & absq; vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse dimissa, anathema sit.

XIIII.

Si quis dixerit, Hominem à peccatis ab- 247.
solui, aut iustificari ex eo, quod se absolui aut iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, anathema sit.

XV.

Siquis dixerit, Hominem renatum & 212.
iustificatum, teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.

XVI.

Siquis magnum illud vsq; in finem per- 433.
seuerantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.

XVII.

Siquis iustificationis gratiam non nisi 11°
prædestinatis ad vitam contingere dixerit.

reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.

XVIII.

3[illegible]8 *Siquis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.*

XIX.

386. *Siquis dixerit, Nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

XX.

364 *Siquis dixerit, Hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ sed tantum ad credendum, quasi verum Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione obseruationis mandatorum, anathema sit.*

XXI.

365. *Siquis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem cui obediant, anathema sit.*

XXII.

435. *Siquis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

XXIII.

650. *Siquis Hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neq; gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse iustificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia etiā venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum De Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

XXIIII.

Siquis dixerit, Iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam, anathema sit.

XXV.

Siquis, In quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter. Atq; ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non mereri, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit. 616.

XXVI.

Siquis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo, vsque in finem perseuerauerint, anathema sit.

XXVII.

Siquis dixerit, Nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumuis graui & enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit. 619.

XXVIII.

Siquis dixerit, Amissa per peccatum, gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui veram fidem sine caritate habet, non esse Christianum, anathema sit. 628.

XXIX.

Siquis dixerit, Eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ, prout Sancta Romana & vniuersalis Ecclesia à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusque professa est, seruauit & docuit, anathema sit. 486.

XXX.

Siquis Post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam dimitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit. 603.

rit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequã ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.

XXXI.

424. *Si quis dixerit, Iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

XXXII.

Si quis dixerit, Hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt nõ sint et bona ipsius iustificati merita, aut ipsũ iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritũ, cuius viuum membrum est, fiunt, non vere mereri augmẽtum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.

XXXIII.

Si quis dixerit, Per hanc doctrinã catholicam de iustificatione, à sacra Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari, anathema sit.

CAPVT XXIII.

Responsio ad Tres potissimum calumnias Caluini contra vniuersos Canones.

CONTRA hos præmissos canones multa Caluinus intorquet, multa clamitat, multa nugatur, multa calumniatur. Exceptis tribus prioribus & 19. & 22. nullus est, qui in totum eius palato faciat satis. Maximam partem eorum damnat, omnes contemnit, deridet, floccifacit, & vbi non potest aliquid damnare, aliquid tamen inuenit quod mordeat. Videas, si legas illius censuras, execrationibus & fulminationibus Patrum eum comprehensum, & Spiritu satanæ agitatum, vix iam posse vlli sanæ doctrinæ acquiescere. Sed ex omnibus quæ in doctrinam Patrum obiectat, tres dumtaxat mihi video reliquas esse calumnias, quas hoc loco debeam diluere, vt susceptũ munus fideliter absoluam.

Atque vt à postremo canone incipiam, illud in primis queritur, quod Dei gloriam & Christi gratiam propemodum hac doctrina Patres exinaniuerunt. Et quia districte prohibuerunt, ne quis hoc diceret: *Ingeniosa vero cautio*, inquit, *ne quis videat, quod vident omnes.* Et paulopost: *Anathematis terrorem alijs incutiunt, ne impietatem cernere ausint, cuius ipsi sibi conscij erant.* Verum audi patienter Cal. & nisi te pigeat discere, quod ignoras, intelliges non S. Synodum, sed vos esse & in Dei gloriam, & in Christi gratiam impios ac blasphemos. Nec Deus quidem, nec Christus vt homo, indiget bonis & gloria nostra. Propter commodum & gloriam nostram glorificari à nobis vult Christus. Et tum demum glorificari se putat, dum nos serio & in illo, & per illum vel perficimur, vel perficimus: ac illius in nos dona non leuia esse, aut inania, sed eximia & magnifica sentimus. Quis ergo magnificentius sentit de donis Dei & meritis Christi? vos, an S. Synodus? Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius. Teipsum ausim constituere hic iudicẽ, nec verebor tuum ipsius iudicium subire, si, quæ dixero, intellexeris, & ex conscientia sentẽtiam tuleris. Vide quantum nostræ causæ confidam. Fatetur ergo S. Synodus, vt manifeste vides, in his Canon. non posse nos nec acquirere iustitiam, nec deperditam reparare, nec in ea proficere aut perseuerare, nec denique ad ipsius perfectionem venire, nisi ex Dei benignitate per Christum. Nihil igitur est in vniuersa nostra iustificatione, quod Dei gloriæ aut Christi gratiæ subtrahatur. Nam in his quinque gradibus tota illa versatur & perficitur.

Quod si rursus & nos facere posse, ac sæpe aliqua ex his facere ex Dei gratia, & propter merita Christi asseuerat, tanto ergo magis quam vos, Dei gloriam & Christi in nos gratiam commendat, quanto plura & præstantiora concedit per Dei benignitatem

Calumnia 1. Caluini.

Responsio

tem & propter Christi iustitiam nos posse facere & promereri. Vos vos certe derogatis gloriæ Dei, qui dicitis totam libertatem ad bonum, abstulisse homini per peccatum, & à nobis exigere impossibilia, nec donum aliquod hactenus communicasse homini, per quod possit absque vitio & culpa operari, aut iustificationis suæ, aut profectus, aut perfectionis esse vel minima causa. Et quasi Deus auarus sit aliquis, aut parcissimus, & suorum bonorum indigens, aut quasi gloria nostra gloriæ illius quicquam possit detrahere, ita hæc omnia in solidum Deo tribui vultis, vt nullam prorsus partem suæ gloriæ communem voluerit facere, vel in gratiam sui filij, suis creaturis. Vos vos profecto detrahitis gratiæ Christi, qui tam parum illum potuisse apud suum patrem asseritis, vt eos pro quibus mortem acerbissimam pertulit, nec fecerit donis aliquibus eis inhærentibus iustos, nec auxilia eis promeruerit, quibus possint vel bene operari, vel liberi à peccato & reatu esse in hac vita. Nonne in naturalibus tanto minoris virtutis aliquod agens probatur, quanto pauciores & minus perfectos effectus potest producere? Nonne ille minuit magnificentiam regis, qui minora prædicat eum contulisse suis subditis? Et quis sicut Caluinus inuidet gratiæ Christi, qui ex septem sacramentis nobis ab illo benigne collatis, omnia tollit præter duo, & eorum duorum vim pene omnē euacuat, & opera in ipso Christo, & per ipsum facta, damnat? Et quis sicut Caluinus, Christum deridet & spernit, qui vicarium illius & sponsam suam Ecclesiam in Concilijs & in præceptis irridet, qui traditiones Christi & Apostolorum contemnit, & ipsam sacrosanctam inuiolabilem scripturam decurtat & adulterat?

Calumnia 2. Caluini. Quereris quod tot anathemata Patres in vestros errores fulgurauerint, & Bacchico furore percitos tot dicis eos execrationibus diffluxisse; vt se probarent de numero eorum esse, quorum os maledictione plenum est.

Respo. pro multitudine anath. Sed non tam paucis, sed sexcentis prorsus, & bis mille vos omnes feriendi estis anathematis, qui conturbatis Ecclesiam & miseras oues, dum blandis sermonibus decipitis, à caulis Dominici gregis dispergitis, & à veterum pastorum suorum obedientia subtrahitis, & volentes iam ad rectam fidei lineam reuerti, mille dolis & technis, etiamnum cum aperto iudicio diuino vestra causa damnata est, impeditis. Non primi Patres Tridentini anathema indixerunt in errores contra fidem. Visa sunt & ipsis pene omnia concilia generalia, & multa sancta prouincialia. Visi sunt sancti patres, & nominatim Greg. in lib. 1. epist. 24. Et à Paulo hæc didicit Ecclesia, qui et angelis de cœlo anathema Apostolica authoritate indixit, si aliud à fide, à se tradita, euangelizarent. Nec crudelitas hæc est, vt calumniaris, nec feritas, nec truculentia, sed misericordia, sed benignitas. Cauent sic pastores Christi suis ouibus, & deterrent à pestiferis & noxijs doctrinis. Et vos cogitis ad hæc Ecclesiam qui tantum virus scriptis vestris disseminatis. Tollite pestilentes errores, quibus animas inficitis & perditis, & cessabunt anathemata.

Calumn. 3. Caluini. *Non pudet*, addis, *intonare, neminem iustitiæ compotem futurum, qui non firmiter teneat, quod præscribunt. Quid? An noua iustificationis ratio nuper exorta est? Ac non potius [illegible] vna est salus, [illegible]ua & eadem omnes a[illegible] [illegible]mus via? Quid ergo Prophetæ & Ap[illegible], qui non operam dederunt talibus ma[illegible]ris?* O vero sapientissimam & prudentissimam Caluariam.

Respon. *Non pudet*, inquit. Quasi pudendum sit, ipsissimum Christi Euangelium, fidelibus necessarium annunciare. *An noua est*, addit, *iustificationis ratio?* Quasi vt noua, hæc dogmata, & non potius, vt vetustissima, Patres comprobauerint. *Et quid erit*, subiungit, *Prophetis & Apostolis, qui talibus magistris operam non dederunt?* Quasi Patres se illorum Doctores, & non verius eorum discipulos & successores, & filios vbique fateantur. Sustine Caluine paululum, & intellige, si potes, sapientiam & mirandum consilium S. Synodi. Non excluserunt Patres Prophetas aut Apostolos à iustificatione, nec aliquem omnino Sanctorum, qui eos præcesserunt, aut hæc non egerunt: sed excusse-

runt vos, qui lecta cõtemnitis, ridetis, ſubſannatis. Et quia non eſt noua hæc doctrina, ſed antiquiſſima, atque vt ex his noſtris libris potes, ſi credideris, luciſſime intelligere, à Chriſto & ab Apoſtolis tradita, & perpetuo retenta ab Eccleſia catholica, idcirco tanta authoritate firmatur & ſancitur. Et quoniam vna eſt hæc via, qua ad veram ſalutem omnes peruenturi, ideo Patres neminem iuſtificari poſſe aſſeruerunt, qui non hanc firmiter & fideliter ſuſceperit. Et tu igitur Caluine, ſi ſapis, redi in teipſum: agnoſce tandem errores tuos, agnoſce contumelias, agnoſce blaſphemias. Ne deſpicias Deum, te ad pœnitentiam adhuc vocantem. Non opus eſt exagitare Hieron. dicentem, pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium. Non ille, vt tu ſuſpicaris, pœnitentiam poſt mille naufragia negauit: ſed ſecundam tabulam dixit, ad differentiam baptiſmi. Idcirco Eccleſia Chriſti ſpõſa, iſtis vos anathematis dure ferit, vt à grauiſſimo ſopore & ſtupore, quo tenemini, aliquando expergiſcamini, & reſipiſcatis à diaboli laqueis, à quo captiui tenemini ad ipſius voluntatem. Animaduerſio ipſius in vos, teſtimonium eſt ſtrictæ dilectionis, qua vos proſequitur. Cupit vel hac ratione liberos videre ac viuentes filios, quos nunc ſeruos peccatorum, & vere in ſeipſis mortuos, deplorat.

Quod ſi pœnitentia ductus, conſilium noſtrum agnoueris, & ipſa in primis, quæ nemini materna ſua viſcera claudit, tametſi grauiter à te ſubſannata & deſpecta, obuijs te manibus redeuntem accipiet. Ac Pater miſericordiarum, qui Pauli, tametſi blaſphemi, & perſecutoris, & contumelioſi, miſertus eſt, quia ignorans ea faciebat, miſerebitur & tui, & vt filium exoſculabitur, honorabit, ac donis, quæ nunc non credis, locupletabit & augebit. Noſque qui tui ex corde miſerti, pro profugo & errabundo nunc gemimus, & ad Deum qualeſquales preces ex animo pro te fundimus, plane tuo reditu & conuerſione beabis. Ideo enim tibi non pepercimus, vt Deus aliquando parcat. Atque hæc ſatis iam ſint, pro tua tota antidoto & expoſitione & defenſione totius huius decreti, in Dei gloriam & Chriſti gratiæ commendationem à Patribus editi. Ipſi Chriſto, totius noſtræ iuſtitiæ authori, gloria & laus ſit cum Patre & Spiritu ſancto ab omni creatura per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS XV. Librorum, de vniuerſa iuſtificationis doctrina, in explicationem & defenſionem Tridentinæ Synodi, ab Andrea Vega doctiſſime conſcriptorum.

)!(

EIVSDEM AVTHORIS OPVSCVLVM, NON SOLVM DE IVSTIFICATIONE, SED ETIAM DE GRATIA, FIDE OPERIBVS ET MERITIS, EGREGIE TRACTANS QVÆSTIONES QVINDECIM, ac primum de Fide iustificante.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. PETRO PACCECO, S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI, ET GIENNENSI PRÆSVLI, PATRONO AC DOMINO suo colendissimo,

Andreas Vega, Salutem in Domino & felicitatem.

INTER cætera hæreseon monstra, quæ iam olim opera Doctorum Ecclesiæ sepulta, ab ipsis velut inferis, cum magna religionis nostræ pernicie, periculosissimis his temporibus suscitata sunt, non minimum illud est, illustrissime & amplissime præsul, sed forte maximum, ac cæterarum pene omnium hæresum nostræ tempestatis fons & origo, fidem solam ad salutem cuiuis sufficere. Hoc ex errore plerique huius temporis hæretici, falsa quadam specie libertatis seducti, & seducentes multos, Ecclesiasticos ordines & consuetudines, iura & priuilegia pontificia, religiosorum vota & instituta, quin & ipsa sanctissima Christi Sacramenta contemnere, subsannare, prophanare, seq; ipsos iam olim Deo dicatos, proh dolor, proh pudor, libidini & voluptatibus carnis consecrare & mancipare sunt ausi. Neque mirandum sane. Quid enim vereatur, quid formidet, immo quid non despiciat, & pro nihilo habeat, cui semel persuasum fuerit, fidem sibi solam ad iustitiam sufficere, neque interclusum esse vlli, quantumuis magno sceleri aut temeritati, regni cœlorum ingressum? Neq; ab his adeo longe absunt, qui dicunt, ad primam quidem iustitiam seu iustificationem sufficere solam fidem, non autem ad secundam. Si enim ad comparandum iustitiam primam sufficit fides sola, non erit necessaria pœnitentia, neque erunt necessaria alia bona opera, immo sufficiet fides sola ad eam iustitiam conseruandum & tuendum, & ex consequenti ad iustitiam secundam. Nemo enim potest perdere iustitiam, eo in se manente, quod satis est ad consequendum iustitiam. Neque ista tam aperte absurda vitant, qui dicũt ista esse intelligenda de fide viua, quæ per dilectionem operatur, & non de fide mortua, aut, vt ipsi vocant, historica. Qui (vt ingenue dicam, quod sentio) his verbis miseras plebes decipiunt, quæ existimant eos asserere, non esse necessaria bona opera ad iustitiã, sed fidẽ omnino solã sufficere, & aperte sibi ipsis aduersãtur. Si enĩ necessaria est ad iustitiã fides viua, necessaria sunt profecto bona opera, neq; sufficit fides sola. Fides enĩ viua nõ est sola, sed coniunctã habet caritatem & reliquas virtutes. Et si ad iustitiam necessaria sunt bona opera

 & ipsis

& ipsis ergo tribuenda est ex parte iustificatio nostra, & non fidei soli. Dicant quodcunque voluerint, aduersarij. Excusent, quocunq; libuerit, colore perniciosa hæc sua dogmata, Fides sola iustificat, Fides sola satis est ad iustitiam. In aperto est ac plane conspicuum, multos fuisse propter illa optimis meritis frustratos, & à recta fide decessisse, neq; intellexisse, quæ esset vera via ad gratiam & iustitiam Dei consequendum. Atque hæc vna vel maxima fuit nobis causa, vt intermissis omnib. alijs stud ji, huic opusculo de iustificatione, gratia, & meritis, totus omni vi & ope nostra aliquot menses intenderim, quod in his plerosque passim labi, & ab hæreticis seductos esse, certo intellexerim. Et à capite ineunda mihi fuit ratio aduersus hæreticos. Ibique neruos omnes nostros & conatus intendere in primis decuit, vbi acrius & frequentius hostes fidei insistunt, & se de nobis triumphare facile credunt, vndeque certius & grauius & maius periculum fidelibus animabus impendere manifesta luce conspicimus. Quam autem hęc argumenta commodè tractauerim, aliorum esto iudicium. Tam multis enim eruditione & pietate præcellentibus viris, vndecunque confluentibus in hanc præclaram & felicem vel hoc nomine Tridentinam vrbem, alios quidem sperare licet fore, qui œcumenicæ Synodo in ipsa felicissimè modo cœptæ, aurum & argentum & lapides preciosos offerant: alios, qui byssum & purpuram: alios, qui coccum & hyacinthum. Nobiscum bene agitur, si, dum maiora & meliora adornamus, pro paupertate interim & tenuitate nostra, vt fidem nostram, & affectum, & pietatem in sanctissimam hanc Synodum, manifestam faciamus, vel pelles, vel capratum pilos offeramus. In tabernaculum Dei offert vnusquisque, quod potest, ait Hieronymus. Et nos quidem in paucis his Quæstionibus, quas hic tractauimus, quod potuimus, certe præstitimus. Quanquam enim non omnia persecuti sumus, quæ ad hæc argumenta spectarent, sed ea duntaxat, quæ satis esse visa sunt ad eas quæstiones, quæ inter nos & hæreticos huius temporis præcipue controuersæ sunt, quaq; secundam aliquam manum, & accuratiorem quampiam diligentiam desiderare videbantur: tamen in his, ne actum agere videremur, inseruimus permulta, quæ ad expositionem & germanam intelligentiam multorum locorum scripturæ, & præsertim Pauli, conducent, & nonnulla (absit inuidia verbo) Scholastico stylo primi omnium, quos legerim, disputauimus, & ad certissimam sanctarum scripturarum fidem expendimus, & examinauimus. Et quoniam beato Augustino acerrimo Catholicæ fidei defensori, hanc Notam plerique huius temporis hęretici inurere conati sunt, vt ille suis ipsorum dogmatibus, immo factionibus & pestilentissimis doctrinis fauisse videatur, in gloriam huius clarissimi Doctoris, & vt eum ab hac iniuria aperte vindicarem, adnixus sum vbique, quantum ille toto cœlo ab eorum sectis dissideat, ostendere. Quoque id lucè clarius cunctis constare possit, omnia fermè, quæ ille docuit de iustificatione nostra, gratia & meritis, in libris, quos multos de his rebus edidit, sub quodam compendio lectori ob oculos posui. Ea vero ratione tibi præsul clarissime hanc qualemcunq; opellam dicaui, quod singulari tuo in me amore, & eximijs tuis in me & in totum nostrum

nostrum ordinem beneficijs,ita me tibi addictum,obstrictum, & obæratum esse intelligo,vt quidquid à me boni proficiscatur,id totum ex asse,& summo quidem iure sit tuum. Et alioqui cum clarissimos tuos Paccecorum & Guevarensium natales,felicissimum tuum ingeniū,ac mire dextrum,& in omnia versatile, iudicium in omni genere rerum singulare, tenacissimam memoriam,inauditam consilij vim, peritiam vtriusque iuris,& præsertim canonici, non vulgarem,absolutissimam rerum humanarum prudentiam,&quod ego multo quidem maximi facio, cum generosum istum tuum & erectum animum,feruensque fidei studium,& religionis ardentem zelum,honestissimorumque morum integritatem,humanitatem,suauitatem,&sanctitatem mecum contemplor tacitus, intelligo profecto aptissime tibi, si cuipiam alij,opusculum de iustificatione,gratia,& meritis consecrari. Optime enim respōdent titulo huius libelli,& iustitia, & gratia, & præcellentia merita tua. Tam singulari namque es,& tam rara gratia apud Deum & homines, vt sanctissimus Papa noster Paulus huius nominis tertius,ad præcellentis Giennensis diœcesis honorificam episcopi,qua fungeris,dignitatem, & hoc quoq; velut auctarium his diebus adiecerit, vt te in augustissimum & amplissimum Cardinalium collegium,de omnium eorum consensu, & mirifico omnium Hispanorum applausu cooptauerit. Et præter hoc,tam multa merita & nomina laudis cumulatissimè in te splendent, tam multaque & tam præclara iustitiæ & integritatis certissima documenta hactenus dedisti, vt te inuictissimus, idemq; incorruptissimus Imperator noster Carolus huius nominis quintus, iam quater visitatorem,ac veluti censorem instituerit,qui nobilissimum illud omnium bonarum literarum emporium, Salmāticensem dico academiam, nutricem ac matrem nostram, illustrissimaque aliquot ipsius tribunalia ea authoritate visitares, corrigeres,componeres,& conformares, vt iustificare penè posses, quos voles, & à tuo æquissimo & incorruptissimo calculo, multorum magnificentissimorum & ornatissimorum virorum integritas,merita, gratia & iustitia pēderent. Accipe igitur obseruandissime antistes obsequiolum hoc nostrum, multis tibi nominibus debitum,&, vt iure gratiam mereatur apud cęteros,benigno fauore tuo,si dignū videbitur, prosequere. Quod si quid in eo,quæ humana infirmitas est,merito castigandum fuerit,id omne & humane,vt assoles,& amanter corrige. Et tui enim castigatissimi iudicij, & cuiuscunq; rectius sentientis,& in primis Sedis Apostolicæ, totiusque huius sacri Concilii certissimæ censuræ, & hæc, & omnia nostra subiicimus. Vale integerrime præsul,decus&ornamentum nostri seculi non vulgare.Tridenti, Calendis Ianuarij, Anno salutis M. D. XLVI.

QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

PRIMA QVÆSTIO.

Quæ Fides, & qualis illa sit, cui diuina Scriptura, & præcipuè Paulus, iustificationem hominis tribuit?

II. *An Fides sola sufficiat hominibus ad salutem?*

III. *An fides teneat primum & præcipuum locum in iustificatione peccatoris?*

IIII. *An fides, & alia opera pia, meritoria sint apud Deum?*

V. *An fides, & alia opera iustorum, sint meritoria beatitudinis ex condigno?*

VI. *An fides, & alia opera concurrentia ad iustificationem peccatoris, meritoria sint ipsius iustificationis?*

VII. *An fides & alia opera, quibus disponuntur peccatores ad gratiam, sint meritoria, saltem ex congruo, suæ iustificationis?*

VIII. *An possit homo per proprias vires naturales absq; Dei adiutorio speciali facere, quæ necessaria sunt ex parte sua, vt iustificetur, & ad gratiam Dei perueniat?*

IX. *An possimus per vires solas naturales, cũ cõmuni Dei influentia credere fidei nostræ?*

X. *An necessarium sit auxilium Dei speciale ad diligendum Deum super omnia?*

XI. *An ad veram pœnitentiam nostrorum peccatorum, sufficiant vires nostræ naturales cum communi Dei influentia?*

XII. *An necessaria sit gratia auxilij specialis ad quodcunque opus bonum, & ad vincendum quamuis tentationem, & ad implendũ quodcunq; mandatum, & vitandum quodcunq; peccatum?*

XIII. *An necessaria sit gratia gratumfaciens, ad implendum præcepta diuina?*

XIIII. *An iustificatis necessaria sit gratia auxilij specialis ad implendum præcepta diuina, ad vincendum tentationes, perseuerandum in iustitia, & generaliter ad vitandum peccatum, & bonum operandum?*

XV. *An iusti mereri possint suam in bono perseuerantiam?*

Quæ Fides & qualis illa sit, cui diuina Scriptura, & præcipue Paulus, iustificationem hominu tribuit?

RACTATVRVS de Iustificatione hominis, quæ abditissima res est, neq; aliunde melius potest constare, quam ex vera & genuina sacrarum literarum intelligentia: operæpretium me facturum existimaui, si ab expositione fidei, cui eam imputant scripturæ, exordium sumerem & stylo Scholastico, qui ad elucidanda & illustranda obscura cuncta commodissimus est, dicenda omnia cõplecterer. Pro solutione igitur huius quæstionis, ne in æquiuoco laboremus, & multiplicitas huius vocabuli nobis in alijs quæstionibus confusionem pariat: & sicut plerosq; facit, Andabatarum more errare nos cogat, duo præmittam notanda, inde ad quæstionem ipsam quinque respondebo propositionibus.

1. Anthoris notatio. Primo igitur notandum est, & ad intelligentiam multorum locorum scripturæ, diligenter memoriæ mandandum, hoc vocabulum Fides, variè accipi & in sacris literis, & apud bonos & Latinos authores. Multiplex enim est, & longe inter se distantia significat. Et nouem quidem illius notatu significationes in sacris scripturis, & in Latinis authoribus: sed ex illis priores quatuor, celebriores sunt & frequentiores. Nã reliquæ quinque ab his videntur fluxisse, neq; admodum longe ab eis distare.

Et primo quidem fidei vocabulum solenne est vsurpare pro fiducia, seu confidentia, ita vt non multum differat ab spe. Et sic accepit Cicero in oratione pro Quinto Ligario, cum ait: Cuius ego causam, animaduertite, quæso, qua fide defendã, cum prodo meam. Et frequens est apud Latinos credere pro fidere: &, vt prophanos authores consulto prætereamus, sic fidem accepit Iacobus, cum ait: *Siquis autem vestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Hoc est enim postulare in fide, certa minimeq; dubia fiducia benignitatis diuinæ postulare. Sic & sæpe videtur accipi in

1. Fides seu fiducia pro confidentia.

Iacobi 1.

Euange-

Euangelio, cum Christus fidei petentium mirè tribuit, atque adeo eximia miracula, quæ in confirmationem suæ doctrinæ, & in eorum auxilium; qui ad eum confugiebant

Matth. 17. Luc. 17.

passim patrabat. Neque secus videtur accepisse, cum pollicebatur habentib⁹ fidem sicut granum sinapis, potentiam ad transferendum montes, & cum reprehendit in Petro, & in alijs Apostolis modicam fidem.

Matth. 14.

Et Paulus de hac potest exponi, cum ait:

1. Cor. 13.

Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam. Donum enim quoddam eximiæ fiduciæ gratis datæ, hîc videtur appellare fidem, qua qui pollet, potens est ad transferendum montes. Sic & credere accipitur, cum

Marc. 11.

dicit Christus: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Neque enim hîc certum assensum obtinendi, quæ petimus, exegit à nobis Christus, vt assequeremur, quæ petimus. Esset enim & talis sæpe falsa & leuis persuasio, minimeq; vtilis ad impetrandum quæ volumus, sed fiduciam obtinendi ex benignitate diuina, quæ postulamus, requisiuit. Ea enim maximè conducit ad consequendum, quæ oramus. Vt enim nos illis opem ferre, naturæ nostræ quadam propensione volumus, qui cum fiducia nos adeunt, nostrumq; fauorē fiducialiter implorant, ita & Deus ipse multo magis eis fauet & subuenit, benignissimeque suum auxilium impartitur, qui ad ipsius clementiam libertatemque cum fiducia confugiunt. Et ista est fides, quam inter fructus spiritus Paulus connumerat: quā

Galat. 5.

& quidam animi quandam tractabilitatem exponunt, quæ pertinaciæ opponitur. Forte quod qui suauibus sunt moribus, lenive ingenio præditi, facile alijs fidant, & hoc ipso se eis faciles & tractabiles præbeant.

II. Fides pro fidelitate.

Secundo fides accipitur frequentissimè pro fidelitate & integritate, religioneque (vt sic dixerim) & innocentia, qua fideliter aliqua agimus negocia, & religiose implemus, quæ promisimus. Sic Cicero primo libro de officijs, & in quarto libro de republica. *Fides, inquit, est dictorum, conuentorumq; constantia, & veritas.* & alias frequentissimè in orationibus vtitur hoc verbo in ista significatione, dictamq; sic ait, quia per eam fit quod dicitur. Sic & frequenter apud Latinos dicitur quispiam bona fide aliquid agere, qui in ea re gerenda, & integrè & fideliter, minimeque fraudulenter se habet. Seruareque fidem dicitur, qui reddit quod promisit: & violare fidem, qui non ea integritate & religione negocia sibi credita gerit, quam requirit fidelitas. quam nobis ipsis in communi consuetudine debemus. Sic & Cicero Latinissime & prudentissimè dixit: *Non est æquum, vt aliano potius dolori, quam nostra fides, hoc est, nostræ integritati & innocentia consulamus.*

Et vocatur ista virtus etiam à Latinis veritas, veracitasque. Et in hanc significatione sic accepit Paulus cum dicit: *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* Sentit enim Paulus

Rom. 3.

haudquaquam potuisse irritari fidem, quā Deus seruat in exhibendis quæ promisit, & implendis quæ prædixit, propter incredulitatem quorundam Iudæorum. Vnde & statim subdit: *Est autem Deus verax, omnis autē homo mendax*, sicut scriptum est: *Vt iustificeris in sermonibus tuis.* Et in hunc sensum regius psaltes dicit. *Omnia opera Dei in fide.* Sic & Iudas dicit, in suam fidem recepisse Beniamin. Sic Ecclesiasticus admonet fidem possidere cum amico, hoc est, fideles esse ei, nosque ei veraces & integros præstare. Sic & in Hester commendatur fides Mardochæi in Assuerum. Et Deus queritur per Hieremiam perijsse fidem, & ablatam esse de ore hominum. Nempe quod perijt in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi.

Psalm. 50. Psalm. 32. Gene. 44. Eccle. 12. Hest. 2. 6. & 16. Hier. 7.

III. Fides pro iureiurando & sponsione accipitur.

Tertio fides accipitur pro iureiurando, siue sponsione, qua nos alicui rei faciendæ adstringimus. Sic apud Latinos dicitur liberare fidem suam, qui implet, & re exhibet, quod promisit: violare vero fidem, qui non soluit promissa, neque præstat conuenta. Quem & perfidum, & infidelem, & fœdifragum Latini, appellant. Sic & Paulus apertissime fidem accepit, cum de adolescētioribus viduis, quæ cum luxuriatæ fuerint in CHRISTO, nubere volunt: aperte pronunciat habere eas damnationem, hoc est, damnationi merito subiacere, & illius esse reas, quia primam fidem irritam fecerunt. Vbi manifestum est, fidem vocari à

1. ad Tim. 5.

Paulo

Paulo sponsionem, seu votum castitatis, quo se Christo adstrinxerant. Ideo enim & eas ait, priorem fidem irritam facere, & ea de causa, vt sacrilegas & reas fracti voti, dãnationi subijcit, quia non præstant, sed soluunt & violant, quam ante promiserant, castitatem. Accepit & in hac significatione Latinissimus ille author, Aeneid. 8. versu 150 qui dixit: *Accipe, daque fidem.* Et in hunc sensum dare fidem, seu adstringere fidem dicimur, cum aliquid pollicemur. Et fide publica iter agere, aut causam dicere, Lunianum & Salustianum est, pro saluo conductu, quod dicunt, hoc est, publica securitatis promissione. Posset & sic accipi fides

Rom. 3 in citata authoritate ex Paulo: *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?*

IV Fidei significatio, vt pro credulitate sumatur.

Quarto fides accipitur pro credulitate, siue persuasione, aut assensu firmo & certo, sed ineuidenti tamẽ. Et in hac significatione vsi sunt isto vocabulo, non solum Ecclesiastici authores nobiles, vt Lactãtius, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, sed & prophani authores Latinissimi: Neque est cur aliqui morosi, ne dicam, superstitiosi nostræ tempestatis Aristarchi, hoc vocabulo fides, in hac significatione vti caueant. Certe Liuius lacteo eloquentiæ fonte vbique manans, sic accepit fidem in primo libro suæ historiæ, dicens: Hæc, inquit, Romulo regnante, militiæ, domique gesta, quorum nihil absonum fidei diuinæ originis, diuinitatisque post mortem creditæ fuit. Celsus etiam libro septimo sic fidem accepit, cum ait: *Vbi eius rei fides est*, hoc est, vbi cares certa, persuasa, exploratáque fuerit, pridie is puer in ieiunio continendus, & tum loco calido curatio adhibenda. Sic & Virgilius in quarto Aeneidos:

Credo equidem, neque vana fides, genus esse deorum.

Et apud Ciceronem, fidem facere, frequentissime legimus: pro eo, quod est, persuadere. Et fidem adhibere, alicubi Latinissimi quippe authores, pro credere, accipiunt: & dignum eum fide dicunt, cui par sit credere: & optimæ fidei hominem, cui omnes credunt, fiduntque. Contra indignũ fide, qui non meretur, vt sibi credatur. Et *Fronti nulla fides*, dixit quidam. Conciliare etiam fidem alicui, Latinissime quidem dicitur: pro eo quod est, facere, vt fides ei adhibeatur: & contra, detrahere, vel derogare fidem alicui, authoritatem illius minuere.

Act. 9. Sexcenta autem sunt loca in Euangelicis & Apostolicis Scripturis, vbi fides accipitur pro certa, indubitataque oraculorum diuinorũ credulitate. Sed ex multis locis vnus poterit ad hoc firmandum esse satis. Is autem est Pauli dicentis: *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Rom. 1. Scio varias assignari huic loco expositiones, tamen si bene expendantur & præcedentia, & consequentia, & totum propositum Pauli in eo loco, probabimus hunc esse verissimum & germanissimum sensum illius, quod iustitia Dei reuelatur in Euangelica prædicatione ex fide prædicantium in fidem audientiũ, ex fide annunciantium in fidem obedientium, ex fide maiorum in fidem minorum, ex fide Doctorum in fidem populorũ, ex fide Prophetarum veteris testamenti in fidem Apostolorum & pastorum noui testamenti, ex fide præcedentium in fidem sequentium. Cum enim Euangelici prædicatores, quæ certo & indubitato credunt de iustitia Dei, fidelibus populis edisserunt, & quæ illi tradunt, populi credunt, alijsque contestari satagunt, panditur nimirum & manifestatur iustitia Dei. Neque hic quispiam fidem pro fiducia, aut fidelitate, aut promissione potest accipere, quin in sensus absonos, minimeque conuenientes Paulo incidat. Et ipse Paulus quem assensum siue credulitatem communi vocabulo fidẽ appellauit, postea capite tertio & quarto eiusdem epistolæ, per verbum credendi, adeo diserte & clare explicuit, vt nemo, nisi qui plane velit resistere aperto lumini, dubitare possit, quin in hac significatione ipse ibi accipiat fidem. Et in Euangelio frequentissime sic Christus & fidem accepit, & credere. Neq; enim sic fiduciæ tribuisse miracula, quæ faciebat, credendus est, quin eis in vel primas partes huic fidei tribuerit, sine qua, fiducia de ipsius benignitate haberi nullo modo poterat. Et sæpe vni huic fidei, hoc est,

1. Cor. 9.

7. Fidei acceptio.

est, credulitati ad se venientium, tribuebat miracula, vt apertissime facit, cum duobus cæcis petentibus ab eo misericordiam, dixit: *Creditis quia hoc possum facere vobis? & respondentibus illis, Vtique Domine: tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.* Et Diuus Augustinus, cum disserteret, an fides in nostra esset potestate, in De spiritu & litera, cap. 31. ita ait: *De hac fide nunc loquimur, quam adhibemus, cum aliquid credimus, nõquam damus, cum aliquid pollicemur. Nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus, Non mihi habuit fidem: aliter autem, Non mihi seruauit fidem. Nam illud est, Non credidit quod dixi: illud, Non fecit quod dixit. Secundum hanc fidem, qua credimus, fideles sumus Deo: secundum illam vero, qua fit quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui non vos permittet tentari super id quod potestis.* Hæc Augustinus. Ex quibus patet, fidem ab eo intelligi & vocari credulitatem, qua certo & indubitato consentimus verum esse, quod legimus vel audimus. Et hoc ille ibidem aperte ex alijs scripturæ testimonijs confirmat, quæ nos, quoniam aperta sunt, & passim talia occurrunt in scripturis, libentes prætterimus. Istæ sunt frequentiores & celebriores fidei acceptiones. Sed sunt & præter has aliæ quinque non infrequentes, neque nimium raræ, sed & in claris authoribus, & in sacris literis vsitatæ. Quas tamen vel ex hac quarta acceptione fidei, vel ex hac quarta & secunda ortas esse crediderim, neque ab eis adeo multum distare.

Matt 9.

1. Cor 9.

V. Fidei acceptio.

Quinto ergo fides accipitur à Theologis pro habitu inclinante ad huiusmodi assensus, certos illos quidem & firmos, sed ineuidentes, quippe qui propter solam authoritatem eorum, quibus credimus, à nobis habeantur. Et ideo habitus ad talesassensus inclinans, fides vocatur: assumunt enim habitus nomina actuum, ad quos inclinant, quod natura sua multum cum eis conueniant. Et sic Paulus de fide videtur loqui, cum eam donum Dei appellat, & cum substantiam rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, dicit esse fidem, & cum inter gratias Spiritus sancti eam connumerat. Est enim gratia Spiritus sancti, præsertim cum illa adeo eximia est & excellens, vt præcipuum quoddam & eximium & selectissimum Dei donum videri queat. Estque ista acceptio fidei in vsu maxime apud Doctores Scholasticos.

VI Fidei acceptio.

Sexto etiam fides vocatur, ipsa nostra religio Christiana, vt pietas recte de diuinis sentiens: & status hic totus legis gratiæ, fides appellatur, & status fidei. Et sic à Paulo manifestissime fides accipitur, cum dicit: *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Quid enim est aliud, Venisse fidem: quam, Reuelatum iam esse statum hunc nostrum, qui est status fidei? & talis multis nominibus appellatur, & ab eodem Paulo ibidem opponitur statui legis. Galat. 3.

VII. Fidei significatio

Septimo fides vocatur authoritas, cui par sit credere. Vnde est in Pandectis titulus de fide instrumentorum, hoc est, de authoritate quam habere debent instrumenta. Et examinare fidem instrumentorum, idem est, ac expendere & librare, cuius sint authoritatis. Et optimæ & exploratæ fidei instrumenta dicuntur, quibus iustissimum est fidem adhibere.

VIII.

Octauo etiam fides vocatur, quicquid certa & indubitata fide Ecclesiæ communiter tenemus, forte quod exploratæ & compertæ sit veritatis, quicquid credimus secundum fidem nostram Catholicam. Et sic accepit Athanasius fidem, cum in symbolo suo dixit: *Fides autẽ Catholica hæc est, &c.* Ita & Paulus vnam esse fidem dixit, quod vnum videlicet est & idem, quod omnes Catholici credunt, immo & quod crediderunt, & credent.

Neque enim fides nostra in varias sectas distinguitur, sicut hæresis, sed vna est omnium Catholicorum fides. E eandem fidem vbique prædicarunt Apostoli toto orbe dispersi, & nunc prædicat tota Ecclesia, quam prophetæ sub nube & ænigmatibus & vmbris figurarũ prædicabant. Quare & Paulus eundem nos dixit habere spiritum fidei cum illis. Sic etiam accepit idem Pau-

Hhhhh

Paulus, cum se dicit accepisse gratiam & apostolatum ad obediendum fidei, hoc est, ad faciendum, vt homines obediant fidei, & eorum quæ credimus, iugo sua colla subijciant. Et in eundem sensum dicit, patefactum esse hoc tempore mysterium euangelicæ nimirum prædicationis, per scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei ad fidei obeditionem, in cunctis gentibus, hoc est, vt obediatur fidei doctrinæ, eamque amplectantur omnes gentes. Sic & frequenter accipimus fidem in communi consuetudine, dicentes, hæreticorū dogmata contraria esse & aduersari fidei nostræ, & aliena esse à fide ecclesiæ, & Apostolos propagasse & inuulgasse fidem per totum orbem tum cognitum, & Doctorum expositiones fidem illustrasse, & plures esse articulos, plura & symbola fidei, neque totam fidem nostram comprehensam scripturis sanctis esse, sed multa etiam spectantia ad fidem, constare sola traditione Ecclesiastica.

9. fidei significatio. Nono accipitur fides pro conscientia. Inde fortassis, quod & ipsa conscientia credulitas quædam sit. Et sic sæpe accipitur à Paulo, maxime vero cum dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* (Rom. 14.) Hoc est enim quod non est ex fide, vt clari authores exponunt, quod non est ex conscientia, & iuxta quod ea nobis agendum præscribit, sed contra eam potius.

Altera authoris monitio & notatio. Secundo notandum est, fidem in quarta significatione, quæ notior est & vsitatior in schola theologica, quadrupliciter diuidi à theologis.

Primo quidem fides diuiditur in humanam & diuinam. Humana est, qua aliquid credimus propter authoritatem hominū, aliqua contestantium & affirmantium nobis. Diuina est, qua aliquid credimus propter authoritatem Dei nobis illud reuelantis. Et intermissa fide humana, quæ neque semper certa, neque infallibilis est, sed nonunquam error, nonnunquam & opinio, formidinem habens annexam de opposito. Fides diuina, qua aliquid credimus propter authoritatem Dei, secundò diuiditur in actualem, & habitualem. (Fides diuina actualis.) Fides actualis est assensus firmus certusque, sed incuidens, eorum quæ à Deo reuelata sunt. Quod certus assensus est & firmus, distinguitur ab opinione, & eam excedit. Siquidem opinio neque certus est assensus, neque firmus. Potest enim ei subesse falsum, & sæpe subest. & infirmus est assensus & imbecillis. Habet enim opinio annexam formidinem & hæsitationem de veritate eius, cui opinatiue assentimur. Sed quod incuidens assensus est fides, exuperant eam intellectus, scientia, & sapientia, quæ virtutes sunt intellectuales, claritatem habentes & euidentiam. Fides vero habitualis est quidam intellectualis habitus, quo procliuis redditur intellectus ad ipsam actualem. (Fides diuina habitualis.) Relicta vero fide actuali, quæ tam multiplex est, quam multiplicia sunt illa, quæ per eam credimus, fides pro habitu fidei tertio diuiditur à theologis in fidem acquisitam, & infusam.

Fides acquisita. Fides acquisita, est habitus, faciles nos reddens ad credendum, acquisitus ex frequentia actuum fidei. Habet enim hoc natura nostra, vt ex quocunque frequenti actus alicuius exercitio, facilitatem quandam ac procliuitatem nobis comparemus ad eum actum. Illa autem qualitas, quæ hanc facit in nobis procliuitatem, habitus acquisitus vocatur à theologis & philosophis.

Fides infusa. Fides vero infusa, est habitus quidam supernaturalis, & diuini prorsus ordinis, à Deo intellectibus nostris infusus, vt per eum facile & certo, indubitanterq; assentiamus reuelationibus diuinis. Cum enim infirma sit, valdeque imbecillis natura nostri intellectus ad certo & firmiter credendū supernaturalibus veritatibus, quas Deus dignatur nobis reuelare, conscius ipse Deus infirmitatis & instabilitatis nostræ, quotiescunque, siue per baptismum, siue per propositum seruandi sua mandata, aliquos admittit ad suam gratiam, mox illis infundit qualitatem quandam supernaturalem & diuini ordinis, quam vocamus fidem infusam, qua inclinemur & procliues mirum in modum reddamur ad assentiendum omnibus à se reuelatis, certo & absque

que vl'a formidine. Firmat enim hic habitus nos, & certos, minimeque dubios facit de omnibus Dictis & Testimonijs diuinis, eaque nobis valde credibilia, & persuasibilia reddit.

Fides infusa & in iustis & in peccatoribus esse potest. Verum hic habitus potest esse & in iustis, & in peccatoribus, vt doctores omnes Catholici pro certo habent, & experientia ipsa commonstrat. Habent enim, & experiuntur vtrique in se istam facilitatem, procliuitatem, & constantiam in assensu eorum, quæ à Deo reuelata sunt. Et Hieron. & Augustin. aperte testantur, vt ex dicendis in 2. quæst. magis patebit, fuisse ab initio nascentis ecclesiæ qui crederent, sola fide in Christum nos posse saluari, qualiscunque vita nostra foret. Et aperta sunt loca scripturarum, quibus docemur fidem esse in peccatoribus. Nam & Ioannes aperte dicit multos ex principibus Iudæorum credidisse in Saluatorem, sed dilexisse eos magis gloriam hominum, quam gloriam Dei, & propter pharisæos non fuisse confessos, quod credebant. Et alibi non dicit eos, qui credunt in nomine eius, filios Dei esse, sed hanc eis datam potestatem, vt filij Dei fiant. Et paulus aperte dicit, posse esse sine caritate fidem adeo perfectam, vt per eam, montes quis de locis suis transferat. Et prophetæ alij & apostoli sæpe in populi Dei hominibus non incredulitatem reprehendunt, sed hoc potius, quod cum rectam haberent fidem, non tamen rectis viuebant moribus, sed factis videbantur negare, quod ore & corde confitebantur.

Fides informis & formata. Atque ideo quarto diuiditur fides in informem & formatam. Fides informis, vocatur habitus fidei seiunctus à caritate. Fides autem formata, est habitus fidei coniunctus caritati, & eam præsentem habens. Cum enim (ex doctrina Ambrosij, quam, qui eum secuti sunt theologi, pene omnes receperunt) caritas forma sit virtutum omnium, & eis quendam velut decorem & nitorem sua præsentia irradiet, merito fides, cum eam habet præsentem, formata dicitur & viua. Cum vero ab ea seiuncta est, informis, infirmaq; ac plane languens & emortua dicitur, tametsi idem sit habitus, qui antea fides formata dicebatur. Postremo ista quarta diuisio conuenire actibus fidei, quanquam vt plurimum in schola ad solos habitus referatur. Et immerito sane Ioannes Caluinus lib. de institutione religionis cap. 4. nugatoriam appellat istam distinctionem fidei in informem & formatam, & reclamante scriptura vniuersa, à Sophistis magno Ecclesiæ malo profectam dicit, cum in Ambrosio, immo & in prophetis, & Apostolis, & in aliquibus Christi ipsius verbis fundamentum habeat, neque ex ea quicquam incommodi Ecclesiæ accesserit, sed potius ad disputationes Theologicas nonnihil attulerit claritatis. Et si illi, & sui similibus licuit fidem in historicam & Euangelicam partiri, cur non & scholasticis licuerit theologis fidem diuidere in informem & formatam, cum certum sit, & toti sacræ scripturæ consonum, reperiri posse fidem & sine caritate, quæ forma virtutum est, & cum ea. Nos igitur nihil veriti maledicta & conuicia eorum, qui scholasticam doctrinam, & recepta in scholis vocabula passim subsannant, & ista, & alijs diuisionibus fidei, vbicunque fuerit commodum, libere vtemur. His igitur vtcunque prænotatis, vt intelligamus, qua de fide Paulus agit in locis omnibus, quæ spectant ad hanc materiam de iustificatione, quæ habes fidelissime in vnum congesta in argumentis positis in secunda quæstione contra primam conclusionem, ponam sequentes propositiones.

Prima Propositio.

Paulum de actuali fide loqui confirmatur. Non agit Paulus his locis de fide habituali, sed solum de actuali. Quod non agat hîc Paulus de fide acquisita, apud omnes video esse in confesso, ideoque id probare minime est necessarium. Sed quod neque de infuso fidei habitu ista loca debeant exponi, quod forte negabitur à plerisq; scholasticis, probatur:

1. ratio. Ac primo quidem ad hoc probandum illud sufficit: Quæ enim de fide Paulus asserit, statim, ne dubij essemus de sensu illius, verbo credendi affirmat, quod certe non nisi actui fidei conuenit. Dicit, iustitia Dei per fidem Iesu Christi: sed ne dubites

qua de fide hoc intelligat, In omnes, adijcit, & super omnes qui credunt. Dicit iustificari homines per fidem: sed vt scias, de fidei actu id intelligi, adducit exemplum
Genes. 15. Abrahæ, de quo scriptura dicit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: Et
Rom 4. in eam formam subnectit, *Credenti in eum, qui iustificat impium, deputandam esse fidem eius ad iustitiam.*

2. ratio. Secundo idem ipsum firmare possumus hoc argumento: Paulus & in hoc loco, & in plerisq; alijs, cum tribuit iustificationem nostram & salutem fidei, ostendit viam, qua nosipsi possumus cooperari Deo ad iustificationem nostram, & per quam nos possumus iustificationem consequi. Sed hanc non cōsequimur per habitus, sed per actus. Non ergo de habitu fidei agit, sed de actu. Et confirmatur hoc. Docuit Paulus viam & medium, quo iustitiam sibi omnes possint comparare. Hoc autem non fit per fidei infusum habitum, sed per actum, vt patet. Ergo de fidei actu agit, & non de habitu. Et confirmo amplius: Cum datur fides infusa alicui adulto, datur ei simul iustitia, vt probabilior habet sententia Doctorum Scholasticorum. Neque fides infusa præcedit iustitiam infusam, neq; conuersim, nisi forte natura: bene autem fides actualis præcedit vtrunq; Dei donum. Ergo cum dicit Paulus iustificari homines per fidem, loquitur aperte de actu fidei, & non de habitu.

3. ratio. Tertio principaliter argumentor: Non perinde referebat omnium Christianorū, intelligere quæ ad habitum fidei spectant. Intererat autem, & interest multum, ea intelligere, quæ ad fidei actum spectant. Non ergo hîc Paulus de fide habituali agebat, sed de actuali. Estque hoc argumentum tanti apud me momenti, vt quamuis sciam maiorem partem Scholasticorum de fidei habitu exponere permulta loca Pauli, atq; ex ipso existimare satis constare, ponendum esse habitum infusum fidei, tamen vel hoc vno argumento non dubitarim asserere, ne vnum quidem locum esse in Paulo, quem necesse sit de habitu fidei exponere. Quamuis enim habitus virtutum infusi ponendi sint, vt probabilius esse asseritur in Clementina de summa Trinitate & fide Catholica, & aliquot Pauli loca commode de fidei habitu exponantur, exponiq́ne possint, eadem tamen commodius multo de actu fidei interpretabimur. Neque dubitari posse videtur, quin in illis ipsis de actu fidei principalius & magis ex professo agat Paulus. Et quidem antiquos Doctores, & præsertim Augustinum, ad actum fidei video vbiq; ea omnia referre. Poterit tamen quispiam obijcere nobis illum locum Pauli, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Cum enim paruuli baptizati, & iusti dormientes, placeant Deo, neque tamen habeant actum fidei, sed tantum habitum: necessario videtur consequi, vt hic locus de infuso fidei habitu debeat exponi, & non de actu. Sed neque ista obiectio quicquam debet mouere in contrarium eius, quod asseruimus. Non enim ibi de paruulis agit beatus Paulus, sed de adultis. Et, vt explicaret se agere de fide actuali, mox adiunxit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Heb. 11.

Secunda Propositio.

Non est necessarium, hæc loca intelligere de sola fide formata & viua, quæque secum habet coniunctam & præexistentem caritatem, sed melius est, vt de fide generaliter accipiantur, vt sub se informem claudit & formatam. Hæc propositio est contra multos Doctores Catholicos, eosque non postremæ classis, qui cum viderent non posse conuenire peccatoribus fidelibus eximios atque adeo præcellentes effectus, quos Paulus & cæteri apostoli, immo & ipse Christus attribuit fidei, nouam quandam atque, vt existimo, Doctoribus antiquis ignotam inuenere rationem explicandi hanc difficultatem. Et loca omnia illa, quibus salus, iustitia, sanctificatioque, seu reconciliatio & redemptio nostra tribuuntur fidei, de fide formata, viuaque & efficaci, & quæ per dilectionem operatur, vt Paulus tradit, dixerunt esse exponenda, neque conuenire ei fidei, quæ est in peccatoribus fidelibus, quæ informis est,

Paulus loquitur de fide generaliter, & absolute, vt informem & formatam complectitur.

eſt, neque virtutis nomine digna, ſed ocioſa & mortua dicitur in ſua canonica à Iacobo apoſtolo.

1. ratio. Sed contra eos omnes, quantalibet ſint authoritate, probatur noſtra propoſitio. Primo: Et Paulus, & cæteri apoſtoli, immo & ipſe Chriſtus, cum fidei tribuebant noſtram ſalutem & iuſtificationem, cum & eam exigebant ab eis, quibus prædicabant, agebant de fide, per quam acquirere poſſumus, & vere acquirimus iuſtitiam, docebantq; nos diſpoſitionem, qua nos ex parte noſtra diſponimus ad gratiam. Sed iſta fides non eſt fides formata, aut ſaltem non inquantum formata, habet iſta efficere. Præcedit enim ſaltem natura ipſam caritatem, qua formatur, ſicut diſpoſitio antecedit formam, ad quam diſponit, & cauſa effectum, quem producit. Ergo neque Chriſtus, neq; Paulus, neq; cæteri apoſtoli agebant de ſola fide formata. Et confirmo: Fides formata non eſt via, neq; diſpoſitio ad iuſtitiam noſtram. Siquidem illa iam habet ſecum præſentem iuſtitiam. Ergo cum Chriſtus & Apoſtoli docebant viam ad iuſtitiam, non agebant de ſola fide formata.

2. ratio. Secundo iſtam fidem, quam Chriſtus & ſui Apoſtoli ad ſalutem exigebant, explicabant verbo credendi ſatis aperto, quodq; in ſe neq; claudit, neq; dat intelligere dilectionem, quanquam eſt cauſa illius. Non ergo ea, quæ tradiderunt de fide, reſtringi debent ad fidem formatam: ſicut neque, quæ explicantur, vel aſſeruntur verbo credendi, limitantur vel reſtringuntur ad credendi actum poſteriorem caritate.

3. ratio. Tertio: Sicut fides, ſpes & caritas, diſtinctæ ſunt virtutes inter ſe, ita actus habent diſtinctos inter ſe, & à ſe inuicem ſeparabiles: alioqui diſtinctæ virtutes non eſſent. Ergo quæ dicuntur de fide, non debent intelligi de ſpe, neque de caritate, neq; econtrario, & conſequenter, neque de fide formata. Perinde enim eſt apud Doctores, quos modo impugnamus, interpretari aliqua de fide formata, ac interpretari de fide & caritate. Ad hæreticos enim, obijciẽtes loca ſcripturarum, quibus iuſtificatio noſtra tribuitur fidei, ad probandum non eſſe requiſita opera diſtincta à fide, ſufficienter putant ſe reſpondere, dicentes ea loca eſſe intelligenda de fide formata, hoc eſt, de fide & caritate.

Quarto: Vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, ſicut dicunt iuriſconſulti. Cum ergo ſcriptura, tribuens iuſtificationem noſtram fidei, non diſtinguat, neque hoc reſtringat ad fidem formatam, neque nos reſtringere debemus. 4. ratio.

Sed vt apertius ſit & confirmatius, quod volumus in hac propoſitione aſſerere, faciam contra eam quædam argumenta, quibus maxime inniti potuerunt, qui iſta omnia loca, quæ modo exponimus, de fide ſola formata dixerunt eſſe intelligenda. Ex eorum enim enodatione & inualidatione, veritas noſtræ propoſitionis magis eluceſcet.

Ac primo quidem obijci poteſt nobis hunc in modum: Si iſta loca, quibus iuſtitia noſtra tribuitur fidei, eſſent intelligenda de fide qualicunque, hoc eſt, ſiue formata, ſiue informi, ſequitur non eſſe requiſita bona opera ad ſalutem, ſed ſufficere ſolam fidem ad iuſtificationem noſtrã, quandoquidem ei ſoli ea tribuitur. Sed hoc, vt ſtatim oſtendemus, concedi non poteſt. Ergo neceſſe eſt, loca omnia iſta reſtringere ad fidem formatam. Reſpondet argumentis quæ contra obiici poſſent.

Ad hoc argumentum primo dico: Licet omnia iſta loca reſtringantur ad fidem formatã, habet ſuum locum iſta obiectio hæreticorum. Neque enim eſt concedendum præter fidem formatam, hoc eſt, fidem habentem præexiſtentem & coexiſtentem ſibi caritatem, nulla requiri opera, cum certum ſit, ad alia opera à fide formata, obligari iuſtos: & ea ſi non apponant, decidere eos à ſua iuſtificatione. Quare propter hanc hæreticorum obiectionẽ, haud quaquam neceſſe erat ad hoc commune (vt ſic dicam) aſylum confugere, & dicere iſta omnia loca exponi debere de ſola fide formata. Et trepidaſſe mihi quidem videntur, vbi nullus erat timor, qui cum aperte dicant, neque fidem formatam ſolam ſufficere, tamen hæc loca ad fidem formatam reſtringunt. Secundo igitur dico: Aliud

iuncta à quocunq; dono Dei alio, & à quocunq; alio opere nostro. Et aliud est dicere, Paulum loqui de fide generaliter, siue ea informis sit, siue formata. Hæretici dicunt primum, nos tantum dicimus secundum. Dicimus enim per fidem nos iustificari, nihil solliciti, an illa informis sit, siue formata, neq; aliquid tale requirentes: sed non dicimus iustificari nos per fidem solam, vt latius paulo post differemus.

Argum. 2. Secundo potest aliquis contra nos argumentari: Nunquam aliquis iustificatur, quin illius fides sit formata. Hoc enim ipso, quod iustificatur, acquirit gratiam, qua fides formatur. Ergo nunquam aliquis iustificatur per fidem informem, sed tantum per fidem formatam. Atque ideo neque loca tribuentia iustificationem nostram fidei, exponi debent de alia fide, quam formata.

Ad hoc argumētum respondeo: Quamuis eo ipso, quod aliquis per fidem iustificetur, fiat fides illius formata, tamen non sequitur, quod per eam, vt formatam, acquiratur iustitia. Et ideo, neque debent loca, quæ tribuunt iustitiam fidei, restringi ad fidem formatam. Prius enim natura datur homini gratia, quam illius fides sit formata. Formatur namque per gratiam.

Argum. 3. Tertio instabit quispiam: Fides informis ociosa est, frigida, languens & mortua. Ergo non debent ei tribui tantæ & tam eximiæ laudes, quantas scriptura tribuit fidei. Respondeo: Quandocunque fidei conuenerint laudes ei tributæ ab scriptura, fides informis non erit ociosa, sed solicita & operosa, & suum possessorem pertrahet ad salutem, efficieturque ipsa viua, & efficax, & probata, & splendore & nitore gratiæ illustrabitur. Neque enim omnis fides informis ociosa est, sed illa tantum, quæ non satagit, operando per dilectionem, perducere credentes ad salutem. Neque sola fides formata, & præexistentem sibi coniunctam habens caritatem, operosa est & efficax. Vt enim prius tempore vel saltem natura est informis, quam formata, operari potest & solicita-

... quæ tribuuntur fidei, & de quibus fides commendatur, tribuenda esse fidei informi. Multo enim minus ei conueniunt, quam fidei formatæ, & melius referri possent ad fidem formatam, quam ad fidem informem: sed tantum dicimus, tribuenda esse fidei absolute & generaliter, vt abstrahit & præscindit a fide informi & formata. Quædam enim fidei informi conueniunt, alia fidei formatæ. Comparamus enim nobis Spiritum sanctum & iustitiam, facimusque, vt Christus inhabitet in nobis per fidem informem, aut saltem per fidem, vt prius est natura, quam formetur. Habitant vero ipsi in cordibus nostris, & regnum cœlorum intra nos habemus per fidem formatam.

Quarto potest quispiam, & quidem apparentissime impugnare hanc nostrā propositionem, & ostendere non esse nouam, sed antiquam & veterem expositionem illam, de fide formata, quia diuus Augustinus libro de fide & operibus, huic soli tribuit, quod salubris sit, & fundamentum spiritualis structuræ, & quod neminem perire permittat, & hanc solam, fidem euangelicam, fidem gratiæ, fidem Christianorum appellat: aliam vero mortuam dicit, & fidem dæmonum. Neque solum diuus Augustinus, sed & Paulus ipse (vt ibidem colligit Augustinus) ita videtur cuncta, quæ dixerat de fide, exposuisse, cum ad Galatas quinto dicit: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur.* Sed præstat, ipsa diui Augustini verba audire. Is itaque in libro statim citato, capite 14. *Paulus,* inquit, *non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeq; euangelicam diffiniuit, cuius opera ex dilectione procedunt: Et fides,* inquit, *quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Vbi autem hæc fidelis caritas operatur, sine dubio bene viuitur. Plenitudo enim legis, caritas.* Et capite 16. Ex hoc quod Christus, teste Paulo, prioris ad Co- Argum. 4. 1 Cor. 13.

rinthios

rinthios tertio, est fundamentum spiritalis structuræ, infert: *Si Christus, proculdubio fides Christi. Per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem apostolus dicit.* Ne autem quispiam ex hoc putet fidem quamcunque satis esse, vt inhabitet Christus in nobis, subdit: *Porro fides Christi, illa vtique, quam diffinivit Apostolus, quæ per dilectionem operatur. Non enim fides illa dæmonum, cum & ipsi credant, & contremiscant, & filium Dei confiteantur Iesum potest accipi in fundamentum. Quare? Nisi quia non est fides quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Fides itaque Christi, fides gratiæ Christianæ, id est, ea fides, quæ per dilectionem operatur posita in fundamento, neminem perire permittit.* Et infra in eodem capitulo tractans illa verba Christi ad Cananæam: *O mulier, magna est fides tua: Miror, ait, si laudaret in ea fidem sine operibus, id est, fidem non talem, quæ per dilectionem iam possit operari,* [Iacob. 2.] *fidem mortuam, & quod Iacobus dicere minime dubitauit, fidem non Christianorum, sed dæmonum.* Et capite 22. prope finem: *Vtroque vitio caret, nempe incredulitatis, & crudelitatis, qui fidem Christi habet, non sine operibus mortuam, qua etiam in dæmonibus inuenitur, sed fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur. Hæc est fides, de qua dicitur: Regnum cælorum intra vos est.* [Luca 17.] Et in De spiritu & litera, capite 32. ex illis verbis Apostoli: [Rom. 8.] *Non enim accepistis spiritum seruitutis, &c.* colligit non esse eam fidem commendatam ab Apostolo, quæ operatur per timorem, & in eis est, qui sub lege sunt, & timore pœnæ faciunt iustitiam, quam mallent non facere, si fieri posset, vt liceret quod non licet: sed fidem eam commendatam ab Apostolo, quæ per dilectionem operatur, non formidando pœnam, sed amando iustitiam. Et in cap. 7. de gratia & libero arbitrio, ideo dicit Apostolum dixisse, In Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem quæ per dilectionem operatur: vt ostenderet, non intellexisse quid ipse diceret, cum dixit: [Rom. 3.] *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis:* qui putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiam si male viuat, & opera non habeat. Ex quibus omnibus videtur diuus Augustinus de sola fide formata intellexisse, & intelligenda docuisse, quæ Paulus asserit de fide, quod est contrarium nostræ propositionis.

Ad hoc argumentum, quod quidem apparentissimum est, respondeo: Aliud est, dicere loca sacrarum literarum, quibus nostra iustificatio tribuitur fidei, intelligenda esse de fide formata: aliud vero, esse intelligenda de fide, quæ per dilectionem operatur. Diuus Augustinus solum dicit hoc secundum, neq; nos contrarium asserimus, aut sentimus: quanquam, vt docebimus in secunda Quæstione, non est necessarium ad hoc confugere, vt argumenta hæreticorum diluamus. Doctores vero, quos impugnamus, dixerunt primũ. Et quanquam illi non hæc fortassis habuerunt pro distinctis, sed alterum pro altero acceperunt, quia, si fides per caritatẽ operatur, vel formata est, vel statim formatur: atque ideo excusari p[o]ssent, & nobiscum vtcunque concordare: tamen nos distinctissima hæc putamus, neq; vnũ cum altero debere confundi. [Fidem formatã esse, & fidem operari per dilectionem, diuersa esse.] Prius enim est per fidem dilectionem operari, quam caritate formari: quoniam ad hoc per dilectionem operatur, vt obtineat Spiritum sanctum, & per eum caritatem, qua formetur. Et si non eodẽ momento, quo fides incipit per dilectionem operari, obtineretur Spiritus sanctus, reperire liceret fidem per dilectionem operantem, informem & formatam: & vtcunque de his sit, prius fides saltem natura, vt patet ex dictis, per dilectionem operatur, quam sit formata. Neque cum dicit diuus Augu. hæc loca, quæ nunc interpretamur, esse intelligenda de fide per dilectionem operante, credendum est, voluisse abrogare fidei laudes & prærogatiuas, quas ei tribuit scriptura, & imputasse fidei & caritati, immo ne limitasse quidẽ eas crediderim ad fidem per dilectionem operantem, sed hoc tantum docuisse, tum demum ei vere illa encomia conuenire, cum ipsa suas vires exerit, & quid possit explicat, & affectui nostro flammas subministrat, vt ardeat igne caritatis, & per dilectionem operetur, totamque legem Dei compleat. Itaque di-

cere, de fide per dilectionem operante, esse laudes fidei interpretandas, non est limitare eas laudes ad fidem formatam, sed docere, quo tempore eas laudes mereatur, & quid ipsi in se fidei conueniat, si modo ipsius virtutem nostris sceleribus non refringamus, debilitemus, obruamus. Et quod ita sit diuus Augustinus interpretandus, patet, quia post vltima verba eius statim citata, *Hac est fides, de qua dicitur, Regnum cœlorum intra vos est:* subdit, *Hoc enim diripiunt, qui vim faciunt, credendo impetrantes spiritum caritatis, vbi est plenitudo legis, sine qua lex in litera reos faciebat etiam præuaricationis. Non itaque putandum est ideo dictum, Regnum cœlorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud, quia etiam mali tantummodo credendo, & pessime viuendo, perueniunt in Regnum cœlorum: sed quia reatus ille præuaricationis, quem sola lex, id est, litera sine spiritu, iubendo faciebat, credendo soluitur, & violentia fidei Spiritus sancti impetratur, per quem diffusa caritate in cordibus nostris, lex non timore pœnæ, sed amore iustitiæ completur.* Hæc ibi: Quæ si bene & pro dignitate ponderentur, aperte poterit constare, diuum Augustinum nequaquam limitasse verba Pauli ad fidem formatam, vel ad fidem quam præcedat caritas. fidem adeo enim gratiæ & euangelicam, atque adeo fidem Christianorum, existimat fidem, quæ sua violentia Spiritum sanctum & caritatem impetrat, & hoc ipso vim facit ipsi regno cœlorum.

Lucæ 17.

TERTIA PROPOSITIO.

Qua in significatione fidei vox apud Paulū accipienda.

Non debent ista loca Pauli exponi de fide in prima, secundave, aut tertia significatione, hoc est, de fiducia, fidelitate, aut promissione: neque de fide, vt complectitur primam & tam significationem, id est, de fiducia & credulitate, sed tantum exponēda sunt de fide in quarta acceptione, hoc est, de credulitate certa minimeq; dubia. Et quidem, quod non debeant ista exponi de fide pro fidelitate vel promissione, manifestum est. Quamuis enim, vt mirifice differit Paulus, ex promissione diuina participemus benedictionem Abrahæ, hoc est, iustificemur, & adoptemur in filios, ac per hoc cohæredes simus Christi, & in hæreditatem illius admittamur: tamen, cum hic loco agat Paulus de fide, quæ requiritur ex parte nostra ad nostram iustificationem, satis liquet, Paulum non agere hic de fide, vt fidelitas vel promissio est. Quod vero non agat de fide in prima significatione, hoc est, de fiducia, qua nobis diffisi, totam spem fiduciamque nostræ iustitiæ in Deo per Christum reponimus, probatur. Eodem modo, & in eadem prorsus significatione loquitur Paulus de fide, qua nos iustificamur, & de fide, quæ imputata est Abrahæ ad iustitiam. Confirmat enim nos iustificari per fidem, quia Abraham per fidem iustificatus est. Sed cum agit de fide Abrahæ, non agit de fiducia, qua suæ spem iustitiæ collocabat Abraham in Deo, sed de credulitate, qua dictis & promissioni diuinæ absque vlla hæsitatione crediderat, plenissime sciens, quod quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Et patet hoc per totum propemodum quartum capitulum. Et, vt alia omittamus, certe ex illis verbis, *Qui contra spem in spem credidit*, facile hoc potest persuaderi. Ergo etiam cum agit de fide, qua nos iustificamur, fidem non appellat fiduciam, vel spem, sed certam persuasionem intellectus, vnde spes ipsa & fiducia emanat. Et confirmari hoc potest. In eundem enim sensum hic agit de fide, in quem & ad Hebræos vndecimo, cum latissime de fide disserit: sed ibi agit de fide, pro credulitate, vt & Augustinus libro 50 homiliarum, homilia 32. & Basilius in Psalmum 115. & Bernardus in epistola 190. in commentarijs, aperte tradunt. Et potest eorum sententia probari ex illis verbis, *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, quia fiducia præterita non respicit: & ex illis, *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* Credere enim Deum esse, non ad fiduciam spectat. Ergo in alijs etiam de fide agit pro credulitate, & non de fiducia. Et amplius confirmari potest hoc, sic: In eundem sensum hic agit Paulus de fide quo infra cap. 10. eiusdem epistolæ ad Romanos. Sed ibi manifestissime agit de fide pro credulitate, cum ait: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Fides cum dicitur fiducia ... [illegible]

Vbi sup.

Heb. 11.

Ibidem.

Rom. 10.

erit. Non enim fiducia hæc præterita respicit. Ergo etiam alibi de fide agit pro credulitate, & non pro fiducia.

Secundo idem probare possumus hoc argumento: Per eam fidem nos tradit Paulus hoc loco iustificari, quam Christus exigebat à Iudæis, quamque & ipse Paulus & cæteri Apostoli populis omnibus prædicabant, & ab eis exigebant, quamque qui recipiebant, fideles, ac filij spirituales Abrahæ dicebantur. Sed fides, quam Christus exigebat à Iudæis, quam & Apostoli prædicabant, quamque à baptizandis exigebant, & à qua fideles dicimur, non est fiducia, sed persuasio, vel credulitas, qua eis fidem adhibemus, quæ ab illis proposita sunt credenda, vt patet ex historia Actorum apostolicorum, & ex multis locis euãgelicis, & præsertim apud Iohannem. Certe enim, cum

Ioan. 5. 10. & 14. Christus dicebat Iudæis, *Si Moysi crederetis, forsitan & mihi: Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: Non creditis quia ego in patre, & pater in me est?* dici nullo modo potest, quod hic de fiducia sit sermo. Cum igitur verisimile non sit, in alio significatu fidem accipi à Paulo in his locis, sequitur aperte, non hic accipi ab eo fidem pro fiducia sed pro credulitate. Atque hoc eodem argumento satis reuincere possumus eos, qui dicunt, fidem & in his, & in alijs multis sacræ scripturæ locis, vtrunque complecti, & intelligi certam persuasionem, & voluntatis plenam, minimeque instabilem spem, seu fiduciam. Quanquam enim hæc simul vt plurimum sunt, & difficile ab inuicem separantur: sicutiu aliqua nos assecuturos credamus, & confidimus, & speramus ea à nobis obtinenda: oritur enim, ac velut cõsequitur ex ea intellectus persuasione fiducia voluntatis: & contra cũm confidimus, certaque spe aliquid nobis euenturum speramus, & id quoque nobis affuturum vel credideramus prius, vel certe de nouo persuademus: tamen cum ista inter se distincta sint, neque confundãtur à Paulo, qui optime nouerat ea inter se distingui, & fidem, spem & caritatem, tria

Fidem in Paulo non esse accipiendam ut eam quæ fiduciam coniunctam habet.

appellat, alioqui duo tantum dicturus: colligere ex his sane debemus, Paulum non eadem de vtraque tradere, neque in his, quæ modo tractamus, locis de vtraque loqui.

Atque ideo, cum ista loca de fiducia non satis conuenienter exponi iam ostenderimus, superest, vt ea de certa minimeq; dubia animi credulitate exponamus. Sed quia non satis inter Doctores omnes constat, qualis sit ista credulitas, cui tanta ista virtus tribuitur, pro huius explicatione adijciam sequentes propositiones.

QVARTA PROPOSITIO.

NON sunt intelligenda loca Pauli citata de fide actuali, qua quis certo & indubitato credit sibi rem issa esse peccata, aut certe remittenda per fidei sacramenta propter meritum Christi. Probatur: Agit in his locis Paulus de fide necessaria ad salutem. Sed fides, qua quispiam sic remissa crederet sua peccata, aut remittenda, non est necessaria ad salutem, immo erit persæpe, si hab... leuis quædam & stulta persuasio, q... esse magis saluti possit, quam pro... multi quidem, quod nemini cre... big. um, salua i possunt, & fal... Ergo hæc loca Paul. h...d... iusmodi actibus fidei sunt intelligend...

Lutheranorum fides, qualis non sit in Pauli intelligenda.

ET confirmo: Paulus est intelligendus in his, de fide, cui non potest subesse falsum. Non enim aliam fidem Deus statuit, vt medium & viam communem nostræ iustificationis. Sed eiusmodi fides sæpe est falsa & fallax. Potest enim sibi quis persuadere, remissa aut remittenda sibi peccata certo, cum tamen propter aliquam fi... istam opinionem, aut peccatum aliud quoduis sibi occultum, longissime sit à consecutione tãtæ gratiæ. Ergo ista loca Pauli intelligi certe neque possunt, neque debent de hac fide.

AD hæc: Ista loca Pauli de ea fide debent intelligi, quam apostoli prædicabant, quãque Deus suo tempore reuelauit. Hanc enim vnam fidem iustificatricem nostri asserit Paulus. Sed istas persuasiones de nostra iustitia etiam propter Christum, apostoli non admonuerunt vnquam, neque nobis eas Deus sua reuelatione tradidit. Non igitur

tur de illis exponere debemus hæc loca Pauli. Neque tamen profecto, vnde & Luthero in libello de fide & operibus, & multis alijs ipsius sequacibus, & non sine Protestantibus omnibus in confessione Augustana, hæc adeo noua opinio fuerit persuasa, vt fidem iustificantem, cuique scripturæ nostram tribuunt iustificationem, & quam ipsi vel solam putant sufficere ad salutem, eam esse credunt, qua certo & indubitato nos credimus placere Deo, & propter Christum in illius gratiam recipi, & peccata nostra nobis dimitti. Vtilius quidem est, audire illum qui dixit: *De propitiato peccato noli esse sine metu*, & cum timore & tremore nostram salutem operari, certamque satagere facere per bona opera vocationem nostram: quam, dum nobis inaniter persuademus remissa iam esse peccata, ocij & inertiæ occasionem, naturæ nostræ satis ad hæc proclini, præstare. Et cum Sapiens dicat, *Quis potest dicere, Mundum est cor meum?* salubrius erit & tutius, vt iustificemur, clamare cum publicano: *Domine propitius esto nobis peccatoribus*. Et cum Dauide: *Ab occultis nostris munda nos Domine, & ab alienis parce seruis tuis*: quàm pharisæum de sua sibi iustitia blandientem imitantes, Deo agere gratias, quod non simus sicut cæteri. *Descendit enim*, ait scriptura, *hic iustificatus ab illo*, hoc est, publicanus, non Pharisæus. Et profecto, vbi nihil aliud esset, vnus Paulus deberet nobis esse satis, ne vnquam absque vlla hæsitatione, hæc nobis de nobis persuaderemus. Ait enim ille: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Et alibi: *Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Si timet Paulus, qui raptus fuerat vsque ad tertium cœlum, & vbique mortificationem Iesu Christi in corpore suo circunferebat, si timet is per quem Deus tanta & tam admiranda fecerat prodigia, vt & ipse merito, velut quoddam mundi prodigium, videri queat, quis non sibi timeat? ille nô arrogabat sibi iustitiam, neq; se iustum audebat absque vlla hæsitatione profiteri: & nos, tam multorum nobis conscij delictorum, audebimus securitatem ... promittere? Quod si cui tanti Apostoli authoritas & exemplum satis non sint, cogitet ve'im is secum, nihil esse vnde possit illam iustitiam certo & indubitato de se credere, nedum supra omnem certitudinē, vt exigit, vbi supra, Lutherus. Neque enim ex terminis, neque ex experientia, neque ex aliqua demonstratione, vel reuelatione illam potest dicere se habere. Dices, benignitas Dei eximia est. Neminem despicit, qui ad se syncero corde confugit. Sacramēta ... dei, certissimæ sunt & efficacissimæ causæ gratiæ. Quæcunque remiserint sacerdotes in terris, remissa erunt & in cœlis. Hæc quidem omnia verissima sunt, & talia, vt merito debeamus sperare, lætari, & exultare totis viribus, totisque pectoribus, si nullius nobis culpæ conscij simus, quam non simus parati emendare & confiteri, cum tenemur. Et qui hoc se vident esse animo, vt in omnibus pro viribus sua velint Deo placere, & in nullo displicere, habent quidem maximam lætitiæ causam, & spei, ac plane tripudiorum, hisq; exercitijs, adoptioni diuinæ congruentibus, potius quam seruili timori, sæpius deberent assuescere, & intendere. Vere enim possumus & debemus probabilissime sæpe credere, in gratia Dei nos esse. Et ipse Spiritus, vt nos incertus consoletur, & ad exercitia spiritualia alliciat & constantes reddat, testimonium sæpe reddit spiritibus nostris, vt ait Paulus, quod simus filij Dei, & scire facit quæ à Deo donata sunt nobis. Sed hoc testimonium ... plenam tribuit securitatem, neque omnem excludit hæsitationem vel scrupulum ... vt aliqua talis fides aut certitudo ... tur esse in aliquibus, illa est in principio ... iustificationis. vt eam possit quispiam ... nere causam nostræ iustificationis, sed erit post multos annos, in iustitia & sanctis moribus exactos. Et talis persuasio fortassis erat in Paulo, cum & certum sibi esse diceret, quod nulla creatura eum posset separare à caritate Dei, & repositam sibi esse coronam iustitiæ, cum in principio conuersionis suæ, & cum scripsit priorem ad Corint. non parum de sua salute videatur trepidasse. Et quanquam verissime possumus & promittere nobis remissionem peccato-

Eccles. 5.

Trin. 20.

Luca 18
Psalm. 18

1 Cor. 4. & 9

rum nostrorum, si nos fecerimus, quod in nobis est, neque nobis, immo verè gratiæ Dei deficiamus: tamen cum certum sit ex Paulo & ex Ioanne, multos posse credere se obsequium præstare Deo, cum eum offendant, & huius rei abunde sufficiens exemplum fuerit nobis ipse Paulus, dum zelo non secundum scientiam persequebatur Ecclesiam Dei: multis profectò nominibus timere possumus, ne nos benignitati diuinæ apponamus impedimentum, neque est vere, vnde nobis certo & indubitato iustitiam polliceamur. *Delicta enim quis intelligit,* ait regius psaltes. Et seruire nos voluit sibi Deus in timore, & exultare illi cum tremore, vt lætitia quidem sæpius exhilaremus animos nostros, & corda nostra propter diuitias bonitatis & misericordiæ ipsius. sed & istam lætitiam, & exultationem de misericordia diuina, temperemus timore de fragilitate, & infirmitate, & humilitate conditionis humanæ. Occultissima enim est gratiæ spiritalis communicatio & inspiratio, sicut Augustinus dicit libro primo ad Marcellinum de peccatorum meritis & remissione, capite 9 & 10. Et cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operari admonet Paulus. Et vbi aliud profectò nõ esset, vel hoc nomine deberemus nobis timere, [illegible] quæ rectè facimus, humilitate [illegible] condire, quod in multis passim offendimus omnes, & iustitia nostra velut pannus est menstruatæ: & si districtè iudicemur, neque vitam nostram misericordia diuina excuset, omnis nostra iustitia iniustitia videretur, neque astra inuenirentur munda in conspectu eius: vt latissime docent Augustinus sermone 49. de tempore, & super illud psalmi 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: & Chrysostomus in homilia de fide & lege: & Gregorius super illa verba Iob, *Si habuero quippiam iustum, meum iudicem deprecabor.* & super illa, *Si lotus fuero quasi aquis niuium*, & homilia 22. super Ezechielem: & Bernardus in primo sermone de festo omnium sanctorum, & in sermone de lotione pedum. Et vulgatissima est illa sententia Augustini: *Væ hominum vitæ, quantumcunque laudabilis, si remota misericordia iudicetur.*

…am 18

…b 9.

QVINTA PROPOSITIO.

FIDES, cui sacræ literæ nostram tribuũt iustificationem, est vt plurimum & præcipuè fides vnius mediatoris inter nos & Deum, vel, vt expressius loquamur, est fides Iesu Christi, hoc est, credulitas siue persuasio, qua certo & indubitanter credimus per eum vnum nos posse saluari, & alia quæ de ipsius vita, morte, resurrectione, gloriaque, & præcellentia, & gratia, credenda nobis vel ab ipso, vel ab Ecclesia, vel ab Apostolis ipsius sunt tradita.

Fides quæ tandem sit, cui Scriptura iustificationem tribuit.

Hæc propositio ex præcedentibus propositionibus satis patere potest. Exclusis enim acceptionibus fidei quas à proposito isto reiecimus, vna ista, quam hic exprimimus, videtur relinqui fidei, cui præclara omnia, quæ fidei tribuit Paulus, conueniant.

Sed potest & his argumentis de integro confirmari. Illi fidei tribuenda sunt, quæ Paulus fidei adscribit, quæ maximè erat omnibus necessaria, quamque & ipse Paulus, & Christus, & cæteri Apostoli maximè & præcipuè prædicabant, quamque hominum mentibus maximè volebant suadere & inserere. Sed, vt patet ex euangelicis literis, & ex Actis Apostolicis, & ex epistolis & Pauli & cæterorum Apostolorum, hæc erat fides, quam ipsi post Christum maxime prædicabant, & in cuius testimonium & confirmationem faciebant, quæ faciebant miracula. Verus igitur & germanissimus sensus istorum locorum, quæ nũc tractamus, exposcit, vt de ista vna fide ea omnia exponamus.

Et confirmari hoc potest: Sic enim exponendo ista omnia loca, & Paulum eundem vbique sibi, & perpetuo secum constare, & ipsius & aliorum apostolorum vnã & eandem fuisse prædicationem, atq; vno & eodem Spiritu eos & prædicasse, & scripsisse doctrinam, quam fidelibus tradiderunt, ostendemus. Fiet etiam & ex his per-

ſpicuum, per omnia eos concordes fuiſſe ſuo præceptori, & omnium vnicô magiſtro Chriſto. Et hanc enim etiam ipſe mentibus Iſraelitarum fidê inſerere eſt adnixus, hocque vnum potiſſimum & prædicatione ſua, & exemplis, & virtutibus admirabilibus & prorſus ſtupendis agebat, vt verus Dei & hominum mediator, quem prædixerant prophetæ, quemque & pater cœleſtis eis pollicitus fuerat, crederetur. Reſpondebât etiam & in hoc ſuæ vocationi electionique Apoſtoli. Ad hoc enim electi erant, vt eſſent Chriſti gloriæ & gratiæ teſtes, vt patet
Ioan. 15 ex illis verbis: *Et vos teſtimonium perhibibitis de*
Actor. 1 *me.* Neque minus ex illis, *Et vos eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Et Paulum certe ad hoc ipſum electum fuiſſe, apertiſſime poteſt conſtare ex illis verbis eiuſdem Dei &
Ibidem 9. Seruatoris noſtri, *Vas electionis mihi eſt vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Iſrael.* Hæc eſt etiam fides, per quam iuſtificati ſunt, quicunque iuſtificati ſunt ex Patribus veteris teſtamenti, & per quam nos habemus iuſtificari. Vnde & Petrus Apoſtolorum omnium vertex ad principes populi Iſraelitici conſtanter dicebat, non eſſe in aliquo alio ſalutem, neque aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et idem, vt habetur Actuum 10. *Huic*, inquit, *omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Et Ioan-
1. Ioan. 4 & 5 nes dicit in ſua canonica: *Quiſquis confeſſus fuerit quod Ieſus eſt filius Dei, Deus in ipſo manet, & ipſe in Deo.* Et idem: *Omnis qui credit, quoniã Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Et Philippus hanc vnam requiſiuit ab eunucho Candacis reginæ, vt eum baptizaret. Cum enim
Actor. 8. dixiſſet eunuchus, *Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? reſpondit Philippus: Si credis ex toto corde licet.* Et vt intelligamus, quam fidem hîc exigebat Philippus, ſubnectit ſcriptura reſpondiſſe eunuchum: *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum:* & ſtatim ab eo baptizatum. Et admirandus eſt ordo, quem Paulus tenuit in his locis, quæ nunc præcipue tractamus, vt explicaret qualis eſſet fides, cui ipſe tantas laudes tribuebat.

Primo enim dixit: *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt.* Rom. 3. Quibus verbis explicabat fidẽ iſtam, de qua agebat, eſſe fidem de Ieſu Chriſto. Secundo, ne ambiguum eſſet quid de eo erat credendum, redemptorem eum dixit noſtrum, & propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, propter remiſſionem præcedentium delictorum. Tertio Deum adiecit oſtendi iuſtum hoc tempore, & iuſtificare eum qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Quarto eã fidem dixit deputari nobis ad iuſtitiã, qua credimus in eum qui iuſtificat impium, vt vel ex hoc colligeremus de ea ſe fide agere, qua credimus ab vno illo nos poſſe habere iuſtificationem noſtræ impietatis. Quinto, vt explicatoria omnia eſſent, adiecit tãdem, & nobis quoque, ſicut Abrahæ, imputandam eſſe fidem noſtrã ad iuſtitiam, ſi modo credamus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram: Et idem aperuit capite 10. eiuſdem epiſtolæ: *Finis enim, ait, legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Et ſubdit: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus: Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris, Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Hæc ibi. Idemque Paulus orationem, quam ad Actor. 13 principes ſynagogæ habuit, his pene verbis concludit: *Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quod per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. In hoc omnis, qui credit, iuſtificatur.* Quibus verbis aperte indicauit loqui ſe de fide, qua nos credimus, per vnum Dominũ Ieſum Chriſtum iuſtificari. Vnde & idem & Silas cuſtodi carceris, roganti, *quid me oportet facere, vt ſaluus fiam?* dixerunt, *Crede in Dominum Ieſum, & ſaluus eris tu & domus tua.* Et ite- 16. & 26 rum, ad hoc dicit Chriſtũ dixiſſe ſibi, quod illum conſtitueret miniſtrum & teſtem eorum, quæ vidit, vt aperiret populorum & gentium oculos, & conuerterentur à tene-

bris

bris ad lucē, & de potestate satanæ ad Deū, vt acci piant remissionem peccatorum, & sortē inter sanctos per fidem quæ in ipsum est. Liquet ergo ex omnibus istis, & manifesta luce colligitur, fidem de qua agit Paulus in istis locis, quæ modo tractamus, esse fidem, qua certo & indubitato Christum credimus saluatorem esse nostrum, & eius vnius meritis & gratia nos posse saluari. Sicut enim per vnum Christum saluamur, ita & consentaneum fuit & fidei quoque ipsi potissimum tribui nostram iustificationē. Atque hanc sententiam aperte videtur nobis significasse diuus Augustinus capite 29. libro 2. de peccatorum meritis & remissione. Ita enim ibi ait: *Vna fides est, quæ omnes saluos facit, qui ex carnali generatione in spiritalem renascendo saluantur, terminata in eo qui venit pro nobis iudicari, & mori iudex viuorum & mortuorum.* Hæc ibi. Concinit & eidem sententiæ apertissime capite 44 libro de natura & gratia contra Pelagianos, in hæc verba: *Ea quippe fides iustos sanauit antiquos, quæ sanat & nos, id est mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius. Habentes ergo eundem spiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur* Et in De Spiritu & litera, capite 29. *Per fidem Iesu Christi impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Et libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capite 21 ita ait: *Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices iustos non eos saluos fecit, nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit* Et libro primo contra Iulianum Pelagianum, ex authoritate Irenæi episcopi Lugdunensis asserit, neminem liberari ab antiqua serpentis plaga, nisi per fidem Christi. Et capit. 3. De gratia & libero arbit. *Sine fide Christi nemo, inquit, liberari potest.* Sed addendum est his, ne quispiam ex illis occasionem vllam habeat errandi. Quamuis hæc fuerit fides, quam & Christus & sui apostoli nobis tequi fuerint, quæque vna necessaria prædicata est ad salutem, tamen haudquaquam excludimus à salute omnes, qui eam non habuerunt, sic explicitam & claram, vt eā

Fides iustificans qua Paulo.

hic tradimus. Satis enim fuit permultis illa eadem implicita, vt in tertio Sententiarum latissime, Deo concedente, disputabimus. Dixi tamen, in hac quinta propositione, hanc fidem mediatoris esse eam, cui vt plurimū & præcipue scripturæ tribuunt nostrā iustificationem. Credimus enim fidem etiam generaliter sumptam, vt veritati diuinæ adæquate innititur, iustificare nos posse, vt secunda quæstione luculenter dissseremus. Neque in eo sumus errore, in quo quidam sunt, existimantes solam fidē promissæ iustificationis, aut salutis in Christo, nos iustificare, aut nobis ad iustitiam imputari. Hoc etiam in fide nostra gratū est Deo, quod intellectum nostrum & rationem, omnem q; sensuum nostrorum apparentiā, captiuamus in obsequium fidei, & omnibus quæ ab ipso ecclesiæ suæ, gratia salutis nostræ, reuelata sunt, sponte nostra certissimo & indubitato nos subijcimus, honoremque illi in omnibus primæ & infallibilis veritatis tribuimus, neque minus comminationibus, quam promissionibus, neq; plus in attestationibus præsentiū, vel præteritorum, quam prædictionibus futurorum, & ex æquo speculamus mysterijs, & doctrinis moralibus, quas nobis tradidit, fidem adhibemus. Noe, teste Paulo, fides futuri diluuij imputata est ad iustitiam: Et iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus, quod Deo prænuncianti diluuium credidit, & centum annis priusquam fieret, arcam in salutem domus suæ construere cœpit. Abraham, vt perspicue docet Geneseos historia, imputatum est ad iustitiam, quod credidit multiplicandam esse post[illegible] suam, sicut stellas cœli. Et tamen gratum Deo, vt credamus mundum ab ipso factum & redemptum, quam gratum est, vt credamus futuram resurrectionem & iudicium. Et cum Paulus ad Hebr. ad eandem iustitiam fidei docuerit permultos spectare, tametsi varia & diuersissima crediderint, subdit per fidem eos vicisse regna, & operatos esse iustitiam, adeptosque repromissionem, vt intelligamus, non soli fidei promissionum diuinarum imputandam esse iustitiam, sed fidei generaliter, quæ veritati

Non fidei tantum mediatoris sed generaliter fidei iustitia imputatur.

diuinæ innititur, quamuis vt plurimum & præcipue fides mediatoris hanc prærogatiuam mereatur, & ei illam tribuerint sacræ literæ, deque ea sint exponēda omnia propemodum earum loca, quæ fidei salutem nostram adscribunt.

DE FIDE ET OPERIBVS.

QVÆSTIO SECVNDA.

An fides sola sufficiat hominibus ad salutem?

QVONIAM iam ex prima quæstione satis patet, nos de ea duntaxat hic fide agere, qua certo & indubitato credimus, quæcunque tenemur credere, siue implicite illa credamus, siue explicite, nihil erit opus in hac quæstione aliqua prænotare, vt fecimus in prima quæstione: sed in abruptum ipsum disputationis absque vllis prænotamentis statim descendemus. Seruabimus tamen hunc ordinem:

Methodus Authoris.

Primo hæreticorum sententiam fideliter statuemus. Secundo veritatē fidei duabus propositionibus explicabimus. Tertio fortissima quædam & apparentissima argumenta pro hæreticis faciemus, vt eis ex corde compatiamur, qui non sine causa insaniunt, eaque pro nostra tenuitate dissoluemus.

Fidem solā ad salutem sufficere antiquissima hæresis.

Fertur igitur, vt ad primum veniamus, hęc olim opinio fuisse Eunomij. vt August. in libro de hæresibus, hæresi 54 dicit, quod nihil cuique obesset quorunlibet perpetratio aut perseuerantia peccatorum, si eius quæ ab eo docebatur, fidei particeps esset. Et idem Augustinus libro De fide & operibus, capite 14. tempore Apostolorum hanc fuisse dicit exortam opinionem ex quibusdam subobscuris sententijs apostoli Pauli non intellectis, vt sola fides crederetur ad salutem sine bonis operibus sufficere: & quamuis contra hanc opinionem Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, suam maxime dirigant intentionem, vehementerque adstruant fidem sine operibus nihil prodesse, tamen non defuisse asserit eo tēpore, qui eam opinionem rursus tuerentur, & hanc perniciosam securitatem pollicerentur hominibus, quod fide sola possent saluari, etiam in pessimis moribus perseuerantes. Eam hæresim iam olim sepultam exuscitauit & reuocauit in orbem nostris temporibus Martinus Lutherus. Qui in libello de votis, aperte docet, nulla opera credentis in Christum, esse tam mala, quæ eum possint accusare aut damnare. Et in sermone, quo explicat illud Euangelij aduersus Carolstadium, affirmat nullum esse peccatum nisi incredulitatem, nullam iustitiam nisi fidem. Et in epistolam ad Galatas, solam fidem dicit esse necessariam, cætera omnia liberrima, neque præcepta, neque prohibita. Et in captiuitate Babylonica docet, non dubitandum esse de salute postquā baptizati sumus: Quia promissio ibi facta, nō est, inquit, mutabilis vllis peccatis. Et tam diuitem dicit omnem Christianum esse siue baptizatum, vt etiam volens non posset perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Et in libello De libertate Christiana, docet, eum qui habet fidem, per eandem liberum esse ab omni lege. Et hunc errorem plerique secuti sunt, &, quod dolendum est magis, etiam nunc sequuntur, & mordicus tuentur. Sed eorum quidam in totum ipsius sententiæ subscripserunt: alij vero, quorum mens aliquanto minus fuit deprauata, sic ei adhæserunt, vt quamuis fidem cum baptismo ad salutem acquirendam satis esse tradiderint, tamen eam salutem malis operibus amitti non negauerint. Sed ita tamen obscure loquuntur de fide, quam vel solam putant sufficere ad salutem, vt centum Oedipis opus sit ad eorum mentem explicandam. Vtcunque tamen ista se habeant, contra hunc errorem, immo verius insaniam, nos ponimus duas Conclusiones responsiuas ad quæstionem.

Lutherus sepultam in lucem reuocauit.

PRIMA CONCLVSIO.

Opera ad iustificationem & consequendam & retinendam requiruntur.

Certissima fide est tenendum, fidem solam absque operibus alijs, neque satis esse ad iustificationem acquirendum, neque ad tuendum acquisitam. Itaque, vt hi qui sunt pecca-

peccatores, iusti fiant, & ne hi qui iam sunt
iusti, peccatores fiant, & à iustitia semel ac-
quisita excidant, requiruntur aliqua opera
alia præter fidem.

Confirm. Hæc conclusio tã aperta est ex tota scri-
ptura sacra, vt nisi nos ad hæc cogeret hære-
ticæ prauitatis pertinacia, superuacaneum
esse censeremus, illam probare. Passim e-
nim & in Euangelijs, & in Prophetarum &
Apostolorum literis occurrunt testimonia
apertissima pro ista veritate. Sed quoniam
hæretici ad hæc nos adigunt, ne quispiam
in re adeo aperta possit labi, quin certo sciat
se, vt taceamus interim de lege & prophe-
tis: saltem contra Euangelium & Apostolo-
rum prædicationem, stare, si contendat, fi-
dem solam sine operibus ad salutem suffi-
cere, reducam ad aliquod compendium,
quæ in testimonium veritatis huius ex Euã
gelio possunt induci. Et quidem pensatis
omnibus mature, ex sex capitibus videtur
in summa quadam posse fidei veritas pro-
bari, hoc pacto: Ex euangelio constat, ba-
ptismum, eucharistiam, pœnitentiam, cõ-
fessionem, & generaliter omnia Dei man-
data, necessaria esse ad salutem, & eos qui
ea transgrediuntur, damnationi subiacere,
& in die iudicij esse ad perpetuum ignem
damnandos, quantacunque fide polluе-
rint.

Sex ex euangelio loca. Ergo ex Euangelio constat, fidem solam
absque operibus, nequaquam ad salutem
sufficere. Sed, vt hæc apertiora sint libet &
ista sex loca seorsum tractare, & ipsissima
euangelistarum verba his adtexere.

Primus itaq; locus, ex quo probare pos-
1. sumus, non sufficere fidem solam ad salu-
tem, est Ioannis 3. vbi inter alia Ioannes di-
cit Christum dixisse Nicodemo: *Amen amen*
Baptismus. *dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi-
ritu sancto, non potest introire in regnũ Dei.* Aper-
tissime ergo requisiuit præter fidem ba-
ptismum.

Secundus locus est Ioannis 6. vbi Iudæis
2. inter alia hoc quoque dixit, & repetitione
duorum Amen, vt rem certissimam & cõ-
pertissimam confirmauit: *Amen amen dico vo-*
Eucharistia *bis, nisi manducaueritis carnem filij hominis & bi-
beritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vo-
bis.* Requiritur ergo præter fidẽ Eucharistia.

Tertius locus, isque apertissimus, est Lu- 3.
cæ 13. vbi contra omnes peccatores rigidam
quidem, sed verissimam sententiam his Lucæ 13
verbis Saluator profert: *Nisi pœnitentiam ege-* Pœnitentia
ritis, omnes similiter peribitis. Patet ex hoc loco,
non sufficere fidem solam, sed requisitam
etiam esse pœnitentiã. Et nisi illa esset præ-
ter fidem necessaria, neque Christus, neq;
Ioannes baptista suas prædicationes ince-
pissent ab illis verbis, quæ habentur 3. & 4.
cap. Matthæi: *Pœnitentiam agite. Appropinqua-
uit enim regnum cælorum.* Vt quid enim à re
non necessaria ordirentur suas prædicatio-
nes? Vt quid & appropinquasse subiunge-
rent regnum cœlorum, vt homines ad pœ-
nitentiam inflecterent, si pateret regnum
cœlorum etiam non pœnitentibus? Certe
Christus satis explicabat, fidem & pœnitẽ-
tiam esse necessarias, cum, vt habetur Mar-
ci primo, vtranque virtutem exigebat, di-
cens: *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Et Ioan-
nes Baptista satis idem explicuit, cum vi-
dens multos Pharisæorum & Saducæorum
venientes ad baptismum suum, dixit eis:
Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fu- Matth. 3
gere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœ- Lucæ 3.
nitentiæ. Et paulo post: *Iam enim securis ad radi-
cem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non
facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mit-
tetur.* Quid apertius poterit dici, vt creda-
tur fides non sufficere ad salutem sine pœ-
nitentia? Frustra etiam adiunxisset præce-
pta, quæ Lucæ 3. subduntur, ab eo data tur-
bis, publicanis, & militibus, nisi præter fi-
dem, essent mores boni necessarij.

Quarto idem potest probari ex illis ver- 4.
bis Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, re-
mittentur eis: & quorum retinueritis, retenta erũt.*
Cum enim quilibet teneatur facere, ne sint
retenta sua peccata, & non possint esse non
retenta, si retineantur à sacerdotibus: neq;
possint ab eis non retineri, nisi eis manife-
stentur: quia ipsos retinere, non est aliud,
quam non soluere: nullo enim alio modo Confessio.
possunt ipsi retinere, quam non soluendo:
sequitur, quemlibet baptizatum iure di-
uino teneri omnia mortalia, quæ ad-
miserit post baptismum, confiteri sacer-
doribus,

dotibus, quia aliter ab eis solui non possunt, nisi illis manifestentur. Et nisi hoc fiat, vel animus sit certus faciẽdi, cum tenemur confiteri, fides certe non sufficiet ad salutem. Et confirmari possunt ista quattor loca: Nisi enim opera essent ad salutem necessaria, nulla essent sacramenta necessaria, sed absque omnibus sacramentis pateret salus.

Quintus locus est Matthæi 19. Roganti enim adolescenti, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* apertissime respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ex quo loco clare colligitur, ad salutem satis non esse fidẽ, nisi seruentur mandata. Si enim ad salutem & iustitiam esset satis fides, esset vtique & ad vitam æternam, ad quam omnes iusti admittuntur. Et nisi mandata essent requisita, vt quid tam aperte præcepta dilectio-
Matth. 22. nis Dei & proximi, apud Matthæum Christus explicuisset, & ab eis dixisset pendere legem & prophetas, vt Paulus postea dice-
Rom. 13. ret, *Plenitudo legis dilectio?* Et vt hoc patentissimum esset, sæpe in Euangelio comminatur pœnam æternam transgressoribus mandatorum, vt patet Matthæi 5. *Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et ibidem: *Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnũ cælorum.* Et capite 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Et paulo inferius: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: Et qui amat filium aut filiã super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam perdet eam:* Et capite 11. amarulentis exprobrationibus subsannat, & væ æternum comminatur ciuitatibus Corozaim, Bethsaidæ, & Capharnaum, quia non egerant pœnitentiam ad ipsius prædicationem. Et capite 15. aperte dicit: *Cogitationes malas, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias coinquinare hominem.* Quibus & Marcus 7. capite addit auaritiam, nequitiam, dolum, impudicitiam, oculum malum, superbiam, stultitiam. Quare cum nihil coinquinatum intret in regnum cælorum, vt aperte dicitur
Apoc. 21. in Apocalypsi, sequitur, nisi ab istis mundentur per pœnitentiam, qui fuerint illis inquinati, haudquaquam per fidem, quam habent, intraturos esse in regnum cælorum. Et apertissima est illa sententia Domini, Ioannis 5. *Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij, hoc est, damnationis æternæ.* Sic enim accipitur iudicium in scripturis. Et capite 18. Matthæi, necessariam esse humilitatem, aperte indicauit Christus, dicens: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum.* Et statim scandalizantibus suos fratres, væ æternum comminatur, & tradendos eos tortoribus perpetuis asseuerat, qui non remiserint de corde suis fratribus. Et capite 19. Diuites difficile intrare in regnum cælorum, faciliusq; esse camelum per foramen acûs transire. Quod quidem non esset, si fides sola sufficeret. Atq; idem ipsum, nempe præter fidem, necessariam esse obseruantiam mandatorum, vt alia nihil necessaria intermittamus loca, clarissimè ostendit Christus Matthæi 23. & Lucæ 11. in duris illis & omnino acerbissimis, sed iustissimis tamen, increpationibus & comminationibus, quibus & obiurgat Scribas legis, & Pharisæos, & æternum gehennæ ignem sæpe comminatur. quod cum fidem integram tenerent: neque enim alias de eis diceret, *Quæcunque dixerint vobis seruate & facite:* tamen hypocritæ essent, superbi, auari, inuidi, crudeles, maligni, & reliquissent, quæ grauiora essent legis, iudicium & misericordiam & fidem, hoc est, fidelitatem & integritatem. Vnde & ostendens non satis esse fidem, nisi seruentur mandata, durissimas eorum increpationes his verbis clausit: *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Confirmant & hoc ipsum væ etiam illa terribilia, quæ (vt habetur Lucæ 6.) diuitibus saturatis, ridentibus, & benedictis ab hominibus, comminatur. Et ad idem est, quod peccantibus in Spiritum sanctum comminatur, non remittendum eis illud peccatum neque in hoc seculo, neque in futuro. Et quod solos prædicat beatos, Lucæ 11. qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Et Ioan. 13. ad suos dicit:

dicit: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Et capite decimoquinto: Omnem palmitem nõ ferentem fructum, tollendum, & in ignem mittendum, aperte pronunciat. Et apud Matthæum, vt ethnicos & publicanos haberi præcipit eos, qui Ecclesiam non audiunt.

Et quidem nescio quorsum data sunt & dantur præcepta, immo vere nescio, quomodo aliqua propriè dicantur & vere præcepta Dei, si perinde datur beatitudo trãsgredientibus, ac illa seruantibus.

Sextus isque manifestissimus locus est Matthæi 25. Cum enim ibi describitur sententia ferenda in die iudicij, haud quaquã fidei soli imputatur, quod electis qui erunt à dextris, dicitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à cõstitutione mundi:* Sed imputatur operibus misericordiæ, quæ illi pauperibus, & infirmis, & vinctis, & peregrinis, præstiterunt. *Esuriui enim,* sequitur, *& dedistis mihi manducare: Sitiui & dedistis mihi bibere, & cæt.* Neque soli defectui fidei imputatur sententia illa terribilis, qua reprobi ibidem feriuntur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Immo cum omnes, qui ibi describuntur iudicari, fideles aperte monstrentur, quia Dominum Christum vocant: & quia, qui non credit, iam iudicatus est, & impij non resurgunt in iudicio: vna operum misericordiæ intermissio, causa tam seueræ ponitur sententiæ. Sequitur enim: *Esuriui enim & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi potum, &c.*

Manifestissimum ergo, vel ex vno isto loco potest esse, non satis esse fidem ad salutem, si intermittuntur opera misericordiæ, & falsissimum esse quod Lutherani dicunt, Deum solius fidei ratione iustificare homines, nullo vitæ eorum, nullo & ipsorum operum respectu. Vt enim ideo, vt Gene. 22. Genesis habet historia, quia obediuit Abraham Deo, & non pepercit vnigenito suo, promisit ei Deus multiplicationem & exaltationem suæ posteritatis, habito certe respectu ad opera, vt nota causalis satis indicat: ita & hic, vitam æternam largiri se propter opera aperte indicauit, dicens: *Esuriui enim, &c.* Et potest hic locus confirmari & declarari ex verbis eiusdem Domini & Saluatoris nostri, quæ habentur Matthæi 7. vbi sic ille ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Liquet enim ex hoc loco, non satis esse ad salutem, credere in Christum, & eum Dominum & vocare, & inuocare, nisi impleatur voluntas patris, quę est, vt sæpe alias explicatur, obseruantia mandatorum. Vnde & vt hoc fieret magis perspicuum, subiunxit statim: *Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Vides, vt fides sola non sufficiat ad salutem, etiam si tanta fuerit, vt ad miracula multa sufficiat? Atque ita Hieronymus, Theophylactus & Christianus Druthmarus hunc locum interpretantur. Et in testimonium huius veritatis & confirmationem, statim ibi subdit: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam: & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Idemque ipsum in parabola virginum stultarum aperte ostendit. Non enim ob defectum fidei eis clauditur ianuam regni cælorum, quæ clamabant: *Domine Domine, aperi nobis.* Sed clausit ob negligẽtiam accipiendi oleum in vasis suis. Idem & ibidem patefecit in seruo illo pigro & inutili, quem mittit in tenebras exteriores, quod talentum fidei acceptum non curauit bonis operibus duplicare. Idem & in illo declarauit, qui, cum iam per fidem ad conuiuium venisset, & in Ecclesiam vocatus intrasset, tamen, quod non haberet vestem nuptialem caritatis, ligatis manibus & pedibus, mittitur in tenebras. Omnino enim necesse est illud impleri, quod saluator noster pronunciauit: *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Ioan. 5.

Poterant hæc sex Saluatoris nostri testimonia

monia abunde satisque esse cōfirmandam Fidei nostræ certissimam hanc veritatem, quod Fides absque operibus non sufficiat ad salutem, præsertim cum ea tam multis alijs eiusdem Saluatoris nostri testimonijs adeo clara & aperta fecerimus, vt nullus neque minimus dubitādi aut tergiuersandi locus relictus sit ei, qui non velit apertissimo huic resistere Euangelicæ veritatis lumini.

Sed quoniam hæretici inniti se putant doctrinis Petri & Pauli, maximeque Paulum nobis obijciunt, & ex quibusdam eius sententijs subobscuris non intellectis, hæretici occasionem errandi acceperunt sicut ex Augustino supra retulimus, vt vtrunq;, & præcipue Paulum, ab hac iniuria, quæ eius doctrinæ inuritur, vindicemus, libet his adijcere aliquot Pauli loca, quibus perspicuum sit, Paulum hæc eadem toti mundo prædicasse, neque vnquam ab ista eum doctrina, vel latum vnguem, discessisse.

Suadetur idem ex Paulo.

Et primo quidem apertissimus est ille locus, qui habetur ad Galatas 5. vbi sic ait: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, adulteriū, fornicatio immunditia, impudicitia, idolorum seruitus, veneficia inimicitiæ, contentiones, æmulationes iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Patet ex hoc loco, quantacunque quis fide præditus sit, si alicui istorum vitiorum, quæ hîc commemorantur, obnoxius sit, regnum Dei eum minime consecuturum. Et, vt notaret hæreticos nostri temporis, in eodem capitulo dicit: *Vos in libertatem vocati estis fratres: tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis.*

Secundus locus, vbi hæc eadem tradit Paulus, est ad Eph. 5. vbi ita ait: *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*

Tertius locus est in prioris ad Corinthios capite 6. vbi hæc habentur *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.*

Quartus locus etiam apertissimus est in capite 13. eiusdem epistolæ: Ibi enim manifestissime dicit Paulus, nihil se esse, nihilque sibi prodesse Fidem, quantumuis magnam, si non habeat caritatem. Sunt autem hæc verba Pauli: *Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem; ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita vt ardeam caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Equidem nescio quibus verbis apertius Diuus Paulus potuit exprimere necessitatem caritatis, & Fidem sine ea non sufficere.

Sed adijciam & his alia loca. Quintus locus, qui potest ex Paulo induci pro hac veritate Fidei, est 2. ad Corinthi. 5. *Omnes*, ait, *nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Vides testimonio Pauli constare, ante tribunal Christi habendam esse rationem non solius fidei, vel infidelitatis, sed aliorum bonorum vel malorum. *Reddet enim Christus vnicuique secundum opera sua*, sicut & ipse idem dicit Apocalypsis 22. capite.

Sextus locus est ad Hebræos 10. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritus gratiæ contumeliam fecerit:* Hæc ibi. Quibus quid possit apparenter responderi, equidem non intelligo, cum nihil neque apertius pro fidei veritate dici potuerit, neque formidabilius hæreticis, immo omnibus fidelibus peccatoribus.

Septi-

Septimus locus, qui pro his induci potest, est ad Rom. 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Et confirmari potest hic locus ex eo, quod & eodem capite inexcusabiles eos dicit, seque ipsos condemnare, qui temerarie de alijs iudicat. Et Iudæis hoc obijcit, quod cum rectam fidem tenerent, & in lege & in Deo gloriarentur, neque tamen se ipsos docebant, sed per præuaricationē legis Deum inhonorabant. Et in capitulo primo eiusdem epistolæ, Gentiles damnatos esse perspicue docet, non quod non crediderint, quæ de Deo tunc erant credenda: sed quod, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, neque gratias egerunt. Et capite 3. & Iudæos, & Græcos omnes sub peccato fuisse confirmat, non ob defectum fidei, sed ob defectum operum bonorum, ad quæ erant adstricti. Et capite 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et ibidem: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Et tandem possunt omnia ista corroborari ex illis, quæ Titum admonet capite tertio epistolæ, quam ad eum scripsit. Tit. 3 Inter alia enim ita ibi ait: *Fidelis sermo. Et de his volo te confirmare, vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.* Quibus verbis pene videtur Apostolus indicare, Spiritu se prophetico nouisse futuros esse, qui fidem sufficere crederent Christiano sine operibus, & ne sibi hic error imponeretur, diligenter his verbis adeo manifestis cauisse: *Fidelis*, inquit, *sermo* hoc est, dignissimus, quem omnes & animaduertant, & recipiant. Et de his volo te confirmare, ne scilicet argumenta hæreticorum tibi imponant, & de veritate fidei ambigas, neve ex aliquibus à me dictis, erres, & putes me sensisse, sufficere ad salutem Deo credere. Quid est ergo quod tanta religione & authoritate tradis? Vt curent ait, bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Ne quispiam sibi blandiatur de fide sua. Ne quispiam suam sibi esse satis fidem existimet. Ne quispiam hoc suis subditis putet ad salutem sufficere, quod credunt Deo, sed intendat bonis operibus, & eorum potissimam rationem habeat, quæ pietati conducant: ea sectetur: ea doceat, ea commendet, ea inculcet, ad eaque omnes exhortetur, vrgeat, impellat & extimulet, qui suæ curæ incumbunt. Voluit quippe his verbis eorum elidere errorem Paulus, quos refert Augustinus capite 4. De fide & operibus, peruersissimam securitatem tribuisse præpositis, dicentes, ad eos non pertinere, quid quisque faciat, sed tantum docere quid cauendum, quid ve faciendum sit.

Sed cum Paulus in omnibus suis epistolis tam solicitus sit obiurgandi omnia vitia, docendi omnes virtutes, tradendique regulas certissimas, quæ vitam & mores doceant Christianos, admonendi omnes fideles cuiusque ordinis, ne in vacuum gratiam Dei recipiant, & vt sui quisque officij sit memor, & instanti diei iudicij se præparet, filiumque se lucis ostēdat, cum passim luxerit peccatores, qui pœnitentiam non agebant, cum incestuosum tradiderit Satanæ, vt Spiritus saluus esset, & adolescentioribus viduis, soluentibus suum votum, damnationem prænunciet: quis tam sit patiens, vt patienter ferre queat, hanc illi irrogari iniuriam, vt crediderit fidem solam absque bonis operibus sufficere Christiano ad salutem? Quæ ab alijs testimon[illegible] superscedere commode [illegible], [illegible] ipsius epistolæ mirificum sint huius [illegible] stimonium. Nunquam enim tam [illegible] virtutes docuisset, vitia reprehend[illegible] mores incorruptos & integros studiosissime laudasset, si ista non existimasset necessaria omnibus esse ad salutem.

Quoniam vero & Petri quoque autho- D. Petri testimonius idem confirmat.
ritas induci potest pro hæreticis, vt statim videbimus, vt illum constet alienum fuisse ab hoc errore, libet & aliqua Petri testimonia his adiungere. Is igitur in 1. capit. prioris suæ epistolæ aperte stat pro hac fidei veritate, cum ita fideles omnes admonet: *Si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundū vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.* Nec enim putaremus, fidem solam requiri, dicit DEVM iudicare secundum vniuscuiusque opus. Et ne contenti simus fide & inuocatione Dei, monet, vt cum timore

conuersemur, in operibus videlicet mandatorum, ne excidamus à gratia recepta. Et in capite 2. ne ista falsa libertate, quam iactant hæretici, in suam perniciem abuterentur, *Quasi liberi*, ait, *non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.* Et c. 3. eiusdem epistolæ hoc apertius indicat in hæc verba: *Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius nè loquantur dolum. Declinet autem a malo & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: quia oculi Domini super iustos & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala.* Hæc ibi: Si vultus & indignatio Domini super facientes mala, non ergo ad salutem sufficit fides sola. Fidelibus enim ibi loquebatur, & tamen indignationis Domini eos commonefacit, si faciant mala. Vnde &

1. Petr. 3. subdit: *Et vos nunc simili forma saluos facit baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Non ergo satis fides etiamsi baptismum adiungamus, nisi adsit conscientia bona, nullius sibi delicti conscia. Et cum ca. 4. adijcit, *Iustus vix saluabitur*, vtique ostendebat necessarium esse fidelibus, bonis operibus intendere & inuigilare. Et in secunda epistola ca. 1. vt ab isto errore Lutherano oues sibi creditas cauere admoneret. *Vos*, inquit, *curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem.* & paulo inferius: *Satagite, vt per bona opera certam faciatis vocationem vestram.* Et capite 2. *Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos.* Et, vt notaret hæreticos nostri temporis, addit: *Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere, blasphemantes.* Et post multa, quæ mirifice eis conueniunt, subdit de eis: *Hi sunt fontes sine aqua & nebulæ turbinibus agitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, in errore conuersati, libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* Et statim ostendit, fidem non modo non auferre malitiam ab operibus alioqui malis, verum ea efficere & peiora, & grauiora, *Si enim, ait, refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursum implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat eis, non agnoscere viam iustitiæ, quam post agnitam retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato. Contigit enim illis illud veri prouerbij*

Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Quid adhuc promittitur contra istam manifestissimam veritatem conditio melior ijs qui receperunt fidem, & perdite viuunt, quam si omnino fidem non agnouissent, cum apertissime dicatur, *Melius erat eis non agnoscere viam iustitiæ*, quæ vtique fides est? Neque enim hoc loco sanctum mandatum intelligendum est, quo præceptum est vt in Deum credamus, sed quo iubemur ab huius mundi coinquinationibus recedere. Quod & prouerbium adiunctum ostendit, & verba illa, *Refugientes coinquinationes mundi*, commonstrant. Cum enim non dicat, Refugientes ignorantiam Dei, ea rursus obscurati implicantur: sed, *Si refugientes coinquinationes mundi, &c.* manifeste indicauit illud se sanctum mandatum in præsentia appellasse, quo præcipimur castam & mundam vitam agere. Et capite 3. prænuncians mundum istum periturum, & nouos cœlos & nouam terram ad incolatum iustorum expectari, occasione ex his sumpta, ad vitæ & morum sanctitatem, tali habitationi congruentem, sanctissime & grauissime hortatur dicens: *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus?* & quæ sequuntur. Et quoniam sciebat eadem prorsus sensisse Paulum, sed tamen à quibusdam perperam exponi illius verba, & ex nonnullis subobscuris eius sententijs occasionem accepisse errandi, & credendi fidem solam satis esse ad salutem, mox & omnia ex sententia ipsius Pauli confirmauit, &, vt notat Diuus Augustinus ca. 14. de fide & operibus, commemorauit in Paulo quædam esse difficilima intellectu, quæ indocti & instabiles ad suum ipsorum interitum deprauarent.

Sed vt Ioannem Euangelistam procul fuisse ab hoc errore ostendamus, libet & ex illius epistolis aliquot proferre testimonia,

Prou. 26.

monia, quibus & concorditer ille cum cæteris Apostolis docuit hanc fidei veritatem. Et primo quidem cap. primæ suæ epistolæ appellans peccata tenebras, quod obscurant & obtenebrant intellectum, ne quis putet propter hoc, quod credit, gratiam se iam habere, & societatem inisse cum Deo:

1. Ioan. 1.

Si dixerimus, ait, *quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur, & veritatem non facimus*. Et paulo inferius: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Et statim: *Qui dicit se in Christo manere debet, sicut ille ambulauit & ipse ambulare*. Et ibidem: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc*. Et paulo inferius: *Si quis diligit mundum non est caritas patris in eo*. Et capite tertio: *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam manentem in se.* Et statim: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere & clauserit viscera sua ab eo quomodo caritas Dei manet in eo?* Et capite quarto: *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus caritas est.* Ex quibus manifestissime colligitur, longe esse iuxta huius Apostoli doctrinam, à gratia Dei, quantamcunque fidem habeat, qui vel diligit mundum, vel in tenebris aliorum peccatorum versatur, & quicunque non diligit fratres suos corde & opere.

1. Ioan. c. 2.

Ibidem.

Iacobi Apo. pro hac sententia
Iacob. 2.

Sed inter omnes Apostolos clarissimè hanc docuit veritatem Iacobus Apostolus, cuius verba sunt hæc: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid fides poterit saluare eum?* Et statim: *Fides si non habet opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis, quoniam vnus est Deus? Bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operib. ociosa est? Abraham pater noster, nonnè ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Et suppleta est scriptura, dicens Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Similiter & Raab meretrix, nonne ex operibus Iustificata est, suscipiens nuncios, & alia via eijciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Hæc ille.

Gene. 15.
Iacob. 2.
Iosu. 2. & 6.

Iacobi Epistolam cur reiecerit Lutherus.

Quibus verbis tam aperte, tam perspicue, tam lucide veritatem fidei & docuit, & confirmauit hic sanctissimus Christi Apostolus, vt merito Lutherus coactus fuerit dicere, hanc epistolam, Iacobi Apostoli non esse, neque adnumerandam esse Canonicis scripturis, sed à canone librorum sacrorum eam esse submouendam. Cum enim nihil haberet, neque habere posset, quod ad tam apertam authoritatem respõdere posset, consequens erat, vt vel suum desereret errorem, aut si hoc sibi nolebat persuadere, certe negaret hanc epistolam esse canonicam.

Sed neque hoc commune hæreticorum asylum, eum poterit hac in parte tueri. Iam enim viri percelebres ostenderunt late ex diffinitionibus Ecclesiæ & sanctorum Doctorum, hanc epistolam esse de sacro canone, & à beato Iacobo Apostolo conscriptam. Certissima itaque fide tenendum est, fidem solam non sufficere ad salutem.

Sed pudet me & tædet iandudum, in re adeo aperta solis scripturarum testimonijs vti. Ideoque quo istam magis reuincamus hæresim, & procul ab Ecclesia, immo & ab orbe eam relegemus, adijciam secũdam conclusionem de hoc.

SECVNDA CONCLVSIO.

De sola fide dogma, cũ lumine naturali pugnat.

Certum est, & seclusa fide etiam ex lumine naturali notum, fidem solam non sufficere ad salutem. Itaque hæretici non solum errant contra fidem, dum dicunt, sufficere solam fidem: sed & errant, volo dicere, contra lumen naturale, & propter peccata sua traditi sunt in reprobum sensum, adeo, vt iam non solum non videant, quæ sunt fidei, sed neque videant ea, quæ philosophi cognouerunt: & lumen naturale facile omnibus ostendit, qui non resistunt tantæ

 claritati.

claritati. Et quod hoc ita sit, probatur: Lumine naturali constat, idolatriam, blasphemiam, periuria, parricidia, homicidia, adulteria, falsa testimonia, furta, esse mala, & in ciuitatibus bene institutis omnia ista crimina debere puniri: eosque, qui ea admittunt, malos esse & nequam homines, & inter sceleratos & nefarios esse computandos, neque cum eis habendam esse à probis viris societatem: cognouerunt q; ista omnia philosophi, & suis in libris posteris reliquerunt, vt ex Platone, Aristotele, Cicerone, vt alios missos faciamus, sæpe constat. Ergo lumine naturali etiam constat, Deum non eos esse admissurum in supernam cælorum ciuitatem, vbi nihil erit coinquinatum, neque initurum cum eis societatem vllam, aut gratos eos habiturum, quãtumcunque fidem habeant, si non eis ista tanta crimina displiceant. Non admisisset philosophus ad amicitiã homines his sceleribus obnoxios, quandoquidem aperte dicit in Ethicis, amicitiam veram non posse esse inter malos, expellunt & à se, & pro virili sua fugant & eliminant tales pestes bene institutæ ciuitates: & Deus, qui summe bonus est, vt lumine naturali constat, eos habebit amicos, eosque ad suum regnum admittet, qui talium scelerum sunt rei? Profectò contra lumen naturale errat, qui hoc credit, & traditum sese in reprobum sensum, vel hoc nomine, deberet credere, quod id sibi persuaserit de Deo, quod vix de probo homine debuisset credere.

Obiectioni cuidam obuiam abit. Sed dices: Deus benignissimus est, omnia condonare potest fidei, vna & fide potest esse contentus. Vnde ergo lumine naturali constare potest, eum hoc non fecisse? Respondeo: Constat hoc, quia non sunt reuocata præcepta legis naturæ in credentibus, immo multo minus in ipsis. Essent autem reuocata, si eorum transgressiones neque dirimerent, neque impedirent amicitiam diuinam. Et Deus sic est benignissimus, vt sit & iustissimus: immo ipsissima bonitas & iustitia, neque habere fortassis potest, aut saltem non habet amicos eos, qui eiusmodi scelera admiserint, quousque illa vel actu, vel virtute eis displiceant. Vnde & Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 19. Et Paulus: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.* Rom. 3. Et cum eandem in nobis sentiamus naturalem inclinationem ad assentiendum hæc esse mala, quam in se olim sensere philosophi, neque Deus author sit erroris, aut instiget ad assentiendum, falso sequitur & hæc modò similiter esse mala, ac olim fuerunt.

Vnde & D. August. 3. libro contra 2. ep. Pelag. c. 4. *Quis est tam impius, qui dicat ideo se decalogi non custodire præcepta, quia Christianus est, neque sub lege, sed sub gratia constitutus?* Hæc ille.

Et nisi ita esset, multo sanctior & honestior profectò fuisset lex vetus, & similiter lex naturæ, quam lex Euangelica, quæ talia scelera impune fieri permitteret, quæ nemo, nisi omnino cæcus, detestanda & abominanda esse dubitare potest.

Vrget. Vnum etiam vellem cum hæreticis istis amicè & familiariter disceptare, quod si benigne audierint, crediderim, vel solum satis esse posse ad reuocandum eos ab hac tanta cæcitate, si modo gratiæ Dei, qui ad ostium stat & pulsat, non pertinaciter restiterint. Vrget aduersarios. Dicant ergo mihi, obsecro, an admittendos censeant ad sacramenta ecclesiæ, vt baptismum, eucharistiam, & alia, fideles omnes quantumuis magnis obrutos sceleribus, an non? Si dicant admittendos esse, mitto eis allegare consuetudinem totius ecclesiæ, quæ nunquam recepit ad hæc sacramenta meretrices, histriones, adulteros, vsurarios, homicidas, aut alias huiusmodi pestes, asserentes, se in his peccatis perseuerare velle. Mitto & illis obijcere horrẽdam & in ipso lumine naturali execrabilem sacrilegij impietatem, quæ committitur, dum ad præclara adeo ac vere sanctissima gratiæ & salutis nostræ vasa scelerati & immundi viri admittuntur. Respondeãt mihi solum, velim, quando solas scripturas, sacras sibi volunt allegari, quomodo non sunt rei & præuaricatores, qui hoc faciunt, illius Christi mandati: *Nolite sanctum dare canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos?* An non sunt canes crudeles homines, homicidæ, plagiarij, seditiosi? An non canes obtrectatores,

tores, qui canino dente aliorum dilacerant famam? An non porci, qui obscœnis libidinum voluptatibus vacant, & nefarijs & execrandis immunditijs & impudicitijs, corpus suum contaminant: Quid etiam respondere possunt ad Paulum, dicentem:
1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat? Qui enim manducat & bibit indignè, Iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini?* An non hîc apertissime tradit Paulus, Eucharistiam non esse accipiendam à peccatore, & eum, qui in peccato acceperit, Iudicium sibi manducare & bibere, hoc est, reum æternæ damnationis fieri? Solent enim scripturæ iudicium pro æterna damnatione ponere, vt & Augustinus capite vigesimotertio de fide & operibus adnotauit. Et nisi hoc grauissimum esset peccatum, nunquam tam seueram eius vltionem subdidisset Paulus statim, dicens: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi.*

Cum ad sacramenta non admittantur mali, in cœlū multo minus.

Quod si propter hæc argumenta dixerint, non esse admittendos ad Ecclesiæ Sacramenta manifestos peccatores, qui perseuerare voluerint in suis peccatis, dicam & ego: Quo pacto igitur admittendos creditis à Deo ad regnum suum cœleste, & consortium innumerabilium Sanctorum Angelorum, & hominum quos indignos videtis, & bene censetis, qui admittantur ad communicandum in Sacramentis cum sanctis huius vitæ viris? Certe sanctior est Deus omnibus suis sacramentis, sanctior & Ecclesia triumphans Ecclesia militante. Si indigni sunt peccatores, qui admittantur ad sacramenta: indigni etiam haberi debent, neque vllo pacto credi possunt admittendi ad beatitudinem, si non eos suorum pœniteat peccatorum. Ex fide igitur & ex lumine naturali constat, fidem solam neque ad salutem, neque ad beatitudinem, sceleratis alioquin sufficere.

Sed ne omnino sine causa credantur hæretici hanc prærogatiuam fidei tribuisse, vt illa vel sola sufficiat hominibus ad salutem, subijciam his argumenta, quæ pro eis sunt fortissima. Nihil enim necesse est alia infirma satis & imbecillia, quibus vtuntur, in medium proferre.

Argumenta pro sola fide iustificante.

Et primus quidem locus, qui nobis pro eis obijci potest, est in epistola Pauli ad Romanos, vbi sic dicitur: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo,* 1.
scilicet DEO. Per legem enim cognitio peccati. Scripturæ testimonia. Rom. 3
nunc autem sine lege iustitia DEI manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Iustitia autem DEI per fidem IESV CHRISTI in omnes & super omnes, qui credunt. Hæc ibi. Quæ omnia, si bene ponderentur, videntur probare, fidem solam sufficere ad salutem. Si enim ex operibus legis non iustificatur homo, non ergo sunt necessaria opera legis ad salutem. Si etiam nunc manifestata est iustitia Dei sine lege, nunc ergo obseruantia legis ad iustitiam, necessaria non est. Si & nunc communicantur iustitia DEI, & à cœlo velut superinfunditur omnibus, qui credunt: cum ergo multi sint legis transgressores, omnes enim declinauerunt, & non est ne vnus quidem, qui faciat bonum: relinquitur, benignissimum Deum vna fide contentum esse, vt iustificet nos, & consequenter, eam solam sufficere. Et confirmari ista possunt ex eiusdem Apostoli verbis ad Galatas 2 vbi hæc pene eadem iterum dicuntur: *Scientes*, ait Paulus, *quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem IESV CHRISTI, & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide CHRISTI, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Vides, quoties hic repetat Paulus, non iustificari hominem ex operibus legis, sed ex fide. Si autem opera essent necessaria ad iustificationem, sicut & fides, cur non ex vtrisque diceretur homo iustificari? Sed & aliquanto plus videntur vrgere, quæ inferius subijcit. Cum enim citasset testimonium Genesis, 15. cap. *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam: cognoscite ergo,* infert, *quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ.* Et subdit: *Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ,*

Galat. Genes. 15

quia

quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quibus verbis aperte videtur Paulus omnes fideles, filios Abrahæ pronunciare, & omnes illos cum eo benedicendos asserere, testimonioque Scripturæ probare, Deum non exigere opera ad saluandum, sed ex fide iustificare. Vnde & paulo inferius ex fide rursus ait nos iustificari, & filios Dei esse per fidem, & per eam, pollicitationem nos accipere Spiritus, & promissionem factam Abrahæ, ex fide Iesu Christi dari credentibus.

2. Secundus locus, qui pro eadem parte induci potest, sunt verba, quæ statim adiunguntur à beato Paulo in epistola ad Romanos: *Iustificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentationem Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit, ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? Nonne & gentium? Immo & gentium. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, præputium autem per fidem.* Hæc ibidem.

Rom. 3

Ex Pauli loco supraicri pto argumē ta eruuntur pro sola fide.

In his verbis multa videntur esse, quæ confirment, fidem solam sufficere ad salutem. Primum, quod iustificatos nos dicit Paulus gratis per gratiam Dei. Si autem opera essent necessaria, non possumus dici gratis iustificari, cum opera legis magno persæpe constent labore, magnisque persæpe à multis redimerentur pecuniis, si redimi possent. Secundum quod Christum propitiatorem nostrum dicit fuisse per fidem in sanguine ipsius. Si enim ille reconciliauit nos Deo, & propitium & placatum eum nobis fecit suo sanguine & fide nostra, non igitur opera necessaria sunt, vt propitiationem & reconciliationem ipsius participemus. Alioqui & propitiator ille debuit dici per fidem & opera nostra in sanguine suo Fauet & tertio huic parti, quod Deum iustificare dicit, eum qui ex fide est Iesu Christi, & adeo neminem excipit, vt statim adiiciat iustificare Deum & circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, vt nemo alienus ab hac iustificatione intelligatur, qui modo ex fide sit Iesu Christi, & per hoc fidelis & Christianus dici queat. Quarto pro eadem parte facit, quod gloriationem & iactantiam Iudæorum, qua se iustos esse gloriabantur, exclusam esse dicit, non per legem factorum, sed per legem fidei. Si enim eorum iactantia exclusa est, & procul relegata, non per legem factorum, sed per legem fidei: nunc ergo non ad opera, sed ad fidem tenemur, neque ad salutem opera sunt requisita, sed sufficit vna fides.

Quinto demum apertissimum argumentum pro hac parte, & profecto validissimũ sumi potest ex illis verbis: Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis Non enim expressius, vt videtur, hæretici dicunt, fidem solam sufficere ad iustificationem hominis quam hîc Paulus idipsum dicat Quid est enim aliud, fides sine operibus, quam fides sola? Quid etiam fides sola, quam fides sine operibus? Si sufficit fides sine operibus ad iustificationem, sufficiet profecto, vt apparenter colligunt hæretici, fides sola. Et potest totus iste secundus locus confirmari ex illis verbis eiusdem Apostoli ad Galatas: *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuit.* His enim verbis non solum dicit Apostolus, neminem in lege iustificari apud Deum, quod non videtur dicendum, si est necessaria ad iustitiam obseruantia legis, sed & docet hoc colligi ex authoritate Abacuc dicentis, iustum ex fide viuere. Quæ collectio satis idonea non est, si authoritas Abacuc non sic intelligitur, vt iust⁹ credatur ex fide sola viuere. Nam si ex fide viuit & operibus, inferri quidem potest, neminem in sola lege iustificari: sed nequaquam bene infertur, neminem in lege iustificari. Iustificari namque potest in lege, & in fide, sicut viuit ex lege, & ex fide.

Tertius locus, ex quo videtur apparentissime posse colligi, fidem solam sufficere ad salutem, habetur in eodem Paulo, capite quar-

te quarto eiusdem epistolæ. *Si Abraham*, inquit, *ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Quid enim dicit scriptura? *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam: Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides eius ad iustitiam, sicut & Dauid dicit, Beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus*. Hæc ibi: Sunt autem hoc in loco quatuor, quæ videntur suadere, fidem solam sufficere ad salutem. Primo enim cum dicit, *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*: videtur indicare, opera legis nihil conducere ad iustitiam apud Deum, & consequenter ad eam non esse necessaria. Si enim conducerent ad iustitiam, cur Abraham ex illis iustificatus, non haberet gloriam apud Deum? Et hoc ipsum satis videtur & monstrare, & confirmare, quod statim inducit testimonium scripturæ, in qua non opera, sed fides duntaxat Abrahæ imputata dicitur ad iustitiam. Secundo & illa verba fauere huic parti videntur: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Tertio, quod statim adiungitur: *Ei vero qui non operatur &c.* apertissime videtur probare eandem partem. Si enim fides illius qui non operatur, imputatur ei ad iustitiam, non ergo opera sunt requisita ad iustitiam. Alioquin illa nemini non operanti contingeret. Quarto & illud apertissimum est, quod statim adnectitur: *Sicut & Dauid dicit, &c.* Si enim & Dauidis testimonio Deus etiam peccatoribus fert acceptam iustitiam, & iustificat eos sine operibus, quis debeat esse tam durus, & tam inhumanus, vt velut coarctans libertatem diuinam, audeat dicere, Deum non iustificare sine operibus, & opera esse requisita ad iustitiam, neque solam fidem sufficere?

Argumenta ex hoc loco

4. Locus

Quartus locus est in eadem epistola, capite decimo, vbi sic legimus: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci, sed idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit*. Hæc ibi: Estque hic locus bene perpendendus. Non solum enim videtur tradere, satis esse cuicunque ad iustitiam fidem in Christum, verum & hoc ipsum Esaiæ & Ioelis testimonijs apertis confirmare. Certe enim si opera sunt necessaria ad iustificationem nostram, cum fides possit, & fidei confessio, inueniri absque talibus operibus, multi, qui credunt, confitentur & inuocant Christum, confundentur, neque saluabuntur, sed male peribunt. Cum ergo hoc aperte contradicat huic loco Pauli, oportet dicere, opera non esse necessaria ad salutem, sed fidem solam sufficere.

Esaia 28. Ioel. 2.

Quintus locus est eiusdem Pauli: Vt enim Lucas in Actibus refert, quandam bene longam orationem, quam habuit ad Principes synagogæ Antiochiæ Pisidiæ, his pene verbis conclusit: *Notum sit igitur vobis, viri fratres, quod per hunc, scilicet Christum, vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, a quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. In hoc omnis, qui credit, iustificatur*. Vides vt neminem excepit credentem? Vides vt non aliqua requisiuit opera, sed solam fidem, vt participaremus remissionem peccatorum, quæ annunciatur nobis per Christum?

Quintum testimon. Act. 13.

Sextus locus est in eisdem Actibus: Inter cetera enim, quæ Lucas ibi commemorat, Petrum dixisse in oratione, quam habuit ad Cornelium, & ad eos, qui conuenerant ad domum illius, vt audirent verbum Dei, hoc quoque refert, eum dixisse de Christo: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*. Si omnes, qui credunt in Christum, remissionem peccatorum accipiunt, non ergo opera ad salutem necessaria sunt. Sed authoritate Petri, Pauli, Lucæque ipsius, & omnium Prophetarum, constare videtur, fidem solam sufficere ad salutem. Et potest hic lo-

Sextũ test. Act. 10.

cus confirmari ex illis verbis Christi: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Saltem enim ex his videtur posse colligi, quod sufficiat ad salutem fides cum baptismo, quidquid ante vel postea baptizatus fecerit.

Septimus locus. Septimus locus, qui pro hæreticorum sententia induci potest, est ille, qui non mediocriter torsit Diuum Augustinum in tractatu De fide & operibus. Is autem est primæ ad Corinthios 3. *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi: vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos ligna fœnum, & stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ex hoc loco sic possumus argumentari, fidem solam sufficere ad salutem: Paulus asserit hoc loco, saluos fore omnes, qui tenuerint fundamentum Christum, quidquid ei postea superædificent. Solos enim duos ordines ponit superædificantium Christo, & vtrosque pronunciat fore saluos: hos quidem, qui ligna, fœnum, & stipulam superædificant, per ignē: alios vero, qui aurum, argentum, & lapides preciosos superstruunt, sine igne. Cum ergo omnes, qui fidem habent Christi, teneant Christum: per fidem enim ille habitat in cordibus nostris, & per fidem tenetur: neque alia de causa hoc se Paulus gloriatur fundamentum posuisse, quam quia tradidit Christi fidem: sequitur, omnes, qui credunt Christo, tandem saluandos esse, siue per ignem tribulationis expurgantem à malis operibus, quæ admiserint, siue etiam sine huiusmodi igne, si operibus solidis virtutum quis incubuerit.

Octauum argumentū ab exemplis ductū. Octauo confirmare possumus fidem solam sufficere ad iustificationem ex multorum exemplis, qui propter eam solam videntur iustificari. Et primo quidem possunt induci pro hoc tria illa millia hominum, qui die Pentecostes audientes primum sermonem Petri post aduentum spiritus sancti, & credentes verbis illius, eodem die baptizati sunt. Cum enim minime dubium sit, inter illos, plurimos fuisse in peccato, neque verisimile appareat, ad baptismum fuisse admittendos, nisi qui iam crederentur iustificati, vel sua certe opinione, quod in se erat, vt iustificarentur, fecisse, videntur quidem isti ad solam suam ipsorum fidem iustificati. Et si mores etiam boni ad iustificationem necessarij essent, quomodo vno & eodem die, tam multi potuerunt baptizari? Quomodo non etiam meminisset Lucas examinationis vitæ illorum? Si enim mores etiam boni ad iustificationem necessarij sunt, doctrina morum tradenda est ante baptismū, & examinatio facienda est vitæ, ne sanctum baptisma canibus tradatur, & margarita tantæ & tam incomparabilis virtutis, porcis. Ista autem hauquaquam vno die videntur potuisse præstari respectu trium millium, neque tacita fuissent à Luca si quidem ea vel aliquod eorum Apostoli præstitissent. Et secundo potest afferri in huius roborationem exemplum illius Eunuchi, quem idem Lucas in Actibus Apostolorum refert baptizatum à Philippo, nulla facta interrogatione de moribus, immo nullo alio prorsus requisito, quam fide ex toto corde. Cum enim, dum Philippus euangelizat illi Iesum, venissent ad quandam aquam, dixissetque Eunuchus ille, *Ecce aqua: Quid prohibet me baptizari?* Dixit ei Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Vides, vt nihil aliud ad baptismum requirit, quam fidem? Sed & hoc aliquanto fit dilucidius ex eo, quod sequitur: *Cum enim respondisset Eunuchus, Credo filium Dei esse Iesum Christum: descenderunt vterque in aquam, & Philippus baptizauit eum.* Alius ...

Tertio & hoc ipsum docere possumus ex exemplo illo celebri de custode carceris, quem Lucas commemorat ibidem baptizatum à Paulo cum tota domo sua, eadem nocte, immo eadem hora, qua ostia Tertium exemplum.

carce-

carceris vidit aperta. Cum enim ille rogasset Paulum & Silam, quid eum oporteret facere, vt saluus fieret, & illi respondissent, *Crede in Dominum Iesum Christum, & saluus eris tu, & domus tua, tollens eos in illa hora noctis*, addit Lucas, *lauit plagas eorum, baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuo*. Si igitur, vt baptizetur quis, satis est fides: ergo &, vt iustificetur, satis erit. Non enim sunt admittendi ad baptismum, quos certo constat esse in peccato.

Hæc sunt potissima argumenta, quæ fieri possunt, vt opinor, pro hæreticis. Sed illis, aut si qua sunt alia fortiora, non obstantibus, veritatem fidei tuebimur. Quoniam vero omnia ista pendent ab scripturis, de quarum se germana intelligentia falso iactitant hæretici, obijcientes nobis, quod illis relictis, in Aristotele & alijs prophanæ philosophiæ Au hor bus noctes diesque consumamus, & pro rebus pene nullius frugis passim digladiemur: velim in expositione horum locorum, quæ pro ipsis induximus, aliquanto latius expatiari, quam stylus Scholasticus & modus huius quæstionis iam exposceret. Existimet itaque (precor) pius lector, ne prolixitate quæstionis, tædio vllo afficiatur, singulas solutiones quæstiones esse distinctas, vel expositiones potius distinctorum locorum scripturæ. Tam enim difficilia nobis visa sunt hæc loca omnia, tam obscura, tam abdita, tam digna, quæ exacte tractarentur, vt neque potuerint quidem, neq; fas mihi putauerim esse, leuiori ea manu attingere. Neque tam vereor modum me excessisse huiusmodi argumentis debitum, quam, vt hi sce, qui ista curiose expenderint, vel hac tanta prolixitate fecerim satis. Neque mirandum sane, quando hæc sunt loca, quæ, vt Augustinus de fide & ope. cap. 14. dicit, apostolorum princeps subobscura esse dixit, & difficilia intellectu in Paulo. Sed accedamus tamen ad expositionem eorum.

Exponūtur difficilia scripturę loca, quæ occasionē præbuerant Luteranis.

Ad primum ergo dicendum, non recte colligi, fidem solam sufficere, neque ex eo quod ex operibus nullus iustificatur, neq; ex eo quod nunc iustitia Dei manifestata est sine lege, neque ex eo quod iustitia Dei communicari dicatur omnibus, qui credunt. Sed vt hæc apertiora sint, singulatim hæc tria exponemus. Et primum quidem istorum trium, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*, hunc habet sensum, Virtute & merito suorum operum nullus iustificatur coram Deo. Vnde & præcedit, *Vt omne os obstruatur, & subditus fiat*, hoc est, reus ostendatur, *omnis mundus coram Deo*. Et sequitur: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*. Ex quibus verbis manifestum est, sensum istorum verborum, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*, esse hunc, Nullus propter opera sua, aut quod idem est, ex vi & merito operum suorum iustificabitur coram Deo. Cum enim seclusa gratia diuina, in peccatis sint omnes, & inimici Deo, grauissimisque pœnis ob illius offensam obnoxij, quid habere poterunt ex se, vnde iustificentur, & redeant in gratiam diuinam? Aliud est dicere, opera esse necessaria ad salutem, quod nos concedimus: aliud, ex operibus nostris nos iustificari vel saluari, quod hi negat Paulus. Et licet apud diuum Iacobum in authoritate iam citata, cum dicit, *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est?* illa præpositio, Ex, tantum dicat efficientiam & cooperationem: sensus enim horum verborum est, Ad Abrahæ iustificationem cooperata esse opera ipsius fidei: vnde & statim subditur, *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius*: tamen apud Paulum hæc particula, *Ex*, amplius aliquid dicit. Denotat enim illud *Ex*, vi & natura operum fieri, ac ex debito contingere, quod ex operibus dicitur fieri.

Rom. 3.

Rom. 3.

Distinctio per[illegible]

Iacobi 2.

Quod ne quispiam me meo ex capite dicere existimet, audiat ipsum Paulum. Is enim ne hic nos eius sensus lateret, ad Romanos sic ait: *Si autem gratia, iam non ex operibus: Alioquin gratia iam non est gratia*. Quibus verbis aperte indicauit, vt opposita à se haberi, fieri aliquid ex gratia, & fieri ex operibus: & consequenter, fieri aliquid ex operibus, tunc dici, cum fit ex debito, & propter ipsa opera. Quare cum omnes quotquot sunt iustificati, iustificati sint ex gratia: se-

Rom. 11.

quitur, verissime ipsum dixisse, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Et idemipsum indicauit cum dixit: *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum, regenerationis.* Verbo enim *Iustitiæ*, indicauit, se non excludere opera, quibus congruum esset Deum benignitate sua respondere, sed excludere tantum iustitiam, & quidquid est iustificationi ex gratia contrariũ. Quare ne opera videretur excludere, non contentus verbo *Iustitiæ*, adiecit etiam *Per lauacrum regenerationis.* Ex quo verbo satis etiam indicauit, hoc ipsum quod volentes baptizamur, cooperari nostræ iustificationi. Explicuit & se hoc vocare, Ex operibus iustificari, cum adiecit statim in principio cap. 4 eiusdem epistolæ ad Romanos: *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum.* Hoc enim perinde est, ac si apertius dixisset: Illud quod ex operibus alicui, & propter sua opera, non datur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et per hæc patet, nullam esse contrarietatem inter Iacobum & Paulum, dum Iacobus dicit Abraham iustificatum esse ex operibus, Paulus vero neminem iustificari ex operibus. Vterque enim statim explicuit, quo in sensu hæc dixisset. quare cum in sensu nulla sit contrarietas, neque ipsi ergo inter se sunt censendi contrarij fuisse. Scio aliquos aliter dissoluere istam, quæ in cortice literæ apparet, diaphoniam. Aiunt enim, Paulum de operibus legis Mosaicæ intellexisse: Iacobum vero, de officijs pietatis & caritatis. Possunt & alij dicere, Paulum non excludere opera, quæ sequuntur acceptam gratiam, & eis solis cooperationem ad iustitiam concedi à Iacobo. Sed nobis prior via dissoluendi contrarietatem, magis probatur. Consona est enim magis expositio, quam dedimus, & antecedentibus, & consequentibus, & alijs locis eiusdem Pauli, vt ostendimus: & melius est, verba tanti Apostoli in quanto maximo possumus rigore & generalitate, vt sic dicam, vera ostendere, quando ipse generaliter, & absque vlla limitatione locutus est. Et in hunc sensum sæpe exponit

Tit. 3.

Paulus & Iacobus nõ dissentiunt

diuus August. ista loca in illis libris, quos contra Pelagianos scripsit. Et peculiariter primo contra Pelagium & Cœlestium, cap. 8. & 23. & libro De natura & gratia contra Pelagianos cap. 40. & De prædestinatione sanctorum, capite 6. Et per hæc patet, quid dicendum sit ad ea, quæ in confirmatione huius argumenti inducuntur ex epistola ad Galatas.

Immo vero ex ijs, quæ in ea epistola adduntur ab ipso Paulo, & ista, quam dedimus, expositio, potest confirmari. Cum enim addit, *Si ex lege iustitia, iam non ex promissione.* Et iterum, *Si data esset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia: & si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*: videtur profecto his omnibus indicare, ideo se dicere, neminem iustificari ex operibus legis, quia neque obseruantia est aliqua legis tam exacta, neque opus vllum virium naturalium tam præclarum, quod ad iustificationem ex se sufficiat.

Secundum etiam quod in hoc primo loco ponderatur, non cogi asserere, fidem sine operibus sufficere ad salutem. Possumus enim dicere, verbum, *Sine lege*, cum Paulus dicit, *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est*: referendum esse ad verbum, *Manifestata*: non ad verbum, *Iustitia*. Manifestata est enim iustitia Dei per aduentum & prædicationem Christi, & suorum, neq; lege, neq; ipsius ministris, vel cæremonijs eam manifestantibus.

Sed contra istam expositionem est argumentum apparens. Quomodo enim sine lege potest dici manifestata, quæ testificata est ab ipsa lege, vt statim addit Paulus: *An non ipsum testimonium iustitiæ Dei, quod perhibebat lex, manifestatio quadam erat ipsius?* Quomodo etiam sine lege potest dici manifestata iustitia Dei, cum etiam Christus & sui apostoli testimonio vterentur legis ad iustitiam Dei manifestandam? Neque video sane, quid ad hæc argumenta dici possit, nisi forte quis dicat cum Origene in expositione huius loci, legem accipi pro lege naturali, cum dicitur, *Nunc autem sine lege*: pro Mosaica vero, cum dicitur, *Testificata a lege.* Erat enim adeo debilitata & obscurata le-

Rom. 3.

Ratio [illegible] 3. ad Rom.

Ibidem

gis

gis naturalis scintilla, vt eius testimonio haudquaquam voluerit Deus vti ad manifestationem suæ iustitiæ. Sed vtcunque de his sit, placet profecto magis, vt lex in toto suo ambitu accipiatur in illis verbis, *Nunc autem sine lege:* hoc est, vt & naturalem, & Mosaicam comprehendit. Omnem enim occasionem gloriandi in lege, & Gentilibus & Iudæis vult Paulus præscindere. Et tunc vel dicemus verba ista, *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est*, hunc habere sensum: Nunc autem sine lege, id est, lege non causante, neque præstante iustitiam, sed tantum cognitionem peccati, iustitia Dei manifestata est: vel dicemus illa verba, *Sine lege*, non adiungi verbo, *Manifestata est*: sed verbo, *Iustitia*: vt sensus sit, Nunc autem iustitia Dei, quæ est sine lege, hoc est, quæ non causatur à lege, neque eius iustificationem requirit, manifestata est per testimonium legis & prophetarum. Et hanc expositionem, & subdistinctionem sequitur diuus Augustinus De spiritu & litera, cap. 9. Et lib. 1. contra Pelagium & Cœlestiũ de gratia Christi, his verbis: *Quomodo sine lege manifestata, si per legẽ testificata?* Nõ ita sine lege manifestata, quia sine lege iustitia, quia iustitia Dei est, id est, quæ nobis nõ ex lege, sed Deo. & hanc distinctionẽ, vel certe expositionẽ illam, sine lege, id est, lege nõ efficiente iustitiam, postulare videntur illa verba, quæ statim præcesserant: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.* Videtur enim istis alijs, quæ mox subnectit, tantum excludere legem ab efficientia iustitiæ Dei.

Respondetur tertio arg. ex cap. 3. ad Rom. Sed veniamus ad tertium, quod in hoc primo loco magis vrget. Videtur enim Paulus nullum credentem à salute excludere, cum dicit, *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt.* Et quidem ad hunc locum dicunt multi communiter non dixisse Paulum, *In omnes*, & *super omnes*, qui credunt ei, sed *In eum*, quod tantum conuenit habentibus caritatem, & amore in eum tendentibus. Aliud enim, inquiunt, est, credere Deo, quod est, ei fidem adhibere: aliud, credere Deum, quod est, credere Deum esse: aliud, credere in Deum, quod est, credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari, vt Aug. eleganter exponit super Ioann. tractatu 29. Et idem potest colligi ex eodem capite 16. De fide & operibus, vbi ita ait: *Credere in Christum, non est habere dæmonum fidem, quæ recte mortua perhibetur, sed fide, quæ per dilectionem operatur.*

Solutio arg. ab authore reiecta.

Sed nihil valet hoc refugium commune. Non enim habetur Græce ei, neq; in eum, sed absolute dicitur, in omnes, & super omnes qui credunt. Et sic legit diuus Augustinus in De spiritu & litera, capite 9. & 13. Et præterea: Si sic ista exponamus, auferemus magnas prærogatiuas fidei. Consequenter enim habebimus dicere, ista, quæ promittuntur credentibus in Deum, prærogatiuas esse fidei & caritatis.

Solutio authoris prima.

Dicendum ergo aliter ad hoc: Signum istud vniuersale, Omnes, non distribuit hîc pro singulis generum, sed pro generibus singulorum. Hoc est, non distribuit pro omnibus singularibus hominibus, sed pro omnibus nationibus & populis, sicut frequenter dicunt Summulistæ de hoc signo, *Omne*, in ista propositione: Omne animal fuit in arca Noe, non distribuere pro singulis generum, sed pro generibus singulorum. Et in his, vt omnes etiam non dialectici, hæc intelligant, volumus dicere non esse sensum Pauli, iustitiam Dei omnibus communicari qui credunt: sed sensum esse, quod communicatur ijs, qui credunt, siue Iudæi sint, siue Gentiles: ita vt nullus excludatur ab hac gratia, quæ omnibus exposita est, & ad omnes pertinet, & ab omnibus potest participari, si modo velint fidẽ Christi recipere, & quæ illa exigit, præstare. Atque ita necessarium est accipere quod Paulus alibi dicit: *Per vnius iustificationẽ, in omnes homines in iustificationem vitæ.* Rom. 5. Non enim omnes homines iustificantur, sed ex omnibus nationibus aliqui. Ita etiam Augustinus libro 4. contra Iulianum Pelagianum capite 8. exponit illa verba eiusdem Pauli, *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. Et cap. 13 de correc. & gratia, eodem modo exponit illa, *Omnibus per omnia placeo.* 1. Cor. 10 Et hæc verba, quæ modo

exponimus, in hunc sensum, Paulum accepisse, potest probari. Statim enim adiunxit, *Non enim est distinctio Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Quibus verbis videt aperuisse, nequaquam se voluisse in præcedentibus asserere, omnes fideles esse iustos. Quid enim magis alienum à Paulo? sed hoc tantum voluisse indicare, gratiam fidei Christi ad omnes spectare, neque esse sicut lex vetus, in qua gloriabantur Iudæi, quæ ad solos eos spectabat. Detrahere cũ volebat Paulus ibi supercilium & arrogãtiam Iudæis, & ostendere iam nihil eos habere, quo se antecferrent Gentilibus, cum gratia fidei ad omnes ex æquo pertineret, neque intra Iudeæ cancellos inclusa esset. Atque in hunc sensum statim dixerat idem Paulus: *Causati enim sumus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.* Et supra cap. 1. de Euangelio: *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco.* Et in hunc modum possumus respondere ad testimonia, quarto, quinto, & sexto loco inducta.

Rom. 3. Rom. 3. ibidem.

Solutio altera. Altera etiam via respondere possemus ad huiusmodi omnia testimonia, dicentes ea omnia esse intelligenda de credentibus fide viua & efficaci, quæ per dilectionem operatur. Et hæc via potest colligi ex Augustino in libro De fide & operibus, capite 14. 16. & 21. & in De spiritu & litera, capite 32. cuius verba citauimus quarto argumẽto contra secundam propositionem quæstionis primæ. Vnde & in cap. 21. De fide & operibus, ita ait: *Recte dici posset ad solam fidem pertinere Dei mandata si non mortua, sed viua illa intelligatur fides quæ per dilectionem operatur.* Et capite 23. *inseparabilis, ait, est bona vita à fide quæ per dilectionem operatur, immo vero ea ipsa est bona vita.* Et capite 13. mores bonos & fidem sibi inuicem dicit connexa esse, sicut dilectio Dei, & dilectio proximi, quarum altera sine altera esse non potest, vt ibidem cap. 10. ostendit. Et subdit in fine eiusdem cap. 13. regulam notandam, sub his verbis: *Ideo aliquando alterum sine altero, proplena doctrina inuenitur scriptura commemorare, vt etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero esse non posse quia & qui credit Deo, debet facere quod præcepit Deus: & qui propterea facit, quia præcepit Deus necesse est vt credat Deo.*

Tertia solutio. Quod si ne istæ quidem duæ expositiones satis quietent curiosi scrutatoris ingenium, & absolutiorem aliquã, & liberiorẽ, minusque limitatam, Pauli expositionem desideret, occurrit & tertia via, qua ad omnia hæc testimonia sufficienter respondere possimus. Ea autem est, vt dicamus satis esse, vt censeantur huiusmodi vniuersales veræ semper ita esse, sicut per illas significatur, si quidem non apponatur aliunde aliquod impedimentum. Neque enim est necessarium ad veritatẽ earum, vt semper quidquid fiat, & quocunque nos habeamus modo, ita sit, sicut illæ significant. Itaque ad veritatem huius propositionis, quam modo exponimus, satis est quod si non aliunde peccatis nostris impediamus gratiam Dei, per hoc solum quod credimus, iustificemur. Neque parum dicitur ab Apostolo, sic exponendo hunc locum.

Primo enim indicatur ab eo per hæc verba, nemini patere salutem absque fide. Secundo, per fidem patere salutem cuicunq;, si quidem obstaculum aliquod non apponeret, sed se ductui & virtuti fidei permitteret, & quæ iuris sunt sui & operis & functionis, non impediatur exercere. Illa enim ostendit, & demonstrat omnia necessaria ad salutem, & perducit ad ea, si quidem ei non aduersemur & renitamur, sed obtemperemus potius, & eam sequamur, & faciamus, quæ illa nos docet facienda: caueamus autem, quæ cauenda præscribit. Itaque in his verbis non solum indicatur necessitas præcepti, cui obnoxij sumus, cuiq; credendo satisfacimus, & nos à morte æterna, quam alias incurreremus, liberamus, sed indicatur etiam potestas, virtus & efficacia fidei ad iustificationem hominis.

Et ita etiam intelligendi sunt sancti Doctores, cum apud illos sæpe legimus fidem liberare & iustificare impios, & ex peccatoribus sanctos facere. Loquuntur enim sicut edocti sunt ab scriptura in multis locis. Et peculiariter licet videre ita locutos fuisse Ambrosium epistola 71. Hilarium canone 9. super Matthæum, Leonem

Modus loquendi scripturæ familiaris.

nem in quodam sermone de Epiphania Domini. Quod vero satis sit hoc ad veritatem huiusmodi propositionum, potest probari, quia & alibi non semel vtitur huiusmodi propositionibus scriptura in hoc solo sensu. Sic apud Ioannem Saluator ait: *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et paulo inferius: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et iterum statim: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Hæc ibi.

Ioan. 6.

Vides, quoties & quam generaliter Christus asserit iustificandos, & in se mansuros, & vitam æternam habituros eos, qui ipsum in sacramento Eucharistiæ manducauerint? Cum ergo non dubitas multos ad iudicium manducare hunc supercælestem panem, (Hoc enim & Paulus 1. Cor. 11. testatur, & experientia ipsa in multis malis sacerdotibus commonstrat) cum etiam certum sit & apud omnes constantissimum, damnari posse multos, qui hunc panem vel digne, vel indigne sumpserint, si quidem postea admiserint peccata aliqua, & recesserint à fide: relinquitur profecto, ideo solum dixisse Christum manducantes Eucharistiam habituros vitam æternam, quia quantum est ex parte ipsius sacramenti, eam omnes habebunt, qui illud digne sumpserint: non vero, quod absolute & simpliciter eam sint omnes, qui digne illud sumpserunt, habituri, quidquid vel tunc, vel antea ipsi admiserint. Et per hæc, quæ nulli sane intelligenti & interpretanti verba ipsius, poterant esse ambigua, explicabat ipse seruator & doctor omnium, sic esse intelligendas similes propositiones vniuersales, quas & ipse ibidem dedit asserit, & in scripturis suorum Apostolorum sciebat nos postea lecturos. Neque enim ipsi absque exemplo hoc tropo & figura vsi sunt, sed quod viderant factitatum à suo magistro, & à se quoque vsurpari posse prudenter intellexerunt. Patet autem, Christum in eundem modum locutum esse de fide, quo ipsi. Ita enim ibidem ait: *Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Et statim: *Hæc est autem voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternã.* Et supra capite 3. ad Nicodemum ita ait: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et infra cap. 10. in hunc sensum dicit: *Per me si quis introierit, saluabitur.* Et iterum: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquã de manu mea.* Neque enim dubitare possunt hæretici, quin aliqui perierint, qui per fidem introierant ad Christum, & de ipsius essent ouibus. Patet enim hoc, etiam secundum eos, in his qui recesserunt à vera fide. Et infra cap. 11. in hunc sensum dicit Marthæ: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Et cap. 7. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Sic & alibi remissionem promittit peccatorum eis, qui remittunt alijs offensas in se commissas, & omnia mundanda eis, qui dant eleemosynas. Et Paulus dicit: *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Et ad Romanos 6. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et c. 8. *Spe salui facti sumus.* Et Tobiæ 4 *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat & non patietur animam ire in tenebras.* Et Esaiæ 58. *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua &c.* Et frequentissime scriptura hoc tropo vtitur, quotiescunque de illis agit, quæ nisi nos impediremus alijs peccatis, nos perducerent ad vitã æternam. Debetque huius doctrinæ semper meminisse,

1. Tim. 4.

minisse quicunque studiosus est scripturarum, neque vult in illis offendere, vt faciunt passim, propter ignorantiam eius, hæretici. Neque existimet quispiam in solis scripturis hunc tropum inueniri. Frequentissimus enim est apud philosophos & prophanos authores, immo & apud vulgus. Sic enim vulgo dicimus, ignem omnem calefacere, aquam semper frigefacere, mala colloquia corrumpere bonos mores, malorum consuetudinem semper nocere, vinum & mulieres apostatare facere sapientes, & similia sexcenta. Neque tamen, si roget nos quispiam, diceremus per hæc nos velle significare semper ista fieri, non obstantibus qualibuscunque impedimentis, sed naturas nos & virtutes istorum his verbis explicare, & quod vtplurimum ex his sequatur, aperire. Atque ideo scriptura quæ loquitur more filiorum hominum, vtitur his tropis, quoniam frequentes apud eos sunt, & sic melius intelligimus, quæ in ea legimus, & per hæc abunde superq; re sponsum est, ad quartum, quintum, & sextum argumentum cum sua confirmatione.

Solutione data 4 & 5. & 6 arg. satisfactum.

Ad quinq; arg. quæ secundo loco præposita sunt, respō.

Locum ergo excutiamus tertium, & secundum. Quoniam vero quinq; in secundo ponderata sunt inter argumentandum, totidem dictis ad ea respondebo.

Pro solutione igitur secundi argumenti, in secundo loco inducti, dico primo: Quēadmodum verbum illud, *iustificati gratis per gratiam ipsius*, non excludit fidem: ita neque excludit opera, quæ ex diuina lege necessaria sunt ad iustificationem.

Sol. 1. arg.

Vt enim à Deo habeamus per gratiam ipsius, vt credamus, ita & ab eo habemus, vt operemur opera necessaria ad salutem & iustificationem nostram: & tam illa, quam fides, dona quædam gratuita sunt Dei: & illis positis gratuito, & non ex debito, iustificamur. Secundo dico: Ex hoc, quod iustus dicatur ex fide viuere, & Deus eum iustificare per fidem, male colligitur, opera non esse necessaria. Non enim idem est, viuere ex fide, & viuere ex fide sola: iustificari ex fide, & iustificari ex fide sola. Priora dicit scriptura, posteriora de suo erroneo sensu adducunt hæretici. Si autem quæratur, cur tacitis operibus, vnius fidei in hoc loco fiat mentio à Paulo: vide huius causas nonnullas satis congruentes, in tertia, quam statim addemus, quæstione. Neque tamen interim damus, de operibus alijs à fide, Paulum tacuisse. Oppositum enim statim docebimus. Et si aliquādo inueniatur in libris Catholicorum Doctorum, solam fidem nostram, vel solam fidem Christi saluare: intelligendum est, verbo illo, solam, non excludi opera, sed excludi omnes alias sectas & vias ad salutem, quæ sunt præter fidem nostram vel Christi: & hoc tantum illis verbis significatur, quod non pateat alicui salus, nisi per fidem nostram, quæ fides Christi est.

Respondetur arg. tertio.

Et vt vno exemplo doceamus, quid in omnibus similibus intelligendum sit, subijciam verba Martini quinti in bulla condemnationis Ioannis Vuicleff, & Ioannis Hus, quæ habetur in fine Concilij Constantiensis. Is itaque ad medium illius Bullæ, inter cætera ita ait: *Cum reliquis, huiusmodi secta damnabili infectis, qui post competentē monitionem ac frequentem exhortationem, qua pie erga eos spe correctionis & emendationis, ac ad melioris vitæ frugem conuersionis, vsus est, a prædictis erroribus & secta noluerint resipiscere, & ad gremium vnitatemq; sanctæ matris ecclesiæ redire, ac fidem Catholicam, quæ sola saluare potest, sine qua vera salutis nulli subsidium contingit, plene recognoscere & confiteri, iustitiæ seueritas, prout facti poposcerit qualitas, dulciore misericordiæ temperetur.* Hæc ibi. In quibus manifeste patet, cum dicitur, fidem solam saluare, nihil aliud significari, quam quod statim adiungitur, *Extra illam neminem saluari.* Atque ita præclarissimus ille Pelagianorum insectator Augustinus, cum eliminare vult de ecclesia errorem illum Pelagij, quod ante legem saluati fuerint iusti per naturam, deinde per legem, postremo per Christum, aperte dicit, *Iustos antiquos non saluos fecit nisi fides mediatoris.* Quo verbo certe non excludebat necessitatem operum præceptorum, sed necessitatem indicabat fidei Christi pro omni statu.

Tertio dico: Cum Paulus gloriationem Iudæorum exclusam esse dicit, *Non per legem facto-* Solutio 4 argum.

factorum, sed per legem fidei: non ideo legem veterem appellauit legem factorum, quod in ea non credenda præscriberentur, sed tantum facienda: neque nostram legem, fidei legem appellauit, quoniam in ea nihil præciperetur faciendum, sed tantum credenda. Sunt etenim in vtraque lege præcepta de credendis, & de faciendis.

Sed ideo lex vetus, lex factorum dicta est, & nostra, lex fidei, vt dicit Augustinus, quia in lege veteri plurima de faciendis mādata data sunt, adeo vt Petrus dixerit, eam importabilem fuisse: pauca autem, immo vere paucissima, de credendis præcepta erant in tota lege veteri: contra vero in noua lege pauca sunt præcepta de faciendis, & multa de credendis. Supra illa enim, ad quæ tenemur ex lege naturali, nullum habemus iuris diuini hoc tempore præceptum, nisi præceptum de credendo, & de tribus sacramentis, baptismo, confessione, & Eucharistia. Credere vero multo plura tenemur, quam tenebantur homines ante aduentum Christi. Quoniam multo plura nunc sunt patefacta mysteria, quæ necessarium est fidelem omnem credere certa ac firma fide. Atque ideo status hic noster vocatur status fidei, immo & fides, vt supra ex Paulo docuimus. Et quod Paulus cum appellaret legem nostram, legem fidei, non voluerit excludere à lege nostra præcepta de faciendis, satis explicabat ipso verbo, Lex fidei. Legi enim factorum, opposuit legem, quæ plura solet præscribere: & non opposuit fidem, ne illa sola requisita putaretur. Atque hoc ipsum multo magis statim aperuit, cum obiectum argumentum, Legem ergo destruimus per fidem? hoc pacto soluit: Absit, Sed legem statuimus, hoc est, firmamus & stabilimus, sicut apertissime sonat Græca litera. Cum enim hoc de lege veteri intelligi commode nequeat quo ad præcepta cæremonialia & iudicialia, quæ antiquata sunt & abrogata per fidem: relinquitur hoc esse intelligendum de lege naturali, vel de lege veteri, quo ad moralia præcepta, quod idem est. Quare ex his liquido monstratur hoc ipso loco Paulus stare pro nobis, quo maxime gloriantur hæretici aduersus nos.

Quarto dico: Quintum verbum, quod in hoc secundo loco maxime merito ponderatur, varie exponi à Doctoribus catholicis. Quidam enim dicunt, Paulum, cum dicit, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, non exclusisse opera consequentia ipsam iustificationem, sed tantum exclusisse opera antecedentia ipsam iustificationem. *Quoniam fides*, inquiunt *sine operibus*, nempe ipsam subsequentibus, *mortua est.* Et in fauorem huius expositionis potest induci Augustinus 14. cap. De fide & operibus, vbi tractans hæc verba, ita ait: *Non hoc agit Apostolus, vt præcepta ac professa fide, opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiamsi legis non præcesserint opera. Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum.* Hæc ibi. Et in De Spiritu & lit. cap. 26. *Sic intelligendum est*, ait, *Factores legis iustificabuntur, vt sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi iustificentur, vt non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio præcedat.* Hæc Augustinus.

Solutio 5. argum.

Aliorum authorum solutiones.

Sed contra istam expositionem primo est argumentum, quia Paulus generaliter asserit, per fidem iustificari hominem sine operibus legis, vbi omnia quidem opera legis excludere videtur. Neque est, cur potius excludere existimetur sequentia, quam antecedentia opera, & sicut dicunt iurisconsulti, vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Et quidem, cum Paulus non solum non distinguat, sed absolute omnia excludat, neque nos quædam includere debemus, quædam vero excludere.

Refutatio data iam solutio.

Et præterea contra istam expositionem argumentor: Iam enim hæc sententia concedit hæreticis, opera non esse requisita ad acquirendum nobis iustitiam, sed tantum ad eam tuendum & conseruandum, & ne ab ea semel acquisita excidamus. Quod quidem dandum non est hæreticis. Si enim detur, consequenter habebimus dare, neq; baptismum, neque pœnitentiam necessaria esse, neque in re, neque in voto, ad consequendum iustitiam, & vna fide iustificari posse adulteros, homicidas, blasphemos, fures, vsurarios: quod supra satis ostendimus

Patrocinatur prior illa sententia hæreticis.

mus non esse dandum. Et profecto sine causa videntur mihi limitare verbum Pauli ad opera antecedentia, qui hoc semel largiuntur hæreticis. Cum enim Paulus tantum dicat homines iustificari per fidem sine operibus, & nõ dicat sine operibus posse homines saluari, & perseuerare in iustitia, saltem in his locis si hoc interim datur eis, vt ad comparandum nobis iustitiam, fides sine operibus sufficiat, quid opus est limitare verbum Pauli, cum consequenter dici debeat verissimum esse, solam fidem sufficere ad iustificationem, omnibus exclusis operibus?

Alia rursus ab authore non approbata solutio.

Secundo & alij possent hæc verba exponere de operibus fidem antecedentibus, ita vt sensus sit, hominem iustificari per fidem sine operibus, quæ ipsam fidem antecederent. Et pro hac sententia possent induci verba Augustini in priori enarratione in psalmum 31. vbi ita ait: *Ergo fratres ex fide iustificatus est Abraham, sed si fidem opera non præcesserunt, tamen secuta sunt.* Et paulo inferius: *Noli præsumere de operibus ante fidẽ. Noueris quia peccatorem te fides inuenit. Et si te fides data fecit iustum, impium inuenit, quem faceret iustum.*

Et posset confirmari ista expositio, quia opera, quæ sequuntur fidem, vt nos iustificent, opera sunt fidei, neque contra ea debuit fides distingui. Et cum vbique asserat Paulus, nos non iustificari ex operibus, videtur de illis solis operibus loqui, quæ fidẽ antecedunt. Si enim ex alijs, quæ consequuntur fidẽ, homo iustificetur, & ea quoque iustificatio dicetur esse à fide, à qua sunt illa opera. Et ad amputandum supercilium & Iudæis & gentibus de sua iustificatione, & ostendendum eam esse mere gratuitam, quod est Pauli propositum in hac epistola, satis profecto erat dicere, nulla opera antecedentia gratiam fidei, fuisse talia, vt propterea Deus aliquem iustificaret: neque requisita fuisse, vt Deus quempiam iustificaret. Potest etiam & pro ista expositione Pauli illud induci, quod Paulus non de fide sterili & mortua, sed de viua & efficaci loqui videtur, quæ per dilectionem operatur. Non ergo excludit dilectionem, aut alia opera bona, quæ sunt opera fidei ipsius, sed tantum illa, quæ eam antecedunt.

Sed ista argumenta quamuis sint apparentia, non videntur mihi satis idonea vt credam hanc esse genuinam Pauli intelligentiam. Et contra eam eadem possunt fieri argumenta, quæ contra primam expositionem. Neque contudisset his verbis Paulus superbiam Iudæorum, qui non adscribebant Euangelij gratiam operibus, quæ fidem antecesserint, sed quæ secuta fuerint potius.

Reijcitur altera iam posita solutio.

Tertia solutio & expositio loci Paulini.

Tertio igitur alij exponunt hæc verba de operibus legis legalibus. Hoc est, vel cæremonialibus, vel iudicialibus. Itaque dicunt Paulum non negasse hoc in loco, necessaria esse ad salutem opera moralia, quæ lex præscribebat, sed hoc tantum voluisse statuere cõtra Iudæos & pseudoapostolos, qui & Romanos & Galatas seduxerant, legem veterem non esse necessariam ad salutem. Et præter nonnullos doctissimos viros ex recentioribus, habet hæc expositio illustres Doctores pro se: nempe, Ambrosium, Hieronymum, Theophylactum, qui hunc locum de operibus cæremonialibus & iudicialibus exponunt. Et nominatim Ambrosius, quod Apostolus dicit sine operibus legis, exponit sic: Id est, sine circuncisione, neomenijs, & veneratione sabbati. Et pro hac expositione videntur illa verba, quæ statim adduntur, aperte facere. Subdit enim Paulus: *An Iudæorum Deus tantum? Nonne & gentium? Immo & gentium. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.* Perinde enim hæc videtur subiecisse, ac si solam legem exclusisset in præcedentibus, & ea quibus dignoscebantur Iudæi à Gentilibus. Et hoc vnum videtur stabilire voluisse, vnum quidem esse Deum communem, qui vtrosque fide sine cæremonijs & ritibus legalibus iustificaret. Illud etiam quod statim præcesserat, videtur fauere huic expositioni: *Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* Cum enim legem hîc factorum, extra controuersiam, appellarit Paulus legem veterem, quatenus respicit cæremonialia & iudicialia, videntur

Luc. 7. & 23

Rom. 3.

Epi. ad Rom. scop.

de

de ea sola esse interpretanda, quæ sequuntur: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Cum etiam nomine factorum, neque fides includatur, neque dilectio: lex ergo (arguit quidam) non in toto suo ambitu accipitur hîc à Paulo, licet sic accipiatur à Christo, cum dicit, In his duobus mādatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Sed accipit, ait, hîc Paulus legem pro lege diuina, vt facienda respicit, neque se ad præcepta fidei, aut dilectionis extendit. Atque ita videtur Origenes hunc locum intellexisse in commentariis epistolæ ad Romanos.

Cum enim tractans hunc locum, colligat ex eo Paulum dicere, solius fidei esse nostram iustificationem, ita, vt credens quis tantummodo, iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum, explicans per hæc non excludi dilectionem Dei interiorem, aut orationem, qua petitur misericordia, dicit latronem in cruce per fidem iustificatum esse sine operibus legis, quia Dominus non requisiuit quid prius operatus esset, neque quid operis, cum credidisset, expleret: sed sola, ait, confessione iustificatum, comitem sibi, paradisum ingressurus, assumpsit. Et statim de muliere peccatrice, cuius meminit Lucas, ita subdit: Ex nullo legis opere, sed pro sola fide ait ad eam: *Remittuntur tibi peccata tua* Cum ergo & latronem constet ex Luca orasse, vt inueniret misericordiam, & de Magdalena dixerit Christus, *Remissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum*: constat, eum fidem non distinxisse hoc loco, nisi contra opera legalia vel exteriora. Atque ita interpretari debent, quæ statim adducit: Iustificatur, inquit, homo per fidem, cui ad iustificandum nihil conferunt opera legis. *Hæc Origenes.*

Luca 7. & 23

Epi. ad Roman. scop.

Fauet etiam his scopus totius epistolæ, Non enim hoc agit Paulus, vt operibus virtutum sublatis fidem vnam stabiliat, sed operibus legalibus valorem abrogat, vt eis amputatis, & supercilium Iudæorum deprimat, & in vna communi fide ex æquo gloriandum & Iudæis, & Gentilibus, commonstret. Sed neque his argumentis, neque, quæ multo maioris est apud me ponderis, authoritate tantorum, tamque celebrium virorum adduci possum, vt credam Paulum sola hîc exclusisse legalia, quæ dicimus, legis opera. Et primo quidem contra hanc expositionem hoc militat, quod Paulus absolute & sine vlla limitatione doctrinam suam tradit, vni fidei iustificationem nostram tribuens, & omnia opera legis excludens. Non est autem æquum, vt nos limitemus tanti Apostoli doctrinam, vbi ipse eam non limitauit. Quid enim hoc est aliud, quam dicere, sensum quidem Pauli verum esse, sed verba non esse absolute vera? Et cum opera legis præcipua, & ab ipsa lege præcipue intenta, sint fides & dilectio Dei: quare sub nomine operum legis, credamus omnia alia intelligi & includi, ista vero sola minime cōprehendi.

Reiicitur hæcquoque expositio.

Legem generaliter & in toto suo ambitu apud Paulum esse accipiendam.

Secundo etiam contra hanc expositionem argumentor. Eodem modo accipit hîc Paulus legem & opera legis, quo acceperat pauloante in hoc eodem capite, cum dixit: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Sed in his verbis omnia excludit opera legis, etiam moralia, vt patet. Ad præcepta enim moralia spectat, quod statim adiunxit, *Per legem enim cognitio peccati.* Et alias, nisi etiam excluderet fidem & dilectionem, non satis concluderet efficaciter ex hoc, omne os debere obstrui, & omnem mundum reum esse Deo. Possent enim homines hæc obijcere opera moralia, & per ea dicere se iustificari. Neque spectarent, si hoc esset, ista verba ad Gentiles, sed ad solos Iudæos, cum tamen Paulus vtrisque velit supercilium, fastum & arrogantiam amputare. Cum igitur in his verbis aperte excludat omnia opera legis etiam moralia, & lex capiatur in toto suo ambitu, videtur idem etiam omnino dicendum in istis verbis, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.*

Quod si argumenta, quæ fecimus, non satis videntur idonea ad probandum in his verbis, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* legem sic accipi, vt diximus, audiamus quid diuus Augustinus dicat, tractans hæc verba in De Spiritu & litera, capite octauo:

At ne quispiam, ait, putaret hic Apostolum ea lege dixisse neminem iustificari, quæ in sacramentis veteribus multa continet figurata præcepta, continuo subiunxit, quam legem dixerit, & ait: Per legem enim cognitio peccati. Illa igitur lex est, de qua postea dicit, Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nā concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Hæc Augustinus. Cum igitur ista lex naturalis sit & moralis, patet, secundum Augustinum, hæc verba, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*, non esse interpretanda de solis operibus cæremonialibus & iudicialibus. Idemque latissime probat, & disputat ibidem capite 13. & 29. & 14. Et in principio cap. 14. ita ait: *Legem, ex qua neminem dicit iustificari, non tantum in illis sacramentis, quæ habuerunt promissiuas figuras, verumetiam in illis operibus vult intelligi, quæ quisquis fecerit, iustè viuit.*

Tertio etiam hoc ipsum possumus confirmare hoc pacto: Eodem modo hîc loquitur de lege, quo supra capite 2. huius epistolæ dixit: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Sed hoc loco legem accepit Paulus in toto suo ambitu, & saltem, vt comprehendit moralia præcepta fidei & dilectionis: nam alia ad iustificationem non sufficiunt, & ista etiam comprehenderat pauloante in illis verbis, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt faciunt:* & cum subdit, *Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ergo etiam in istis verbis, quæ modo tractamus, generaliter debet accipi lex, & opera legis.

Quarto: Præcipua pars veteris legis erant præcepta moralia. Ergo cum Paulus loquitur de lege, non excludit præcepta moralia. Et confirmo: Ista non scribebat Paulus Iudæis, sed Romanis. Non ergo in his verbis tantum excludebat opera, quibus gloriabantur Iudæi, & ad quæ soli Iudæi tenebantur, quæque apud illos duntaxat consueta erant, sed excludebat etiam opera legis, quæ inueniri poterant, & inueniebantur apud Gentiles.

Quinto eandem expositionem possumus impugnare. Quamuis enim aliqua, quæ scriptura de lege asserit, de ea vere dicantur propter iudicialia & cæremonialia, quale est, legem habere vmbram futurorum bonorum, & legem esse legem factorum, & mandatorum, & fuisse importabilem. Quamuis etiam lex sæpe pro lege Mosaica accipiatur, vt distinguitur contra legem naturalem, tanquam quæ multa ei superaddit, & Græce, vt hæc notetur distinctio, articulo aliquando subnotetur, vt Origenes monet super illa verba ad Romanos, *Nunc autem sine lege, &c.* tamen nusquam quod meminerim, in scripturis dabitur locus, vbi legis verbum absolute positum intelligatur pro lege, vt solum comprehendit sub se præcepta iudicialia & cæremonalia. Et hic minus videtur hoc esse tolerandum.

Primo quidem, quia cum statim dixit, legem statuimus: legem præcipue accepit pro ea parte, qua comprehendit moralia.

Secundo, quia proposito Pauli haudquaquam conuenit sic limitare hanc doctrinam. vult enim Paulus non solis Iudæis amputare supercilium de operibus legis, sed & omnibus alijs hominibus: & Iudæis quidem, non de solis legalibus operibus, sed de omnibus bonis operibus. Scopus ep. ad Rom.

Hic enim est scopus præcipuus totius huius epistolæ, vt ostendat nemini salutem patere, nisi per Christi gratiam, neque meritis cuiusquam Euangelium venisse aut gratiam Christianam. Atque ideo neque Gentili supra Iudæum, neque Iudæo supra Gentilem esse gloriandum, sed gloriãdum omnibus ex æquo in vna vnius gratia Christi. Et quidem vbi in epistola ad Galatas admitteremus opera legis vocari opera legalia, hoc est, iudicialia vel cæremonalia, non esset hoc dandum in epistola ad Romanos. Scopus enim epistolæ ad Galatas est vera libertas Christiana à vitijs, & à lege Mosaica. Et hoc ex professo agit ibi Paulus, vt ostendat reuelata iam fide, nihil esse necessaria opera legis. Prorsus enim antiquata est & abrogata morte Christi tota lex vetus, adeo, vt neque præcepta moralia necesse sit iam seruare, quia lege Moysi sunt tradita, sed tantum quia ea sunt Epistola ad Gal. scopus.

sunt nobis præscripta lege naturali. Translato enim sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat: & per eum, qui factus est sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, á maledicto legis redempti sumus: vereque possumus dicere cum Paulo: *Vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo*, Et iterum: *Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam.* Neque de operibus sacramentorum, aut iudicialium, vel aliarum cæremoniarum quæstio erat hîc inter Iudæos & Gentiles, neque se Iudæi anteferre volebant Gentilibus propter sola legalia, sed propter iustam suam vitam, & opera absolute bona, & propter hæc Euangelium & gratiam Christianam eis datam dicebant, vt Augustinus in prima parte sermonum, sermone 25. late edisserit. Vnde & Paulus omnia opera excludens, dixit: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*

Et tandem sexto hæc expositio non mihi satis placet. Non enim in totum euacuat vim argumenti hæreticorum, sed diuerticulum quoddam videtur, in quod interim, dum non plus premimur, subterfugiamus. Idem namque Paulus, qui dixit in his verbis iustificari nos per fidem sine operibus legis, capite 4. absolute dicit, nos iustificari sine operibus, vt in tertio loco obiecto pro hæreticis, aperte monstrauimus. Et cum cap. 11 dicit, Reliquias Iudæorum secũdum electionem gratiæ saluas esse factas, omnia opera excludens, subdit: *Si autem gratia, iam non ex operibus* Et cum fidem, Dei donum dicit, omnia similiter opera excludens, addit:
Ephes. 2 *Non ex operibus, ne quis glorietur.* Et vide, vt perpetuo hoc idem seruet. Nam ad Timotheũ
2. Tim. 1 Collabora, scribit, *Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.* Et ad Titum: *Non*
Tit. 3 *ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Et hac ipsa epistola ad Romanos: Non ex operibus,
Rom. 7 sed ex vocante Iacob esse dilectum ostendit. Et Israelitas sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ, ait, non venisse, quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Idem igitur apud Paulum est, *non ex operibus*: &, *Non ex operibus legis.*

Quinto ego dico Paulum in illis verbis, *Sine operibus legis*, omnia opera exclusisse, quæ lex præcipiebat, sed exclusisse quidem ab efficientia & merito, vel debito iustificationis nostræ, non autem à necessitate vel vinculo, quo ad ea sumus adstricti, vt iustificemur. Itaq; sensus Pauli non est, quod iustificemur per fidem, etiam non positis operibus legis. Quomodo enim iustificari quis potest coram Deo, non adhibitis, quæ ipse per suam legem à nobis exigit? Sed sensus germanus Pauli esse videtur, iustificari per fidem absque operibus legis: hoc est, operibus legis non præstantibus, neque efficientibus, neque merentibus, neq; facientibus debitam nostram iustificationem. Repetiuit enim Paulus hoc loco, & confirmauit quod statim dixerat, neminem iustificari ex operibus legis. Et in hunc sensum dixisse se, nos iustificari sine operibus legis, aperuit Paulus statim capite 4. huius epistolæ, cum adiecit: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum* Rom. 4
gratiam, sed secundum debitum. Si enim ei, qui operatur, merces deputatur secundum debitum, cum nemo ex debito iustificetur, sed potius gratis: colligitur, omnes, qui iustificantur, dici à Paulo iustificari absque operibus, & vere non operantes. Quod & ipse statim aperuit, subdens: *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Quare cum hoc non possit sic intelligi, quod nullus cum iustificatur, opera aliqua alia bona operetur, necesse erit sic hoc intelligere, quod nullus cum iustificatur, operatur opera, quibus debeatur ex iustitia sua ipsius iustificatio. Et consequenter merito possumus inferre, idem esse apud Paulum, iustificari absque operibus: quod, iustificari absque operibus quibus debeatur ipsa iustitia. Et hoc etiam ibidem magis aperuit, cum subiunxit: Sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus. Quid est enim aliud, Acceptam ferre iustitiam sine operibus: quam,

Benigne elargiri iustitiam, quam opera non promerentur, & perinde sese habere ad iustificandum nos, ac si opera præstitissemus, quibus deberetur iustitia, cum tamen nulla talia fecissemus? Sine operibus ergo iustificari, est iustificari operibus non id promerentibus, neque exoluentibus DEO, quæ debemus pro peccatis nostris, vt apud eum iustificemur. Atque ideo & ibidem dicit Paulus: *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*: quia si quam iustitiam ex operibus legis, velut debitam sibi, consequi potuit, aut vere consecutus est, illa non est iustitia, quæ eum iustum coram Deo faceret.

Neque ideo Deus requirit à nobis aliqua opera, vt nos iustificet, quod ea opera sint natura sua talia, vt eis debeatur iustitia. Gratis enim, & omnino liberalissime nos iustificat, etiam positis requisitis omnibus operibus: sed requirit à nobis aliqua opera, vt commendet suam nob.s æqualem in omnes benignitatem, neque sit nobis vile, quod præstat: & vt nos faciamus quod possumus, neque inertes simus & segnes in conquirenda modis omnibus nostra iustificatione, cum diuinissimum sit, vt Dionysius dicit 5. capite ecclesiasticæ Hierarchiæ, cooperatorem Dei fieri, vtcunque id fiat.

Obiect aduersus præcedentem authoris solutionē. Dicet tamen fortassis aliquis: Ab operibus fidem distinguit Apostolus, & iustificari nos dicit sine operibus, & gratiam asseritnon esse ex operibus: non autem dicit, nos iustificari sine fide, neque dicit gratiam non esse ex fide: immo ait, iustificari nos per fidem, & ex fide, & gratia saluos nos fieri per fidem. Si autem, cum dicit nos iustificari sine operibus, & accipere gratiam non ex operibus, hoc tantum sentit, quod iustificamur & constituimur in gratia, nullis nostris operibus hoc promerentibus: vere ergo & iustificari sine fide, & gratiam accipere non ex fide potuit dicere, & falso dixisset nos per fidem iustificari, quia neque fides hoc promeretur, vt in sexta quæstione patebit. Cum igitur Paulus non sic loquatur de fide, ac de operibus: videtur alio in sensu dixisse, hominem iustificari per fidem sine operibus legis.

Sed hunc scrupulum, & cōfirmationem huius argumenti, in quæstione proxima accuratius dissoluemus. Interim tamen, qui hæc obijcit, audiat quid diuus Augustinus eidem pene argumento, libro De prædestinatione sanctorum, capite 7. respondeat: *Sed forsitan dicunt*, inquit, *ab operibus fidem distinguit Apostolus, gratiam vero non ex operibus esse dicit, non autem dicit quod non sit ex fide* Et respondet: *Ita vero est, sed ipsam quoque fidem opus Dei dicit ipse Iesus, & hanc vt operemur iubet. Dixerunt n. ad eū Iudæi Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorū distinguitur Iudas ab Israel cum & ipse Iudas sit Israel Ex fide autem dicit iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera quæ proprie opera nuncupantur* Hæc Augustinus.

In quibus satis patet, diuum Augustinum non negare, quin & ipsa fides potuerit excludi, sicut & opera, ac fortassis fuerit exclusa nomine operum, cum & ipsa opus quoddam sit: sed cōuenisse, ne sub nomine fidei excluderetur, quod primum sit Dei opus, quo cætera impetramus. Et ne omnino nihil à nobis requiri ad nostram iustificationem putaremus, conueniens fuit, cum cætera opera infirmarentur, saltem meminisse fidei. Cōfirmatio autoris expositionis.

Quod si alicui non in totum satisfaciat hæc nostra expositio, quod Paulus dicit, nos iustificari per fidem sine operibus legis, & non dicit, sine efficiētia aut merito operum legis, & propterea apertiorem aliquā & planiorem expositionem Pauli verborū desiderat: occurrit & alia via, si tamē omnino alia existimanda est, qua obscurū istum & sane difficilimum Pauli locum, edisserere & interpretari possimus. Ea autem est, vt opera legis dicamus à Paulo vocari opera, quæ lex facit facere, quæque nos ex libertate nostra & viribus naturalibus propter legis prohibitiones, præcepta & comminationes, sine peculiari Spiritus sancti auxilio Alia Pauli loci expositio.

auxilio facere possemus. Et ideo ex operibus legis neminem iustificari dixit Paulus, & sine eis per fidem nos iustificari: quia illa tam imperfecta sunt, vt neque sufficiant, neque requisita sint ad nostram iustificationem. Sunt enim huiusmodi opera, vt ex Augustino in De spiritu & litera, capite 8. 14 29. & 32. colligi potest, opera quibus lex impleretur timore quodam seruili propter pœnam, quam lex comminatur, non autem amore iustitiæ. Huiusmodi autem opera manifestum est, neque requiri, neque sufficere ad iustificationem. Et de talibus operibus intelligenda sunt verba diui Augustini, quæ in fauorem primæ expositionis huius loci citauimus. Estque ista expositio ad alia multa D. Augustini subobscura verba bene notanda. Et quod hic sit genuinus Pauli sensus, possumus probare ex multis.

Cõfirmatio huius expositionis.

Primo enim, si sic Paulum interpretemur, mirifice omnia conueniunt scopo & proposito totius epistolæ ad Romanos, immo etiam scopo epistolæ ad Galatas. Hoc enim ex professo & præcipue agit Paulus in his epistolis, vt iam diximus, vt ostendat, neque per legem, neque per vires nostras naturales, sed per vnam Christi fidem & gratiam nos iustificari: atque ideo neque in lege, neque in lumine, vel libertate, aut potestate naturali esse cuiquam gloriandum, sed in vna solummodo Christi gratia & misericordia. Cui proposito optime congruit, vt Paulus dicat iustificari nos per fidem & gratiam Christi absque operibus legis & virium nostrarum naturalium, & neminem ex huiusmodi operibus gratiam consequi. Quare cum, quantum fieri possit, adnitendum sit, vt respondeant scopo totius epistolæ verba omnia, erit hic sensus, vt germanus & genuinus, amplectendus, in quo mirum in modum conueniunt hæc verba proposito totius epistolæ.

Secundo possumus confirmare, hunc esse verum sensum Pauli, quia non est verisimile, voluisse Paulum excludere à iustificatione, opera legis, quæ quis facit adiutus opera & gratia Spiritus sancti, & sine illis voluisse asserere hominem iustificari, cum hoc apertissime dissonet multis alijs Pauli testimonijs, quæ supra allegauimus: neque stabiliendæ gratiæ Christi, quod vnum satagebat hoc erat expediens aut conducibile, sed incommodum valde & intẽpestiuum. Non enim gratia opera gratiæ excludit, sed accersit potius, sed requirit, sed desiderat, & amicissima sibi esse existimat. Cum ergo vero omnia vera consonẽt, & is sensus maxime vbique sit amplectendus, per quem vbique sibi constare suique similibus Paulus ostenditur, erit hic, vt cõgruentissimus menti Paulinæ, sensus recipiendus.

Tertio Paulus distinguit vbique legem ab Spiritu & gratia. Ergo opera legis vocat opera, quæ quis facit per legem, non adiutus gratia Spiritûs. Antecedens huius argumenti probatur. Ideo enim dicit: *Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur.* & iterum, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Et alibi: Rom. 4. *Peccatum in vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Et rursus: *Cum venisset mandatum, peccatum reuixit. Et inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.* Et paulo inferius: *Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Ideo, inquã, hæc omnia dicit Paulus, quia loquitur de lege, vt distinguitur ab Spiritu: & lex nisi adsit Spiritus viuificans, cuius gratia & adminiculo ipsa impleatur, non vitam confert, sed mortem: neque iram extinguit, sed prouocat: neque Deum nobis conciliat, sed alienat, & in nos irritat. Sciri enim facit peccatum, non caueri, & augeri potius, quã minui. Auget enim cõcupiscentiam & iniquitatem. *Nitimur* namque *in vetitum*, ait ille, *cupimusque negatum.* Et occasione prohibitionis, insolitæ malæ cõcupiscentiæ morbus augescit. Vnde & Paulus ait: Peccatum, *occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.* Neque solũ peccati fomes succrescit, & molestior fit ex pro-

prohibitione: sed nisi adsit gratia Christi liberans, ad augmentum ipsius etiam præuaricatio legis accedit. Atque ideo Paulus legem itam operari, hoc est, irritare & prouocare, hac vna ratione contentus fuit probare. *Per legem enim cognitio peccati. Vbi autem non est lex, neque præuaricatio*: cognitio, dixit, non consummatio. Et qui sub lege sunt, sub ira sunt: quia reos illa facit iubendo, & non adiuuando. Rom. 3.

Et hac de causa alibi ministerium legis, etiam quatenus decalogum in se claudit, ministerium mortis & damnationis appellat. Et alias legem ipsam, legem mortis dicit, quia reos faciebat potius cognitione peccati, quam liberabat à peccato. Et hoc titulo de ea ad literam ait, *Litera occidit*: & se aliosque apostolos ministros noui testamenti affirmat, non litera, sed spiritu, quod non tantum docerent legem, & præscriberent quid faciendum esset, quidve cauendum, sed & gratiam Spiritus sancti ministrarent, qua legi ipsi obediretur. 2. Cor. 3.

Hac etiam ratione, Ambulare in vetustate literæ, idem existimat, ac Seruiliter & vtcunque timore pœnæ seruare legem: Ambulare vero in nouitate Spiritus, Seruare ipsam amore iustitiæ per gratiam Christi. Atque ideo, vt dicit Augustinus vbi supra cap. 14. cum monuisset, vt in nouitate Spiritus ambularemus, & non in vetustate literæ, quasi explicans vetustatem literæ, subiecit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem.* & quæ sequuntur: & quasi explicans nouitatem spiritus, subdidit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ab illa enim omnis nouitas Spiritus, ab illa renouatur vt aquilæ iuuentus nostra, ab illa quasi noua simus creatura, vt ambulemus nouo spiritu in lege Domini, & viam mandatorum ipsius percurramus. Cum igitur legem ab spiritu & gratia sic distinxerit vbiq; Paulus, quid superest, nisi vt opera legis ab eo dicta, esse credamus ea opera, quæ fierent propter ipsam legis prohibitioné & cóminationem absq; gratia Spir. sancti?

Et confirmari omnia ista possunt ex illis, quæ ad Galatas idem Apostolus scribit. Cur enim in lege neminem dixisset iustificari, cum tam multi fuerint Patres sancti & iusti in veteri lege ideo iustificati apud Deum, quia legem seruabant, credendo, quæ lex iubebat credere: faciẽdo, quæ lex præcipiebat facere: cauendo, quæ lex mandabat cauere, nisi quia legem distinguit Paulus ab Spiritu? Et hoc ipso, quod néminem dicebat in lege iustificari, volebat aperte ostendere, non fuisse alicui satis ad iustitiam adiutorium legis, nisi adiutus etiam fuisset gratia Christi. Vnde & ad eosdem dicit: *Si ex lege hæreditas, iam non ex promissione.* Et iterum: *Si data esset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia.* Et rursus: *Si ex lege est iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Et alibi: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini à gratia excidistis.* Quæ certe omnia aperte contradicerent & repugnarent illis verbis Christi, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* nisi de lege, vt distinguitur contra gratiam spiritus, ea omnia interpretemur. Cum enim omnes, qui legem ad amussim seruant, filij sint promissionis, & iustificentur à Deo, neque quispiam apud Deum iustus sit, qui legem præuaricetur: cur non diceremus, in lege homines iustificari, & ex lege esse iustitiam & hæreditatem, & legem posse viuificare, si lex includat sub se gratiam Christi, per quam solam ipsa potest impleri? Certe verissimum est, neque in dubium potest reuocari, quod & alibi idem Apostolus dicit, factores legis iustificari & iustos esse apud Deum. Gal. 3. 5. & 5. Matth. 19. Rom. 2.

Sed hoc ipsum gratiæ est Christi, vt exacte seruet quis legem. Opera ergo legis, quæ ad iustitiam neque necessaria sunt neque multum conducibilia, sunt illa, quæ quis sine gratia Christi facit, quibus licet quis in faciem & superficietenus videatur legem implere, tamen coram Deo, qui inspector est cordis, vere eam non in totum implet. Nisi enim adiuuetur quis gratia, mallet, si fieri posset, licere quod non licet. Qui sic autem Galat. 4.

autem implet, non omnino implet. Non enim implet interiori voluntate. Vbi vero quis acceperit Spiritum sanctum, implere potest vere & perfectè totam legem. Quia per eum diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ plenitudo est: quia cum non libeat ei, nisi quod licet, prorsus totam legem implet. Et propterea Diuus Augustinus sæpe, & nominatim capite 24. & 26. præcitati libri, & in capite 2. epistolæ 120. quæ tota est de gratia noui testamenti, ad nouum testamentum dicit pertinere oẽs sanctos veteris testamenti. Quod enim implerent legem, & reconciliarentur Deo, & placerent ei, ipsiusque amici dicerentur, non habuerunt nisi à fide & gratia noui testamenti, hoc est, à fide qua explicite vel implicite credebant, quæ futura erant in nouo testamento à gratia quæ eis dabatur propter ea, quæ Christus & passurus & facturus erat in nouo testamento. Et capite 19. 20. & 21. libri De spiritu & litera, docet & luculenter probat idem Augustinus ipsam præsentiam Spiritus sancti, qua diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & præcepti finis, nouum testamentum & leges scriptas in cordibus appellari ab Hieremia, cum dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum.* Et infra: *Dabo leges meas in cor eorum, & in mente eorum scribam eas.* Et disertissime confirmat libro tertio contra secundam epistolam Pelagianorum, capite 4. Omnes sanctos veteris testamenti fuisse non quidem nomine, sed re ipsa ante Christianos, quia vetus testamentum in seruitutem generat, vt ait Apostolus, & iusti non sunt ancillæ filij, sed liberæ. Pertinent enim ad ciuitatem cœlestem Hierusalem, quæ libera est: neque quæ pertinent ad veterem hominem, curant, sed quę ad nouum: neque timore pœnæ aut amore bonorum temporalium, qui seruilis affectus est, sed amore iustitiæ & cœlestium spe bonorum legem seruant, quod veræ libertatis signum est. Et filij sunt promissionis factæ ad Abraham, quæ testamentum appellatur à Paulo, & vtrique non vetus, sed nouum: quia illud distinguit contra legem, quæ vetus testamentum dicitur, quod prius fuerit iustitia ipsius reuelata, quam iustitia fidei, quæ latebat in tenebris propheticis, & manifestata est aduentu Christi. Itaque ex his omnibus patet, non esse opera legis, sed opera noui testamenti, & opera gratiæ, &, vt ipsissimis Pauli verbis loquamur, fructus Spiritus, illa quibus, adiuti gratia Christi, legem implemus, atque à Deo iustificamur.

Hiere. 31.

Galat. 4.

Quarto & hanc expositionem probare possumus esse amplectendam hoc modo: Vt pauloante ostendimus, non solum dicit Paulus iustificari hominem per fidem sine operibus legis, sed dicit eum iustificari à Deo sine operibus. Sed cum dicit, hominem à Deo iustificari sine operibus, non excluduntur opera, quæ quis facit per gratiam Spiritus sancti, & ab eo adiutus, sed opera tantum, quæ quis faceret ex sui arbitrij libertate sine gratia diuina. Ergo & hæc sola excluduntur illis verbis, *Sine operibus legis.* Minor huius discursus probatur, nempe illis verbis, *Sine operibus*, sola opera excludi, quæ quis facit sine gratia.

Primo enim, cum Paulus dicit: *Si autem gratia iam non ex operibus: Alioquin gratia iam non est gratia.* certe non excludit opera ex gratia. Si enim aliquid alicui datur, propter aliqua data ei ex gratia, vtique & ipsum etiam quod sic datur, potest dici gratia. Alioqui neque gratia ipsa gratum faciens, aut saltem neque vita æterna posset dici gratia. Et secundo cum Paulus dicit beatum hominem, cui Deus acceptam fert iustitiam, vel cui accepto sibi & grato elargitur iustitiam sine operibus, solum excludit opera, de quibus statim dixerat: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Sed hæc opera, non sunt opera, quæ quis facit ex auxilio & adminiculo gratiæ diuinæ: nam his non imputatur merces secundum debitum, nullus enim iustificatur ex debito: sed sunt opera, quæ quis faceret ex viribus naturalib. Vt enim propterea, quæ quis facit adiutus à rege, & ex gratia regis in suam propriam gloriam & commodum, mercedem nullam à rege debet:

Rom. 4.

Simile.

beret: sed si quam debere posset, esset propter ea, quæ ex suis ipse viribus in gloriam & commodum ipsius regis faceret: ita & apud Deum, nullam quis mercedem potest facere, sibi simpliciter & absolute debitam, propter ea, quæ ex mera ipsius Dei gratia facit. Sed si alicuius quis mercedis posset facere Deum sibi debitorem, hoc deberet profecto facere per opera, quæ ex suis viribus naturalibus faceret in commodum & gloriam Dei. Et quia nulla talia possunt à quoquam fieri, quia Deus bonorum nostrorum non indiget, & si indigeret, non indigeret tam imperfectis operibus, quam illa sunt, quæ possemus ex viribus naturalibus: ideo statim subdidit Paulus, *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Non enim possunt opera virium naturalium præstare nobis gloriam apud Deum. Cum igitur in his verbis, *Ei qui operatur &c.* & in his, *Si Abraham ex operibus iustificatus est, &c.* manifeste loquatur De operibus ex solis viribus naturalibus, colligitur, & cum dicit beatum hominem cui Deus confert iustitiam sine operibus, solum exclusisse opera quæ solius sunt hominis, & non opera quæ præcipue sunt Dei. Qualia sunt opera, quæ quis facit ex gratia diuina, quæ magis sunt Dei, quam hominis. Et tertio eadem minor potest validissime confirmari ex illis verbis eiusdem Apostoli, *Israel sectando legem iustitiæ ad legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Rom. 9 Nam his in verbis nomine operum, solum intelligit opera, quæ quis facit proprijs viribus, quæque proprijs viribus imputat. Ideo enim, vt bene ponderat Diuus Augustinus cap. 29. De Spiritu & litera, Israelitas dicit non apprehendisse iustitiam, quia eam nō quærebant ex fide, sed quasi ex operibus, hoc est, quia eam quærebant, tanquam per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum, & proprijs viribus & meritis existimantes eam se posse consequi, sine adiutorio gratiæ Dei. Cum ergo hominem dicit iustificari à Deo sine operibus, solum excludit opera ipsius hominis, & non excludit opera Dei.

Sicut enim non excluditur opus ipsum iustificationis, quod est solius Dei, iuxta illud, *Gratiam & gloriam dabit Dominus:* ita non excluduntur opera alia præuia ad iustificationem, quæ etiam sunt peculiarissime opera ipsius Dei, & gratiæ siue dona, & beneficia ipsius non exigua in nos. Nihil enim necesse erat ista excludere ad elidendam superbiam hominum, & confirmandum gratiam Dei, quod est Pauli in omnibus huiusmodi verbis propositum. Psalm. 83

Possumus igitur, vt quod volumus dicere, apertius sit, hoc pacto totum propositū nostrū firmare. Ea opera excludebat Paulus à iustificatione, cum dixit homines iustificari à Deo sine operibus, quorum fiduciam asserit impedimento fuisse Israelitis, vt à Deo iustificarentur. Sed opera, quorū fiducia fuit impedimento Israelitis ad apprehendendum iustitiam Dei, non erant certe opera, quæ quis facit ex adiutorio diuino: sed opera, quæ faceret ex viribus naturalibus. Fidere enim in his operibus, quæ quis facit ex adiutorio diuino: & quærere iustitiā ex his operibus, est quærere ex gratia Dei, neque impedimentum hoc potest esse gratiæ Dei. Ergo opera quæ excluduntur à iustificatione illis verbis, *Sine operibus,* sunt tantum opera nostri liberi arbitrij sine gratia. Et confirmari hoc potest. Idem voluit Paulus dicere, cum dixit Israelitas non apprehendisse iustitiam, quia eam nō quærebant ex fide, sed quasi ex operibus: ac cū statim subiunxit de eis, velut explicans & apertissimum faciens, quod dixerat: *Ignorātes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Sed in his verbis solum exponit fuisse eis impedimento, vt iustitiam Dei adipiscerentur, eique essent subiecti, quod suam vellent statuere iustitiam hoc est, quod suis meritis & viribus adscriberent & deputarent Euangelij gratiam. Nam non est aliud statuere & firmare velle suam iustitiam. Ergo etiam quærere ex operibus, non est aliud, quam quærere eam, tanquam ex viribus naturalibus, & tāquam debitam sibi propter sua merita. Et alias non notata hîc fuisset ab Apostolo aliqua superbia Iudæorum, quæ illorum impediuisset iustitiam. Nulla enim superbia

Paulus quænam opera exclulerit à iustificatione.

Philip. 3

Augustini testimonium pro expositione hactenus proposita.

est,

est, ex operibus ex dono Dei habitis quærere iustitiam Dei: immo hæc est prudentia, & pietas vere Christiana, vt postea latius in q. 4 differemus.

Possunt etiam tandem hæc omnia aliquanto apertiora fieri ex illis verbis eiusdem Apostoli, *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est.* Cur enim diceret, *Non habens meam iustitiam, quæ ex lege est*, cum sua vtique non esset lex ipsa, sed Dei, nisi quia sua voluntate legem se posse putabat implere sine adiutorio gratiæ, quæ est per fidem Iesu Christi? Et ideo statim adiunxit: *Sed eam, quæ ex fide est Christi, quæ est ex Deo*, id est, ex ipsius gratia & adiutorio.

Philip. 3

Et quanquam hæc argumenta satis idonea esse existimem, vt credere mihi quisq; debeat hunc esse ipsissimum Pauli sensum ex ipsis penetralibus, vt sic dixerim, Pauli visceribus tandem erutum, tamen si cui vilis est nostra authoritas, (neque enim mihi arrogo, quæ his argumentis firmissimis & apertissimis imputo) sciat hanc expositionem posse colligi ex Augustino cap. 14. & 21. De fide & operibus, & ex cap. 10. & 11. & 12. & 16. De gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & ex toto pene libro Diui Augustini De Spiritu & litera, & peculiarissime ex cap. 29. Vbi firmissima existimans illa duo testimonia, quæ statim induximus, *Israel sectando legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus, & ignorantes iustitiam Dei &c.* ad probandum, Paulum nomine operum legis, intelligere opera, quæ quis facit sine adiutorio Dei, vel quæ sibi quis imputat, & non auxilio Dei, subdit: Et adhuc dubitamus, quæ sint opera legis, quibus homo non iustificatur, si ea tanquam sua crediderit ex adiutorio & dono Dei, quod est ex fide Iesu Christi, & circuncisionem, cæteraque talia suspicamur, quia etiam de his sacramentis, alijs in locis talia quædam leguntur. Sed hîc vtiq; non circuncisionem tanquam suam iustitiam volebant Iudæi cõstituere, quia ipsam Deus præcipiendo constituit. Neque de illis operibus hoc intelligi potest, de quibus eis Dominus dicit: *Reijcitis mandatum Dei, vt traditiones vestras statuatis.* Quia *persequens*, inquit, *legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit.* Non dixit, persequens traditiones suas, id est, consectans. Hæc ergo sola distantia est, quia ipsum, *Non concupisces &c.* mandata Dei sancta & bona sibi tribuebant. Quæ vt possit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Iesu Christi. Et cap. 25 Hæc apparet distantia veteris & noui testamẽti, quod lex ibi in tabulis, hîc in cordibus scribitur, vt quod ibi forinsecus terret, hîc delectet intrinsecus, ibique fiat præuaricator per occidentem literam, hîc dilector per viuificantem Spiritum. Et cap. 13. cum apertissimum fecisset, legem fidei aliquorum sacramentorum opera præcipere, & aliqua opera prohibere: neque minus dicere, *Non concupisces*, quam legem veterem: & ideo neque propter opera, neque propter sacramẽta recte dici posse, legem factorum esse in Iudaismo, & legem fidei in Christianismo, neque legem factorum appellari legem veterem solum propter opera veterum sacramentorum, subdit: Quid igitur interest, breuiter dicam: Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, *Non concupisces*: ista dicit, *Cum scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det,* & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum. Et paulo inferius: Lege operum dicit Deus, Fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Ideo enim iubet lex, vt admoneat quid faciat fides. id est, vt cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat. Si autem continuo potest, & obedienter facit, debet etiam scire, quo donante possit. Et ad finem capituli: Non ergo iustificatur homo præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem Iesu Christi. Hoc est, non lege operum, sed lege fidei: non litera sed Spiritu: non factorum meritis, sed gratuita gratia. *Hæc Augustinus.* Ex quibus patet, opera legis ab Augustino intelligi opera, quæ fiunt sine auxilio gratiæ diuinæ, vel quæ quis sibi imputat, & non gratiæ diuinæ. Tanta est enim hæc superbia, vt vel sola satis sit ad impediendũ,

Augustini testimonium pro expositione hactenus proposita.

Ex Z. [illegible]

Sap. 8

etiam in optimis alias meritis, assecutioné gratiæ diuinæ. Vnde & idem Augustinus super illa verba psalmi 30. *In iustitia tua libera me*, ita ait: Nam si attendas iustitiã meam, damnas me. In tua ergo iustitia erue me. Est enim iustitia Dei, quæ & nostra fit, cum donatur nobis. Ideo autem Dei iustitia dicitur, ne homo se putet á seipso habere iustitiam. Et statim Iudæi, quia se putabant implere posse iustitiam, offenderunt in lapidem offensionis & petram scandali, & non cognouerunt gratiam Christi. Acceperunt enim legem, qua fierent rei, non qua liberarentur à reatu. Et paulo inferius: Ideo non secundum scientiam zelum Dei habent, quia ignorantes iustitiam Dei, volunt suam statuere, qua se ex seipsis iustificant. Ideo gratiam Dei non cognouerunt, quia gratis saluari noluerunt. Et idem expressissime habetur capite 7. libri 3. contra duas epistolas Pelagianorum Et in psalmum 31. cum ex professo de expositione horũ verborum ageret, & Paulum ipsi Paulo opponeret, probaretque repugnare istis verbis, Rom. 3 *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus*, qui alio loco dicit, 1. Cor. 13 *Si habuero omnem fidẽ ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: quia si fides caritatem habet, habebit opera, quia caritas non est ociosa, & ipsa quoddam Dei opus est, ita tandem subdit: Respondet ipse Apostolus: Propterea tibi dixi, ô homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videretis, & merito operum tuorum accepisse fidei gratiam. Et libr. 3. Hypognosticón paulo ante finem: Ecce audîsti, *Iustificati gratis per gratiã ipsius.* Noli ei præponere opera propria, neque ex eisdem gloriari: quia, vt iam superius dictum est, *Ex operibus non iustificabitur omnis caro coram illo.* Et videtur hanc expositionem innuisse Ambrosius in epistola 71. quæ est ad Irenæum: Ideo enim ait Apostolum dicere, Ex operibus legis neminem iustificari, quia per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Et ita exponit illud, *Lex iram operatur*, quia cum lex non præstaret gratiam ad suî obseruantiam, videbatur lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores. Et subdit, Et ideo nemo glorietur, quia nemo factis suis iustificatur: sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrum iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi. Et his videtur concinere in libro de fuga seculi, in hæc verba: Lex os omnium potuit obstruere, non potuit mentem conuertere. Et iterum: Lex factum damnat, non aufert malitiam. Et Hilarius etiam canone 9. in Matthæum, videtur ad hanc expositionem allusisse his verbis: Nemo iustus ex lege est. Ostendit Christus inanem esse iustitiæ iactantiam, quia sacrificijs infirmis ad salutem, vna erat gratia vniuersis in lege positis necessaria. Nam si iustitia fuisset ex lege, venia per gratiam necessaria non fuisset.

Sed quidquid de hoc sit, ex his omnibus potest colligi quadrantior & conuenientior responsio ad dubium illud paulo ante tactum, cur non etiam exclusa est fides à iustificatione, sicut & opera, cum sicut opera non eam promerentur, ita neque fides. Dici enim potest, ideo non esse exclusam fidẽ, quia illa donum Dei est, & opus Dei magis quam hominis, non autem conueniebat excludere à iustificatione opera Dei. Et per hæc potest quilibet respondere facile ad tertium, quartum, quintum, & sextum argumentum.

Ad septimum: Scio quidem magnos & illustrissimos ex Græcis authores illa verba, *Ipse autem saluus erit*: non interpretari de salute æterna, quæ sola beatitudo est, sed de substantia & permanentia, vt sic dixerim, æterna, quam illi habebunt, qui propter praua eorum opera, quæ in conspectu iusti iudicis ardebunt, & igni cremabuntur, & reseruabuntur ad perpetuas pœnas. Et consequenter ignem, de quo hîc loquitur Paulus, non ignem Purgatorij, sed ignem dicunt esse inferni, de quo dicit Christus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Neque me fugit, magnam fuisse hoc de loco concertationem inter Latinos Doctores & Græcos in Concilio Florentino sub Eugenio quarto. Et verbum Græcum *σωθήσεται*, quod interpres noster reddidit, *Saluus erit*: quidam vertit, *Seruabitur*, vt sit locus fortassis expositioni horum Græcorum authorũ.

Ad arg. 7. resp. Chrys. & Basil.

1. Cor. 3

Matth. 25

Neque

Neque enim verbum Græcum σώζω, ait, sed ne nostrum quidem Latinum, *Seruo*, tantũ salutem dare significat, sed etiam efficere, ne aliquid corrumpatur. Et secutus Chrysostomum, ideo adiectum dicit, *Quasi per ignem*: quia in hoc permanebit & seruabitur ille, cuius opus arserit, vt igne perpetuo ipse comburatur.

Quæ fuerint argumenta, quibus isti authores fuerint commoti, vt ista non de salute vera, sed de subsistẽtia perpetua interpretarentur, me quidem latet, neque aliud aliquod pro eorum sententia occurrit, nisi quod ista verba videntur illis opponi, quæ præcesserant statim, nempe, *Mercedem accipiet*. Ex quo videntur de illis solis ista alia intelligenda esse, qui non mercedem accipient, sed in pœnas perpetuas seruabuntur. Sed neque hoc argumẽto, neque alio quouis adduci potero, vt non credam cum Latinis Doctoribus, & peculiariter cum Diuo Augustino libro de fide & operibus capite decimooctauo, & cũ communi schola Theologorum scholasticorum, de vera atque adeo æterna salute esse interpretãdum hunc locum.

Paulum de salute æterna loqui in allegato loco, confirmatur.

Primo enim, saluum fieri, aut seruari sic solet passim in scripturis accipi, & nunquã quod meminerim, in malam partem.

Secundo, si sic acciperetur seruari, vt aiunt, non opponeretur ei, quod est detrimentum pati quod tamen postulat coniũctio aduersatiua, tamen, & similiter δὲ Græcum, sibi respondens. Non enim detrimentum pati, hoc significat, quod, corrumpi & adnihilari. Patiuntur enim detrimentum, quicunque incommodo aliquo aut dolore afficiuntur.

Tertio, absurde profecto & ineptissime videntur illa verba adiungi, *sic tamen quasi per ignem*: si sensus illorum verborum, *Ipse autem saluus erit*, vel, *ipse autem seruabitur*, sit, quod ipse conseruabitur, & perpetuo subsistet. Non enim ignis aliquid faciet, vt perpetuo subsistant damnati, quin ipse potius eorum validissime aduersabitur consistentiæ. Et quarto contorta nimium videtur illa expositio, *Sic tamen, quasi per ignem*: hoc est, sic tamen, vt igni cremetur. Et si iste fuisset sensus, dicendum erat potius, Sic tamen, vt in igne: non autẽ, *Sic tamen quasi* (vel sicut) *per ignem*. Nam his verbis transitus potius per ignem, quam mansio in igne, significatur Neq; enim particula *Per*, patitur, vt subaudiatur, *Maneat*.

Relicta igitur ista expositione, quam & ipsis hæreticis non dubium est visam esse absurdam, quippe qui & hoc testimonio olim sunt vsi, vt ꝓbarẽt saluos fore omnes fideles, quidquid fidei superextruxerint, vt verum & genuinum sensum hui⁹ Paulini loci habeamus, & manifestum fit non pro hæreticis, sed pro fide stare, & ex hoc loco merito viros doctissimos collegisse distinctionem mortalium à venialibus, & ignem Purgatorij & tẽporalem, esse pœnam venialium, tria nobis occurrunt, ex quibus conuinci potest, Paulum hîc non asserere, eum fore saluum, qui permanens quidem in fide, tamen admissis lethalibus peccatis, sine pœnitentia moritur.

Paulum nõ loqui de mor[illegible] pec[illegible] cat[illegible] xis, [illegible] rationibus docet.

Primo em̃ de illis loquitur, qui habẽt in se fundamentũ primum spiritalis ædificij, quod est sol⁹ Christus Iesus. Ille aũt non habitat, nisi in hominib⁹ sanctis, iustis, & corde & opere mundis. *Si Christus n. in nobis est*, ait Paulus, *corpus quidẽ mortuum est propter peccatum. spiritus vero viuit propter iustificationẽ*. Et cum per fornicationẽ dicit mẽbra Christi fieri membra meretricis, vtiq; ostendit non habitare Christũ in fornicarijs, Et Ioan. aperte dicit: *Si dixerimus quoniã societatem habemus cũ illo, & in tenebris*, hoc est peccatis, *ambulamus, mẽtimur, & veritatem nõ facimus*. Et iterum: *Qui dicit se in Christo manere*, (dicit aũt hoc, quicunq; dicit in se Christum manere: manet em̃ in omnibus, qui in eo manent) *debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare*. Et rursus: *Omnis qui in eo manet, nõ peccat*. Et paulo inferius: *Scitis quod omnis homicida nõ habet vitam æternã in se manentẽ*. Et Salomõ de sapiẽtia, quæ Christus est, dicit: *In maleuolã animã non introibit sapientia, neq; habitabit in corpore subdito peccatis*. Et optime ipse Paulus 2. Corinth. 6 capite inquit: *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras?* Si ergo Paulus de solis iustis hîc loquitur, qui in se habent fundamentum fabricæ spiri-

Rom. 8.

1. Ioan. 1. & 2. & 3.

Sap. 1.

2. Cor. 6

talis, quod solus Christus est, non igitur hîc promittit peccatoribus absque vera pœnitentia salutem.

Secunda ratio. Secundo & idem potest manifestè colligi, quia Paulus aperte hîc loquitur de superædificantibus supra fundamentum spiritalis ædificij aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam. 1. Cor. 3. Peccata vero mortalia, neque aurum sunt, neque argentum, neque lapides preciosi, vt manifestum est, neque lignis, fœno, aut stipulæ comparantur in scriptura, sed plumbo, ferro, & grauibus saxis vel lapidibus. Neque enim sicut venialia peccata, leuia sunt, sed suo pondere premunt, obruuntque, & ad infernum vsque, vel ab ipsis cœlorum verticibus trahunt: neque ab eis sic facile expurgari quis potest per ignem tribulationis, sicut à venialibus. Et vere stultissimum videtur & ineptissimum, ea leuibus adeo rebus, vt fœno & stipulæ, comparari, quæ Deo ipsi & sanctis eius grauissima & abominanda sunt.

Tertia ratio. Tertio & hoc ipsum possumus probare, quia statim post illa verba, *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*: addidit Paulus *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* 1. Cor. 3. Non ergo loquebatur nisi de iustis, qui soli templa Dei sunt, & spiritum sanctum habent in se manentem. Vnde, & velut elidens istum errorem, & commonefaciens omnes, ne male securi sint, & pestilenti aliquo errore seducti, ad vitam æternam putent sibi esse satis, quod credant, aut quod iam templa Dei sint: adiecit statim, *Si quis autem templum Dei violauerit disperdet illum Deus.* Disperdet, inquit, non saluabit quasi per ignem. Non ergo superædificat supra fundamentum, quod Christus est, qui cum teneat per fidem Christum tamen adijcit fidei peccata mortalia: & cum fidelis sit, peccare mortaliter non erubescit. Non enim vere habet in se Christum manentem, licet tenere videatur Christum, cum de eo credit, quæ credenda sunt. Sed is superædificare supra Christum dici potest, qui habet Christum in se per gratiam sancti Spiritus commorantem propter fidem, quæ per dilectionem operatur. Et tunc quidem supra hoc fundamentum aurum, argentum, & lapides preciosos ædificat, quando studio Deo placendi vacat operibus virtutum, quæ sola sunt bona solida, clara, & preciosa, & omnibus huius mundi bonis præcellentiora & præstantiora. Et aurum quidem superædificat, qui studijs contemplationis, & amori Dei totus intendit: argentum, qui saluti & commodis proximorum incumbit: lapides preciosos, qui id curat & solicite studet, vt animam suam varijs virtutum exercitijs & habitibus decoret, ornet, illustret. Quot enim quisque bonos habitus sibi comparat, quot opera viua & meritoria beatitudinis facit, tot velut lapides preciosos ædificio suo spiritali adijcit. Tantoque se altius tollit, & erectior surgit fabrica nostra spiritalis, quanto pluribus bonis abundamus. Incrementa etenim virtutum, incrementa sunt ædificij spiritalis. Qui vero licet in se teneat Christum per fidem per dilectionem operantem, & nullo se modo ab huius fundamenti stabilitate subtraheret, vt alicuius Dei præcepti præuaricationi consentiret: tamen infirmitate quadam circa bona huius mundi, diuitias, gloriam, honorem, & similia, carnali quodam tenetur affectu, vel regulas iustitię, temperantiæ, modestię, eutrapeliæ, fortitudinis, & aliarum virtutum aliquantulum excedit, is profecto ligna, fœnum, & stipulam supra fundamentum hoc ædificat. Neque tamen ideo non saluabitur, qui sic ædificat. Aut enim, vt dicit Augustinus cap. 16. De fide & operibus, per ignem quendam doloris perueniet ad salutem, quia affectu dilecta carnali, non sine dolore amittuntur, aut (quod verius videtur) igne tribulationis & Purgatorij, vel in hac vita, vel si quidem non in hac vita, certe in futura, huiusmodi opera ardebunt: & dolore, qui pœna erit talium peccatorum, purgatus, qui ea fecit, salutem cõsequetur. Et ipse tandem Augustinus in eodem cap. huic subscribit sententiæ his verbis: *Siue ergo in hac vita tantum homines ista patiuntur, siue etiam post hanc vitam talia quædam iudicia subsequuntur: non abhorret, quantum arbitror, à ratione iste intellectus huius sententiæ.* Hæc

Augu-

Augustin. Similia his lege in eod. Enchirid. c. 68. & 69. & in expositione psalmi 1. & 6.

Obiect. aduersus positam iam Paulini loci expositionem

Instabit tamen fortasse aliquis, qui subtilius & curiosius verba Pauli perpenderit, hoc pacto: Non idem est apud Paulum, *Ille cuius opus manserit*, &, *Ille cuius opus arserit*. De eo enim, cuius opus manserit, dicit, *Mercedem accipiet*. De eo verò, cuius opus arserit, subnectit: *Detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. Ista autem non stant simul. Non enim quis mercedem accipiet, cum detrimentum patietur per ignem. Cum igitur ijdem sint prorsus, qui aurum & argentum & lapides preciosos, & ligna, fœnum & stipulam ædificant, si horum trium posteriorum nominibus intelliguntur peccata venialia, & illorum priorum, opera virtutum: non est homo iustus, qui non peccet, & in viris sanctissimis inuenire licet multa, ratione quorum merito semper possint dicere, *Dimitte nobis debita nostra*: sequitur, nomine lignorum, fœni & stipulæ, non intelligi peccata venialia, sed mortalia potius, quæ non reperiuntur in illis, quorum opera manent, & mercedem accipiunt. Et consequenter sequitur, etiam eos qui admiserint mortalia peccata, si modo fundamentum tenuerint, quod est Christus, per ignem esse liberandos, quod fuit propositum totius argumenti.

Resp. obiectioni.

Ad hanc replicam respondeo hunc in modum: Verum est, non de eodem dici à Paulo, *Si cuius opus manserit, quod superædificauerit, mercedem accipiet*: &, *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur*. Quamquam enim in vno & eodem licet inuenire opera mansura, & opera arsura, lapides videlicet preciosos & stipulas, opera virtutum & venialia, ac per hoc idem qui detrimentum passurus est, & mercedem quoque recipiet, licet non eodem in tempore: tamen de diuersis videtur profecto loqui Paulus, cum non dicat, *Si quod opus manserit*, vel, *Si quod opus arserit, &c.* sed potius, *Si cuius opus manserit*, &, *Si cuius opus arserit*. Sed cum his stat, nomine lignorum, fœni & stipulæ intelligi sola venialia: & nomine auri, & argenti, & lapidum preciosorum, sola opera bona. Nam sub illis verbis, *Si cuius opus manserit, quod superædificauit mercedem accipiet*: non intelliguntur omnes qui superædificant, aurum, argentum, & lapides preciosos: sed illi tantum, qui sic superædificant ista, vt in die Domini, cum vniuscuiusque opus manifestum erit, nullum habituri sint lignum, fœnum, vel stipulam, à quibus necesse sit eos expiari, vel quod non admiserunt aliqua talia, vel, quod verius erit, cum in multis offendamus omnes, quia iam alia alijs bonis operibus vel passionibus expiata erunt. Itaque illa verba, *Si cuius opus manserit*, vniuersaliter debent accipi, perinde ac si dictũ esset, Si cuius omnia opera manserint, vel, Si in aliquo nullum opus igne dignum aut pœna fuerit. Et nisi in hoc sensu ista verba cepisset Paulus, non statim subiunxisset de eo, cuius opus manserit, *Mercedem accipiet*. Non enim satis est, vt quis mercedem accipiat, quod illius al quod opus maneat, hoc est, in iudicio diuino probetur: quamuis satis sit, vt detrimentum aliquod quis patiatur, si illius aliquod opus arserit, id est, si in iudicio diuino dignum cẽseatur, quod ardeat & igne cremetur. Et hoc etiam ipsi hæretici habent concedere, qui dicerent, igne fore tandem liberandos, qui in mortalibus peccatis, sed cum fide Christi, de hac vita decesserint. Et alias nullo modo possumus defendere, neque in fide, neque in hæresi, de diuersis ista esse dicta, *Si cuius opus manserit, &c.* *Si cuius opus arserit, &c.* sed vni & eidem vtrumque conueniet. Vnus enim & idem iustus habet penè semper opera sancta & bona, quæ in conspectu Dei manent, vt eorum nomine mercedem ab eo accipiat: & venialia aliqua, quæ in oculis Dei ardent, vt detrimentum aliquod eorũ causa transitorium sentiat. *Septies enim in die cadit iustus*: &, *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Atq; ideo fortassis Paulus simul in vnum ligna, fœnum, stipulam, aurum, argẽtum & lapides preciosos iunxit, dicens: *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna fœnum, stipulam, videat quomodo superædificet*: & per hoc innuit, vnũ & eundem ista posse superædificare, ne, cũ postea dictur' fuerat ista, quæ statim

Prouerb. 24. 1. Ioan. 1.

statim citauimus, tam diuersa, & non nisi diuersis conuenientia, occasionem inde aliquis sumeret errandi, & crederet in vno & eodem non posse simul inueniri opera præmianda & castiganda.

Ad exempla octauo loco proposita respondetur.

Ad octauum: Verissimum est, non debere admitti ad baptismum, quos constat esse in peccato: & abusum & sacrilegium magnum commiserunt quidam nostro hoc tempore, habentes zelum Dei, sed non secundum scientiam, qui Indos venientes ad baptismum, indiscriminatim ad eum admiserunt, nulla facta inquisitione de vita & moribus eorum, immo & nulla, aut pene nulla eis prius tradita doctrina de moribus & vita necessario seruanda à Christianis: sed hoc solo contenti, quod propositis sibi fidei articulis, credere se illa respondebant, & velle se Christianos fieri, & baptizari. Et reuocare illos potuit ab hoc errore, primo verbum Christi: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Secundo, antiqua consuetudo Vniuersalis Ecclesiæ, quæ nunquam olim admisit ad baptismum peccatores publicos volentes perseuerare in suis peccatis, vt expresse docet Augustinus in De fide & operibus, cap. 18. Tertio, Ritus ipse & cæremoniæ seruatæ à tota Ecclesia in collatione baptismi, dissuadere hæc eis poterant. Requiritur enim à baptizando abiuratio dæmonis, & mundi, & pomparum eius. Quarto & dissuadere eis potuit hunc errorem, & præcipitem temeritatem, quod ad vitam beatam fides & opera bona necessaria sunt. Vt enim infideles ad regnum cœlorum nō admittentur, ita neq; adulteri, neque molles, neque vsurarij, neque simoniaci, & denique nulli qui fuerint in peccato mortali. Si igitur neque infidelem quempiam, aut dubium de aliquo fidei articulo admittebant ad baptismum, etiamsi diceret se velle, & vere optaret baptizari, neque ante doctrinam de fide conferebant alicui baptismum, equidem neque peccatoribus publicis debuerunt tradere baptismum, neque cuiquam non prius tradita aliqua summa de doctrina morum. Exuere enim opus erat veterem hominem, si vere volebant induere nouum, eos, qui sic ad illos accedebant. Et monere debuerunt, vt relinquerent Aegyptum, si ad terram promissionis transire volebant per mare rubrum, quod figura fuit baptismi, quia in eo omnia extinguuntur peccata, quæ dæmonis sunt arma & militia, in Pharaone nobis designati. Neque exempla quæ in contrarium citata sunt in argumento, mouere eos in contrarium debuerunt.

In promiscua admissione ad baptismū Indorum abusus reprehensus.

Matth. 7.

Responsio ad primum exemplum

Ad primum enim respondere possumus, tria illa millia hominum qui baptizati sunt in die Pentecostes, non tantum credidisse his quæ Petrus docuit eos de Christo, sed & pœnitentiam quoque habuisse suorum peccatorum, & renunciasse omnibus carnis & mundi affectibus, si quibus antea tenebantur. Præterea enim, quæ credenda Petrus ipse tradidit de Christo, docuit & pœnitentiam & baptismum, dicens: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* Neque hæc sola tradidit, sed & docuit damnare opera mortua, quæ nequiter faciunt huius seculi dilectores, & alia quæ necessaria erant, vt idonei essent ad recipiendum baptisma. Et optime hoc colligit Augustinus in De fide & operibus, capite 8. ex illis quæ statim adiecit Lucas: *Alijs etiam verbis pluribus testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione ista praua.* Ne prolixior enim iusto esset narratio, contentus fuit summa quadam ac velut compendio sententiam ponere, cui persuadendæ pluribus verbis Petrus instabat. Ipsa enim summa posita est, cum dictum est, *Saluamini à generatione hac praua:* vel, sicut apertius legit ibi Augustinus, Eripite vos à seculo hoc prauo. Et cum ita subiecerit Lucas, *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt*: vel, sicut dilucidius multo legit ibidem Augustinus, At illi auidissime capientes exceperunt verba, & crediderunt, & baptizati sunt: liquet ex his, non admissos ad baptismum, nisi eos qui Petri exhortationibus, quo ad fidem & mores, obtemperarunt.

Act. 2.

Ad secundū exemplū.

Ad secundum etiam exemplum de spadone illo baptizato à Philippo, facile respondere possumus, sub illo verbo, *Euangeliza-*

gelizauit illi Iesum, & illa etiam, quæ ad vitam moresque pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum, comprehensa esse. Hoc est enim, vt capite nono vbi supra, dicit Augustinus, Euangelizare Christum, non tantum dicere, quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ obseruanda ei, qui accedit ad compagem corporis Christi. Et merito hoc dicitur ab Augustino. Ad Euangelium enim Christi spectant cuncta, quæ de illo credenda sunt. Et inter hæc non illa solum sunt, quibus docemur, quis sit, & qualis & quantus, cuius filius secundum diuinitatem, cuius & secundum humanitatē, quid fecit, quid passus fuit, & quare, quæ virtus resurrectionis eius, quod donum fidelibus misit: sed & illa etiam connumeranda sunt, qualia membra, quibus sit caput, quærat, instituat, diligat, liberet, atque ad æternam vitam, honoremque perducat. Et siue ista breuius & constrictius tradantur, siue latius & vberius, proculdubio euangelizatur Christus. Et nisi hoc esset euangelizare Christum, cum in toto illo capitulo Esaiæ, quod legebat Eunuchus ille, nulla sit mentio de baptismo, vnde fuisset ipse commotus vt diceret, *Ecce aqua: quis me prohibet baptizari?* Et alias: Si ideo existimatur non esse necessarium, ante baptismum docere ea, quæ ad mores spectant, quia non legimus ea docuisse Philippum istum Eunuchum: Nihil ergo erit necessarium baptizādis tradere de Spiritu sancto, nihil de sancta Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de præmijs bonorum, nihil de supplicijs malorum, nihil de ipsa resurrectione mortuorum, immo de ipso Domino nostro Iesu Christo nihil erit necessarium tradere, nisi quia filius Dei est, neque catechizantem opus esset docere baptizandos de incarnatione eius ex virgine, de passione, de morte crucis, de sepultura, de tertij diei resurrectione, de ascensione, de sede ad dexteram patris, ac de aduentu ipsius ad iudicium. Nihil enim horum legimus ibi traditum á Philippo. Et tamen hæc, etiam cum temporis vrget angustia, secundum ritum Vniuersalis Ecclesiæ interroganda sunt á baptizandis, & ad cuncta habent illi respondere, quamuis ea memoriæ commendare non valuerint. Cum ergo scriptura dicat Eunuchum baptizatum á Philippo, & ea omnia ibi intelligi voluit, quæ serie traditionis sunt implenda, vt ait ibidem Augustinus, licet ea gratia breuitatis intermiserit. Et eodem modo respondere possumus ad tertium exemplum de custode carceris. Ac profecto, si bene aduertimus & perpēdimus subitam & celerrimam conuersionem trium millium, quos die Pentecostes conuertit Petrus, Studium huius Eunuchi, qui etiam in itinere á sacra lectione non vacabat, & pietatem & caritatem custodis carceris, qui statim lauerit vulnera Pauli & Silæ, haudquaquam videbitur absonum, si dicamus non fuisse opus diligentiori aut maturiori morum examine ad istorum baptismum, sed satis, superque fuisse, vt eis ille concederetur, ea docuisse, quæ & istis fuisse tradita, ex ipso textu Lucæ colligimus.

Act. 8.

Exemplum tertium.

QVÆSTIO III.

De præcipua causa iustificationis.

TERTIO quæritur, an fides teneat Primum & præcipuum locum in iustificatione peccatoris. Et videtur quod sic. Fidei sæpius tribuitur in scripturis iustificatio nostra, quam alicui alij virtuti. Ergo ipsi primum & præcipuum locum tenet in iustificatione. Cur enim alias ei potius quam alijs virtutib. imputaretur iustitia nostra, si aliæ virtutes hac in parte potiores sunt, & plus efficiunt? Quod vero sæpius fidei tribuatur nostra iustificatio, quam alijs virtutibus, nemo qui literas sacras, vel superficietenus, attigerit, poterit ambigere. Vt enim omittamus loca iam citata in quæstione secunda ex capit. 3. & 4. epistolæ ad Romanos, vbi decies vel duodecies fidei tribuitur iustificatio nostra. Certe capite 5. ibidem apertissime hoc patet, vbi ita legimus: *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad DEVM per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Et ad Galatas 3. *Qui tribuit nobis spiritum, & operatur virtutes in nobis: ex operibus legis,*

Pro affirmāte quæstionis parte argum. & instit. ptuta.

Ooooo an ex

an ex auditu fidei? Sicut scriptum est, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, *quia benedicentur in te omnes gentes.* Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Et paulo inferius: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* Et statim: *Omnes enim filij Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu.* Et ad Ephesios 2. *Gratia estis saluati per fidem.* Et cap. 3. *In interiori homine Christum habitare per fidem.* Et ad idem facit, quod ad Hebræos 11. vni fidei tribuit Paulus fœcunditatem Saræ, salutē Raab, transitionem maris rubri, ruinam Hiericho, victoriam regnorum, operationem iustitiæ, adeptionem promissionum, triumphum de inimicis, fortitudinē in bellis. Et in Actibus Apostolorum cap. 15. fide purificata, dicit Petrus, gentium corda. Et confirmari potest hoc argumentum. Non enim solam fidem sic magnificat Paulus vbique, ei imputans nostram iustificationē, sed & sæpe sic imputat ei nostram iustificationem & iustitiam, vt aliorum omnium nullam videatur prorsus dicere, Deum habere rationem. *Arbitramur,* ait, *iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Et paulo post: *Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Et ex hoc quod scriptura, vna commemorata fide, & reliquis omnibus tacitis virtutibus, dicit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam,* infert ipse constanter: *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Et ex hoc quod per Abacuc dicit Deus, iustum ex fide viuere, infert similiter ad Galatas tertio, neminem in lege iustificari. Cum igitur tanta tribuantur fidei, præteritis alijs virtutibus, videtur illa præcipuum locum tenere in iustificatione hominis.

Ratio alia. Præterea argumentari ad idem possumus hunc in modum: Fides, maxima quædam est protestatio misericordię diuinæ, & per eam maxime Deo fidimus, nobisq; diffidimus. Agnoscimus enim per eam nihil esse nobis in nobis præsidij, & vna Dei gratia & misericordia nos posse iustificari; fundamentumque illa est totius iustitiæ, & ab illa habent totam suam virtutem, si quam habent alia opera. Ergo fidei sunt primæ partes in iustificatione.

In contrarium autem argumentor: Pœnitentia de peccatis, semper reponit hominem in gratia, & reconciliat Deo peccatorem, vt patet ex multis locis scripturæ, & manifestissime ex Ezechiele cap. 18. vbi inter alia multa, quæ hoc liquido probant, & hoc quoque, quod satis est, legimus: *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Cum igitur hoc non semper præstet fides, quippe quæ sæpe sit in multis peccatoribus: sequitur, non fidem, sed pœnitentiam, primum locum tenere in iustificatione hominis. Fidem [illegible] tenere primas in iustificatione.

Pro solutione istius quæstionis supponendum est primo ex his, quæ, si Dominus dederit, latissime disputata trademus in quarto sententiarum, distinctione 14. multipliciter posse hominem iustificari. Et prima quidem, ac communior, magisque protrita via est per pœnitentiam, hoc est, per dolorem de peccatis commissis, & propositum cauendi illa in posterum. Secunda vero via, qua quispiam ex multorum sententia & nostra posset iustificari, est per dilectionem Dei super omnia. Tertia est per martyrium. Quarta per orationem. Quinta per sacramenta Ecclesiæ, & potissimum per baptismum, & pœnitentiam, & Eucharistiam. Ac probabilis est etiam sexta, vt videtur, via, nempe per fidem. Videtur enim probabile, quod si quis infectus solo originali, cum primum veniret ad vsum rationis, audita prædicatione fidei, & visis miraculis in eius testimonium, vellet eam recipere ob salutem animę suæ, per hoc solum, quod ei credit, iustificaretur, & remitteretur ei originale. Enumera[illegible] posse.

Secundo supponendum est, multa simul concurrere ad iustificationem nostrā. cum quis prima via, hoc est, per pœnitentiam iustificatur. Nam concurrit fides, qua in Deum credimus: Concurrit spes, qua in Deo confidimus, & vna illius gratia & miseri- Ad iusti[illegible] ta con[illegible] runt.

cor-

ſericordia ſperamus nos ei reconciliandos. Concurrit pœnitentia, qua dolemus de peccatis noſtris: Concurrit & Dei amor, quo fit, vt peccata commiſſa potiſſimum nobis diſpliceant propter Dei offenſam, &c. in poſterum cauere proponamus, ne illius rurſum incurramus offenſionem. Sine amore enim Dei nullus conſequitur veniam ſuorum peccatorum, vt dicit Auguſt. Et ex multis ſcripturarum teſtimonijs hoc certum eſt, vt alias docebimus. Cõcurrit & ſæpe oratio ſiue religio, qua humiliter & cum fiducia diuinam miſericordiam imploramus, dicentes cum publicano: *Domine, propitius eſto mihi peccatori*, vel cum Dauide, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Et quando vel iſta omnia, vel plura ex his, concurrunt ad iuſtificationem peccatoris, eſt dubium, cui potius iſtorum tribuenda eſt noſtra iuſtitia, hoc eſt, quod potiſſimũ ex iſtis Deus acceptat, vt nos iuſtificet, quod apud eum eſt maiori in precio, quod maioris momenti: denique, cuius gratia & virtute, &c, ſi liceret dicere, merito, præcipue iuſtificamur.

Lucæ 18. Pſalm. 50.

Duæ opiniones.

Et de hac duas video eſſe opiniones apud Doctores. Prima eſt, eaq; communis apud Catholicos, & potiſſimum apud Scholaſticos Doctores, quod pœnitentia præcipuas partes tenet, & primatum ſibi vindicat in iuſtificatione peccatoris. Altera eſt minus communis, quod fides, prima & potiſſima cauſa eſt noſtræ iuſtificationis. Et hanc partem ſatis videtur tueri Philippus Melanchthon. In locis enim communibus & comment. epiſtolæ ad Romanos, negat caritate nos iuſtificari. Et omnes (opinor) hæretici, qui dicunt fidem ſolam iuſtificare nos poſſe ſine operibus, idem defenderent. Vbi enim illi admittant, quod negare profecto non poſſunt, alia etiam cum fide concurrere ad nos iuſtificandum, dicent ſaltem primas partes tribuendas eſſe fidei. Et ex his duabus ſententijs vtra verior ſit, mihi quidem ſatis non conſtat. Et crediderim poſſe vtramuis citra hæreſis periculum defendi, atque adeo totam iſtam quæſtionem problematicam eſſe, & problematice poſſe ex vtraque parte in ſcholis diſputari. Quoniam vero communis opinio aliquanto probabilior apparet, ponam iuxta hanc ſententiam, concluſionem huiuſmodi reſponſiuam ad quæſtionem.

Vtraq; opinio probabilis.

CONCLVSIO.

Probabilius eſt, fidem non tenere potiſſimum locum in iuſtificatione peccatoris, ſed potiſſimum locum tenet pœnitentia, & eam ſupra fidem Deus acceptat vt nos iuſtificet. Probatur hæc concluſio.

Pœnitentiam, non fidem, primas tenere confirmat.

Primo: Pœnitentia eſt cauſa immediata, vel diſpoſitio immediata, &c, vt videtur, ſufficiens cum gratia diuina ad iuſtificationem noſtram. Ea enim poſita, mox iuſtificamur. Et ab ea videtur eſſe iuſtificatio noſtra completiue, vt ſic dixerim, & conſummatiue. Fides autem non eſt diſpoſitio adeo proxima ad iuſtitiam, & manet in peccatoribus, & ab ea ſolum initiatiue, vt ſic dicamus, eſt iuſtificatio noſtra. Ergo non fides, ſed pœnitentia primas partes tenet in reconciliatione peccatoris. Et confirmo hoc argumentum: Si ſtare poſſit dolor de peccatis, vt offenſæ ſunt Dei, ſine fide, vt quidem videtur poſſe eſſe ſine fide actuali, ſaltem in eo qui ex lumine naturali cognoſceret Deum eſſe, ille dolor ſufficeret ex gratia diuina ad reconciliandum Deo peccatorem. Non ſufficit autem ad hoc fides ſola, quantacunque ea ſit. Signum igitur eſt, potentiſſimam cauſam noſtræ iuſtificationis eſſe pœnitentiam, atque ideo ei eſſe potiſſimùm imputandum, quod iuſtificemur, & non fidei. Si enim pœnitentia ſola poteſt præſtare, quod præſtat cum fide, & fides ſola non poteſt præſtare, quod præſtat cum pœnitentia, manifeſtum ſane argumentum hoc eſt, quod ipſa iuſtificatio magis eſt pœnitentiæ effectus, quam fidei. Sicut enim ſi calorem, quem producit Deus cum igne, poteſt Deus, vt vere poteſt, producere ſine igne, ignis autem non poteſt producere ſine Deo: manifeſte colligitur, eum calorem magis eſſe effectum Dei, quam ignis: Deumq; eſſe potiſſimam cauſam illius, non ignem: ita videtur, quod ſi pœnitentia iuſtificare nos poſſit ſine fide, non autem fides ſine pœnitentia, quando fides & pœnitentia coefficiunt noſtram

1. Ratio.

 iuſti-

iustificationem, pœnitentiæ illa sit potius tribuenda, quam fidei.

2. Ratio.

Secundo ad idem argumentor sic: Plus meretur de Deo, maiusque ei obsequium præstat, meliusque in eum quis affectus est per hoc, quod dolet de eius offensa, & in posterum proponit eam pro viribus sua cauere, quam per hoc, quod illius dictis fidem adhibet eumque credit etiam constantissime veracem. Sicut & de rege plus apud homines meretur, plusque censetur facere ad obtinendum ipsius amicitiam vel gratiam, qui amarè dolet eius incurrisse offensam, & in futurum ei pollicetur in omnibus suis præceptis obediẽtiam, quam qui crederet eum esse etiã veracissimum. Ergo efficacior est & potentior pœnitentia in reconciliatione peccatoris, quam fides. Et confirmatur: Difficilius est pœnitere, quam credere, vt patet: quia cum pauci sint fideles, paucioresque tamen sunt pœnitentes. Plus etiam facit ad augendam caritatem iam acquisitam & recuperandum bona perdita per peccatum pœnitentia, quam fides: plus & intensio & feruor pœnitentiæ, quam intensio & feruor fidei. Ergo pœnitentię potius, quam fidei, tribuẽda est nostra iustificatio. Et hoc argumento, quod quidem apud me magni est ponderis, videtur posse probari, tum, cum quis iustificatur per dilectionem Dei, aut per martyrium, aut per orationem, plus etiam istis omnibus tribuendam esse nostram iustificationem, quam fidei, etiamsi & tunc, quod nos non negamus, suum certe locum teneat fides. Cum enim ista tria plus augeant caritatem acquisitam, quam fides, plusque faciant ad augmentum gratiæ, & magis meritoria sint, & augmentum in illis, maioris sit momenti ad augendum gratiam & gloriam, quam augmentum in fide: sequitur, vt videtur, & ista magis cooperari gratiæ diuinæ, & meritis Christi ad nostram iustificationem, magisque illam efficere, & potentius impetrare & certius, quam fidem. Quidquid enim maioris fieret à Deo ad ipsam iustificationem, maioris etiam fieret ad eam augendam: & quidquid maioris fit ad augendam suam gratiam, maioris quoq; fieri credendum est ad eam in-

Etiam dilectioni Dei, martyrio, orationi potius iustificationem tribuendã, quam fidei.

eundam. Sicut & in physicis videmus omnia illa agentia naturalia, potentiora esse ad introducendum aliquam formam naturalem, quæ potentiora sunt ad eam augendam, si illa sit augmentabilis: & quęcunque potentiora sunt ad augendum, potentiora etiam sunt ad introducendum, neque vlla opinor dabitur instantia. Et cum Paulus aperte dicat, maiorem & præstantiorem esse virtutem caritatem, quam fidem & spem; consequens est, vt potentiorem dicamus esse caritatem ad augendum & ineundum amicitiam diuinam, quam fidem & spem. Cum etiam ibidem dicat, fidem, quantacunque ea sit, sine caritate non sufficere, non autem hoc dicat econtrario de caritate sine fide: innuere videtur, potiorem esse caussam nostræ gratiæ & gloriæ caritatem, quam fidem. Cum etiam fidem vocat fundamentum spiritualis nostræ structuræ, & in domibus visibilibus, quantumcunque fundamentum preciosum sit & operosum, tamen aliæ partes domus longe præponderent: insinuauit profecto, non esse fidem potissimam causam nostræ salutis, quamuis sit prima.

Ad argumentum in contrarium huius conclusionis, factum in principio quæstionis, diceret fortassis aliquis, nõ ideo sæpius tribui fidei iustificationem nostram in scripturis, quia illa sit potissima causa illius inter omnia opera nostra, sed ideo, quia idem est in scripturis, ex fide iustificari, & ex gratia iustificari: æquum vero est, vt sæpius memoria fiat gratiæ, quandoquidem citra controuersiam ei magis adscribenda est iustificatio nostra, quam operibus nostris. Et huiic modum dissoluendi hoc argumentum non ego ex meo capite finxi, verum eum licet legere in quodam nobili scholiaste nostri temporis, qui coactus forte verbis Pauli, neque aliter sciens ab eis se explicare, tandem in quodam scholio super illa verba c. 4. ad Romanos. *Ei vero qui non operatur &c.* dicit, iustificari ex fide, & secundum gratiã idem esse apud Paulum, & inducit pro hoc verba Pauli ibidem, *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini* [illegible] lius argumentum pro hac sententia esse [illegible]

Argumenti contrarii [illegible] primo [illegible] tertius authoris [illegible] te.

hoc, quod Paulus in eodem cap. 4. & in cap. 3. distinguit iustificationem ex operibus legis, contra iustificationem ex fide. Quare cum fidem dicat Christus Ioannis 6. esse opus Dei, & vnum opus à lege præceptum sit fides: sequitur, ex fide iustificari, non esse idem, quod iustificari ex actu vel propter actum fidei: sed esse idem, quod, iustificari ex gratia: hæc enim est iustificatio, quæ opponitur iustificationi ex operibus. Et confirmatur hoc: Quamuis Paulus ibi dixisset, iustificari homines à DEO ex fide: statim adiunxit, & ex authoritate Dauidis confirmat, beatum hominem, cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus. Perinde sane, ac si pro eodem acciperet, ex fide iustificari, ac iustificari sine operibus: quod quidem nihil aliud est, quam iustificari ex gratia. Si igitur iustificari sine operibus, non est quid diuersum, sed idem potius cum hoc, quod est, iustificari ex fide: sequitur, iustificari ex fide, & iustificari ex gratia, idem esse apud Paulum.

Fides etiã lege præceptum opus.

Et augeri potest, & validius aliquanto fieri hoc argumentũ ex eo, quod alias non videtur, quare ex fide debuerit Paulus asserere, homines iustificari, exclusis omnibus alijs operibus, cum alia opera sint tanti valoris apud Deum, quanti est fides: aut certe fides non sit magis meritoria iustificationis nostræ, quam alia. Non enim fidei debetur iustificatio nostra: & ita illa, sicut & alia opera, potest intelligi exclusa, cum Paulus dicit, ex operibus legis neminem iustificari apud Deum, & non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum Dei misericordiam saluos nos esse factos. Cum ergo nihil illa veritus, neq; aduersari se illis existimans, tam constanter vbique imputet fidei iustificationem nostram: sequitur, pro eodem vsurpari ab eo, iustificari ex fide, & iustificari secundum gratiam: siue hoc fuerit, quia ita erat vsu acceptum tempore Pauli, vt iustificari ex fide, & iustificari sine operibus, pro eodem acciperentur: siue quod fides maxime attestetur gratiæ Dei, vt quæ super omnia opera nostra maxime confirmet & prædicet gratiam Dei: siue quod hoc ipsum propensissimæ est gratiæ, quod ex fide nos iustificet, quam ipse tam multis & tam perspicuis argumentis docet, & benignissime nostris impartitur mentibus.

Sed neque istis argumentis, quæ vtcunque in gratiam præcitati pientissimi authoris excogitaui, adduci possum, vt credam idem esse apud Paulum, ex fide, & ex gratia iustificari. Sed quamuis ista sic sint inter se coniuncta, vt nullus iustificetur ex fide, quin iustificetur ex gratia, & econtrario: crediderim tamen ista longe inter se differre, & tunc quidem explicari à Paulo misericordiam diuinam, & indebitam benignitatem in peccatores, cum dicit nos iustificari ex gratia: tum vero explicari, quid à nobis Deus exigat. & quid ex parte nostra cooperetur ad nostram iustificationem, cum dicit nos iustificari per fidem, Et quod hoc ita sit, facile est videre expendenti bene omnia, quæ à Paulo dicuntur in cap. 3. & 4. epistolæ ad Romanos, & in cap. 3. ad Galatas. Sed quia non omnes pro dignitate expendunt, neque intelligunt quemadmodum illa in hoc propositum debeant aptari, contra istam nouam Pauli expositionem argumentor primo sic: Cum Paulus dicit iustificari homines ex fide, vel per fidem, fidem vocat actum fidei, quo Deo credimus, vt patet, quia hoc ipsum, quod est, iustificari per fidem, explicat in istis capitulis, quæ statim citauimus, per actum credendi, dicens: Iustitiam Dei omnibus communicari credentibus, & credidisse Abraham Deo, & imputatum ei esse ad iustitiam: & similiter nobis imputandam esse fidem ad iustiam, si credimus in eum, qui iustificat impium, & suscitauit Iesum Christum à mortuis. Cum ergo iustificari secundum actum credendi, non sit idem, quod, iustificari secundum gratiam: neque erit ergo idem, iustificari ex fide, & secundum gratiam.

Reiicitur data iam solutio, negaturque idẽ esse, ex gratia, & ex fide iustificari.

1. Ratio.

Et confirmatur hoc: Dicentes apostoli nos iustificari per fidem, explicabant, quid nos deberemus ex nobis operari, vt iustificaremur, vt patet: quia & actum credendi sæpe exigebant. & fidei præceptũ in

hoc manifestabant, & ad hoc illa dicebant, vt subijcerent se homines libentius iugo fidei, Ergo aliquid aliud illi dicebant, cum aiebant iustificari homines per fidẽ, quam cum dicebant, eos iustificari ex gratia Dei. Et confirmatur amplius: Alias enim impertinenter prorsus induxisset Paulus exemplum fidei Abrahæ. Quid enim hoc facit ad probandum nos iustificandos esse ex fide, si ex fide iustificari, idem est, quod, iustificari ex gratia? Quomodo etiam omnes, qui iustificantur ex fide, filios esse Abrahæ constanter asserit, si non aliud est iustificari ex fide, quam, iustificari, ex gratia? Insuper, si ita Paulus est exponendus, cum dicit nos iustificari ex fide: sequitur, cum fidem Abrahæ dicit imputatam ei esse ad iustitiam, & nostram nobis similiter imputandam, non aliquem ab eo actum, neque in Abraham, neque in nobis esse designatũ quem Deus imputet, & imputarit ad iustitiã. Quo profecto nescio quid posset dici absurdius. Secundo ad idem argumentor: Vbi Paulus dicit, nos iustificari per gratiam Dei, adiungit statim, *Per fidem*, vt patet ex illis verbis, *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem.* Non ergo ista duo pro eodem accepit.

Rom. 3.

Tertio & pro istis videntur inibi aperte esse verba, quæ præcitatus author pro se adducit: Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Si enim bene aduertimus, in his verbis clauditur virtute hæc consequentia. Ex fide DEVS promisit Abrahæ, ergo secundum gratiam. Et hoc manifestissimum esse potest scientibus Græcè. Textus enim Græcus manifestissime sic habet: *Ideo ex fide, vt secundum gratiam, vt firma sit promissio omni semini.* In quibus verbis duæ huiusmodi clauduntur consequentiæ. Ex fide, Ergo secundum gratiam: Ex fide, Ergo firma erit promissio omni semini Abrahæ, non ei qui ex lege est solum, sed etiam ei qui ex fide est Abrahæ. Et neutra quidem istarum consequentiarum aliquid valet, si *Ex fide*, idem significat, quod, *Ex gratia*: aut certe prima consequentia indigna erit Paulo, cum vix consequentia dici mereatur, quæ idem infert ex eodem: & causalis certe consequentia non esset, cum nihil causa sit sui ipsius: atque ideo & inepte his adiungeretur verbum, Ideo: quod causam, certum est, notare. Si autem verbum, *Ex fide*, accipitur, quo sensu par est hoc verbum accipi: consequentiæ illæ optimæ sunt & argutissimæ, dignæque prorsus ingenio Pauli. Et secunda quidem manifesta est. Si enim promissio facta Abrahæ, est implenda, implebitur ergo in omnibus, qui in fide imitati fuerint Abraham, ac per hoc filij eius dici possunt, & non tantum in Israelitis. Prior vero consequentia difficilior est, sed ita difficilis, vt in ea tamẽ videre liceat admirandum ingenium Pauli, qui & ex hoc, quod Deus iustificaturus erat filios Abrahæ per fidem, & impleturus illi per eam suas promissiones, inuenit viam stabiliendi & confirmandi Dei gratiam. Sed quoniam à nemine, quod sciam, ista consequentia, vnde valeat, explicatum est, obiter hîc eius expositionem adnectam. Et quidem posset alicui videri ideo valere hoc argumentum, Ex fide viuificamur, Ergo ex gratia: quia magna & omnino eximia Dei gratia est, quod per rem adeo facilem cuiuis volenti vti benignitate diuina, adeo & amabilem & honorificam, suam nobis gratiam nullo prorsus precio digne comparabilem, liberalissime participauerit. Si enim argumenta expendamus fidei nostræ, si manifestissima miracula, si oracula prophetarum, si vitam Apostolorum, si fortitudinem martyrum, qui eam defenderunt, si clarissima argumenta Doctorum, qui eam illustrarunt, & propagarunt, si noui & veteris testamenti concordiam prorsus admirabilem pro dignitate pensemus, si aduertamus & nobiscum ponderemus, quantæ sit gloriæ, nosse vtcunque mysteria Dei abditissima cæteris, si sentiamus, & vel tantisper gustemus, quantæ sit dulcedinis, ipsissimum cœlestis patris naturalem filium de cœlis huc missum credere, vt nos suâ morte redimeret, & eum habere nostræ fidei actorem & consummatorem: Si hæc inquam omnia, & alia, quæ fidem nostram mirifice comprobant, nobis ob oculos

Struitur sententia loci Pauli.

losponamus: equidem non solum non videbitur difficile, sed facilimum & amabilissimum & honorificentissimum credere. Atque ideo & incomparabilis sane gratiæ videtur, quod ex fide nos Deus iustificet, non requisito iam à nobis illo importabili veterum legis præceptorum iugo, præsertim cum & ipse modis omnibus ad fidem excitet, hortetur, extimulet, & propensissime adiuuet omnes, qui non volunt, tam claro & tam aperto lumini resistere. Habet quidem hæc expositio probabilem germanæ expositionis speciem & verissima sunt, quæ de fidei facilitate, gloria & dulcedine, obiter dicit. Sed aliò Paulum in hac collectione spectasse crediderim. Penetrauit enim altius, & acutius vidit, quem in scopum fides tenderet, & ex ipso obiecto intrinseco fidei, quod significare & stabilire hîc obiter volebat, argumentatus est, cum intulit: Si ex fide, ergo ex gratia. Cum enim fides, de qua hîc agebat, vt supra adnotauimus, sit fides, qua per vnum Dei & nostri mediatorem, credimus nos ex gratia Dei, & meritis ipsius saluandos, cum Deus non iustificet quenquam per fidem falsam, optime infertur: Si ex fide iustificamur, ergo & ex gratia. Ipsa enim fides, protestatio est & assertio gratiæ. Et optime intulit, quod si ex fide iustus viuit, nemo in lege iustificatur: quia fides hoc asserit, neminem in lege, sed in gratia vnius Christi, iustificari.

Fides nostra gratiam profitetur

Possumus etiam, vt confirmetur magis hæc expositio, & illud quoque adijcere, ex gratia regis haberi aliquod beneficiū, quoniam habetur per hoc, quod credimus ei, liberaliter & gratuito nobis illud promittenti. Si enim ex fide suæ veracitatis & fidei, quam in suis promissionibus seruat, nos habebimus illud beneficium, vtique & ex gratia habebimus & benignitate regis, qui liberaliter illud nobis, cum illud nos non promereremur, promisit. Atque ideo optime & profundissime collegit Paulus, si ex fide, ergo ex gratia: fides enim credit, & supponit gratiam promissionis diuinæ. Vnde & scriptura prius diuinam promissionem commemorat, quam fidem commendet Abrahæ. Promissionis enim meminit in 12. cap. Genesis, fidei vero in 15 Si etiam attendamus, fidem ipsam quandam præcellentem Dei gratiam esse, optime poterimus intelligere, collegisse hîc Paulum: Si ex fide, ergo ex gratia. & alibi, Si ex lege, iam non ex promissione: vbi enim lex aliquid potest præstare, superflua est eius promissio. Hæc autem omnia, quæ profunditatem scripturæ & sensus Paulini nobis mirifice commendant, aufert nobis ista noua expositio, quam impugnamus. Et tandem vbi nihil aliud esset contra eam, vel hoc quidem deberet esse satis, quod cum significationes horum vocabulorum toto cœlo inter se distent, haudquaquam credendus est Paulus, ea inter se confudisse, & alterum pro altero vsurpasse. Sed magnifico suo sensu aduertit, nihil repugnare iustificationem per fidem, iustificationi ex gratia: neque idem esse, iustificari per fidem, quod, iustificari ex operibus legis. Cum enim asseritur, nos iustificari per fidem: explicatur quidem medium, quo posito, ex parte nostra gratuito & liberaliter per Dei gratiam iustificabimur: non autem explicatur aliquid ex parte nostra, cui debeatur ipsa iustitia. Itaque patet, distincta esse in Paulo & in re, ista tria: iustificari per fidem, iustificari ex operibus, & iustificari ex gratia: & iustificari per fidem, medium quoddam inter ea tenere, neq; coincidere cum aliquo eorum, neque alicui ex ipsis opponi. Et per hæc patet ad omnes cōfirmationes, quas fecimus pro noua ista expositione. Ea ergo relicta, alia via quærenda est dissoluendi argumentum principale quæstionis.

Dico ergo breuiter, consequentiam illam nihil valere: Sæpius tribuitur nostra iustificatio fidei, quā alicui alij virtuti: Ergo illa excellit omnes alias virtutes. Possunt enim aliæ esse causæ, propter quas id fiat. Et eodem modo possumus ad confirmationem respondere. Ad secūdam etiam breuiter dico, consequentiam non valere. Plus enim, quam omnia, quæ afferuntur in commendationem fidei apud Deum, ponderat, quod arctius illi vnimur per amorem

Authoris solutio.

rem

tem ipsius, doloremque de offensa eius, & propositum eam in totum pro nostra virili euitandi, quam vniamur per fidem, quæ prior est in nostra iustificatione, atque ideo posterior potius perfectione, iuxta axioma illud philosophicum, Priora generatione, posteriora perfectione. Sed quia curiosus argumentator non hic sistet, sed inquiret causam, propter quam scriptura sæpius fidei imputet nostram iustificationem: addam his, prudentissime esse factum ab Apostolis, vt sæpius iustificationem nostram fidei adscriberent, quam alijs virtutibus propter multa: Et alij quidem alias fortassis huiusce rei commodiores & congruentiores causas tradent. Ego quinque attingam, quę nobis pro nostra tenuitate occurrerunt.

Quinq; causæ, iustificatio cur fidei potius quã alijs virtutibus in scriptura sæpe tribuatur.

1. causa.

Et prima quidem huiusce rei causa potuit esse, quia ipsa fides origo est & prima causa, radixq; & fons nostræ salutis. Ideo enim & côueniens fuit, illi totam frequenter vitam nostrã & salutem spiritalem imputare. Vt enim vita cordi tribuitur, & ab eo vita dicitur esse, licet alia sint requisita ad vitam nostram, quia à corde procedit vita in alia membra: ita & iustus congrue dicitur ex fide viuere, licet alia sint etiam vnde viuat, quia fides origo est nostræ salutis. Et hanc causam attigit diuus Augustinus in authoritate, quam ex eo citauimus in fine secundæ quæstionis ex cap. 7. libri de prædestinatione sanctorum, vbi fidem fundamentum dicit spiritalis ædificij, neque sine ea orasse, & eleemosynas dedisse Cornelium, cum eius fuerunt acceptę eleemosynæ & exauditæ orationes, vt adduceretur ad fidem Christi.

Secundo & ideo fidei frequentius tributam esse iustificationem nostram crediderim, quia ab illa habent vim suam impetratoriam omnia opera nostra, quæ concurrunt ad iustificationem, illa autem non habent aliunde. Et quod ab ea vim suam habeant, quæcunque illa & qualiscunque sit, potest fieri probabile hoc argumento: Cum enim illa fons sit & origo vitæ spiritualis, vt statim diximus, consequens est, vt sicut à corde habent omnia membra corporis nostri suas virtutes, ita & à fide velut à principio vitæ spiritualis habeant omnia opera nostra quancunque vim, quæ ad salutem conducat spiritalem.

Et si non solum de sacramentis veteris legis, quo tempore vtilia fuerunt, sed & de sacramentis nouæ legis hoc gratiæ tempore probabile est, vt ex aliquorum sanctorum authoritate in quarto Sententiarum, largiente Domino, ostendemus, aliquam partem suæ virtutis, ea à fide habere, merito & idem de operibus nostris censeri potest probabile.

In confesso enim est apud omnes, certiores potentioresque causas nostræ salutis esse sacramenta, quam sint opera nostra. Quod enim habent opera nostra meritorie, impetratorie ve, aut certe dispositiue obtinere, hoc sacramenta ipsa in se continent, & in nobis possunt potenti & omnino admirabili virtute efficere.

Sacramẽtorum quam operũ, maior vis in nostrę salutis causa.

Atque ideo fortassis diuus Augustinus libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite 5. aperte tribuit fidei discretionem iustorum ab iniustis, in hæc verba: *Nostra fides*, hoc est, Catholica fides, *iustos ab iniustis non operum, sed fidei, lege discernit.* Vnde & paulo inferius cum asseruisset, propter rectam fidem eum saluari aliquando, qui moribus est inferior, quam aliquis infidelis, qui condemnatur, subdit: *Licet fides sine operibus neminem saluat, ipsa est enim non reproba fides, quæ per dilectionem operatur, tamen per ipsam etiam peccata soluuntur, quia iustus ex fide viuit. Sine ipsa vero, etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.*

Tertio & ideo conuenienter tributa est salus nostra fidei, quia nulla est potentior causa ad mouendum peccatorem ad ea, quæ sunt ex parte ipsius requisita ad suam iustificationem. Vis ô Christi prædicator, quisquis es, qui hæc legis, peccatores inflectere ad pœnitentiam? Pone illis ob oculos æternum illum & omnino importabilem malorum cumulum, quæ impendent peccatoribus, nisi à suis peccatis resipiscant. Propone & felicissimum omnium bonorũ aceruum, quæ fides vere pœnitẽtibus pollicetur. Adnitere, vt hæc sæpius secum cogitent,

Ad pœnitentiam excitandi modus efficacissimus.

cogitent, vt hæc meditentur, vt hæc pro dignitate perpendant. facito, vt & ipsi suam fidem velut indormientem, languentemque, & omnino mortuam, exsuscitent. facito, vt eam consulant, vt eius lumini non resistant, vt hæc & eximia Christi in nos beneficia, velut sibi præsentia, & ante se graphice depicta, fidei oculis cernant, & illos nulla re commodius, nulla re facilius, nulla re plane certius ad pœnitentiam traxeris.

Quarto etiam conueniebat, vt apostoli in suis epistolis & concionibus vt plurimum fidei imputarent & pollicerentur sanctificationem nostram. Erat enim illa maxime necessaria illis, ad quos habebant sermonem, & plerisque eorum, cum boni alioqui viri & probi essent, nihil deerat ad iustificationem, aut saltem vt in iustitia perseuerarent, nisi vt abiecta sua secta, nomen suum fidei darent Christianæ, & in nostram religionem transirent. Estque hoc consultissimum, vt qui eos saluare cupiunt, quibus verba salutis annunciant, illa potissimum & frequentissime commendent, quæ suis auditoribus maxime viderint esse necessaria. Non autem ex hoc licet inferre, quod nulla alia sint potiora bona, quam ista, quæ pluries commendantur. Possunt enim pluries commendari, quod magis necessaria sunt, aut quod sine istis aditus ad præcellentiora non pateat, sicut forte eleemosynam ostendere possemus pluries commendatam in scripturis, quam vel pœnitentiam, vel certe quam vitam contemplatiuam, neque tamen inde eam commode inferemus antecellere & præstare. Attemperantur enim sermones Auditorum necessitatibus & commodis, neque semper possunt ordinem ipsorum bonorum, quæ docentur, seruare. Et hac ratione fidem, cum fides ianua sit certissima salutis, ab ea erat, estque semper Christi prædicatoribus auspicandum. Ea enim semel mentibus hominum persuasa & inserta, facile & reliqua alia, quæ necessaria sunt ad plenam iustificationem, hominibus persuadentur, alias autem certe difficilime. Vt enim se habent principia cuiuscunque scientiæ ad conclusiones ex eis illatas, ita prorsus fides se habet ad totam vitam Christianam. Et quemadmodum frustra coneris conclusionum scientiam tradere, ignoranti earum principia, ita frustra ad vitam Christianam exhorteris, non persuasa ante omnia fide. Et propterea substantia siue fundamentum, vel, vt Græci significantius dicunt, hypostasis rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, dicitur à Paulo ad Hebræos 11. vt intelligamus, ab ea esse auspicandum cuicunque, qui velit serio dare operam vel suæ, vel aliorum saluti.

Fides ianua salutis.

Vnde & diuus Aug. in lib. De natura & gratia contra Pelagianos, cap 68. prudentissime & pientissime dicit: *Si volumus animos ad recte viuendum frigidos & pigros, Christianis exhortationibus excitare & accendere primitus exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant, & eius nomini subijciantur. sine quo salui esse non possunt: Si autem iam Christiani sunt, & recte viuere negligunt: verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur, ita sane, vt non solum ad bonas actiones, verum etiam ad pias orationes, eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrina, vt & illi gratias agant, cum instituerint bene viuere, quod aliquid sine difficultate fecerint: & vbi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseuerantissimis precibus & misericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant.* Hæc ille. Et cum nusquam gentium inuenta sit perfecta iustitia sine fide, immo omnes nationes fidei expertes, multis obnoxias vitijs & erroribus experientia docuerit: argumentum apertum habemus, vt credamus, fide non admissa, neque recepta, necesse esse in multis errare, labi, & offendere. Atq; ideo maxime & frequentissime conueniebat fidem commendari, & ex ea iustificationem omnibus promitti.

Nota Aug. verba.

Quinta & illa potuit esse causa, vt pluries concederetur fidei iustitia. Erat enim vna ista dispositio, cui inter omnia nostra opera maxime tribui poterat sine periculo superbiæ nostræ, & gratiæ diuinæ iniuria vel derogatione. Cum enim fides Dei donum sit, & quædam diuinæ gratiæ in nos protestatio, hoc ipso quod tribuitur fidei nostræ, tribuitur gratiæ & misericordiæ di-

uinæ, & aufertur nostris viribus, vt nō glorietur omnis caro in conspectu eius.

Et in hoc admirabilis est prorsus diuina sapientia. Cum enim Deus nos iustificare voluerit gratis quidem, sed apposito tamen aliquo opere nostro, illud opus ad omnium iustificationem requisiuit, quod maxime contestaretur Dei misericordiam & gratiam, qua iustificamur, & per quod audientes nos iustificari, minimam occasionem superbiæ & inanis gloriæ habere poteramus. Atque ista fortassis de causa Paulus clarissimus gratiæ diuinæ assertor, cum Iudæorum & Gentilium superbiam vellet deprimere, atque ideo iustificationem nostram operibus abrogaret, nihil verius est fidei vni eam adscribere.

Sed vtcunque ista se habeant, decuit sane Apostolos, fidei ipsius prædicatores & fundatores, quam maxime fidem sæpe attollere, & quidquid ei vere conueniebat, asserere. Et ista enim omnia optime callebant, & á Christo idem factitatum perspexerant, neque se ignorabant in hoc ab eo apostolos institutos, vt fidem manifestarent, stabilirent, & persuaderent, & per orbem terrarum propagarent. Non ergo quia fides omnia opera nostra excellat in impetrando iustificationem hominum, ideo sæpius quam alijs, ei imputatur nostra iustitia: sed quia illa est prima causa illius, & ab ea cætera pendent, & recipiunt suam virtutem. Et quia illa est maxime omnibus necessaria, eique minori periculo & gratiæ diuinæ, & nostræ humilitatis tribui poterat, ideo pluries ei nostra imputatur iustitia.

Video & quosdam aliter argumentari, ad probandum fide potissimum nos iustificari. Iustificamur enim, inquiunt, per promissionem Dei gratuitam, sed fides principaliter & correlatiue videtur respicere promissionem, & ei inniti, & eam, vt sic dicam, magis attingere. Participabit ergo magis virtutem iustificandi, quam reliqua omnia. Sed hoc argumentum in tam multis peccat, vt nisi esset protritissimum inter Lutheranos, haudquaquam mihi persuasissem illius meminisse. Ineptissimum enim est, & nullius prorsus apparentiæ: Et, vt alia omittamus, consequentia nihil valet.

Et satis est, vt dilectio Dei præferatur fidei, in iustificatione, quod magis nos Deo vnit & coniungit, quam fides. Deus autem est principalior causa iustificationis nostræ, quam sua promissio: & illi & suorum mandatorum obseruantiæ, magis & frequentius tribuitur nostra iustificatio in sacris literis, quam suæ promissioni, quæ conditionalis est apud Ezechielem, & non absoluta: *Si impius*, inquit, *egerit pœnitentiam &c.* *Ezech 18.*

Et ante illam verisimile est, protoparentes nostros & alios Patres, sine vlla promissione, sola diuina misericordia esse iustificatos.

QVÆSTIO IV.

De meritis in generali.

AN fides, & alia opera pia, meritoria sint apud Deum. Et videtur quidem fides saltem meritoria esse apud Deum. Vt enim patet ex authoritatibus multis, quas ci auimus, fidei imputatur iustificatio hominis. Nisi autem eam mereretur, cur ei deberet ea imputari? Et confirmatur hoc: Alijs omnibus operibus nostris exclusis, & abrogata eis vi iustificandi, imputatur iustitia nostra fidei. Aliquid ergo saltem habet peculiare fides, quo carent cætera opera, ratione cuius possemus dicere, fidem mereri iustificationem, quamuis hoc alijs operibus nostris minime conueniat. *Probabilis pro affirmatione quæstionis arg.*

In contrarium argumentor: *Iustificamur à Deo*, vt Paulus dicit, *gratis & per gratiam ipsius*, hoc est, per gratuitam misericordiam, & benignissimam voluntatem ipsius. *Gratia* etiam *Dei vita æterna*, vt idem Paulus dicit: Et Esaias dicit: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Ergo neque fides, neque aliud aliquod opus nostrum, iustificationem nostram meretur aut beatitudinem. *Rom. 3.* *Rom 6.* *Esaia 52.*

Pro huius quæstionis enodatione, & aliarum, quas statim addemus, primò quid meritum sit, & quotuplex, explicabo. Secundo, quid in his quæstionibus certum sit, quid *Methodus authoris in quæstione hac excutienda.*

quid & controuersum, & in eo quod certum non est, quæ sint & quot opiniones, aperiam. Tertio, ad quæstionem propositam respondebo.

Meritum quid sit.

Meritum igitur, vt de primo dicamus, est actio libera, acceptata ad aliquod præmium. Scio alias diffinitiones dari ab Scholasticis huic vocabulo, *Meritum*: sed quia diffinitiones & breues debent esse, & apertæ, & communes omnibus opinionibus: commodius videtur, sic breuiter & aperte diffinire, vt & omnes facilius intelligant, quid meritum appellemus, neque præcludatur cuiquam sententiæ suus locus. Dico vero in hac diffinitione, meritũ esse actionem. Haudquaquam enim crediderim in pura omissione esse meritum. Et si quidem esse possit, vt quidam argumentatur de angelo, cui Deus statim in primo instanti sui esse, daret præceptum de suspendendo omnem actum voluntatis, is casus tam metaphysicus est, & tam alienus à lege & more communi, vt propter illum nequaquam visum fuerit conueniens, diffinitionem datam obscurare, aut longiorem facere. Et aliâs, Diffinitiones eorum sunt, quæ in communi vsu & more hominum positæ sunt, & illis, quæ vt plurimum contingunt, satis est aptari, neque adstrictissimum dialecticorum rigorem exigendæ sunt, aut examinandæ. Sed actionem diximus liberam, quia quæ actiones liberæ non sunt, indigne prorsus nomine meriti censeri debent. Et absurde, ne dicam, inepte & imperite, abusi mihi videntur isto termino, quicunque contra communem Doctorum theologorum sententiam commenti sunt, posse inueniri meritum in actionibus, immo & in passionibus expertibus libertatis. Si enim per ea, quæ à natura nobis insunt, neque laudamur, neque vituperamur, vt philosophus in Ethicis dicit, certe neque per ea, quæ in nostra non sunt potestate laudandi sumus aut vituperandi. Par enim de vtrisque est ratio.

Et, vt dicit diuus Hieronymus, exponens illud, *Beati mundo corde*: Vbi necessitas, corona non est. Cum ergo meritum dignum sit laude & præmio, certe quæ nostræ non subsunt potestati, merita appellari, nisi abusiue, non possunt. Neque quisquam opinor, hominum apud aliquem existimat se mereri aliquod præmium per ea, quæ necessario facit vel patitur, nisi forte cum sua se quis sponte in gloriam vel gratiam alicuius, se illi necessitati subiecerit.

Adieci vero in pręmissa diffinitione verbum illud, *Acceptata ad aliquod præmiũ*. Quanquam enim & apud Latinos, & apud Ecclesiasticos authores sæpe hoc vocabulum, *Meritum*, licet inuenire vsurpatum etiam actibus malis, quia merita illis sunt pœnarum, quas sibi mali homines suis malis actionibus merentur, sicut & Paulus mercedem erroris Gentilium, pœnam appellat, qua illi ob errorem suum sunt mulctati. Et alibi: *Omnis*, ait, *inobedientia & præuaricatio iustam accepit mercedis retributionem*: tamen, cum iam ex communi vsu & acceptione Scholasticorum, nomen *Meriti* ad ea opera sit restrictum, quæ Deus ad aliquod præmium acceptat, dandum hoc fuit scholæ, vt nos quoq; sic strictim vocabulo isto vteremur. Loquendum enim est vt plures, sicut Philosophus admonet. Neque imitandi sunt illi, de quibus Iudas in sua canonica dicit: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes*. Et vbi alias hoc vocabulum largius conueniat accipere, vt comprehendat sub se non solum bona merita, sed & quæ Augustinus passim vocat mala & pessima merita, in proposito quidem nihil erat necesse sic accipere. Non enim generaliter de merito disputabimus, sed ea attingemus sola, quæ ad meritum iustificationis & beatitudinis spectant.

Heb. 2.

Meriti diffinitio.

Est ergo meritum actio libera acceptata ad aliquod præmium. Quia vero varijs modis aliqua actio potest acceptari ad aliquod præmium, aut ex natura & dignitate operis, aut ex lege, aut ex gratia acceptantis eam actionem ad illud præmium, inde & multiplex ponitur à Doctoribus meritum.

Meriti diuisio.

Meritũ de condigno, quid.

Et pro huius explicatione, secundo notandum est, duplex communiter poni meritum à theologis. Alterum vocatur meritum de condigno: alterum, meritum de con-

congruo: & meritum quidem de cõdigno, vocatur meritum, cui de iustitia, ex lege & condignitate operis, debetur aliquod præmium. Meritum vero de congruo, appellatur opus, quod ex gratia & congruitate quadam acceptatur ad aliquod præmium, quod neque ex lege, neque ex condignitate operis sibi debebatur.

Meritũ de congruo.

Ad vtrunq; meritũ quę requirantur.

Ex quibus diffinitionibus sequitur, ad meritum de condigno, duo esse requisita: Alterum est, vt opus ipsum, quod est meritorium de condigno, dignum sit eo præmio, cuius dicitur esse meritorium. Alterum est, quod ex lege debeatur sibi tale præmium. Sed ad meritum de congruo satis erit, quod cum non sit sancita aliqua lex, qua debeat tale præmium respondere ei merito, tamen congruum sit, & deceat Deum propter dignitatem vel excellentiam operis illud remunerare tali præmio. Et possunt ista declarari, & perspicua fieri hoc exemplo: Promisit rex certum aliquod præmium ei, qui primus vexillum regis in muris ciuitatis hostium posuerit. Petrus non mediocri suo periculo posuit ante alios vexillum in eis. Is quidem dicetur illud præmium meruisse de condigno. Et opus enim dignum fuit tali præmio, cum periculosum, difficile, & omni laude dignũ fuerit, & alioqui ex lege seu ex promissione regis debitum erat ei operi tale præmiũ. Si vero nullo tali præmio proposito aut cõstituto ei operi, Petrus nihilominus forti & audaci animo idem subisset periculum, idemq; omnino opus fecisset, vt victoriam & gloriam haud vulgarem compararet suo regi, is quidem si non ex condigno, quia non erat tale præmiũ lege aut sponsione præfixum, certe ex congruo apud regem idem præmium mereretur. Non me latet, Doctores aliquos medium quoddam meritum de digno posuisse, cum opus quidem dignitatem aliquam habet à conditione & præcellentia operantis: sed condignum non est tali præmio, vel quia non exæquat tale præmium, sed ab eo superatur & vincitur: vel quia lege non est sancitum, neque constitutum, vt tale præmium sibi respondeat. Et hoc modo beatissimam

Meritũ tertium quidã faciunt, quod de digno appellarunt.

virginem Mariam, dicit diuus Bonauentura in tertio Sententiarum dis. 4. art. 2. q. 2. meruisse de digno fieri matrem Dei: de congruo quidem, ante annunciationem Gabrielis: de digno vero, post eam annunciationem & ipsius consensum, descensum que Spiritus sancti super eam in nimia plenitudine & abundantia gratiæ: quia licet exuperaret omnia merita tanta illa genitricis Dei dignitas, neque vnquam tantum præmiũ Deus vllis meritis esset pollicitus, dignitas tamen, inquit, ipsa & sanctitas, præcellentiaque virginis opera, & abundantia gratiæ tunc de nouo ei collata, sic illam attollebant, & in altum ferebant, vt plusquam meritoria de congruo, tantæ dignitatis eam efficerent. Dignissima enim illa erat inter omnes creaturas, quam Deus tanto beneficio afficeret, ex quo aliquam sibi matrem gratuita in nos benignitate sua statuebat diligere. Sunt & (scio) aliqui alij nobiles Doctores Scholastici, qui tametsi beatitudinem operibus ex gratia factis Deum promisisse scirent, tamen cum eam longissimo interuallo omnia opera nostra excedere prudenter perpenderent, & in scripturis non solum non inuenirent hoc nomen, De condigno, verum Paulum legerent constanter dicentem, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam: ex his non omnino leuibus argumentis permoti, medium etiam meritum, de digno, posuerunt: & sobrietate quadam & prudenti temperamento vsi, respectu beatitudinis, dixerunt non esse meritum de condigno, sed tantum meritum de digno: quia digni sunt iusti, ex lege & promissione Dei, tali præmio. Atque ideo inferunt, meritum de condigno, esse quidẽ posse inter homines, & respectu hominum vel angelorum, sed nequaquam respectu Dei, præsertim respectu beatitudinis, quæ plurimis parasangis excedit, quidquid nos possumus etiam præclarissime operantes, mereri. Sed quantumuis ista apparenter dicantur, & sua probabilitate non careant, tamen ne deuiaremus in acceptione terminorũ à via communi, in sola duo membra visum est meri-

Marsil. Ioã Eckius.

Meritũ solis duobus membris diuidi.

meritum partiri. Et vere necesse non est plura ponere. Nam quod ponit sanctus Bonauentura meritum de digno, meritum est de congruo, quippe quod nulla lege habet suum præmium, sed congruitate quadam & gratia diuina. Quæ autem alij merita de digno appellant, ea nos merita de condigno dicimus, censentes prorsus satis esse ad meritum de condigno, dignitatem operis & legem de præmio. Et profecto illis præmijs merita sunt condigna, quibus sunt digna. Neque enim apud Latinos authores inuenio differentiam, quam isti Doctores comminiscuntur inter dignum & condignum. Et quidem si authoritas Pauli eos mouit, vt respectu beatitudinis non ponerent meritum de condigno: eadem & mouere debuit, vt neque respectu illius ponerent meritum de digno. Paulus enim, si textum consulas Græcum, *Non sunt dignæ*, inquit, *passiones huius temporis ad gloriam reuelandam in nobis.* Sed cum de re constet inter hos authores & nos, commodum non est, longius de nomine contendere.

Ociosam esse inter dignum & cõdignum distinctionem.

Rom. 8.

De operum meritis tres diuersæ sententię.

Veniamus igitur ad secundum articulum quæstionis. Et pro eo expediendo, notandum est, duo esse extrema in hac materia de merito.
1. Alterum est dicentium nullum prorsus esse meritum in nobis, neq; respectu iustificationis nostræ, neq; respectu beatitudinis, neq; opera nostra meritoria esse gratiæ aut gloriæ, quam Deus elargitur nobis, sed & gratiam & gloriam debere nos adscribere solis meritis Christi.
2. Alterum extremum est dicentium & iustificationem nostram & beatitudinem ipsam sub meritis nostris cadere, vereq; esse opera nostra meritoria & gratiæ & gloriæ: sed gratiæ quidem primæ, qua iustificamur, & gloriæ ei respondentis, tantum de congruo: augmentum vero gratiæ & gloriæ, de digno vel de condigno. Ante habitam enim gratiam disponentes nos ad eam, meremur, aiunt, eam de congruo: postquam vero eam acquisiuimus, meremur ipsam augeri, & gloriam ei respondentem, de condigno, vel de digno.

Tertia opinio

Inter hæc vero extrema, media quædam est aliorum Doctorum sententia, dicentium iustificationem nostram seu gratiam primam, sub merito nostro non cadere, neque de congruo, neque de digno. Sed posse tamen nos mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, vbi semel gratis fuerimus iustificati. Et in nostris quidem operibus inueniri rationem meriti, & aliqua eorum, meritoria esse, certum est: cuius vero præmij, & quomodo sint meritoria, controuersum est, & variæ sunt inter Scholasticos Doctores opiniones. Quæ autem ipsarum opinionum probabilissima nobis videatur, in quæstionibus quinta & sexta statim aperiemus. Interim tamen pro fundamento eorum, quæ in eis dicenda sunt, & pro solutione præsentis quæstionis, & expeditione tertij articuli, pono hanc conclusionem.

Quid certum & quid sit cõtrouersum in quęstione.

CONCLVSIO RESPONSIVA.

Absolute concedendum est, & fidem & alia bona opera, facta ab his qui iam sunt iustificati, & habent gratiam, meritoria esse beatitudinis. Hæc conclusio tenetur ab omnibus Doctoribus catholicis, quotquot mihi contigit legere, neq; scio aliquos, qui de ea dubitent, vel eius contrarium defendant, exceptis quibusdam hæreticis nostri temporis, qui absolute concedunt nullam actionem nostram meritoriam esse beatitudinis, & vnius solius Christi meritis nobis eam condonari. Cuius sententiæ primipili, vt sic dixerim, & antesignani fuere Martinus Lutherus & Oecolampadius.

Et quamuis insignis ille hæresum Vuiclefi impugnator, Thomam dico Vualdensem, vberrimum fontem, ex quo hauserunt bonam partem pene omnes, qui Lutheranam sectam impugnarunt, quamuis inquã ille in libro de Sacramentalibus, titulo primo, distinctionem meriti in meritum de congruo, & de condigno irridere videatur, & saniorem Theologum, fideliorem que catholicum, & scripturis sanctis magis concordem dicat se reputare eum, qui negaret simpliciter hominem mereri gratiam vel gloriam, aut ex meritis dignum esse gratia vel gloria, & concederet cum limitatione Apostolorum & scripturarum, hominem non mereri regnum cælorum, nisi ex

Thom. Vualdensis sententia, qualis fuerit.

gratia & voluntate largitoris, & Deum non attendere meritum nostrum, neq; rationem congrui vel condigni, sed suā gratiam & misericordiam: tamen si bene aduertantur, quæ idem ibi postea dicit cap. 9. non negat actus nostros esse meritorios etiam vitæ æternæ, immo eam dicit dari nobis pro meritis: sed hoc tantum indicat se velle, vt huiusmodi omnibus assertionibus adiungeremus, *Ex gratia Dei*. Itaque si diceremus nos posse mereri gloriam, non hoc simpliciter & sine addito dicamus, sed adiungamus, *Ex gratia Dei*: ne videamur excludere gratiam Dei, sine qua nulla sunt merita. De reliquijs enim Pelagianorum & Gentilium ait tractum esse, vt merita asseramus sine additione gratiæ, & in iniuriam Saluatoris videtur cedere, quod tacita ipsius gratia, tam multa disputamus de meritis.

Meritorum nostrorum causa, Gratia Dei.

Sed de causa nostrorum meritorum hoc loco non disputamus. Certum enim est, eam esse vnicam gratiam Dei: ea enim seclusa, nihil possumus apud Deum mereri, tantum abest vt mereri possimus gratiam ipsius vel gloriam: neque negamus conueniens esse, vt sic semper nostros temperemus sermones, vt gratiæ Dei omnia videamur adscribere, sicut par est, potius quam nobis. Verum hoc loco tantum contendimus, quod etiamsi non addamus hoc verbum, *Ex gratia Dei*, vel aliquod aliud simile, verissime possumus concedere, actus bonos iustorum, meritorios esse apud Deum, & per eos illos vere mereri beatitudinem: &, si modo sanus teneatur sensus, neque credatur, nos hoc habere ex nobis, & non ex gratia Dei, trepidare non oportet in huiusmodi assertionibus: nullus enim prorsus est, neq; esse debet in his timor. Neq; enim,

Meriti vox Dei gratiā nō obscurat

vt falso quidam affirmant, fastuosum est meriti vocabulum, sed Christianæ potius modestiæ conueniens: neque obscurat, sed illustrat magis diuinam in nos benignitatem: & sine vllo offendiculo, eo vsi sunt omnes antiqui Doctores. Intellexerunt enim nihil derogare gratię diuinę, sed commendare potius suam in nos magnificentiam & misericordiam, vt statim monstrabimus. Sed vtcunque ista se habeant, & vtcunque de his Vualdensis & alij senserint, contra omnes qui nostram propositionem negauerint, probare eam iam firmis & luculentis argumentis tentabimus. Primo

Cōfirmatur arg. conclusio.

1. arg.

itaque argumentor sic: Beatitudo est merces promissa à Deo, & reposita sanctis propter bona opera, quæ faciunt, & propter mala quæ tolerant patienter: & absolute & sine addito, talis vocatur. Ergo talia opera, & talis eorum patientia, meritoria est beatitudinis. Habent enim se correlatiue merces & meritum, mercesque est meriti merces, & meritum mercedis meritum: & si vnum tollitur, tollitur & alterum: & posito altero, ponitur & reliquum. Si ergo beatitudo merces est operum bonorum & æquanimitatis in malis, erunt & hæc meritoria beatitudinis. Non enim maius inconueniens est, appellare ista merita, quam illam mercedem: immo necesse est, si beatitudinem appellas mercedem, aliqua signare, quæ merita sint tantæ mercedis. Quod vero beatitudo merces sit, mercesque appelletur operum bonorum, tam frequens est in vtroque testamento, vt me pene pudeat, in re adeo aperta, testimonia citare. Sed vt ad manum habeamus tela, quibus confodiantur hæretici, & catholicam fidē defendamus, citabimus aliquot testimonia scripturarum. Genesis 12. dicit Dominus ad Abraham: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* 2. Paralipomenon 15. *Erit merces operi vestro.* Prouer. 11. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Sapientiæ 5. *Iusti autem in perpetuum viuent & apud Dominum est merces eorum.* Et cap. 2. de hoc reprehenduntur impij, quod mercedem non sperauerunt iustitiæ. Ecclesiast. 2. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra.* Et quia adueniente Christo in mundum, reseranda erat ipsius morte ianua regni cœlorum, & sancti Patres recepturi erant mercedem laborum suorum, nempe beatitudinem, Esaiæ 40 de Christo dicitur: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* Et Hieremiæ 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo ait Dominus.* Et Apocalypsis 22. Idem de se dicit: *Ecce venio*

Beatitudinem operū bonorum mercedem esse.

nio cito, & merces mea mecũ est, reddere vnicuiq; secundum opus illius. Et Matthæi 5. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et cap. 10. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et Paulus apostolus in prioris ad Corinthios cap. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Sed quid moror in testimonijs nihil necessarijs allegandis? Ipse Ecclesiasticus cap. 16. opera misericordiæ meritoria pronunciat his verbis: *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* Et Paulus in epistola ad Hebræos ait, *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur,* vel, vt alij vertunt, demeretur & conciliatur, *Deus.*

Hebr. 13.

2. Argum.

Sed & secundo pro nostra conclusione argumentor sic: Quotiescunq; rex aliquis aut princeps vel respublica promittunt aliquod præmium hominibus sibi gratis, si faciant aliquod opus virtutis, tale opus dicitur ab omnibus meritorium talis præmij. Neque hoc potest negare, nisi qui ignorat penitus significationem & vsum huius nominis, *Meritum*, apud Latinos. Cum ergo beatitudinem promiserit Deus bonis operibus in multis locis scripturæ & hac ratione Paulus eam & brauium, & coronam incorruptam, & coronam iustitiæ appellet: sequitur, & iustorum bona opera meritoria esse beatitudinis. Et breuiter argumentor sic: Omnia quæ satis sunt, vt aliqua opera dicantur Latine meritoria alicuius præmij, reperiuntur in bonis iustorum operibus respectu beatitudinis. Aut ergo omne meritum tollendum est, & reijciendum est hoc vocabulum Meritum, tanquam male Latinum: aut concedendum est: opera bona iustorum, meritoria esse beatitudinis.

Philip. 3.
1. Cor. 9.
2. Tim. 1.

Et hoc argumento crediderim sanctos omnes Doctores permotos, vt passim absque vllo scrupulo mereri nos dicerent beatitudinem. Et sæpissime est hoc videre in diuo Augustino, quamuis maximus fuerit vbiq; & religiosissimus assertor gratiæ. Vnde & cap. 12. de prædestinatione sanctorũ, ita ait: *Post corpus nemo erit in corpore, nisi resurrectione nouissima, non ad vlla merita comparanda sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis horrenda supplicia.* Hæc Aug. Et Cælestinus primus in canone 12. suæ primæ epistolæ decretalis: *Tanta,* inquit, *ergo omnes homines est bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* Hæc Cælestinus. Sed ne omnino sine causa videantur hæretici contrarium huius conclusionis defendere, & vt clarius ipsius veritas constet, faciam cõtra eam aliquot argumẽta in fauorẽ hæreticor.

Argumẽta contra conclusionem.

Et primo quidem argumentor ex illo, quod per Lucam Dominus suos admonet: *Cum feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Si seruos inutiles nos debemus credere, & vere & ex corde asserere, etiam cum implemus Dei præcepta, quomodo ipsam eorum impletionem meritoriam nobis tanti præmij, quantum est beatitudo, audemus dicere? An non vtilissimũ est, tantum præmium mereri? Si & illud debemus etiam de nobis affirmare, cum exequimur Dei mandata, Quod debuimus facere, fecimus: quomodo nobis hoc arrogamus, vt ea opera meritoria beatitudinis æternæ dicamus? Quãdoquidem qui, quod debet facere, facit, non nouum meretur præmium id faciẽdo, sed satis habet, si satisfaciat debito, cui erat obnoxius. Et confirmari potest hoc argumentum hac ratione: Omnia opera nostra bona, dona quædã sunt Dei. Et hoc nomine & propter immensa alia, & innumera ipsius in nos beneficia, ei sunt summo iure debita. Non ergo nouorum sunt vnquam præmiorum meritoria. Non enim apud aliquem nouum præmium meremur per nouum munus ab eo nobis collatum. Secũdo ad idem argumentor: Nihil est asserendum à Christiano, quod Christi gloriæ & meritis deroget. Detestandæ n. cuiusdam ingratitudinis hoc esset, & nihil posset esse magis alienũ à nostra pfessione. Sed cõcedere, nostra opa esse meritoria beatitudinis, derogat

1. Argum.
Luca. 17.
2. Argum.

gloriæ

hoc manifeſtabant, & ad hoc illa dicebant, vt ſubijcerent ſe homines libentius iugo fidei. Ergo aliquid aliud illi dicebant, cum aiebant iuſtificari homines per fidẽ, quam cum dicebant, eos iuſtificari ex gratia Dei. Et confirmatur amplius: Alias enim impertinenter prorſus induxiſſet Paulus exemplum fidei Abrahæ. Quid enim hoc facit ad probandum nos iuſtificandos eſſe ex fide, ſi ex fide iuſtificari, idem eſt, quod, iuſtificari ex gratia? Quomodo etiam omnes, qui iuſtificantur ex fide, filios eſſe Abrahæ conſtanter aſſerit, ſi non aliud eſt iuſtificari ex fide, quam, iuſtificari, ex gratia? Inſuper, ſi ita Paulus eſt exponendus, cum dicit nos iuſtificari ex fide: ſequitur, cum fidem Abrahæ dicit imputatam ei eſſe ad iuſtitiam, & noſtram nobis ſimiliter imputandam, non aliquem ab eo actum, neque in Abraham, neque in nobis eſſe deſignatũ quem Deus imputet, & imputarit ad iuſtitiã. Quo profecto neſcio quid poſſet dici abſurdius. Secundo ad idem argumentor: Vbi Paulus dicit, nos iuſtificari per gratiam Dei, adiungit ſtatim, *Per fidem*, vt patet ex illis verbis, Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem.* Non ergo iſta duo pro eodem accepit.

Tertio & pro iſtis videntur inibi aperte eſſe verba, quæ præcitatus author pro ſe adducit: Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini. Si enim bene aduertimus, in his verbis clauditur virtute hæc conſequentia. Ex fide DEVS promiſit Abrahæ, ergo ſecundum gratiam. Et hoc manifeſtiſſimum eſſe poteſt ſcientibus Græcè. Textus enim Græcus maniſeſtiſſime ſic habet: *Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam, vt firma ſit promiſſio omni ſemini.* In quibus verbis duæ huiuſmodi clauduntur conſequentiæ. Ex fide, Ergo ſecundum gratiam: Ex fide, Ergo firma erit promiſſio omni ſemini Abrahæ, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed etiam ei qui ex fide eſt Abrahæ. Et neutra quidem iſtarum conſequentiarum aliquid valet, ſi, *Ex fide*, idem ſignificat, quod, *Ex gratia*: aut certe prima conſequentia indigna erit Paulo, cum vix conſequentia dici mereatur, quæ idem infert ex eodem: & cauſalis certe conſequentia non eſſet, cum nihil cauſa ſit ſui ipſius: atque ideo & inepte his adiungeretur verbum, Ideo: quod cauſam, certum eſt, notare. Si autem verbum, *Ex fide*, accipitur, quo ſenſu par eſt hoc verbum accipi: conſequentiæ illæ optimæ ſunt & arguti ſſimæ, dignæque prorſus ingenio Pauli. Et ſecunda quidem manifeſta eſt. Si enim promiſſio facta Abrahæ, eſt implenda, implebitur ergo in omnibus, qui in fide imitati fuerint Abraham, ac per hoc filij eius dici poſſunt, & non tantum in Iſraelitis. Prior vero conſequentia difficilior eſt, ſed ita difficilis, vt in ea tamẽ videre liceat admirandum ingenium Pauli, qui & ex hoc, quod Deus iuſtificaturus erat filios Abrahæ per fidem, & impleturus illi per eam ſuas promiſſiones, inuenit viam ſtabiliendi & confirmandi Dei gratiam. Sed quoniam à nemine, quod ſciam, iſta conſequentia, vnde valeat, explicatum eſt, obiter hîc eius expoſitionem adnectam. Et quidem poſſet alicui videri ideo valere hoc argumentum, Ex fide viuificamur, Ergo ex gratia: quia magna & omnino eximia Dei gratia eſt, quod per rem adeo facilem cuiuis volenti vti benignitate diuina, adeo & amabilem & honorificam, ſuam nobis gratiam nullo prorſus precio digne comparabilem, liberaliſſime participauerit. Si enim argumenta expendamus fidei noſtræ, ſi manifeſtiſſima miracula, ſi oracula prophetarum, ſi vitam Apoſtolorum, ſi fortitudinem martyrum, qui eam defenderunt, ſi clariſſima argumenta Doctorum, qui eam illuſtrarunt, & propagarunt, ſi noui & veteris teſtamenti concordiam prorſus admirabilem pro dignitate penſemus, ſi aduertamus & nobiſcum ponderemus, quantæ ſit gloriæ, noſſe vtcunque myſteria Dei abditiſſima cæteris, ſi ſentiamus, & vel tantiſper guſtemus, quantæ ſit dulcedinis, ipſiſſimum cœleſtis patris naturalem filium de cœlis huc miſſum credere, vt nos ſuâ morte redimeret, & eum habere noſtræ fidei actorem & conſummatorem: Si hæc inquam omnia, & alia, quæ fidem noſtram mirifice comprobant, nobis ob oculos

Eruitur ſententia loci Paulini.

los

ſuponamus: equidem non ſolum non videbitur difficile, ſed facilimum & amabiliſſimum & honorificentiſſimum credere. Atque ideo & incomparabilis ſane gratiæ videtur, quod ex fide nos Deus iuſtificet, non requiſito iam à nobis illo importabili veterum legis præceptorum iugo, præſertim cum & ipſe modis omnibus ad fidem excitet, hortetur, extimulet, & propenſiſſime adiuuet omnes, qui non volunt, tam claro & tam aperto lumini reſiſtere. Habet quidem hæc expoſitio probabilem germanæ expoſitionis ſpeciem & veriſſima ſunt, quæ de fidei facilitate, gloria & dulcedine, obiter dicit. Sed aliò Paulum in hac collectione ſpectaſſe crediderim. Penetrauit enim altius, & acutius vidit, quem in ſcopum fides tenderet, & ex ipſo obiecto intrinſeco fidei, quod ſignificare & ſtabilire hîc obiter volebat, argumentatus eſt, cum intulit: Si ex fide, ergo ex gratia. Cum enim fides, de qua hîc agebat, vt ſupra adnotauimus, ſit fides, qua per vnum Dei & noſtri mediatorem, credimus nos ex gratia Dei, & meritis ipſius ſaluandos, cum Deus non iuſtificet quenquam per fidem falſam, optime infertur: Si ex fide iuſtificamur, ergo & ex gratia. Ipſa enim fides, proteſtatio eſt & aſſertio gratiæ. Et optime intulit, quod ſi ex fide iuſtus viuit, nemo in lege iuſtificatur: quia fides hoc aſſerit, neminem in lege, ſed in gratia vnius Chriſti, iuſtificari.

Fides nostra gratiam profitetur

Poſſumus etiam, vt confirmetur magis hæc expoſitio, & illud quoque adijcere, ex gratia regis haberi aliquod beneficiū, quoniam habetur per hoc, quod credimus ei, liberaliter & gratuito nobis illud promittenti. Si enim ex fide ſuæ veracitatis & fidei, quam in ſuis promiſſionibus ſeruat, nos habebimus illud beneficium, vtique & ex gratia habebimus & benignitate regis, qui liberaliter illud nobis, cum illud nos non promereremur, promiſit. Atque ideo optime & profundiſſime collegit Paulus, ſi ex fide, ergo ex gratia: fides enim credit, & ſupponit gratiam promiſſionis diuinæ. Vnde & ſcriptura prius diuinam promiſſionem commemorat, quam fidem commendet Abrahæ. Promiſſionis enim meminit in 12. cap. Geneſis, fidei vero in 15. Si etiam attendamus, fidem ipſam quandam præcellentem Dei gratiam eſſe, optime poterimus intelligere, collegiſſe hîc Paulum: Si ex fide, ergo ex gratia. & alibi, Si ex lege, iam non ex promiſſione: vbi enim lex aliquid poteſt præſtare, ſuperflua eſt eius promiſſio. Hæc autem omnia, quæ profunditatem ſcripturæ & ſenſus Paulini nobis mirifice commendant, aufert nobis iſta noua expoſitio, quam impugnamus. Et tandem vbi nihil aliud eſſet contra eam, vel hoc quidem deberet eſſe ſatis, quod cum ſignificationes horum vocabulorum toto cœlo inter ſe diſtent, haudquaquam credendus eſt Paulus, ea inter ſe confudiſſe, & alterum pro altero vſurpaſſe. Sed magnifico ſuo ſenſu aduertit, nihil repugnare iuſtificationem per fidem, iuſtificationi ex gratia: neque idem eſſe, iuſtificari per fidem, quod, iuſtificari ex operibus legis. Cum enim aſſeritur, nos iuſtificari per fidem: explicatur quidem medium, quo poſito, ex parte noſtra gratuito & liberaliter per Dei gratiam iuſtificabimur: non autem explicatur aliquid ex parte noſtra, cui debeatur ipſa iuſtitia. Itaque patet, diſtincta eſſe in Paulo & in re, iſta tria: iuſtificari per fidem, iuſtificari ex operibus, & iuſtificari ex gratia: & iuſtificari per fidem, medium quoddam inter ea tenere, neq; coincidere cum aliquo eorum, neque alicui ex ipſis opponi. Et per hæc patet ad omnes cōfirmationes, quas fecimus pro noua iſta expoſitione. Ea ergo relicta, alia via quærenda eſt diſſoluendi argumentum principale quæſtionis.

Authoris ſolutio.

Dico ergo breuiter, conſequentiam illam nihil valere: Sæpius tribuitur noſtra iuſtificatio fidei, quā alicui alij virtuti: Ergo illa excellit omnes alias virtutes. Poſſunt enim aliæ eſſe cauſæ, propter quas id fiat. Et eodem modo poſſumus ad confirmationem reſpondere. Ad ſecūdam etiam breuiter dico, conſequentiam non valere. Plus enim, quam omnia, quæ afferuntur in commendationem fidei apud Deum, ponderat, quod arctius illi vnimur per amorem

rem ipsius, doloremque de offensa eius, & propositum eam in totum pro nostra virili euitandi, quam vniamur per fidem, quæ prior est in nostra iustificatione, atque ideo posterior potius perfectione, iuxta axioma illud philosophicum, Priora generatione, posteriora perfectione. Sed quia curiosus argumentator non hic sistet, sed inquiret causam, propter quam scriptura sæpius fidei imputet nostram iustificationem: addam his, prudentissime esse factum ab Apostolis, vt sæpius iustificationem nostram fidei adscriberent, quam alijs virtutibus propter multa: Et alij quidem alias fortassis huiusce rei commodiores & congruentiores causas tradent. Ego quinque attingam, quę nobis pro nostra tenuitate occurrerunt.

Quinq; causæ, iustificatio cur fidei potius quã alijs virtuti bus in scriptura sæpe tribuatur.

1. causa.

Et prima quidem huiusce rei causa potuit esse, quia ipsa fides origo est & prima causa, radixq; & fons nostræ salutis. Ideo enim & côueniens fuit, illi totam frequenter vitam nostrã & salutem spiritalem imputare. Vt enim vita cordi tribuitur, & ab eo vita dicitur esse, licet alia sint requisita ad vitam nostram, quia à corde procedit vita in alia membra: ita & iustus congrue dicitur ex fide viuere, licet alia sint etiam vnde viuat, quia fides origo est nostræ salutis. Et hanc causam attigit diuus Augustinus in authoritate, quam ex eo citauimus in fine secundæ quæstionis ex cap. 7. libri de prædestinatione sanctorum, vbi fidem fundamentum dicit spiritalis ædificij, neque sine ea orasse, & eleemosynas dedisse Cornelium, cum eius fuerunt acceptę eleemosynæ & exauditæ orationes, vt adduceretur ad fidem Christi.

Secundo & ideo fidei frequentius tributam esse iustificationem nostram crediderim, quia ab illa habent vim suam impetratoriam omnia opera nostra, quæ concurrunt ad iustificationem, illa autem non habent aliunde. Et quod ab ea vim suam habeant, quæcunque illa & qualiscunque sit, potest fieri probabile hoc argumento: Cum enim illa fons sit & origo vitæ spiritualis, vt statim diximus, consequens est, vt sicut à corde habent omnia membra corporis nostri suas virtutes, ita & à fide velut à principio vitæ spiritualis habeant omnia opera nostra quancunque vim, quæ ad salutem conducat spiritalem.

Et si non solum de sacramentis veteris legis, quo tempore vtilia fuerunt, sed & de sacramentis nouæ legis hoc gratiæ tempore probabile est, vt ex aliquorum sanctorum authoritate in quarto Sententiarum, largiente Domino, ostendemus, aliquam partem suæ virtutis, ea à fide habere, merito & idem de operibus nostris censeri potest probabile.

Sacramẽtorum quam operũ, maior vis in nostrę salutis causa.

In confesso enim est apud omnes, certiores potentioresque causas nostræ salutis esse sacramenta, quam sint opera nostra. Quod enim habent opera nostra meritoriæ, impetratoriæve, aut certe dispositiue obtinere, hoc sacramenta ipsa in se continent, & in nobis possunt potenti & omnino admirabili virtute efficere.

Atque ideo fortassis diuus Augustinus libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite 5. aperte tribuit fidei discretionem iustorum ab iniustis, in hæc verba: *Nostra fides*, hoc est, Catholica fides, *iustos ab iniustis non operum, sed fidei, lege discernit.* Vnde & paulo inferius cum asseruisset, propter rectam fidem eum saluari aliquando, qui moribus est inferior, quam aliquis infidelis, qui condemnatur, subdit: *Licet fides sine operibus neminem saluat, ipsa est enim non reproba fides, quæ per dilectionem operatur, tamen per ipsam etiam peccata soluuntur, quia iustus ex fide viuit. Sine ipsa vero, etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.*

Tertio & ideo conuenienter tributa est salus nostra fidei, quia nulla est potentior causa ad mouendum peccatorem ad ea, quæ sunt ex parte ipsius requisita ad suam iustificationem. Vis ô Christi prædicator, quisquis es, qui hæc legis, peccatores inflectere ad pœnitentiam? Pone illis ob oculos æternum illum & omnino importabilem malorum cumulum, quæ impendent peccatoribus, nisi à suis peccatis resipiscant. Propone & felicissimum omnium bonorũ aceruum, quæ fides vere pœnitẽtibus pollicetur. Adnitere, vt hæc sæpius secum cogitent,

Ad pœnitẽtiam excitandi modus efficacissimus.

cogitent, vt hæc meditentur, vt hæc pro dignitate perpendant. facito, vt & ipsi suam fidem velut indormientem, languentemque, & omnino mortuam, exsuscitent. facito, vt eam consulant, vt eius lumini non resistant, vt hæc & eximia Christi in nos beneficia, velut sibi præsentia, & ante se graphice depicta, fidei oculis cernant, & illos nulla re commodius, nulla re facilius, nulla re plane certius ad pœnitentiam traxeris.

Quarto etiam conueniebat, vt apostoli in suis epistolis & concionibus vt plurimum fidei imputarent & pollicerentur sanctificationem nostram. Erat enim illa maxime necessaria illis, ad quos habebant sermonem, & plerisque eorum, cum boni alioqui viri & probi essent, nihil deerat ad iustificationem, aut saltem vt in iustitia perseuerarent, nisi vt abiecta sua secta, nomen suum fidei darent Christianæ, & in nostram religionem transirent. Estque hoc consultissimum, vt qui eos saluare cupiunt, quibus verba salutis annunciant, illa potissimum & frequentissime commendent, quæ suis auditoribus maxime viderint esse necessaria. Non autem ex hoc licet inferre, quod nulla alia sint potiora bona, quam ista, quæ pluries commendantur. Possunt enim pluries commendari, quod magis necessaria sunt, aut quod sine istis aditus ad præcellentiora non pateat, sicut forte eleemosynam ostendere possemus pluries commendatam in scripturis, quam vel pœnitentiam, vel certe quam vitam contemplatiuam, neque tamen inde eam commode inferemus antecellere & præstare. Attemperantur enim sermones Auditorum necessitatibus & commodis, neque semper possunt ordinem ipsorum bonorum, quæ docentur, seruare. Et hac ratione fidem, cum fides ianua sit certissima salutis, ab ea erat, estque semper Christi prædicatoribus auspicandum. Ea enim semel mentibus hominum persuasa & inserta, facile & reliqua alia, quæ necessaria sunt ad plenam iustificationem, hominibus persuadentur, alias autem certe difficilime. Vt enim se habent principia cuiuscunque scientiæ ad conclusiones ex eis illatas, ita prorsus fides se habet ad totam vitam Christianam. Et quemadmodum frustra coneris conclusionum scientiam tradere, ignoranti earum principia, ita frustra ad vitam Christianam exhorteris, non persuasa ante omnia fide. Et propterea substantia siue fundamentum, vel, vt Græci significantius dicunt, hypostasis rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, dicitur à Paulo ad Hebræos 11. vt intelligamus, ab ea esse auspicandum cuicunque, qui velit serio dare operam vel suæ, vel aliorum saluti.

Fides ianua salutis.

Vnde & diuus Aug. in lib. De natura & gratia contra Pelagianos, cap 68. prudentissime & pientissime dicit: *Si volumus animos ad recte viuendum frigidos & pigros, Christianis exhortationibus excitare & accendere primitus exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant, & eius nomini subijciantur, sine quo salui esse non possunt: Si autem iam Christiani sunt, & recte viuere negligunt: verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur, ita sane, vt non solum ad bonas actiones, verum etiam ad pias orationes, eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrina, vt & illi gratias agant, cum instituerint bene viuere, quod aliquid sine difficultate fecerint: & vbi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseuerantissimis precibus & misericordia promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant.* Hæc ille. Et cum nusquam gentium inuenta sit perfecta iustitia sine fide, immo omnes nationes fidei expertes, multis obnoxias vitijs & erroribus experientia docuerit: argumentum apertum habemus, vt credamus, fide non admissa, neque recepta, necesse esse in multis errare, labi, & offendere. Atq; ideo maxime & frequentissime conueniebat fidem commendari, & ex ea iustificationem omnibus promitti.

Nota Aug. verba.

Quinta & illa potuit esse causa, vt pluries concederetur fidei iustitia. Erat enim vna ista dispositio, cui inter omnia nostra opera maxime tribui poterat sine periculo superbiæ nostræ, & gratiæ diuinæ iniuria vel derogatione. Cum enim fides Dei donum sit, & quædam diuinæ gratiæ in nos protestatio, hoc ipso quod tribuitur fidei nostræ, tribuitur gratiæ & misericordiæ diuinæ,

uinæ, & aufertur nostris viribus, vt nō glorietur omnis caro in conspectu eius.

Et in hoc admirabilis est prorsus diuina sapientia. Cum enim Deus nos iustificare voluerit gratis quidem, sed apposito tamen aliquo opere nostro, illud opus ad omnium iustificationem requisiuit, quod maxime contestaretur Dei misericordiam & gratiam, qua iustificamur, & per quod audientes nos iustificari, minimam occasionem superbiæ & inanis gloriæ habere poteramus. Atque ista fortassis de causa Paulus clarissimus gratiæ diuinæ assertor, cum Iudæorum & Gentilium superbiam vellet deprimere, atque ideo iustificationem nostram operibus abrogaret, nihil veritus est fidei vni eam adscribere.

Sed vtcunque ista se habeant, decuit sane Apostolos, fidei ipsius prædicatores & fundatores, quam maxime fidem sæpe attollere, & quidquid ei vere conueniebat, asserere. Et ista enim omnia optime callebant, & à Christo idem factitatum perspexerant, neque se ignorabant in hoc ab eo apostolos institutos, vt fidem manifestarent, stabilirent, & persuaderent, & per orbem terrarum propagarent. Non ergo quia fides omnia opera nostra excellat in impetrando iustificationem hominum, ideo sæpius quam alijs, ei imputatur nostra iustitia: sed quia illa est prima causa illius, & ab ea cætera pendent, & recipiunt suam virtutem. Et quia illa est maxime omnibus necessaria, eique minori periculo & gratiæ diuinæ, & nostræ humilitatis tribui poterat, ideo pluries ei nostra imputatur iustitia.

Video & quosdam aliter argumentari, ad probandum fide potissimum nos iustificari. Iustificamur enim, inquiunt, per promissionem Dei gratuitam, sed fides principaliter & correlatiue videtur respicere promissionem, & ei inniti, & eam, vt sic dicam, magis attingere. Participabit ergo magis virtutem iustificandi, quam reliqua omnia. Sed hoc argumentum in tam multis peccat, vt nisi esset protritissimum inter Lutheranos, haudquaquam mihi persuasissem illius meminisse. Ineptissimum enim est, & nullius prorsus apparentiæ: Et, vt alia omittamus, consequentia nihil valet.

Et satis est, vt dilectio Dei præferatur fidei, in iustificatione, quod magis nos Deo vnit & coniungit, quam fides. Deus autem est principalior causa iustificationis nostræ, quam sua promissio: & illi & suorum mandatorum obseruantiæ, magis & frequentius tribuitur nostra iustificatio in sacris literis, quam suæ promissioni, quæ conditionalis est apud Ezechielem, & non absoluta: *Si impius*, inquit, *egerit pænitentiam &c.* *Ezech. 18.*

Et ante illam verisimile est, protoparentes nostros & alios Patres, sine vlla promissione, sola diuina misericordia esse iustificatos.

QVÆSTIO IV.

De meritis in generali.

AN fides, & alia opera pia, meritoria sint apud Deum. Et videtur quidem fides saltem meritoria esse apud Deum. Vt enim patet ex authoritatibus multis, quas citauimus, fidei imputatur iustificatio hominis. Nisi autem eam mereretur, cur ei deberet ea imputari? Et confirmatur hoc: Alijs omnibus operibus nostris exclusis, & abrogata eis vi iustificandi, imputatur iustitia nostra fidei. Aliquid ergo saltem habet peculiare fides, quo carent cætera opera, ratione cuius possemus dicere, fidem mereri iustificationem, quamuis hoc alijs operibus nostris minime conueniat. *Probabilia pro affirmatione quæstionis arg.*

In contrarium argumentor: *Iustificamur à Deo*, vt Paulus dicit, *gratis & per gratiam ipsius*, hoc est, per gratuitam misericordiam, & benignissimam voluntatem ipsius. *Gratia* etiam *Dei vita æterna*, vt idem Paulus dicit: Et Esaias dicit: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Ergo neque fides, neque aliud aliquod opus nostrum, iustificationem nostram meretur aut beatitudinem. *Rom. 3.* *Rom. 6.* *Esaia 52.*

Pro huius quæstionis enodatione, & aliarum, quas statim addemus, primò quid meritum sit, & quotuplex, explicabo. Secundo, quid in his quæstionibus certum sit, quid *Methodus authoris in quæstione hac excutienda.*

quid & controuersum, & in eo quod certum non est, quæ sint & quot opiniones, aperiam. Tertio, ad quæstionem propositam respondebo.

Meritum quid sit.

Meritum igitur, vt de primo dicamus, est actio libera, acceptata ad aliquod præmium. Scio alias diffinitiones dari ab Scholasticis huic vocabulo, *Meritum*: sed quia diffinitiones & breues debent esse, & apertæ, & communes omnibus opinionibus: commodius videtur, sic breuiter & aperte diffinire, vt & omnes facilius intelligant, quid meritum appellemus, neque præcludatur cuiquam sententiæ suus locus. Dico vero in hac diffinitione, meritũ esse actionem. Haudquaquam enim crediderim in pura omissione esse meritum. Et si quidem esse possit, vt quidam argumentatur de angelo, cui Deus statim in primo instanti sui esse, daret præceptum de suspendendo omnem actum voluntatis, is casus tam metaphysicus est, & tam alienus à lege & more communi, vt propter illum nequaquam visum fuerit conueniens, diffinitionem datam obscurare, aut longiorem facere. Et aliâs, Diffinitiones eorum sunt, quæ in communi vsu & more hominum positæ sunt, & illis, quæ vt plurimum contingunt, satis est aptari, neque adstrictissimum dialecticorum rigorem exigendæ sunt, aut examinandæ. Sed actionem diximus liberam, quia quæ actiones liberæ non sunt, indigne prorsus nomine meriti censeri debent. Et absurde, ne dicam, inepte & imperite, abusi mihi videntur isto termino, quicunque contra communem Doctorum theologorum sententiam commenti sunt, posse inueniri meritum in actionibus, immo & in passionibus expertibus libertatis. Si enim per ea, quæ à natura nobis insunt, neque laudamur, neque vituperamur, vt philosophus in Ethicis dicit, certe neque per ea, quæ in nostra non sunt potestate laudandi sumus aut vituperandi. Par enim de vtrisque est ratio.

Et, vt dicit diuus Hieronymus, exponens illud, *Beati mundo corde:* Vbi necessitas, corona non est. Cum ergo meritum dignum sit laude & præmio, certe quæ nostræ non subsunt potestati, merita appellari, nisi abusiue, non possunt. Neque quisquam opinor, hominum apud aliquem existimat se mereri aliquod præmium per ea, quæ necessario facit vel patitur, nisi forte cum sua se quis sponte in gloriam vel gratiam alicuius, se illi necessitati subiecerit.

Adieci vero in pręmissa diffinitione verbum illud, *Acceptata ad aliquod præmiũ.* Quanquam enim & apud Latinos, & apud Ecclesiasticos authores sæpe hoc vocabulum, *Meritum*, licet inueni e vsurpatum etiam actibus malis, quia merita illis sunt pœnarum, quas sibi mali homines suis malis actionibus merentur, sicut & Paulus mercedem erroris Gentilium, pœnam appellat, qua illi ob errorem suum sunt mulctati. Et alibi: *Omnis*, ait, *inobedientia & præuaricatio iustam accepit mercedis retributionem:* tamen, cum iam ex communi vsu & acceptione Scholasticorum, nomen *Meriti* ad ea opera sit restrictum, quæ Deus ad aliquod præmium acceptat, dandum hoc fuit scholæ, vt nos quoq; sic strictim vocabulo isto vteremur. Loquendum enim est vt plures, sicut Philosophus admonet. Neque imitandi sunt illi, de quibus Iudas in sua canonica dicit: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Et vbi alias hoc vocabulum largius conueniat accipere, vt comprehendat sub se non solum bona merita, sed & quæ Augustinus passim vocat mala & pessima merita, in proposito quidem nihil erat necesse sic accipere. Non enim generaliter de merito disputabimus, sed ea attingemus sola, quæ ad meritum iustificationis & beatitudinis spectant.

Heb. 2.

Est ergo meritum actio libera acceptata ad aliquod præmium. Quia vero varijs modis aliqua actio potest acceptari ad aliquod præmium, aut ex natura & dignitate operis, aut ex lege, aut ex gratia acceptantis eam actionem ad illud præmium, inde & multiplex ponitur à Doctoribus meritum.

Meriti diffinitio.

Et pro huius explicatione, secundo notandum est, duplex communiter poni meritum à theologis. Alterum vocatur meritum de condigno: alterum, meritum de con-

Meriti diuisio.

Meritũ de condigno, quid.

congruo: & meritum quidem de cōdigno, vocatur meritum, cui de iustitia, ex lege & condignitate operis, debetur aliquod præmium. Meritum vero de congruo, appellatur opus, quod ex gratia & congruitate quadam acceptatur ad aliquod præmium, quod neque ex lege, neque ex condignitate operis sibi debebatur.

Meritū de congruo.

Ex quibus diffinitionibus sequitur, ad meritum de condigno, duo esse requisita: Alterum est, vt opus ipsum, quod est meritorium de condigno, dignum sit eo præmio, cuius dicitur esse meritorium. Alterum est, quod ex lege debeatur sibi tale præmium. Sed ad meritum de congruo satis erit, quod cum non sit sancita aliqua lex, qua debeat tale præmium respondere ei merito, tamen congruum sit, & deceat Deum propter dignitatem vel excellentiam operis illud remunerare tali præmio. Et possunt ista declarari, & perspicua fieri hoc exemplo: Promisit rex certum aliquod præmium ei, qui primus vexillum regis in muris ciuitatis hostium posuerit. Petrus non mediocri suo periculo posuit ante alios vexillum in eis. Is quidem dicetur illud præmium meruisse de condigno. Et opus enim dignum fuit tali præmio, cum periculosum, difficile, & omni laude dignū fuerit, & alioqui ex lege seu ex promissione regis debitum erat ei operi tale præmiū. Si vero nullo tali præmio proposito aut cōstituto ei operi, Petrus nihilominus forti & audaci animo idem subisset periculum, idemq; omnino opus fecisset, vt victoriam & gloriam haud vulgarem compararet suo regi, is quidem si non ex condigno, quia non erat tale præmiū lege aut sponsione præfixum, certe ex congruo apud regem idem præmium mereretur. Non me latet, Doctores aliquos medium quoddam meritum de digno posuisse, cum opus quidem dignitatem aliquam habet à conditione & præcellentia operantis: sed condignum non est tali præmio, vel quia non exæquat tale præmium, sed ab eo superatur & vincitur: vel quia lege non est sancitum, neque constitutum, vt tale præmium sibi respondeat. Et hoc modo beatissimam

Ad vtrunq; meritū que requirantur.

Meritū tertium quidā faciunt, quod de digno appellarunt.

virginem Mariam, dicit diuus Bonauentura in tertio Sententiarum dis. 4. art. 2. q. 2. meruisse de digno fieri matrem Dei: de congruo quidem, ante annunciationem Gabrielis: de digno vero, post eam annunciationem & ipsius consensum, descensumque Spiritus sancti super eam in nimia plenitudine & abundantia gratiæ: quia licet exuperaret omnia merita tanta illa genitricis Dei dignitas, neque vnquam tantum præmiū Deus vllis meritis esset pollicitus, dignitas tamen, inquit, ipsa & sanctitas, præcellentiaque virginis opera, & abundantia gratiæ tunc de nouo ei collata, sic illam attollebant, & in altum ferebant, vt plusquam meritoria de congruo, tantæ dignitatis eam efficerent. Dignissima enim illa erat inter omnes creaturas, quam Deus tanto beneficio afficeret, ex quo aliquam sibi matrem gratuita in nos benignitate sua statuebat diligere. Sunt & (scio) aliqui alij nobiles Doctores Scholastici, qui tametsi beatitudinem operibus ex gratia factis Deum promisisse scirent, tamen cum eam longissimo interuallo omnia opera nostra excedere prudenter perpenderent, & in scripturis non solum non inuenirent hoc nomen, De condigno, verum Paulum legerent constanter dicentem, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam: ex his non omnino leuibus argumentis permoti, medium etiam meritum, de digno, posuerunt: & sobrietate quadam & prudenti temperamento vsi, respectu beatitudinis, dixerunt non esse meritum de condigno, sed tantum meritum de digno: quia digni sunt iusti, ex lege & promissione Dei, tali præmio. Atque ideo inferunt, meritum de condigno, esse quidē posse inter homines, & respectu hominum vel angelorum, sed nequaquam respectu Dei, præsertim respectu beatitudinis, quæ plurimis parasangis excedit, quidquid nos possumus etiam præclarissime operantes, mereri. Sed quantumuis ista apparenter dicantur, & sua probabilitate non careant, tamen ne deuiaremus in acceptione terminorū à via communi, in sola duo membra visum est meri-

Marsil. Ioā Eckius.

Meritũ solis duobus membris diuidi.

meritum partiri. Et vere necesse non est plura ponere. Nam quod ponit sanctus Bonauentura meritum de digno, meritum est de congruo, quippe quod nulla lege habet suum præmium, sed congruitate quadam & gratia diuina. Quæ autem alij merita de digno appellant, ea nos merita de condigno dicimus, censentes prorsus satis esse ad meritum de condigno, dignitatem operis & legem de præmio. Et profecto illis præmijs merita sunt condigna, quibus sunt digna. Neque enim apud Latinos authores inuenio differentiam, quam isti Doctores comminiscuntur inter dignum & condignum. Et quidem si authoritas Pauli eos mouit, vt respectu beatitudinis non ponerent meritum de condigno: eadem & mouere debuit, vt neque respectu illius ponerent meritum de digno. Paulus enim, si textum consulas Græcum, *Non sunt dignæ*, inquit, *passiones huius temporis ad gloriam reuelandam in nobis.* Sed cum de re constet inter hos authores & nos, commodum non est, longius de nomine contendere.

Ociosam esse inter dignum & cõdignum distinctionem.

Rom. 8.

De operum meritis tres diuersæ sententiæ.

Veniamus igitur ad secundum articulum quæstionis. Et pro eo expediendo, notandum est, duo esse extrema in hac materia de merito.
1. Alterum est dicentium nullum prorsus esse meritum in nobis, neq; respectu iustificationis nostræ, neq; respectu beatitudinis, neq; opera nostra meritoria esse gratiæ aut gloriæ, quam Deus elargitur nobis, sed & gratiam & gloriam debere nos
2. adscribere solis meritis Christi. Alterum extremum est dicentium & iustificationem nostram & beatitudinem ipsam sub meritis nostris cadere, vereq; esse opera nostra meritoria & gratiæ & gloriæ: sed gratiæ quidem primæ, qua iustificamur, & gloriæ ei respondentis, tantum de congruo: augmentum vero gratiæ & gloriæ, de digno vel de condigno. Ante habitam enim gratiam disponentes nos ad eam, meremur, aiunt, eam de congruo: postquam vero eam acquisiuimus, meremur ipsam augeri, & gloriam ei respondentem, de condigno, vel de digno.

Tertia opinio

Inter hæc vero extrema, media quædam est aliorum Doctorum sententia, dicentium iustificationem nostram seu gratiam primam, sub merito nostro non cadere, neque de congruo, neque de digno. Sed posse tamen nos mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, vbi semel gratis fuerimus iustificati. Et in nostris quidem operibus inueniri rationem meriti, & aliqua eorum, meritoria esse, certum est: cuius vero præmij, & quomodo sint meritoria, controuersum est, & variæ sunt inter Scholasticos Doctores opiniones. Quæ autem ipsarum opinionum probabilissima nobis videatur, in quæstionibus quinta & sexta statim aperiemus. Interim tamen pro fundamento eorum, quæ in eis dicenda sunt, & pro solutione præsentis quæstionis, & expeditione tertij articuli, pono hanc conclusionem.

Quid certum & quid sit cõtrouersum in quæstione.

Conclusio Responsiva.

Absolute concedendum est, & fidem & alia bona opera, facta ab his qui iam sunt iustificati, & habent gratiam, meritoria esse beatitudinis. Hæc conclusio tenetur ab omnibus Doctoribus catholicis, quotquot mihi contigit legere, neq; scio aliquos, qui de ea dubitent, vel eius contrarium defendant, exceptis quibusdam hæreticis nostri temporis, qui absolute concedunt nullam actionem nostram meritoriam esse beatitudinis, & vnius solius Christi meritis nobis eam condonari. Cuius sententiæ primipili, vt sic dixerim, & antesignani fuere Martinus Lutherus & Oecolampadius.

Et quamuis insignis ille hæresum Vuiclefi impugnator, Thomam dico Vualdensem, vberrimum fontem, ex quo hauserunt bonam partem pene omnes, qui Lutheranam sectam impugnarunt, quamuis in quã ille in libro de Sacramentalibus, titulo primo, distinctionem meriti in meritum de congruo, & de condigno irridere videatur, & saniorem Theologum, fideliorem que catholicum, & scripturis sanctis magis concordem dicat se reputare eum, qui negaret simpliciter hominem mereri gratiam vel gloriam, aut ex meritis dignum esse gratia vel gloria, & concederet cum limitatione Apostolorum & scripturarum, hominem non mereri regnum cælorum, nisi ex

Thom. Vualdensis sententia qualis fuerit.

gratia & voluntate largitoris, & Deum non attendere meritum nostrum, neq; rationem congrui vel condigni, sed suã gratiam & misericordiam: tamen si bene aduertantur, quæ idem ibi postea dicit cap. 9. non negat actus nostros esse meritorios etiam vitæ æternæ, immo eam dicit dari nobis pro meritis: sed hoc tantum indicat se velle, vt huiusmodi omnibus assertionibus adiungeremus, *Ex gratia Dei.* Itaque si diceremus nos posse mereri gloriam, non hoc simpliciter & sine addito dicamus, sed adiungamus, *Ex gratia Dei*: ne videamur excludere gratiam Dei, sine qua nulla sunt merita. De reliquijs enim Pelagianorum & Gentilium ait tractum esse, vt merita asseramus sine additione gratiæ, & in iniuriam Saluatoris videtur cedere, quod tacita ipsius gratia, tam multa disputamus de meritis.

Meritorum nostrorum causa, Gratia Dei.

Sed de causa nostrorum meritorum hoc loco non disputamus. Certum enim est, eam esse vnicam gratiam Dei: ea enim seclusa, nihil possumus apud Deum mereri, tantum abest vt mereri possimus gratiam ipsius vel gloriam: neque negamus conueniens esse, vt sic semper nostros temperemus sermones, vt gratiæ Dei omnia videamur adscribere, sicut par est, potius quam nobis. Verum hoc loco tantum contendimus, quod etiamsi non addamus hoc verbum, *Ex gratia Dei*, vel aliquod aliud simile, verissime possumus concedere, actus bonos iustorum, meritorios esse apud Deum, & per eos illos vere mereri beatitudinem: &, si modo sanus teneatur sensus, neque credatur, nos hoc habere ex nobis, & non ex gratia Dei, trepidare non oportet in huiusmodi assertionibus: nullus enim prorsus est, neq; esse debet in his timor.

Meriti vox Dei gratiã nõ obscurat

Neq; enim, vt falso quidam affirmant, fastuosum est meriti vocabulum, sed Christianæ potius modestiæ conueniens: neque obscurat, sed illustrat magis diuinam in nos benignitatem: & sine vllo offendiculo, eo vsi sunt omnes antiqui Doctores. Intellexerunt enim nihil derogare gratię diuinę, sed commendare potius suam in nos magnificentiam & misericordiam, vt statim monstrabimus. Sed vtcunque ista se habeant, & vtcunque de his Vualdensis & alij senserint, contra omnes qui nostram propositionem negauerint, probare eam iam firmis & luculentis argumentis tentabimus.

Cõfirmatur arg conclusio.

1 arg.

Primo itaque argumentor sic: Beatitudo est merces promissa à Deo, & reposita sanctis propter bona opera, quæ faciunt, & propter mala quæ tolerant patienter: & absolute & sine addito, talis vocatur. Ergo talia opera, & talis eorum patientia, meritoria est beatitudinis. Habent enim se correlatiue merces & meritum, mercesque est meriti merces, & meritum mercedis meritum: & si vnum tollitur, tollitur & alterum: & posito altero, ponitur & reliquum. Si ergo beatitudo merces est operum bonorum & æquanimitatis in malis, erunt & hæc meritoria beatitudinis. Non enim maius inconueniens est, appellare ista merita, quam illam mercedem: immo necesse est, si beatitudinem appellas mercedem, aliqua signare, quæ merita sint tantæ mercedis. Quod vero beatitudo merces sit, mercesque appelletur operum bonorum, tam frequens est in vtroque testamento, vt me pene pudeat, in re adeo aperta, testimonia citare. Sed vt ad manum habeamus tela, quibus confodiantur hæretici, & catholicam fidẽ defendamus, citabimus aliquot testimonia scripturarum.

Beatitudinem opera bonorum mercedem esse.

Genesis 12. dicit Dominus ad Abraham: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* 2. Paralipomenon 15. *Erit merces operi vestro.* Prouer. 11. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Sapientiæ 5. *Iusti autem in perpetuum viuent & apud Dominum est merces eorum.* Et cap. 2. de hoc reprehenduntur impij, quod mercedem non sperauerunt iustitiæ. Ecclesiast. 2. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra.* Et quia adueniente Christo in mundum, reseranda erat ipsius morte ianua regni cœlorum, & sancti Patres recepturi erant mercedem laborum suorum, nempe beatitudinem, Esaiæ 40 de Christo dicitur: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* Et Hieremiæ 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo ait Dominus.* Et Apocalypsis 22. Idem de se dicit: *Ecce venio*

nio cito, & merces mea mecũ est, reddere vnicuiq; secundum opus illius. Et Matthæi 5. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et cap. 10. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et Paulus apostolus in prioris ad Corinthios cap. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Sed quid moror in testimonijs nihil necessarijs allegandis? Ipse Ecclesiasticus cap. 16. opera misericordiæ meritoria pronunciat his verbis: *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* Et Paulus in epistola ad Hebræos ait, *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur,* vel, vt alij vertunt, demeretur & conciliatur, *Deus.*

Hebr. 13.

2. Argum.

Sed & secundo pro nostra conclusione argumentor sic: Quotiescunq; rex aliquis aut princeps vel respublica promittunt aliquod præmium hominibus sibi gratis, si faciant aliquod opus virtutis, tale opus dicitur ab omnibus meritorium talis præmij. Neque hoc potest negare, nisi qui ignorat penitus significationem & vsum huius nominis, *Meritum*, apud Latinos. Cum ergo beatitudinem promiserit Deus bonis operibus in multis locis scripturæ & hac ratione Paulus eam & brauium, & coronam incorruptam, & coronam iustitiæ appellet: sequitur, & iustorum bona opera meritoria esse beatitudinis. Et breuiter argumentor sic: Omnia quæ satis sunt, vt aliqua opera dicantur Latine meritoria alicuius præmij, reperiuntur in bonis iustorum operibus respectu beatitudinis. Aut ergo omne meritum tollendum est, & reijciendum est hoc vocabulum Meritum, tanquam male Latinum: aut concedendum est: opera bona iustorum, meritoria esse beatitudinis.

Philip. 3.
1. Cor. 9.
2. Tim. 2.

Et hoc argumento crediderim sanctos omnes Doctores permotos, vt passim absque vllo scrupulo mereri nos dicerent beatitudinem. Et sæpissime est hoc videre in diuo Augustino, quamuis maximus fuerit vbiq; & religiosissimus assertor gratiæ. Vnde & cap. 12. de prædestinatione sanctorũ, ita ait: *Post corpus nemo erit in corpore, nisi resurrectione nouissima, non ad vlla merita comparanda sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis horrenda supplicia.* Hæc Aug. Et Cælestinus primus in canone 12. suæ primæ epistolæ decretalis: *Tanta,* inquit, *ergo omnes homines est bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* Hæc Cælestinus. Sed ne omnino sine causa videantur hæretici contrarium huius conclusionis defendere, & vt clarius ipsius veritas constet, faciam cõtra eam aliquot argumẽta in fauorẽ hæreticor.

Argumẽta contra cõclusionem.

Et primo quidem argumentor ex illo, quod per Lucam Dominus suos admonet: *Cum feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Si seruos inutiles nos debemus credere, & vere & ex corde asserere, etiam cum implemus Dei præcepta, quomodo ipsam eorum impletionem meritoriam nobis tanti præmij, quantum est beatitudo, audemus dicere? An non vtilissimũ est, tantum præmium mereri? Si & illud debemus etiam de nobis affirmare, cum exequimur Dei mandata, Quod debuimus facere, fecimus: quomodo nobis hoc arrogamus, vt ea opera meritoria beatitudinis æternæ dicamus? Quãdoquidem qui, quod debet facere, facit, non nouum meretur præmium id faciẽdo, sed satis habet, si satisfaciat debito, cui erat obnoxius. Et confirmari potest hoc argumentum hac ratione: Omnia opera nostra bona, dona quædã sunt Dei. Et hoc nomine & propter immensa alia, & innumera ipsius in nos beneficia, ei sunt summo iure debita. Non ergo nouorum sunt vnquam præmiorum meritoria. Non enim apud aliquem nouum præmium meremur per nouum munus ab eo nobis collatum. Secũdo ad idem argumentor: Nihil est asserendum à Christiano, quod Christi gloriæ & meritis deroget. Detestandæ n. cuiusdam ingratitudinis hoc esset, & nihil posset esse magis alienũ à nostra ꝓfessione. Sed cõcedere, nostra opa esse meritoria beatitudinis, derogat gloriæ

1. Argum.

Lucæ 17.

2. Argum.

gloriæ & meritis Christi. Hoc enim dicentes, videmur dicere, non esse propriũ Christi, mereri beatitudinem nostram, neq; nos solide & ex asse debere ei nostram beatitudinem: immo, quod peius est, videmur in his dicere, non sufficere merita Christi ad salutem, sed necesse esse, vt nostris illa adiuuentur. Ergo non debemus Christiani asserere, nostra opera esse meritoria beatitudinis, sed ingenue & plane confiteri, solis nos Christi meritis saluari.

3. Argum. Tertio instari potest pro hæreticis: Si opera nostra essent meritoria beatitudinis, essent meritoria de condigno. Sed non potest esse vlla condignitas inter nostra opera & beatitudinem. Nulla est enim æqualitas. Sed multis & magnis interuallis beatitudo excedit opera nostra: Ergo opera nostra non sunt meritoria beatitudinis.

4. Argum. Quarto argumentari pro eisdem possumus. Non est ponẽda fiducia salutis nostræ in nostris meritis, sed in vna Dei misericordia. Ergo nulla sunt in nobis vera merita salutis nostræ. Si enim essent, cur non liceret in eis collocare nostram fiduciam, cum omnes in eo possint statuere, immo statuãt fiduciam consequendi alicuius præmij, quod est verum meritum illius? Antecedẽs probari potest ex multis scripturæ & sanctorum testimonijs. Dauid enim dicit: *Neq, enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.* (Psalm. 43.) Et Hieremias inquit: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachiũ suum.* (Hier. 17.) Cuius maledicti vinculo innectitur, vt Augustinus bene colligit in Enchiridio, qui spem ponit in seipso. Et Salamon ait: *Qui sperat in Domino, saluabitur: & qui confidit in corde suo, stultus est.* (Prouer. 28.) Et ideo Cyprianus de oratione Dominica, Publicanum illum, cuius meminit Lucas, iustificatum dicit, (Lucæ 18.) quia non fiduciam ponebat in innocentia sua. Vnde & parabolam illam in eos Christus dixit, qui in se confidebant. Et Bernardus in libro florum, tractans illa Psalmistæ verba, *Delectare in Domino*: ideo asserit quosdam vitam æternam non humiliter quærere, quia eam quærũt in suorũ fiducia meritorum, cum oporteret de soli miseratione diuina præsumere. Et Ecclesia vel ut ab his sanctis Patribus edocta, in secreta oratione Dominicæ secundæ Aduentus, ita Deum orat: *Vbi nulla suppetunt suffragia meritorũ, tuis nobis succurre præsidijs.* Et alias: *Vt qui de qualitate meritorum nostrorum diffidimus, non iudicium tuum, sed misericordiam consequi mereamur.* Et in canone Missæ *Non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus, largitor admitte.*

Sed hæc argumenta nihil conuincunt, Ideoque ad illa breui respondebimus. (Respõdetur argumentis propositis.) Ad primum: cum Christus iubet, vt seruos nos dicamus inutiles, cum expleuerimus quæ (Ad 1.) præcepta sunt nobis, non hoc iubet, quod seruos nos dicamus inutiles nobis, sed sibi liceat enim nobis vtilissima sit illa executio mandatorum Dei, Deo tamen & Domino (Psal. 15.) nostro, qui bonorum nostrorum non eget, nullam prorsus affert vtilitatem. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris,* ait Salamon: *si autem* (Prouer. 9.) *illusor, solus portabis malum.* Et prudentissime apud Iob ait Eliphaz Themanites: (Iob. 22.) *Quid prodest Deo si iustus fueris? aut quid ei confert si immaculata fuerit via tua?*

Voluit etiam Dominus his verbis docere suos, neque ex natura esse operum nostrorum, sed prorsus ex liberalitate & benignitate sua, vt eam nobis afferat vtilitatem, (Vnde fit quod opera sint meritoria.) quam affert executio suorum mandatorũ. Posset enim Deus illa à nobis exigere, etiã nullo reposito præmio. Et ad hoc explicandum adiunxit: *Quod debuimus facere, fecimus.* Hoc etiam spectabat ista admonitio, vt & ipsam executionem mandatorum Dei, crederemus nobis ex dono ipsius cõtingere. De fructibus enim mandatorum, vt exposuit concilium Mileuitanũ, intelligitur illud, quod idem dicit apud Ioannem: *Sine* (Ioan. 15.) *me nihil potestis facere.* Merito ergo inutiles nos possumus existimare & asserere, qui neque ex nobis habemus, vt mandata Dei impleamus, neq; ex nobis meremur ea re aliquod præmium, neq; aliquo pacto Domino nostro ea causa vtiles sumus. Cum his tamen optime stat, vt & nobis vtilissimi simus, & ex ipsius gratia & liberali promissione vere possimus dicere nos mereri beatitudinem hoc ipso, quod illi libenter obsequimur.

Ad secundum: Nihil derogat meritis & gloriæ (Ad 2. arg.)

gloriæ Christi, asserere & nostra quoque opera ex ipsius gratia,& vt innituntur ipsius meritis, esse meritoria. Stat enim, & nihilominus ei & solida, illæsaque & illibata, & integra manet sua ipsius peculiaris & propria gloria: quæ non in hoc consistit, vt solus nostram gloriam meritus fuerit, sed in hoc, quod solus à se habuit, vnde illam mereretur, & solus à se eam nobis meruit. Immo magis Christum glorificamus, asserentes nostra opera ex ipsius gratia & meritis esse meritoria. Cedit enim in ipsius gloriã, quod non tantum nobis meruerit beatitudinem, sed & meruerit, vt & nos quoque nobis mereremur nostram beatitudinem. In quo & efficaciam virtutemque maiorem suorum meritorum ostendit,& quam nihil nobis nostram gloriam inuideat, immo quanto plus quam nos ipsi, eam augere cupiat, & nos suæ gloriæ participes efficere, manifeste monstrauit. Neque hoc dicentes, minus ei solide & ex asse imputamus nostram gloriam. Fatemur enim, ab ipsius nos meritis habere totam gloriam, quam meremur: neque partem à nobis, partem ab ipso, sed ab eo prorsus totam. Ipse siquidem dat, vt mereamur:& nostra merita, solum, quatenus illius meritis innitũtur, merita dicimus. Et quia bonorum laborum gloriosus est fructus, & diuinissimum est, Dei cooperatorem fieri, vt Dionysius dicit 3. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, hoc ipso nos ei plus debere confitemur, quod non solum cõcedimus ab eo nos habere totam gloriam, sed & asserimus nos eam habere ab ipso, præcellentiori modo & nobis magis honorifico, nempe per merita nostra ipsius meritis innixa. Et hoc non ex insufficientia meritorum Christi procedit, sed ex affluentia & redundantia ipsorum potius, Cum enim digna essent merita Christi, vt pro eis daretur nobis gloria, & cum meritis nostris, & sine illis, vtcunque hoc ipse voluisset: quia tamen hoc magis commendabat sua merita, & nostram gloriam magis augebat, voluit in hoc tantum valere sua merita, vt adulti iustificarentur aliquibus operibus ab eis in id positis: & iustificati, proprijs etiam meritis, satisfacerent pro suis delictis,& beatitudinem suam obtinerent. Vnde & Paulus inquit: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia.* Coloss. 1 Quia licet passiones Christi nouerat sufficientissimas fuisse ad satisfaciendum pro nobis sine vlla nostra satisfactione, si hoc ipse voluisset, tamen sciebat eum noluisse suas passiones nobis valere, aut applicari, nisi nostris etiam & meritis, & satisfactionibus suis adiunctis: atque ideo quoad sufficientiam quidem pro omnibus eum satisfecisse, sed quoad efficaciam non pro omnibus, sed necesse esse, vt & pro se quisque, & qui plus posset, etiam pro alijs satisfaceret.

Et admirandum in hoc est diuinæ sapiẽtiæ consilium. Vt enim ipse gloriam suam habuit & ratione vnionis personalis, & propter sua merita: ita & suos quos nouerat patrem præsciisse conformes fieri imaginis filij sui, voluit & gloriã habere propter ipsius merita,& propter nostra, quæ à Christi meritis efficaciam sortiuntur, quoniam *Christus consummatus super lignum crucis, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Hebr. 5

Ad tertium argumentum patebit respõsio ex dicendis in quæstione proxima. Ad 3. arg.

Ad quartum argumentum: Stultum & illicitum est, in nobis ipsis confidere, cum non modò operari quidpiam boni, quod oculis Dei placeat, sed nec cogitare quidpiam tale possimus, nisi ex gratia Dei. Sufficientia enim nostra ex Deo est. Et quanquam multa faciunt homines iusti meritoria opera beatitudinis, verissime tamen dicitur, non oportere quenquam in suis meritis fiduciam adipiscẽdæ beatitudinis collocare. Et hoc quidem, ne cuiquam dubiũ sit, possumus tripliciter persuadere. Ad 4. arg. Fiducia in operibus non ponenda.

Primo enim impediri potest omne humanum meritum, quandiu hîc viuimus, à superuenientibus peccatis. Nullus enim nostram potest simpliciter mereri confirmationem suam, aut perseuerantiã in gratia. Cum ergo ad perseuerandum necessaria sit nobis misericordia diuina, semper in ea, & non in nostris meritis, collocanda nostra fiducia est. Secundo: Nemini pos-

sunt euidenter, immo neque certo & indubitato cōstare sua merita. Nullus enim potest satis certo in hac vita scire, bona esse sua opera, nullaque ex parte diminuta, aut aliquod habentia adiunctum, quod ea faciat vitiosa. Et vbi hoc de aliquibus operibus constet, vt quidem potest per fidem & lumen naturale constare, certe nemini potest esse certum se esse in gratia Dei. *Quis enim*, ait Salomon *potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et Iob merito dicit: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et ibidem: *Si habuero quippiā iustum non respondebo: sed meum iudicem deprecabor.* Et prudentissime vir ille desideriorum: *Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Prou. 20. Iob 9. Dan. 9.

Et vt multum quis profecerit in via Domini, aliquando exultando dicet: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* & paulo post necessarium erit clamare cum Publicano: *Domine propitius esto mihi peccatori.* Aliquando nimio cordis iubilo dicet: *Quid mihi est in cœlo, aut à te quid volui super terram?* & Domino auertente se paulùlum, cogetur clamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et innumerabilia sunt, in diuinis literis passim occurrentia, quæ alternis vicibus, vel exultando de nostris bonis, vel mœrendo de nostris malis, à filijs Dei necesse est dici, defectu & profectu alternante vsquè ad nostri corporis mortem, vt non simus confidentes in nobis, sicut Apostolus dicit, sed in Deo qui suscitat mortuos, & solus sanctificat quem vult. Cum igitur tam incerta sint homini sua merita, haud quaquam conuenit in eis fiduciā suæ salutis constituere. Tertio: Si quis confidat, aut confidere se dicat in suis meritis absolute & sine aliqua commemoratione gratiæ diuinæ, videtur sibi potius, quam illi, suam salutem adscribere. Hoc autem superbum & stultum est. Opera enim iustorum meritoria, non tam ab ipsis, quam à Christi meritis, & à diuina acceptatione, & à gratia, quā Deo in illa adiuuantur, habent quod sint meritoria: & in potestate diuina est, ea nō acceptare ad beatitudinem.

Psalm. 115. Luca 18. Psalm. 72. Rom. 7

Opera quod sint meritoria, vnde sit

Coronat enim suos Dominus in misericordia & miserationibus. Non igitur conuenit, sic absolute in eis fiduciam constituere, sed ab eo potius totos pēdere, cuius vnius miseratione peruenire possumus ad terram illam desiderabilem, de cuius possessoribus in figura dictum est: *Neque enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.* Quanquam autē ista verissima sunt, si quis tamen probabili quadam, & non arroganti, neque inani, sed vera persuasione crediderit se in gratia Dei esse & fuisse, & nonnulla bona opera in eo statu fecisse, atque ideo in meritis suis fiduciam hoc pacto posuerit, vt credat se & confidat, propter illa, habiturum aliqua beneficia à Deo, & tandem ipsam beatitudinem, saltem si non illa peccato aliquo superueniente impedierit, ea fiducia vituperanda non est, si modo his verbis non excludat merita Christi, aut gratiam diuinam, à quibus illa habent totum suum valorem & acceptionem, sed intelligat se in suis meritis fidere, quatenus meritis Christi & gratiæ Dei innituntur. Immo non solum iusti, sed & qui diu fuerunt in peccatis, si incipiant pœnitentiam suorum peccatorum, & in ea pœnitentia, vt à gratia Dei procedit, & misericordiæ diuinæ meritis Christi innititur, fiduciam suæ salutis cōstituerit, ea fiducia reprobanda non est. Nō est enim vnde illa reprehendi possit, cum neque superba sit, neque arrogans, aut in Dei misericordiam & gratiam contumeliosa. Et in iustis oritur ex testimonio bonæ conscientiæ, & attestatione illius qui testimonium sæpe reddit spiritibus eorum, quod sunt filij Dei: & hac fiducia sæpe eos exhilarat, leuat, solatur, & confirmat in suis tribulationibus. In peccatoribus vero ista fiducia nascitur ex certa persuasione misericordiæ & veritatis diuinæ. Et ipsæ sacræ literæ ad huiusmodi fiduciā hortantur, cum monent confidere in Domino. Confidere enim sic in operibus, non est aliud, quam confidere in Domino. Vnde & Dauid, ne sibi aliquid imputare videretur, præmisit quidem, *Saluum me fecit, quoniā voluit me:* sed & mox

Psalm. 43

Fiduciæ piorum modesta & minime arrogās.

Fiduciæ in iustis vnde oriatur.

Psalm. 17

& mox confidenter adiecit, *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: Quia custodiui vias Domini, neque impie gessi à Deo meo.* Et Paulus fretus testimonio illo suæ bonæ conscientiæ, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui:* fiducialiter adijcit, *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Et Ioannes apertissime dicit, *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* Atque ideo fortassis, quantum recordari possum, non eos damnat scriptura, qui in suis operibus confidunt, sed eos duntaxat, qui confidunt in seipsis, in sua virtute, in sua potentia, in multitudine diuitiarum suarum. Neque dehortatur à fiducia in nostris operibus, sed à confidentia in nobisipsis: vt ex his intelligeremus, fiduciam in bonis operibus, posse esse sanctam & laudabilem: fiduciam vero in nobisipsis, semper esse damnabilem. Qui enim confidunt in seipsis, sua se virtute euadere mala huius vitæ, & bona alterius vitæ adipisci posse persuadēt: quod vanum & superbum est. Qui autē confidunt in bonis operibus, quæ credunt se ex Dei gratia fecisse, & propterea, vt meritis Christi innituntur, credunt se consecuturos beatitudinem, nihil sibi imputant, sed totum gratiæ diuinæ, & cum Bernardo serm. 61. super cantica. dicunt: *Meum meritum miseratio Domini.* Et ne quispiam existimet superbum esse & insolens, sic nostra nobis persuadere merita, & in eis aliquo modo confidere, vide quid ille addat statim: *Non plane sum meriti inops, quandiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Et si misericordiæ Domini ab æterno & vsque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid iustitias meas? Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea, nempe factus es mihi tu iustitia Dei.* Hæc Bernardus. Et si quando sancti aliqui Doctores inueniantur eos condemnare, qui in meritis suis confidunt: intelligendum illud est de illis, qui sic in suis meritis confidunt, vt excludant gratiam Dei. Et quando ecclesia in orationibus allegatis profitetur se in suis meritis non fidere, nihil aliud significat, quam se quidem non confidere in sua innocentia, neque in his quæ suis viribus potest efficere. Et hoc potest nos certos efficere, quod non de alia fiducia loquantur sancti, quia illam fiduciam de meritis proprijs insolentiæ, superbiæ, & arrogantiæ, & inani gloriæ imputant, à quibus vitijs longissime absunt, qui eo modo, quo diximus, fiduciam collocant in suis bonis meritis. Non enim sibi, sed gratiæ & veritati diuinæ, & meritis Christi innituntur. Et potest ista expositio colligi ex ijs, quæ dicunt Cyprianus & Bernardus in locis, in argumēto hoc citatis. Ambrosius libro 7. commentariorum Lucæ capit. 8. super illa verba, *Dicite, serui inutiles sumus,* & Augustinus super illum versum psal. 73. *Egenus & inops laudabunt nomē tuum.* Beda in prologo 4. libri super Lucam. Et vbi omnia alia argumenta cessarent, ad videndum non omnem talem fiduciam esse damnabilem, sufficere deberet oratio illa regis Ezechiæ: *Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* Non enim hæc oratio oculis Dei displicuit, neque prouocauit iram eius, sed placuit vehementer, & iram illius sic temperauit, vt merito ipsius & sanitatem illi contulerit, & quindecim vitæ annos adiecerit. Et si licet ei, qui fideliter alicui Domino ministrauit aliquot annos, superare nō solum stipendia sibi debita, sed & aliqua alia beneficia, neque hoc quispiam imprudentiæ tribuit, neque domini ipsi, si modo liberales & benigni sint, ingratum habent: dubitandum non est, quin & ista de nostris meritis, immo vere de suis donis fiducia, grata sit quoque apud patrem nostrū cœlestem, cuius misericordiæ & benignitatis nulla est mensura. Vt ergo ad compendiū aliquod solutionem huius argumenti reducamus, dicimus primò verissime colligi, non licere alicui confidere in seipso, & consequenter neque in suis meritis, vt ea fiducia excluderet gratiam Dei & merita Christi, vel inani quadam persuasione certos nos faceret, minimeque dubios de meritis nostris, & de nostra perseuerantia. Sed ad-

Marginal notes: 2. Tim. 4. — 1. Ioan. 3 — 4. Reg. 20

dimus tamen secundo, licitum esse confidere in nostris operibus, verâ gratia Dei procedunt, & meritis Christi innituntur: & cõfidere quidem non solum conditionaliter, si non lapsi fuerimus, sed absolute, nos obtenturos beatitudinem & alia beneficia, quæ à benignissima Dei manu, qui ei fideliter seruiunt, possunt impetrare. Quia ad huiusmodi fiduciam satis est probabilitas, neque requiritur euidentia aut plena certitudo. Et hoc satis est, vt dicantur nostra opera meritoria, quando in eis, vt talia sunt, licet suo modo confidere, & fiduciam nostræ salutis locare.

DE MERITIS GLORIÆ EX CONDIGNO.

QVÆSTIO QVINTA.

AN fides, & alia bona opera iustorum, sint meritoria beatitudinis ex condigno. Ad hanc quæstionem, quoniam quæ sunt prælibanda, tractauimus in proxima quæstione, breuiter respondeo hac conclusione.

CONCLVSIO.

Conclusionem qui authores approbent.

Opera bona iustorum, non solum sunt meritoria beatitudinis, verum & sunt illius meritoria de condigno. Hæc conclusio est communis apud Doctores Scholasticos, & eam tuentur sanctus Thomas in prima secundæ, quæstione centesima quartadecima, articulo 3. & in commentarijs Pauli ca. 4. & 8. ad Romanos. Sanctus Bonauentura in secundo, distinctione 27. quæstione vltima. Richardus de Mediauilla, in quarto, distinctioue 46. articulo primo, quæstione prima. Scotus in primo, d. 17. q. 1. articulo 1. & alias non raro.

Scholastici Doctores contra conclusionem quid sentiant.

Est autem non solum contra hæreticos, quos in proxima quæstione citauimus, sed & contra nonnullos Catholicos authores nobiles inter Scholasticos Nam Gregorius Ariminẽsis in primo, distinctione 17 quæstione prima, articulo secundo, tenet nullum esse in nobis meritum de condigno respectu beatitudinis, & sanctos viros per bona opera, quæ ex gratia faciunt, non eam mereri de cõdigno, sed tantum ex cõgruo. Durandus etiam de sancto Portiano, in primo, distinctione 17. quæstione 2. & in secundo, distinctione 27. quæstione 2. & in tertio, distinctione 18. quæstione 2. idem tenet, absolute concedens nullum esse meritum de condigno apud Deum, nisi forsan large accipiendo hunc terminum. Marsilius etiam idẽ tuetur in secundo. Thomas etiam Vualdensis in insigni illo libro, quem edidit de Sacramentalibus, Cap. 7. idem defendit. Et Burgensis in additionibus super psalmum 35. in eadem est sententia. Ideoque ait dictum à psalmista, *Domine, in cœlo misericordia tua*: quia ibi maxime relucet misericordia Dei, quia nullũ est meritum, respectu tanti præmij, de condigno. Accedit & horum Doctorum sententiæ Ioannes Eckius in centurijs de prædestinatione.

Probatur argumen conclusio

Sed vtcunque ista se habeant, pro nostra conclusione argumentor sic: Opera bona iustorum, habent omnia quæ requiruntur, vt sint meritoria de cõdigno respectu beatitudinis. Ergo absque vllo timore possumus ea dicere, sic esse meritoria beatitudinis. Antecedens huius discursus, probatur: Vt opus aliquod dicatur meritorium alicuius præmij de condigno, satis est vt iam diximus, si sit dignum tali præmio, & præmium sibi debeatur ex lege vel promissione eius, qui adhortatur ad tale opus spe talis præmij. Et si hæc non sufficiant ad meritum de condigno, raro vel nunquam inueniemus meritum de condigno, etiam inter homines. Hæc autem reperiuntur omnia in operibus bonis iustorum respectu beatitudinis. Nam & opera ipsa ex hoc, quod amicorum Dei sunt, & fiunt ex gratia & impulsu Spiritus sancti inhabitantis ipsos, digna profecto sunt beatitudine, & de lege debetur eis ipsa beatitudo. Promisit enim eam Deus illis beatitudinem, vt patet ex testimonijs pro prima conclusione citatis. Et de integro hoc potest confirmari ex Euangelica illa parabola patrisfamilias, qui operarios misit in vineam suam, conuentione cum eis facta ex denario diurno. Denarius enim hic diurnus, sicut exposuere Origen. Hieronymus, Augustinus, Gregorius,

gorius, Chrysostomus, beatitudo est, cuius promissione & conuentione Dominus vult nos in Ecclesia ista militante pro sua quenque portione laborare in executione suorum mandatorum. Cum igitur opera bona iustorum, & digna sint beatitudine, & Deus eam illis promiserit, erunt profecto meritoria ex condigno ipsius beatitudinis. Et confirmari hoc potest: Deus dabit secundum legem suam beatitudinem ipsis sanctis propter opera bona quæ faciunt. Dicet enim his, qui à dextris erunt in die iudicij, vt habet Matthæus: *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere. &c.* In quibus verbis cum iudex iustissimus apponat opera bona pro causa sententiæ de beatitudine, manifeste indicauit se eam dare propter bona opera. Et alias non contingeret maior beatitudo facienti meliora opera, contra illud Pauli: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit.* Cum ergo beatitudo secundum legem diuinam absque dubio contingat propter opera, & iuxta eorum varietatem maior sit aut minor: quid obstat, quo minus ea dicamus ipsius meritoria?

Matth. 25.

2. Cor. 5

2. Argum. Secundo etiam argumentor pro eadem conclusione. Supposita amicitia diuina & lege de retribuenda beatitudine operibus iustorum, vera inuenitur æqualitas inter opera iustorum & beatitudinem. Augetur enim valor operum iustorum per gratiam & promissionem diuinam, & efficiuntur tanti precij. Vide admirandam Dei in nos misericordiam & benignitatem: efficiuntur inquam tanti precij, vt minimum illorum, quantuncunque imperfectum sit, æternæ gloriæ habeat valorem. Si ergo æqualitas est, erit & condignitas, & meritum de condigno. Nihil enim amplius ad condignitatem requiritur, quam æqualitas. Et confirmatur hoc: Si operibus nostris ex natura sua deberetur beatitudo, vere illa essent meritoria ipsius de condigno. Sed non habent modo minorem valorem per gratiam & promissionem diuinam, vt patet, quia non minoris valoris esset argentum, quam aurum, si rex statuto suo faceret argentum tantum valere, quantum valet aurum ex natura sua: & promissio vel lex diuina potest operibus nostris tantum valorem impartiri, respectu beatitudinis, quantum habent respectu aliorum præmiorum leniorum, immo & quantum haberent, si natura sua essent monetæ, vt sic dicam, precium & valorem habentes beatitudinis. Et non solum hoc potest promissio diuina, sed vere hunc valorem iam impartita est operibus bonis iustorum. Non potest enim non dare illis beatitudinem, si non reuocet legem, aut faciat, si quidem hoc fieri possit, ea non fuisse, vel non fuisse ab habentibus suam gratiam: Vere ergo modò opera iustorum bona, meritoria sunt ex condigno beatitudinis, perinde ac si hoc haberent ex natura sua. Et augeri ista & declarari possunt magis hoc modo: Aliquantum valorē tribuit nostris actibus Deus per amicitiam & promissionem suam, non autem minorem quam sit valor beatitudinis: hunc enim poterat dare, & voluit dare, vt suam decebat in nos benignitatē. Sunt ergo nostri actus, valoris beatitudinis, & consequēter ipsius, meritorij ex condigno.

Tertia probatio. Tertio & eadem conclusio probari potest hoc pacto: Sancti sunt digni beatitudine. Ita enim de eis Sapiens dicit: *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Et Paulus ad Thessalonicenses dicit eos pati & sustinere tribulationes, quas patiebantur, vt digni haberentur regno Dei, pro quo eas patiebantur. Et ad Colossenses: *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Et Apocalypsis tertio de quibusdam Sardicensibus, qui non inquinauerunt vestimenta sua, scribitur: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Cum ergo istam dignitatem non tantum habeāt à Christo, sed eam habeant propter sua opera, vt facile potest colligi ex testimonijs citatis, quia quo quisque habet meliora opera, eo dignior est beatitudine, vel, quod idem est, eo maiori beatitudine est dignus: sequitur, & ipsa opera meritoria * esse digna beatitudinis, & consequenter etiam de condigno. Non est enim distinctio inter dignum & condignum, vt supra diximus.

Sap. 3

Coloss. 1

* forte esse beatitudinis de digno, &

Et quidem si opera nos dignos efficiunt beatitudine, neque in hoc vlla ambiguitas est, nescio cur quispiam timeat dicere, opera esse beatitudinis meritoria de digno vel de condigno. Nihil enim vno alterum est amplius.

4. Argum. Quarto, si aliquid obstaret, quo minus diceremur mereri ex condigno beatitudinem, maxime esset illud, quod nostra bona opera dona sunt Dei, & ipsa gratia donum est Dei, & lex ipsa de beatitudine, donum est Dei, & collatio ipsa beatitudinis, gratuita est, & libere fit, immo gratia est. Sed hæc omnia concurrunt, vt in tertio, si Dominus dederit, disputabimus, in meritis humanitatis Christi, & tamen non propterea est dubitandum, quin merita Christi fuerint merita de condigno, vt contra Durandum clare ostendemus in tertio. Ergo licet sit magna disparitas inter nostra & Christi merita, saltem propter hæc non est negandum, merita nostra esse merita de condigno. Eisdem enim rationibus negabitur, & merita CHRISTI esse merita de condigno.

Oppugnatur conclusio. Sed vt ista magis innotescant, impugnabo hanc conclusionem aliquibus argumentis. Et primo quidem argumentor contra eam ex Paulo, constantissime dicente: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Si non sunt condignæ, quomodo meritoriæ possunt dici de condigno: cum hoc plus significet, aut certe non minus quam illud? Et confirmatur hoc: Nulla est æqualitas inter bona opera sanctorum, & beatitudinem. Incomparabiliter enim & cognitionem nostram, & desiderium excedit beatitudo, iuxta illud Pauli: *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum:* & dilectio etiam minima patriæ excedit vehementer maximam etiam dilectionem viæ, iuxta illud: *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.* Si nulla igitur æqualitas, neque ergo aliqua condignitas: & consequenter nulla opera nostra meritoria, debent dici de condigno.

1. Argum. Rom. 8

1. Cor. 2

Matth. 11.

2. Argum. Secundo: Deus præmiat bona opera supra condignum, & punit mala citra condignum, vt in cōfesso est apud omnes Theologos, & velut prouerbio iactatum. Non ergo opera sanctorum sunt de condigno meritoria beatitudinis, saltem totius quæ dabitur Sanctis.

3. Argum. Tertio: Inter nos & Deum non proprie potest esse iustitia. Siquidem neque est inter filios & parentes, neque inter dominos & seruos, & nos arctiori iure debemus nostra omnia, & nosipsos ipsi Deo. Ab ipso enim habemus quidquid sumus, & ipsa bona quæ facimus, dona ipsius sunt. Si igitur inter nos & Deum non est proprie iustitia, neque erit meritum de cōdigno. Dat enim meritum de condigno, ius & iustitiam ad præmium, cuius est meritum. Aliás nulla erit differentia inter meritum de congruo, & meritum de condigno.

Et confirmatur hoc: Deus non debet iustis beatitudinem propter eorum opera, quantumcunque sancta sint: neque illa obligant Deum, neque Deus propterea tenetur dare beatitudinem: sed posset, etiam nō obstantibus quibusuis, & quantisuis sanctorum meritis, eam non dare. Benigne enim & liberaliter eam dat, cuicunque dat. Et sicut Apostolus dicit, *Nullus ei prior dat, vt retribuatur ei.* Ergo non sunt ipsa opera bona iustorum, meritoria beatitudinis ex condigno, sed ex gratia & benignitate Dei, & cōsequenter tantum ex congruitate quadam & condecētia. Si enim essent meritoria beatitudinis de condigno, iam nos priores ei aliquid redderemus, vt ipse retribueret nobis, & per illa constitueretur Deus nobis debitor. *Ei enim qui operatur*, ait Paulus, *merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Rom. 4

Rom. 11

4. Argum. Quarto stare contra nos videtur illud Pauli ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna.* Quod enim ex gratia est, ex debito non est. Quod autem ex meritis de condigno est, ex debito est, & secundum debitum redditur. Si ergo vita æterna ex gratia contingit cuicunque illa conceditur, sequitur nemini eam contingere ex debito, aut meritis de condigno. Et profecto dignum videtur pōderatu dictum hoc esse ab Apostolo, cum statim prædixisset stipēdia peccati esse mortem.

rem. Ita enim ait. *Stipendia peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.* Hac autem diuersitate videtur indicasse, non ita ex condigno vitam æternam cadere sub merito ex condigno, ac mortem sub merito peccatorum nostrorum. Alioqui non opposuisset stipẽdio gratiam, sed & vitam æternam dixisset etiam stipendium, si eam meremur ex condigno. Stipendium enim illa erit nostrorum meritorum. Et hæc videtur glossa indicare, quæ ideo dicit hæc dicta à Paulo, vt intelligeremus Deum ad vitam æternam pro sua miseratione nos perducere, nõ nostris meritis. Sed & aliquanto clarius hoc dicit Diuus Augustinus in Enchiridio: Qui tractans hæc verba Apostoli, sic ait: *Intelligendum est etiam ipsa hominis bona merita, esse Dei munera quibus cum vita æterna redditur, quid aliud quam gratia pro gratia redditur?* Hæc Augustinus. Quod si gratia pro gratia, & non iustitia pro gratia, non ergo gloria ex merito de condigno.

Argumenta contraria refelluntur

Istis tamen argumẽtis non obstantibus, nos nostram tuebimur conclusionem. Ad primum ergo dicendum, opera iustorum dupliciter posse considerari. Ac primo quidem considerari possunt secundum suam perfectionem naturalem, & quatenus sunt à libero arbitrio secũdum vires nostras naturales, vel etiam secundum aliquod Dei auxilium speciale, antecedens gratiam gratum facientem, & amicitiam diuinam: & sic manifestum est, nulla opera nostra condigna esse beatitudine. Longissimo enim interstitio exuperat beatitudo valorẽ omnium talium nostrorum operum, sicut & virtutem nostram naturalem.

Possunt tamen secundo considerari opera iustorum secundum perfectionem supernaturalem, quam habent à gratia, & à Spiritu sancto inhabitante animas ipsorum. Et si quidem sic considerentur, possunt etiam dupliciter considerari, videlicet, aut secundum valorem quẽ ex ea perfectione supernaturali omnibus alijs seclusis haberent, aut secundum valorem, quem supposita ea perfectione supernaturali habẽt ex lege, & promissione diuina, & si quidem considerentur seclusa lege & promissione diuina: quanquam scio non deesse Doctores, qui dicant, ea esse condigna beatitudine, & meritoria ipsius de condigno, quatenus fiunt voluntarie propter Deum ex caritate, quam in nobis Spiritus sanctus facit, vel quod idem est, quatenus à gratia Spiritus sancti procedunt: tamen, mature omnibus hinc inde pensatis, adhuc crediderim non esse condigna beatitudine vlla opera nostra. Licet enim maior multo sit valor operum nostrorum, vt sunt à gratia & à Spiritu sancto, tamen adhuc non videtur æqualitas inter ipsa & beatitudinem, & cõsequenter neque condignitas. Est siquidem congruitas & condecentia quædam, vt operibus, quæ sunt à gratia & à Spiritusancto, respondeat gloria & merces æterna, qualis decet filios Dei. Est enim Spiritus sanctus, vt ait Paulus, pignus hæreditatis nostræ, & quos inhabitat, mouet in vitam æternam, iuxta illud Ioannis: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Gratia etiam velut semen est gloriæ, & per gratiam & Spiritũsanctum consortes sumus diuinæ naturæ, adoptamurque in filios Dei, quibus ex ipso iure adoptionis debetur hæreditas, iuxta illud Pauli: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Si autem filij, & hæredes.* Sed quantuncunque ista magna sint, & valorem operũ iustorum vehementer augeant, tamen adhuc multo inferiora sunt beatitudine, neque exæquare videntur æternum illud gloriæ & beatitudinis pondus. Atque ideo etiam de istis operibus secundum istam perfectionem supernaturalem potuit, vt credimus vere, dicere Paulus non esse condignas passiones huius temporis, quantæcunque & qualescunque illæ sint, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si vero considerentur secundum valorem, quem Deus dedit operibus iustorum sic perfectis ex promissione sua & condicto, siue ex lege, quam fecit de retribuenda beatitudine istis operibus, & mouendo ipsos iustos per sua bona opera in eam beatitudinem, tunc vere condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam. Aequalitas enim iam aliqua est inter ipsa & beatitudinem, quando illa omnia habent, quæ requiruntur

2. Cor. 1.

Ioan. 4.

Roman. 8.

Opera quo respectu ex condigno mereantur beatitudinem.

congruo: & meritum quidem de cōdigno, vocatur meritum, cui de iustitia, ex lege & condignitate operis, debetur aliquod præmium. Meritum vero de congruo, appellatur opus, quod ex gratia & congruitate quadam acceptatur ad aliquod præmium, quod neque ex lege, neque ex condignitate operis sibi debebatur.

Meritū de congruo.

Ex quibus diffinitionibus sequitur, ad meritum de condigno, duo esse requisita: Alterum est, vt opus ipsum, quod est meritorium de condigno, dignum sit eo præmio, cuius dicitur esse meritorium. Alterum est, quod ex lege debeatur sibi tale præmium. Sed ad meritum de congruo satis erit, quod cum non sit sancita aliqua lex, qua debeat tale præmium respondere ei merito, tamen congruum sit, & deceat Deum propter dignitatem vel excellentiam operis illud remunerare tali præmio. Et possunt ista declarari, & perspicua fieri hoc exemplo: Promisit rex certum aliquod præmium ei, qui primus vexillum regis in muris ciuitatis hostium posuerit. Petrus non mediocri suo periculo posuit ante alios vexillum in eis. Is quidem dicetur illud præmium meruisse de condigno. Et opus enim dignum fuit tali præmio, cum periculosum, difficile, & omni laude dignū fuerit, & alioqui ex lege seu ex promissione regis debitum erat ei operi tale præmiū. Si vero nullo tali præmio proposito aut cōstituto ei operi, Petrus nihilominus forti & audaci animo idem subisset periculum, idemq; omnino opus fecisset, vt victoriam & gloriam haud vulgarem compararet suo regi, is quidem si non ex condigno, quia non erat tale præmiū lege aut sponsione præfixum, certe ex congruo apud regem idem præmium mereretur. Non me latet, Doctores aliquos medium quoddam meritum de digno posuisse, cum opus quidem dignitatem aliquam habet à conditione & præcellentia operantis: sed condignum non est tali præmio, vel quia non exæquat tale præmium, sed ab eo superatur & vincitur: vel quia lege non est sancitum, neque constitutum, vt tale præmium sibi respondeat. Et hoc modo beatissimam

Ad vtrunq; meritū quæ requirantur.

Meritū tertium quidā faciunt, quod de digno appellarunt.

virginem Mariam, dicit diuus Bonauentura in tertio Sententiarum dis. 4. art. 2. q. 2. meruisse de digno fieri matrem Dei: de congruo quidem, ante annunciationem Gabrielis: de digno vero, post eam annunciationem & ipsius consensum, descensumque Spiritus sancti super eam in nimia plenitudine & abundantia gratiæ: quia licet exuperaret omnia merita tanta illa genitricis Dei dignitas, neque vnquam tantum præmiū Deus vllis meritis esset pollicitus, dignitas tamen, inquit, ipsa & sanctitas, præcellentiaque virginis opera, & abundantia gratiæ tunc de nouo ei collata, sic illam attollebant, & in altum ferebant, vt plusquam meritoria de congruo, tantæ dignitatis eam efficerent. Dignissima enim illa erat inter omnes creaturas, quam Deus tanto beneficio afficeret, ex quo al quam sibi matrem gratuita in nos benignitate sua statuebat diligere. Sunt & (scio) aliqui alij nobiles Doctores Scholastici, qui tametsi beatitudinem operibus ex gratia factis Deum promisisse scirent, tamen cum eam longissimo interuallo omnia opera nostra excedere prudenter perpenderent, & in scripturis non solum non inuenirent hoc nomen, De condigno, verum Paulum legerent constanter dicentem, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam: ex his non omnino leuibus argumentis permoti, medium etiam meritum, de digno, posuerunt: & sobrietate quadam & prudenti temperamento vsi, respectu beatitudinis, dixerunt non esse meritum de condigno, sed tantum meritum de digno: quia digni sunt iusti, ex lege & promissione Dei, tali præmio. Atque ideo inferunt, meritum de condigno, esse quidē posse inter homines, & respectu hominum vel angelorum, sed nequaquam respectu Dei, præsertim respectu beatitudinis, quæ plurimis parasangis excedit, quidquid nos possumus etiam præclarissime operantes, mereri. Sed quantumuis ista apparenter dicantur, & sua probabilitate non careant, tamen ne deuiaremus in acceptione terminorū à via communi, in sola duo membra visum est

Marsil. Ioā Eckius.

meri-

Meritũ solis duobus membris diuidi.

meritum partiri. Et vere necesse non est plura ponere. Nam quod ponit sanctus Bonauentura meritum de digno, meritum est de congruo, quippe quod nulla lege habet suum præmium, sed congruitate quadam & gratia diuina. Quæ autem alij merita de digno appellant, ea nos merita de condigno dicimus, censentes prorsus satis esse ad meritum de condigno, dignitatem operis & legem de præmio. Et profecto illis præmijs merita sunt condigna, quibus sunt digna. Neque enim apud Latinos authores inuenio differentiam, quam isti Doctores comminiscuntur inter dignum & condignum. Et quidem si authoritas Pauli eos mouit, vt respectu beatitudinis non ponerent meritum de condigno: eadem & mouere debuit, vt neque respectu illius ponerent meritum de digno. Paulus enim, si textum consulas Græcum, *Non sunt dignæ*, inquit, *passiones huius temporis ad gloriam reuelandam in nobis*. Sed cum de re constet inter hos authores & nos, commodum non est, longius de nomine contendere.

Ociosam esse inter dignum & cõdignum distinctionem.

Rom. 8.

De operum meritis tres diuersæ sententiæ.

Veniamus igitur ad secundum articulum quæstionis. Et pro eo expediendo, notandum est, duo esse extrema in hac materia de merito.

1. Alterum est dicentium nullum prorsus esse meritum in nobis, neq; respectu iustificationis nostræ, neq; respectu beatitudinis, neq; opera nostra meritoria esse gratiæ aut gloriæ, quam Deus elargitur nobis, sed & gratiam & gloriam debere nos adscribere solis meritis Christi.

2. Alterum extremum est dicentium & iustificationem nostram & beatitudinem ipsam sub meritis nostris cadere, vereq; esse opera nostra meritoria & gratiæ & gloriæ: sed gratiæ quidem primæ, qua iustificamur, & gloriæ ei respondentis, tantum de congruo: augmentum vero gratiæ & gloriæ, de digno vel de condigno. Ante habitam enim gratiam disponentes nos ad eam, meremur, aiunt, eam de congruo: postquam vero eam acquisiuimus, meremur ipsam augeri, & gloriam ei respondentem, de condigno, vel de digno.

Tertia opinio

Inter hæc vero extrema, media quædam est aliorum Doctorum sententia, dicentium iustificationem nostram seu gratiam primam, sub merito nostro non cadere, neque de congruo, neque de digno. Sed posse tamen nos mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, vbi semel gratis fuerimus iustificati. Et in nostris quidem operibus inueniri rationem meriti, & aliqua eorum, meritoria esse, certum est: cuius vero præmij, & quomodo sint meritoria, controuersum est, & variæ sunt inter Scholasticos Doctores opiniones. Quæ autem ipsarum opinionum probabilissima nobis videatur, in quæstionibus quinta & sexta statim aperiemus. Interim tamen pro fundamento eorum, quæ in eis dicenda sunt, & pro solutione præsentis quæstionis, & expeditione tertij articuli, pono hanc conclusionem.

Quid certum & quid sit cõtrouersum in quæstione.

CONCLVSIO RESPONSIVA.

Absolute concedendum est, & fidem & alia bona opera, facta ab his qui iam sunt iustificati, & habent gratiam, meritoria esse beatitudinis. Hæc conclusio tenetur ab omnibus Doctoribus catholicis, quotquot mihi contigit legere, neq; scio aliquos, qui de ea dubitent, vel eius contrarium defendant, exceptis quibusdam hæreticis nostri temporis, qui absolute concedunt nullam actionem nostram meritoriam esse beatitudinis, & vnius solius Christi meritis nobis eam condonari. Cuius sententiæ primipili, vt sic dixerim, & antesignani fuere Martinus Lutherus & Oecolampadius.

Et quamuis insignis ille hæresum Vuiclefi impugnator, Thomam dico Vualdensem, vberrimum fontem, ex quo hauserunt bonam partem pene omnes, qui Lutheranam sectam impugnarunt, quamuis inquã ille in libro de Sacramentalibus, titulo primo, distinctionem meriti in meritum de congruo, & de condigno irridere videatur, & saniorem Theologum, fideliorem que catholicum, & scripturis sanctis magis concordem dicat se reputare eum, qui negaret simpliciter hominem mereri gratiam vel gloriam, aut ex meritis dignum esse gratia vel gloria, & concederet cum limitatione Apostolorum & scripturarum, hominem non mereri regnum cælorum, nisi ex

Thom. Vualdensis sententia qualis fuerit.

gratia & voluntate largitoris, & Deum non attendere meritum nostrum, neq; rationem congrui vel condigni, sed suā gratiam & misericordiam: tamen si bene aduertantur, quæ idem ibi postea dicit cap. 9. non negat actus nostros esse meritorios etiam vitæ æternæ, immo eam dicit dari nobis pro meritis: sed hoc tantum indicat se velle, vt huiusmodi omnibus assertionibus adiungeremus, *Ex gratia Dei*. Itaque si diceremus nos posse mereri gloriam, non hoc simpliciter & sine addito dicamus, sed adiungamus, *Ex gratia Dei*: ne videamur excludere gratiam Dei, sine qua nulla sunt merita. De reliquijs enim Pelagianorum & Gentilium ait tractum esse, vt merita asseramus sine additione gratiæ, & in iniuriam Saluatoris videtur cedere, quod tacita ipsius gratia, tam multa disputamus de meritis. Sed de causa nostrorum meritorum hoc loco non disputamus. Certum enim est, eam esse vnicam gratiam Dei: ea enim seclusa, nihil possumus apud Deum mereri, tantum abest vt mereri possimus gratiam ipsius vel gloriam: neque negamus conueniens esse, vt sic semper nostros temperemus sermones, vt gratiæ Dei omnia videamur adscribere, sicut par est, potius quam nobis. Verum hoc loco tantum contendimus, quod etiamsi non addamus hoc verbum, *Ex gratia Dei*, vel aliquod aliud simile, verissime possumus concedere, actus bonos iustorum, meritorios esse apud Deum, & per eos illos vere mereri beatitudinem: &, si modo sanus teneatur sensus, neque credatur, nos hoc habere ex nobis, & non ex gratia Dei, trepidare non oportet in huiusmodi assertionibus: nullus enim prorsus est, neq; esse debet in his timor. Neq; enim, vt falso quidam affirmant, fastuosum est meriti vocabulum, sed Christianæ potius modestiæ conueniens: neque obscurat, sed illustrat magis diuinam in nos benignitatem: & sine vllo offendiculo, eo vsi sunt omnes antiqui Doctores. Intellexerunt enim nihil derogare gratię diuinę, sed commendare potius suam in nos magnificentiam & misericordiam, vt statim monstrabimus. Sed vtcunque ista se habeant, & vtcunque de his Vualdensis & alij senserint, contra omnes qui nostram propositionem negauerint, probare eam iam firmis & luculentis argumentis tentabimus. Primo itaque argumentor sic: Beatitudo est merces promissa à Deo, & reposita sanctis propter bona opera, quæ faciunt, & propter mala quæ tolerant patienter: & absolute & sine addito, talis vocatur. Ergo talia opera, & talis eorum patientia, meritoria est beatitudinis. Habent enim se correlatiue merces & meritum, mercesque est meriti merces, & meritum mercedis meritum: & si vnum tollitur, tollitur & alterum: & posito altero, ponitur & reliquum. Si ergo beatitudo merces est operum bonorum & æquanimitatis in malis, erunt & hæc meritoria beatitudinis. Non enim maius inconueniens est, appellare ista merita, quam illam mercedem: immo necesse est, si beatitudinem appellas mercedem, aliqua signare, quæ merita sint tantæ mercedis. Quod vero beatitudo merces sit, mercesque appelletur operum bonorum, tam frequens est in vtroque testamento, vt me pene pudeat, in re adeo aperta, testimonia citare. Sed vt ad manum habeamus tela, quibus confodiantur hæretici, & catholicam fidē defendamus, citabimus aliquot testimonia scripturarum. Genesis 12. dicit Dominus ad Abraham: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. 2. Paralipomenon 15. *Erit merces operi vestro*. Prouer. 11. *Seminanti iustitiam merces fidelis* Sapientiæ 5. *Iusti autem in perpetuum viuent & apud Dominum est merces eorum*. Et cap. 2. de hoc reprehenduntur impij, quod mercedem non sperauerunt iustitiæ. Ecclesiast. 2. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra*. Et quia adueniente Christo in mundum, reseranda erat ipsius morte ianua regni cœlorum, & sancti Patres recepturi erant mercedem laborum suorum, nempe beatitudinem, Esaiæ 40 de Christo dicitur: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo*. Et Hieremiæ 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo ait Dominus*. Et Apocalypsis 22. Idem de se dicit: *Ecce venio*

Meritorum nostrorum causa, Gratia Dei.

Meriti vox Dei gratiā nō obscurat

Cōfirmatur arg. conclusio.

1 arg.

Beatitudinem operū bonorum mercedem esse.

nio cito, & merces mea mecũ est, reddere vnicuiq; secundum opus illius. Et Matthæi 5. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et cap. 10. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et Paulus apostolus in prioris ad Corinthios cap. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Sed quid moror in testimonijs nihil necessarijs allegandis? Ipse Ecclesiasticus cap. 16. opera misericordiæ meritoria pronunciat his verbis: *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* Et Paulus in epistola ad Hebræos ait, *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur,* vel, vt alij vertunt, demeretur & conciliatur, *Deus.*

Hebr. 13.

2. Argum.

Sed & secundo pro nostra conclusione argumentor sic: Quotiescunq; rex aliquis aut princeps vel respublica promittunt aliquod præmium hominibus sibi gratis, si faciant aliquod opus virtutis, tale opus dicitur ab omnibus meritorium talis præmij. Neque hoc potest negare, nisi qui ignorat penitus significationem & vsum huius nominis, *Meritum*, apud Latinos. Cum ergo beatitudinem promiserit Deus bonis operibus in multis locis scripturæ & hac ratione Paulus eam & brauium, & coronam incorruptam, & coronam iustitiæ appellet: sequitur, & iustorum bona opera meritoria esse beatitudinis. Et breuiter argumentor sic: Omnia quæ satis sunt, vt aliqua opera dicantur Latine meritoria alicuius præmij, reperiuntur in bonis iustorum operibus respectu beatitudinis. Aut ergo omne meritum tollendum est, & reijciendum est hoc vocabulum Meritum, tanquam male Latinum: aut concedendum est: opera bona iustorum, meritoria esse beatitudinis.

Philip. 3.
1. Cor. 9.
2. Tim. 1.

Et hoc argumento crediderim sanctos omnes Doctores permotos, vt passim absque vllo scrupulo mereri nos dicerent beatitudinem. Et sæpissime est hoc videre in diuo Augustino, quamuis maximus fuerit vbiq; & religiosissimus assertor gratiæ. Vnde & cap. 12. de prædestinatione sanctorũ, ita ait: *Post corpus nemo erit in corpore, nisi resurrectione nouissima, non ad vlla merita comparanda sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis horrenda supplicia.* Hæc Aug. Et Cælestinus primus in canone 12. suæ primæ epistolæ decretalis: *Tanta,* inquit, *erga omnes homines est bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* Hæc Cælestinus. Sed ne omnino sine causa videantur hæretici contrarium huius conclusionis defendere, & vt clarius ipsi⁹ veritas constet, faciam cõtra eam aliquot argumẽta in fauorẽ hæreticor.

Argum. 1 cõtra conclusionem.

Et primo quidem argumentor ex illo, quod per Lucam Dominus suos admonet: *Cum feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Si seruos inutiles nos debemus credere, & vere & ex corde asserere, etiam cum implemus Dei præcepta, quomodo ipsam eorum impletionem meritoriam nobis tanti præmij, quantum est beatitudo, audemus dicere? An non vtilissimũ est, tantum præmium mereri? Si & illud debemus etiam de nobis affirmare, cum exequimur Dei mandata, Quod debuimus facere, fecimus: quomodo nobis hoc arrogamus, vt ea opera meritoria beatitudinis æternæ dicamus? Quãdoquidem qui, quod debet facere, facit, non nouum meretur præmium id faciẽdo, sed satis habet, si satisfaciat debito, cui erat obnoxius. Et confirmari potest hoc argumentum hac ratione: Omnia opera nostra bona, dona quædã sunt Dei. Et hoc nomine & propter immensa alia, & innumera ipsius in nos beneficia, ei sunt summo iure debita. Non ergo nouorum sunt vnquam præmiorum meritoria. Non enim apud aliquem nouum præmium meremur per nouum munus ab eo nobis collatum. Secũdo ad idem argumentor: Nihil est asserendum à Christiano, quod Christi gloriæ & meritis deroget. Detestandæ n. cuiusdam ingratitudinis hoc esset, & nihil posset esse magis alienũ à nostra ꝓfessione. Sed cõcedere, nostra opa esse meritoria beatitudinis, derogat gloriæ

1. Argum.
Luc. 17.
2. Argum.

gloriæ Christi, asserere & nostra quoque opera ex ipsius gratia, & vt innituntur ipsius meritis, esse meritoria. Stat enim, & nihil omninus ei & solida, illæsaque & illibata, & integra manet sua ipsius peculiaris & propria gloria: quæ non in hoc consistit, vt solus nostram gloriam meritus fuerit, sed in hoc, quod solus à se habuit, vnde illam mereretur, & solus à se eam nobis meruit. Immo magis Christum glorificamus, asserentes nostra opera ex ipsius gratia & meritis esse meritoria. Cedit enim in ipsius gloriã, quod non tantum nobis meruerit beatitudinem, sed & meruerit, vt & nos quoque nobis mereremur nostram beatitudinem. In quo & efficaciam virtutemque maiorem suorum meritorum ostendit, & quam nihil nobis nostram gloriam inuideat, immo quanto plus quam nos ipsi, eam augere cupiat, & nos suæ gloriæ participes efficere, manifeste monstrauit. Neque hoc dicentes, minus ei solide & ex asse imputamus nostram gloriam. Fatemur enim, ab ipsius nos meritis habere totam gloriam, quam meremur: neque partem à nobis, partem ab ipso, sed ab eo prorsus totam. Ipse siquidem dat, vt mereamur: & nostra merita, solum, quatenus illius meritis innitũtur, merita dicimus. Et quia bonorum laborum gloriosus est fructus, & diuinissimum est, Dei cooperatorem fieri, vt Dionysius dicit 3. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, hoc ipso nos ei plus debere confitemur, quod non solum cõcedimus ab eo nos habere totam gloriam, sed & asserimus nos eam habere ab ipso, præcellentiori modo & nobis magis honorifico, nempe per merita nostra ipsius meritis innixa. Et hoc non ex insufficientia meritorum Christi procedit, sed ex affluentia & redundantia ipsorum potius. Cum enim digna essent merita Christi, vt pro eis daretur nobis gloria, & cum meritis nostris, & sine illis, vtcunque hoc ipse voluisset: quia tamen hoc magis commendabat sua merita, & nostram gloriam magis augebat, voluit in hoc tantum valere sua merita, vt adulti iustificarentur aliquibus operibus ab eis in id positis: & iustificati, proprijs etiam meritis, satisfacerent pro suis delictis, & beatitudinem suam obtinerent. Vnde & Paulus inquit: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia.* Coloss. 1 Quia licet passiones Christi nouerat sufficientissimas fuisse ad satisfaciendum pro nobis sine vlla nostra satisfactione, si hoc ipse voluisset, tamen sciebat eum noluisse suas passiones nobis valere, aut applicari, nisi nostris etiam & meritis, & satisfactionibus suis adiunctis: atque ideo quo ad sufficientiam quidem pro omnibus eum satisfecisse, sed quo ad efficaciam non pro omnibus, sed necesse esse, vt & pro se quisque, & qui plus posset, etiam pro alijs satisfaceret.

Et admirandum in hoc est diuinæ sapiẽtiæ consilium. Vt enim ipse gloriam suam habuit & ratione vnionis personalis, & propter sua merita: ita & suos quos nouerat patrem præsciisse conformes fieri imaginis filij sui, voluit & gloriã habere propter ipsius merita, & propter nostra, quæ à Christi meritis efficaciam sortiuntur, quoniam *Christus consummatus super lignum crucis, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Hebr. 5

Ad 3. arg. Ad tertium argumentum patebit respõsio ex dicendis in quæstione proxima.

Ad 4. arg. Ad quartum argumentum: Stultum & illicitum est, in nobis ipsis confidere, cum non modò operari quidpiam boni, quod oculis Dei placeat, sed nec cogitare quidpiam tale possimus, nisi ex gratia Dei. Sufficientia enim nostra ex Deo est. Et quanquam multa faciunt homines iusti meritoria opera beatitudinis, verissime tamen dicitur, non oportere quenquam in suis meritis fiduciam adipiscẽdę beatitudinis collocare. Et hoc quidem, ne cuiquam dubiũ sit, possumus tripliciter persuadere. Fiducia in operibus non ponenda.

Primo enim impediri potest omne humanum meritum, quandiu hîc viuimus, à superuenientibus peccatis. Nullius enim nostram potest simpliciter mereri confirmationem suam, aut perseuerantiã in gratia. Cum ergo ad perseuerandum necessaria sit nobis misericordia diuina, semper in ea, & non in nostris meritis, collocanda nostra fiducia est. Secundo: Nemini pos-

sunt euidenter, immo neque certo & indubitato cōstare sua merita. Nullus enim potest satis certo in hac vita scire, bona esse sua opera, nullaque ex parte diminuta, aut aliquod habentia adiunctum, quod ea faciat vitiosa. Et vbi hoc de aliquibus operibus constet, vt quidem potest per fidem & lumen naturale constare, certe nemini potest esse certum se esse in gratia Dei. *Quis enim*, ait Salomon *potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et Iob merito dicit: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et ibidem: *Si habuero quippiā iustum non respondebo: sed meum iudicem deprecabor.* Et prudentissime vir ille desideriorum: *Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Prou. 20. Iob 9. Dan. 9.

Et vt multum quis profecerit in via Domini, aliquando exultando dicet: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* & paulo post necessarium erit clamare cum Publicano: *Domine propitius esto mihi peccatori.* Aliquando nimio cordis iubilo dicet: *Quid mihi est in cælo, aut à te quid volui super terram?* & Domino auertente se paululum, cogetur clamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et innumerabilia sunt, in diuinis literis passim occurrentia, quæ alternis vicibus, vel exultando de nostris bonis, vel mœrendo de nostris malis, à filijs Dei necesse est dici, defectu & profectu alternante vsque ad nostri corporis mortem, vt non simus confidentes in nobis, sicut Apostolus dicit, sed in Deo qui suscitat mortuos, & solus sanctificat quem vult. Cum igitur tam incerta sint homini sua merita, haud quaquam conuenit in eis fiduciā suæ salutis constituere. Tertio: Si quis confidat, aut confidere se dicat in suis meritis absolute & sine aliqua commemoratione gratiæ diuinæ, videtur sibi potius, quam illi, suam salutem adscribere. Hoc autem superbum & stultum est. Opera enim iustorum meritoria, non tam ab ipsis, quam à Christi meritis, & à diuina acceptatione, & à gratia, qua à Deo in illa adiuuantur, habent quod sint meritoria: & in potestate diuina est, ea nō acceptare ad beatitudinem.

Psalm. 115. Luce 18. Psalm. 72. Rom. 7. Opa; quod sint meritoria, vnde sit.

Coronat enim suos Dominus in misericordia & miserationibus. Non igitur conuenit, sic absolute in eis fiduciam constituere, sed ab eo potius totos pēdere, cuius vnius miseratione peruenire possumus ad terram illam desiderabilem, de cuius possessoribus in figura dictum est: *Neque enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.* Psalm. 43

Quanquam autē ista verissima sunt, si quis tamen probabili quadam, & non arroganti, neque inani, sed vera persuasione crediderit se in gratia Dei esse & fuisse, & nonnulla bona opera in eo statu fecisse, atque ideo in meritis suis fiduciam hoc pacto posuerit, vt credat se & confidat, propter illa, habiturum aliqua beneficia à Deo, & tandem ipsam beatitudinem, saltem si non illa peccato aliquo superueniente impedierit, ea fiducia vituperanda non est, si modo his verbis non excludat merita Christi, aut gratiam diuinam, à quibus illa habent totum suum valorem & acceptionem, sed intelligat se in suis meritis fidere, quatenus meritis Christi & gratiæ Dei innituntur. Immo non solum iusti, sed & qui diu fuerunt in peccatis, si incipiant pœnitentiam suorum peccatorum, & in ea pœnitentia, vt à gratia Dei procedit, & misericordiæ diuinæ meritis Christi innititur, fiduciam suæ salutis cōstituerit, ea fiducia reprobanda non est. Nō est enim vnde illa reprehendi possit, cum neque superba sit, neque arrogans, aut in Dei misericordiam & gratiam contumeliosa. Et in iustis orit ex testimonio bonæ conscientiæ, & attestatione illius qui testimonium sæpe reddit spiritibus eorum, quod sunt filij Dei: & hac fiducia sæpe eos exhilarat, leuat, solatur, & confirmat in suis tribulationibus. In peccatoribus vero ista fiducia nascitur ex certa persuasione misericordiæ & veritatis diuinæ. Et ipsæ sacræ literæ ad huiusmodi fiduciā hortantur, cum monent confidere in Domino. Confidere enim sic in operibus, non est aliud, quam confidere in Domino. Vnde & Dauid, ne sibi aliquid imputare videretur, præmisit quidem, *Saluum me fecit, quoniā voluit me:* sed Psalm. 17

Fiduciæ piorum modesta & minime arrogās. Fiducia in iustis vnde oriatur.

& mox

& mox confidenter adiecit, *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: Quia custodiui vias Domini, neque impie gessi à Deo meo.* Et Paulus fretus testimonio illo suæ bonæ conscientiæ, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui:* fiducialiter adijcit, *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Et Ioannes apertissime dicit, *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* Atque ideo fortassis, quantum recordari possum, non eos damnat scriptura, qui in suis operibus confidunt, sed eos duntaxat, qui confidunt in seipsis, in sua virtute, in sua potentia, in multitudine diuitiarum suarum. Neque dehortatur à fiducia in nostris operibus, sed á confidentia in nobisipsis: vt ex his intelligeremus, fiduciam in bonis operibus, posse esse sanctam & laudabilem: fiduciam vero in nobisipsis, semper esse damnabilem. Qui enim confidunt in seipsis, sua se virtute euadere mala huius vitæ, & bona alterius vitæ adipisci posse persuadēt: quod vanum & superbum est. Qui autē confidunt in bonis operibus, quæ credunt se ex Dei gratia fecisse, & propterea, vt meritis Christi innituntur, credunt se consecuturos beatitudinem, nihil sibi imputant, sed totum gratiæ diuinæ, & cum Bernardo serm. 61. super cantica. dicunt: *Meum meritum miseratio Domini.* Et ne quispiam existimet superbum esse & insolens, sic nostra nobis persuadere merita, & in eis aliquo modo confidere, vide quid ille addat statim: *Non plane sum meriti inops, quandiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Et si misericordia Domini ab æterno & vsque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid iustitias meas? Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea, nempe factus es mihi tu iustitia Dei.* Hæc Bernardus. Et si quando sancti aliqui Doctores inueniantur eos condemnare, qui in meritis suis confidunt: intelligendum illud est de illis, qui sic in suis meritis confidunt, vt excludant gratiam Dei. Et quando ecclesia in orationibus allegatis profitetur se in suis meritis non fidere, nihil aliud significat, quam se quidem non confidere in sua innocentia, neque in his quæ suis viribus potest efficere. Et hoc potest nos certos efficere, quod non de alia fiducia loquantur sancti, quia illam fiduciam de meritis proprijs insolentiæ, superbiæ, & arrogantiæ, & inani gloriæ imputant, à quibus vitijs longissime absunt, qui eo modo, quo diximus, fiduciam collocant in suis bonis meritis. Non enim sibi, sed gratiæ & veritati diuinæ, & meritis Christi innituntur. Et potest ista expositio colligi ex ijs, quæ dicunt Cyprianus & Bernardus in locis, in argumēto hoc citatis. Ambrosius libro 7. commentariorum Lucæ capit. 8. super illa verba, *Dicite, serui inutiles sumus,* & Augustinus super illum versum psal. 73. *Egenus & inops laudabunt nomē tuum.* Beda in prologo 4. libri super Lucam. Et vbi omnia alia argumenta cessarent, ad videndum non omnem talem fiduciam esse damnabilem, sufficere deberet oratio illa regis Ezechiæ: *Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* Non enim hæc oratio oculis Dei displicuit, neque prouocauit iram eius, sed placuit vehementer, & iram illius sic temperauit, vt merito ipsius & sanitatem illi contulerit, & quindecim vitæ annos adiecerit. Et si licet ei, qui fideliter alicui Domino ministrauit aliquot annos, superare nō solum stipendia sibi debita, sed & aliqua alia beneficia, neque hoc quispiam imprudentiæ tribuit, neque domini ipsi, si modo liberales & benigni sint, ingratum habent: dubitandum non est, quin & ista de nostris meritis, immo vere de suis donis fiducia, grata sit quoque apud patrem nostrū cœlestem, cuius misericordiæ & benignitatis nulla est mensura. Vt ergo ad compendiū aliquod solutionem huius argumenti reducamus, dicimus primò verissime colligi, non licere alicui confidere in seipso, & consequenter neque in suis meritis, vt ea fiducia excluderet gratiam Dei & merita Christi, vel inani quadam persuasione certos nos faceret, minimeque dubios de meritis nostris, & de nostra perseuerantia. Sed ad-

2.Tim. 4.
1. Ioan. 3
4. Reg. 20

dimus tamen secundo, licitum esse confidere in nostris operibus, vtà gratia Dei procedunt, & meritis Christi innituntur: & cōfidere quidem non solum conditionaliter, si non lapsi fuerimus, sed absolute, nos obtenturos beatitudinem & alia beneficia, quæ à benignissima Dei manu, qui ei fideliter seruiunt, possunt impetrare. Quia ad huiusmodi fidutiam satis est probabilitas, neque requiritur euidentia aut plena certitudo. Et hoc satis est, vt dicantur nostra opera meritoria, quando in eis, vt talia sunt, licet suo modo confidere, & fidutiam nostræ salutis locare.

DE MERITIS GLORIÆ EX CONDIGNO.

QVÆSTIO QVINTA.

AN fides, & alia bona opera iustorum, sint meritoria beatitudinis ex condigno. Ad hanc quæstionem, quoniam quæ sunt prælibanda, tractauimus in proxima quæstione, breuiter respondeo hac conclusione.

CONCLVSIO.

Conclusionem qui authores approbent.

Opera bona iustorum, non solum sunt meritoria beatitudinis, verum & sunt illius meritoria de condigno. Hæc conclusio est communis apud Doctores Scholasticos, & eam tuentur sanctus Thomas in prima secundæ, quæstione centesima quartadecima, articulo 3. & in commentarijs Pauli ca. 4. & 8. ad Romanos. Sanctus Bonauentura in secundo, distinctione 27. quæstione vltima. Richardus de Mediauilla, in quarto, distinctioue 46. articulo primo, quæstione prima. Scotus in primo, d. 17. q. 1. articulo 1. & alias non raro.

Scholastici Doctores contra conclusionem quid sentiant.

Est autem non solum contra hæreticos, quos in proxima quæstione citauimus, sed & contra nonnullos Catholicos authores nobiles inter Scholasticos Nam Gregorius Ariminēsis in primo, distinctione 17 quæstione prima, articulo secundo, tenet nullum esse in nobis meritum de condigno respectu beatitudinis, & sanctos viros per bona opera, quæ ex gratia faciunt, non eam mereri de cōdigno, sed tantum ex cōgruo. Durandus etiam de sancto Portiano, in primo, distinctione 17. quæstione 2. & in secundo, distinctione 27. quæstione 2. & in tertio, distinctione 18. quæstione 2. idem tenet, absolute concedens nullum esse meritum de condigno apud Deum, nisi forsan large accipiendo hunc terminum. Marsilius etiam idē tuetur in secundo. Thomas etiam Vualdensis in insigni illo libro, quem edidit de Sacramentalibus, Cap. 7. idem defendit. Et Burgensis in additionibus super psalmum 35. in eadem est sententia. Ideoque ait dictum à psalmista, *Domine, in cælo misericordia tua*: quia ibi maxime relucet misericordia Dei, quia nullū est meritum, respectu tanti præmij, de condigno. Accedit & horum Doctorum sententiæ Ioannes Eckius in centurijs de prædestinatione.

Probatur argumento conclusio

Sed vtcunque ista se habeant, pro nostra conclusione argumentor sic: Opera bona iustorum, habent omnia quæ requiruntur, vt sint meritoria de cōdigno respectu beatitudinis. Ergo absque vllo timore possumus ea dicere, sic esse meritoria beatitudinis. Antecedens huius discursus, probatur: Vt opus aliquod dicatur meritorium alicuius præmij de condigno, satis est vt iam diximus, si sit dignum tali præmio, & præmium sibi debeatur ex lege vel promissione eius, qui adhortatur ad tale opus spe talis præmij. Et si hæc non sufficiant ad meritum de condigno, raro vel nunquam inueniemus meritum de condigno, etiam inter homines. Hæc autem repetiuntur omnia in operibus bonis iustorum respectu beatitudinis. Nam & opera ipsa ex hoc, quod amicorum Dei sunt, & fiunt ex gratia & impulsu Spiritus sancti inhabitantis ipsos, digna profecto sunt beatitudine, & de lege debetur eis ipsa beatitudo. Promisit enim eam Deus illis beatitudinem, vt patet ex testimonijs pro prima conclusione citatis. Et de integro hoc potest confirmari ex Euangelica illa parabola patrisfamilias, qui operarios misit in vineam suam, conuentione cum eis facta ex denario diurno. Denarius enim hic diurnus, sicut exposuere Origen. Hieronymus, Augustinus, Gregorius,

gorius, Chrysostomus, beatitudo est, cuius promissione & conuentione Dominus vult nos in Ecclesia ista militante pro sua quenque portione laborare in executione suorum mandatorum. Cum igitur opera bona iustorum, & digna sint beatitudine, & Deus eam illis promiserit, erunt profecto meritoria ex condigno ipsius beatitudinis. Et confirmari hoc potest: Deus dabit secundum legem suam beatitudinem ipsis sanctis propter opera bona quæ faciunt. Dicet enim his, qui à dextris erunt in die iudicij, vt habet Matthæus: *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere &c.* In quibus verbis cum iudex iustissimus apponat opera bona pro causa sententiæ de beatitudine, manifeste indicauit se eam dare propter bona opera. Et alias non contingeret maior beatitudo facienti meliora opera, contra illud Pauli: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit.* Cum ergo beatitudo secundum legem diuinam absque dubio cótingat propter opera, & iuxta eorum varietatem maior sit aut minor: quid obstat, quo minus ea dicamus ipsius meritoria?

Matth. 25.

2. Cor. 5

2. Argum. Secundo etiam argumentor pro eadem conclusione. Supposita amicitia diuina & lege de retribuenda beatitudine operibus iustorum, vera inuenitur æqualitas inter opera iustorum & beatitudinem. Augetur enim valor operum iustorum per gratiam & promissionem diuinam, & efficiuntur tanti precij. Vide admirandam Dei in nos misericordiam & benignitatem: efficiuntur inquam tanti precij, vt minimum illorum, quantuncunque imperfectum sit, æternæ gloriæ habeat valorem. Si ergo æqualitas est, erit & condignitas, & meritum de condigno. Nihil enim amplius ad condignitatem requiritur, quam æqualitas. Et confirmatur hoc: Si operibus nostris ex natura sua deberetur beatitudo, vere illa essent meritoria ipsius de condigno. Sed non habent modo minorem valorem per gratiam & promissionem diuinam, vt patet, quia non minoris valoris esset argentum, quam aurum, si rex statuto suo faceret argentum tantum valere, quantum valet aurum ex natura sua: & promissio vel lex diuina potest operibus nostris tantum valorem impartiri, respectu beatitudinis, quantum habent respectu aliorum præmiorum leuiorum, immo & quantum haberent, si natura sua essent monetæ, vt sic dicam, pretium & valorem habentes beatitudinis. Et non solum hoc potest promissio diuina, sed vere hunc valorem iam impartita est operibus bonis iustorum. Non potest enim non dare illis beatitudinem, si non reuocet legem, aut faciat, si quidem hoc fieri possit, ea non fuisse, vel non fuisse ab habentibus suam gratiam: Vere ergo modò opera iustorum bona, meritoria sunt ex condigno beatitudinis, perinde ac si hoc haberent ex natura sua. Et augeri ista & declarari possunt magis hoc modo: Aliquantum valoré tribuit nostris actibus Deus per amicitiam & promissionem suam, non autem minorem quam sit valor beatitudinis: hunc enim poterat dare, & voluit dare, vt suam decebat in nos benignitaté. Sunt ergo nostri actus, valoris beatitudinis, & consequéter ipsius, meritorij ex condigno.

Tertio & eadem conclusio probari potest hoc pacto: Sancti sunt digni beatitudine. Ita enim de eis Sapiens dicit: *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Et Paulus ad Thessalonicenses dicit eos pati & sustinere tribulationes, quas patiebantur, vt digni haberentur regno Dei, pro quo eas patiebantur. Et ad Colossenses: *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Et Apocalypsis tertio de quibusdam Sardicensibus, qui non inquinauerunt vestimenta sua, scribitur: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Cum ergo istam dignitatem non tantum habeát à Christo, sed eam habeant propter sua opera, vt facile potest colligi ex testimonijs citatis, quia quo quisque habet meliora opera, eo dignior est beatitudine, vel, quod idem est, eo maiori beatitudine est dignus: sequitur, & ipsa opera meritoria * esse digna beatitudinis, & consequenter etiam de condigno. Non est enim distinctio inter dignum & condignum, vt supra diximus.

Tertia probatio. Sap. 3

Coloss. 1

forte * esse beatitudinis de digno, &

Et quidem si opera nos dignos efficiunt beatitudine, neque in hoc vlla ambiguitas est, nescio cur quispiam timeat dicere, opera esse beatitudinis meritoria de digno vel de condigno. Nihil enim vno alterum est amplius.

4. Argum. Quarto, si aliquid obstaret, quo minus diceremur mereri ex condigno beatitudinem, maxime esset illud, quod nostra bona opera dona sunt Dei, & ipsa gratia donum est Dei, & lex ipsa de beatitudine, donum est Dei, & collatio ipsa beatitudinis, gratuita est, & libere fit, immo gratia est. Sed hæc omnia concurrunt, vt in tertio, si Dominus dederit, disputabimus, in meritis humanitatis Christi, & tamen non propterea est dubitandum, quin merita Christi fuerint merita de condigno, vt contra Durandum clare ostendemus in tertio. Ergo licet sit magna disparitas inter nostra & Christi merita, saltem propter hæc non est negandum, merita nostra esse merita de condigno. Eisdem enim rationibus negabitur, & merita CHRISTI esse merita de condigno.

Oppugnatur conclusio. Sed vt ista magis innotescant, impugnabo hanc conclusionem aliquibus argumētis.

1. Argum. Rom. 8 Et primo quidem argumentor contra eam ex Paulo, constantissime dicente: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Si non sunt condignæ, quomodo meritoriæ possunt dici de condigno: cum hoc plus significet, aut certe non minus quam illud? Et confirmatur hoc: Nulla est æqualitas inter bona opera sanctorum, & beatitudinem. Incōparabiliter enim & cognitionem nostram, & desiderium excedit beatitudo, iuxta illud Pauli: 1. Cor. 2 *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum:* & dilectio etiam minima patriæ excedit vehementer maximam etiam dilectionem viæ, iuxta illud: Matth. 11. *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.* Si nulla igitur æqualitas, neque ergo aliqua condignitas: & consequenter nulla opera nostra meritoria, debent dici de condigno.

2. Argum. Secundo: Deus præmiat bona opera supra condignum, & punit mala citra condignum, vt in cōfesso est apud omnes Theologos, & velut prouerbio iactatum. Non ergo opera sanctorum sunt de condigno meritoria beatitudinis, saltem totius quæ dabitur Sanctis.

3. Argum. Tertio: Inter nos & Deum non proprie potest esse iustitia. Siquidem neque est inter filios & parentes, neque inter dominos & seruos, & nos arctiori iure debemus nostra omnia, & nosipsos ipsi Deo Ab ipso enim habemus quidquid sumus, & ipsa bona quæ facimus, dona ipsius sunt. Si igitur inter nos & Deum non est proprie iustitia, neque erit meritum de cōdigno. Dat enim meritum de condigno, ius & iustitiam ad præmium, cuius est meritum. Alias nulla erit differentia inter meritum de congruo, & meritum de condigno.

Et confirmatur hoc: Deus non debet iustis beatitudinem propter eorum opera, quantumcunque sancta sint: neque illa obligant Deum, neque Deus propter ea tenetur dare beatitudinem: sed posset, etiam nō obstantibus quibusuis, & quantisuis sanctorum meritis, eam non dare. Benigne enim & liberaliter eam dat, cuicunque dat. Rom. 11 Et sicut Apostolus dicit, *Nullus ei prior dat, vt retribuatur ei.* Ergo non sunt ipsa opera bona iustorum, meritoria beatitudinis ex condigno, sed ex gratia & benignitate Dei, & cōsequenter tantum ex congruitate quadam & condecētia. Si enim essent meritoria beatitudinis de condigno, iam nos priores ei aliquid redderemus, vt ipse retribueret nobis, & per illa constitueretur Deus nobis debitor. Rom. 4 *Ei enim qui operatur*, ait Paulus, *merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

4. Argum. Quarto stare contra nos videtur illud Pauli ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna.* Quod enim ex gratia est, ex debito non est. Quod autem ex meritis de condigno est, ex debito est, & secundum debitum redditur. Si ergo vita æterna ex gratia contingit cuicunque illa conceditur, sequitur nemini eam contingere ex debito, aut meritis de condigno. Et profecto dignum videtur pōderatu dictum hoc esse ab Apostolo, cum statim prædixisset stipēdia peccati esse mortem.

rem. Ita enim ait. *Stipendia peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.* Hac autem diuersitate videtur indicasse, non ita ex condigno vitam æternam cadere sub merito ex condigno, ac mortem sub merito peccatorum nostrorum. Alioqui non opposuisset stipẽdio gratiam, sed & vitam æternam dixisset etiam stipendium, si eam meremur ex condigno. Stipendium enim illa erit nostrorum meritorum. Et hæc videtur glossa indicare, quæ ideo dicit hæc dicta à Paulo, vt intelligeremus Deum ad vitam æternam pro sua miseratione nos perducere, nõ nostris meritis. Sed & aliquanto clarius hoc dicit Diuus Augustinus in Enchiridio: Qui tractans hæc verba Apostoli, sic ait: *Intelligendum est etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid aliud quam gratia pro gratia redditur?* Hæc Augustinus. Quod si gratia pro gratia, & non iustitia pro gratia, non ergo gloria ex merito de condigno.

Argumenta contraria refelluntur

Istis tamen argumẽtis non obstantibus, nos nostram tuebimur conclusionem. Ad primum ergo dicendum, opera iustorum dupliciter posse considerari. Ac primo quidem considerari possunt secundum suam perfectionem naturalem, & quatenus sunt à libero arbitrio secũdum vires nostras naturales, vel etiam secundum aliquod Dei auxilium speciale, antecedens gratiam gratum facientem, & amicitiam diuinam: & sic manifestum est, nulla opera nostra condigna esse beatitudine. Longissimo enim interstitio exuperat beatitudo valorẽ omnium talium nostrorum operum, sicut & virtutem nostram naturalem.

Possunt tamen secundo considerari opera iustorum secundum perfectionem supernaturalem, quam habent à gratia, & à Spiritu sancto inhabitante animas ipsorum. Et si quidem sic considerentur, possunt etiam dupliciter considerari, videlicet, aut secundum valorem quẽ ex ea perfectione supernaturali omnibus alijs seclusis haberent, aut secundum valorem, quem supposita ea perfectione supernaturali habẽt ex lege, & promissione diuina, & si quidem considerentur seclusa lege & promissione diuina: quanquam scio non deesse Doctores, qui dicant, ea esse condigna beatitudine, & meritoria ipsius de condigno, quatenus fiunt voluntarie propter Deum ex caritate, quam in nobis Spiritus sanctus facit, vel quod idem est, quatenus à gratia Spiritus sancti procedunt: tamen, mature omnibus hinc inde pensatis, adhuc crediderim non esse condigna beatitudine vlla opera nostra. Licet enim maior multo sit valor operum nostrorum, vt sunt à gratia & à Spiritu sancto, tamen adhuc non videtur æqualitas inter ipsa & beatitudinem, & cõsequenter neque condignitas. Est siquidem congruitas & condecentia quædam, vt operibus, quæ sunt à gratia & à Spiritusancto, respondeat gloria & merces æterna, qualis decet filios Dei. Est enim Spiritus sanctus, vt ait Paulus, pignus hæreditatis nostræ, & quos inhabitat, mouet in vitam æternam, iuxta illud Ioannis: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Gratia ẽt velut semen est gloriæ, & per gratiam & Spiritũsanctum consortes sumus diuinæ naturæ, adoptamurque in filios Dei, quibus ex ipso iure adoptionis debetur hæreditas, iuxta illud Pauli: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Si autem filij, & hæredes.* Sed quantuncunque ista magna sint, & valorem operũ iustorum vehementer augeant, tamen adhuc multo inferiora sunt beatitudine, neque exæquare videntur æternum illud gloriæ & beatitudinis pondus. Atque ideo etiam de istis operibus secundum istam perfectionem supernaturalem potuit, vt credimus vere, dicere Paulus non esse condignas passiones huius temporis, quantæcunque & qualescunque illæ sint, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si vero considerentur secundum valorem, quem Deus dedit operibus iustorum sic perfectis ex promissione sua & condicto, siue ex lege, quam fecit de retribuenda beatitudine istis operibus, & mouendo ipsos iustos per sua bona opera in eam beatitudinem, tunc vere condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam. Aequalitas enim iam aliqua est inter ipsa & beatitudinem, quando illa omnia habent, quæ requiruntur

2. Cor. 1.

Ioan. 4.

Roman. 8.

Opera quomodo respectu ex condigno mereantur beatitudinem.

tur ex lege Dei, vt eis respondeat beatitudo. Et B. Pauli verba exponēda sunt de operibus nostris secundum valorem, quem habent à perfectione sua naturali, vel supernaturali, seclusa lege ista, & liberali Dei promissione. Non enim eo spectabat Paulus, vt minueret valorem, quem opera iustorum habent ex pacto & condicto liberali Dei: sed eo potius, vt minueret valorē, quem opera nostra habent à nobis, quantuncunque sancti simus. Et cum iudicaret inæqualia esse, quæ hîc patimur, & minora multo ipsa beatitudine, aperte voluit docere, non debere esse graue, quod statim indixerat: *Si tamen compatimur, vt glorificemur.* Ad quod satis erat dicere, magnopere excedere gloriam, quæ nobis est reposita, omnes passiones huius vitæ, & ex se impares valde esse ad tantum & tam excellens præmium, neque esse aliquid causæ, vt vel iniquissimus iudex debeat iudicare iniquissimam legem, quam Deus statuit, vt per labores & tribulationes ingressus pateat ad gloriam. Vnde & in statim adiunctis satis habuit ostendere hunc excessum beatitudinis ad nostra opera, ex eo, quod ab vniuersa creatura expectatur tēpus illud, quo reuelabitur gloria filiorum Dei. Atque ita est intelligendus ille mirificus verbi Dei præco Chrysostomus, cum ait. Quid dignum facimus in hoc seculo, vt participes Domini nostri in regnis cœlestibus fieri mereamur? Ita & alij præcellentes Doctores qui sæpe dicunt, nos esse indignos tanto præmio, neque debere nostris viribus aut meritis imputare tantum beneficium, sed soli gratię Dei. Et fortè Doctores qui dicunt opera nostra esse condigna beatitudine, & meritoria ipsius ex condigno, sic considerentur, vt procedunt à gratia Spirit. sancti, hoc ideo dicunt, quia iam supponitur facta esse lex & promissio de his, & per gratiam Spiritus sancti secundum istam legem simus amici, & adoptamur in filios. Atque ego ita crediderim Sanctum Thomam esse interpretandum, cum his similia dicit in 1.2 quæst. vlt. art. 3. & in commentarijs tertij & octaui capituli epistolæ ad Romanos Si enim aduertamus quæ alijs in locis dicit, & præsertim in primo & secundo art. quæst. 114. primæ secundæ, clare patet, ipsum non ponere aliam condignitatem, nisi eam, quæ est à Deo ordinante operationes iustorum ad consequendum beatitudinem vt mercedem earum. Et per hæc patet, quid dicendum sit ad confirmationem.

Eademque via respondere possumus ad secundum argumentum. Cum enim dicitur Deus præmiare sanctos supra condignum, intelligendum hoc est de condignitate, quam habent opera eorum à perfectione sua siue naturali, siue supernaturali, non autem de condignitate quam habent ex lege & pacto diuino. Et gratis omnino crediderim dici, quod quidam dicunt Deum ex benignitate sua adijcere sanctis aliquem gradum beatitudinis supra eos, qui ex lege respondēt ipsorum operibus. Cum enim ipsa beatitudo longissime excedat omnem valorem nostrorum operum, & in hoc satis indicetur benignitas Dei in nos, qui & legem de mensura adeo superesfluēti statuerit, nihil opus est & alios etiam gradus adijci ad eos, quos meremur per opera, ad manifestandum Dei liberalitatē. Et Doctor Subtilis in 1. d. 17. quæst. 1. art. 1. tantum dicit, forte Deum præmiare ex mera liberalitate vltra id, ad quod de cōmuni lege actus esset acceptandus. Quandoque, dicit, non semper. Et si certi aliqui gradus semper adijciuntur, cur non & eos, sicut & alios sub meritis nostris comprehendemus, cum hoc ipso quod Deus perpetuo hoc facit, de lege videantur respondere nostris meritis? Et cum non maior liberalitas vel benignitas Dei in nos vna via quam altera ostendatur, cur non etiam credatur Deus eos comprehendisse sub illis, quos benignissime statuebat respondere nostris actibus? Decet quidem magnificos & liberales principes, supra id, quod opera suorum merētur, aliquod velut auctarium bene de se meritis adijcere. Sed vbi præmium aliquod certum statutū est, quod longe exuperet valorem omnium meritorū, & sæpe etiam

2. argum. diluitur.

etiam aliquid ei præmio adijcere, neque iustum est, neque conueniens, sed pluralitas liberalitatum fine vlla necessitate. Similiter etiam, cum dicitur puniri malos citra condignum, nequaquam hoc est sic intelligendum, quasi puniantur leuius, quam statuerit Deus eos puniri, hoc enim quandam includere videtur repugnantiam, aut certe dissonantiam ad legem communem: sed ideo malos credendum est puniri citra condignum, quia leuiores Deus statuit pœnas omnibus peccatis, q̃ ipsa peccata mereātur.

3. Argum. isoluitur. Ad tertium argumentum dico, optime quidem conuinci rationibus in eo allatis, inter nos & Deum nequaquam esse stricto iustitiam: fatemurque tribus nominibus esse magis attenuatum ius nostrum ad gloriam, quam sit ius, quod filij habent ad aliqua præmia conferenda eis à suis parentibus, immo & quam sit ius seruorum ad aliqua habenda à suis dominis propter obsequia eis præstita: quod quidem tenuissimū est. Excedit enim ius diuinum supra nos, ius paternum & dominatiuum: quia exuperat gloria multo plus nostra opera, quam possint excedere præmia parentum vel dominorum, merita filiorum vel seruorum. Et nos multo plus obnoxij & adstricti Deo sumus, quam sint vlli filij suis parentibus, & quam serui omnes suis dominis. Neque mereri apud Deum possumus, nisi ipse det vnde mereamur. Neque enim inuenerit quod exigat, nisi donauerit quod inueniat, vt pie & pulchre ait Aug. Atque ideo dictū putamus à Paulo: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quia nihil habemus quod Domino demus, nisi munera sua, & hæc ipsa munera de se digna non sunt, vt præmium aliquod apud Deum mereantur, præsertim tantum, quantum est beatitudo. Sed cum his stat, vt mereri possimus de condigno beatitudinem ex promissione, qua se Deus benignissime voluit nobis adstringere, inito nobiscum pacto de conferenda beatitudine, si quidem bene operemur. Neque maius aliquod in operibus sanctorum ponimus respectu beatitudinis, asserentes ea esse meritoria de condigno, quam istud, quod ei placuit ex sua benignitate nostris operibus & nobisipsis impartiri. Sicut enim cum populo Israelitico pepigit fœdus de introducendo eum in terram promissionis, & prosternendis ante eum omnibus suis hostibus, vt patet Exo. 23. & 24. & ad Heb. 9. immo de faciendo eum populum excelsiorem cunctis gentibus, vt patet Deut. 26. & 28. si quidem seruaret mandata ipsius: ita & cum omnibus modò iniuit fœdus & pactum de introducendis illis in regnum cœlorum, quod vere est terra promissionis, & terra viuentium, si quidem seruent mandata ipsius. Et hoc pactum annunciauit sæpe per seipsum, sed apertissime cum adolescenti cuidam dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Annunciari etiam præcepit vbiq; terrarum fœdus istud inter nos & ipsum initum cum alibi, tum vero apertissime cum dixit suis Apostolis: *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero nō crediderit, condemnabitur.* Et ius istud ad beatitudinem, fundatū in ipsius promissione & lege, sufficere dicimus ad meritum de condigno, supposita operum dignitate, quam habent iusti ex habitatione Spiritus sancti, & ex gratia, quæ fit in eis fons aquæ salientis in vitam æternam. Est etiam & vnum aliud in operibus iustorum, propter quod nullus deberet timere ea dicere esse meritoria de condigno beatitudinis. Innituntur enim meritis Christi, qui absque dubio meruit omnibus suis membris beatitudinem ex condigno. Et quicunque saluantur, membra prius efficiuntur Christi, vt saluentur. *Nemo enim ascendit in cœlum,* sicut ipse dicit Nicodemo, *nisi qui descendit de cœlo.* Et necesse est in vnitatem Christi concurrere, & quodammodo vnum cum eo fieri, vt saluemur, & Christus ipse ascendat in cœlum, qui descendit de cœlo. Atque ideo quatenus operationes iustorum Christi innituntur meritis, suntq; operationes quodammodo Christi ipsius, quia suorū membrorum condignitas certe est inter ipsa & beatitudinem, saltem supposita lege & promissione diuina.

Rom. 11. Matth. 19. Marc. 16. Alia ratio opera cur meritoria &c. Ioan. 3.

Ad confirmationem huius tertij argumenti respondent quidam, non esse neces- S. Bona. in 2. dist. 27. q. vlt.

 sarium

satium ad meritum de cōdigno, vt præmiū,
cuius est meritum, sit ei debitum : sed satis
esse, si meritum sit dignum tali præmio, &
ex ordinatione diuina tale præmium sem-
per respondeat ei merito. Alij concedunt,
propter merita de condigno Deum consti-
tui debitorem gloriæ, sed sibi, sed suæ legi,
sed suæ promissioni, non nobis. Sed credi-
derim non esse inconueniens, concedere
cum Doctore nostro Subtili, & cum D.Bo-
nauentura, & Richardo, & alijs, Deum ex
sua lege & promissione debere eam iustis.
Paulus enim beatitudinem repositam sibi
pro suis laboribus, appellauit coronā iusti-
tiæ, & eam sibi à iusto iudice reddendam
constanter asseruit. Et ad quosdam ita ait:
Heb.6. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis ve-
stri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius,
qui ministrastis sanctis, & ministratis.* Et 2. ad
Tim. 2. *Fidelis sermo*, ait: *Nam si commortui su-
mus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabi-
mus: si negauerimus, & ille negabit nos: si non cre-
dimus ille fidelis permanet: negare seipsum non po-
test.* Quod si corona est iustitię beatitudo, &
ad iustum iudicem spectat eam reddere be-
ne certantibus, & cursum consummatibus,
quod satis expressit Paulus illis verbis, *Re-
posita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi
Dominus in illa die iustus iudex.* Non enim sine
causa, iustitiæ & iusti iudicis meminit. Si &
Deus seipsum negare non potest, & perin-
de fideliter vitam & regnum se confitenti-
bus ore & opere præstat, ac negat se negan-
tibus, & iniustus non est, vt obliuiscatur
tribulationum, quas pro illo quis suscepe-
rit: quid superest, nisi vt vere credamus, &
dicamus ipsum ex sua lege & promissione
debere nobis beatitudinem, & nostra ope-
ra vere esse illius meritoria condigno,
quandoquidem eam merentur & obtinent
ex iustitia? Sed ita tamen oportet & so-
brie, & religiose, nostros semper tempera-
re sermones, vt dicentes Deum debere iu-
stis beatitudinē, indicemus hoc esse non ex
dignitate operum, quæ faciunt ipsi, sed ex
misericordia & benignitate Dei nimia, qui
non contentus dare beatitudinem, sed et-
iam ad eam nobis dandum adstrinxit,
vt & ea re nos magis exaltaret, & suā in nos

Loquendū de meritis operum religiose.

benignitatem apertius commendaret; cer-
tioresq; nos de ipsa redderet, & potentius
inflecteret ad eam promerendum. Hisce e-
nim de causis & similibus, & vt misericor-
dia ipsius, & veritas siue iustitia non tātum
in hac via, sed & in termino splendescerent,
meritoria nostra opera fecit esse beatitudi-
nis ex condigno. Quod si cui non satis vi-
dentur ista, quæ diximus, vt audeat intrepi-
de Deum dicere debito: esse nobis eorum
quæ nobis promisit, vt omnem dimoueat
scrupulum, neq; trepidet, vbi nullus est ti-
mor: audiat quid dicat D. Aug. ser. 151. de
temp. *Laudemus*, ait, *fratres Dominum, quia eius
fidelia promissa retinemus, nondum accepimus. Pa-
rum putatis, quia promissorem tenemus vt iam de-
bitorem exigamus? Promissor Deus, debitor factus
est bonitate sua, non prærogatiua nostra.* Et idem
ser. 16 de verb. Apost. *In his quæ iam habemus,
laudemus Deum largitorem: in his quæ nondum ha-
bemus tenemus debitorem. Debitor enim factus est,
non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit,
promittendo.* Hæc ille. Et in can. 18. Conc. A-
rausic. 2. ita diffinitum est: *Debetur merces bo-
nis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur,
præcedit vt fiant.* Hæc ibi: Siue tamē dicamus
Deum debere sibi, vt det iustis beatitudinē:
siue asseramus Deum illā eis debere, quod
in idem sane recidit, cauēdum nobis est, ne
concedamus quod infertur, nempe Deum
non posse non conferre iustis beatitudinē.
Sic enim Deus se adstrinxit ad impartien-
dum beatitudinem eis, vt integra & solida
eis libertas maneat ad non dandum. Potest
enim Deus à quocunque iusto gratiam au-
ferre, & ea non ablata, potest eum non bea-
tificare: quia potest facere, vt gratia nō fue-
rit gratia, aut saltem vt non reddiderit ha-
bentes acceptos ad vitam æternā. Valet et-
iam Deus, & in sua habet potestate facere;
vt nunquam se adstrinxerit ad dandum ali-
cui beatitudinem, vt in 1. sententiarū latis-
sime disputabimus. Atque ideo verum est,
Deum non debere iustis beatitudinē in eo
rigore iustitiæ, quo debent homines opera-
rijs, suis laboribus perfunctis, mercedem
de qua cum eis conuenerint. Itaq: inter nos
& negantes opera iustorum esse meritoria
de condigno, non est quæstio de re, quo ad
hoc,

Augustini testimonia pro meritis operum.

Dei potentia.

hoc, an Deus possit non dare beatitudinẽ. Vtriq; enim hoc fatemur Deum posse: sed quæstio est de nomine, an his non obstantibus debeant dici meritoria nostra opera ex condigno. Et nos dicimus iure talia debere dici, & Deum vere debere illis beatitudinem, quia supposita amicitia & promissione diuina, condigna sunt beatitudine, & valorẽ habent æqualem ei, neq; Deus posset beatitudinem pro illis non concedere, nisi eam haberet potentiam ad præteritum, vt reuocare posset suas promissiones, & opera nostra facere non tanti fuisse valoris, quanti fuerunt & sunt. Et quidem D. August. 4. contr. Iul. Pelag. cap. 3. nihil veritus argumenta ista, aperte dicit Deum fore iniustum, si non ad ipsius regnum verus admitteretur iustus.

4 Argum. diluitur.

Ad quartum argumentum: Ideo Apostolus gratia Dei vitam æternam contingere dixit, quia licet illa cadat sub merito etiam de condigno, postquam semel admissi fuerimus ad Dei gratiã, tamen ex gratia admittimur ad Dei amicitiã, & ex gratia in ea seruamur, & ex gratia dantur nobis auxilia ad merendum eam, & ex gratia facta est lex, per quam eam possimus mereri, & ex gratia ea lex perseuerat, & ex gratia eum impartitur & conseruat valorem in nostris operibus, & ipsa bona merita nostra, quædam gratia sunt Dei. Iustissime igitur tacere potuit nomen *Meriti*, & solo vti nomine *Gratiæ*, vbi tanta & tam multiplex splendet gratia, vt iure magis sit dicenda misericordia & liberalitas, quam iustitia. Vnde & regius psaltes inquit: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Et Aug. in De gratia & libero arbitrio, ideo gratiam dictam ait ipsam vitam æternam, quia licet operibus redditur, ipsa tamen opera gratia sunt, adeo vt non tam Deus dicatur coronare merita nostra, quam dona sua. Et conuenientissime Paulus vitam æternam gratiam appellauit. Agebat enim cum Romanis nouiter conuersis, & alioqui superbissimis, quibus commodius erat gratiam, quam meritum, commẽdare. Vnde & glossa statim ante verba in argumento citata, dicit: Potuisset recte dicere: Stipendium iustitiæ, vita

Psal. 102.

æterna: sed maluit dicere, *Gratia Dei vita æterna*: vt intelligeremus Deum ad æternam vitam pro sua miseratione nos perducere, non meritis nostris. Et sunt hæc verba glossæ, sumpta ex August. cap. 9. De gratia & libero arbitrio. Et ipse D. Aug. in testimonio illius iam citato, licet dicat opera nostra munera Dei, & beatitudinem gratiam appellet, tamen & idem nostra ex gratia opera, merita sæpe vocat. Intellexit enim beatitudinem posse varijs rationibus appellari gratiam, & coronam iustitiæ. Et peculiariter cap. 13. De correctione & gratia: *Gratia*, inquit, *vita æterna vocatur, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini*: Et cap. 5. De gratia & lib. arbitr. de Pelagianis dicentibus gratiam vitæ æternæ nostris meritis reddi, ita dicit: *Si merita nostra sic intelligerent, vt ipsa dona Dei cognoscerent, non esset reprobanda eorum sententia.*

QVÆSTIO VI.

De meritis iustificationis.

AN fides, & alia opera concurrentia ad iustificationem peccatoris, meritoria sint ipsius iustificationis? Et pro parte quidem affirmatiua illud stare videtur argumentum commune: Si nullum meritum antecedit iustificationem peccatoris, acceptor igitur personarum esset Deus, cum vnum iustificat, non alium. Nam acceptio videtur personæ, cum alicui confertur beneficium aliquod, posthabito altero, si non in vno est illius maius meritum, quam in altero. Hoc enim est respicere & accipere personam, non causam. Et si nulla sunt merita iustificationis, nullus peccator magis merebitur iustificari, quam alius. Cum igitur ex multis scripturæ testimonijs constet, Deum non esse acceptorem personarum, ex eisdem videtur consequenter colligendum esse aliqua merita antecedere iustificationem, vt sit aliquid ex parte omniũ, qui iustificantur, cur ipsi potius iustificentur quam alij.

Probabiles rationes à parte affirmante.

Pro parte autem negatiua stare videtur vtriusque instrumenti pagina, quæ gratis & absque argento & vlla commutatione, & ve-

& vere pro nihilo ſaluari & iuſtificari nos aſſerit,

Ordo in explicatione huius quæſtionis.

Pro plena ſolutione huius quæſtionis,& earum omnium quæ tractandæ ſuperſunt, quæ quidē ad hanc ſpectant, licet claritatis cauſa à nobis diſtinctæ ſint, præmittam primo quaſdā ſuppoſitiones ſeu adnotamenta. Secundo ad quæſtionem iſtā ſimpliciter & abſolute reſpondebo, & reſponſionem apertis argumentis firmabo. Tertio ad apparentia, quæ contra fieri poſſunt, argumēta reſpondebo. Volo enim, quantum tenuitas noſtra præſtare hoc poterit, accuratius tractare & diſputare dubium iſtud de meritis iuſtificationis noſtræ; quod iam inde ab vndecim retro annorum centurijs, & aliquanto amplius, feliciſſima & præclariſſima ingenia vehementer diuexauit.

Pugnantes tres de hac quæſtione opiniones.

Notandum igitur eſt primo, tres celebres, de hac quæſtione præceſſiſſe ſententias. Quidam enim ſimpliciter & abſolute conceſſerunt, iuſtificari peccatores ex meritis. Alij econtrario abſolute aſſeruerunt neminem iuſtificari ex meritis, nullaque prorſus merita antecedere gratiam iuſtificationis. Alij vero mediam quandam ſecuti ſunt viam, concedentes cum poſterioribus, peccatores non iuſtificari ex meritis de cōdigno, ſed interim dantes hoc prioribus, quod tamen iuſtificentur ex meritis de congruo. Et primam quidem ſententiā,

Pelagianorum error.

vel potius errorem, defenderunt olim Pelagiani tempore Innocentij primi. Vt enim refert fortiſſimus hæreticorum malleus Auguſtinus in cap. 88. lib. de hæreſibus, inter cæteras, quas illi defenderunt, hæreſes, & hanc quoque aſſeruerunt, Gratia Dei ſecundum merita noſtra datur. Et in libro de prædeſtinatione Sanctorum, c. 13. hoc eſſe dicit Pelagianorum, vt gratiam Dei non dari, niſi ſecundum merita noſtra, contendant. Et in principio Hypognoſticon, inter alios errores Pelagianorum & Cœleſtianorum, & hunc quoque computat, meritis operum à Deo gratiam vnicuiq; dari. Et in c. 8 lib. 4. contra Iulianum Pelagianum, dicit Pelagium in Palæſtinorum epiſcoporum cognitione damnaſſe hanc ſententiam. Et in libro De gratia Chriſti contra Pelagianum & Cœleſtium c. 3. refert eum hanc hæreſim abiuraſſe & condemnaſſe in Palæſtino concilio: ſed hoc quæritur, quod in libris quos edidit, pro libero arbitrio, nihil aliud ſentire comperiatur, quā in quod damnaſſe videbatur. Et c. 31. eiuſdē libri ex ipſiſſimis illius verbis in epiſtola ad Innocentium Papam, oſtendit reuocaſſe eum, quod damnauerat. Et in c. 5 De gratia & lib. arb. ex poſterioribus illius libris fallaciter eum dicit anathemat zaſſe, ne videlicet anathematizatus inde exiret. Atque ita lib. 1. contra Iulianum Pelagianum, ſeductos fuiſſe dicit ab eo 14. Orientales epiſcopos, qui eum Catholicum pronunciarunt, exiſtimantes eum vere anathematizaſſe, quæ anathematizauit. Et in libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 4. idem quæritur, quod in libro De gratia Chriſti. Et cap. 19. ficto eum corde id damnaſſe, ne damnaretur ipſe videlicet, & hoc ipſum conuincit c. 5. libri ſecundi, quia Pelagiani fatum nos aſſerere contendebant, nomine gratiæ, quia dicimus gratiam, non ſecundum merita noſtra dari, ſed ſecundum miſericordiſſimam Dei voluntatem. Et id nobis ab eis obiectum eſſe, cap. 8 lib. 4 contra Iulianum Pelagianum, rurſus affirmat. Et libro quarto contra eaſdem epiſtolas cap. 6 iterum ait, non corrigendo, ſed timendo, Orientales iudices eam ſententiam damnaſſe. Et Innocentius Papa huius nominis primus, in epiſtola, qua reſpondet quinq; epiſcopis, qui ad eum de Pelagio ſcripſerant, aperte videtur hoc ipſum innuere. Dicit enim, ſibi perſuaderi non poſſe, quod ſe tota virtute in eo concilio purgauerit, neque ſe ea de re aliquod fide dignum teſtimonium à Patribus, qui in eo concilio conuenerant, accepiſſe. Eandemq; ſententiam

Pelagii in errore ſucceſſores.

poſt Pelagium Britonem, defenderunt Iulianus & Cœleſtius, vt cōſtat ex libris, quos aduerſus eos edidit idem Auguſtinus, & poſtquam hæc hæreſis opera præcipue Diui Auguſtini, & authoritate ſedis Apoſtolicæ extincta fuit, denuo bis ſuſcitata eſt in Anglia, referēte Beda in eccleſiaſtica hiſtoria. Reuixit & poſtea in Scotia, teſte magiſtro Thoma Bradabaerdino decano * Londoniarum,

niarum, in summa contra Pelagianos. Qui & asserit, in eodem errore fuisse Cassianum sed prospere à Prospero ea de re castigatũ. Tribuere videtur & errorem istum Iosephus Saducæis, & ante illos Nemrod, cum dicit eos suasisse, non Deo, sed propriæ virtuti felicitatem adscribere.

Secundæ sententiæ assertores.

Secundam vero sententiam tuetur apertissime S. Thomas flos nimirum Theologiæ Scholasticæ, in 1.2 quæst. 114. art. 5. & in cõmentarijs Pauli ad Rom. c. 4. in quibus locis constanter asseuerat & confirmat, nullum esse in peccatore meritum suæ iustificationis, neq; ex congruo, neq; ex condigno. Et eandem sententiam tenent noster Nicolaus Lyranus, super Ioannis primum caput, Thomas Vualdensis in libro de sacramentalibus, & valẽs ille Gregorius Ariminensis, maximus & studiosissimus Diui Augustini propugnator, in 2. distinct. 26.

Tertiæ opinionis authores.

Tertiam vero opinionem defendunt Theologi recentiores, Gabriel, Maioris, Almaynus, & similes: & ante illos, ne adeo noua existimetur, videtur iam tempore doctoris Subtilis fuisse hæc opinio communis in scholis. Quanquam enim in secundo distinctione 5. statim in principio dicit, quod si gratia data fuisset angelis bonis ex meritis vel præuisis, iam gratia nõ esset gratia: & in quodlibeto 17. articulo 2. apertè asserit, ad hoc quod aliquis actus sit meritorius, requisitum esse, vt sit specialiter Deo acceptus, tanquã dignus eo præmio, quod est reddendum pro eo: & ex his quę subdit, solum videtur ponere actus meritorios in habentibus caritatem: tamen alias sæpe actus prærequisitos in adultis ad suam iustificationem, indifferenter vocat de positiones, seu merita de congruo, ad remissionẽ peccati, vt potest peculiariter in eo videri, in quarto, distinctione 14. quæst. secunda, art. 2. & in primo, d. 17. q. 1. art. 1. litera GG. dicit, attritum mereri ex congruo iustificationem. Et Diuus Bonauentura, licet in secundo, distinctione 28. in dubijs circa literam magistri, dicat non contingere, vt quis mereatur primam gratiam, quia est fundamentum omnis meriti, & donum pure gratuitum, tamen ex illis quæ ibi subnectit, & alibi dicit, satis indicat se ista intelligere de merito ex condigno, & non de merito ex congruo. Et vtcunque hi Doctores senserint, certe ipse magister sententiarum, quãuis aliqua dicat in secundo, distinctione 26. ex quibus videri posset tueri primam gratiam, qua homo iustificatur, non cadere sub merito, tamen aperte in distinctione 27. quarto, quinto, & sexto capite, tenet eam cadere sub merito, & aliqua hominis merita eam præcedere.

Gratia iustificationis tripliciter accipi.

Vt autem videamus, quæ istarum opinionum magis amplectenda sit, secundo præmittendum est, gratiam iustificationis tripliciter posse accipi. Primo quidem, pro gratia gratum faciẽte, qua formaliter iustificamur, & efficimur iusti & amici Dei. Secundo vero, pro gratia gratis data, qua Deus nos adiuuat, & peculiariter mouet, vt ea efficiamus quæ prærequisita sunt, vt obtineamus gratiam & amicitiam ipsius, recõciliemurque ipsi. Tertio gratia iustificationis potest accipi generaliter, vt sub se comprehendit gratiam in prima & secunda significatione, ita vt gratia iustificationis dicatur, quidquid gratis à Deo fit vt nos iustificemur. Et hoc pacto videntur Patres nostri in Concilio Mileuitano loqui de gratia iustificationis, & D. Augustinus in libris, quos multos edidit, contra errores Pelagianorum. Vehementer autem refert, sic, an sic de gratia iustificationis loquamur. vt postea videbimus. Et nisi istarum gratiarum distinctionem bene aduertamus & intelligamus, multa videbuntur nobis in sacris Doctoribus contraria, quæ tamen nullam inter se contrarietatem habent. Ideoque istam distinctionem bene notari, & mandari memoriæ cuperem ab omnibus, qui in lectione sacrorum authorum versantur: & non obiter, neque per trãsennam, sed exacte & ad vnguem, quid sit probabilius in hac materia, vel argumento potius de iustificatione, nosse cupiunt. Si autem quis quærat, quo inter se differant, gratia gratum faciens, & gratia gratis data, sciat gratiam gratum facientem habitum esse quendam supernaturalem, & diuini prorsus ordinis, quem Deus infundit ani-

Gratia gratum faciens à gratis data, quid differat.

minibus nostris, quotiescunque nos sibi reconciliat, & ad suam gratiam amicitiamq; admittit, vt per illum sic simus formaliter ei grati & amici, vt albedine sumus albi, & cognitione cognoscentes, & fide fideles. Gratia vero gratis data, non habitus est, sed auxilium quoddam speciale & peculiare ipsius Dei, quo Deus peculiariter adiuuat, & potentius mouet & inflectit potentias nostras, vt ea facere possimus, & facilius faciamus, quæ sunt necessaria ad iustificationem nostram. An istud auxilium diuina voluntas sit, an potentia executiua, an modus aliquis voluntatis vel potentiæ, & quibus differat à generali concursu, quo Deus ad omnia quæ fiunt, concurrat, nihil necesse est hoc in loco disputari. Quidquid enim in his dicatur, solutionem quæstionis quam modo tractamus, non variabit, & alioqui de his in secundo sententiarum, distinctione 26. qui locus huius disputationis proprius est, copiose, Deo propitio, agemus.

Catholici cum hæreticis in quibus conueniant differantque ab eis.

Tertio aduertendum est, tria esse in hac quæstione certa, & neque inter Catholicos, neque inter hæreticos, neque inter nos & illos vnquam, quod sciam, controuersa: Duo vero esse sola, de quibus dubitatum olim est, & adhuc dubitatur, & vtrinque certatur. Et primum quidem, apud omnes certum est, aliqua esse opera vel passiones, quibus Deus peccatores paulatim trahit ad salutem, quibusque ipsi suæ saluti & iustificationi suo modo cooperantur. Certum enim est, peccatores sensim ac velut gradibus quibusdam trahi ad gratiam diuinam fide misericordiæ diuinæ & remissionis peccatorum, fide regni cœlorum & inferni: spe beatitudinis, & timore pœnarum, quæ peccatoribus decretæ & paratæ sunt: horrore & pœnitudine peccatorum, operibus misericordiæ & religionis: & nonnullos flagellis, nonnullos beneficijs diuinis, aliosque exemplis & orationibus aliorum. Nouit enim sapientissimus & peritissimus nostræ salutis artifex, quæ quibus tanquam pharmaca magis conueniant, vt sanemur, quibusque commodius & suauius, qui nulli vult vim inferre, inflectere & emollire possit, & ad se trahere nostras rebelles voluntates. Et ex his quædam ipse in nobis sine nobis operatur, quædam & à nobis vel simpliciter, vel etiam adiuncto aliquo præcepto requirit. Sine fide enim, immo & sine pœnitentia vel formali, vel virtuali, impossibile est peccatorem aliquẽ placere Deo. Dissimulat enim peccata hominum propter pœnitentiam. Et nisi pœnitentiam egerimus, incidimus in manus ipsius.

Secundo certum & indubitatum apud omnes est, congruum esse & fuisse, vt Deus, qui nouit figmentum nostrum, nostrę; fragilitatis est conscius, quique sanabiles fecit nationes orbis terrarum, confugientes ad suam clementiam recipiat, sinumq; suæ paternæ misericordiæ illis aperiat, & ad suam gratiam admittat, neque despiciat eos, qui amarè dolent de suis peccatis, & omni humilitate & fiducia ipsius opem & misericordiam implorant. Nulla est enim neque gratior, neque honorificentior virtus in principe, quam misericordia: neque est aliquid, quod diuitias suæ eximiæ & incomparabilis bonitatis apertius nobis commendare queat, quam gratuita peccatorum iustificatio. Vnde & Diuus Hieronymus, referente Diuo Bonauentura, aperte dicit: *Nulla maior iustitia est, quam ignoscere pœnitenti, & ad misericordiam reuertenti, misericordiæ sinum aperire.* Et Diuus Augustinus audacter aliquando dixit: *Si Deus non reciperet confugientes ad se, esset in eo iniquitas.* Et beatus Anselmus in capite decimo Proslogion: *Cum punis, ait, malos, iustum est, quia illorum meritis congruit: Cum parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis, sed quia tuæ voluntati & bonitati condecens est.* Et ipse Dominus per Esaiam suauissime & amantissime dicit: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: Quiescite agere peruerse, discite bene facere: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Esaiæ 1. Perinde enim videtur ista dixisse, ac si se argui & reprehendi impune permitteret, si ista facientes non reciperet ad suam gratiam, & beneficijs eos prosequeretur. Vnde & subdit: *Si fuerint*

fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.

Deus nō tenetur neq; obligatur ad aliquem iustificandum, vt aliter facere non possit

Tertium etiam videtur certum esse, & quidem, vt mihi videtur, etiam manifestum in lumine naturali, Deum non teneri, neque obligatum esse ad iustificandum aliquem, & eum recipiendum in suam amicitiam & regni cælestis hereditatem. Et longe aliter sentit, quam par est, de diuina maiestate, & de humana infirmitate, qui putat posse quempiam mortalium, etiamsi nulli culpæ esset obnoxius, facere sibi debitam amicitiam diuinam, & ingressum ad regnū cælorum. Et quanquam Diuus Augustinus sic sæpe impugnat Pelagium, vt videatur ei tribuere nos posse facere debitam nobis gratiam diuinam, tamen quatumuis falsa & intolerabilia Pelagius dixerit, adduci nō possum, vt credam ipsum hoc concessisse, vel concessurum fuisse vi alicuius argumēti. quod tam aperte repugnat lumini naturali. Si enim nullus nostrum vim potest facere alicui homini, aut eum volentem nolentem compellere, vt nos amet, & suorū nos bonorum omnium hæredes & participes faciat: quomodo verisimile sit, nos, qui non solum vermiculi, sed tanquam nihil sumus, collati ad diuinam celsitudinem, posse facere, vt teneatur ille nos iustificare, & ad gratiam suam recipere? Equidem intolerabile prorsus apparet, siue hoc quod gratis nos acceptet, siue per solam suam voluntatem, siue etiam per gratiam aliquam creatam, posse nos tantum apud eum mereri, vt teneatur ille dare nobis vitam æternam.

Neque crediderim, Diuum Augustinum hoc credidisse de Pelagio. Immo ob id fortassis hoc inferebat ex dictis ipsius, vt quoniam illos non credebat in tantā insaniam aut impudentiam venturos, vel hoc nomine ab alijs suis placitis discederent, quod ex illis hoc tantum & tam absurdum inconueniens sequebatur. Et profecto, vbi inter nos & hæreticos non semper conuenerit de hoc, certe Catholicis nunquam dubium fuit de hoc, neq; esse potuit. Quin & aliud videtur Catholicis omnibus fuisse semper & esse certissimum, nempe hoc, quod cum in Adam omnes peccauerimus, vt dicit Apostolus, nemini Deus iniuriam faceret, si omnes pro merito illius peccati damnaret: neque cuipiam remissum illud fuit, vel aliud lethale saltem peccatum, neque remitti potuit ex lege, nisi meritis & gratia Saluatoris nostri & Domini Iesu Christi qui vnus mediator est Dei & hominum, & propitiatio, & sanctificatio, & reconciliatio mundi. *Omnes enim peccauerunt.* vt ait Apostolus, *& egent gloria Dei*, id est, gratia Christi, qui gloria est patris. Et alibi, *Vnus pro omnibus mortuus est Christus.* Et infra: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et alio in loco: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Vt enim nemo ad mortem nisi per illum, ita nemo ad vitam nisi per istum, ait Augustinus. Et si ad remissionem originalis peccati & mortaliū, ipsa sibi sufficisset, stante lege Dei, humana natura, nihil profecto fuit necessaria Christi passio. Sicut enim argumētatur Apostolus contra volentes in lege iustificari, *Si ex lege est iustitia gratis Christus mortuus est:* ita & similiter argumentari possemus contra volentes in natura iustificari: Si per naturam est iustitia, & sine Christi gratia per vires naturales iustificari possumus, gratis Christus & absque vlla necessitate mortuus est. Estque hoc argumentum Diui Augustini in libro quodam contra Pelagianos, & Cōcilij Arausicani canone 21. Et ipse Augustinus super illum versum psalmi 30. *In tua iustitia libera me, & eripe me.* ita ait: *Si agat Deus tanquam veraciter ex regula legis proposita, damnandus es peccator. Hac regula si ageret, quem liberaret? Omnes enim peccatores inuenit. Solus sine peccato venit, qui nos peccatores inuenit. Hoc ait Apostolus: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Quid est Egent gloria Dei? Vt ipse liberet, non tu. Quia tu te liberare non potes, indiges liberatore. Quid est quod te iactas? Quid est quod de lege & iustitia præsumis? Non vides quid intus confligat in te, de te, aduersum te?* Hæc ille. Diffiniuitque hanc veritatem Innocentius Papa, huius nominis primus, in Rescri-

Rom. 5. Iuste Deum omnes ob originale crimen damnare posse.

Rom. 3.

2. Cor. 5.

Ibidem.

1. Co. 15.

pto ad concilium Carthaginense his verbis: *Dum l: mo sui liberi arbitrij inconsultius vtitur b: nis, in prauaricationis profunda demersus est, & nihil quemadmodum : xinde surgere posset, inuenit: suaque in æternum l. bertate deceptus. huius ruina latuisset oppressu, nisi eum postea Christi per suã gratiam releuass. t aduentus.* Approbauitque ista verba Cælestinus Papa huius nominis primus cap. 4. suæ primæ epistolæ, idemque diffiniuit his verbis: *In prauar. catione Adæ oẽs homines natur. alem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruina per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit.* Idem etiam diffiniuit idem Innocentius in epist ad Mileuitanum concilium, vbi ita ait: *Primum hominem libertas ipsa decepit vt dum indulgentius frenis eius vtitur, in prauaricationis præsumptione conciderit. Neque ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis. statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus.* Approbauitque hæc verba Cælestinus, vbi supra cap. 7. Et quamuis ex nonnullis verbis diui Augustini contra Pelagianos, & ex istis & similibus Innocentij verbis contra illos aliquis colligere possit, sic dixisse eos, sufficere posse nobis liberum arbitrium, vt si: e gratia vel meritis Christi possimus remissionem peccatorum impetrare, & beatitudinem consequi: tamen cum attente perpendo diffinita in cõcilio Mileuitano contra ipsos, & ea quæ ad Innocentium Carthaginense concilium scribit, adduci non possum, vt credam Pelagium hæc sensisse. Sed ex hoc, quod ille dicebat, sine gratia Christi posse nos per liberum arbitrium implere mandata, & recedere à peccatis, conuertique ad Deum, Augustinus & Innocentius colligebant, & non sine apparentia, quod non ind guissemus redemptore, vt eum ex hoc, quod tam aperte repugnabat scripturis, reuocarent ab eo, quod ipse tuebatur, ex quo & hoc videbatur sequi. Istis igitur vtcunque velut certissimis, & de quibus nihil sit modo disputandum, prælibatis, quarto notandum est, duo esse sola in hac quæstione controuersa. Primum est, an sufficiat liberum arbi rium, cum solo Dei generali concursu, ad ea faciendum, quæ, supposita lege diuina & satisfactione Christi, satis sunt, vt quis perueniat, vel saltem disponatur sufficienter ad gratiam diuinam. Secundum est, an ea, quibus quis peruenit vel disponitur ad gratiam diuinam, meritoria sint & appellari debeant ipsius gratiæ, si non ex condigno saltem ex congruo, ita, vt aliquo modo cõcedere possimus, gratiam primam dari adultis secundum sua merita. Quia vero ista breui expediri non possunt, ne modum excedant quæstionis, & vt omnia dilucidius habeantur, de istis dist nctis quæstionibus statim agemus. Nunc autem istis iactis fundamentis pro eis omnibus, ad præsentem quæstionem vnica huiusmodi conclusione respondebo.

In quæstione duo esse quæ sint cõtrouersa.

CONCLVSIO.

Nullus iust ficatur ex proprijs meritis, vel quod idem est, Nemini datur gratia prima secundum merita propria.

Hæc conclusio diffinita est in concilio Palæstino contra Pelagium, vt patet ex his quæ in principio huius quæstionis citauimus ex Augustino. Videtur etiam diffinita in concilio Arausicano secundo circa tempora Leonis primi, canone 17. vbi ita legimus: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas fortitudinem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus:* Hæc ibi. Ex quibus videtur diffinitũ esse in hoc concilio, merita non præuenire gratiam, ac per hoc nunquam eam dari secundum merita. Neq; debet alicui leuis esse huius concilij authoritas. licet enim generale non sit, tamen diffinitiones eius, diffinitiones sunt Apostolicæ sedis, quæ errare non potest in diffinitionib. fidei. Vt enim patet ex principio illius concilij, non nouos aliquos canones condiderunt Patres, qui in eo conuenerunt, sed transmissa sibi capitula à sede Apostolica, subscriptionibus proprijs firmarunt. Sed quoniam neque argumenta vlla pro hac conclusione ibi ponuntur, neque quibus fuerunt Patres Palæstini concilij commoti, vt Pelagium compellerent eam asserere, satis scimus, neque aliquam aliam diffinitionem pro ea, vel sedis Apostolicæ,

stolicæ, vel concilij generalis licuit inueni-re, ne aliqui eam reuocent in dubium, sicut pleraque alia iam olim certa & diffinita ab Ecclesia, reuocare in dubium hoc tempore cœperunt, ostendam hanc conclusionem certissimam esse, primo quidem testimonijs scripturę apertissimis, secundo vero testimonijs sanctorum Doctorum, tertio & aliquot argumentis collectis ex quibusdam notis partim fide, partim lumine naturali.

Ex scripturis cõcl. sio cõfirmatur.

Ex scripturis vero quadrupliciter videtur posse probari hæc conclusio.

Primo: Omnes qui iustificantur, iustificantur gratis. Ergo nullus ex meritis. Secundo: Nullus iustificatur ex debito, Ergo neque ex meritis. Tertio: Nemo iustificatur ex operibus, aut secundum opera. Igitur neque ex meritis, neque secundum merita. Quarto: Nullus reddit aliquid Deo, vt ei retribuat suam primam gratiam. Ergo nulli ea confertur ex meritis. Nescio an aliæ viæ possint ex scripturis haberi ad confirmandum hãc conclusionem. Sed præstat & ipsa scripturarum loca in med.ũ producere, & in eis aliquantisper expatiari, vt apertiora sint omnia & confirmatiora. Et quoniam in Paulo euidentior & clarior apparuit gratia diuina, dum mirabiliter ille conuersus est, quo tempore audacius, immo vere furiosius, persequebatur ecclesiam Dei, & pro quibus summo supplicio dignus fuit, beneficium, misericordiamque pro damnatione, & pro pœna consecutus est gratiam: vnde & postea ille non ingratus gratiæ diuinæ, fortissime omnium & acerrime pro ea commendanda dimicauit, intermissis aliorum prophetarum & Apostolorum testimonijs, omnia ex vnius ipsius epistolis confirmabimus.

Primus itaque locus, qui ad probandum hanc conclusionem induci potest, habetur in capitulo tertio epistolæ quam scripsit ad Romanos, vbi ita ait: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Si gratis, non ergo ex meritis, sed vt verbis dicamus Esaiæ, absque vllo argento operum, absque vllo precio meritorum, absque vlla commutatione, & quod significantissime psalmista dixit, *Pro nihilo saluat & iustificat.* Neque vocat quod adiungitur, *Per gratiam ipsius.* Tanquam enim non satis esset dixisse *Gratis*, ne quis diceret, Gratis quidem iustificamur, sed per merita nostra: addidit, vt hoc excluderet, *Per gratiam ipsius*, Hoc est, Non per merita nostra, non per iustitiam, qua merita nostra præmiat, sed per gratiam ipsius, per gratuitam & omnino indebitam voluntatem ipsius, & benignissimam misericordiam & beneuolentiam in nos. Si enim per gratiam ipsius, non vtique per merita nostra. Vnde sæpe alias ipse Paulus, vt excludat omnia merita, gratia saluatos nos & iustificatos asserit, & seipsum gratia Dei esse quod erat. Verissime enim ille potuit dicere, quod regius psaltes: *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Psal. 17.

Ne autem, dum sic constanter stabilit gratiam Dei, merita Christi eum etiam excludere existimaremus, sicut & nostra: adiecit, *Per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Non enim aduersantur merita Christi gratiæ diuinæ, quia & ipsa, eximia quædam Dei gratia in nos sunt. Quare & addit statim: *Quem proposuit Deus propitiatorem.* Dei enim gratia, non meritis nostris, datus est nobis talis inter nos & ipsum mediator, qui reconciliaret nos Deo, & propitiatio esset nostrorum omnium delictorum. Et ne aliquis neget istas consequentias, Si gratis, nõ ergo ex meritis: Si per gratiam, nõ ergo per merita: confirmare possumus totum hoc argumentum, & probare istas consequentias ex illis, quæ idem Paulus cap. 11. huius eiusdem epistolæ subdit: Cum enim vellet probare, eos Iudæos, qui suo tempore saluabantur, non iustificatos fuisse ex operibus: *Reliquiæ*, ait, *secundum electionem gratiæ, saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus. Alioqui gratia, iam non est gratia.* Vides Paulum easdem omnino facere consequẽtias, quas & nos fecimus. Vides vt prorsus contraria ex stimauit, iustificari ex operib. & iustificari ex gratia.

Cum igitur iustificari ex meritis, magis aduersetur iustificationi ex gratia quam iustificari ex operibus: plus enim meriti, & minus gratiæ significare videtur, iustificari ex

ex meritis, q̃ iustificari ex operib. si vim ipsã spectemus vocabuli, meritum: sequitur, & contraria similiter esse existimanda, iustificari ex meritis, & iustificari ex gratia. Atque ideo si iust ficamur gratis, profecto, vt iam intulimus, non ex meritis. Contraria enim ista inter se sunt. Et bene Paulus vidit hæc sibi inuicẽ aduersari. Si enim quis obtinet aliquid ex suis meritis, iam ergo eorum meritorum præcio, & non gratis, illud consequitur. Itaq; sicut Paulus contra eos, qui dicebant Iudæos iustificatos ex operibus, optime argumentatus est ex eo, quod iustificati sunt ex gratia, & si ex gratia, iam non ex operibus: ita, immo, quantum existimo, instantius & rigidius, argumentaretur contra dicentes, nos iustificari ex meritis: Si ex gratia, non ergo ex meritis. Alioquin gratia iam non est gratia. Vnde vt & manifestius istam Dei gratiam, quam nulla antecedunt merita nostra, commendaret, ad Ephesios scribẽs in Christo, dicit, nos habere redemptionem & remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis. Et paulopost addit: *Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis salui.* Ideo enim & diuitiarum gratiæ, & misericordiæ diuinæ meminit, & nimiæ caritatis suæ in nos, & nos viuificatos esse dixit, cum mortui eramus peccatis, vt intelligamus nos nullis nostris meritis, hoc tantum beneficium salutis nostræ consecutos, sed sic gratis & ex gratia esse iustificatos, vt ea nulla prorsus merita nostra anteuerterint.

Eph. 1. & 2

2. Scripturæ locus. Secundus locus, ex quo probari potest nostra conclusio, est in eadem epistola ca. 4 *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Quid enim dicit scriptura? *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundũ debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Ex istis verbis dupliciter possumus [illegible]

Primo: Omnis qui iustificatur, habet gloriam apud Deum. Nullus vero qui iustificatur ex meritis, habet gloriam apud Deum. Ergo nullus qui iustificatur, iustificatur ex meritis. Consequentia est infallibilis in secundo modo secundæ figuræ. Et maior manifesta est. Nisi enim qui iustificatur, haberet gloriam apud Deum, non vera, sed falsa esset talis iustitia. Minor vero patet ex illis verbis: *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deũ.* Si enim Abraham per iustitiam ex operibus, non habet gloriam apud Deum, neq; haberet per iustitiam ex meritis. Et si Abraham non potuit ex meritis obtinere gloriam apud Deum, neque poterit quispiam alius. Par enim est de ipso, & de alijs ratio.

Secundo ex hoc loco possumus firmare nostram conclusionem hoc pacto: Nullus iust ficatur ex debito, vt ex dictis satis patet. Ergo nullus iustificatur ex operibus, & consequenter neque ex meritis. Consequentia probatur ex illis verbis: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Patet enim ex his verbis, eum qui iustificaretur ex operibus, non iustificari ex gratia, sed ex debito. Ita enim probat Paulus, quod si Abraham iustificatus esset ex operibus, non haberet gloriam apud Deum: quia omnis qui habet gloriam apud Deum, habet illam ex gratia, & merces respondens operibus, est ex debito. Cum igitur necessarium sit concedere, neminem iustificari ex debito, necessarium erit consequenter concedere, neminem iustificari ex operibus, vel ex meritis. Consequitur enim opera vel merita debitum mercedis, & ratio gratiæ repugnat rationi mercedis: sicut & inter se opponuntur, fieri aliquid secundum gratiam, & fieri secundum debitum. Vnde & ad explicandum magis, neminem iustificari ex operibus vel meritis, subiecit statim: Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus.

Tertius locus aperte faciens pro nostra conclusione, est ad Galatas ca. 2. *Ex operibus* [illegible] Locus 3. Galat. 2.

enim nullus iustificatur ex operibus, neq; Iustifi abitur ex meritis. Perinde enim est, iustificari ex meritis, ac iustificari ex operibus: aut certe magis aduersatur gratiæ diuinæ, iustificari ex meritis, quam, iustificari ex operibus. Et ponderandum est, ad hoc ista verba dicta esse à Paulo, vt patet ex antecedentibus, vt per hæc ostenderet omne os debere obstrui, neque habere posse mortalem, vnde gloriari merito posset, & nisi gratia diuina misericorditer subuenisset, reum esse potius omnem mundum Deo, quando nullus ex operibus legis iustificari potest coram illo. Vt enim si ex operibus legis homines iustificarentur, haberét quid Deo possent obijcere, neque in totum deberent os obstruere, ita etiam si iustificarentur ex meritis. Etsi cum non iustificantur ex operibus, iustificarentur ex meritis, non sufficienter probasset, omne os debere obstrui, & reu esse omnem mundum Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Sed quia Paulus intellexit, id quod verissimum est, impossibile esse, quempiam iustificari ex meritis, si iustificari non potest ex operibus, & temperantius magisque sobrium esse, Ex operibus, quam ex meritis: & reiecta iustificatione ex operibus, reiectam etiam esse ex meritis: ideo constanter asseruit omne os debere obstrui, quia ex operibus legis non iustificabitur aliquis coram Deo.

Et consequenter in tota epistola pro eodem accepit, *Ex operibus*: pro quo nos. *Ex meritis*. Et cum vellet probare in nono ca. nullam dari causam ex parte nostra prædestinationis diuinæ, nullaque in nobis esse illius merita, contentus fuerit dicere non ex operibus Iacob fuisse dilectum, & mox adiunxit, *Sed ex vocante*, tanquam non restaret, vt vere non restabat, alia causa, vnde id posset esse, quod non erat ex operibus, nisi ex vocante. Eademque ratione cum dixisset, *Non est volentis, neque currentis*: addidit, *sed Dei miserentis*. Et infra cap. 10. hoc fuisse dicit impedimento Israeli, quô minus apprehéderet iustitiam, quia non ex fide, sed quasi ex operibus eam quærebat, hoc est, vt in secunda quæstione exposuimus, quasi ex meritis, & velut sibi propter sua opera debitam.

Quartus locus fauens eidem conclusioni, est ad Ephesios secundo: *Gratia*, inquit Paulus, *estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Perpende bene quisquis hunc legis textum Paulinum, & videbis tot pene esse testimonia hîc pro nobis, quot sunt verba *Gratia*, inquit, *estis saluati*. Si gratia, quomodo ex meritis? Et hoc non ex nobis, adiecit. Si ex nostris meritis, quomodo non ex nobis? Profecto, qui dixit, nos non saluari ex nobis: dixisset etiam & constantius, non saluari ex nostris meritis. Nam & id ex nobis est, quod ex nostris meritis est. Et ne ideo quispiam putaret, ex nobis nos saluari, quia saluamur per fidem: diligentissime hoc cauit Apostolus, adijciens fidem Dei donum esse, neque ex operibus contingere, vt ne quis glorietur. In quibus verbis satis esse indicauit, vt aliquid diceretur non esse ex nobis, si illud contingeret per id, quod prorsus Dei donum est. Quare cum opera per quæ iustificamur, Dei dona, & quidem eximia & præcellentia sint, saltem in hoc attemperare deberemus sermones nostros ad sermones Pauli, & dicere non ex nobis neque ex nostris meritis iustificari.

Quod si ipsa fides non contingit alicui ex operibus, multo magis neque ipsa gratia, quæ longissime præstat fidei. Et si per hæc amputata est omnibus omnis occasio gloriandi, vtique & amputata sunt omnibus omnia in hac parte merita. In eo enim quod ex meritis contingit, occasio non deest gloriandi. Apertiora & hæc fecit, cum adiunxit: *Ipsius sumus factura*. Ne fuis enim quis adscriberet viribus, aut industriæ, aut virtuti, non tu te, inquit, fecisti, sed ipsius es factura: & quidquid es, gratia ipsius es. Neque vacat suo pódere, quod sequitur. *Creati in Christo Iesu*. Indicatur namque in his verbis, hoc ipsum quod gratia Dei sumus, per Christum Iesum nobis contingere.

Propter ipsum enim & per ipsum defluunt ad nos beneficia diuina, nosque illa participamus. Et quod creatos nos dicit, tacite admonet, ita nobis esse spiritale, quod per gratiam accipimus, absq; vllis nostris meritis contingere, sicut & esse naturale, in quo quis creatur, quo manifestum est nulla posse priora esse merita, quia operatio essentia est, & virtute posterior. Et hac ratione, & ibidem, & alias non semel, mortuos nos dicit fuisse Paulus, tum cum eramus in peccatis. Et Ezechiel videt nos in ossibus aridis & siccis vehementer, quæ neruis, carne, & cute, & spiritibus carebant, vt intelligamus non nostris viribus, aut meritis suscitatos esse ad vitam spiritalem. Quis enim mortuorũ se exsuscitet? Sed hoc ipsum nobis per vnam Dei gratiam potest contingere, sicut & ipsa resurrectio à mortuis. Et eadem de causa Christus, apud Ioannẽ, iustificationem nostram, natiuitatem appellat: & Paulus ad Titum, regenerationẽ: & Ioannes ipse & Iacobus, generationem: vt discamus ex his, omnem nostram iustificationem & gratiam Deo soli tribuere. Quis enim se edit in lucem? Quis se generat? Quis regenerare se potest? Ideo etiam & regeneratos per hanc gratiam iustificatem, Paulus & alij Apostoli nouam creaturam & nouum hominem appellarunt. Et Dauid olim eam sub nomine creationis, & renouationis prædixerat, dicens:

Psal. 103. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*: vt vni saluatori & creatori omnium, hoc tantum beneficium integrum & solidum assereret.

Neque satis commode interpres vulgatis vertit, quod sequitur, ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, *in operibus bonis*. Quanquam enim & hoc quoque non incommode scio esse expositum ab aliquibus grauissimis authoribus, tamen commodius erat & expedientius, non sic vertere, ne inde quis ansam sumeret suis operibus imputandi suam creationem in Christo Iesu. Nihil enim magis alienum à Paulo, qui vbique eam gratiam operibus nostris abrogat, & vni Christo ex asse adscribit. Sed vertere oportebat, Ad opera bona, sicut alij Græcè doctiores vertunt, & non sensus modo, sed & ipse græcæ præpositionis, ἐπὶ, vsus magis postulabat. Ne enim nos creatos in Christo Iesu existimemus, vt dormiamus interim, & ocio languentes torpeamus, inertemque vtcunq; transigamus vitam, creatos nos admonuit ad opera bona. Et ne ipsa opera bona nobis tribueremus, adiecit tandem, *Quæ præparauit Deus*: hoc est, quæ præstituit & præordinauit Deus, dum ea lege sua docuit, & ad ea nos alto consilio voluntatis suæ destinauit, vt in illis ambulemus. Sunt etenim & ipsa opera bona beneficia quædam diuina, sub diuina clausa prædestinatione, quatenus ipsa præparatio est beneficiorum Dei, vt Aug. & copiose & erudite docet capitul. 10. De prædestinatione sanctorum. Sed nimium nos remorantur thesauri huius præcellentis apostoli. Transeamus itaque in aliud eiusdem pro nobis testimonium.

Quinto igitur probare possumus & fulcire eandem conclusionem illis verbis, quæ ad Titum scribit: *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Hæc ibi. Rogo pium & attentum lectorem. Quid est aliud dicere, *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos*: quam dicere, Non ex meritis nostris? Et vt hoc apertissimum faceret, addidit statim, *Sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Non dixit, Non ex operibus iustitiæ, sed ex operibus ex congruo. Non dixit, Non ex meritis de condigno, sed ex meritis ex congruo. Sed quid ait, *Sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Reiecta credidit præcedentibus verbis omnia merita nostra. Ideoque vni Dei gratiæ & misericordiæ salutem nostram vindicat. Vtque hoc ipsum manifestius faceret, adnexuit: *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti*, vt puderet nostra iactare merita, & agnosceremus iustificationem nostram, regenerationem esse & renouationem, non à nobis, sed ab spiritu sancto effectam. Vnde & subdit. *Quæ effudit in nos abundè*: vel sicut Hier. [illegible]li-

Quintus scripturæ locus.

Tit. 3.

significantius vertit verbum Græcum πλουσίως, *opulenter*: aut sicut August. ad Valent. & libro de peccatorum meritis & remissione cap. 27. & lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 9. optime sensum expressit, *ditissime*: vt per hæc intelligeremus, non ex meritis nostris nobis Spiritum sanctum effusum, sed secundum incomparabiles divitias gratiæ & misericordiæ diuinæ. Ne autem hoc verbo exclusa merita Christi quis autumet, sicut nostra, subiecit: *Per Iesum Christum saluatorem nostrum.* Ille enim est vnus saluator noster, ille vnicum salutare nostrum, illi imputanda est tota salus nostra. Et præter eum non est qui saluet, neque qui iustificet, & illius sola stabilire volebat merita. Vnde & subdicur: *Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Gratia ipsius ait, non nostris meritis. A gratia quippe ipsius proficiscitur, vt iustificemur. Et ex consequenti hæredes simus hæreditatis illius incorruptibilis, incontaminatæ, & immarcescibilis, nempe vitæ æternæ; conseruatæ nobis in cœlis. *Secundum spem* autem, ait: quia gloriamur nunc in spe gloriæ filiorum Dei. *Et nondum apparet quid sumus. Cum autem apparuerit, similes Deo erimus, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Sextus locus. Rom. 11. Sexto militat pro hac conclusione, quod idem Apostolus ad Rom. scribit: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Si enim nos primam ipsam gratiam, qua iustificamur, meremur: vtique damus ei aliquid priusquam iustificemur, cuius merito nobis ipse velut posterius retribuat ipsam iustificationem.

Patrū testimoniis cōclusio confirmatur. Præter hæc vero scripturarum testimonia, quæ satis debent esse, vt nemo absolute debeat concedere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, sunt & pro nobis multa sanctorum testimonia, quæ hoc ipsum luculenter confirmant. Ambros. enim fulgentissimum ecclesiæ sidus, super illa verba Apostoli, *Qui benedixit nos*: ita ait, Deus homines sic benedicit, vt donum gratiæ suæ eis impartiatur, secundum suam misericordiam. Et tractans illa verba, *Si autem gratia, iam non ex operibus*: ita inquit, Manifestum est, quia gratia donum Dei est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, misericordia interueniente, concessa. Et Hieronymus in epist. ad Damasum de filio prodigo, exponens illa verba Apostoli, *Gratia vobis & pax à Deo patre*: Gratia, dicit, quæ non ex merito retributa, sed ex donante concessa est. Sed inter omnes ecclesiæ Doctores clarissimus & inuictissimus gratiæ defensor fuit August. Atque ideo intermissis omnibus alijs, vnius huius testimonia, quæ vt plurima, ita & apertissima sunt ac validissima, contentus ero citare. Is itaque in lib. De natura & gratia, contra Pelagian. cap. 4. aperte nostram conclusionem asserit his verbis: *Hæc igitur Christi gratia sine qua neque infantes, neque ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur: Iustificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius.* Et lib. 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 2. *Quidquid aiunt,* videlicet Pelagiani, *de laude legis & liberi arbitrij, ad hoc dicunt, vt gratia non adiuuet, nisi meritum, ac si gratia iam non sit gratia.* Et lib. 3. Hypognosticon: Nullum esse hominis meritum in accipienda gratia ad salutem Paulus apostolus docet, scribens ad Ephes. *Deus autem qui diues est in misericordia &c.* Et lib. 6. tractans istum eundem locum Apostoli: *Audi,* inquit, *gratis, & tace de meritis.* Et super illum versum Psalmi 30. *In tua iustitia erue me, & exime me,* cum ostenderet neminem in sua iustitia saluari posse, sed necesse esse, vt saluemur gratis: subdit, *Quis est qui saluatur gratis?* Et ipse sibi respondet hoc modo: *In quo non inuenit saluator quod coronet, sed quod damnet: non inuenit merita bonorum, sed inuenit merita suppliciorum.* Et paulo inferius declarans illa verba Apostoli, *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum,* ita ait: *Quare gratia? Quia gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te præuenerunt.* Et tractatu 3. super primum caput Ioannis, easdem sibi quæstiones proponit, eademque prorsus respondet in hæc verba: *Quid est gratia? Gratis data. Quid est gratia? Gratis donata, non reddita.* Et Psalmum 31. vocat Psalmum gratiæ Dei, & iustificationis nostræ, nullis præcedentibus nostris meritis, sed præuenientе nos misericordia Dei nostri. Et paulo

Ephes. 1. Rom. 11. Philip. 1.

post principium enarrationis secundę eiusdem Psalmi, ita dicit: *Quia totum gratiæ eius imputatur, non meritis nostris, beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Et super illa verba, *Lætamini in Domino, & exultate iusti*: ita quærit, *Vnde iusti?* Et respondet, *Non meritis vestris, sed gratia illius.* Et rursus percontatur: *Vnde iusti?* Et respondet, *Quia iustificati.* Et in limine lib. de prædestinatione sanctorum, *Gratia Dei*, ait, *nulla est, si secundum merita nostra datur.* Et cap. 12. *Omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, vere esse gratiam, id est, non secundum merita nostra dari, euidentissime sacrorum eloquiorum testimonijs asseritur.* Et cap. 5. De gratia & lib. arb. in Pelagianos ita ait: *Laborant, gratiam Dei secundum merita nostra dari, hoc est, gratiam non esse gratiam. Quibus enim secundum meritum redditur, non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et cap. 20. *Non secundum meritum hominum gratia datur alioquin gratia iam non est gratia, quæ ideo gratia vocatur, quia gratis datur.* Et 22. cap. *Non intelligunt*, ait, *se negare gratiam, qui dicunt eam secundum merita nostra dari.* Quæ omnia non solum aperte probant nostram conclusionem, sed & mirifice confirmat omnia, quæ in primo argumento diximus, & testimonia Paulina, quibus in eo vsi sumus, luculenter elucidant. Apertissime enim in his locis indicat, quid sit gratis iustificari, & huic aperte aduersari iustificationem ex meritis. Et quanquam hæc testimonia, cum illis, quæ in principio huius quæstionis allegauimus, satis esse possunt, vt nemo dubitet conclusionem nostram certam visam esse Augustino, tamen quia præcellentissimus iste ecclesię antesignanus, non suorum tantum verborum pondere nostram sententiam confirmat, sed & loca scripturarum, quæ supra induximus, doctissime exponit, placet & aliqua alia ipsius loca his subnectere, & eo ordine, vt ad confirmationem omnium argumentorum ex scripturis seruire possint. In libro igitur de prędestinatione & gratia, cap. 8. gratiam Dei non dari secundum merita, confirmat ex illis verbis Deut. *Scies hodie, quia non propter iustitias tuas dat tibi Deus terram istam bonam.* Et

Testimonia August. conuenientia cum scriptura testimonijs superius allatis.

vt ostendat satis esse ad probandum, gratiam non dari ex meritis, quod gratia non datur ex debito: ita ait, *Quis hic secundum debitum præcedentium meritorum, mercedem redditam dicat? Quis non gratiam fateatur indebitam?* Et lib. 4. contra duas epistolas Pelagian. cap. 6. sic volunt Pelagiani intelligi quod dictum est, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*, tanquam in ipsa præcedente voluntate, sit consequentis meritum gratiæ, ac sic gratia iam non sit gratia, quæ non est gratuita, cum redditur debita. Et cap. 7. asserit gratiam non esse gratiam, si secundum merita nostra datur. Et super illa verba Psalmi 30. *Propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me*, sic scribit: *Non propter meritum meum, sed propter nomen tuum, vt tu glorificeris, non quia ego dignus sum, dux mihi eris, ne aberrem à te: & enutries me, vt validus sim ad manducandum escam, qua pascis angelos.* Et super istum versum eiusdem Psalmi, *Saluum me fac in tua misericordia*: *Hoc est*, ait, *non in mea iustitia, non in meis meritis, sed in tua misericordia, non quia ego sum dignus, sed quia tu misericors es.* Et super illud Psalmi 32. *Et in eis qui sperant super misericordia eius*, hæc illius sunt verba: *Non de meritis nostris, non de fortitudine, non de virtute, non de equo sed de misericordia eius.* Et cum exponit illud Psalmi 60. *Misericordiam & veritatem eius quis requiret?* sic dicit, *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Misericordia, quia non merita nostra attendit, sed bonitatem suam, vt peccata nobis dimitteret: Veritas autem, quia non fallit reddere quod promisit.* Hæc ibi. Et ideo crediderim Psalmistam deprecatum esse semper Deum, vt eum saluaret, eiusque misereretur secundum suam misericordiam, quoniam intelligebat nemini esse posse debitam tantam gratiam, & ideo neque ex meritis, sed ex gratuita & benigna potius Dei voluntate eam contingere. Quod & idem diuus August. aperte asserit lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 3. in hæc verba: *Nemo potest habere voluntatem iustam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram*, hoc est, gratuitam *desuper gratiam.* Et libro 2. cap. 7. ita subdit: *Bonum immerito & gratis datur, malum vero merito & debitum redditur.* Et post pusillum; *Gratia Dei vasis in honorem*

norem gratis datur: ita Dei vasis in contumeliam, pro ipsius massæ meritis. Et ibidem: *Ideo probat apud Deum nullam esse acceptionem personarum, nullamq; iniquitatem, quamuis vnum iustificet, non alium, quia Deus nihil cuiquam debet.* Et lib. cap. 4. idem affirmat his verbis: *Sicut solus ideo factus est hominis filius, vt nos per illum Dei filij fieremus: ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per illum consequeremur sine bonis meritis gratiam: quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita neque illi aliquid mali.* Hæc ibi. Ex quibus omnibus manifestum est, diuo Augustino optimum visum esse argumentum, quod secundo loco fecimus, ad probandum nos non iustificari ex meritis, quia non iustificamur ex debito.

Sed & vide, quemadmodum ei tertium quoque argumentum satis idoneum visum fuerit. Quanquam enim hoc apertissime possemus colligere ex locis, quæ ex illo citauimus in secunda quæstione, in responsione ad secundum argumentum, tamen quo res confirmatior sit, adiungere visum est quædam alia. In expositione igitur illorum verborum Psalmi 30. *In manibus tuis sortes meæ,* sic philosophatur: *Sortes dixit, quantū ego existimo, gratiam qua saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio sed voluntas Dei. Nam vbi dicitur iste facit, iste non facit, merita considerantur: & vbi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra inuenit sorte voluntatis suæ nos saluos fecit quia voluit, non quia digni fuimus.* Et paulo inferius: *Vide sortem. Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: sed Dei donum est, non ex operibus, quasi vos bene feceritis, vt ad hoc accedere digni fuissetis, non ex operibus, ne quis forte extollatur.* Hæc ibi. Et capit 5. De natura & gratia contra Pelagianos: *Qui per gratiam à debito damnationis liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur.* Vide ingenium Augustini, quia Paulus prædestinatos vocat vasa misericordiæ, inde etiam inuenit occasionē confirmandi, neminē ex operibus suis aut meritis iustificari. Neque minus efficax visum est huic præstantissimo Doctori quartum argumentum, quod ex vltimo loco quem citauimus ex Paulo, collegimus. Ex hoc enim quod gratia datur, non redditur: tribuitur, non retribuitur: probari putat, neminem iustificari ex meritis. Vnde Pelagium, dicentem, eum qui bene vtitur sui arbitrij libertate, omnem suam mortificare voluntatem, & in manu Dei cor suum ponere, vt his velut præcedentibus meritis, sic eius gratiam consequamur, vt cor nostrum, quo voluerit ipse declinet, his verbis impugnat lib. De gratia Christi contra Pelagium & Cœlestium cap. 23. *Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia, si ex debito redditur? Quomodo verum dicit Apostolus, Non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur?* Et iterum: *Si autem gratia,* inquit, *ex operibus, iam non est gratia, alioqui gratia iam non est gratia. Quomodo inquam hoc verum est, si opera tanta præcedunt, quæ nobis adipiscendæ gratiæ meritum faciant, quo nobis non donetur gratuita, sed reddatur ex debito?* Et cap. 31. quia Pelagiani dicebant, fidei merito, quam habere possumus ex libertate arbitrij, nos iustificari, ita contra illos argumentatur: *Vbi est ergo illud Apostoli, Iustificati gratis per gratiam ipsius? Vbi & illud, Gratia salui facti estis? Et ne putarent, Per opera: addidit, Per fidem. Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam: Et hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est.* Et paulopost: *Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, vt fidei videlicet reddi videatur non gratuita sed debita gratia, ac per hoc iam neque gratia quia nisi gratuita, non est gratia.* Et lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 6. de Pelagianis ita ait: *Meritum ante gratiam, & ideo iam contra gratiā defendentes, priores volunt dare Deo, vt retribuatur eis: priores vtique dare quodlibet ex libero arbitrio, vt sit gratia retribuenda pro premio.*

Rom. 3. Ephes. 2.

Et lib. 4. contra Iulianum Pelag. cap. 3. *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrū, non lapidibus, aut lignis, pecoribusve præstatur, sed rationalis natura, quia imago Dei est, meretur hanc gratiam: non tamen, vt eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, vt retribuatur illi, ac sic gratia, iam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita.* Et in libro De prædestinatione sanctorū cap. 3. *Reliquiæ, ait, per electionē gratiæ saluæ factæ sunt. Quæ vtique iam non est gratia, si eam vlla merita*

Rom. 11.

præcedant, ne iam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum reddatur potius meritis, quam donetur. Et cap. 6. ex eodem apostolico testimonio: *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt: Si autem gratia, &c.* sic colligit: *Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio: non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis.* Et cap. 15. vt infringat illam communem rationem, cur quibusdam detur gratia, & alijs non detur, si non secundum merita nostra datur: *Est etiam*, addit, *præclarißimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui vt hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparauit? Respondeant, quæso: ille homo, vt verbo patri coæterno, in vnitatem personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruerit? Quod eius bonum qualecunque præcessit? Qui egit ante? quid credidit? quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Nonne faciente ac suscipiente verbo, ipse homo, ex quo esse cæpit, filius Dei vnicus esse cæpit? Nonne filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena concepit? Nonne de Spiritu sancto & virgine Maria Dei filius vnicus natus est, non carnis cupidine, sed singulari Dei munere?* Et interpositis quibusdam alijs ipsius prærogatiuis, subdit: *Nempe ista omnia singulariter admiranda, & alia, si qua eius verißime propria dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est, nostra natura nullis præcedentibus meritis ipsius.* Et subdit: *Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundum vniuscuiusque mensuram, se per cuncta membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus, de ipso spiritu, & hic renatus, de quo est ille natus, eodem spiritu fit in nobis remißio peccatorum, quo spiritu factum est, vt nullum haberet ille peccatum.* Et paulo inferius: *Humana merita conticescant, quæ perierunt in Adam: & regnet, quæ regnat, Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati, de spiritu & virgine nasceretur. Sic & nobis, vt ex aqua & spiritu renasceremur, non tributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum.* Hæc ibi. Licet quæ eadem legere, paululum mutatis verbis, in Enchiridio eiusdem Doctoris, cap. 36. & cap. 11. de correctione & gratia, affirmat hoc ipsum, quod nulla merita humanitatis Christi, antecesserunt ipsius vnionem ad verbum. Ex quibus patentissimum est, ita certum fuisse visum diuo Augustino, nulla merita nostra antecedere nostram iustificationem, ac certum habent & habere debent omnes Catholici, humanitatem Christi non meruisse vnionem suam hypostaticã ad verbum. Licet & illud ex his colligere, quod & obiter quoque ex his inferre volebamus, nempe ad probandum, gratiam Dei non dari secundum merita nostra, bonum esse argumentum illud, quod vltimo loco fecimus: Non retribuitur gratia, sed tribuitur, non ergo datur ex meritis. Est & insignis locus diui Augustini pro his omnibus in tertio libro Hypognosticon, vbi & aliquot loca scripturæ inducit pro hac sententia, & innumerabilia esse dicit loca scripturarum, quibus aperte dicitur, Deum nullis meritis hominum gratiam suam eis dare.

Sed nimium immorati sumus, dum & nostra omnia voluimus authoritate huius præclarissimi doctoris communire, & obiter illis qui ista legerint, ob oculos simul in vnum ponere, quæcunque sunt eximia & præclara, quæ ad hoc spectarent propositum, in his libris quos statim citauimus.

Tametsi vero ista satis superque sint ad persuadendum omnibus præmissam conclusionem, vt enim de authoritate scripturarum interim taceamus, æquum est, nos vt certa & indubitata recipere, quæ tam concordi & tam constanti asseueratione nobis sancti isti Doctores tradiderunt: per eos enim & ecclesiam suam protexit Christus, & mysteria nobis sacrarum scripturarum reuelauit: tamen vt scholasticè agamus, & aliquid quoque demus lumini naturali, quod & præcellens Dei donum est, & ad hoc inter alia est nobis datum, vt quæ fidei sunt nostræ, confirmemus, illustremus tueamur, & eorum rationem sciamus reddere, Scholasticè & ex lumine naturali confirmatur conclusio.

dere, addam his aliquot argumenta in fauorem eiusdem conclusionis.

Argum. 1. Et primo quidem eam possumus probare hoc pacto: Apud homines, qui nostris operibus neque indigerent, neque iuuari possent, quique ad nostram amicitiam nullis legibus essent adstricti, mereri certe non possemus in eorum odio & inimicitia existentes, immo absolute mereri non possemus, nisi ex eorum gratia & eorum amicitia nobis benigne communicata. Cum ergo Deus bonorum nostrorum non indigeat, vt psalmista inquit, neque bonis nostris operibus adiuuari possit, neque ad nostram amicitiam vlla lege teneatur, non solum non poterimus apud eum mereri, existentes in odio & inimicitia ipsius, verum neque mereri poterimus, nisi ex ipsius gratia, eaque nobis benigne sine meritis nostris communicata.

Argum. 2. Secundo: Propter quodcunque peccatum mortale, meretur quicunque peccator æternum gehennæ supplicium, dignusque est qui perpetuo igne inferni crucietur, semotus longe ab amicitia & consortio Dei & suorum. Misericordiæque est ipsius, & non exiguæ, vt non consumamur statim, & æternis addicamur tormentis, vbi mortalem Dei offensam admittimus. Si enim respublicæ & earum principes possunt iuste exilio perpetuo, immo & morte ferire reos læsæ maiestatis, poterunt profecto iustius repelli à ciuitate Dei in perpetuum, & vinculis æternis sub caligine reseruari, qui rei sunt læsæ illius maiestatis, apud quam omnes gentes & reges, tanquam nihil sunt. Si ergo omnes peccatores digni sunt pœnis æternis propter læsam diuinam maiestatē, non igitur possunt mereri amicitiam diuinam, quæ non stat cum reatu ad pœnam æternam. Et confirmo hoc argumentum: Quidquid faciat peccator, facere non potest, quin reus sit æternæ pœnæ. Iuste enim hæc pœna constituta est, & infligi potest, pro quouis peccato mortali. Ergo quidquid faciat peccator, nisi Deus ei liberaliter condonet eam pœnam, mereri non potest suam iustificationem, per quam absoluitur à reatu illius pœnæ. Roborati etiam potest hoc argumentum hoc pacto: Nulla est proportio temporalis ad æternum. Per nullum ergo actum temporalem potest peccator mereri se absolui à reatu pœnæ æternæ, & consequenter neque suam iustificationem.

Et possunt ista omnia & declarari, & fortiora effici ex illa parabola euangelica de seruo oblato regi, qui debebat ei decē millia talenta Ea enim summa excessus indicatur eorum suppliciorum, quorum est reus peccator. Et ita significatur nobis, non posse nos pro delictis nostris satisfacere, nisi ex diuina misericordia, sicut ille seruus nō potuisset tantam summam, quā iam debebat, exoluere, nisi Rex ille benignissimus eam ei ad suas preces liberalissime condonasset. Et sicut seruum illum nemo diceret illud tantum beneficium fuisse meritū propter suas preces, ita videtur neque nos debere dicere remissionem peccatorum, quæ multo maius beneficium est, apud Deum mereri. Vnde vt & pulchre ponderat Augustinus in tertio libro Hypognosticôn, ideo apud Lucā Samaritanus qui typus fuit Christi, misericordia dicitur fuisse motus in vulneratum illum, qui descendit ab Hierusalem in Hiericho, & figura fuit peccatoris, quia in eo, vt curari dignus esset, meritum nullum inuenit.

Tertio principaliter argumentor ad idē sic: Nullum opus existentis extra gratiam Dei, est dignum ipsius gratia. Quæ enim potest esse dignitas respectu tanti & tam eximij beneficij, in peccatore præsertim, qui dignus nō est pane, quo vescitur? Ergo nullus peccator potest Dei gratiam promereri. Vt enim demus non requiri ad meritum, vt ius præstet, aut faciat debitū præmium, cuius est meritum: saltem videtur requiri, vt meritum ipsum sit dignum eo præmio, vel certe illud habentem faciat dignum illo præmio. Alioqui non videtur posse dici meritum. Præmium enim quod excedit dignitatem meriti & merentis, non quidem ex meritis dici potest contingere, sed ex benignitate cōferentis. Et cōfirmatur: Quidquid faciat peccator, nunquam erit dignus amicitia Dei, vt patet. Nunquam ergo eam meretur. Qui enim meretur aliquod præ- 3. Argum.

mium, dignus est eo. Et confirmo amplius: Quicunque iustificatur, eo ipso filius promissionis efficitur, filius beneficij diuini, filius gratiæ & misericordiæ, filius testamenti noui, & vt omnia breuiter complectamur, filius Dei efficitur, & amicus, & hæres gloriæ æternæ, & diuinæ consors naturæ, vt verbis vtamur principis apostolorum. Nemo ergo tantum beneficium mereri potest, sed vna Dei solius benignitate necesse est contingat, cuicunque id contigerit. Quod si nullus seruus, aut subditus imperatoris, tantum suis meritis arrogat, vt credat se posse mereri, vt adoptetur ab imperatore in filium, & hæredem sui imperij, neque vt amicus eius censeatur: multo sane æquius est, vt nemo nostrum suis credat meritis posse cōsequi, vt iustificetur, & Dei sit amicus, filius, & hæres. Excedit enim hoc proportionem & vires naturæ nostræ, & longe exuperat dignitatem nostram, qui prius eramus filij carnis, filij huius seculi, filij iræ, filij diaboli, immundi, peccatores, & impij. Neque vlla possunt in nobis esse merita, vt templa Dei efficiamur, & Deo optimo, fortissimo, & præcellentissimo desponsentur animæ nostræ paupercułæ abiectæ, denigratæ, & deformatæ peccatis, vt vere desponsantur, & templa ipsius efficiūtur, cum ab ipso iustificamur. Sed ne omnino sine causa videantur Pelagiani & Cælestiani asseruisse gratiam Dei secundum merita nostra dari, & quoniam tunc clarius vincit & superat veritas, quando grauibus argumentis, velut aduersantium telis impetita, triumphat, tamen ipsa & inconcussa in sua statione perseuerat, libet hanc conclusionem aliquibus argumentis non inapparentibus impugnare.

Ex Pelagianorū sententia impugnatur conclusio. 1. argum.

Primum argumentum, quod cōtra nostram primam conclusionem fieri potest, est illud, quo Pelagianos esse vsos, satis constat ex libris, quos aduersus eos multos scripsit Augustinus. Estque illud, quod in principio quæstionis fecimus: Si enim gratia nō datur ex meritis, cur vni potius datur quam alteri? Ad hoc argumentum respōdet diuus Augustinus libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, capite 7. *Nulla est iniquitas apud Deum in hoc, nulla & acceptio personarum si vnum iustificat, non alium. Deus enim nihil cuiquam debet, & licet ei, quod vult, facere.* Et hæc eadem repetit & edisserit latius quarto libro capite 6. Vt autem plenior sit & clarior solutio, dico breuiter, in gratuitis nullum habere locum acceptionem personarum, vt colligunt Doctores ex illis verbis patrisfamilias apud Matthæum: *An non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. Et alioqui nemo posset citra peccatum acceptionis personarum, ex duobus pauperibus per omnia similibus, vni dare eleemosynam, prætermisso altero. Quare cum Deus neminem teneatur ad suam gratiam admittere, sed omnes pro meritis nostrorum peccatorum possit damnare, nulla erit iniustitia, nulla & acceptio personarum in eo, ex eo quod quosdam iustificat, & non omnes. Satis enim est, quod quem non iustificat, pro meritis suis malis non iustificat, ac proinde iuste non iustificat.

Dicet tamen aliquis: Esto, nulla sit iniustitia apud Deum in hoc, quod quosdam iustificat, non omnes: cur tamen voluntas eius, quæ rectissima est, & nihil vult quod non sit rectissimum & iustissimum, cum omnes posset iustificare ex misericordia, vel secundum iustitiam condemnare pro peccato Adæ, tamen quosdam admittit ad suā gratiam, non alios. Ad hoc in primo Sententiarum, tractantes ea, quæ prædestinationis diuinæ arcanum concernunt, aliquas causas, propter quas hoc fit, conuenientissime, Deo annuente, explicabimus.

Sed interim qui sic quærit, audiat Paulum: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? An nō habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere* Rom. 9. *aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam?* Audiat & diuum Augustinum, sermone 27 super Ioannem, ita dicentem: *Cur hunc trahat, illum non trahat, noli iudicare si non vis errare. Semel accipe & intellige. Non traheris? ora, vt traharis.* Hæc Augustinus.

Et quemadmodum vbi venitur ad paruulos, & ad ipsum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, necesse est omnia humana merita conticescere:

non

non enim merita præcedentia possunt pro causa assignari, propter quam Deus hanc hominem atatem, quam modo habet, sibi potius vnierit, quam aliam: aut ex duobus paruulis per omnia æqualibus, vnum potius, quam alterum, faciat baptismi gratiam consequi: ita etiam inconueniens non debet censeri, si ex adultis hominibus per omnia æqualibus, Deus pro beneplacito suæ voluntatis quosdam eligat, vocet, & ad se pertrahat, absque vllis meritis ipsorum præcedentibus, alios vero pro suis malis meritis, in suis peccatis derelinquat. Nescio aliquod aliud argumentum, quo vsus fuerit Pelagius in confirmationem sui erroris, quod contra nostram istam primam conclusionem militet: sed vt ad viuum rem excutiamus, adiungam ipse aliquot alia argumenta pro eo, quæ nobis pro tenuitate

Authoris aliud arg. nostri ingenij occurrere. Secundo igitur argumentor. Qui facit omnia requisita ex lege vel pacto ad consequendum aliquod præmium, meretur tale præmium. Sed peccator toto corde se ad Deum conuertens per pœnitentiam, facit omnia requisita à Deo

Zach. 1 ad consequendum ipsius gratiam. *Conuertimini ad me* inquit, *& ego conuertar ad vos*. Et

Esaia 49 alibi: *Conuertimini & salui eritis*. Et alibi: *Si*

Hierem. 15 *conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis*. Et confirmo: Quantumcunque beatitudo omnia nostra excedat opera, & improportionabilis eis existat, quia tamen præmium quoddam ipsa est, lege diuina correspondens nostris operibus, vere dicimus beatitudinem cadere sub merito, & nos eam posse nostris operibus mereri. Ergo quantumcunque Dei gratia præcellat nostra omnia opera, neq; vlla ratione possimus nos tantum beneficium exæquare, cum tamen eam Deus velut præmium constituerit nostræ pœnitētiæ, & ita illam promiserit vere pœnitentibus, & secundum suam legem infallibiliter eam eis impartiatur, ac gloriam & promisit, & largitur bene operantibus: cadet illa, sicut & gloria, sub merito: & vere poterimus dicere nos eam mereri, quandocunque facimus omnia requisita à nobis, vt eam habeamus.

Solut. arg. Ad hoc argumētum sic respondeo: Dupliciter potest princeps aliquis promittere donum aliquod vel munus facienti aliquod opus: primo quidem, vt mercedem ipsius operis: secūdo vero, vt munus aliquod benignissimum, quod ipse ex benignitate sua vult ei conferre, & præter & supra dignitatem operis. Si prius horum contingat, illud opus meritorium dicetur talis præmij, non autem, si posterius, sed erit tantum dispositio quædam requisita ad habendum illud munus. Quoniam igitur Deus beatitudinē priori modo constituit respondere operibus factis in gratia, gratiam vero posteriori modo respondere pœnitentiæ: ideo licet satis sit ad meritum beatitudinis seruatio mandatorum, quam Deus ad eam requirit, non tamen satis est ad meritum iustificationis pœnitentia, licet Deus nihil amplius, vt nos iustificet, à nobis requirat. Non enim pollicitus est Deus gratiam pœnitentibus, vt mercedem & præmium ipsius pœnitentiæ. Nouerat enim, pœnitentiam non posse esse meritoriam tanti & tam præcellentis beneficij: sed pollicitus est eam pœnitentibus, vt donum quoddam eximium, & supetexcedens omne omnium nostrorum operum precium. Et pœnitentiam ad hoc beneficium exegit, non quidem vt meritū, sed vt dispositionem quandam, tollentem obicem & obstaculum, quo tanto beneficio sumus inepti. Nam quia actiones actiuorum sunt, sicut philosophus ait, in patienti disposito: & ille, cui complacent peccata, indispositus est & inidoneus valde ad recipiendum gratiam diuinam: requisiuit Deus pœnitentiam, non vt meritoriam suæ gratiæ, sed vt eam, quæ hoc tolleret impedimentum suæ in nos beneuolentiæ & beneficentiæ. Et per hæc patere potest, quid dicendum sit ad confirmationem huius argumenti: sed & vnum aliud est discrimen inter opera facta ex gratia respectu beatitudinis, & pœnitentiam respectu gratiæ. Nam minor est distantia inter beatorum & iustorum statum, quam inter statum peccatorum, & statum iustorū, & opera iustorū, ex præsentia gratiæ & Sp. sancti dignitatē habēt, qua ad ceptentū ad gloriā, quod nō est in operib⁹ extra gratiā ad salutē respectu gratiæ.

Argum. 3. Tertio argumentor ad idem: Scriptum sæpe dicit, nos ex fide & per fidem iustificari, vt patet ex præcedentibus quæstionibus. Ergo saltem fides meritoria erit nostræ iustificationis. Si enim fides non meretur nostram iustificationem aliquo modo, non est cur per illā plus dicamur iustificari, quam per alia opera, sine quibus nos iustificari Paulus dicit. Potest hoc argumentum confirmari ex Augustino, expresse dicente: *Fides meretur iustificationem.* Rom. 3. & 4.

Solut. eius. Ad hoc tamen breuiter dico: Non ideo dicimur iustificari per fidem, quia per fidē mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dicebant: sed ideo, quia fides dispositio est necessaria ad iustitiam, vimq; habet ex Dei benignitate impetrandi eam. Primus enim est motus mentis in Deum, quo diuinæ iustificationi nos subijcimus: primusq; actus iustitiæ, quem Deus in nobis operatur, vt nos iustificet. Vnde Augustinus super psalmum 66 *Per fidem, ait, iustificatur impius. id est, fit de impio pius, vt deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari, vnde omnia bona merita incipiunt.* Hæc Augustinus. Sed de his satis multa diximus in tertia quæstione De verbis autem diui Augustini citatis in confirmatione, postea in quarta conclusione quæstionis 7. videbimus.

Argum. 4. Quarto contra eandem conclusionem instari potest hoc modo: Apud hominem quantauis dignitate præcellentem, meretur ipsius gratiam qui grauiter dolet, quod eum offenderit, & veniam sui in eum delicti supplex orat, vel saltē qui pro illius honore & gloria periculo se mortis exponeret. Et credulis haberetur, & omnino inhumanus, qui non ad suam gratiam admitteret hominem adeo præclare de se meritum. Ergo cum Deus humanior sit multo & benignior, quam omnes homines, merebuntur admitti ad ipsius gratiam, qui dolent se eum offendisse, & suppliciter eum veniam sui postulant delicti, aut saltem qui pro ipsius gloria damnis omnibus & incommodis se exponunt, & quandoque mortem subeunt.

Solutio. Sed ad hoc facile dici potest: Multo maius bonum est amicitia diuina, quam amicitia hominum: & multo minus dignus est peccator reconciliatione cum Deo, quam qui offendit hominem, reconciliatione cum homine. Et homo ex lege diuina tenetur homini reconciliari, nullus tamen fuit tam insanus, vt diceret, teneri Deum ad redeundum in gratiam cum peccatore.

Quinto argumentor: Iustus potest mereri peccatori primam gratiam. Ergo multo magis peccator sibi, si faciat totum quod est in se. Consequentia probatur ex glossa super illud Matthæi 9. *Videns Iesus fidem illorū.* Quantum valet, inquit, apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra sanaret hominem? Quod si alij per fidem possunt nobis mereri primam gratiam, & per orationes suas, vt ex multis scripturæ locis constat: ergo & nos per fidē & orationes, similiaque alia opera, & eam nobis mereri poterimus. Congruit enim magis, vt quisque pro se audiatur, quam pro alio. Argum. 5.

Ad quintum: Discrimen est magnum inter iustum & peccatorem, quia iustus dignus est qui audiatur & pro se, & pro alijs: peccator autem nullam talem dignitatem habet. Atque ideo neque sibi, neque alijs meretur. Ad probationem ex glossa, dicendum: Semper plus valet fides propria: quia si gratia eam præcedat, meritoria est apud Deum de condigno, fides autem aliena tātum ex congruo. Si vero antecedat gratiā, certius obtinet, quia infallibiliter obtinet gratiam, si non sit aliunde impedimentum, non sic autem fides aliena. Non enim obtinent semper iusti, quę mereri videntur alijs ex congruo. Itaque licet nō sint opera peccatoris meritoria sibi pro se, deest enim illis dignitas, quæ non deest iustis orantibus pro ipsius conuersione, habent tamen hoc, vt frequentius & certius obtineant ipsi peccatori primam gratiam, quam orationes aliorum. Quod satis est, vt & plus aliquo modo valere dicantur apud Deum. Solut. eius. Fides propria cur plus valet quam aliena.

Sed est etiam aliud, propter quod potest dici, plus valere apud Deum fidem propriam. Valet enim & prodest vnicuique sua fides, etiam aliorum fide non adiuta: sed non valet fides alicui aliena, vt sua non adiuuan-

iuuāte fide iustificetur. Nemo enim præter Christum, mereri potest alteri immediate, & absque actu aliquo ipsius, primam gratiam.

Argum. 6. Sexto impugnare possumus eandem cōclusionem hunc in modum: Potest iustus mereri sibi reparationem post lapsum. Nihil enim iustius, vt Augustinus dicit, à Deo petitur, quam quod reparetur quis post lapsum, secundum illud Psal. *Cum defecerit in me virtus mea, ne derelinquas me.* Ergo aliquando poterit homo iustificari ex merito de congruo, videlicet, cum Deus propter illud meritum eum in suam gratiam reuocauerit. Psalm. 70.

Eiusdem solutio. Ad hoc: Qui tenent, neminem sibi mereri posse reparationem post lapsum neque ex condigno neque ex congruo, vt sanctus Thomas tenet prima secundæ, quæstione 114. articulo 7. negabunt assumptum, & ad verba Diui Augustini respondebunt, sicut ibi respondet sanctus Thomas, nihil quidem esse iustius ex parte materiæ, quia nihil sanctius potest peti. Sed quia verbum, iustius, aliquid amplius videtur significare, si cui placeat concedere cum Diuo Bonauentura, in secundo, distinctione 28. in quæstione super literam Magistri, posse sibi aliquem ex congruo mereri reparationem post lapsum, atq; ita reuocatum fuisse Dauidem à peccato: poterit respōdere ad hoc argumentum, dicendo conclusionem procedere de operibus, quæ quis facit, dum est in peccato. Neque enim diximus, neminē iustificari ex merito de congruo, (certum enim est, aliquos iustificatos esse, & vitam recepisse propter preces aliorum, tanquam propter merita ex congruo ipsius iustificationis) sed tantum diximus, neminem suis meritis iustificari.

Argum. 7. Septimo: Aliter consequuntur adulti primam gratiam per suam pœnitētiam vel conuersionem in Deum, quam paruuli per baptismum: Sed paruuli consequuntur primam gratiam per baptismum, vt per sacramentum: Ergo adulti consequuntur eam, quando sibi cōparant eam citra sacramentum per viam meriti. Non est enim nisi duplex modus cōparandi nobis Dei gratiam, videlicet per viam meriti, & per viam sacramenti.

Solutio eius. Ad septimum: Iustificantur peccatores adulti per pœnitentiam per modum meriti, vel ad instar meriti. Quia iustificātur per proprios ipsorum actus, vt per actus proprios solent homines consequi quod merentur, sed tamen non iustificantur per pœnitentiam, vt per actum vere meritorium ipsius iustificationis. Cum ergo dicitur duplex duntaxat esse via obtinendi propriam iustitiam, videlicet per sacramentum, aut per meritum possumus hoc negare absolute. Nullam enim, quod quidem sciam, pro se habet ea distinctiō satis firmam authoritatem.

Et necesse est cōcedere, media quadam alia via posse hominem iustificari, nempe per misericordiam diuinam gratuito, & liberaliter acceptantem ad iustificationem nostram actus aliquos nostros, qui tamen non sunt ipsius iustificationis meritorij. Sicut & preces beatorum acceptantur à Deo ad ea, quæ deuotis sibi impetrant, & tamen non sunt eorū meritoriæ. Non sunt etenim in statu merendi aut demerendi. Quod si in gratiam communis scholæ, placeat alicui acceptare istam distinctionem vel axioma scholasticum, oportet sic pie illud interpretari, vt sensus sit, homines iustificari duabus duntaxat vijs, aut per sacramentum, aut per modum meriti, hoc est, per actum aliquem, qui vel meritum sit, vel ad instar meriti se habeat. Cum enim homo iustificatur ad petitionem alicuius sancti viri, sicut tradit Augustinus iustificatum Paulum ad orationem Stephani, iustificatur homo per meritum: cum verò sine alterius oratione, propria quis oratione & pœnitentia iustificatur, iustificatur per hos actus, non tamen sicut per merita suę iustificationis, sed sicut per dispositiones se habentes vt merita ad gratiam.

Argum. 8. Octauo: Sicut Christus suis præcellentibus operibus meruit sacramē is vim collatiuam gratiæ, ita & meruit, vt daretur nobis gratia, quotiescunque vere & ex corde pœnitentiam ageremus. Sed non fecit no-

ſtram pœnitentiam ſacramentum, quod vi ſua iuſtificaret nos, vt manifeſtiſſimum eſt. Ergo ſaltem fecit eam eſſe meritoriam noſtræ iuſtificationis, & non erit inconueniens eam concedere eſſe illius meritum, ſaltẽ vt meritis Chriſti innititur. Alias nullam ei vim Chriſtus meruiſſet aut præſtitiſſet in noſtram iuſtificationem, ſed omnino omnino virtute in eam careret. Nulla eſt enim vis in aliquem effectum, niſi vel efficiens, vel meritoria. Si ergo neque efficientẽ vim habet noſtræ iuſtitiæ, neque meritoriam, omnis plane expers talis virtutis erit, & conſequenter non ſolum non erit efficax cauſa noſtræ iuſtificationis pœnitentia, ſed neque cauſa erit ipſius appellanda.

Eiuſdem ſolutio. Ad hoc tamen argumentum ſic arbitror reſpondendum: A merito Chriſti habet noſtra pœnitentia vim non efficientem, ſicut ſacramenta, neque meritoriam, ſicut preces ſanctorum, ſed vim duntaxat diſpoſitiuam vel impetratoriam noſtræ iuſtificationis. Eſtque iſta vis tertia, vel tertium genus cauſæ neceſſario ponendum. Negare enim non poſſumus, ſed neceſſe eſt abſolute concedere, pœnitentiam cauſam eſſe noſtræ iuſtificationis. Et in hoc prædicare debemus & inceſſanter laudare diuinam miſericordiam, qui quod neq; mereri poteramus, neque efficere, voluit nos poſſe ab eo impetrare, vt hac tertia via & miſericordiam apud ipſum inueniremus, & noſtræ iuſtitiæ quadantenus cooperatores ipſi eſſemus.

Argum. 9. Nono ſcholaſticè poteſt quis ad idem argumentari hac forma: Si nullum eſt meritũ in peccatore reſpectu ſuæ iuſtificationis, ſequitur neque vllum eſſe meritum in eo reſpectu gloriæ reſpondentis gratiæ, qua iuſtificatur. Et conſequenter multis adultis contingeret gloria ſine ſacramento & ſine meritis, illis videlicet, qui ante addita bona opera, cum ſola gratia, qua ſunt iuſtificati, morerentur. Cum ergo hoc non ſit facile concedendum, neque erit concedendum, primam gratiam contingere alicui ſine ſacramento & ſine merito.

Solutio eius. Ad nonum: Sunt quidẽ nobiles authores, qui putant, quamcunque diſpoſitionẽ ſufficientem ad gratiam, eſſe meritoriam gloriæ in primo inſtanti ipſius gratiæ, licet non ſit meritoria gratiæ. Et horum ſententia poteſt fieri probabilis, quia nihil videtur ei deeſſe pro illo inſtanti, quod requiſitum ſit ad meritum. Eſt enim actus bonus ab habente gratiã elicitus, & propter Deũ, vel ipſa dilectio Dei. Et ſi in alijs inſtantibus iſta diſpoſitio, ſiue illa ſit dilectio Dei ſuper omnia, ſiue dolor de peccatis propter Deum, cum illis ſolis, quæ habet in hoc inſtanti, eſſet meritoria gloriæ, cur non etiam in eo primo inſtanti cenſebitur eſſe ipſius meritoria? Vere, ſi nihil aliud ſpectemus, inconueniens videtur, negare actus adeo præcellentes, factos ab amicis Dei, meritorios eſſe. Quod ſi horum authorum opinio placet, negandum eſt corollarium huius argumenti: & conſequenter dicendum erit, omnem adultum, qui proprio actu iuſtificatur, habere gloriam ex merito. Habebit enim ſaltem ex merito illius inſtantis. Neque video, ſi id teneatur, quanam via hoc poſſit euitari, niſi forte quis credat, poſſe quenpiam iuſtificari ſic per actum proprium, vt primum non eſſe ipſius actûs, ſit primum inſtans gratiæ. Quod quidem ego nunquam conceſſerim. Si enim hoc poſſet eſſe, ſequitur quod ſi primum non eſſe illius diſpoſitionis, eſſet primum non eſſe vitæ alicuius exiſtentis in peccato, poſſet ille, cum vere fecerit in via omnia requiſita ad conſequendum Dei miſericordiam, habere gratiam & gloriam poſt hanc vitã, cum in ea ſemper fuiſſet in peccato. Quod eſt abſurdum. Si vero placeat corollarium illatum concedere, vbi caſus in argumento aſſumptus eueniret: equidem nullum apparet inconueniens, immo videtur teſtimonium hoc eſſe nimiæ Dei in nos miſericordiæ, qui etiam adultis det non modo gratiam, ſed & gloriam, quam nunquam meruerint. Et, vt ingenue dicam quod ſentio, admiſſo caſu, placet mihi magis concedere, quam negare, corollarium. Neq; crediderim, diſpoſitionem vllam noſtram eſſe meritoriam gloriæ pro primo inſtanti primæ gratiæ. Et argumentum, quod mihi hoc facit probabile, eſt hoc: Diſpoſitio ad primam

mam gratiam, non est in primo instanti ipsius gratiæ, meritoria gloriæ respondentis ipsi gratiæ: neque est meritoria noui gradus gloriæ: Ergo in eo instanti non est meritoria gloriæ. Cõsequentia manifestissima est. Antecedens vero probatur. Ad actum meritorium gloriæ requiritur, vt gratia antecedat ipsius productionem saltem natura. Cum enim actus ex sua productione habeat, vt possit esse meritorius, quia inde habet libertatem & acceptabilitatem ad præmium, si eam productionem non antecedit gratia, quæ efficit actus nostros meritorios, non erunt illi meritorij: Cum igitur dispositio ad gratiam, non sequatur, sed antecedat gratiam, vt facile potest probari contra quosdam graues authores, qui hoc negant, quia non solum disponit nos ad gratiam recipiendam, sed & causa est & ratio, propter quam Deus eam nobis donat, vt patet ex dictis: sequitur, eam neque esse meritoriam gratiæ, neque gloriæ pro suo primo instanti. Maior etiam propositio huius antecedentis probari posset. Si enim dispositio ad gratiam, non est meritoria gratiæ: neque erit ergo meritoria gloriæ; quia gloria maius quid est & ipso iure succedit, absque vllo nouo merito gratiæ ipsi, quæ datur propter dispositionem. Minor vero huius antecedentis, manifesta satis videtur. Si enim dispositio ad gratiam, non meretur nouum gradum gratiæ, neque merebitur nouum gradũ gloriæ. Exæquabitur enim gloriæ gratia, & si augeatur gloria, augebitur & gratia. Quod vero non mereatur dispositio ad gratiam, nouum gradum gratiæ, apertissimum est. Alias enim, si sit saltem ex toto conatu, Deus statim ipsam gratiã augeret, & consequenter aliqua forma augeretur eodẽ instanti, quo producitur. Quod inintelligibile est. Potest etiam ista eadem minor confirmari hoc modo: Nulli dispositioni ad primam gratiam, quantuncũque perfecta sit, responderet in alijs instantibus à primo, aliquis gradus vel gratiæ, vel gloriæ, supra eos qui ei respondent ex lege. Ergo data prima gratia, quæ respondet huic dispositioni, & signato certo gradu gloriæ sibi respondente, præter illum, nullum gradum amplius gloriæ pro primo instãti merebitur. Non enim potest vni & eidem actui, pro vno & eodem instanti, duplex præmium respondere. Si igitur alicui dispositioni ad gratiam respondissent, exempli gratia, duo gradus gratiæ, si illa eliceretur ab eo, qui iam prius habuisset gratiam, vbi per misericordiam Dei data fuerit propter eam gratia prima vt duo, profecto non respondebunt ei plures gradus gloriæ pro illo primo instanti, quam illi duo qui respõdent ipsi gratiæ. Concedendum ergo est corollarium illatum. Potest enim gloria, sicut & gratia, adultis contingere absque merito, & vere continget, si post primum instans gratiæ non producatur vel cõtinuetur aliquis bonus actus. Immo & in omni casu, & quomodocunque quis iustificetur, gloriam respondentem primæ gratiæ crediderim probabilius * vnquam cadere sub merito. Ad quod consequens est, neminem sanctorum ex proprijs meritis habere totã beatitudinem quam habet. Eam enim partem quæ respondet primæ gratiæ, sine vllis meritis proprijs omnes habent. Et hoc nomine vbi aliæ causæ non fuissent, potuit Apostolus summo iure dicere, sicut & dixit: *Gratia Dei, vita æterna:* quia quod admittamur ad eam, & ad eam incipiamus aliquod ius habere, solius gratiæ Dei opus est. Et sicut vere dixit Paulus, *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum:* ita & nos eum secuti, vere possumus dicere: Si Abraham ex operibus beatificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Nullus enim sanctorum totam suam gloriam habet ex operibus, vt statim diximus. Et in hoc ordo diuinæ sapientiæ mirificus splendet. Vt enim Christus totam suam gratiam, totamque gloriam essentialem sine meritis habuit in primo suæ Humanitatis instanti, & quod vniretur sua humanitas verbo, nullis illi præcedentibus meritis contigit: gloriam vero corporis, & manifestationem suæ gloriæ, siue exaltationem sui nominis, & potestatem regiam & iudiciariam in omnes, proprijs meritis postea obtinuit: ita & nos, quos præsciuit Pater cœlestis conformes fieri imaginis filij sui, gra-

for * nunquam.

gratiam qua in illo de Spiritu sancto renascimur, & gloriam ei respondentem habere voluit sine meritis: quæ vero his superadijciuntur, ex meritis nostris & sua gratia.

Argum. 10. Decimo cõtra istam conclusionem potest quis insistere hoc pacto: Potest quis mereri ex congruo suam iustificationem. Valet enim aliqua facere propter quæ congruum est eum iustificari. Ergo vere potest quis mereri suam iustificationem. Meritũ enim ex congruo, meritum est: & quæ alijs meremur, ex congruo vere meremur.

Argum. 11. Vndecimo etiam potest quis contra eãdem conclusionem sic argumentari. In potestate cuiusque peccatoris est, se disponere ad gratiam, & ea facere per quæ consequatur gratiam. Alioqui nemini sua imputaretur impœnitentia aut perseuerantia in peccato. Igitur vere potest quicunque peccator suam iustificationem mereri. Ea ẽm promereri possumus, quæ assequi per nostra opera possumus. Quod si quispiam dixerit peccatores nõ posse iustificari per sua opera, hoc est, per ea quæ ex naturalibus possunt facere, atque ideo neque suam iustificationem mereri, primo est argumentum contra hoc: Quomodo enim peccatores se possunt disponere ad gratiam? Quomodo etiam edoceri possunt, vt pœnitentiam faciant, si non hoc possunt ex naturalibus? Secundò & instari potest contra ista: Etiamsi iusti indigerent speciali auxilio ad opera bona, vere essent illa meritoria beatitudinis. Ergo etiam si peccatores indigeãt speciali auxilio ad comparandum sibi gratiam, ea opera vere erunt meritoria gratiæ. Verum hæc argumẽta nouas exigunt quæstiones, neque possunt breui dilui. Ideoq; eorum enodationem proximis quæstionibus differemus.

DE MERITIS, EX CONGRVO, IVSTIFICATIONIS.

QVÆSTIO SEPTIMA.

AN fides & alia opera, quibus disponuntur peccatores ad gratiam, sint meritoria, saltem ex congruo, suæ iustificationis. Et pro parte quidem negatiua argumentor: Nemo iustificatur ex meritis, vt latissime docuimus in quæstione proxima. Ergo nemo meretur ex congruo suam iustificationem. Meritum enim ex congruo, vere meritum est. Et ea absolute & simpliciter dicuntur sancti alijs mereri, quæ merentur tantum ex congruo. Pro parte autem affirmatiua est hoc argumentum. Congruum est, Deum iustificare eum qui credit, & alia habet opera quæ requiruntur & sufficiunt secundum legem ad iustificationem peccatoris. Ergo per hæc merentur peccatores suam iustificationem. Quæstionis pars negatiua. Pars affirmatiua.

In hac quæstione duæ sunt, vt diximus in quæstione sexta, opiniones inter Catholicos & Scholasticos authores. Et quidam quidem tuentur partem affirmatiuam, & hæc est opinio modò communior in scholis: alij vero partem defendunt negatiuam. Catholici cum verbis dissentiant, in re cõcordes sunt.

Et quidem de re, nulla est inter hos authores quæstio. Omnes n. fatentur gratis iustificari peccatores, neq; debitius gratiam aut remissionẽ suorum peccatorum, neque vlla esse in eis opera, quantumcunque præclara & præcellentia habeant opera, propter quæ Deus eos teneatur ad suam amicitiam admittere. Et ijdem omnes concedunt aliqua esse in peccatoribus opera, propter quæ congruum sit Deum illos sibi reconciliare. Itaque de nomine tantum est quæstio inter eos in hoc, an ea opera, quæ congruum est Deum acceptare, vt peccatores iustificet, meritoria saltem ex cõgruo debeant dici iustificationis ipsorum. Neq; tamen, quod de nomine tantum quæstio est, contemni debet hæc quæstio. Non enim parum refert, sic, an sic loquamur. Ex verbis enim inordinate prolatis plerunque nascitur hæresis, sicut Diuus Hieronymus dicit. Et nostra, qui diuina tractamus, decet maxime eloquia castigata & examinata esse, quantumque fieri poterit, scripturis sacris & Doctoribus conformia. Atque ideo vt pro tenuitate ingenioli nostri statuamus quid probabilius sit, & quantum fieri potest, pleraque dicta scripturarum & sanctorum

ctorum Doctorum, & præcipue Augustini, quæ inter se videntur diuersa, ad concordiam aliquam redigamus, ponam quinque propositiones responsiuas ad quæstionem.

Quinque propositionibus ad quæstionē respōdetur.

Proposit. 1. Prima est: Gratiam gratis datam, qua Deus benignissima sua voluntate trahit peccatores ad suam gratiā & iustitiam, nemo meretur, sed illa antecedit omne meritum nostrum.

Hæc propositio est expresse Diui Augustini in multis locis, & peculiariter in tertio libro Hypognosticon, vbi ita dicit: *Vitiato ergo libero arbitrio, totus homo vitiatus est. Per quod absque adiutorio gratiæ, quod Deo placeat, neque valet incipere, neque perficere sufficit. Præuenitur autem medicina, id est, Christi gratia, vt sanetur, & reparetur in eodem vitiata, atque præparetur voluntas, quæ semper indigens adiutorio, illuminante gratia Saluatoris, possit tam Deum cognoscere, quam secundum eius viuere voluntatem.* Et quoniam hic insignis Ecclesiæ Doctor luculenter ibi probat hanc propositionem, neque opus est quippiam ei addere, placet sub compendio quodam potissima quæ ibidem docet, his adiungere: Probat igitur ille nostram propositionem ibi ex illis verbis Ezechielis: *Dabo in vos cor nouum & spiritum nouum.* Et ex illis, *Præparatur voluntas à Domino.* Et ex illis, *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et ex orationibus Psalmistæ, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Et subdit, Non ergo homo voluntate sua adhuc in vitio liberi arbitrij claudicante, præuenit Deum, vt cognoscat & quærat, eam gratiam tanquam pro meritis accepturus, sed præcedit, vt iam dixi, misericordissima gratia sua, hominis ignorantis, & nondum se quærentis, voluntatem liberi arbitrij, vt eum se scire & quærere faciat, sicut dicit Ioannes Apostolus in epistola sua: *Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius.* Hic est verus Deus & vita æterna. Et Dauid in Psalmo: *Deus meus misericordia eius præueniet me.* Et, *Deus tu conuertens viuificabis nos.* Et Dominus in Euangelio discipulis suis dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Item Ioannes Apostolus: *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Nullum autem esse meritum hominis in accipienda gratia ad salutem, Paulus Apostolus docet, scribens ad Ephesios: *Deus autem, ait, qui diues est in misericordia, propter nimiā caritatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati.* Ponderat & ibi, quod ibidem addit Paulus: *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis.* Et quod ad Timotheū scribit: *Collabora euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.* Audis, ait, ante tempora secularia, quando in Dei erat homo præscientia, & non in seculo, quia nondum erat seculum: & præponis dono eius opera voluntaria, cæcus veritati resistens? Quærens enim tuam iustitiā statuere, iustitiæ Dei subiectus esse non potes. Ponderat & ibidem, quod idem Apostolus ad Titum scribit: *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei non ex operibus iustitiæ &c.* Et subnectit: Quid ad hæc hæreticè respondebis? Quid inimice gratiæ Dei, adhuc contra gratiam, tanto magistro gentium teste, quod nullis hominum meritis detur, cogitabis opponere? Et post pusillum: Sed respondens mihi, inquies: Si non vnusquisq; pro sua voluntate, qua nos dicimus eum inquisisse Deum, accipit gratiam, sed præuenit voluntatem ipsius sua gratia, qua in eum credere possit, cur non hoc ergo in omnibus operatur? An personarum acceptor est Deus? Et respondet: Si gratiæ illuminatione sensus tuus hæretice tenebris insipiētiæ esset exutus, crederes tantum testimonijs diuinis, quæ ante iam dixi, vel quæ non dixi, & in sanctis scripturis reperiuntur innumerabilia, Deum nullis meritis hominum gratiam suam dare, per quam se eis ostendat ad credendum & seruiendum sibi, & non quæreres, immo non

Ezech. 36. Prouerb. 16. Philip. 2. Psalm. 50. Psalm. 118. Psalm. 142. 1. Ioan. 5. Psalm. 58. Psalm. 87. Ioan. 15. 1. Ioan. 4. Ephes. 1. Ephes. 2. 2. Tim. 1. Titi 3.

Vuuuu

non discuteres, quare id non in omnibus operetur, qui bene & iuste omnia quæcunque vult, operatur. Et paulo post, vt pluribus testimonijs veritatē fidei confirmet: Sed interroga, inquit, eum qui dixit, *Nemo venit ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Et, *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est.* Et, *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, ceteris autem non est datum.* Et, *Nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Et, *Sicut pater suscitat mortuos & viuificat sic & filius suscitat mortuos & viuificat quos vult.* Et, *Quia spiritus vbi vult spirat.* Et, *Quia nemo potest homo à se facere quicquam, nisi datum fuerit illi desuper.* Item interroga eum qui dixit, *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Et, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et, *Cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Et, *Quia Spiritus sanctus dona charismatum suorum diuidit singulis, prout vult.* Et, *Quibus voluerit non qui voluerint, notas fecit Deus diuitias gloriæ sacramenti sui.* Et tandem quæstioni propositę ita respondet: Quare autem in hoc, vt dixi, malo Adæ merito præcedenti non omnes puniuntur, aut cur inde non omnes saluantur, ego seruiens Domino in timore, & exultans cum tremore, misericordiam & iudicium cantabo, quia iudicium facit præcedente causa, salutem vero donat ac misericordiam, præueniendo malam causam. Et aliquanto inferius in eandem sententiam inducit Paulum & Petrum: Paulum quidem, scribentem ad Philippenses: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Petrum autem, in epistola sua prima dicentem: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos in æternam gloriam suam, in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* Et aliquanto post, omnia bona à Deo esse confirmat his testimonijs nondum citatis: *Sine me nihil potestis facere. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Si gratia, iam non ex operibus.* Ex his infert, Gratia igitur

Ioan. 6. Matth 19. Matt. 9. Matt. 11. Ioan. 5. Ioan. 3. Ioan. 16. Philip. 1. Rom. 9. Philip. 1. 1. Petr. 5. Ioan. 15. 2. Cor. 3. Iacob. 1. Rom. 8.

donatur, non redditur: quia si redderetur quasi ex debito, non ab Apostolo ex gratia, sed ex operibus diceretur. Hæc Augustinus. Ex quibus omnibus patet, & illum huius fuisse sententiæ, & eam ei visam esse certam & indubitatam, & oppositum prorsus esse hæreticum. Licet etiā & vnum aliud ex his colligere, nempe omnia argumēta quæ fecimus, & omnia testimonia sanctorum, & præcipue Augustini, quę induximus ad probandum conclusionem sextæ quæstionis, etiam induci posse ad firmandum istā propositionem. Immo vere, vt ingenue dicam quod sentio, magis militant pro ista propositione, quam pro illa. Magis enim videntur Paulus & Augustinus voluisse ostendere, neminem trahi ad gratiam & amicitiam diuinam propter merita sua, quam nemini dari gratiam gratum facientem propter merita, quibus eam obtinet dum non resistit, sed obsequitur & cooperatur quoad potest gratiæ, qua vocatur & trahitur ad amicitiam diuinam. Ideoque à pluribus faciendis argumentis pro hac propositione prorsus supersedeo. Dicet tamen aliquis: Esto, gratia gratis data qua trahimur ad iustitiam & gratiam Dei, antecedat omne meritum, simpliciter tamen dari potest & consequi meritum ex congruo.

Pro hoc expediendo sit secunda propositio: Gratia gratis data, qua Deus peccatores trahit ad suam gratiam, non datur propter meritum aliquod ex congruo, sed propter solam diuinam benignitatem. Hanc propositionem esse de mente Augustini, patet ex statim citatis ex tertio Hypognosticon. Si enim aliquam causam ex parte nostra subesse credidisset, propter quam quosdam Deus ex filijs Adæ trahat ad suam gratiam, & non omnes: non recurrisset ad hoc solum, quod Deus nemini quidpiam debet, vt ostenderet eum non esse acceptorem personarum. Patet etiam idem ex lib. 4. contra Iulianum Pelag. cap. 8. & ex his quę in proxima quæstione ex eodem induximus in c. 15. de prædestinatione Sanctorum, & in Enchiridio, cap. 36. Ita enim hoc mere gratis fieri, his in locis dicit, ac mere gratis, & nullo prorsus antecedente

Propositio secunda.

merito

merito ex congruo, Deus quosdam paruulos facit venire ad baptismum, & non omnes, & humanitatem suam sibi vniuit hypostatice absque vllo merito ipsius. Et nisi ita esset, non dixisset Paulus: *Non est volentis neque currentis*: neque recurrisset ipse Augustinus ad illud, *Cuius vult, miseretur &c.* Et confirmo hoc: Nulla lex est statuta de hoc, neque peccator dignus est tanta gratia. Ergo signum est, nullum meritum, neque ex congruo, antecedere huiusmodi gratiam. Et hoc quidem videntur postulare testimonia multa scripturæ, pro prima propositione ab Augustino inducta. Ex his possumus inferre tertiam propositionem huiusmodi:

Propositio tertia.

Tertia propositio: Gratiam iustificationis, vt amplectitur omnes gratias gratis datas, & gratumfacientem, quæ concurrunt ad nostram iustificationem, nemo meretur, neque simpliciter, neque ex congruo. Patet hoc: Si enim gratias gratis datas quibus venimus ad Dei gratiam, nemo meretur, neque simpliciter, neque ex congruo, vt tradidimus in secunda & prima propositione. Ergo neque vllo modo cadet sub merito gratia iustificationis, vt complectitur omnia Dei beneficia, quibus ad hoc peruenimus, vt iusti simus. Itaque verissimum est, omnes qui iustificantur, mere gratis à Deo iustificari, non solum, vt gratia excludit meritum simpliciter, sed etiam vt excludit merita ex congruo. Et hoc præcipue crediderim intendisse Doctores, & maxime Augustinum, cum nullo admittunt merito quempiam iustificari, & gratiam iustificationis mere gratis aiunt omnibus contingere. Loquuntur enim de gratia iustificationis, vt omnia Dei dona amplectitur spectantia ad nostram iustificationē. Sed quamuis de tota gratia iustificationis absolute dicendum sit, eam, omni & qualicunque nostro merito priorem esse, de gratia iustificationis tamen, quæ est gratia gratumfaciens, dubitari potest an illa cadat sub merito saltem ex congruo. Et de hoc pono istam propositionem:

Propositio quarta.

Quarta propositio: Fides & alia bona opera, quibus disponimur ad gratiam gratumfacientem, qua formaliter iustificamur, & simus accepti Deo, meritoria sunt ex congruo eiusmodi gratiæ & nostræ iustificationis. Hæc propositio solet à plerisque doctis viris existimari esse contra authoritatem Doctorum sanctorum, cum tamen nihil minus sit. Ideoque primo illam ex testimonijs aliquibus sanctorum Doctorum, secundo vero etiam nonnullis apparentibus argumentis firmabo. Ac primo quidem sic inuenio Cyprianum illustrissimum Ecclesiæ Doctorem & martyrem, locutum in expositione orationis Dominicæ. Ait enim sic de publicano laudato in Euangelio: Cum sibi Pharisæus placeret, sanctificari hic magis meruit, qui spem salutis non in fiducia innocentiæ suæ posuit, cum innocens nemo sit, sed peccata confessus, humiliter orauit: & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit.

Confirmatur hæc propositio patrum sententiis.

Ambrosius etiam in septimo libro super Lucam, cap. 8. ita ait: *Vnusquisque nostrum hac apud se supplex ac submissus obsecret: Deus omnipotens, miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri serui tui, contemptu seculi sublimes, iustitia merito gloriosi, castitatis laude angelici, veluti etiam multi eorum, qui post flagitia publica pænitendo tibi meruerunt esse deuoti, qui etiam si quid boni fecerunt, tua gratia largiente fecere.* Hæc Ambrosius In quibus verbis patet, Ambrosium asserere peccatores etiā flagitijs publicis obnoxios, pœnitendo meruisse esse Deo deuotos. Et libro decimo ita scribit: *Fleuit amarissime Petrus. Fleuit, vt lachrymis posset lauare delictum. Et tu, si veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam. Eodem tempore, eodem momento respicit te Christus.* Et Gregorius in Hom. 9. super Ezechielem: *Praueniente gratia Dei, & subsequente voluntate nostra, donum Dei fit meritum nostrū.* Augustinus etiam tametsi clarissimus sit vbique gratiæ assertor, & vbique contendat gratiam non dari ex meritis, neque secundum nostra merita, tamē & idem multis in locis existimat non aduersari gratiæ, si quis dicat, Opera, quibus disponimur ad gratiam, meritoria esse gratiæ, modo asseratur, ea ipsa opera esse dona Dei. Vnde & idem expresse dicit, fidem mereri iustificationem. In libro enim primo ad

mo ad Marcellinum De peccatorum meritis & remissione, cap. 6. exponens illa verba Apostoli: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum. spiritus autem vita est*: ita ait, *Diuersa merita diuersis tribuit rebus Apostolus. Morti quidem corporis, meritum peccati: vitæ autem spiritus, meritum iustitiæ.* Et loquitur de iustitia, quæ fides est, vt statim ibidem explicat. Et quanquam sanctus Thomas prima secundæ, quæstione 114. articulo 5. ad primum dicit, illa verba, *Fides meretur iustificationem*, retractata esse à Diuo Augustino, cum retractauit illa alia quæ olim asseruerat, *Initium fidei est ex nobis, consummatio vero datur ex Deo*: tamē hoc non ita esse, bona venia tanti Doctoris, manifeste possumus docere. Primo: In capitulo tertio libri De prædestinatione sanctorum, vbi meminit istius retractationis, adeo non retractat ista, *Fides meretur iustificationem*, vt expresse ibi dicat, fidem inchoare in nobis meritum, & misericordiam præcedenti fidei merito tribui: & hoc solum contendit ibi certum ostendere, fidei initium & meritum, donum esse Dei. Præterea cap. 23. libri primi retractationum, postquam simpliciter reuocauit illa verba, *Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia.* Et illa, *Quod ergo credimus, nostrum est: Quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum*: verissime tamē ait se dixisse paulo post illa reuocata, *Sicut in ijs quos elegit Deus, non opera sed fides inchoat meritum: sic in ijs, quos damnat infidelitas & impietas, inchoant pœna meritum, vt per ipsam pœnam etiam male operentur.* Sed hoc dolet, quod fidei meritum ipsum esse donum Dei, neq; putauit esse quærendum, neq; dixit. Et ibidem verum etiam dicit, quod alio in loco dixerat: *Cuius miseretur, facit eum bene operari: & quem obdurat, relinquit eum, vt male operetur. Sed & illa misericordia præcedēti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti impietati. Sed quærendū,* ait, *erat vtrū & meritum fidei de misericordia Dei veniat, id est, vtrum ista misericordia, ideo tantūmodo fiat in homine, quia fidelis est: an etiam facta fuerit vt fidelis esset. Legimus enim, dicente Apostolo Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem, non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam, vt fidelis esset.* Hæc ibi: Ex quibus liquidum esse arbitror, Augustinum non negasse, neque retractasse, fidem mereri iustificationem, sed hoc tantum voluisse constituere, fidem ipsam esse donum Dei. Potest etiam ex vltimis istorum verborum colligi, quod supra etiam admonuimus, Diuum Augustinum nomine gratiæ iustificationis, siue etiam nomine misericordiæ in peccatorem, complexum esse gratiam gratum facientem, & gratis datam. Et vt credas, Diuum Augustinum non existimasse esse inconueniens, concedere esse merita ante gratiam iustificantem, modo non concedantur ante gratiam gratis datam: audi, quid dicat ipse Augustinus ad finem tertij libri Hypognosticon: Cum enim dixisset secundum donum gratiæ vnumquemque fidelem esse, non secundum meritum propriæ voluntatis: & nomine hæreticorum statim quæreret, an nullum esset prorsus meritum humanæ voluntatis, ita respondet: *Si discernas inter gratiam & voluntatem, est.* Audi ergo breuiter: propriæ voluntatis tunc est meritum bonū, quando gratiæ donum præcedit vniuscuiusque voluntatem, & operatur, vt meritum faciat homo per propriam voluntatem. Et ibidem pauloante: *Sed clamas iterum, & dicis Si nullum est meritum operantis, quomodo scriptum est, Et tu reddes vnicuique secundum opera sua?* Et respondet: *Ausculta & intellige, si tamen aures habes audiendi, & cor non sit induratum intelligendi. Propter liberum arbitrium, quo bona & mala operantur homines, dictum est: Vnicuique reddes secundum opera sua. Habet enim homo malum meritum, cum vitio suo iam baptizatus declinat à bono, & facit malum, id est, cum derelinquit Deum, & diligit seculum Habet nihilominus & bonum meritum, cum in omnibus gratia Dei bona in se operanti non resistit, sed cooperator existit, & omnem spem suam habet in illum, cum aurem suam & cor Deo loquenti intus, hoc est, in interiore homine præbet, & non foris in malis seculo perstrepenti.* Hæc ibi. Et paulo post: *In præsenti labor indictus est, vt fiant merita per auxilium gratiæ non præmissorum redditio meritorum.* Et cap. 8. libri De natura & gratia contra Pelagianos, diuinitus dicit esse expianda pec-

Marginalia: Rom. 8. — Augustinū non retractasse quod dixerat, fidem mereri iustificationem. — Merita ante gratiam iustificantē non autem ante gratiam datam, gratiam esse. — Psalm. 61. — 1 Cor. 7. 1. Tim. 1.

da peccata, & pro eis Dominum esse exorandum propter veniam promerendam. Ex quibus omnibus liquet, Augustinum, non negasse merita esse gratiæ, ea bona opera, quibus per auxilium gratiæ gratis datæ disponimur ad gratiam. Sed ita tamen voluit intelligi & appellari merita, vt magis dona Dei existimarentur, quam merita nostra. Et ideo cap. 6. De correct. & gratia, dicit: *Gratia sanctis est omne meritum, non, vt plerique perperam colligunt quia negauerit nostra merita, sed quia volebat significare, ea esse magis dona Dei quam merita: & merita quidem propter futuram veram vitam, non propter præsentem.* Vnde & paulopost citata ex Hypognosticon, subdit: *Quidquid ergo homo in præsenti fuerit consecutus, donum est, non meritum.* Neque tamen hîc meritum accipit, vt nos hîc accipimus: sed meritum vocat, quod quisque meritus est, vt patet, quia statim subdit: *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptelam, tunc meritum reddetur iustis*: & vt intelligas merita nostra magis esse dona Dei & gratiam, quam merita nostra, quia magis habent à gratia esse merita, quam à nobis: addit statim, *Quorum per totam seculi vitam meritum omne fuit gratia, vt gaudentes iam meritò dicant, Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius*: vsque ibi, *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* Et adjcit, *Audis Pelagiane, In miseratione & misericordia: & cæcus extolleris, pro meritis solarũ virium tuarum te coronandum: Intellige in miseratione & misericordia Dei, non in factione meritorum, animam coronari* Hæc ibi. Et cap. 7. libri De gratia & libero arbitrio, ita ait: *Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Et adducit ibi in horum confirmationem illud Deuteronomij 8. *Ne dicas in corde tuo &c.*

Psal. 103.

Propositio, quarta rationibus confirmatur.

Præter testimonia ista sanctorum, possumus confirmare hanc eandem conclusionem, hoc pacto: Congruum est, Deum iustificare peccatores, qui se ad eum toto corde conuertũt. Nihil enim Deus facit, quod non sit congruum, & diuinam misericordiam apertum est hoc decere. Ergo peccatores merentur ex congruo suam iustificationem. Si enim alicui operi humano ex congruo respondet aliquod præmium, videtur quidem illud opus, meritorium esse saltem ex congruo talis præmij. Nihil enim amplius significari videtur per meritum ex congruo, quam opus, cui ex congruo debeatur vel respondeat aliquod præmium. Et ita probari solet, sanctos Patres meruisse incarnationem, desiderando eam feruenter, & petendo eam humiliter, quia cõgruum erat, Deum exaudire eos in re adeo necessaria, qui fidelissime ei vbique seruiebant. Et sicut ad meritum beatitudinis ex digno, vel ex condigno, satis est, aliquod opus eiusmodi esse, vt dignum sit vel condignum, Deum conferre beatitudinem facienti illud opus: ita videtur ad meritum ex congruo gratiç debere sufficere, aliquod opus tale esse, vt congruum sit, Deum conferre suam gratiam facienti illud opus. Et potest roborari & premi magis hoc argumentum, sic: Non solum est congruum, Deum conferre gratiam peccatoribus se ad eum toto corde conuertentibus, sed & ista congruitas est propter ipsam conuersionẽ ex toto corde. Ea enim posita, Deus nos admittit ad suam gratiam: & ea non posita, non admittit: & isti conuersioni nostræ Deus promisit sæpe in scripturis suam conuersionem ad nos, vt in quæstione proxima satis ostendimus. Ergo sicut opera bona facta ex gratia, ex condignitate quam habent à gratia & à spiritu sancto & à meritis Christi, valorem habent beatitudinis, atque ideo & eius meritoria sunt ex digno vel condigno: ita conuersio peccatoris ad Deum ex hoc, quod est ab Spiritu sancto per gratiam ipsius gratis datam, & vt innititur meritis Christi, participabit quendam valorem ex congruo ipsius gratiæ, atque ideo & eius erit quoque ex congruo meritoria. Similis enim, immo par, vtrobique videtur ratio.

Secunda ratio.

Secundo ad idem argumentor: Cum aliquis peccator, vt redeat in gratiam cum Deo, graues labores & damna vel etiam mortem patienter toleraret pro honore diuino, congruum esset, ipsam eorum laborum & incommodorum, mortisque tolerantiam Deum acceptare, vt eum iustificet,

& ad suam gratiam recipiat, & hoc congruitate, quæ non tantum est ex bonitate diuina, sed etiam ex valore & natura ipsius operis. Ipsa enim tantorum malorum perpessio præsertim si adiunctam habeat pœnitentiam peccatorum, digna videtur ex congruo amicitia diuina. Nihil enim amplius potest homo propter Deum pati vel præstare. Ergo saltem huiusmodi labores, damna & mortem propter Deum subeuntes, vere ex congruo merebuntur iustificari.

Tertia ratio.

Tertio principaliter argumentor: Incarnatio verbi diuini, multo maius Dei beneficium est: multo & maior gratia, quam iustificatio peccatoris. Vnde & summam eam gratiam appellat Diuus Augustinus, & in rebus per tempus ortis nullam fuisse dicit maiorem gratiam. Et in scripturis antonomatice videtur sæpe appellari gratia. Excedit enim multis interuallis omnes alias gratias, & radix est, & causa, & origo omnium Dei gratiarum & beneficiorum in nos. Sed incarnationem meruerũt ex congruo sancti Patres veteris testamenti, vt & ipse San. Thomas, quem modo impugnamus, defendit tertia parte suæ summæ, quæstione 2. articulo 11. Et quidem quidquid alij sentiant, hoc est probabilius, vt alias, Domino fauente ostendemus. Ergo multo magis iustificatio peccatoris potest cadere sub merito ex congruo. Et confirmo hoc argumẽtum: Non ideo meruerunt sancti Patres hoc tantum & tam eximium beneficium, quia digni illo fuerint. Vnde enim tanta gratia digni essent? Sed ideo illud meruerunt ex congruo, quia congruum fuit, Deũ exaudire desideria & petitiones eorum qui fideliter ei obediebant. Ergo quamuis peccator non sit dignus tanto diuinæ gratiæ beneficio, merebitur nihilominus ex cõgruo illud, cum feruenter & humiliter id postulauerit. Congruum est enim, Deum non despicere confugientes ex toto corde ad ipsum. Potest insuper hoc ipsum confirmari sic: Non aduersatur summæ gratiæ, qua Deus factus est homo, concedere aliqua merita tantum ex congruo eam antecessisse. Ergo quantumuis expresse dicat scriptura nos iustificari ex gratia, & non ex meritis, non erit inconueniens concedere, iustificari nos aliquo modo ex meritis ex congruo. Non enim meritum ex congruo, aduersatur gratiæ.

Incarnatio verbi, summa gratia.

Impugnatur quarta propositio. Argum. 1.

Sed contra istam propositionem argumentari quis potest hunc in modum: Nullus peccator dignus est re adeo incomparabili, ac est amicitia diuina. Vix enim dignus est pane, quo vescitur. Ergo nullus peccator meretur aliquo pacto gratiam diuinam Eo enim præmio, quod quis meretur, absque dubio dignus est.

Argum. 2.

Præterea omnes dispositiones ad gratiã diuinam, dona sunt Dei, neque ad illas sufficit liberum arbitrium, vt in quæstionibus proximis perspicuum faciemus. Ergo illæ non sunt meritoriæ gratiæ diuinæ. Istam consequentiam facit multis in locis Augustinus, vt patet ex testimonijs illius iam citatis, & peculiariter ex capite 23. & 31. De gratia Christi contra Pelagium & Cælestium. Et potest fieri hæc consequentia apparens hoc modo: Per dona quæ quis recepit ab aliquo, non meretur noua alia dona, sed debitor constituitur potius nouorum obsequiorum, & nouarum gratiarum. Exempli gratia: Per equum & preciosa indumenta, quæ quis recipit à rege, vt idoneus sit gerendo & administrando magistratui, non meretur magistratum. Cum ergo dispositiones ad gratiam, dona sint Dei, quibus efficimur idonei ad recipiendam gratiam ipsius, non erunt illæ merita gratiæ, sed potius nouorum nos constituent debitores obsequiorum, & nouarum gratiarum actionum.

Argum. 3.

Tertio argumentari quis potest contra nos ex verbis Augustini in epistola ad Bonifacium Papam, quæ est in numero epistolarum 106 *Cum fides*, inquit, *impetrat iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei, aliquid meriti præcedit humani: sed ipsa meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, voluntate comitante, non ducente, pedissequa, non præuia*. Hæc Augustinus. Ex quibus videtur, secundum Augustinum, non ideo gratiam Dei sequi ad aliquod meritum, quia fides impetrat iustificationem.

Soluitur Argum. 1.

Hæc tamen argumenta suo sic ordine soluo:

solvo: Ad primum: Non est peccator dignus gratia diuina. Si enim dignus esset, mereretur illam per sua opera ex digno vel cōdigno: quod si fieret, iam gratia non esset gratia. Neque requisita est ad meritum de congruo talis dignitas in merente, sed satis est, ex congruo deberi vel respondere ei merito premium, cuius est meritū. Quod si aliquis dicat, necesse esse cōcedere, peccatores conuertentes se ex toto corde ad Deum dignos esse ex congruo & beneficio diuino & amicitia Dei, si quidem merentur illam ex congruo. Equidem neque video quare hoc sit necessarium, neque scio vnde probari possit id esse absurdum.

Solutur Argum. 2. Ad secundum: Dispositiones ad gratiā non tantum sunt dona Dei, sed sunt etiam opera liberi arbitrij: & quatenus talia sunt, possunt esse meritoria donorum Dei, quæ posteriora ipsis sunt: sicut etiam opera meritoria iustorum, dona sunt Dei, & nihilominus vere & proprie sunt meritoria. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, licet non omnia, vt Aug. docet in cap. 32. Enchiridij. Et in epistola ad Sixtum presbyterum: *Cum coronat Deus merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.* Distinguere ergo oportet de donis. Quæ enim tātum dona sunt, sicut esse, gratia, equus, indumenta, dona sunt, & non merita: quæ vero dona Dei sunt, & opera nostra: & dona vere sunt, & merita. Et quando Diuus Augustinus argumentatur, fidem non esse meritum, quia donum Dei est: crediderim eum non illo tendere, vt probet fidem nullo pacto esse meritum. Hoc enim si diceret, aperte repugnaret sibi, vt patet ex suis ipsius testimonijs iam citatis. Sed eo profecto tendit, vt probet non esse meritum eo modo, quo Pelagius eam dicebat esse meritum nostræ iustificationis, vt opus quidem solius liberi arbitrij, cui deberetur iustificatio. Et contra hunc verò apparens est argumentum: Fides donum Dei est, non ergo fides meritum est, cui debeatur iustitia. Ea enim ex parte, qua donum Dei est premium non ei respondet, neque debetur de stricta iustitia, ac responsurum videri posset & deberi, si solius esset liberi arbitrij. Sed hæc satis pro pietate, quam debemus tanto Doctori, Non enim necesse est, omnia ipsius argumenta, demonstratiua vel omnino efficacia credere.

Donenon eiusdē generis.

Soluitur Argum. 3. Ad tertium: Nomine gratiæ non intelligit Augustinus eo in loco gratumfacientem, sed generaliter loquitur de gratia, vt sub se continet gratias gratis datas & gratumfacientem. Et ideo dicit, nihil meriti humani præcedere gratiam Dei, quia ante fidem nullum est meritum, & iuxta hunc sensum intelligenda sunt quæ sequuntur. Restat tamen adhuc vnum dubium discutiendum. An possimus similiter concedere mereri peccatores ex congruo eas gratias gratis datas, quæ consequuntur fidem, & antecedunt gratiam gratumfacientem, vt per eas adiuuentur ad ea, quæ ex parte sua requisita sunt, vt iustificentur: & pro huius dubij exolutione diligenter aduertendum est, duplices esse gratias gratis datas, quibus trahuntur peccatores ad amicitiam diuinā. Quædā sunt efficaces, quibus positis semper peccatores apponunt quidquid ex parte ipsorum requisitum est, vt iustificentur: & per consequens, semper eis positis, iustificantur. Aliæ vero sunt, quæ non semper habent suum effectum: sed & positis illis, adhuc peccatores non iustificantur: quia resistunt illis per libertatem arbitrij, neque plene ad Deum conuertuntur. Primi generis sunt auxilia specialia, quibus Deus concurrit ad vltimatas dispositiones ad gratiā gratumfacientem: quales sunt, martyrium, dilectio Dei super omnia, dolor de peccatis, vt offensiua sunt Dei. Secundi vero generis sunt auxilia specialia, quibus Deus ad fidem adiuuat, & ad alia præuia ad contritionem, vel dispositiones quascunque vltimatas ad gratiam, qualia sunt timor inferni, spes regni cœlorum, horror peccatorum eleemosynæ grandes, despectus bonorum huius seculi, & alia quibus Deus nouit trahere peccatores ad veram pœnitentiam. Et ista auxilia specialia secundi generis, aliquando sunt concursus quidam Dei speciales ad huiusmodi præuia: aliquādo sunt sanctæ quædam cogitationes & inspirationes, siue impulsus, quibus Deus nos excitat

Alterius dubii solutio.

Gratias gratis datas esse duplices.

&

& exhortatur ad ipsas vltimatas dispositiones ad gratiam. Hoc supposito pro plena responsione ad quæstionem, & explicatione prioris propositionis, adijciam quintam propositionem huiusmodi.

Propositio quinta.

Quinta propositio: Nemo potest mereri de condigno aliquam gratiam gratis datã, neq; ex congruo gratiam gratis datam, qua trahimur ad fidem. Potest tamen fidelis mereri ex congruo gratias gratis datas, quibus trahitur ad pœnitentiam.

Tria propositionis huius capita confirmantur.

Tria dicimus in hac propositione: Et primum quidem manifestum est. Nulla est enim lex sancita de collatione alicuius gratiæ gratis datæ. Et de peccatore certum est, nullam gratiam eum posse mereri de condigno. Nulla enim tali dignus est. Secundum vero probatur: Fides enim initium est vitæ spiritalis: & qui non credit, neque cognoscit Deum esse, non videtur posse aliquid apud Deum mereri. Et aperte est hoc secundum de mente Diui Augustini, vt patet ex testimonijs illius pro secunda propositione.

Tertium propositionis membrum.

Tertium vero, quod difficilius est, ne nouum existimetur, sicut nouum fortassis est inter Scholasticos Doctores, potest primo probari ex authoritate Diui Augustini, qui in tertio libro Hypognosticôn aperte distinxit inter opera præcedentia fidem, & sequentia: & vt patet ex iam citatis, fidem cõcessit esse meritum, & initium meritorum nostrorum. Sed præstat & aliquot ipsius verba ex Hypognosticôn subijcere, vt lectori apertior sit ipsius sententia. Is itaque, cũ obijceret sibi in persona hæreticorum, *Si non volentis, neque currentis est inuenire Deum: quomodo scriptum est in Psalmis, Et ex voluntate mea confitebor illi*, Et iterum in Apostolo, cum in figura vasorum de peccatoribus dicit: *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum semper paratum*, sic respondet: *Accipe fidei rationem, Alia causa est adhuc non credentis in Deo, alia iam credentis. De non credente, id est, adhuc Deum ignorante, vt cognoscat & credat, in quo opera bona nulla sunt, dictum est Non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei: quia in vanitate sensus, atq; in tenebris obscuratum habens intellectum, liberi arbitrij verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre non potest, nisi Deus propter suam misericordiam, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxerit in corde eius ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu, vt ablato velamine: id est, nebula peccati de corde eius, conuerti possit ad Dominum, qui spiritus est.* Et post paululum: *Iam vero credentis, & illuminati atque reparati in libero arbitrio per gratuitam gratiam Saluatoris, vox est: Et ex voluntate mea confitebor illi. Sed vt possit eidem confiteri, non in se sed gloriatur in Domino. Præmittit enim, Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum.* Et post pauca sibi rursus sic obijcit: *Ergo inquies, damnas opera liberi arbitrij bona quia dicis iustitiam ex operibus non deberi? Si ita est, cur nobis præcipit Apostolus abundare operibus bonis, quia labor noster non erit inanis in Domino?* Et respondet: *Audi hæretice stulte & inimice fidei veritatis. Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant, præparantur per gratiæ preuentum, nullo liberi arbitrij merito, & ipso faciente, gubernante & perficiente, vt abundẽt in libero arbitrio, non damnamus quia ex his vel huiusmodi, homines Dei iustificati sunt, iustificantur, iustificabuntur in Christo. Dãnamus vero authoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquam meritis in Christo, iustificati extolluntur. Quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi:* Et capite 18 De gratia & libero arbitrio: *Eligentium, ait, meritum nullum esset, nisi eos eligentis Dei gratia præueniret.* In quibus verbis ipsam electionem, qua Deo elegimus vere inseruire, meritum videtur appellare. Sed apertius est quod cap. 6 dixerat, *Cum data fuerit gratia, incipiunt merita nostra bona.* Et capite 7. dicit opera bona esse ex fide, non ex operibus fidem. Et super psalmum 67. expresse dicit, à fide omnia bona merita incipere.

Psal. 17.

2. Tim. 2.

Credentis & non credentis alia atq; alia est ratio.

Ioan. 4.

Psal. 27.

1. Cor. 15.

Respondet

Ratio pro tertio mẽbro propositionis V.

Sed & præter authoritatem Augustini, potest hoc ipsum peculiariter sic persuaderi: Congruum est, Deum adducere fideles suos ad veram pœnitentiã, cum illi constanter perseuerant in fide, & insistunt alijs bonis operibus, quibus intendentes, paulatim solent pertrahi ad Dei gratiam. Et ista congruitas est non solum ex bonitate & misericordia diuina, sed ex condecentia

qua-

quadam, propterea quod ipsi huiusmodi oper bus vacant & student. Ergo huiusmodi opera meritoria sunt ex congruo earum omnium gratiarum, quæ requisitæ sunt, vt iustificentur.

Et confirmo hoc. Vtplurimum ita videmus contingere, vt qui huiusmodi bonis operibus vacant, tandem resipiscant à peccatis: & qui ista negligunt, in eis perseuerent, & in dies singulos magis obdurentur. Et omnes Doctores & prædicatores, ita solent ad pœnitentiam trahere peccatores, adhortando scilicet ad bona opera, & constantiam in fide: neque est alia regulariter compendiosior aut certior via. Vnde & Nabuchodonosori consuluit Daniel: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et confirmauit hoc consilium Christus illis verbis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ergo huiusmodi opera, meritoria sunt ex congruo omnium istarum gratiarum, quæ consequuntur fidem, & antecedunt gratiam gratumfacientem.

Daniel 4. Luca 16.

Alia ratio.

Et confirmo amplius: Fides & huiusmodi bona opera, impetrant & obtinent gratias præreq́uisitas ad iustificationem. Ergo vere merebuntur eas ex congruo. Et si, vt in proxima quæstione tradidimus, fides aliena ex congruo meretur peccatori gratias gratis datas necessarias ad suam conuersionem, meretur enim ei gratiam gratumfacientem, & non immediate: multo magis fides propria hoc poterit, quæ certius & efficacius pertrahit peccatores ad veram pœnitentiam. Et quidem istam d gnitatem & præcellentiam fidei, vt meritoria sit ex congruo omnium gratiarum, quæ antecedunt nostram iustificationem, & ipsam consequuntur, videntur nobis innuere & significare scripturæ, cum ei sæpissime tribuunt nostram iustificationem. Ac per ista patebit via exoluendi pleraque argumenta facta in proxima quæstione ad probandum nos iustificari ex meritis. Quamuis enim dispositiones quibus iustificamur, non sint meritoriæ simpliciter nostræ iustificationis, vere tamen possunt dici propter hæc ipsius meritoriæ ex congruo. Sed vt ista magis ad viuum examinentur, faciam aliquot argumenta contra istas propositiones.

Et primo quidem stat contra nos argumentum factum in principio quæstionis huius: Nemo meretur suam iustificationẽ, Ergo nemo meretur ex congruo gratias saltem gratis datas, quibus trahitur ad amicitiam Dei. Sed hoc argumentum patet, ex dictis in tribus propositionibus prioribus, non esse contra nos: Esto enim, concedamus fidem & opera bona meritoria esse gratiæ gratumfacientis, & gratiarum gratis datarum, quæ fidem consequuntur, & bona illa opera, quibus trahuntur ad gratiam peccatores: tamen simpliciter concessimus, neminem iustificari ex meritis etiam de congruo, quia, vt iam diximus, non cadunt sub merito etiã ex congruo omnes gratiæ ad iustificationem requisitæ. Possemus etiam ex superabundanti dicere, merita ex congruo, duplicia esse: Quædam enim sunt, quæ in iustis inueniuntur, & sunt opera ipsorum bona, digna quidem aliquo præmio, sed ideo tantum ex congruo illius meritoria, quia licet iusti digni sint illo, tamen nulla lege sancita tale debetur præmium. Et hæc sic sunt meritoria ex congruo talis præmij, vt merita simpliciter & absolute dici possint, quia vere digna sunt eo præmio, ex hoc, quod grata Deo sunt, & à viris ipsi gratis & amicis fiunt. Alia vero sunt merita ex congruo, quæ in peccatoribus reperiuntur, quæ nullo præmio digna sunt, quia fiunt ab hominibus Deo ingratis & exosis: sed tamen eiusmodi ex se sunt, vt congruum sit, & diuinam bonitatem condeceat, ea ex liberalitate & benignitate sua acceptare, vt trahat peccatores ad suam gratiam. Et huiusmodi merita sic merita sunt vt tamen non necesse sit ea dicere merita absolute, sed tantum merita ex congruo. Atque ideo quamuis fideles peccatores dicamus posse mereri ex congruo suam iustificationem, non est opus concedere absolute, eos posse mereri suam iustificationem. Meritum enim huiusmodi non est meritum simpliciter, sed tantum meritum ex congruo: & sic mereri, non plus videtur

Argum cõtra propos.

Merita ex congruo duplicia.

dicere, quam impetrare quod omnes fatentur, neque potest quispiam negare. Quis enim neget opera bona peccatorum fidelium, impetrare sæpe gratias, quibus trahuntur ad Dei gratiam & amicitiam? Vnde & Augustinus, quod dicit fidem mereri iustificationem, alibi explicare videtur his verbis: *Fides impetrat quod lex imperat.* Occurrit etiam medium quoddam fortassis non incommodum, quo vti possemus ad pleniorem horum solutionem. Et hoc est, vt merita ex congruo, quibus ex lege respondet aliquod præmium, simpliciter & sine addito dicantur merita illius præmij: merita vero, quibus nulla lege respondet certum præmium, sed tantum ex congruitate quadam, aliquando quidem respondet, aliquando vero non, ea non merita simpliciter, sed tantum merita ex cōgruo, cum addito, dicantur. Exempli gratia, martyrio, dilectioni Dei super omnia, vel sal em pœnitentiæ, & perfectæ conuersioni ad Deum, secundum legem diuinam correspondet pro præmio iustificatio nostra, & remissio peccatorum nostrorum. *Si conuerteris enim,* inquit, *conuertam te. Et conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Atque ideo conuersio nostra ad Deum perfecta (& par ratio est de attritione cum sacramento) posset dici meritoria simpliciter nostræ iustificationis. Eum enim valorem, qui ei deest ab ipso efficiente, qui in peccato est, atque ideo indignus est tali præmio, habet huiusmodi conuersio à lege diuina, ex qua tantum videtur valere, vt meritum simpliciter dici possit. Opera vero alia bona, quæ fiunt à peccatoribus, propter quæ Deus eos conuertit, & trahit ad huiusmodi dispositiones ad gratiam, quia nulla lege eum habent valorem, sic merita ex congruo dicentur, vt tamen non simpliciter merita appellentur. Itaque respectu gratiæ gratum facientis, datur in peccatoribus fidelibus meritum ex congruo, quod & meritum simpliciter dici potest, non vero respectu gratiæ gratis datæ, qua Deus trahit peccatores ad suam gratiam. Et hæc satis possunt esse pro isto primo argumento.

Hier. 15. Zach. 1.

Secundo principaliter argumentor: Si darentur merita ex congruo respectu gratiarum gratis datarum, quibus Deus fideles suos trahit ad amicitiā suam, etiam darentur respectu gratiæ, qua trahuntur infideles vel hæretici ad fidem veram. Vt enim congruum est, Deum adducere ad gratiam suam fideles suos, qui declinant à malo, & bonis incumbunt, ita etiam congruum est, Deum adducere ad suam fidem eos, qui quoad intelligunt per lumen suum naturale, & à peccatis cauent, & bonis operibus student. Vnde & ad Cornelium dixit angelus: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare: Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Et quia eunuchus Candacis reginæ Aethiopum, venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur sedens supra currum suum, legensque Esaiam prophetam, dixit spiritus Philippo: *Accede, & adiunge te ad currum istum.* Et nacta occasione ex lectione Esaiæ prophetæ, euangelizauit illi Iesum. Si ergo his non obstantibus non admittimus quenquam mereri, vel ex congruo gratiam, qua trahitur ad fidem, neque admittendum erit mereri posse fideles cæteras gratias, quibus trahuntur ad amicitiam diuinam, qui iam sunt fideles. Aut si hoc dicimus, dicamus & alterum. Vnum enim ex altero sequitur, & par videtur ratio esse de vtroque. Possunt enim aliqua ita bona opera fieri à non credente, ac sunt illa, quæ fiunt à peccatore fideli, propter quæ ex congruo trahitur ad gratiam.

Act. 10.

Arg. ad argumentum.

At hoc argumentum qui tenere voluerit cum Gregorio Ariminensi in secundo, distinctione 38. quæstione prima, articulo 2. in tertio corollario, in infidelibus, qui nullam habent cognitionem veri Dei, nullum esse bonum actum, facile soluet argumentum istud. Meritorius enim actus esse non potest, qui non fuerit bonus actus. Quod si ante fidem non est bonus actus, bene autem post fidem, poterit ergo post fidem esse meritum, non ante. Et præter-

Solutio argumenti ex sententia Grego. Arimínen.

testimonia quæ citat pro se ibi Gregorius Ariminensis, insignis est locus Augustini in enarratione in Psalmum 32. vbi ita inquit: *Debemus nulla opera præponere fidei, id est, vt ante fidem quisquam dicatur bene operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat.* Hæc Augustinus. Sed in communi opinione, quę probabilius asserit, in quibuscunque infidelibus posse inueniri aliqua opera bona, solum hoc inuenio discrimen, quod vt plurimum meliora sunt ea opera, quæ dicimus meritoria ex congruo suæ iustificationis in peccatore fideli. In meliorem enim referuntur finem, & maiori pietate fiunt, & ex hoc quod fiunt ab habente fidem, per quam dirigitur intentio, valorem aliquem & soliditatem quandam capiunt, vt dici possint meritoria ex congruo iustificationis, quam non habent quantumcunque præcellentia opera ante fidem veri Dei. Non enim de alia fide loquimur, cum dicimus ante fidem nulla esse opera meritoria ex congruo. Et hæc fides non deerat Cornelio, neque eunucho Cādacis reginæ. Quare & illorum bona opera bene possunt dici meritoria ex congruo fidei Christi.

Alia solutio authoris.

Sed si tandem quis vrgeat, aut non esse iustificationis meritoria ex congruo opera quæcunque bona, facta à peccatore fideli, sed quæ in Deum & ad impetrandum suam gratiam referuntur: aut oportere concedere, etiam posse in puro infideli inueniri opera meritoria ex congruo fidei, si quidē possint in eo inueniri opera bona, libenter quidem audirem sententiam cuiusque rectius sentientis. Mihi enim nihil melius occurrit, quam quod iam dixi. Et quidem diuus Augustinus ad Sixtum presbyterum epistol. 105. hoc tradidit quod nos. Ait enim: *Quid est meritum hominis ante gratiam cum omne bonum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia?* Et Cælestinus primus Canone 12. suæ primæ epistolæ: *Non dubitemus, à Dei gratia omnia hominis merita præueniri.* Sed si veramuis partem disiunctiuæ modo illatæ concedamus, nullum video apertum incōueniens, modò intelligamus meritum ex congruo, neque debitum facere, neque gratiæ aduersari, & plerosque infideles, etiam sine talibus meritis, trahi ad fidem propter benignissimum & altissimum consilium diuinæ voluntatis.

Et si ad ea bona opera, quibus trahuntur infideles ad fidem, concurrat aliqua gratia gratis data, adhuc stabit, primam simpliciter gratiam non reddi secundum aliquod meritum nostrum, neque simpliciter, neque ex congruo.

Tertio principaliter argumentor contra eandem partem: Non semper veniunt ad gratiam Dei peccatores fideles, qui perseuerant in fide, & huiusmodi bonis operibus vacant. Aliquando etiam veniunt aliqui sine istis, & subito conuertuntur. Ergo ista bona opera, quæ fiunt à peccatoribus, non sunt meritoria neq; ex congruo gratiarum, quibus perducuntur ad gratiam Dei. Argum. 3.

Ad hoc argumentum dico, verissimum esse, Deum plerunque subito & sine vllis meritis conuertere ad se suos fideles, vt quidem conuertisse scimus Paulum, cum non solum non aliqua haberet bona merita suæ iustificationis, sed multa haberet mala merita suæ condemnationis. Verum etiam est, iusto iudicio Dei aliquando non peruenire ad ipsius gratiam aliquos peccatores, qui aliqua videbantur habere merita ex congruo suæ iustificationis. Cum enim nulla sit lex de hoc, aliquando Deus acceptat, vt trahat eos ad suam gratiam: aliquando autem non, vt vel ex hoc appareat, ea non esse merita simpliciter & gratuito iustificari omnes qui iustificantur. Neque ex hoc sequitur, ea non fuisse merita ex congruo. Ad meritum enim ex congruo non requiritur, vt semper habeat suum præmium. Orationes enim iustorum non semper audiuntur in illis, quæ videntur mereri ex cōgruo. Possunt namque huiusmodi merita impediri aliunde, sicut & merita ex condigno, non impediuntur à superueniente peccato, ne habeant præmium [illegible]

Solut arg.

Meritū ex cōgruo suū præmiū non semper habet.

dens. Sed quæstio est de nomine, an tantum debeant dici merita, merita ex congruo, quando non habent suum effectum. In quo vtrumuis dicatur, nihil pericli est. Ideoque ita satis sunto de hac quæstione.

Sed quoniam dum Paulus sæpe asserit, neminem iustificari ex operibus, & Augustinus sæpissime replicat, neminem iustificari ex meritis: hoc videntur potissimum asserere & intendere, neminem posse ex proprijs viribus iustitiam acquirere, vel (quod idem prorsus est) neminem posse suis viribus naturalibus se facere iustum: ideo &, vt hoc quoque attingamus, addemus sequentes quæstiones.

QVÆSTIO VIII.

De necessitate gratiæ ad iustificationem.

AN possit homo per proprias vires naturales, absque Dei adiutorio speciali, facere quæ necessaria sunt ex parte sua, vt iustificetur, & ad gratiam Dei perueniat. Et videtur quidem homo hoc posse, quia Deus non deficit in necessarijs: nihil autem tam necessarium est homini, quam sua iustificatio, & amicitia cum Deo. In contrarium autem est hoc argumentum: Nemo potest, vt late disputauimus in quæst. 6. & 7. mereri suam iustificationem. Ergo neq; eam acquirere ex solis viribus naturalibus cum communi & generali Dei concursu. Ad hanc quæstionem respondeo breuiter hac conclusione.

Probabilis ratio pro affirmatione quæstionis.

CONCLVSIO.

Non potest homo ex solis viribus naturalibus ea efficere, quæ necessaria sunt ad suam iustificationem.

Vt probemus istã conclusionem, necessarium est ante omnia explicare, quæ sint necessaria ad iustificationem nostram.

Et quidem si in genere loquamur, certum est, & sufficere, & necessariam esse ad nostram iustificationem, obseruantiam mandatorum diuinorum. Qui enim dixit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* vtique ostendit, cum omnes & soli iustificati ingressuri sint ad vitam, satis esse ad iustitiam obseruantiam mandatorum. Et qui dixit, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Cum omnes & solos iustos Deus diligat, eisque se solis manifestet, profecto declarauit his verbis, ad iustitiam sufficere obseruantiam mandatorum. Atque ideo crediderim, tam sæpe appellasse Dauidem in psalmis mandata Dei iustificationes, quod eorum obseruantia, iustificatio nostra sit, nihilque aliud præter ea requisitum sit ad nostram iustitiam. Si vero in particulari disquiramus, quæ sint necessaria, vt iustificemur, tria potissimum videntur necessaria dicenda esse ad iustitiam. Primum est fides. *Sine fide enim*, vt ait Apostolus, *impossibile est placere Deo.* Secundum est dilectio Dei super omnia. Est enim hoc primum & maximum mandatum, vt Deum ex toto corde, & ex totis visceribus diligamus: quodque vnum, si bene seruetur, vel solum sufficit. Et per hunc actum maxime venire possunt ad gratiam, & veniunt plerunque, cum ad ætatem accedunt adultam, qui à peccato originali in ætate infantili mundati non sunt. Est etiam & hoc maximum (vt opinor) remedium ijs, qui cum omnia faciãt, quæ sciunt esse necessaria ad salutem, tamen aliqua laborant ignorantia vincibili. Et, vt demus pœnitentiam sine huiusmodi tanta & tam perfecta dilectione ad reconciliandum peccatores DEO satis esse, qua de re in quarto sententiarum distinct. 14. late disputabimus, Deo largiente, certe hic vnus actus, maxime potest perficere nostram pœnitentiam: & si quidem sæpe, vt par est, ex animo repetatur, & frequentetur, maxime quoque nos potest tueri in iustitia, & venialia efficere, quæ alioqui essent lethalia & grauissima. Et saltem iste actus, quo Deum diligimus ex toto corde, & mandata eius proponimus semper seruare, vtplurimum videtur etiã formaliter requiri ad veram pœnitentiam, & in omnibus vere pœnitentibus inueniri. Ideoque illum visum est secundo loco numerare inter ea, quæ necessaria sunt ad iustitiam. Tertium vero præcipue requisitum

Matt. 19.

Ioan. 14.

tum ad iustitiam, est pœnitentia. Requiritur enim hæc, vel formaliter, vel saltem virtualiter, vt consequatur Dei gratiam, qui reus fuerit peccati mortalis. *Nemo enim potest nouam vitam inchoare*, vt ait diuus Augustinus, *quin eum pœniteat vitæ prioris*. Et ad omnes peccatores apud Lucam dicit Christus: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*.

De vanit. sæ. 1.

Lucæ 13.

Virtualis pœnitētia.

Voco autem pœnitentiam virtualem, dilectionem Dei super omnia, & martyrium, & generaliter quidquid vicem habet & virtutē pœnitentiæ, de quo nihil est necesse modo disputare.

Cum igitur in genere requisita sit ad iustitiam obseruatio mandatorum, in particulari vero tria præcipue videantur necessaria, Fides, Dilectio Dei super omnia, Pœnitentia: vt distinctius procedamus, & clarius singula istorum distinctis quæstionibus tractabimus, & in hac quæstione solum probabimus, neminem posse solis viribus naturalibus implere præcepta Dei. Ex quo manifestum erit, neminem posse propriis viribus naturalibus, cum sola communi Dei influentia, facere, quæ necessaria sunt ad salutem, quæ fuit conclusio modo probanda. Et primo quidem hoc aperte diffinitum est in canone quinto concilij Mileuitani, cuius hæc sunt verba: *Placuit, vt quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitriū, facilius possimus implere per gratiam, tanquam &, si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus, etiam sine illa, implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me difficilius potestis facere: sed ait, Sine me nihil potestis facere.* Hæc ibi.

Hac in quæstione quid autor tractare instituerit.

Neque leuis existimanda est huius concilij authoritas. Vt enim alia prætereamus, certe ex epistola quam Innocentius primus ad hoc concilium rescripsit, patet hoc concilium ex authoritate ipsius congregatum Innocentij, & decretum istud, de quo nunc agimus, ab ipso esse approbatum, idque tam constanter, vt doctrinam contrariam, peruersam, peruersarumq; mentium ac prauissimarum appellet. Approbauit eundem canonem, & velut proprium apostolicæ sedis amplexus est Cælestinus primus in cap. 10. primæ suæ epistolæ. Idem etiam diffinitum est in concilio Carthaginēsi, vt patet ex epistola ad eundem Innocentium, vbi ita legimus: *Dicunt heretici, quod naturaliter posset legem implere, qui vult.* Et post pauca quædam: *Persuadere non cessant ad operandam, perficiendamque iustitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam posse sufficere naturam, non attendentes quod scriptum est: Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Et non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Et quod vnū corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem, alter alterius membra, habentes dona diuersa secundum gratiā, quæ data est nobis. Et gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboraui: non ego autem sed gratia Dei mecum. Et Gratias ago Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum. Et quia idonei non sumus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt eminentia sit virtutis Dei, & non ex nobis. Et innumerabilia, quæ de scripturis omnibus si colligere velimus, tempus non sufficit.* Hæc ibi. Et vide, vt ista idem Innocentius in epistola, quam ad hoc concilium rescripsit, per omnia probarit. Post aliquot enim argumenta, quibus eandem sententiam firmauit, ita subdit: *Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quæ dicat adiutorio nobis non opus esse diuino, inimicum se catholicæ fidei, & Dei beneficio profitetur ingratum.* Hæc ille.

Mileuitani concilij authoritas.

Rom. 8. Rom. 9. Rom. 12. 1. Cor. 15. 1. Cor. 15. Ibidem. 2. Cor. 3. 2. Cor. 4.

Et ne quis tergiuersetur, manifeste ostēdit in antecedentibus & consequentibus se eos intelligere dixisse nobis non opus esse adiutorio diuino, qui dicunt liberum arbitrium per se sufficere ad implendū diuina mandata. Refert etiam diuus Augustinus in epistola ad Paulinum Nolanum episcopum, in Palæstino episcopali concilio coactum esse Pelagium anathematizare hanc propositionem, vt catholicæ veritati contrariam. Victoria tentationum non est nobis ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio. Idemque refert Aurelius episcopus Carthaginensis in epist. ad cōprouinciales episcopos de damnatione Pelagij & Cælestij. Quod si per liberum arbitrium possemus

mus implere mandata Dei, possemus etiã vincere tentationes per liberum arbitriũ, & ex eo magis, quam ex Dei adiutorio, saltem plerumque esset victoria tentationũ. Deus enim haudquaquam semper suum adiutorium peculiare impenderet, si non esset nobis illud necessarium. Quinque etiam præcellentes episcopi, Aurelius, Alypius, Augustinus, Euodius, Possidius, qui interfuerunt concilijs Carthaginensis prouinciæ & Numidiæ, & in eis videntur præcipui fuisse, tanquam rem omnino certam istam veritatem tradunt, & probant in epistola, quam ad Innocentium primum scripsere, & ab eo est vehementer probata, vt patet ex illius ad eos rescripto.

Tenuerunt & istam conclusionem, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Beda, Isidorus, Bernardus, Linconiensis. Et eorum testimonia potest quis legere diligenter in vnum collecta apud Gregorium Ariminensem in 2. distinctione 26. q. 1. & distinctione 29. quæstione 1. Quoniam vero res est certa, & ab omnibus quos legerim Doctoribus recepta, non erit nobis esse satis vel vnus Augustinus. Qui pluribus in locis hanc doctrinam, vt certam tradit, & peculiariter libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, cap. c. 2. & in epistola ad Vitalem, & libro de bono perseuerantiæ, & in Hypognosticon prope principium primi libri, & in libro de perfectione iustitiæ, responsione 17. vel 18. *Præcepta*, inquit, *Dei vt fierent, neque iuberetur, si nihil hi voluntas nostra ageret: neque oraretur, si sola sufficeret*. Et in fine totius libri ita scribit: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessar um sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium remouendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito*. Et in libro de hæresibus, hæresi 88. ita ait: *Pelagianorum hæresis omnium recentissima, à Pelagio monacho exorta est. Hi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus, & qua meruimus de potestate tenebrarum erui, in tantum inimici sunt, vt sine hac credant hominem posse facere omnia diuina mandata*. Hæc ibi. Sed libet & huic eximio ecclesiæ Doctori, præstantissimum alterum adiungere, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Hieronymus itaque in explanatione fidei Catholicæ ad Damasum papam inter cætera dogmata ecclesiæ catholicæ, & hoc quoque tradit his verbis: *Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio*.

Augustini testimonia.

Et multum ponderanda est in his authoritas diui Hieronymi. Gelasius enim papa cum concilio 70. Episcoporum in illis, quibus de arbitrij libertate Hier. notauit Ruffinum, expresse dicit, se sentire quæ ille sentit. Et habetur hoc in c. Sancta Romana ecclesia d. 15. Ne autem quispiam ignoret, quare tam cõstanter huiusmodi veritatem tanti isti Patres nobis tradiderunt, præter testimonia istæ sedis Apostolicæ, sanctorum Doctorum, & venerabilium conciliorum, quæ citauimus, præter loca etiam scripturarũ ab eis pro ista conclusione inducta libet istam conclusionem, nonnullis alijs apparentibus argumentis confirmare. Rationes aliæ pro cõclusione.

Et primo eam possumus suadere ex illis verbis Apostoli: *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*. Scriptũ est enim. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*. Vt enim patere potest ex dictis in secunda & 6 quæstione, non dicuntur esse ex operibus legis, omnes qui sub lege fuerunt veteri. fuerunt enim inter eos multi sancti, alieni à maledicto isto legis, & adeo benedicti qui ex fide potius esse dicuntur, & ad nouum testamentum pertinent. Sed hi sunt, qui ex operibus legis sunt, qui viribus suis se existimant sine adiutorio gratiæ diuinæ posse legem implere. Et ideo isti dicuntur esse sub maledicto, quia necesse est eos, qui hæc existimant, in multis aut certe in aliquibus deficere: & maledicto subiacet, qui legẽ præuaricatur. Gal. 3. Deut. 27.

Secundo & hanc veritatem possumus probare ex illis verbis eiusdem Apostoli: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinẽ carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus*. His enim 2. Ratio. Rom. 8.

verbis,

verbis, vt alia difficilia & abdita in eis cõprehensa prætereamus: certe hoc indicatur, legem infirmam esse, parumque efficacem ad iustitiam, neq; vnquam potuisse damnare peccatum, vel quenquam iustificare. Potuisset autem hoc, si potuisset præstare, vt seruaremus ipsam per vires nostras naturales, quia factores legis semper iustificati fuissent, vt idem Paulus docet ad Romanos 2 c.

Etsi bene perpendimus omnia hæc, videtur in his verbis causa aduentus filij Dei in carne, tradi ab Apostolo, vt damnaret peccatum, & suis meritis & gratia faceret nos implere legem, vt iustificatio legis impleatur in nobis.

Tertia ratio. Tertio potest etiam ista veritas confirmari hoc pacto: Necessarium est implorare humiliter auxilium diuinum, vt implere possimus præcepta Dei. Ergo vires nostræ naturales ad hoc non sufficiunt. Antecedẽs probatur. Nisi enim oratio esset ad hoc

Luc. 18. necessaria, non dixisset Christus: *Oportet semper orare, & non deficere.* neque vt rem adeo

Matt. 6. necessariã admonuisset nos inter alia, quæ sunt in oratione Dominica, & id quoque orare, ne intremus in tentationem: neque Dauid adeo frequenter ac toto pene corpore psalterij postularet dirigi vias suas ad custodienda Dei præcepta. Et vbi nihil aliud esset, ipsa consuetudo totius ecclesiæ, quæ & orat, & orare omnes hortatur, vt Deum in suum adiutorium inuocent, vt possint perficere Dei mandata, satis debet esse cuiuis fideli ad credẽdum hoc esse necessarium. Sicut enim non oramus, vt nos calefaciat ignis, frigefaciat aqua, illuminet sol, scimus enim ista certo nobis affutura ex solo Dei generali concursu, neque opus esse ad hæc aliquo ipsius speciali auxilio: ita neque peteremus adeo instanter & assidue Deum, vt in adiutorium nostrum intenderet, vt ipsius mandata seruaremus, si ad hoc sufficeret nobis nostrum arbitrium cum ipsius solo concursu generali. Consequentia tamen huius argumenti probatur. Non enim ea solemus precari & ab alijs postulare, quæ per nosipsos possumus. Et vt pulchre dicit Augustinus in lib. De natura & gratia: *Quid stultius quam orare, vt possis quod in potestate habes, vt facias.* Vsusque est hoc argumento in lib. 2. De baptismo paruulorũ & in lib. De perfectione iustitiæ, Et c. 13. De gratia & lib. arb. ex Cyp. ostendit, vanissime in oratione posci, quæ in lege implenda sunt, si ad ea voluntas humana sine diuino adiutorio sufficeret. Et c. 3. De correct. & gratia, ita ait: *O homo, in præceptione agnosce, quid debeas habere: in correctione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, vnde accipias quod vis habere.*

Vsi etiam sunt hoc argumento in Pelagium & Cælestium, illudq; efficacissimum existimauere Patres in epistola concilij Carthaginensis iam citata, quorum hæc sunt pientissima verba: *Consideret sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ouibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, vt neque orare debeamus, ne intremus in tentationem. quod Dominus discipulos monuit, & posuit in oratione, quam docuit, & vt non deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat inaniter a Domino peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur, quæ naturæ iam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur, neque debuisse dicere Dominum Iesum Christum, Vigilate, & orate: sed* Matth. 26. *tantummodo, Vigilate, vt non intretis in tentationem: neque beatissimo Petro primo Apostolorum,* Lucæ 22. *Rogaui pro te: sed, Moneo te: vel, Impero ac præcipio, ne deficiat fides tua?* Hæc ibi. Approbauitque horum Patrum argumentum in epistola, quam ad eos rescripsit, Innocentius primus. his verbis: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrena labis & mũdani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solus facere possit auxilium.* Et post pusillum cũ explicuisset Dauidem clamare, adiutorio sibi opus esse diuino, cum ait: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me. neque despicias me Deus sa-* Psal. 26. *lutaris meus:* subdit, Dauid orationis ignarus, & suæ naturæ nescius accusetur, qui cum sciat tantum in sua natura esse adiutorem sibi Deum, & assiduum adiutorẽ, neq; illi sufficit assiduũ, sed ne aliquando illũ desi-

ciat.

ciat, orationibus pronus exoptat, & per corpus omne psalterij hoc & prædicat, & clamat. Si ergo hoc ille vir tam magnum scit, vt assidue diceret, & ita necessarium confessus est, vt doceret, quemadmodum Pelagius Cælestiusque seposita omni responsione psalmorum, talique abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adiutorium Dei neque debere quærere, neque egere, cum omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur? Et idem in epistola ad Mileuitanum concilium, ita ait:
Psal. 123. & 26. *Incassum Dauid dixerit, Adiutorium nostrum in nomine Domini: & Adiutor meus esto, &c. si tantũ in eius positum erat voluntate, quod à Domino flebili sermone poscebat.* Hæc ibi. Et pauloante:
Psal. 51. *Merito in hoc Dauid hymnum dicit, Ecce homines qui non posuerunt Deum adiutorem sibi.* Et præcitati quinque episcopi in epistola ad Innocentium, inimicos gratiæ Christi, qui nostram conclusionem negant, appellant, & eis aptant illud psalmistæ: *Qui confidunt in*
Psalm. 48. *virtute sua.*

Ratio 4. Possumus & his aliud argumentum adijcere: Si enim in nostra constitutum esset potestate diuina seruare mandata, non ergo Deo gratiæ essent agendæ, quod ea impleremus, & tentationes vinceremus, aut saltem non aliæ, neque maiores quam eæ, quas debemus ei, quod nos libe. i arbitrij fecerit, & de sua lege docuerit. Quod quidem contra vsum omnium sanctorum, &
Psalm. 117. consuetudinem totius ecclesiæ aperte est, Vnde & Dauid dicit *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.*
Rom. 8. Et iterum: *Impulsus, euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me* Et Paulus ait: *Sed in omnibus superamus per eum qui dilexit nos.* Sic enim legit Augustinus lib. De gratia & libero arbitrio, c. 7. & 17. & non, *Propter eum*, & textui Græco hoc magis consonat. Et pientissime quidem Innocentius in epi. quam rescripsit ad Carthaginense concilium: *Quid tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic denegare debere, quidquid quotidiana gratia consequeris, cui tu ipse confiteris debere, quod natus es? Ergo eris tibi in prouidendo præstantior, quam potest is esse, qui te, vt esses, effecit. Et cum tu putes ei debere, quod viuis: quomodo te non putas illi debere, quod quotidianam eius consequendo gratiam, taliter viuis?* Hæc ibi. Meritoque de istis, præcitati quinque episcopi, ita dicunt in epistola præcitata: Creatori nostro quodammodo dicunt: Tu nos creasti homines, iustos autem ipsi nos fecimus. Qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem: ideo saluam, vt iudicent superfluum saluatorem. Et sicut Apostolus dicit, *Si enim per legem iustitia, ergo* Galat. 2. *Christus gratis mortuus est*: ita perpulchre Augustinus sæpe argumentatur, Si per naturam iustitia, Christus gratis mortuus est. Certe enim eo non indiguissemus reparatore & reformatore naturæ, si illa satis est ad iustitiam. Et peculiariter potest hoc videri in Aug. lib. 4. contra Iulianum Pelag. c. 3. & De gratia & lib. arb. c. 13. & in libro de perfectione iustitiæ, Et in c. 4. De gratia & libe. arb. bene admonet, Hieremiam prophetam non fuisse contentum dicere, *Maledictus homo qui spem habet in homine*: nisi etiam Hier. 17. adijceret, *Et ponit carnem brachium suum*, vel, sicut Aug. ipse legit, *Et firmat carnem brachij sui*, ne videlicet putaretur hoc solum referri ad constituentes spem in altero homine. *Ille enim*, addit, *firmat carnem brachij sui qui potentiam fragilem atque inualidam, id est, humanam sibi sufficere ad bene operandum putat, neque adiutorium sperat à Domino.* Hæc Augustinus.

Postremo & hanc sententiam possumus hac ratione firmare: Si enim seruare possemus sine Dei peculiari auxilio ipsius mãdata, non ergo læsum fuisset arbitrium nostrum per peccatum. Quod est contra cõmunem sententiam Doctorum. Frequenter enim hominem illum, qui ab Hierusalem descendit in Hiericho, & vulneratus est à latronibus, generi humano aptãt Doctores, & de eo dicunt, & velut prouerbio iactant, expoliatum quidem gratuitis, vulneratum vero in naturalibus. Videriq; hoc potest in Augustino, tertio libr. Hypognosticon, & in Magistro in secundo, distinctione 25. ca 8. Et peculiariter est etiam hoc illatum contra ea, quæ Innocentius dicit in epistolis iam citatis, & contra canones primum & octauum & 13. & 15. concilij secundi

di Arausicani. Et passim licet in libris diui Augustini contra Pelagianos, oppositum inuenire.

Quomodo etiã tam rati essent, qui præcepta Dei seruarent, si peculiari Dei destituti auxilio, ea possent homines implere, & non esset ad hoc requisita gratia diuina? Quam cum negligenter quærant homines, necesse est, vel propter hanc negligentiam passim homines deficere, licet Deus paratissimus sit omnibus inuocantibus eum, illã præstare.

Argumẽta contra conclusionem. Sed contra istam conclusionem sunt aliquot apparentia argumenta, quæ necesse est diluere, vt certior sit nostræ conclusionis veritas.

Primum. *Matth. 11.* Primum est: Deus nõ præcipit cuiquam aliquid impossibile. *Iugum* enim *eius suaue est*, sicut ipse asserit, *& onus leue.* Et *mandata eius grauia non sunt*, vt Ioannes dicit. *Et anathema sit*, ait Hieronymus, *qui dixerit Deum nos obligare ad impossibile.* Et Augustinus tertio, de libero arbitrio, ca. 18. *Quis*, inquit, *peccat in eo, quod caueri nullo modo potest?* Cum igitur Deus mandauerit, testante Psalmista, mandata sua custodiri nimis, erit eorum & custodia & executio in nostra posita potestate. Alioqui iniuste damnarentur mandatorum diuinorum transgressores. Nemo enim vituperium meretur, nedum dãnationem, pro eo quod vitare non potest.

1. Ioan. 5 *Psalm. 118.*

Argum. 2. Secundo argumentari quis potest contra istam conclusionem ex verbis Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: Adiecit mandata & præcepta sua: Si volueris mandata conseruare conseruabunt te & in perpetuum fidem placitam seruare: Apposuit tibi aquam & ignem: Ad quod volueris, porrige manum tuam: Ante hominem vita & mors, bonum & malum: Quod placuerit, ei dabitur illi.* Quid enim aliud significatur his verbis, *Reliquit eum in manu consilij sui.* &, *Quod placuerit ei, dabitur illi*: &: *si volueris mandata conseruare, conseruabunt te*: &, *Ad quod volueris porrige manum tuam*: quàm, nostræ prorsus potestati subesse adimplere præcepta Dei? Nam alias neque relictus sibi homo potest videri, neque dicendum erat, si volueris, vel, si placuerit tibi: sed, si voluerit Deus, aut si Deo placuerit, mandata seruabis. Et confirmari potest hoc: Perinde videtur his in verbis subijcere scriptura nostro arbitrio bonũ ac malum, vitam ac mortem, perinde & seruare mandata Dei, ac apponere manum ad ignem vel aquam: sed hæc possumus & similiter malum facere, & mortem nobis conciliare cum solo Dei concursu generali. Ergo etiam seruare præcepta possumus cum solo illo, absque alio speciali. Et possunt hæc confirmari ex illis verbis Moysi ad populum Israeliticum: *Testes inuoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & bonũ, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum.* Perinde n. [illegible] videtur dicere Moyses, ac in potestate populi esset eligere vitam & benedictionem, ac erat eligere maledictionem. Neque minus aperta sunt pro hoc ipso, quæ idem Moyses alibi dicit: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: Maledictionem si non audieritis mandata Domini Dei vestri, sed [illegible] de via quam ego nunc ostendo vobis.* *Deut. 3.*

Tertio fortissime & apertissi[illegible] Paulus contra nos facere, cum [illegible] *quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt.* Si enim gentes naturaliter implebant quæ sunt legis, non ergo opus est peculiari Dei in eam rem auxilio. Quod enim illi potuerunt, & nos poterimus. Et sicut cum dicimus ignem naturaliter comburere, manifeste indicamus ignem sua virtute naturali hoc facere, neque opus ei esse aliquo Dei speciali auxilio, vt comburat: ita videtur indicasse Paulus, Gentes naturali sua virtute implesse legem, cum dixerit naturaliter ea fecisse, quæ sunt legis. Quid enim aliud est, *naturaliter*, quã, naturali virtute & potestate?

Sed hæc argumenta, quæ contra DEI gratiam aperte militant, facile per ipsius gratiam diluemus. Ad primum ergo istorum, & ad argumentum factum in principio quæstionis, sic respondeo: Semper Deus est paratus adiuuare omnes ad seruandum suam legem, neque deficit in re adeo neces- Soluuntur argumẽta.

 saria

& ad suam gratiam recipiat, & hoc congruitate, quæ non tantum est ex bonitate diuina, sed etiam ex valore & natura ipsius operis. Ipsa enim tantorum malorum perpessio præsertim si adiunctam habeat pœnitentiam peccatorum, digna videtur ex congruo amicitia diuina. Nihil enim amplius potest homo propter Deum pati vel præstare. Ergo saltem huiusmodi labores, damna & mortem propter Deum subeuntes, vere ex congruo merebuntur iustificari.

Tertia ratio.

Tertio principaliter argumentor: Incarnatio verbi diuini, multo maius Dei beneficium est: multo & maior gratia, quam iustificatio peccatoris. Vnde & summam eam gratiam appellat Diuus Augustinus, & in rebus per tempus ortis nullam fuisse dicit maiorem gratiam. Et in scripturis antonomatice videtur sæpe appellari gratia. Excedit enim multis interuallis omnes alias gratias, & radix est, & causa, & origo omnium Dei gratiarum & beneficiorum in nos. Sed incarnationem meruerũt ex congruo sancti Patres veteris testamenti, vt & ipse San. Thomas, quem modo impugnamus, defendit tertia parte suæ summæ, quæstione 2. articulo 11. Et quidem quidquid alij sentiant, hoc est probabilius, vt alias, Domino fauente ostendemus. Ergo multo magis iustificatio peccatoris potest cadere sub merito ex congruo. Et confirmo hoc argumẽtum: Non ideo meruerunt sancti Patres hoc tantum & tam eximium beneficium, quia digni illo fuerint. Vnde enim tanta gratia digni essent? Sed ideo illud meruerunt ex congruo, quia congruum fuit, Deũ exaudire desideria & petitiones eorum qui fideliter ei obediebant. Ergo quamuis peccator non sit dignus tanto diuinæ gratiæ beneficio, merebitur nihilominus ex cõgruo illud, cum feruenter & humiliter id postulauerit. Congruum est enim, Deum non despicere confugientes ex toto corde ad ipsum. Potest insuper hoc ipsum confirmari sic: Non aduersatur summæ gratiæ, qua Deus factus est homo, concedere aliqua merita tantum ex congruo eam antecessisse. Ergo quantumuis expresse dicat scriptura nos iustificari ex gratia, & non ex-

Incarnatio verbi, summa gratia.

meritis, non erit inconueniens concedere, iustificari nos aliquo modo ex meritis ex congruo. Non enim meritum ex congruo, aduersatur gratiæ.

Impugnatur quarta propositio. Argum. 1.

Sed contra istam propositionem argumentari quis potest hunc in modum: Nullus peccator dignus est re adeo incomparabili, ac est amicitia diuina. Vix enim dignus est pane, quo vescitur. Ergo nullus peccator meretur aliquo pacto gratiam diuinam Eo enim præmio, quod quis meretur, absque dubio dignus est.

Argum. 2.

Præterea omnes dispositiones ad gratiã diuinam, dona sunt Dei, neque ad illas sufficit liberum arbitrium, vt in quæstionibus proximis perspicuum faciemus. Ergo illæ non sunt meritoriæ gratiæ diuinæ. Istam consequentiam facit multis in locis Augustinus, vt patet ex testimonijs illius iam citatis, & peculiariter ex capite 23. & 31. De gratia Christi contra Pelagium & Cælestium. Et potest fieri hæc consequentia apparens hoc modo: Per dona quæ quis recepit ab aliquo, non meretur noua alia dona, sed debitor constituitur potius nouorum obsequiorum, & nouarum gratiarum. Exempli gratia: Per equum & preciosa indumenta, quæ quis recipit à rege, vt idoneus sit gerendo & administrando magistratui, non meretur magistratum. Cum ergo dispositiones ad gratiam, dona sint Dei, quibus efficimur idonei ad recipiendam gratiam ipsius, non erunt illæ merita gratiæ, sed potius nouorum nos constituent debitores obsequiorum, & nouarum gratiarum actionum.

Argum. 3.

Tertio argumentari quis potest contra nos ex verbis Augustini in epistola ad Bonifacium Papam, quæ est in numero epistolarum 106 *Cum fides*, inquit, *impetrat iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei, aliquid meriti præcedit humani: sed ipsa meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, voluntate comitante, non ducente, pedissequa, non præuia.* Hæc Augustinus. Ex quibus videtur, secundum Augustinum, non ideo gratiam Dei sequi ad aliquod meritum, quia fides impetrat iustificationem.

Soluitur Argum. 1.

Hæc tamen argumenta suo sic ordine soluo:

Soluo: Ad primum: Non est peccator dignus gratia diuina. Si enim dignus esset, mereretur illam per sua opera ex digno vel cõdigno: quod si fieret, iam gratia non esset gratia. Neque requisita est ad meritum de congruo talis dignitas in merente, sed satis est, ex congruo deberi vel respondere ei merito præmium, cuius est meritũ. Quod si aliquis dicat, necesse esse cõcedere, peccatores conuertentes se ex toto corde ad Deum dignos esse ex congruo & beneficio diuino & amicitia Dei, si quidem merentur illam ex congruo. Equidem neque video quare hoc sit necessarium, neque scio vnde probari possit id esse absurdum.

Solutur Argum. 2. Ad secundum: Dispositiones ad gratiã non tantum sunt dona Dei, sed sunt etiam opera liberi arbitrij: & quatenus talia sunt, possunt esse meritoria donorum Dei, quæ posteriora ipsis sunt: sicut etiam opera meritoria iustorum, dona sunt Dei, & nihilominus vere & proprie sunt meritoria. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, licet non omnia, vt Aug. docet in cap. 32. Enchiridij. Et in epistola ad Sixtum presbyterum: *Cum coronat Deus merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.* Distinguere ergo oportet de donis. Quæ enim tãtum dona sunt, sicut esse, gratia, equus, indumenta, dona sunt, & non merita: quæ vero dona Dei sunt, & opera nostra: & dona vere sunt, & merita. Et quando Diuus Augustinus argumentatur, fidem non esse meritum, quia donum Dei est: crediderim eum non illò tendere, vt probet fidem nullo pacto esse meritum. Hoc enim si diceret, aperte repugnaret sibi, vt patet ex suis ipsius testimonijs iam citatis. Sed eo profecto tendit, vt probet non esse meritum eo modo, quo Pelagius eam dicebat esse meritum nostræ iustificationis, vt opus quidem solius liberi arbitrij, cui deberetur iustificatio. Et contra hunc verò apparens est argumentum: Fides donum Dei est, non ergo fides meritum est, cui debeatur iustitia. Ea enim ex parte, qua donum Dei est præmium non ei respondet, neque debetur de stricta iustitia, ac responsurum videri posset & deberi, si solius esset liberi arbitrij. Sed hæc satis

Donæ non eiusdẽ generis.

pro pietate, quam debemus tanto Doctori. Non enim necesse est, omnia ipsius argumenta, demonstratiua vel omnino efficacia credere.

Soluitur Argum. 3. Ad tertium: Nomine gratiæ non intelligit Augustinus eo in loco gratumfacientem, sed generaliter loquitur de gratia, vt sub se continet gratias gratis datas & gratumfacientem. Et ideo dicit, nihil meriti humani præcedere gratiam Dei, quia ante fidem nullum est meritum, & iuxta hunc sensum intelligenda sunt quæ sequuntur. Restat tamen adhuc vnum dubium discutiendum. An possimus similiter concedere mereri peccatores ex congruo eas gratias gratis datas, quæ consequuntur fidem, & antecedunt gratiam gratumfacientem, vt per eas adiuuentur ad ea, quæ ex parte sua requisita sunt, vt iustificentur: & pro huius dubij exolutione diligenter aduertendum est, duplices esse gratias gratis datas, quibus trahuntur peccatores ad amicitiam diuinã. Quædã sunt efficaces, quibus positis semper peccatores apponunt quidquid ex parte ipsorum requisitum est, vt iustificentur: & per consequens, semper eis positis, iustificantur. Aliæ vero sunt, quæ non semper habent suum effectum: sed & positis illis, adhuc peccatores non iustificantur: quia resistunt illis per libertatem arbitrij, neque plene ad Deum conuertuntur. Primi generis sunt auxilia specialia, quibus Deus concurrit ad vltimatas dispositiones ad gratiã gratumfacientem: quales sunt, martyrium, dilectio Dei super omnia, dolor de peccatis, vt offensiua sunt Dei. Secundi vero generis sunt auxilia specialia, quibus Deus ad fidem adiuuat, & ad alia præuia ad contritionem, vel dispositiones quascunque vltimatas ad gratiam, qualia sunt timor inferni, spes regni cœlorum, horror peccatorum, eleemosynæ grandes, despectus bonorum huius seculi, & alia quibus Deus nouit trahere peccatores ad veram pœnitentiam. Et ista auxilia specialia secundi generis, aliquando sunt concursus quidam Dei speciales ad huiusmodi præuia: aliquãdo sunt sanctæ quædam cogitationes & inspirationes, siue impulsus, quibus Deus nos excitat

Alterius dubii solutio.

Gratias gratis datas esse duplices.

& exhortatur ad ipsas vltimatas dispositiones ad gratiam. Hoc supposito pro plena responsione ad quæstionem, & explicatione prioris propositionis, adijciam quintam propositionem huiusmodi.

Propositio quinta.

Quinta propositio: Nemo potest mereri de condigno aliquam gratiam gratis datā, neq; ex congruo gratiam gratis datam, qua trahimur ad fidem. Potest tamen fidelis mereri ex congruo gratias gratis datas, quibus trahitur ad pœnitentiam.

Tria propositionis huius capita confirmantur.

Tria dicimus in hac propositione: Et primum quidem manifestum est. Nulla est enim lex sancita de collatione alicuius gratiæ gratis datæ. Et de peccatore certum est, nullam gratiam eum posse mereri de condigno. Nulla enim tali dignus est. Secundum vero probatur: Fides enim initium est vitæ spiritalis: & qui non credit, neque cognoscit Deum esse, non videtur posse aliquid apud Deum mereri. Et aperte est hoc secundum de mente Diui Augustini, vt patet ex testimonijs illius pro secunda propositione.

Tertium propositionis membrum.

Tertium vero, quod difficilius est, ne nouum existimetur, sicut nouum fortassis est inter Scholasticos Doctores, potest primo probari ex authoritate Diui Augustini, qui in tertio libro Hypognosticôn aperte distinxit inter opera præcedentia fidem, & sequentia: & vt patet ex iam citatis, fidem cōcessit esse meritum, & initium meritorum nostrorum. Sed præstat & aliquot ipsius verba ex Hypognosticôn subijcere, vt lectori apertior sit ipsius sententia. Is itaque, cū obijceret sibi in persona hæreticorum, *Si non volentis, neque currentis est inuenire Deum: quomodo scriptum est in Psalmis, Et ex voluntate mea confitebor illi*, Et iterum in Apostolo, cum in figura vasorum de peccatoribus dicit: *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum semper paratum*, sic respondet: *Accipe fidei rationem, Alia causa est adhuc non credentis in Deo, alia iam credentis. De non credente, id est, adhuc Deum ignorante, vt cognoscat & credat, in quo opera bona nulla sunt, dictum est Non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei: quia in vanitate sensus, atq; in tenebris obscuratum habens intellectum, liberi arbitrij verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre non potest, nisi Deus propter suam misericordiam, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxerit in corde eius ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu, vt ablato velamine: id est, nebula peccati de corde eius, conuerti possit ad Dominum, qui spiritus est.* Et post paululum: *Iam vero credentis, & illuminati atque reparati in libero arbitrio per gratuitam gratiam Saluatoris, vox est: Et ex voluntate mea confitebor illi. Sed vt possit eidem confiteri, non in se sed gloriatur in Domino. Præmittit enim, Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum.* Et post pauca sibi rursus sic obijcit: *Ergo inquies, damnas opera liberi arbitrij bona quia dicis iustitiam ex operibus non deberi? Si ita est, cur nobis præcipit Apostolus abundare operibus bonis, quia labor noster non erit inanis in Domino?* Et respondet: *Audi hæretice stulte & inimice fidei veritatis. Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant, præparantur per gratiæ præuentum, nullo liberi arbitrij merito, & ipso faciente, gubernante & perficiente, vt abundēt in libero arbitrio, non damnamus quia ex his vel huiusmodi, homines Dei iustificati sunt, iustificantur, iustificabuntur in Christo. Dānamus vero authoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquam meritis in Christo, iustificati extolluntur. Quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi:* Et capite 18 De gratia & libero arbitrio: *Eligentium, ait, meritum nullum esset, nisi eos eligentis Dei gratia præueniret.* In quibus verbis ipsam electionem, qua Deo elegimus vere inseruire, meritum videtur appellare. Sed apertius est quod cap. 6 dixerat, *Cum data fuerit gratia, incipiunt merita nostra bona.* Et capite 7. dicit opera bona esse ex fide, non ex operibus fidem. Et super psalmum 67. expresse dicit, à fide omnia bona merita incipere.

Psal. 17.

2. Tim. 2.

Credentis & non credentis alia atq; alia est ratio.

Ioan. 4.

Psal. 27.

1. Cor. 15.

Respondet

Ratio pro tertio membro propositionis V.

Sed & præter authoritatem Augustini, potest hoc ipsum peculiariter sic persuaderi: Congruum est, Deum adducere fideles suos ad veram pœnitentiā, cum illi constanter perseuerant in fide, & insistunt alijs bonis operibus, quibus intendentes, paulatim solent pertrahi ad Dei gratiam. Et ista congruitas est non solum ex bonitate & misericordia diuina, sed ex condecentia qua-

quadam, propterea quod ipsi huiusmodi oper bus vacant & student. Ergo huiusmodi opera meritoria sunt ex congruo earum omnium gratiarum, quæ requisitæ sunt, vt iustificentur.

Et confirmo hoc. Vtplurimum ita videmus contingere, vt qui huiusmodi bonis operibus vacant, tandem resipiscant à peccatis: & qui ista negligunt, in eis perseuerent, & in dies singulos magis obdurentur. Et omnes Doctores & prædicatores, ita solent ad pœnitentiam trahere peccatores, adhortando scilicet ad bona opera, & constantiam in fide: neque est alia regulariter compendiosior aut certior via. Vnde & Nabuchodonosori consuluit Daniel: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et confirmauit hoc consilium Christus illis verbis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ergo huiusmodi opera, meritoria sunt ex congruo omnium istarum gratiarum, quæ consequuntur fidem, & antecedunt gratiam gratumfacientem.

Daniel 4. Lucæ 16.

Alia ratio.

Et confirmo amplius: Fides & huiusmodi bona opera, impetrant & obtinent gratias prærequisitas ad iustificationem. Ergo vere merebuntur eas ex congruo. Et si, vt in proxima quæstione tradidimus, fides aliena ex congruo meretur peccatori gratias gratis datas necessarias ad suam conuersionem, meretur enim ei gratiam gratumfacientem, & non immediate: multo magis fides propria hoc poterit, quæ certius & efficacius pertrahit peccatores ad veram pœnitentiam. Et quidem istam dignitatem & præcellentiam fidei, vt meritoria sit ex congruo omnium gratiarum, quæ antecedunt nostram iustificationem, & ipsam consequuntur, videntur nobis innuere & significare scripturæ, cum ei sæpissime tribuunt nostram iustificationem. Ac per ista patebit via exoluendi pleraque argumenta facta in proxima quæstione ad probandum nos iustificari ex meritis. Quamuis enim dispositiones quibus iustificamur, non sint meritoriæ simpliciter nostræ iustificationis, vere tamen possunt dici propter hæc ipsius meritoriæ ex congruo. Sed vt ista magis ad viuum examinentur, faciam aliquot argumenta contra istas propositiones.

Et primo quidem stat contra nos argumentum factum in principio quæstionis huius: Nemo meretur suam iustificationẽ, Ergo nemo meretur ex congruo gratias saltem gratis datas, quibus trahitur ad amicitiam Dei. Sed hoc argumentum patet, ex dictis in tribus propositionibus prioribus, non esse contra nos: Esto enim, concedamus fidem & opera bona meritoria esse gratiæ gratumfacientis, & gratiarum gratis datarum, quæ fidem consequuntur, & bona illa opera, quibus trahuntur ad gratiam peccatores: tamen simpliciter concessimus, neminem iustificari ex meritis etiam de congruo, quia, vt iam diximus, non cadunt sub merito etiã ex congruo omnes gratiæ ad iustificationem requisitæ. Possemus etiam ex superabundanti dicere, merita ex congruo, duplicia esse: Quædam enim sunt, quæ in iustis inueniuntur, & sunt opera ipsorum bona, digna quidem aliquo præmio, sed ideo tantum ex congruo illius meritoria, quia licet iusti digni sint illo, tamen nulla lege sancita tale debetur præmium. Et hæc sic sunt meritoria ex congruo talis præmij, vt merita simpliciter & absolute dici possint, quia vere digna sunt eo præmio, ex hoc, quod grata Deo sunt, & à viris ipsi gratis & amicis fiunt. Alia vero sunt merita ex congruo, quæ in peccatoribus reperiuntur, quæ nullo præmio digna sunt, quia fiunt ab hominibus Deo ingratis & exosis: sed tamen eiusmodi ex se sunt, vt congruum sit, & diuinam bonitatem condeceat, ea ex liberalitate & benignitate sua acceptare, vt trahat peccatores ad suam gratiam. Et huiusmodi merita sic merita sunt vt tamen non necesse sit ea dicere merita absolute, sed tantum merita ex congruo. Atque ideo quamuis fideles peccatores dicamus posse mereri ex congruo suam iustificationem, non est opus concedere absolute, eos posse mereri suam iustificationem. Meritum enim huiusmodi non est meritum simpliciter, sed tantum meritum ex congruo: & sic mereri, non plus videtur

Argum cõtra propos.

Merita ex congruo duplicia.

Xxxxx dicere,

dicere, quam impetrare quod omnes fatentur, neque potest quispiam negare. Quis enim neget opera bona peccatorum fidelium, impetrare sæpe gratias, quibus trahũtur ad Dei gratiam & amicitiam? Vnde & Augustinus, quod dicit fidem mereri iustificationem, alibi explicare videtur his verbis: *Fides impetrat quod lex imperat.* Occurrit etiam medium quoddam fortassis non incommodum, quo vti possemus ad pleniorem horum solutionem. Et hoc est, vt merita ex congruo, quibus ex lege respondet aliquod præmium, simpliciter & sine addito dicantur merita illius præmij: merita vero, quibus nulla lege respondet certum præmium, sed tantum ex congruitate quadam, aliquando quidem respondet, aliquando vero non, ea non merita simpliciter, sed tantum merita ex cõgruo, cum addito, dicantur. Exempli gratia, martyrio, dilectioni Dei super omnia, vel saltem pœnitentiæ, & perfectæ conuersioni ad Deum, secundum legem diuinam correspondet pro præmio iustificatio nostra, & remissio peccatorum nostrorum. *Si conuerteris enim,* inquit, *conuertam te. Et conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Atque ideo conuersio nostra ad Deum perfecta (& par ratio est de attritione cum sacramento) posset dici meritoria simpliciter nostræ iustificationis. Eum enim valorem, qui ei deest ab ipso efficiente, qui in peccato est, atque ideo indignus est tali præmio, habet huiusmodi conuersio à lege diuina, ex qua tantum videtur valere, vt meritum simpliciter dici posset. Opera vero alia bona, quæ fiunt à peccatoribus, propter quæ Deus eos conuertit, & trahit ad huiusmodi dispositiones ad gratiam, quia nulla lege eum habent valorem, sic merita ex congruo dicentur, vt tamen non simpliciter merita appellentur. Itaque respectu gratiæ gratum facientis, datur in peccatoribus fidelibus meritum ex congruo, quod & meritum simpliciter dici potest, non vero respectu gratiæ gratis datæ, qua Deus trahit peccatores ad suam gratiam. Et hæc satis possunt esse pro isto primo argumento.

Hier. 15. Zach. 1.

Ad 2. argumentum. Secundo principaliter argumentor: Si darentur merita ex congruo respectu gratiarum gratis datarum, quibus Deus fideles suos trahit ad amicitiã suam; etiam darentur respectu gratiæ, qua trahuntur infideles vel hæretici ad fidem veram. Vt enim congruum est, Deum adducere ad gratiam suam fideles suos, qui declinant à malo, & bonis incumbunt, ita etiam congruum est, Deum adducere ad suam fidem eos, qui quoad intelligunt per lumen suum naturale, & à peccatis cauent, & bonis operibus student. Vnde & ad Cornelium dixit angelus: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare: Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Et quia eunuchus Candacis reginæ Aethiopum, venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur sedens supra currum suum, legensque Esaiam prophetam, dixit spiritus Philippo: *Accede, & adiunge te ad currum istum.* Et nacta occasione ex lectione Esaiæ prophetæ, euangelizauit illi Iesum. Si ergo his non obstantibus non admittimus quenquam mereri, vel ex congruo gratiam, qua trahitur ad fidem, neque admittendum erit mereri posse fideles cæteras gratias, quibus trahuntur ad amicitiam diuinam, qui iam sunt fideles. Aut si hoc dicimus, dicamus & alterum. Vnum enim ex altero sequitur, & par videtur ratio esse de vtroque. Possunt enim aliqua ita bona opera fieri à non credente, ac sunt illa, quæ fiunt à peccatore fideli, propter quæ ex congruo trahitur ad gratiam.

Act. 10.

At hoc argumentum qui tenere voluerit cum Gregorio Ariminensi in secundo, distinctione 38. quæstione prima, articulo 2. in tertio corollario, in infidelibus, qui nullam habent cognitionem veri Dei, nullum esse bonum actum, facile soluet argumentum istud. Meritorius enim actus esse non potest, qui non fuerit bonus actus. Quod si ante fidem non est bonus actus, bene autem post fidem, poterit ergo post fidem esse meritum, non ante. Et præter-[illegible]

Solutio argumenti ex sententia Grego. Ariminen.

testimonia quæ citat pro se ibi Gregorius Ariminensis, insignis est locus Augustini in enarratione in Psalmum 31. vbi ita inquit: *Debemus nulla opera præponere fidei, id est, vt ante fidem quisquam dicatur bene operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat.* Hæc Augustinus. Sed in communi opinione, quę probabilius asserit, in quibuscunque infidelibus posse inueniri aliqua opera bona, solum hoc inuenio discrimen, quod vt plurimum meliora sunt ea opera, quæ dicimus meritoria ex congruo suæ iustificationis in peccatore fideli. In meliorem enim referuntur finem, & maiori pietate fiunt, & ex hoc quod fiunt ab habente fidem, per quam dirigitur intentio, valorem aliquem & soliditatem quandam capiunt, vt dici possint meritoria ex congruo iustificationis, quam non habent quantumcunque præcellentia opera ante fidem veri Dei. Non enim de alia fide loquimur, cum dicimus ante fidem nulla esse opera meritoria ex congruo. Et hæc fides non deerat Cornelio, neque eunucho Cādacis reginæ. Quare & illorum bona opera bene possunt dici meritoria ex congruo fidei Christi.

Alia solutio authoris.

Sed si tandem quis vrgeat, aut non esse iustificationis meritoria ex congruo opera quæcunque bona, facta à peccatore fideli, sed quæ in Deum & ad impetrandum suam gratiam referuntur: aut oportere concedere, etiam posse in puro infideli inueniri opera meritoria ex congruo fidei, si quidē possint in eo inueniri opera bona, libenter quidem audirem sententiam cuiusque rectius sentientis. Mihi enim nihil melius occurrit, quam quod iam dixi. Et quidem diuus Augustinus ad Sixtum presbyterum epistol. 105. hoc tradidit quod nos. Ait enim: *Quod est meritum hominis ante gratiam cum omne bonum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia?* Et Cælestinus primus Canone 12. suæ primæ epistolæ: *Non dubitemus, à Dei gratia omnia hominis merita præueniri.* Sed si veramuis partem disiunctiuæ modo illatæ concedimus, nullum video apertum incōueniens, modò intelligamus meritum ex congruo, neque debitum facere, neque gratiæ aduersari, & plerosque infideles, etiam sine talibus meritis, trahi ad fidem propter benignissimum & altissimum consilium diuinæ voluntatis.

Et si ad ea bona opera, quibus trahuntur infideles ad fidem, concurrat aliqua gratia gratis data, adhuc stabit, primam simpliciter gratiam non reddi secundum aliquod meritum nostrum, neque simpliciter, neque ex congruo.

Tertio principaliter argumentor contra eandem partem: Non semper veniunt ad gratiam Dei peccatores fideles, qui perseuerant in fide, & huiusmodi bonis operibus vacant. Aliquando etiam veniunt aliqui sine istis, & subito conuertuntur. Ergo ista bona opera, quæ fiunt à peccatoribus, non sunt meritoria neq; ex congruo gratiarum, quibus perducuntur ad gratiam Dei. Argum. 3.

Ad hoc argumentum dico, verissimum esse, Deum plerunque subito & sine vllis meritis conuertere ad se suos fideles, vt quidem conuertisse scimus Paulum, cum non solum non aliqua haberet bona merita suæ iustificationis, sed multa haberet mala merita suæ condemnationis. Verum etiam est, iusto iudicio Dei aliquando non peruenire ad ipsius gratiam aliquos peccatores, qui aliqua videbantur habere merita ex congruo suæ iustificationis. Cum enim nulla sit lex de hoc, aliquando Deus acceptat, vt trahat eos ad suam gratiam: aliquando autem non, vt vel ex hoc appareat, ea non esse merita simpliciter & gratuito iustificari omnes qui iustificantur. Neque ex hoc sequitur, ea non fuisse merita ex congruo. Ad meritum enim ex congruo non requiritur, vt semper habeat suum præmium. Orationes enim iustorum non semper audiuntur in illis, quæ videntur mereri ex cōgruo. Possunt namque huiusmodi merita impediri aliunde, sicut & merita ex condigno, non impediuntur à supernenie[illegible] peccato, ne habeant præmium [illegible] Solut arg. Meritū ex cōgruo, præmiū non semper habet.

dens. Sed quæstio est de nomine, an tantum debeant dici merita, merita ex congruo, quando non habent suum effectum. In quo vtrumuis dicatur, nihil periculi est. Ideoque ita satis sunto de hac quæstione.

Sed quoniam dum Paulus sæpe asserit, neminem iustificari ex operibus, & Augustinus sæpissime replicat, neminem iustificari ex meritis: hoc videntur potissimum asserere & intendere, neminem posse ex proprijs viribus iustitiam acquirere, vel (quod idem prorsus est) neminem posse suis viribus naturalibus se facere iustum: ideo &, vt hoc quoque attingamus, addemus sequentes quæstiones.

QVÆSTIO VIII.

De necessitate gratiæ ad iustificationem.

AN possit homo per proprias vires naturales, absque Dei adiutorio speciali, facere quæ necessaria sunt ex parte sua, vt iustificetur, & ad gratiam Dei perueniat. Et videtur quidem homo hoc posse, quia Deus non deficit in necessarijs: nihil autem tam necessarium est homini, quam sua iustificatio, & amicitia cum Deo. In contrarium autem est hoc argumentum: Nemo potest, vt late disputauimus in quæst. 6. & 7. mereri suam iustificationem. Ergo neque eam acquirere ex solis viribus naturalibus cum communi & generali Dei concursu. Ad hanc quæstionem respondeo breuiter hac conclusione.

Probabilis ratio pro affirmatione quæstionis.

CONCLVSIO.

Non potest homo ex solis viribus naturalibus ea efficere, quæ necessaria sunt ad suam iustificationem.

Vt probemus istã conclusionem, necessarium est ante omnia explicare, quæ sint necessaria ad iustificationem nostram.

Et quidem si in genere loquamur, certum est, & sufficere, & necessariam esse ad nostram iustificationem, obseruantiam mandatorum diuinorum. Qui enim dixit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: vtique ostendit, cum omnes & soli iustificati ingressuri sint ad vitam, satis esse ad iustitiam obseruantiam mandatorum. Et qui dixit, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Cum omnes & solos iustos Deus diligat, eisque se solis manifestet, profecto declarauit his verbis, ad iustitiam sufficere obseruantiam mandatorum. Atque ideo crediderim, tam sæpe appellasse Dauidem in psalmis mandata Dei iustificationes, quod eorum obseruantia, iustificatio nostra sit, nihilque aliud præter ea requisitum sit ad nostram iustitiam. Si vero in particulari disquiramus, quæ sint necessaria, vt iustificemur, tria potissimum videntur necessaria dicenda esse ad iustitiam. Primum est fides. *Sine fide enim*, vt ait Apostolus, *impossibile est placere Deo.* Secundum est dilectio Dei super omnia. Est enim hoc primum & maximum mandatum, vt Deum ex toto corde, & ex totis visceribus diligamus: quodque vnum, si bene seruetur, vel solum sufficit. Et per hunc actum maxime venire possunt ad gratiam, & veniunt plerunque, cum ad ætatem accedunt adultam, qui à peccato originali in ætate infantili mundati non sunt. Est etiam & hoc maximum (vt opinor) remedium ijs, qui cum omnia faciãt, quæ sciunt esse necessaria ad salutem, tamen aliqua laborant ignorantia vincibili. Et, vt demus pœnitentiam sine huiusmodi tanta & tam perfecta dilectione ad reconciliandum peccatores DEO satis esse, qua de re in quarto sententiarum distinct. 14. late disputabimus, Deo largiente, certe hic vnus actus, maxime potest perficere nostram pœnitentiam: & si quidem sæpe, vt par est, ex animo repetatur, & frequentetur, maxime quoque nos potest tueri in iustitia, & venialia efficere, quæ alioqui essent lethalia & grauissima. Et saltem iste actus, quo Deum diligimus ex toto corde, & mandata eius proponimus semper seruare, vtplurimum videtur etiã formaliter requiri ad veram pœnitentiam, & in omnibus vere pœnitentibus inueniri. Ideoque illum visum est secundo loco numerare inter ea, quæ necessaria sunt ad iustitiam. Tertium vero præcipue requisitum

Matt 19.

Ioan. 14.

tum ad iustitiam, est pœnitentia. Requiritur enim hæc, vel formaliter, vel saltem virtualiter, vt consequatur Dei gratiam, qui re-us fuerit peccati mortalis. *Nemo enim potest nouam vitam inchoare*, vt ait diuus Augustinus, *quin eum pœniteat vitæ prioris*. Et ad omnes peccatores apud Lucam dicit Christus: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

De pœnit. dist. 1.

Lucæ 13.

Virtualis pœnitētia.

Voco autem pœnitentiam virtualem, dilectionem Dei super omnia, & martyrium, & generaliter quidquid vicem habet & virtutem pœnitentiæ, de quo nihil est necesse modo disputare.

Cum igitur in genere requisita sit ad iustitiam obseruatio mandatorum, in particulari vero tria præcipue videantur necessaria, Fides, Dilectio Dei super omnia, Pœnitentia: vt distinctius procedamus, & clarius singula istorum distinctis quæstionibus tractabimus, & in hac quæstione solum probabimus, neminem posse solis viribus naturalibus implere præcepta Dei. Ex quo manifestum erit, neminem posse proprijs viribus naturalibus, cum sola communi Dei influentia, facere, quæ necessaria sunt ad salutem, quæ fuit conclusio modo probanda. Et primo quidem hoc aperte diffinitum est in canone quinto concilij Mileuitani, cuius hæc sunt verba: *Placuit: vt quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitriũ, facilius possimus implere per gratiam tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus, etiam sine illa, implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur vbi non ait: Sine me difficilius potestis facere: sed ait, Sine me nihil potestis facere.* Hæc ibi.

Hac in quæstion: quid author tractaturus sit.

Neque leuis existimanda est huius concilij authoritas. Vt enim alia prætereamus, certe ex epistola quam Innocentius primus ad hoc concilium rescripsit, patet hoc concilium ex authoritate ipsius congregatum Innocentij, & decretum istud, de quo nunc agimus, ab ipso esse approbatum, idque tam constanter, vt doctrinam contrariam, peruersam, peruersarumq; mentium ac prauissimarum appellet. Approbauit eundem canonem, & velut proprium apostolicæ sedis amplexus est Cælestinus primus in cap. 10. primæ suæ epistolæ. Idem etiam diffinitum est in concilio Carthaginēsi, vt patet ex epistola ad eundem Innocentium, vbi ita legimus: *Dicunt heretici, quod naturaliter posset legem implere, qui vult.* Et post pauca quædam: *Persuadere non cessant ad operandam, perficiendamque iustitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam posse sufficere naturam, non attendentes quod scriptum est: Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Et non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Et quod vnũ corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem, alter alterius membra, habentes dona diuersa secundum gratiã, quæ data est nobis. Et gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboraui: non ego autem sed gratia Dei mecum. Et Gratias ago Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum. Et quia idonei non sumus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobisipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt eminentia sit virtutis Dei, & non ex nobis. Et innumerabilia, quæ de scripturis omnibus si colligere velimus, tomus non sufficit.* Hæc ibi. Et vide, vt ista idem Innocentius in epistola, quam ad hoc concilium rescripsit, per omnia probarit. Post aliquot enim argumenta, quibus eandem sententiam firmauit, ita subdit: *Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quæ dicat adiutorio nobis non opus esse diuino, inimicum se catholicæ fidei, & Dei beneficio profitetur ingratum.* Hæc ille.

Rom. 8.
Rom. 9.
Rom. 12.
1. Cor. 15.
1. Cor. 15.
Ibidem.
2. Cor. 3.
2. Cor. 4.

Mileuitani concilij authoritas.

Et ne quis tergiuersetur, manifeste ostēdit in antecedentibus & consequentibus se eos intelligere dixisse nobis non opus esse adiutorio diuino, qui dicunt liberum arbitrium per se sufficere ad implendũ diuina mandata. Refert etiam diuus Augustinus in epistola ad Paulinum Nolanum episcopum, in Palæstino episcopali concilio coactum esse Pelagium anathematizare hanc propositionem, vt catholicæ veritati contrariam. Victoria tentationum non est nobis ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio. Idemque refert Aurelius episcopus Carthaginensis in epist. ad cõprouinciales episcopos de damnatione Pelagij & Cælestij. Quod si per liberum arbitrium posse-

mus implere mandata Dei, possemus etiã vincere tentationes per liberum arbitriũ, & ex eo magis, quam ex Dei adiutorio, saltem plerumque esset victoria tentationũ. Deus enim haudquaquam semper suum adiutorium peculiare impenderet, si non esset nobis illud necessarium. Quinque etiam præcellentes episcopi, Aurelius, Alypius, Augustinus, Euodius, Possidius, qui interfuerunt concilijs Carthaginensis prouinciæ & Numidiæ, & in eis videntur præcipui fuisse, tanquam rem omnino certam istam veritatem tradunt, & probant in epistola, quam ad Innocentium primum scripsere, & ab eo est vehementer probata, vt patet ex illius ad eos rescripto.

Tenuerunt & istam conclusionem, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Beda, Isidorus, Bernardus, Linconiensis. Et eorum testimonia potest quis legere diligenter in vnum collecta apud Gregorium Ariminensem in 2. distinctione 26. q. 1. & distinctione 29. quæstione 1. Quoniam vero res est certa, & ab omnibus quos legerim Doctoribus recepta, po erit nobis esse satis vel vnus Augustinus. Qui pluribus in locis hanc doctrinam, vt certam tradit, & peculiariter libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, cap. r. 2. & in epistola ad Vitalem, & libro de bono perseuerantiæ, & in Hypognosticon prope principium primi libri, & in libro de perfectione iustitiæ, responsione 17. vel 18. *Præcepta*, inquit, *Dei vt fierent, neque iuberetur, si nihil bi voluntas nostra ageret: neque oraretur, si sola sufficeret*. Et in fine totius libri ita scribit: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium remouendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.* Et in libro de hæresibus, hæresi 88. ita ait: *Pelagianorum hæresis omnium recentissima, à Pelagio monacho exorta est. Hi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus, & qua meruimus de potestate tenebrarum erui, in tantum inimici sunt, vt sine hac credant hominem posse facere omnia diuina mandata.* Hæc ibi. Sed libet & huic eximio ecclesiæ Doctori, præstantissimum alterum adiungere, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Hieronymus itaque in explanatione fidei Catholicæ ad Damasum papam inter cætera dogmata ecclesiæ catholicæ, & hoc quoque tradit his verbis: *Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio.*

Augustini testimonia.

Et multum ponderanda est in his authoritas diui Hieronymi. Gelasius enim papa cum concilio 70. Episcoporum in illis, quibus de arbitrij libertate Hier. notauit Ruffinum, expresse dicit, se sentire quæ ille sentit. Et habetur hoc in c. Sancta Romana ecclesia d. 15. Ne autem quispiam ignoret, quare tam cõstanter huiusmodi veritatem tanti isti Patres nobis tradiderunt, præter testimonia ista sedis Apostolicæ, sanctorum Doctorum, & venerabilium conciliorum, quæ citauimus, præter loca etiam scripturarũ ab eis pro ista conclusione inducta libet istam conclusionem, nonnullis alijs apparentibus argumentis confirmare.

Rationes aliæ pro cõclusione.

Et primo eam possumus suadere ex illis verbis Apostoli: *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Scriptũ est enim. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Vt enim patere potest ex dictis in secunda & 6. quæstione, non dicuntur esse ex operibus legis, omnes qui sub lege fuerunt veteri. fuerunt enim inter eos multi sancti, alieni à maledicto isto legis, & adeo benedicti qui ex fide potius esse dicuntur, & ad nouum testamentum pertinent. Sed hi sunt, qui ex operibus legis sunt, qui viribus suis se existimant sine adiutorio gratiæ diuinæ posse legem implere. Et ideo isti dicuntur esse sub maledicto, quia necesse est eos, qui hæc existimant, in multis aut certe in aliquibus deficere: & maledicto subiacet, qui legẽ præuaricatur.

Gal. 3. Deut. 27.

Secundo & hanc veritatem possumus probare ex illis verbis eiusdem Apostoli: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinẽ carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus.* His enim

2. Ratio. Rom. 8.

verbis, vt alia difficilia & abdita in eis cõprehensa prætereamus: certe hoc indicatur, legem infirmam esse, parumque efficacem ad iustitiam, neq; vnquam potuisse damnare peccatum, vel quenquam iustificare. Potuisset autem hoc, si potuisset præstare, vt seruaremus ipsam per vires nostras naturales, quia factores legis semper iustificati fuissent, vt idem Paulus docet ad Romanos 2 c.

Etsi bene perpendimus omnia hæc, videtur in his verbis causa aduentus filij Dei in carne, tradi ab Apostolo, vt damnaret peccatum, & suis meritis & gratia faceret nos implere legem, vt iustificatio legis impleatur in nobis.

Tertia ratio. Tertio potest etiam ista veritas confirmari hoc pacto: Necessarium est implorare humiliter auxilium diuinum, vt implere possimus præcepta Dei. Ergo vires nostræ naturales ad hoc non sufficiunt. Antecedês probatur. Nisi enim oratio esset ad hoc Luc. 18. necessaria, non dixisset Christus: *Oportet semper orare, & non deficere*, neque vt rem adeo Matt. 6. necessariã admonuisset nos inter alia, quæ sunt in oratione Dominica, & id quoque orare, ne intremus in tentationem: neque Dauid adeo frequenter ac toto pene corpore psalterij postularet dirigi vias suas ad custodienda Dei præcepta. Et vbi nihil aliud esset, ipsa consuetudo totius ecclesiæ, quæ & orat, & orare omnes hortatur, vt Deum in suum adiutorium inuocent, vt possint perficere Dei mandata, satis debet esse cuiuis fideli ad credêdum hoc esse necessarium. Sicut enim non oramus, vt nos calefaciat ignis, frigefaciat aqua, illuminet sol: scimus enim ista certo nobis affutura ex solo Dei generali concursu, neque opus esse ad hæc aliquo ipsius speciali auxilio: ita neque peteremus adeo instanter & assidue Deum, vt in adiutorium nostrum intenderet, vt ipsius mandata seruaremus, si ad hoc sufficeret nobis nostrum arbitrium cum ipsius solo concursu generali. Consequentia tamen huius argumenti probatur. Non enim ea solemus precari & ab alijs postulare, quæ per nosipsos possumus. Et vt pulchre dicit Augustinus in lib. De natura & gratia: *Quid stultius quam orare, vt possis quod in potestate habes, vt facias.* Visusque est hoc argumento in lib. 2. De baptismo paruulorũ & in lib. De perfectione iustitiæ, Et c. 13. De gratia & lib. arb. ex Cyp. ostendit, vanissime in oratione posci, quæ in lege implenda sunt, si ad ea voluntas humana sine diuino adiutorio sufficeret. Et c. 3. De correct. & gratia, ita ait: *O homo, in præceptione agnosce, quid debeas habere: in correctione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, vnde accipias, quod vis habere.*

Visi etiam sunt hoc argumento in Pelagium & Cælestium, illudq; efficacissimum existimauere Patres in epistola concilij Carthaginensis iam citata, quorum hæc sunt pientissima verba: *Consideret sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ouibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, vt neque orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus discipulos monuit, & posuit in oratione, quam docuit, & vt non deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat inaniter a Domino peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur, quæ naturæ iam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur, neque debuisse dicere Dominum Iesum Christum, Vigilate, & orate: sed* Matth. 26. *tantummodo, Vigilate, vt non intretis in tentationem: neque beatissimo Petro primo Apostolorum,* Luca 22. *Rogaui pro te: sed, Moneo te: vel, Impero ac præcipio, ne deficiat fides tua?* Hæc ibi. Approbauitque horum Patrum argumentum in epistola, quam ad eos rescripsit, Innocentius primus. his verbis: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis & mũdani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solius facere possit auxilium.* Et post pusillum cũ explicuisset Dauidem clamare, adiutorio sibi opus esse diuino, cum ait: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus:* subdit, Dauid orationis ignarus, Psal. 26. & suæ naturæ nescius accusetur, qui cum sciat tantum in sua natura esse adiutorem sibi Deum, & assiduum adiutorẽ, neq; illi sufficit assiduũ, sed ne aliquando illũ deseri-

ciat.

di Arausicani. Et passim licet in libris diui Augustini contra Pelagianos, oppositum inuenire.

Quomodo etiã tam rari essent, qui præcepta Dei seruarent, si peculiari Dei destituti auxilio, ea possent homines implere, & non esset ad hoc requisita gratia diuina? Quam cum negligenter quærant homines, necesse est, vel propter hanc negligentiam passim homines deficere, licet Deus paratissimus sit omnibus inuocantibus eum, illã præstare.

Arguměta contra conclusionem. Sed contra istam conclusionem sunt aliquot apparentia argumenta, quæ necesse est diluere, vt certior sit nostræ conclusionis veritas.

Primum. *Matth. 11.* Primum est: Deus nõ præcipit cuiquam aliquid impossibile. *Iugum enim eius suaue est,* sicut ipse asserit, *& onus leue.* Et *mandata eius grauia non sunt,* vt Ioannes dicit. *Et anathema sit,* ait Hieronymus, *qui dixerit Deum nos obligare ad impossibile.* Et Augustinus tertio, de libero arbitrio, ca. 18. *Quis,* inquit, *peccat in eo, quod caueri nullo modo potest?* Cum igitur Deus mandauerit, testante Psalmista, mandata sua custodiri nimis, erit eorum & custodia & executio in nostra posita potestate. Alioqui iniuste damnarentur mandatorum diuinorum transgressores. Nemo enim vituperium meretur, nedum dãnationem, pro eo quod vitare non potest.

1. Ioan 5

Psalm. 118.

Argum. 2. Secundo argumentari quis potest contra istam conclusionem ex verbis Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: Si volueris mandata conseruare conseruabunt te & in perpetuum fidem placitam seruare: Apposuit tibi aquam & ignem: Ad quod volueris, porrige manum tuam: Ante hominem vita & mors, bonum & malum: Quod placuerit, ei dabitur illi.* Quid enim aliud significatur his verbis, *Reliquit eum in manu consilij sui.* &, *Quod placuerit ei dabitur illi*: &: *si volueris mandata conseruare, conseruabunt te*: &, *Ad quod volueris porrige manum tuam*: quàm, nostræ prorsus potestati subesse adimplere præcepta Dei? Nam alias neque relictus sibi homo potest videri, neque dicendum erat, si volueris, vel, si placuerit tibi: sed, si voluerit Deus, aut si Deo placuerit, mandata seruabis. Et confirmari potest hoc: Perinde videtur his in verbis subijcere scriptura nostro arbitrio bonũ ac malum, vitam ac mortem, perinde & seruare mandata Dei, ac apponere manum ad ignem vel aquam: sed hæc possumus & similiter malum facere, & mortem nobis conciliare cum solo Dei concursu generali. Ergo etiam seruare præcepta possumus cum solo illo, absque alio speciali. Et possunt hæc confirmari ex illis verbis Moysi ad populum Israeliticum: *Testes inuoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & bonũ, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum.* Perinde n. ista videtur dicere Moyses, ac in potestate populi esset eligere vitam & benedictionem, ac erat eligere maledictionem. Neque minus aperta sunt pro hoc ipso, quæ idem Moyses alibi dicit: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem si obedieritis mandatis Domini Dei vestri quæ ego hodie præcipio vobis: Maledictionem si non audieritis mandata Domini Dei vestri, sed ... de via quam ego nunc ostendo vobis.*

Deut. 3...

Tertio fortissime & apertissi... Paulus contra nos facere, cum ... *quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt.* Si enim gentes naturaliter implebant quæ sunt legis, non ergo opus est peculiari Dei in eam rem auxilio. Quod enim illi potuerunt, & nos poterimus. Et sicut cum dicimus ignem naturaliter comburere, manifeste indicamus ignem sua virtute naturali hoc facere, neque opus ei esse aliquo Dei speciali auxilio, vt comburat: ita videtur indicasse Paulus, Gentes naturali sua virtute implesse legem, cum dixerit naturaliter ea fecisse, quæ sunt legis. Quid enim aliud est, *naturaliter*, quã, naturali virtute & potestate?

Soluuntur argumẽta. Sed hæc argumenta, quæ contra DEI gratiam aperte militant, facile per ipsius gratiam diluemus. Ad primum ergo illorum, & ad argumentum factum in principio quæstionis, sic respondeo: Semper Deus est paratus adiuuare omnes ad seruandum suam legem, neque deficit in re adeo necessaria

ſaria. Sed ne ſuperbiremus, ſed potius ab eo toti penderemus, noluit eas præſtare vires, vt ſine ſua gratia & fauore ſpeciali poſſemus ſeruare omnia mandata. Vt vere autem poſſe dicamus, ſatis eſt nos cũ ſua gratia poſſe, & eum ſemper eſſe paratum eam præſtare non ponenti obicem. Et enim poſſe dicimur, quæ per amicos poſſumus, vt prouerbium habet commune.

2. Ad ſecundum: Nobiles aliqui authores dicunt, locum illum Eccleſiaſtici de homine eſſe intelligendum pro ſtatu naturæ inſtitutæ, non pro ſtatu iſto naturæ lapſæ. Et videntur pro eis facere illa verba poſita in principio totius teſtimonij allegati: *Deus ab initio conſtituit hominem.* Ex his enim videtur de homine agi, tantum pro initio creationis ſuæ.

Aug. in pri. 3. hypog. Greg. Arim. in 2. d. 26. q. 1 & d. 29.

Sed cum Eccleſiaſticus ad homines ſui temporis loquatur, cum dicit: *Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum:* & generaliter de homine loquatur, cum addit: *Ante hominem vita & mors. quod placuerit ei, dabitur illi:* non videtur mihi ſatis conſentaneum, iſta limitare ad hominem pro ſtatu innocentiæ. Neque antecedentia aut conſequentia hoc poſtulant, ſed potius, ſi bene illa perpendamus, oppoſitũ. Ad hoc enim iſta dicuntur ab Eccleſiaſtico, vt oſtendat merito omne execramentum erroris à Deo odio haberi, neque debere quenquam ſuam culpam in alium conijcere. Et ideo poſt iſta, quę citata ſunt, ſubdit: Deum videre omnes ſine intermiſſione, & agnoſcere omnem operam hominis, vt doceat timendum eſſe eum, quem nihil poteſt fallere, quique optime nouit omnes, qui peccant, voluntate ſua peccare. Dicendum ergo ad argumentum hoc cum ſua confirmatione aliter: Ideo noſtræ poteſtati ſubdunt Moyſes & Eccleſiaſticus implere Dei mandata, quia totum quod ex Dei auxilio ad hoc requiſitum eſt præter noſtram voluntatem, id totum promptiſſimus eſt Deus nobis exhibere. Faciẽti enim quod in ſe eſt, Deus benigniſſimus nunquam denegat ſuam gratiam. Et ideo proſpexit Deus noſtræ imbecillitati tam multa alia ſcripturarũ loca, quibus aperte aſſeritur neceſſitas gratiæ diuinæ, ne ex locis citatis occaſionem ſumeret ſuperba ignorantia noſtra credendi, non eſſe nobis magis Dei auxilio opus ad bonum, quam ad malum. Immo, vt bene admonet diuus Aug. cap. 16. De gratia & libero arb. ideo & ipſe Eccleſiaſticus orauit: *Ventris appetitio, & concubitus ne apprehẽdat me,* vt ex iſta oratione ipſius, qua hæc à Deo petit, intelligamus quomodo dixerit, *Si volueris, mandata conſeruabis.*

Eccli. 15.

Solut. ar. 2.

Eccli. 23.

Ibidem.

Ad tertium: Graues quidã authores dicunt, propterea dixiſſe Paulum, Gentes naturaliter facere ea quæ ſunt legis, quia loquebatur de gentilibus iuſtis, in quibus natura erat reformata per gratiam, atque ideo per auxilium Dei legem ipſius ſeruare poterant. Et verbo, *naturaliter*, autumãt ſignificari, quantum eorum mentem poſſum aſſequi, quod non violentè, neque repugnãte natura, ſed potius ſuaui quodam ipſius naturæ ductu & inſtinctu, & modo ipſi naturæ in ſe conſono, ea facerent quæ ſunt legis, velut naturaliter homines feciſſent, cum integra erat natura, & non deprauata per peccatum.

Solut arg. 3. Augu. in De ſpir. & lit. & 4. contr. Iulia. Pel. c. 8. Mag. Sen. & S. Thom. in expoſ. huius loci.

Et ad hoc ponderant non dictum eſſe, Gentes, quæ gratiam non habent: ſed, *Gentes, quæ legem non habent:* & ideo dictum eſſe, *naturaliter*, quia hoc agit Spiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, reſtauret. Sed probari mihi non poteſt iſta expoſitio. Naturaliter, enim non hîc pro violentè, ſed contra ſupernaturaliter, videtur accipi. Atque hoc ſatis poſtulant illa verba, *Quæ legem non habent.* Et explicare videtur hoc loco Paulus non ſolum quomodo Gentiles iam iuſtificati, implerent quæ ſunt legis: ſed quomodo, etiam implẽdo ea, quæ ſunt legis, iuſtificarentur. Neq; de illis ſolis agit, qui cum iam ſint iuſtificati, præcepta legis obſeruant: ſed & de illis loquitur, qui impletione legis iuſtificantur.

Greg. Arim. in 2. d. 26. q. 1 ad 1. principale. S. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 4. ad 1.

Atq; ideo breuius & apertius dico: Verbo, naturaliter, nõ excluditur ſpeciale auxilium, quo Deus etiam iuuat eos, qui iuſti fuerũt ex Gentibus, ſed excluditur ſupernaturalis & gratuita legis alicuius reuelatio. Hoc enim agit ibi Paulus, vt oſtendat Iudæis,

Iudæis, haud ita magnopere debere eos gloriari de lege ipsis supernaturaliter data, quando & sine ipsius adminiculo Gentiles naturali quodam lumine ea, quæ legis erãt, explerent. Et hunc esse sensum verum Pauli, indicant verba quæ sequuntur statim: *Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Rom. 2.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD CREDENDVM.

QVÆSTIO NONA.

VN possimus per vires solas naturales, cum communi Dei influentia, credere fidei nostræ. Et videntur quidem, nos nõ posse, his argumentis: Primo, Per vires nostras naturales possumus assentiri falsis, & credere opposita fidei: Ergo multo magis poterimus assentire fidei. Pronior enim est intellectus noster ad assentiendum veris, quam falsis: & apertiora sunt & maiora argumenta pro fide, quam contra eam. Et cõfirmo: Vnus & idem assensus successiue potest esse verus & falsus, fidelis & hæreticus, vt patet de assensu huius propositionis, Filius Dei est homo, continuato cum simili certitudine & firmitate per illam horam, in cuius medietate filius Dei incarnatus est. Si ergo intellectus noster pro prima medietate, pro qua iste assensus erat falsus & hæreticus, potuisset eum continuare cum solo generali concursu, cur non etiam pro secũda medietate, pro qua verus fuit & catholicus, & prorsus assensus fidei? Secundo: Aliquibus veris inevidentibus, & pauciora & minora habentibus testimonia suæ veritatis, quam habent ea quæ sunt fidei, nos possumus fidem adhibere sine peculiari Dei auxilio. Ergo idipsum etiam poterimus respectu eorum quæ sunt fidei.

Probabiles rationes pro affirmatiõe quæstionis.

Et confirmare hoc possumus: Homini possemus certo credere sine Dei speciali auxilio: Igitur & Deo. Quo enim aliquis veracior existimatur à nobis, facilius ei possumus fidem adhibere. Et confirmo amplius. Ex viribus nostris & lumine naturali nosse possumus, vel saltem credere, Deũ esse veracissimum, & neque falli, neque fallere posse. Ergo vbi constiterit, Deum aliquid reuelare, sicut vere constitit Abrahæ & alijs prophetis, nihil erat illis opus auxilio speciali, vt ea crederent, quæ Deus eis reuelabat. Et quanquam ista consequentia satis videtur manifesta, tamen potest aperte probari, ne quispiam dubitet de ea. Si enim per vires nostras naturales possumus assentire maiori & minori & consequentiæ, poterimus & per easdem assentire conclusioni, cum talis assensus necessario sequatur ex alijs. Cum igitur ista consequentia euidens sit, omne reuelatum à Deo, est verum, hoc est, reuelatum à Deo. Ergo hoc est verum, & intellectus prophetarum sua vi naturali huic consequentiæ assentiretur, & similiter maiori & minori. Non ergo indigebit speciali auxilio, vt assentiretur conclusioni. Tertio: Facilimum est credere illis, quæ, euidens est, esse credenda: Sed euidens est, credendum esse fidei nostræ, vt nobiliores docent theologi: Ergo eis saltem, qui hanc euidentiam habent, facilimũ erit credere, neque erit ad id opus aliquo peculiari Dei auxilio. Et confirmo: Qui sic euidenter nôrunt credendum esse fidei nostræ, difficilime auelli possent à fide, aut de eius veritate dubitare. Non igitur indigent speciali aliqua gratia, vt contineant suam fidem.

S. Thom. 2. 2 q. 1. a. 4. Sco q. 2. prolog.

In contrarium autem argumentor ex canone quinto Concilij secundi Arausicani, cuius hæc sunt verba: Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum scilicet credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus aduersa[...] probatur.

Negatiua pars.

Idemque rursus magis confirmatur canone octauo: Et de præclara fide sanctorum Patrum, quos commendat Paulus in epistola ad Hebræos, ibidem canone 25. ita dicitur: *Non per bonum naturæ, quod prius in*

Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam, quia gratiam etiam poſt aduentum Domini omnibus, qui baptizari deſiderant, nõ in libero arbitrio habere, ſed in Chriſti nouimus ſimul & credimus largitate conferri.

Ad iſtam quæſtionem vnica concluſione huiuſmodi reſpondeo:

CONCLVSIO.

Nemo poteſt ſine peculiari Dei gratia credere his, quæ ex præcepto diuino tenemur credere. Hæc propoſitio tam apertis conſtat ſcripturæ diuinæ teſtimonijs, vt nõ dubitem oppoſitum eius hæreticum eſſe, & à quolibet Chriſtiano merito execrandum. Et tale viſum eſſe diuo Auguſtino, patere poteſt ex capite 3. & 19 libri primi & capite 5. libri 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum, & ex fine tertij Hypognoſticô 1. Et in libro de gratia Chriſti contra Pelagium & Cæleſtium capite 31. Pelagianicum hoc eſſe, aperte docet. Et toto in libro de prædeſtinatione ſanctorum, hoc præcipue agit, vt oſtendat initium fidei nobis eſſe à Deo. Et peculiariter capite ſecundo, ita ait: *Non receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in episcopali iudicio Palaſtino, ſicut ipſius geſta teſtantur, damnare compulſus eſt, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ſi non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus.* Et capite ſeptimo, & 14. de gratia & lib. arbi. idem ex profeſſo probat contra Pelagianos, facitque idem libro de perfectione iuſtitiæ prope finem. Et, vt patet ex citatis ſupra quæſtione ſeptima, ex eodem, in libro primo Retractationum capite 23. ipſe retractauit, vt errorem apertum, quam olim contrariam huic ſententiam docuerat. Sed ne quiſpiam ambigat de hac propoſitione, fortiſſima aliquot proferamus argumenta, quæ pro illa ſunt.

Arg. pro cõ clusionis cõfirmatione. Primum igitur pro ea argumentum, eſt ex Paulo ad Epheſios ſecundo: *Gratia*, inquit, *ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Ecce hic Paulus, fidem dicit Dei donum eſſe, & non ex nobis, immo ne meritis quidem noſtris eam nos poſſe aſſequi. Alioqui enim, & in quo gloriari poſſemus, haberemus.

Dicet tamen forte aliquis, non ad fidem iſta eſſe referenda, ſed ad ſalutem potius noſtram: quia non dicitur, Et hæc non ex vobis: ſed, *Et hoc non ex vobis*, videlicet quod ſaluati eſtis per fidem.

Verum ita communiter, ac nos pro nobis induximus, hunc locum intellectum video à Doctoribus, & peculiariter ab Auguſtino capite ſeptimo, de gratia & libero arbitrio. Et Magiſter ſententiarum in ſecundo, diſtinctione 27. capite ſecundo expreſſe dicit, hunc locum Pauli à ſanctis ſic exponi: Hæc, ſcilicet fides, non eſt ex vi naturæ noſtræ, quia donum Dei pure eſt. Si tamen hoc non ſufficiat argumentum, adijciam alterum.

Secundo igitur argumentor pro noſtra Argum. 2. cõcluſione ex illis apertiſſimis verbis eiuſdem Pauli ad Philippenſes 2. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum, vt in eum credatis, ſed etiam, vt pro illo patiamini.* Quid quæritur amplius? Si donatum eſt, non ergo à nobis eſt. Sed vide quod pro Chriſto adiecit, vt intelligeremus meritis Chriſti nobis eam donari, & non meritis noſtris. Vtrunque enim voluit Paulus his verbis refellere, & fidem noſtris viribus poſſe contingere, & ſi non viribus, certe meritis. Vnde & de ſe alias aperte dicit: *Miſericordiam conſecutus ſum, vt* 1. Cor. 7. *fidelis eſſem.* Miſericordiæ imputat ſuam fidem, quia nouerat illam, neque meritis ſibi ſuis, neque viribus naturalibus contigiſſe, neque oblitus erat eius, qui dixerat: *Deus* Pſal. 58. *meus, miſericordia eius præueniet me.* Quibus enim meritis bonæ volũtatis ſibi fides contigiſſet, cum ſpirans minas, & cædem, dum pergebat ad deuaſtandos horrenda mentis cæcitate ac furore Chriſtianos, ab his malis ad fidem mirabili prorſus & repentina vocatione conuerſus eſt.

Vnde & Auguſtinus capite ſeptimo de gratia & libro arbitrio, hinc dicit oſtendi ipſam fidem haberi, niſi Deo miſerante, nõ poſſe, & eſſe donum Dei. Atque ideo alibi fidem dicit fuiſſe reuelandam, vt intelligamus nos non viribus noſtris, ſed reuelatione diuina potuiſſe illam aſſequi. Et alibi:

Vnicui-

Rom. 12. *Vnicuique* ait, *Deus diuisit mensuram fidei*. Et alio in loco inter gratias, quas idem Spiritus dispartitur, fidem connumerat dicens: *Alteri fides in eodem Spiritu*: Et cum plane potuisset dicere, habere nos eandem fidem cum patribus veteris testamenti, noluit hoc sine commendatione gratiæ diuinæ asserere:
2. Cor. 4. *Habentes*, inquit, *eundem spiritum fidei*, vt doceremur videlicet ab eodem proficisci spiritu fidem veterem & nostram, neq; quemplam vnquam, nisi ex dono spiritus, credidisse.

Et confirmari potest hoc argumentum, quia multis alijs in locis scriptura Deo adscribit fidelium fidem. Apud Matthæum
Matth. 16 dicit Christus Petro: *Beatus es Simon bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est*. Et Actorum 14. Paulus & Barnabas dicebant Apostolis, quod gentibus aperuerat Deus ostium fidei. Et 16. capite de Lydia purpuraria, quæ credidit, & baptizata est cum sua domo, dicitur Dominus aperuisse cor eius, vt intenderet illis quæ dicebantur à Paulo. Ex quibus omnibus videtur, neminem credere, nisi Deo eum docente, eiusq; aperiente cor, vt credat.

Dicet tamen fortassis aliquis, istis verbis asseruisse quidem Paulum fidem esse à Deo, non negasse tamen quin etiam posset esse à nobis: & à Deo quidem esse, non quia ille faciat, vt possimus credere, quod absque ipso non possumus, sed quod suum fauorem & gratiam benigne nobis impartiatur, vt facilius possimus credere. Sed nè istis aut similibus responsionibus sit locus, addam tertium argumentum.

Argum 3. Tertio igitur potest ista conclusio firma-
Ioan. 6. ri ex verbis Saluatoris apud Ioannem: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum*. Nam, si bene aduertamus quæ præcesserunt, & quæ sequuta sunt, manifestum erit. Christum in hoc loco, de aduentu ad se per fidem, agere. Præcedunt enim ista: *Qui venit ad me non esuriet: & qui credit in me, non sitiet. Sed dixi vobis quia vidistis me & nō credidistis. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non eijciam foras*. Et post pusillum: *Hæc est autem voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. In quibus manifestum est explicari, aduentum ad Christum, esse credere in eum.

Et vt de hoc aduentu intelligerentur verba citata, cum, nè quispiam hunc tantum aduentum arrogaret suis viribus, subdidisset, *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*: adiecit statim eadem, quæ credentibus pollicitus fuerat, *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Vt autem explicaret, patrem trahere docendo & illuminando, subdit: *Est scriptum in prophetis, Erunt omnes doc biles Dei. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me*. Et vt istam doctrinam & illuminationem indicaret non habere euidentiam, sed obscuritatem quam habet fides, immo nihil aliud eam esse, quam infusionem & traditionem fidei, mox addidit: *Non quia vidit patrem quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam*. Vtque omnis præcluderetur ansa dubitandi, efficerque omnibus perspicuum, de hoc aduentu per fidem, Christum egisse: post pauca quædam, inter quę commemorat Euangelista, eum quibusdam ex suis scandalizatis dixisse: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*: de suo adnectit, *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis esset traditurus eum*. Et dicebat: *Propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo*. Cum igitur apertissimum sit, Christum his verbis, de aduentu ad se per fidem, agere, & apertè asserat neminem ad se posse venire, nisi cum pater suus traxerit: vt certum & constantissimum videtur relinqui, neminem posse credere ijs quæ sunt fidei, per vires solas naturales. Esaia 54.

Et ponderandum est, sicut & ponderat diuus Augustinus primo libro contra duas epistolas Pelagianorum, capite 19. non dixisse Christum, Nisi pater, qui misit me, duxerit eum: sed dixisse, *Nisi pater, qui misit me, traxerit eum*: ne vllam nostram præcedere credamus voluntatem, aut meritum. Ducuntur enim volentes. Quis autem trahitur, si iam hoc volebat? Et ideo etiam dictum est, *Nisi fuerit ei datum à patre meo*:

Vt intelligamus, fidem non nobis reddi pro meritis, sed gratuito à Deo nobis elargiri & concedi. Et confirmant ista omnia & illustrant verba, quæ præcesserant in eodem capite. Cum enim dixisset ad Christũ quidam, *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Respondit Iesus, & dixit eis: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.*

Cur enim fides diceretur opus Dei, sicut miracula alibi vocauit aperte opera Dei, dicens: *Me oportet operari opera Dei*: nisi verum esset, ad fidem peculiariter Deum concurrere, neque sufficere nostrum liberum arbitrium cum concursu Dei generali ad credendum, vt sufficit per se ad peccandum? Et ne quis dicat, ideo non sufficere liberum arbitrium ad credendum ea, quæ sunt fidei, quia inter illa multa sunt supernaturalia, & nulla humana vestigatione scibilia, quæ nisi audiantur, credi non possunt: ponderandum est bene, illis dicta esse ista omnia, quę in hoc argumento allegauimus, qui audiuerant, credenda: atque ideo explicuisse, mirandum non esse, si quidam ex illis, qui eum audiebant, crederent, quidam non crederent, quia nemo potest credere, nisi patre cœlesti eum trahente & docente.

Ioan. 9.

Vnde & Augustinus super hæc verba ita ait: *Quid est, nemo potest venire ad me: nisi, quod nemo potest credere in me, nisi qui misit me pater, traxerit eum? Ille venit, quem Dei gratia præuenit. Qui cum propheta dicit: Miser cordia eius præuenit me.* Hæc ibi.

Psalm. 58.

Et capite quinto De gratia & libero arbitrio: *Venire ad Christum*, ait, *est credendo in eum conuerti.* Et eodem modo exponit hunc locum, libro De perfectione iustitiæ, prope finem.

Quarto idem possumus probare ex illis verbis Ioannis 4. apit. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, *Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertatur, & sanem eos.* Ex istis verbis dupliciter possumus in fauorem nostræ propositionis argumentari.

Primo, Si hoc subesset potestati nostræ naturali, cur essent tam pauci fideles, vt merito Esaias dixerit, *Domine, quis credidit auditui nostro?* Cur etiam visis à Hierosolymitis tam apertis & tam admirandis signis, ac erant illa quæ Christus coram eis patrabat, quæ quidem vim pene videbantur eis inferre, & necessitatem afferre, vt crederent: Impossibile enim erat non esse verum, quod tanta luce testimoniorum confirmabatur. Cur, inquam, visis tam perspicuis, & tam præcellentibus prodigijs, tamen quidam ex videntibus non credebant, nisi quia vires nostræ naturales ad hoc non sufficiunt? & necesse est, cuicunque hoc tantum bonũ contingit, vt credat dono Dei prorsus contingere, qui, quem vult, gratis illuminat: & quem vult, pro suis malis meritis excæcat.

Secundo, ex his verbis idem possumus colligere hoc modo: Nihil aliud est, Deum aliquos excæcare, nisi non illuminare, & suum eis subtrahere concursum, vt credāt. Neque enim ipse, qui clarissima lux est mẽtium, & infallibilis prorsus veritas, quempiam in errorem adigit aut impellit, sed reuocat potius, & dehortatur omnes ab errore. Cum igitur ideo dixerit Euangelista, aliquos ex Hierosolymitanis non potuisse credere, quia Deus eos excæcauerat, declarauit profectò ijs verbis, satis esse, vt aliqui non credant, quod Deus non eos peculiariter ad credendum adiuuet: ac proinde neminem posse credere per vires suas naturales, nisi ex speciali DEI gratia. Excæcare quos Deus dicatur.

Quinto ad idem argumentor ex verbis Pauli ad Corinthios: *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Si ad dicendum exterius, Dominũ esse Iesum, requiritur specialis Spiritus sancti concursus, neque satis est generalis, sine quo neque potest quis dicere anathema IESV, ergo etiam ad credendum, & interius dicendum, seu assentiendum Dominum esse Iesum, requiritur specialis Spiritus sancti motio, neque satis est generalis. Argum. 5. 1. Cor. 12.

2. Cor. 3. ralis. Et validari omnia possunt ex illis ad eosdem verbis: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Si enim vires nostræ naturales idoneæ non sunt ad cogitãdum aliquid quod Deo placeat, quomodo idoneæ erũt ad credendum ea, quæ sunt fidei, cum credere sit, cum assensione cogitare, vt ait Augustinus, & de ea fide modò agamus, quæ adeo placet Deo, vt sine illa nihil ei prorsus in nobis placeat?

Ratio 6. Sexto, omnia ista roborare possumus hac ratione. Etiamsi Deus sit manifestissima quædam res, & de se maxime visibilis, nullo tamen pacto, neque animæ separatæ, neque angeli eum possunt videre, nisi Deus eorum intellectum adiuuet & confortet, siue per lumen gloriæ, siue aliquo alio modo. Necessarium enim est, super se tolli & leuari vires nostras ad contuendam immẽsam illam ac prorsus inaccessibilem lucem, vt diffinitum est in Clementina, Ad nostrum, de hæreticis. Ergo etiam ad assentiendum certo & indubitato ijs quæ sunt fidei, non satis est nobis manifestari credenda, quæ supernaturalia sunt, & similiter excedunt vim nostram intellectiuam: sed necessarium est, Deum siue per habitum fidei infusæ, siue aliquo alio modo nos peculiariter ad hoc iuuare. Nam licet non sit æqualis ratio, tamen vere videtur similis. Vterque enim actus supernaturalis est, visio videlicet Dei, & fides.

Ratio 7. Septimo ista confirmare possumus. Nisi enim necessaria esset Dei gratia, & fauor ad credendum, non esset opus orare pro infidelibus, vt Deus aperiat corda eorum, & eos pertrahat ad fidem: neque deberemus Deo gratias agere, quod sim⁹ fideles. Quorum vtrunque absurdum est, & inconueniens manifestum. Sequela potest facile probari ex dictis in proxima quæstione. Quod autem illata sint absurda, satis ostendit cõsuetudo totius Ecclesiæ, quæ orat pro infidelibus feria sexta hebdomadæ sanctæ, & alias non semel, & gratias agit Deo pro omnibus, qui recipiunt vel receperunt fidem. Et hanc fuisse & esse consuetudinem omnium sanctorum, vel ex vno Paulo possumus discere. Ipse enim & pro sua, & pro Romanorum fide gratias agit Deo, & adiuuari se postulat aliorum orationibus, vt sermo Dei currat & clarificetur in omnibus hominibus, & vt Deus aperiat ei ostium sermonis ad loquẽdum mysterium Christi: quod [illegible]ebat, quando emolliebat Deus & [illegible] audientes, vt crederent verbo [illegible]. [illegible]tur hoc argumento Augustinus lib[illegible]to, contra Iulianum Pelag. c. 3. & cap. 16. de gratia & libero arbitrio, & aliâs persæpe.

Octauo etiam pro eadem conclusione Ratio 8. argumentor: Supernaturale est intellectui nostro, & omnino difficilimum, assentire ijs, quorũ veritatis aut causas, propter quas sunt vera, non assequitur. Hæc est enim ipsius natura, quæ experientia nobis constat. Ergo vt assentiatur ijs, quæ sunt fidei, quorum veritates certum est eum modò nõ assequi, necessaria est gratia diuina, præsertimque vt assentiatur certò & indubitatò, & prorsus firmissime, sicut necesse est, si sit assensus fidei.

Ad argumenta in principio quæstionis, Soluuntur argumenta contraria. quæ vere apparentia sunt, suo ordine sic respondeo:

Ad primum: Aliqui dicunt, in statu quidem innocentię facilius fuisse nostro intellectui assentire veris, quam falsis: non autem modò, cum est per peccatum obscuratus & deprauatus. Sed ego etiam in hoc statu crediderim procliuius esse nostro intellectui assentire veris, neque ex eo quod vera sunt, quæ sunt fidei, crediderim opus esse auxilio speciali Dei, vt eis firmiter assentiamur, sed ex eo quod sunt vera supernaturalia. Cum enim supernaturalia sunt, proportionata non sunt nostro intellectui, & necesse est eum attolli & adiuuari, vt sufficiẽs sit ad ea vel intelligenda, vel credenda. Alioqui nõ dicerentur supernaturalia ipsi.

Ad confirmationem: Si casum positum admittimus, & pro secunda medietate horæ vere fit assensus fidei, assensus ille, filius Dei est homo, manifesta est causa, quare in prima medietate horæ poterat ille assensus continuari sine auxilio Dei speciali, non autem in secunda. In prima enim medietate assentiebatur quis, filium DEI esse hominem,

minem, prorſus coniecturis aut rationibus humanis, vel propriæ voluntatis libito. In ſecunda vero, ſi ille aſſenſus ſit aſſenſus fidei, aſſentitur eidem propoſitioni propter teſtimonia ſupernaturalia, & propter authoritatem diuinam, & multo perfectior & difficilior videtur iſte actus, maiorique opus eſt auxilio, vt eum aſſenſum voluntas imperet intellectui.

Argum. 2. Ad ſecundum: Diſcrimen eſt, quia ea quæ ſunt fidei, ſunt vera ſupernaturalia.

Ad confirmationẽ priorem: Etiam homini dicenti vera ſupernaturalia, credere non poſſumus ſine auxilio ſpeciali.

Ad ſecundam confirmationem concederem quidem non fuiſſe neceſſarium Abrahæ, neque alicui prophetæ auxilio Dei ſpeciali, vt crederet reuelatis à Deo, ſi eum formauerint ſyllogiſmum, & euidentes illis fuerint Maior & Minor ſyllogiſmi inducti. Si autem illis ineuidenter aſſentiebant, vtique aſſentiebantur per fidem, & auxilio etiam ſpeciali in eos aſſenſus indigebant. Vtrum autem horum fuerit, alias videbimus.

Ad 3. arg. reſpon. Ad tertium cum ſua confirmatione breuiter dico: Verum eſt, facilius multo eſſe credere quæ ſunt fidei, & difficilius multo auelli poſſe à fide, qui norũt euidenter credendum eſſe fidei noſtræ. Et ego eum fructum maximum acceptum fero ſtudijs noſtris Theologicis. Vere enim euidenter ſcio

Pſal.18. credendum eſſe fidei noſtræ, & teſtimonia diuina credibilia eſſe nimis, eaque ratione facilius mihi videor omnibus, quæ ſunt fidei, aſſentiri, & nulla ratione, vel ſaltem difficillime ab ea poſſe auelli, niſi Deus me propter peccata mea desereret. Sed nihil ominus cùm ea quæ credimus, ſupernaturalia ſunt, eorumque veritates nobis abditæ ſint & abſconditæ, dum hîc viuimus, opus eſt nobis, vt intellectus noſter eis aſſentiatur diuino auxilio, & neceſſe eſt, vt ſemper humiliter petamus Deum, vt ſeruet & adaugeat fidem noſtram, ne, ſi ſuperbire cœperimus de fide noſtra, & ea etiam euidentia, quam habemus de credibilitate fidei, paulatim auferatur à nobis.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD DILIGENDVM DEVM.

QVÆSTIO DECIMA.

AN neceſſarium ſit auxilium Dei ſpeciale, ad diligendum Deum ſuper omnia. Probabiles rationes pro negatiua parte.

Pro parte negatiua hæc occurrunt potiſſima argumenta. Primo argumentor: Intellectus poteſt ex naturalibus iudicare, Deum eſſe diligendum ſuper omnia. Poteſt enim, ſicut docet Apoſtolus ad Romanos, primò cognoſcere Dei diuinitatem, & conſequẽter eum eſſe perfectiſſimum ens, & ſupremum diligibile. Ergo voluntas poterit ſe conformare ei iudicio, & diligere Deum ſuper omnia. Non minus enim eſt illa procliuis ad bonum, quàm intellectus ad verum.

Secundo: Fortis politicus poteſt per vires ſuas naturales morti ſe exponere pro ſua ciuitate. Hoc enim & Ariſtoteles in Ethicis per lumen ſuum naturale docet faciendum. Ergo etiam poterit oppetere pro bono & honore diuino, & conſequenter diligere Deum ſuper omnia. Si enim ſupra ſuam vitã poteſt quis ex naturalibus Deum diligere, poterit & ſupra alia.

Tertio: Nos ſumus naturaliter inclinati ad diligendum Deum ſuper omnia, vt bona pars Theologorum defendit. Ergo habemus poteſtatem conſequẽdi eam dilectionem ex naturalibus. Non enim natura dat inclinationes ad ſibi impoſſibilia.

Quartò: Poſſumus ex naturalibus diligere creaturam aliquam ſuper omnia. Ergo multo magis poterimus Deum ſic diligere. Plures enim in eo rationes ſunt eum diligendi. Cognoſcitur enim ex naturalibus eſſe multo maius bonum, & magis beneficum in nos, quam ſuæ omnes creaturæ. Et procliuior videtur voluntas noſtra in ipſius amorem, quam in amorem creaturarum.

Quintò: Si non poſſumus ſine gratia diuina Deum diligere ſuper omnia, conſtare ergo nobis poſſet nos eſſe in gratia diuina, nempe quando nobis conſtaret, vt certe con-

constare potest, nos diligere Deum super omnia. Si enim constare potest idolatræ, quod diligit idolum super omnia, nulla subesse causa videtur, propter quam non similiter possit constare nobis, quod diligamus Deum super omnia.

Negatiua pars

Pro parte vero negatiua, expressa videtur diffinitio Concilij Mileuitani in canone 4. Sic enim inter alia ibi legimus: Cum dicat Apostolus, *Scientia inflat, caritas vero ædificat*: valde impium est vt credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat, non habere: cum sit vtrunque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, *Qui docet hominem scientiam*: ita scriptum est etiam, *Caritas ex Deo est*. Et approbatus est hic canon, & vt proprius Apostolicæ Sedis, amplexus est à Cælestino primo, canone decimo suæ primæ epistolæ Decretalis. Ad hanc quæstionem hac conclusione respondeo:

1. Cor 8.

Ps. 93. 1. Ioan. 4.

CONCLVSIO.

Necessarium est auxilium Dei speciale ad diligendum Deum super omnia, neque sufficit nostrum liberum arbitrium in hoc statu in tantum ac tam perfectum actum, nisi adiuuetur gratia Dei. Hæc propositio tenetur à sancto Thoma, prima secundæ, quæstione 109. articulo 4. Et à Gregorio Ariminensi in secundo, distinctione 26. quæstione prima, in probatione suppositionis quintæ pro prima conclusione. Est tamen hæc propositio contra multos Doctores Scholasticos. Et quidam existimant eam esse contra Doctorem Subtilem, propterea quod in tertio, distinctione 27. videtur ex professo probare, posse hominem ex viribus naturalibus diligere Deum super omnia: & in secundo, distinctione 28. ad finem corporis quæstionis vnicæ, quam ibi tractat, videtur dicere non esse ex impotentia liberi arbitrij, quod non possit implere homo omnia præcepta legis sine gratia: sed ex hoc, quod Deus illa seruantibus, & peculiariter seruantibus hoc præceptum diligendi Deum super omnia, Deus offert liberaliter suam gratiam. Verum ego non crediderim ista argumenta sufficere, vt credamus Doctorem Subtilem contrarium sensisse nostræ propositionis. Nam in priore loco ex tertio Sententiarum positis argumentis, quæ suadent voluntatem hoc posse ex viribus suis naturalibus, solum concludit se propter ea argumenta concedere conclusionem, quod ex puris naturalibus potest quæcunque voluntas saltem in statu naturæ institutæ diligere Deum super omnia. Ex quibus verbis patet, illum non asseruisse hoc pro isto statu. In secundo autem loco ex secundo, si bene perpendantur omnia, quæ in ea quæstione dicuntur, aperte constabit, Doctorem Subtilem non disputasse, an possit homo implere omnia præcepta, vel vitare omnia peccata, sine gratia specialis Dei auxilij: sed solum disputat, an hæc possit sine gratia gratum faciente præcedente, vel saltem comitante. Et ita etiam exponi possent, quæ idem dicit in primo, dist. 17. q. 1. ad argumentum secundum pro opinione, quæ imponitur Magistro. Quanquam & pro illis, quæ ibi dicuntur, satis est concedere voluntatem in puris naturalibus posse habere aliquam dilectionem Dei, vel visi, vel ostensi per fidem, quod non negamus. de sola enim dilectione Dei super omnia loquimur, quæ sufficeret ad obtinendum Dei gratiam. Et de ista apertus est locus in articulo primo Quodlibeti. 17. vbi videtur ille nostrā sententiam tueri. Eius enim verba ibi hæc sunt: *Plures actus dilectionis, ad quos naturaliter inclinamur, possumus potestate naturali, licet non omnes, quia ad perfectissimum circa vltimum finem est inclinatio naturalis, licet ad illum non possit natura attingere ex se.* His ille claudit articulum primum. Ex quibus, cum perfectissimus actus vix sit in omni opinione, & in illius maxime dilectio Dei super omnia: relinquitur, in istum actum non posse naturam nostram ex se, sed ad eum indigere auxilio Dei. Et licet quidam ipsius exponit et referat ista verba ad dilectionem Dei super omnia, quæ in patria habebitur, & beatifica est, tamen, cum ille hoc non exprimerit, & in tota quæstione tantum de actibus viæ

Inter Scholasticos nō cōuenit de hac conclusione.

 dispu-

disputet, nos in eo quod diximus, persistemus. Vtcunque tamen sit de authoribus Scholasticis, nos probabimus nostram conclusionem.

Quinq; rationes pro conclusione. Et primo quidem pro nobis stare videtur Paulus, cum ait: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. Pro verbo enim, *caritas*, Græce habetur ἀγάπη, quod dilectionem, siue actum dilectionis significat. Si vero dilectionem Dei veram nostris habere possumus viribus, nihil esset opus, vt huiusmodi dilectio nobis peculiariter per Spiritum sanctũ communicaretur. Et confirmari hoc potest ex eo, quod Ioannes in sua prima epistola dicit: *Caritas ex Deo est.* 1. Ioan. 4. Cum enim potissima & perfectissima caritas, sit dilectio Dei super omnia, si caritas ex Deo est, erit & dilectio Dei super omnia. Et hoc etiam loco habetur Græce idem verbum ἀγάπη, quod dubium non est, actum dilectionis significare.

Secundo etiam pro nobis stare videtur canon 25. Concilij Arausicani secundi, qui sic habet: *Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse, vt diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes, amati sumus, vt fieret in nobis, vnde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus nostris spiritus patris & filij, quem cum patre amamus & filio.* Vnde vt eodem modo exponat Paulum Concilium, ac nos statim exposuimus. Exposuit etiam similiter, & ad hoc applicuit Augustinus in quarto libro contra duas epistolas Pelagianorum, & in cap. 19. De gratia & libero arbitrio, & in libro de perfectione iustitiæ. Sed & animaduerte, quid post hæc subijciat Concilium, ne dubites de nostra conclusione. *Secundum supra scriptas sanctarum scripturarum sententias, & antiquorum patrum diffinitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit:* Hæc ibi.

Tertio pro hac sententia stant multa testimonia [illegible] sanctorum, & præsertim Augustini. Is enim libro 5. contra Iulianum, cap. 5. ita ait: *Amor, quo Deus gratis amatur, in nobis esse non potest, nisi ex ipso.* Et in epistola ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, peccati granditate perdimus.* Et 21. de ciuitate Dei, cap. 16. *Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat.* Et de gratia & lib. arb. cap. 18. dilectionem Dei nobis esse ex Deo, probat ex illis verbis Ioannis, *Ipse prior dilexit nos:* 1. Ioan. 4. & ex illis verbis Christi, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioan. 15. *Si enim,* ait Aug. *non prius dileximus, vt hoc merito nos ipse diligeret, prius illum nos elegimus, vt ab illo eligi mereremur.* Et cap. 19. Pelagianicum esse dicit, asserere, dilectionem nobis esse ex nobis. & contra Pelagianos pro nobis argumentatur, quia Ioannes dicit: *Videte qualem dilectionem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* 1. Ioan. 3. Et subdit: *Quid est ineptius, immo vero quid est amentius, & ab ipsa sanctitate caritatis alienius, quam confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine caritate inflat, & ex nobis esse caritatem, quæ facit, vt scientia inflare non possit?* Bernardus etiam huic subscripsit sententiæ in libro De diligendo Deum, his verbis: *Difficile, immo impossibile est, suis, quempiam liberi vel arbitrij viribus, semel a cepta a Deo libertate, ad Deum ex toto conuertere voluntatem, & non magis ad propositum retorquere, sicut scriptum est: Omnes quæ sua sunt, quærunt.* Sanctus Maximus etiam in sermone quodam communi de vno martyre, ita ait: *Caritas hominis non est à seipso, sed saluberriter donatur à Christo.*

Quarto eandem conclusionem sic probo: Plus est diligere Deum super omnia, quam credere fidei nostræ. Ad dilectionem enim Dei super omnia, requiritur credere, & aliquid amplius. Est enim dilectio Dei super omnia, voluntas obediendi Deo in omnibus suis præceptis. Et nisi plus esset, non esset maior virtus caritas, quam fides: quod est aperte contra Apostolum 1. Cor. 13. Cum igitur ad fidem requisitum sit Dei auxilium speciale, neque sufficiant vires nostræ, vt iam docuimus, requisitum erit etiam auxiliũ speciale ad diligendum Deum super omnia.

Quinto: Vt patet ex dictis, ad implendum

dum omnia Dei mandata, requiritur auxilium ipsius speciale, neque satis sumus nos sine ipso. Ergò etiam necessarium erit hoc auxilium ad diligendũ Deum super omnia. Probo consequentiam istam, quia dilectio Dei super omnia, si vera sit, & ea quam sacræ literæ dilectionem Dei appellant, annexam habet obseruantiam omnium mandatorum. Est enim eius & causa sufficiens, & imperium efficax, & saltem scitum non admittit aliquod peccatum mortale. Vnde & Christus aperte dicit: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo* Et post pusillũ: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.*

Ioan. 14.

Confutantur Arg. 1.

Ad argumenta facta in principio quæstionis, ita existimo posse responderi. Ad primum: Gregorius Ariminensis, vt aperte potest colligi ex ipso in secundo, distinctione 26. quæstione prima, articulo primo, conclusione secunda, & distinct. 29. quæstione prima, articulo secundo, prima conclusione corollarie negaret quidem posse intellectum nostrum sine auxilio Dei speciali habere tam perfectum iudicium. Sed mihi hoc videtur contra Paulum in loco citato. Ideoque mallem negare consequentiam. Difficilius enim est diligere, quam iudicare.

Soluitur 2. Argum.

Ad secundum: Licet per lumen naturale agnoscere possimus oportere dam esse cuique mortem pro sua republica, non inde tamen sequitur, vt hoc possimus ex naturalibus etiam perficere. Difficilius est enim sic facere, quam sic iudicare sicut statim diximus, dilectionem Dei super omnia, difficiliorem esse quam iudicium, quo iudicamus Deum diligendum super omnia. Vnde & pauci fuerunt semper, qui ista facerent, etiam ex illis, qui hæc esse facienda non dubitabant. Et inter articulos Parisienses & iste inuenitur: Si ratio recta, & voluntas recta. Error. Et causa subditur, quia secundum hoc ad rectitudinem voluntatis non esset necessaria gratia, sed scientia tantum: quod fuit error Pelagij. Possumus etiam dicere, difficilius esse mortem pro Deo oppetere, quam pro republica: quia non potest naturaliter constare, ad euadendum mortem temporalem vel æternam, necessarium esse nos mortem oppetere, quando mors est oppetenda pro bono diuino, sicut naturaliter potest constare, aliquando non posse rempublicam seruari sine nostra morte, & nos simul cum illa perituros, si non fortiter moriamur pro illa. Atque ideo etiamsi daremus fortem politicum posse ex naturalibus morti se exponere pro republica, non continuo esset necessarium, idem ipsum facere quemuis posse pro honore diuino. Et ipse Doctor Subtilis, cuius sunt in tertio, distinctione 27. hæc duo argumenta & quintum, aperte fatetur in secundo, distinct. 5. quæstione prima ad tertium, dilectionem Dei, qua suam beatitudinem obtinuerunt angeli, fuisse quidem illis difficilem ex parte operis, quia obiectum ipsius eorum excedebat naturam, licet non fuerit difficilis eis ex parte operantium, quia non inclinabantur ad oppositum.

Ad tertium: Etiam est inclinatio naturalis, insita cuique homini ad beatitudinem, & animabus separatis ad sua corpora. Et tamen neutrum horum est possibile sine Dei speciali auxilio. Sed de his alias latius. Argum 3.

Ad quartum: Primo dico, hoc argumentum similiter posse probare, ad fidem non requiri auxilium Dei, immo neque ad pœnitentiam, neque ad impletionẽ mandatorum, neque ad aliquid aliud. Possumus enim & homini leuiter credere ex naturalibus, quæ excedunt naturam, & de hominis offensa dolere, & hominum malorum implere mala præcepta. Sed quia adducere inconueniens, non est soluere argumentum, aliter secundo dico: Difficilius est diligere Deum super omnia, quam creaturam: quia ad diligendum creaturam supra omnia, satis est ipsam adorare vt Deum, vel eam contra Dei præcepta amare: sed ad diligendum Deum supra omnia, requiritur, vt velimus omnia ipsius seruare mandata. Itaq; in dilectione Dei, de qua modò agimus, clauditur difficultas omnium mandatorum, non sic autẽ in dilectione cuiuscunq; creaturæ. Non enim tanta requirit ad sui dilectionẽ creatura, quanta Deus exigit, vt vere possimus dici eum diligere super omnia.

Digitized by Google

Replicabit tamen aliquis fortassis contra hæc: Possemus ex naturalibus creaturã aliquam insensibilem diligere supra nosipsos, & velle mortem oppetere pro ipsa, immo & difficiliora pro ipsius amore, vel pro ipsa obtinenda implere, quam sint præcepta diuina. Et potest ostendi hoc in idolatris, qui possunt tantum insanire, &, vt audiui, quandoque tantum probantur apud Indos insanisse amore suorum idolorum, vt etiam mortem pro eorum honore, vel pro eis penes se habendis, libenter oppetant. Ergo etiam hoc ipsum poterimus pro Deo ex proprijs viribus.

Ad hanc replicam, quæ vere vrget, primo dico: Procliuiores sumus, propter infirmitatem contractam ex peccato Adæ, in malum, quam in bonum. Atque ideo non est mirandum, si non possit homo ex naturalibus tanta pro Deo facere & perpeti, quanta homines plerunque & faciunt & patiuntur pro rebus nihili, pro voluptatibus videlicet & diuitijs & honoribus huius seculi consequendis, quæ momentanea bona sunt. Secundo dico: Cum Deum non videamus, adhuc difficilius videtur Deum diligere supra omnia, & pro eo mortem oppetere, etiamsi nobis eius perfectio & bonitas constet per demonstrationem. Et hanc difficultatem probare possumus ex 1. Ioan. 4. illis verbis Ioannis: *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

Ad 5. arg. Ad quintum: Aliud est, non posse nos diligere Deum super omnia sine gratia gratum faciente, quod hactenus nunquam diximus, neque credemus vnquam. Aliud est, non posse nos diligere Deum super omnia, sine gratia specialis auxilij diuini, quod solum concessimus. Quod si quis replicet, saltem vbi constiterit nos diligere Deum super omnia, constare posse nos à Deo peculiariter adiuuari, respondeo: Nostra conclusio non est euidens. At hoc necessarium erat, vt quod ex illa infertur, cum alia euidenti euidens esset.

* * *

QVÆSTIO XI.

De necessitate gratiæ ad pœnitentiam.

AN ad veram pœnitentiam nostrorum peccatorum, sufficiant vires nostræ naturales cum communi Dei influentia. Et quod sufficiant, potest fieri apparens. Primo ex verbis Deuteronomij 30. Cum enim Rationes probabiles pro parte affirmante. polliceretur Moyses populo Israelitico, quod amandus esset à Domino, si Deum ipse amaret, & obediret voci illius, eiusq; mandata custodiret, & ad eum reuerteretur in toto corde, & in tota anima sua: subdidit statim, *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cœlo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, vt causeris & dicas, quis è nobis poterit mare transfretare & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere, quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Hæc ibi. Quæ verba videntur apertè ostendere, non esse mandatum de pœnitentia & reuersione ad Dominum neque mandatum De dilectione Domini ex toto corde, supra nostras vires. Immo generaliter omnia mandata diuina facilima esse, & iuxta nos valde in ore & corde nostro, neque extrinseco aliquo auxilio esse opus, vt ea seruemus.

Et potest hic locus cõfirmari ex illis verbis Ezechielis: *Proijcite à vobis omnes impietates* Ezech. 18. *vestras, quas impie egestis in me, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum, & facite omnia mandata mea.* Et paulo post: *Conuertimini & viuetis.* Nisi enim in potestate nostra esset proijcere à nobis impietates nostras, & facere nobis cor nouum & spiritum nouum, non hæc nobis Deus præciperet, qui à nemine exigit, quod est ei impossibile.

Et cõfirmari potest secundo ex illis verbis Christi: *Aut facite arborem bonam, & fru-* Matth. 12. *ctum eius bonum: aut facite arborem malã, & fructum eius malum.* Videtur enim hîc ostẽdisse, vt bene colligit Augustinus libro contra Adamantium Manichæi discipulum, in vniuscuiusq; esse potestate voluntatẽ suam mutare. Perinde enim videtur hîc subiecisse.

ciffe poteſtati Phariſæorum, ad quos iſta dicebat, poteſtatem faciendi ſe arbores bonas, ac fuerat in poteſtate eorum feciſſe ſe malas arbores. Ad eos enim ſtatim dicit: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?*

Secundo ad idem argumentor: Per facultatem noſtram naturalē poſſumus dolere de offenſa, quam in aliquem bene meritum de nobis, admiſerimus. Igitur & de offenſa Dei, qui nuſquam non eſt in nos benigniſſimus.

Tertio quicunq; fidelis habet in poteſtate ſua dolere de ſuis peccatis propter Deū, etiam cum à Deo non mouetur, neq; excitatur ad pœnitentiam. Poteſt enim ore & affectu dicere quandocunq; ei collibitum fuerit. Pœnitet me offendiſſe Deum, ſicut poteſt dicere, placet me offendiſſe Deum. Et ita vnum ſicut & alterum, videmur in nobis eſſe poſitum experiri. Ergo ad vtrunque habet fidelis æqualem poteſtatem, neque indiget magis ad vnum, quam ad alterum auxilio Dei ſpeciali.

In contrarium vero ſunt illa verba Pſalmiſtæ, *Erraui ſicut ouis quæ periit.* Ideo enim erraſſe ſe dicit Pſalmiſta ſicut ouem, quia cognoſcebat ſe ad viam rectam redire ſuis viribus non poſſe, ſicut neque ouis vnquam nouit redire ad viam, ſi ſemel ab ea errauerit, niſi reducatur à paſtore. Vnde & velut hoc profiſſus humiliter recurrit ad paſtorem magnum ouium, & clamat, Quære ſeruum tuum.

Pſal. 118.

Ad hanc quæſtionem breuiter ſic reſpondebo.

CONCLVSIO.

Neceſſarium eſt Dei auxilium ſpeciale, neq; vires noſtræ naturales ſufficient ſine ipſo, ad veram pœnitentiam de peccatis noſtris, hoc eſt, ad verum de illis dolorem, vt fuerunt offenſæ Dei. Hæc concluſio eſt ſancti Thomæ in prima ſecundæ, q. 109. art. 6. & 7. & in tertia parte, q. 62. art. 2. ad tertium, & ſancti Bonauen. in ſecundo, d. 28. ar. 2 q. 1. & d. 30. q. 1. & Marſi. q. 17. ſecundi. & Gregorij Ariminenſis in ſecundo, diſtinctione 26. quæſtione prima, & multorum aliorum Theologorum. Et notandum profecto, quod S. Bonauen. in fine q. ſtatim citatæ ex d. 28. expreſſe dicit, in duobus erraſſe, & mentitum fuiſſe Pelagium, & quod poſuerit primam gratiam ſub merito cadere, & quod dixerit liberi arbitrij proprijs viribus poſſe nos ad gratiam diſponere. Eſt tamen hæc concluſio ex Doctoribus Catholicis contra Durandum in 2. d. 28. q. vltima, & contra Gabrielem eadem diſt. q. vnica, articulo 2. Et videtur eſſe contra noſtrum Doctorem Subtilem, & ita plerique Scotiſtæ, & alij non Scotiſtæ, exiſtimant. Et pro eorum ſententia tria potiſſimum videntur ſtare. Primum eſt, quia in quarto, diſtinctione 14. quæſtione 2. articulo 2. litera M. expreſſiſſime dicit: *Sciendum quod peccator in peccatis exiſtens, poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, vt offenſiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auerſiuum à Deo, & vt impeditiuū premij, & inductiuum ſupplicij, & ſub multis talibus rationibus, & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari.* Ex quibus verbis videtur ſenſiſſe, voluntatem poſſe deteſtari peccatum, vt offenſiuum Dei ex naturalibus, & cum communi influentia, ſicut dixit intellectum poſſe ex naturalibus, & cum cōmuni influentia conſiderare peccatum, vt Dei offenſiuum. Ad vtranque enim potentiam videtur retuliſſe illud verbum, *Ex naturalibus & cum communi influentia.* Secundum eſt, quia ibidem, litera N, ita ſcribit: *Vel enim oportet dicere, quod iuſtificetur peccator, ſine omni diſpoſitione ſufficiente de congruo ex parte eius, & per conſequens difficile eſt ſaluare quod apud Deum non ſit acceptatio perſonarum, vt dictum eſt in ſecundo, diſtinctione 6. quæſtione 2. & diſtinctione 2. quæſtione vnica: vel nulla poteſt eſſe ſufficientior diſpoſitio ad iſtam iuſtificationem, quam iſta attritio, videlicet deteſtatio peccatorum, perfecte circunſtantionata in genere moris.* Hæc ille: Ex quibus videtur ſenſiſſe, ad vitandum acceptionem perſonarum in Deo, neceſſarium eſſe ponere aliquam diſpoſitionem in peccatore, quæ ſit ſufficiens cauſa ſuæ iuſtificationis, quamque ipſe ex ipſa ſui poteſtate arbitrij apponat, vt ipſe merito potius quam alius iuſtificetur, & Deus probetur

Pelagii duplex error.

Scotus, an contra quam conclusio præcedens habeat, ſentit, expēditur.

Zzzzz 3 alienus

Digitized by Google

alienus ab omni acceptione personarum in hoc, quod quosdam iustificat, & non omnes.

Tertium, quod fortius suadet Doctorem Subtilem huius fuisse sententiæ, est responsio ad vltimum eiusdem quæstionis. Cum enim ibi sibi obijceret ex Augustino in De vera & falsa pœnitentia, sine caritate esse non posse veram pœnitentiam, & opus Dei esse fructiferam pœnitentiam, expresse respondet, pœnitentiam posse innasci ex naturalibus: sed non esse veram, quantum ad finem pœnitentiæ attingendum: neque fructiferam, hoc est, ferentem fructū, sine caritate. Hunc enim fructum fert, & hunc finem assequitur in vltimo instanti temporis, quo continuata impetrat gratiam.

Sed tanta est mihi pietas in Doctorem Subtilem, tamque piam habeo opinionem de illius felicissimo ingenio, & Catholica & omnino singulari & præcellenti doctrina, vt neque istis argumentis adduci possim, vt credam illum sensisse nos ex naturalibus viribus in hoc statu habere posse dispositionem ad gratiam sufficiētem. Et quidem in primo, distinctione 44. quæstio. vnica, litera E, cum docet quemlibet peccatorem, dum est in via, posse de lege saluari, non liberum ipsius arbitrium, statuit huius esse causam, sed quia Deus, ait, potest eum sua gratia præuenire. Ex quo clare videtur posse colligi, eum posuisse gratiam præuenientem ad pœnitentiam, & ab ea proficisci, quod quidam iustificentur. Neque verba quę allegata sunt, conuincunt satis, eum contrariam defendisse sententiam. Nam ad primum dicere possumus, illa verba, *Ex naturalibus, & cum communi influentia*, non esse referenda ad vtramque potentiam rationalem, sed tantum ad intellectum, non ad voluntatem: immo eo ipso quod non ea adiunxit Doctor, cum de voluntate locutus fuit, videtur indicasse aliquam, quo ad hoc, se credidisse differentiam subesse inter intellectum & voluntatem: neque sic posse voluntatem detestari peccatum ex naturalibus, & si intellectus possit iudicare peccatum esse detestandum. Quod quidem videtur negare quæstione 4. eiusdem distinctionis 14. Aperte enim ibi dicit, non posse intellectum ex naturalibus iudicare, peccatum esse detestandum, inquantum est offensiuum Dei, & auersiuum à Deo. Ad ea vero verba, quæ secundo loco inducta sunt, possumus dicere, non iustificari hominem sine aliqua dispositione ex parte sua, etiamsi ad ea requiratur speciale Dei auxilium. Neque Doctor Subtilis ibi id agit, vt ostendat hominem iustificari absque aliquo Dei speciali auxilio, sed tantum nititur ostendere, requisitum esse aliquid ex parte nostra, vt vere iustificemur, & satis quidem esse attritionem de peccatis perfecte circunstantionatam.

Ad tertium vero argumentum, quod magis pungit, dicendum est, cum dicitur, pœnitentiam posse innasci ex naturalibus, intelligitur, vt patet ex antecedentibus & consequentibus, posse innasci ex naturalibus hominis sine vllo habitu infuso, quod vnum ibi agebatur: non autem ex naturalibus, sine auxilio Dei speciali. Et ita etiam possunt & debent exponi, quæ S. Thom. in secundo, d. 28 art. 4. de his dicit, cum ait, ex solo libero arbitrio posse se hominem præparare ad habendum gratiam gratum faciētem, quia faciendo quod in se est, gratiam à Deo consequitur. Et ita eum exponit optimus illius expositor & defensor Caietanus in commenta. 15. primæ secundæ, q. 109. art. 6.

Sed potest quis quarto obijcere nobis, quæ dicuntur à Doctore Subtili in secundo, distinctione 7. quæstione vnica, litera I. Vbi de angelis lapsis concedit, magis esse in eorum potestate, quam sit in potestate hominum, habere ex puris naturalibus attritionem sufficientem, neque ideo non posse eos meritorie velle, quia non possint se disponere ad gratiam, sed propter alias causas, quas ibi assignat. Ad hæc tamen primo dico: Ibi nihil diffinitur de hoc, an vel angelus, vel homo ista possint ex naturalibus. Secundo: Quamuis aliquid statueretur de angelo, tamen cum Doctor fateatur maiorem esse potestatem angeli, quam hominis, nihil illa essent contra nos, qui solū de hominibus hic agimus. Sed quid quid sit

de

de sententia Doctoris Subtilis, in cuius verba nos nunquam iurauimus, tametsi eum, quantum maxime possimus, cupiamus defendere, nos conclusionem nostram apertis argumentis firmabimus.

Conclusio rationibus confirmatur.

Et primo quidem pro ista sententia argumentor: In multis locis scripturæ Deo tribuitur conuersio & pœnitentia peccatorum, à Deo etiam illa postulatur, & de illa Deo gratiæ aguntur. Signum est ergo, ad eam non sufficere vires nostras, sed donum Dei eam esse, necessariumq; esse ipsius fauorem specialem, vt eam habeamus. Consequentia satis probata est in præcedētibus quæstionibus. Antecedens vero probatur: Audita ratione quam Petrus aliquibus Apostolis & discipulis dedit de ingressu suo ad gentes, tacuerunt, ait Lucas in actis, & glorificauerunt Deum, dicentes: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et Paulus ideo cum modestia dicit oportere corripere eos, qui resistunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Et Dauid Domino tribuit suam conuersionem, tum alias sæpe, tum vero ibi, *Expectans expectaui Dominum & intendit mihi: Et exaudiuit preces meas & eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis.* Et Hieremias apertius: *Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es.* Et alibi: *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* Et ibidem humiliter precatur: *Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus.* Et alibi: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Et Dauid agnoscens vnius esse Dei hoc tantum beneficium, cōfidenter clamabat. *Deus virtutum, conuerte nos.* Et alibi: *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Et alibi: *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant, & visitabo eos, vt bonos eos faciam.* Ecce aperte hîc dicit Deus, se facere, vt boni simus. Et Ioannes: *Si quis viderit fratrem suū peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita.* Et Paulus aperte declarat, Deo vni nos debere, quod pœnitentiam facimus, cum ait: *Cum gaudio gratias agentes Deo & patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Et cum per Ezechielem prædicit omnes se aliquando conuersurum reliquias Israel. Vide vt totam Iudæorum conuersionem sibi attribuat Dominus dicens: *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri: Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Et paulo post: *Et saluabo vos ex omnibus inquinamentis vestris: Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ & scelera vestra.* Et post pusillum: *Hæc dicit Dominus Deus: In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus vestris & inhabitare fecero vrbes, & instauraucro ruinosa, & terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata, in oculis omnis viatoris dicent: Terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis: & ciuitates desertæ & destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt: Et scient gentes quæcunque relictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificaui dissipata, plantauique inculta, ego Dominus & locutus sim & fecerim. Hæc dicit Dominus Deus.* Et ne quis dicat, Faciet quidem Dominus Deus ista, & facit in conuersione cuiuscunque peccatoris infundendo ei gratiam suam & virtutes, sed facit propter merita eorum, qui conuertuntur, bis ibidem dicit Dominus: *Non propter vos ego faciam, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum.* Et perpulchre ponderat hunc locum Augustinus libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum, capite 6. his verbis. *Quid remansit pelli morticinæ, vnde possit inflari, & dedignetur, quando gloriatur, in Domino gloriari? Quid ei remansit, quando quidquid dixerit se fecisse, vt eo præcedente hominis merito ab homine exorto, Deus subsequenter faciat, quod dignus est homo: respondetur, reclamatur, contradicitur: Ego facio, sed propter nomen meum sanctum, non propter vos ego facio, dicit Dominus Deus. Nihil sic euertit Pelagianos dicentes gratiam Dei secundum merita nostra dari. Nihil sic euertit hominum præsumptionem, dicentium, Nos facimus, vt mereamur cum quibus faciat Deus. Respondet vobis nō Pelagius sed ipse Dominus, Ego facio & non propter vos sed propter nomen meum sanctum. Quid enim potestis facere*

Margin notes: Actuum 11. — 2. Tim. 2. — Psalm. 39. — Hiere. 17. — Hiere. 31. — Thre. 5. — Psalm. 79. — Psalm. 84. — Hiere. 32. — 1. Ioan. 5. — Coloss. 1. — Ezech. 36. — Augustinus locum ex Ezechiele diligenter ponderat.

Adam datum fuerat, se per gratiam Dei credimus fuisse collatam, quia gratiam etiam post aduentum Domini omnibus, qui baptizari desiderant, nō in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus fimus & credimus largitate conferri.

Ad istam quæstionem vnica conclusione huiusmodi respondeo:

CONCLVSIO.

Nemo potest sine peculiari Dei gratia credere his, quæ ex præcepto diuino tenemur credere. Hæc propositio tam apertis constat scripturæ diuinæ testimonijs, vt nō dubitem oppositum eius hæreticum esse, & à quolibet Christiano merito execrandum. Et tale visum est diuo Augustino, patere potest ex capite 3. & 19 libri primi & capite 5. libri 4. contra duas epistolas Pelagianorum, & ex fine tertij Hypognostico. Et in libro de gratia Christi contra Pelagium & Cælestium capite 31. Pelagianum hoc esse, aperte docet. Et toto in libro de prædestinatione sanctorum, hoc præcipue agit, vt ostendat initium fidei nobis esse à Deo. Et peculiariter capite secundo, ita ait: *Non recedatur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in episcopali iudicio Palæstino, sicut ipsius gesta testantur, damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari, si non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus.* Et capite septimo, & 14. de gratia & lib. arbi. idem ex professo probat contra Pelagianos, facitque idem libro de perfectione iustitiæ prope finem. Et, vt patet ex citatis supra quæstione septima, ex eodem, in libro primo Retractationum capite 23. ipse retractauit, vt errorem apertum, quam olim contrariam huic sententiam docuerat. Sed ne quispiam ambigat de hac propositione, fortissima aliquot proferamus argumenta, quæ pro illa sunt.

Arg. pro cō-clusionis cōfirmatione. Primum igitur pro ea argumentum, est ex Paulo ad Ephesios secundo: *Gratia*, inquit *saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Ecce hic Paulus, fidem dicit Dei donum esse, & non ex nobis, immo ne meritis quidem nostris, eam nos posse assequi. Alioqui enim, & in quo gloriari possemus, habere mus.

Dicet tamen forte aliquis, non ad fidem istam esse referenda, sed ad salutem potius nostram: quia non dicitur, Et hæc non ex vobis: sed, *Et hoc non ex vobis*, videlicet quod saluati estis per fidem.

Verum ita communiter, ac nos pro nobis induximus, hunc locum intellectum video à Doctoribus, & peculiariter ab Augustino capite septimo, de gratia & libero arbitrio. Et Magister sententiarum in secundo, distinctione 27. capite secundo expresse dicit, hunc locum Pauli à sanctis sic exponi: Hæc, scilicet fides, non est ex vi naturæ nostræ, quia donum Dei pure est. Si tamen hoc non sufficiat argumentum, adijciam alterum.

Secundo igitur argumentor pro nostra cōclusione ex illis apertissimis verbis eiusdem Pauli ad Philippenses 1. *Vobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed etiam, vt pro illo patiamini.* Quid quæritur amplius? Si donatum est, non ergo à nobis est. Sed vide quod pro Christo adiecit, vt intelligeremus meritis Christi nobis eam donari, & non meritis nostris. Vtrunque enim voluit Paulus his verbis refellere, & fidem nostris viribus posse contingere, & si non viribus, certe meritis. Vnde & de se alias aperte dicit: *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem.* Misericordiæ imputat suam fidem, quia nouerat illam, neque meritis sibi suis, neque viribus naturalibus contigisse, neque oblitus erat eius, qui dixerat: *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* Quibus enim meritis bonæ volūtatis sibi fides contigisset, cum spirans minas, & cædem, dum pergebat ad deuastandos horrenda mentis cæcitate ac furore Christianos, ab his malis ad fidem mirabili prorsus & repentina vocatione conuersus est.

Argum. 2.

1. Cor. 7.

Psal. 58.

Vnde & Augustinus capite septimo de gratia & libro arbitrio, hinc dicit ostendi ipsam fidem haberi, nisi Deo miserante, nō posse, & esse donum Dei. Atque ideo alibi fidem dicit fuisse reuelandam, vt intelligamus nos non viribus nostris, sed reuelatione diuina potuisse illam assequi. Et alibi: *Vnicui-*

Rom. 12. Vnicuique ait, *Deus diuisit mensuram fidei.* Et alio in loco inter gratias, quas idem Spiritus dispartitur, fidem connumerat dicens: *Alteri fides in eodem Spiritu:* Et cum plane potuisset dicere, habere nos eandem fidem cum patribus veteris testamenti, noluit hoc sine commendatione gratiæ diuinæ asserere:
2. Cor. 4. *Habentes*, inquit, *eundem spiritum fidei*, vt doceremur videlicet ab eodem proficisci spiritu fidem veterem & nostram, neq; quemplam vnquam, nisi ex dono spiritus, credidisse.

Et confirmari potest hoc argumentum, quia multis alijs in locis scriptura Deo adscribit fidelium fidem. Apud Matthæum dicit Christus Petro: *Beatus es Simon bariona,*
Matth. 16 *quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Et Actorum 14. Paulus & Barnabas dicebant Apostolis, quod gentibus aperuerat Deus ostium fidei. Et 16. capite de Lydia purpuraria, quæ credidit, & baptizata est cum sua domo, dicitur Dominus aperuisse cor eius, vt intenderet illis quæ dicebantur à Paulo. Ex quibus omnibus videtur, neminem credere, nisi Deo eum docente, eiusq; aperiente cor, vt credat.

Dicet tamen fortassis aliquis, istis verbis asseruisse quidem Paulum fidem esse à Deo, non negasse tamen quin etiam posset esse à nobis: & à Deo quidem esse, non quia ille faciat, vt possimus credere, quod absque ipso non possumus, sed quod suum fauorem & gratiam benigne nobis impartiatur, vt facilius possimus credere. Sed nè istis aut similibus responsionibus sit locus, addam tertium argumentum.

Argum. 3.
Ioan. 6. Tertio igitur potest ista conclusio firmari ex verbis Saluatoris apud Ioannem: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Nam, si bene aduertamus quæ præcesserunt, & quæ sequuta sunt, manifestum erit. Christum in hoc loco, de aduentu ad se per fidem, agere. Præcedunt enim illa: *Qui venit ad me non esuriet: & qui credit in me, non sitiet. Sed dixi vobis quia vidistis me & nō credidistis. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non eijciam foras.* Et post pusillum: *Hæc est autem voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* In quibus manifestum est explicari, aduentum ad Christum, esse credere in eum.

Et vt de hoc aduentu intelligerentur verba citata, cum, nè quispiam hunc tantum aduentum arrogaret suis viribus, subdidisset, *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum:* adiecit statim eadem, quæ credentibus pollicitus fuerat, *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Vt autem explicaret, patrem trahere docendo & illuminando, subdit: *Est scriptum in prophetis, Erunt* Esaia 54.
omnes doc biles Dei. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Et vt istam doctrinam & illuminationem indicaret non habere euidentiam, sed obscuritatem quam habet fides, immo nihil aliud eam esse, quam infusionem & traditionem fidei, mox addidit: *Non quia vidit patrem quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Vtque omnis præcluderetur ansa dubitandi, essetque omnibus perspicuum, de hoc aduentu per fidem, Christum egisse: post pauca quædam, inter quę commemorat Euangelista, eum quibusdam ex suis scandalizatis dixisse: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt:* de suo adiecit, *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis esset traditurus eum.* Et dicebat: *Propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.* Cum igitur apertissimum sit, Christum his verbis, de aduentu ad se per fidem, agere, & apertè asserat neminem ad se posse venire, nisi eum pater suus traxerit: vt certum & constantissimum videtur relinqui, neminem posse credere ijs quæ sunt fidei, per vires solas naturales.

Et ponderandum est, sicut & ponderat diuus Augustinus primo libro contra duas epistolas Pelagianorum, capite 19. non dixisse Christum, Nisi pater, qui misit me, duxerit eum: sed dixisse, *Nisi pater, qui misit me, traxerit eum:* ne vllam nostram præcedere credamus voluntatem, aut meritum. Ducuntur enim volentes. Quis autem trahitur, si iam hoc volebat? Et ideo etiam dictum est, *Nisi fuerit ei datum à patre meo:*

Vt intelligamus, fidem non nobis reddi pro meritis, sed gratuito à Deo nobis elargiri & concedi. Et confirmant ista omnia & illustrant verba, quæ præcesserant in eodem capite. Cum enim dixisset ad Christū quidam, *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Respondit Iesus, & dixit eis: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.*

Cur enim fides diceretur opus Dei, sicut miracula alibi vocauit aperte opera Dei, dicens: *Me oportet operari opera Dei*: nisi verum esset, ad fidem peculiariter Deum concurrere, neque sufficere nostrum liberum arbitrium cum concursu Dei generali ad credendum, vt sufficit per se ad peccandum? Et ne quis dicat, ideo non sufficere liberum arbitrium ad credendum ea, quæ sunt fidei, quia inter illa multa sunt supernaturalia, & nulla humana vestigatione scibilia, quæ nisi audiantur, credi non possunt: ponderandum est bene, illis dicta esse ista omnia, quę in hoc argumento allegauimus, quæ audiuerant, credenda: atque ideo explicuisse, mirandum non esse, si quidam ex illis, qui eum audiebant, crederent, quidam non crederent, quia nemo potest credere, nisi patre cœlesti eum trahente & docente. Ioan. 9.

Vnde & Augustinus super hæc verba ita ait: *Quid est, nemo potest venire ad me: nisi, quod nemo potest credere in me, nisi quē misit me pater, traxerit eum? Ille venit, quem Dei gratia præuenit. Qui cum propheta dicit: Miser cordia eius præuenit me.* Hæc ibi. Psalm. 58.

Et capite quinto De gratia & libero arbitrio: *Venire ad Christum*, ait, *est credendo in eum conuerti.* Et eodem modo exponit hunc locum, libro De perfectione iustitiæ, prope finem.

Quarto idem possumus probare ex illis verbis Ioannis 4. apit. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, *Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertātur, & sanem eos.* Ex illis verbis dupliciter possumus in fauorem nostræ propositionis argumentari.

Primo, Si hoc subesset potestati nostræ naturali, cur essent tam pauci fideles, vt merito Esaias dixerit, *Domine, quis credidit auditui nostro?* Cur etiam visis à Hierosolymitis tam apertis & tam admirandis signis, ac erant illa quæ Christus coram eis patrabat, quæ quidem vim pene videbantur eis inferre, & necessitatem afferre, vt crederent: Impossibile enim erat non esse verum, quod tanta luce testimoniorum confirmabatur. Cur, inquam, visis tam perspicuis, & tam præcellentibus prodigijs, tamen quidam ex videntibus non credebant, nisi quia vires nostræ naturales ad hoc non sufficiunt? & necesse est, cuicunque hoc tantum bonū contingit, vt credat dono Dei prorsus contingere, qui, quem vult, gratis illuminat: & quem vult, pro suis malis meritis excæcat.

Secundo, ex his verbis idem possumus colligere hoc modo: Nihil aliud est, Deum aliquos excæcare, nisi non illuminare, & suum eis subtrahere concursum, vt credāt. Neque enim ipse, qui clarissima lux est mētium, & infallibilis prorsus veritas, quempiam in errorem adigit aut impellit, sed reuocat potius, & dehortatur omnes ab errore. Cum igitur ideo dixerit Euangelista, aliquos ex Hierosolymitanis non potuisse credere, quia Deus eos excæcauerat, declarauit profectò ijs verbis, satis esse, vt aliqui non credant, quod Deus non eos peculiariter ad credendum adiuuet: ac proinde neminem posse credere per vires suas naturales, nisi ex speciali DEI gratia. Excæcare quos Deus dicatur.

Quinto ad idem argumentor ex verbis Pauli ad Corinthios: *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Si ad dicendum exterius, Dominū esse Iesum, requiritur specialis Spiritus sancti concursus, neque satis est generalis, sine quo neque potest quis dicere anathema IESV, ergo etiam ad credendum, & interius dicendum, seu assentiendum Dominum esse Iesum, requiritur specialis Spiritus sancti motio, neque satis est generalis. Argum. 1. Cor. 12.

2. Cor. 3. ralis. Et validari omnia possunt ex illis ad eosdem verbis: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Si enim vires nostræ naturales idoneæ non sunt ad cogitãdum aliquid quod Deo placeat, quomodo idoneæ erũt ad credendum ea, quæ sunt fidei, cum credere sit, cum assensione cogitare, vt ait Augustinus, & de ea fide modò agamus, quæ adeo placet Deo, vt sine illa nihil ei prorsus in nobis placeat?

Ratio 6. Sexto, omnia ista roborare possumus hac ratione. Etiamsi Deus sit manifestissima quædam res, & de se maxime visibilis, nullo tamen pacto, neque animæ separatæ, neque angeli eum possunt videre, nisi Deus eorum intellectum adiuuet & confortet, siue per lumen gloriæ, siue aliquo alio modo. Necessarium enim est, super se tolli & leuari vires nostras ad contuendam immẽsam illam ac prorsus inaccessibilem lucem, vt diffinitum est in Clementina, Ad nostrum, de hæreticis. Ergo etiam ad assentiendum certo & indubitato ijs quæ sunt fidei, non satis est nobis manifestari credenda quæ supernaturalia sunt, & similiter excedunt vim nostram intellectiuam: sed necessarium est, Deum siue per habitum fidei infusæ, siue aliquo alio modo nos peculiariter ad hoc iuuare. Nam licet non sit æqualis ratio, tamen vere videtur similis. Vterque enim actus supernaturalis est, visio videlicet Dei, & fides.

Ratio 7. Septimo ista confirmare possumus. Nisi enim necessaria esset Dei gratia, & fauor ad credendum, non esset opus orare pro infidelibus, vt Deus aperiat corda eorum, & eos pertrahat ad fidem: neque deberemus Deo gratias agere, quod sim⁹ fideles. Quorum vtrunque absurdum est, & inconueniens manifestum. Sequela potest facile probari ex dictis in proxima quæstione. Quod autem illata sint absurda, satis ostendit cõsuetudo totius Ecclesiæ, quæ orat pro infidelibus feria sexta hebdomadæ sanctæ, & alias non semel, & gratias agit Deo pro omnibus, qui recipiunt vel receperunt fidem. Et hanc fuisse & esse consuetudinem omnium sanctorum, vel ex vno Paulo possumus discere. Ipse enim & pro sua, & pro Romanorum fide gratias agit Deo, & adiuuari se postulat aliorum orationibus, vt sermo Dei currat & clarificetur in omnibus hominibus, & vt Deus aperiat ei ostium sermonis ad loquẽdum mysterium Christi: quod fiebat, quando emolliebat Deus & aptabat audientes, vt crederent verbo fidei. Et vtitur hoc argumento Augustinus libro quarto, contra Iulianum Pelag. c. 3. & cap. 6. de gratia & libero arbitrio, & aliâs persæpe.

Ratio 8. Octauo etiam pro eadem conclusione argumentor: Supernaturale est intellectui nostro, & omnino difficilimum, assentire ijs, quorũ veritatis aut causas, propter quas sunt vera, non assequitur. Hæc est enim ipsius natura, quæ experientia nobis constat. Ergo vt assentiatur ijs, quæ sunt fidei, quorum veritates certum est eum modò nõ assequi, necessaria est gratia diuina, præsertimque vt assentiatur certò & indubitatò, & prorsus firmissime, sicut necesse est, si sit assensus fidei.

Soluuntur argumenta contraria. Ad argumenta in principio quæstionis, quæ vere apparentia sunt, suo ordine sic respondeo:

Ad primum: Aliqui dicunt, in statu quidem innocentię facilius fuisse nostro intellectui assentire veris, quam falsis: non autem modò, cum est per peccatum obscuratus & deprauatus. Sed ego etiam in hoc statu crediderim procliuius esse nostro intellectui assentire veris, neque ex eo quod vera sunt, quæ sunt fidei, crediderim opus esse auxilio speciali Dei, vt eis firmiter assentiamur, sed ex eo quod sunt vera supernaturalia. Cum enim supernaturalia sunt, proportionata non sunt nostro intellectui, & necesse est eum attolli & adiuuari, vt sufficiẽs sit ad ea vel intelligenda, vel credenda. Alioqui nõ dicerentur supernaturalia ipsi.

Ad confirmationem: Si casum positum admittimus, & pro secunda medietate horæ vere sit assensus fidei, assensus ille, filius Dei est homo, manifesta est causa, quare in prima medietate horæ poterat ille assensus continuari sine auxilio Dei speciali, non autem in secunda. In prima enim medietate assentiebatur quis, filium DEI esse hominem,

minem, prorsus coniecturis aut rationibus humanis, vel propriæ voluntatis libito. In secunda vero, si ille assensus sit assensus fidei, assentitur eidem propositioni propter testimonia supernaturalia, & propter authoritatem diuinam, & multo perfectior & difficilior videtur iste actus, maiorique opus est auxilio, vt eum assensum voluntas imperet intellectui.

Argum. 2. Ad secundum: Discrimen est, quia ea quæ sunt fidei, sunt vera supernaturalia.

Ad confirmationē priorem: Etiam homini dicenti vera supernaturalia, credere non possumus sine auxilio speciali.

Ad secundam confirmationem concederem quidem non fuisse necessarium Abrahæ, neque alicui prophetæ auxilio Dei speciali, vt crederet reuelatis à Deo, si eum formauerint syllogismum, & euidentes illis fuerint Maior & Minor syllogismi inducti. Si autem illis inevidenter assentiebant, vtique assentiebantur per fidem, & auxilio etiam speciali in eos assensus indigebant. Vtrum autem horum fuerit, alias videbimus.

Ad 3. arg. respon. Ad tertium cum sua confirmatione breuiter dico: Verum est, facilius multo esse credere quæ sunt fidei, & difficilius multo auelli posse à fide, qui norũt euidenter credendum esse fidei nostræ. Et ego eum fructum maximum acceptum fero studijs nostris Theologicis. Vere enim euidenter scio credendum esse fidei nostræ, & testimonia diuina credibilia esse nimis, eaque ratione facilius mihi videor omnibus, quæ sunt fidei, assentiri, & nulla ratione, vel saltem difficillime ab ea posse auelli, nisi Deus me propter peccata mea desereret. Sed nihil ominus cùm ea quæ credimus, supernaturalia sunt, eorumque veritates nobis abditæ sint & absconditæ, dum hîc viuimus, opus est nobis, vt intellectus noster eis assentiatur diuino auxilio, & necesse est, vt semper humiliter petamus Deum, vt seruet & adaugeat fidem nostram, ne, si superbire cœperimus de fide nostra, & ea etiam euidentia, quam habemus de credibilitate fidei, paulatim auferatur à nobis.

Psal. 18.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD DILIGENDVM DEVM.

QVÆSTIO DECIMA.

AN necessarium sit auxilium Dei speciale, ad diligendum Deum super omnia. Probabiles rationes à negatiua parte.

Pro parte negatiua hæc occurrunt potissima argumenta. Primo argumentor: Intellectus potest ex naturalibus iudicare, Deum esse diligendum super omnia. Potest enim, sicut docet Apostolus ad Romanos, primò cognoscere Dei diuinitatem, & consequēter eum esse perfectissimum ens, & supremum diligibile. Ergo voluntas poterit se conformare ei iudicio, & diligere Deum super omnia. Non minus enim est illa procliuis ad bonum, quàm intellectus ad verum.

Secundo: Fortis politicus potest per vires suas naturales morti se exponere pro sua ciuitate. Hoc enim & Aristoteles in Ethicis per lumen suum naturale docet faciendum. Ergo etiam poterit oppetere pro bono & honore diuino, & consequenter diligere Deum super omnia. Si enim supra suam vitā potest quis ex naturalibus Deum diligere, poterit & supra alia.

Tertio: Nos sumus naturaliter inclinati ad diligendum Deum super omnia, vt bona pars Theologorum defendit. Ergo habemus potestatem consequēdi eam dilectionem ex naturalibus. Non enim natura dat inclinationes ad sibi impossibilia.

Quartò: Possumus ex naturalibus diligere creaturam aliquam super omnia. Ergo multo magis poterimus Deum sic diligere. Plures enim in eo rationes sunt eum diligendi. Cognoscitur enim ex naturalibus esse multo maius bonum, & magis beneficum in nos, quam suæ omnes creaturæ. Et procliuior videtur voluntas nostra in ipsius amorem, quam in amorem creaturarum.

Quintò: Si non possumus sine gratia diuina Deum diligere super omnia, constare ergo nobis posset nos esse in gratia diuina, nempe quando nobis constaret, vt certe con-

constare potest, nos diligere Deum super omnia. Si enim constare potest idololatræ, quod diligit idolum super omnia, nulla sub: esse causa videtur, propter quam non similiter possit constare nobis, quod diligamus Deum super omnia.

Negatiua pars. Pro parte vero negatiua, expressa videtur diffinitio Concilij Mileuitani in canone 4. Sic enim inter alia ibi legimus: Cum dicat Apostolus, *Scientia inflat, caritas vero ædificat*: valde impium est vt credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat, non habere: cum sit vtrunque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, *Qui docet hominem scientiam*: ita scriptum est etiam, *Caritas ex Deo est*. Et approbatus est hic canon, & vt proprius Apostolicæ Sedis, amplexus est à Cælestino primo, canone decimo suæ primæ epistolæ Decretalis. Ad hanc quæstionem hac conclusione respondeo:

1. Cor 8.

Psalm. 93. 1. Ioan. 4.

CONCLVSIO.

Necessarium est auxilium Dei speciale ad diligendum Deum super omnia, neque sufficit nostrum liberum arbitrium in hoc statu in tantum ac tam perfectum actum, nisi adiuuetur gratia Dei. Hæc propositio tenetur à sancto Thoma, prima secundæ, quæstione 109. articulo 4. Et à Gregorio Ariminensi in secundo, distinctione 26. quæstione prima, in probatione suppositionis quintæ pro prima conclusione. Est tamen hæc propositio contra multos Doctores Scholasticos. Et quidam existimant eam esse contra Doctorem Subtilem, propterea quod in tertio, distinctione 27. videtur ex professo probare, posse hominem ex viribus naturalibus diligere Deum super omnia: & in secundo, distinctione 28. ad finem corporis quæstionis vnicæ, quam ibi tractat, videtur dicere non esse ex impotentia liberi arbitrij, quod non possit implere homo omnia præcepta legis sine gratia: sed ex hoc, quod Deus illa seruantibus, & peculiariter seruantibus hoc præceptum diligendi Deum super omnia, Deus offert liberaliter suam gratiam. Verum ego non crediderim ista argumenta sufficere, vt credamus Doctorem Subtilem contrarium sensisse nostræ propositionis. Nam in priore loco ex tertio Sententiarum positis argumentis, quæ suadent voluntatem hoc posse ex viribus suis naturalibus, solum concludit se propter ea argumenta concedere conclusionem, quod ex puris naturalibus potest quæcunque voluntas saltem in statu naturæ institutæ diligere Deum super omnia. Ex quibus verbis patet, illum non asseruisse hoc pro isto statu. In secundo autem loco ex secundo, si bene perpendantur omnia, quæ in ea quæstione dicuntur, aperte constabit, Doctorem Subtilem non disputasse, an possit homo implere omnia præcepta, vel vitare omnia peccata, sine gratia specialis Dei auxilij: sed solum disputat, an hæc possit sine gratia gratumfaciente præcedente, vel saltem comitante. Et ita etiam exponi possent, quæ idem dicit in primo, dist. 17. q. 1. ad argumentum secundum pro opinione, quæ imponitur Magistro. Quanquam & pro illis, quæ ibi dicuntur, satis est concedere voluntatem in puris naturalibus posse habere aliquam dilectionem Dei, vel visi, vel ostensi per fidem, quod non negamus, de sola enim dilectione Dei super omnia loquimur, quæ sufficeret ad obtinendum Dei gratiam. Et de ista apertus est locus in articulo primo Quodlibeti. 17. vbi videtur ille nostram sententiam tueri. Eius enim verba ibi hæc sunt: *Plures actus dilectionis, ad quos naturaliter inclinamur, possumus potestate naturali, licet non omnes, quia ad perfectissimum circa vltimum finem est inclinatio naturalis, licet ad illum non possit natura attingere ex se.* His ille claudit articulum primum. Ex quibus, cum perfectissimus actus vix sit in omni opinione, & in illius maxime dilectio Dei super omnia: relinquitur, in istum actum non posse naturam nostram ex se, sed ad eum indigere auxilio Dei. Et licet quidam ipsius exposit[illegible] referat ista verba ad dilectionem Dei super omnia, quæ in patria habebitur, & beatifica est, tamen, cum ille hoc non expr[illegible]sserit, & in tota quæstione tantum de actibus v[illegible]e

Inter Scholasticos nõ cõuenit de hac conclusione.

Zzzzz dispu-

disputet, nos in eo quod diximus, persistemus. Vtcunque tamen sit de authoribus Scholasticis, nos probabimus nostram conclusionem.

Quinq. rationes pro conclusione, Rom. 5. Et primo quidem pro nobis stare videtur Paulus, cum ait: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Pro verbo enim, *caritas*, Græce habetur ἀγάπη, quod dilectionem, siue actum dilectionis significat. Si vero dilectionem Dei veram nostris habere possumus viribus, nihil esset opus, vt huiusmodi dilectio nobis peculiariter per Spiritum sanctũ communicaretur. Et confirmari hoc potest ex eo, quod Ioannes in sua prima epistola
1. Ioan. 4. dicit: *Caritas ex Deo est.* Cum enim potissima & perfectissima caritas, sit dilectio Dei super omnia, si caritas ex Deo est, erit & dilectio Dei super omnia. Et hoc etiam loco habetur Græce idem verbum ἀγάπη, quod dubium non est, actum dilectionis significare.

Secundo etiam pro nobis stare videtur canon 25. Concilij Arausicani secundi, qui sic habet: *Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse, vt diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes, amati sumus, vt fieret in nobis, vnde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus nostris spiritus patris & filij, quem cum patre amamus & filio.* Vnde vt eodem modo exponat Paulum Concilium, ac nos statim exposuimus. Exposuit etiam similiter, & ad hoc applicuit Augustinus in quarto libro contra duas epistolas Pelagianorum, & in cap. 19. De gratia & libero arbitrio, & in libro de perfectione iustitiæ. Sed & animaduerte, quid post hæc subijciat Concilium, ne dubites de nostra conclusione. *Secundum supra scriptas sanctarum scripturarum sententias, & antiquorum patrum diffinitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea, aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit:* Hæc ibi.

Tertio pro hac sententia stant multa testimonia sanctorum, & præsertim Augustini. Is enim libro 5. contra Iulianum, cap. 5. ita ait: *Amor, quo Deus gratis amatur, in nobis esse non potest, nisi ex ipso.* Et in epistola ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, peccati granditate perdimus.* Et 21. de ciuitate Dei, cap. 16. *Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat.* Et de gratia & lib. arb. cap. 18. dilectionem Dei nobis esse ex Deo, probat ex illis verbis Ioannis, *Ipse prior dilexit* 1. Ioan. 4.
nos: & ex illis verbis Christi, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioan. 15. *Si enim*, ait Aug. *non prius dileximus, vt hoc merito nos ipse diligeret, prius illum nos elegimus, vt ab illo eligi mereremur.* Et cap. 19. Pelagianicum esse dicit, asserere, dilectionem nobis esse ex nobis. & contra Pelagianos pro nobis argumentatur, quia Ioannes dicit: *Videte qualem dilectionem dedit* 1. Ioan. 3.
nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Et subdit: *Quid est ineptius, immo vero quid est amentius, & ab ipsa sanctitate caritatis alienius, quam confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine caritate inflat, & ex nobis esse caritatem, quæ facit, vt scientia inflare non possit?* Bernardus etiam huic subscripsit sententiæ in libro De diligendo Deum, his verbis: *Difficile, immo impossibile est, suis, quempiam liberive arbitrij viribus, semel acepta a Deo libertate, ad Deum ex toto conuertere voluntatem, & non magis ad propositum retorquere, sicut scriptum est: Omnes quæ sua sunt, quærunt.* Sanctus Maximus etiam in sermone quodam communi de vno martyre, ita ait: *Caritas hominis non est à seipso, sed salubriter donatur a Christo.*

Quarto eandem conclusionem sic probo: Plus est diligere Deum super omnia, quam credere fidei nostræ. Ad dilectionem enim Dei super omnia, requiritur credere, & aliquid amplius. Est enim dilectio Dei super omnia, voluntas obediendi Deo in omnibus suis præceptis. Et nisi plus esset, non esset maior virtus caritas, quam fides: quod est aperte contra Apostolum 1. Cor. 13. Cum igitur ad fidem requisitum sit Dei auxilium speciale, neque sufficiant vires nostræ, vt iam docuimus, requisitum erit etiam auxiliũ speciale ad diligendum Deum super omnia.

Quinto: Vt patet ex dictis, ad implen-

dum

dum omnia Dei mandata, requiritur auxilium ipsius speciale, neque satis sumus nos sine ipso. Ergò etiam necessarium erit hoc auxilium ad diligendũ Deum super omnia, Probo consequentiam istam, quia dilectio Dei super omnia, si vera sit, & ea quam sacræ literæ dilectionem Dei appellant, annexam habet obseruantiam omnium mandatorum. Est enim eius & causa sufficiens, & imperium efficax, & saltem scitum non admittit aliquod peccatum mortale. Vnde & Christus aperte dicit: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo* Et post pusillũ: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Ioan. 14.

Confutantur Arg. 1. Ad argumenta facta in principio quæstionis, ita existimo posse responderi. Ad primum: Gregorius Ariminensis, vt aperte potest colligi ex ipso in secundo, distinctione 26. quæstione prima, articulo primo, conclusione secunda, & distinct. 29. quæstione prima, articulo secundò, prima conclusione corollaria negaret quidem posse intellectum nostrum sine auxilio Dei speciali habere tam perfectum iudicium. Sed mihi hoc videtur contra Paulum in loco citato. Ideoque mallem negare consequentiam. Difficilius enim est diligere, quam iudicare.

Soluitur 2. Argum. Ad secundum: Licet per lumen naturale agnoscere possimus oppetẽdam esse cuique mortem pro sua republica, non inde tamen sequitur, vt hoc possimus ex naturalibus etiam perficere. Difficilius est enim sic facere, quam sic iudicare sicut statim diximus, dilectionem Dei super omnia, difficiliorem esse quam iudicium, quo iudicamus Deum diligendum super omnia. Vnde & pauci fuerunt semper, qui ista facerent, etiam ex illis, qui hæc esse facienda non dubitabant. Et inter articulos Parisienses & iste inuenitur: Si ratio recta, & voluntas recta. Error. Et causa subditur, quia secundum hoc ad rectitudinem voluntatis non esset necessaria gratia, sed scientia tantum: quod fuit error Pelagij. Possumus etiam dicere, difficilius esse mortem pro Deo oppetere, quam pro republica: quia non potest naturaliter constare, ad euadendum mortem temporalem vel æternam, necessarium esse nos mortem oppetere, quando mors est oppetenda pro bono diuino, sicut naturaliter potest constare, aliquando non posse rempublicam seruari sine nostra morte, & nos simul cum illa perituros, si non fortiter moriamur pro illa. Atque ideo etiamsi daremus fortem politicum posse ex naturalibus morti se exponere pro republica, non continuo esset necessarium, idem ipsum facere quemuis posse pro honore diuino. Et ipse Doctor Subtilis, cuius sunt in tertio, distinctione 27. hæc duo argumenta & quintum, aperte fatetur in secundo, distinct. 5. quæstione prima ad tertium, dilectionem Dei, qua suam beatitudinem obtinuerunt angeli, fuisse quidem illis difficilem ex parte operis, quia obiectum ipsius eorum excedebat naturam, licet non fuerit difficilis eis ex parte operantium, quia non inclinabantur ad oppositum.

Ad tertium: Etiam est inclinatio naturalis, insita cuique homini ad beatitudinem, & animabus separatis ad sua corpora. Et tamen neutrum horum est possibile sine Dei speciali auxilio. Sed de his alias latius. Argum. 3.

Ad quartum: Primo dico, hoc argumentum similiter posse probare, ad fidem non requiri auxilium Dei, immo neque ad pœnitentiam, neque ad impletionẽ mandatorum, neque ad aliquid aliud. Possumus enim & homini leuiter credere ex naturalibus, quæ excedunt naturam, & de hominis offensa dolere, & hominum malorum implere mala præcepta. Sed quia adducere inconueniens, non est soluere argumentum, aliter secundo dico: Difficilius est diligere Deum super omnia, quam creaturam: quia ad diligendum creaturam supra omnia, satis est ipsam adorare vt Deum, vel eam contra Dei præcepta amare: sed ad diligendum Deum supra omnia, requiritur, vt velimus omnia ipsius seruare mandata. Itaq; in dilectione Dei, de qua modò agimus, clauditur difficultas omnium mandatorum, non sic autẽ in dilectione cuiuscunq; creaturæ. Non enim tanta requirit ad sui dilectionẽ creatura, quanta Deus exigit vt vere possimus dici eum diligere super omnia. 4.

Replicabit tamen aliquis fortassis contra hæc: Possemus ex naturalibus creaturā aliquam insensibilem diligere supra nosipsos, & velle mortem oppetere pro ipsa, immo & difficiliora pro ipsius amore, vel pro ipsa obtinenda implere, quam sint præcepta diuina. Et potest ostendi hoc in idolatris, qui possunt tantum insanire, &, vt audiui, quandoque tantum probantur apud Indos insanisse amore suorum idolorum, vt etiam mortem pro eorum honore, vel pro eis penes se habendis, libenter oppetant. Ergo etiam hocipsum poterimus pro Deo ex proprijs viribus.

Ad hanc replicam, quæ vere vrget, primo dico: Procliuiores sumus, propter infirmitatem contractam ex peccato Adæ, in malum, quàm in bonum. Atque ideo non est mirandum, si non possit homo ex naturalibus tanta pro Deo facere & perpeti, quanta homines plerumque & faciunt & patiuntur pro rebus nihili, pro voluptatibus videlicet & diuitijs & honoribus huius seculi consequendis, quæ momentanea bona sunt. Secundo dico: Cum Deum non videamus, adhuc difficilius videtur Deum diligere supra omnia, & pro eo mortem oppetere, etiamsi nobis eius perfectio & bonitas constet per demonstrationem. Et hanc difficultatem probare possumus ex illis verbis Ioannis: *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* 1. Ioan. 4.

Ad 5. arg. Ad quintum: Aliud est, non posse nos diligere Deum super omnia sine gratia gratum faciente, quod hactenus nunquam diximus, neque credemus vnquam. Aliud est, non posse nos diligere Deum super omnia, sine gratia specialis auxilij diuini, quod solum concessimus. Quod si quis replicet, saltem vbi constiterit nos diligere Deum super omnia, constare posse nos à Deo peculiariter adiuuari, respondeo: Nostra conclusio non est euidens. At hoc necessarium erat, vt quod ex illa infertur, cum alia euidenti euidens esset.

* * *

QVÆSTIO XI.

De necessitate gratiæ ad pœnitentiam.

AN ad veram pœnitentiam nostrorum peccatorum, sufficiant vires nostræ naturales cum communi Dei influentia. Et quod sufficiant, potest fieri apparens. Primo ex verbis Deuteronomij 30. Cum enim polliceretur Moyses populo Israelitico, quod amandus esset à Domino, si Deum ipse amaret, & obediret voci illius, eiusq; mandata custodiret, & ad eum reuerteretur in toto corde, & in tota anima sua: subdidit statim, *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; neque in cælo situm; vt possis dicere. Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare positum, vt causeris, & dicas, quis è nobis poterit mare transfretare & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere, quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Hæc ibi. Quæ verba videntur apertè ostendere, non esse mandatum de pœnitentia & reuersione ad Dominum neque mandatum De dilectione Domini ex toto corde, supra nostras vires. Immo generaliter omnia mandata diuina facillima esse, & iuxta nos valde in ore & corde nostro, neque extrinseco aliquo auxilio esse opus, vt ea seruemus. Rationes probabiles pro parte affirmante.

Et potest hic locus cõfirmari ex illis verbis Ezechielis: *Proijcite à vobis omnes impietates vestras, quas impie egestis in me, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. & facite omnia mandata mea.* Et paulo post: *Conuertimini & viuetis.* Nisi enim in potestate nostra esset, proijcere à nobis impietates nostras, & facere nobis cor nouum & spiritum nouum, non hæc nobis Deus præciperet, qui à nemine exigit, quod est ei impossibile. Ezech. 18.

Et cõfirmari potest secundo ex illis verbis Christi: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malã, & fructum eius malum.* Videtur enim hîc ostẽdisse, vt bene colligit Augustinus libro contra Adamantium Manichæi discipulum, in vniuscuiusq; esse potestate voluntatẽ suam mutare. Perinde enim videtur hîc subiecisse Matt. 12.

cisse potestati Pharisæorum, ad quos ista dicebat, potestatem faciendi se arbores bonas, ac fuerat in potestate eorum fecisse se malas arbores. Ad eos enim statim dicit: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?*

Secundo ad idem argumentor: Per facultatem nostram naturalē possumus dolere de offensa, quam in aliquem bene meritum de nobis, admiserimus. Igitur & de offensa Dei, qui nusquam non est in nos benignissimus.

Tertio quicunq; fidelis habet in potestate sua dolere de suis peccatis propter Deū, etiam cum à Deo non mouetur, neq; excitatur ad pœnitentiam. Potest enim ore & affectu dicere quandocunq; ei collibitum fuerit. Pœnitet me offendisse Deum, sicut potest dicere, placet me offendisse Deum. Et ita vnum sicut & alterum, videmur in nobis esse positum experiri. Ergo ad vtrunque habet fidelis æqualem potestatem, neque indiget magis ad vnum, quam ad alterum auxilio Dei speciali.

In contrarium vero sunt illa verba Psalmistæ, *Erraui sicut ouis quæ periit*. Ideo enim errasse se dicit Psalmista sicut ouem; quia cognoscebat se ad viam rectam redire suis viribus non posse, sicut neque ouis vnquam nouit redire ad viam, si semel ab ea errauerit, nisi reducatur à pastore. Vnde & velut hoc professus humiliter recurrit ad pastorem magnum ouium, & clamat, Quære seruum tuum. *Psal. 118.*

Ad hanc quæstionem breuiter sic respondebo.

CONCLVSIO.

Necessarium est Dei auxilium speciale, neq; vires nostræ naturales sufficient sine ipso, ad veram pœnitentiam de peccatis nostris, hoc est, ad verum de illis dolorem, vt fuerunt offensæ Dei. Hæc conclusio est sancti Thomæ in prima secundæ, q. 109. art. 6. & 7. & in tertia parte, q. 62. art. 2. ad tertium, & sancti Bonauen. in secundo, d. 28. ar. 2 q. 1. & d. 30. q. 1. & Marsi. q. 17. secundi. & Gregorij Arminensis in secundo, distinctione 26. quæstione prima, & multorum aliorum Theologorum. Et notandum profecto, quod S. Bonauen. in fine q. statim citatæ ex d. 28. expresse dicit, in duobus errasse, & mentitum fuisse Pelagium, & quod posuerit primam gratiam sub merito cadere, & quod dixerit liberi arbitrij proprijs viribus posse nos ad gratiam disponere. Est tamen hæc conclusio ex Doctoribus Catholicis contra Durandum in 2. d. 28. q. vltima, & contra Gabrielem eadem dist. q. vnica, articulo 2. Et videtur esse contra nostrum Doctorem Subtilem, & ita plerique Scotistæ, & alij non Scotistæ, existimant. Et pro eorum sententia tria potissimum videntur stare. Primum est, quia in quarto, distinctione 14. quæstione 2. articulo 2. litera M. expressissime dicit: *Sciendum quod peccator in peccatis existens, potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, & vt impeditiuū præmij, & inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus, & potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari.* Ex quibus verbis videtur sensisse, voluntatem posse detestari peccatum, vt offensiuum Dei ex naturalibus, & cum communi influentia, sicut dixit intellectum posse ex naturalibus, & cum cōmuni influentia considerare peccatum, vt Dei offensiuum. Ad vtranque enim potentiam videtur retulisse illud verbum, *Ex naturalibus & cum communi influentia.* Secundum est, quia ibidem, litera N, ita scribit: *Vel enim oportet dicere, quod iustificetur peccator, sine omni dispositione sufficiente de congruo ex parte eius, & per consequens difficile est saluare quod apud Deum non sit acceptatio personarum, vt dictum est in secundo, distinctione 6. quæstione 2. & distinctione 2. quæstione vnica: vel nulla potest esse sufficientior dispositio ad istam iustificationem, quam ista attritio, videlicet detestatio peccatorum, perfecte circunstantionata in genere moris.* Hæc ille. Ex quibus videtur sensisse, ad vitandum acceptionem personarum in Deo, necessarium esse ponere aliquam dispositionem in peccatore, quæ sit sufficiens causa suæ iustificationis, quamque ipse ex ipsa sui potestate arbitrij apponat, vt ipse merito potius quam alius iustificetur, & Deus probetur alienus

Pelagii duplex error.

Scotus, an cōtra quam conclusio præcedens habeat, sentserit, expēditur.

Digitized by Google

de ſententia Doctoris Subtilis, in cuius verba nos nunquam iurauimus, tametſi eum, quantum maxime poſſimus, cupiamus defendere, nos concluſionem noſtram apertis argumentis firmabimus.

Concluſio rationibus côfirmatur.

Et primo quidem pro iſta ſententia argumentor: In multis locis ſcripturæ Deo tribuitur conuerſio & pœnitentia peccatorum, à Deo etiam illa poſtulatur, & de illa Deo gratiæ aguntur. Signum eſt ergo, ad eam non ſufficere vires noſtras, ſed donum Dei eam eſſe, neceſſariumq; eſſe ipſius fauorem ſpecialem, vt eam habeamus. Conſequentia ſatis probata eſt in præcedētibus quæſtionibus. Antecedens vero probatur: Audita ratione quam Petrus aliquibus Apoſtolis & diſcipulis dedit de ingreſſu ſuo ad gentes, tacuerunt, ait Lucas in actis, & glorificauerunt Deum, dicentes: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Et Paulus ideo cum modeſtia dicit oportere corripere eos, qui reſiſtunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Et Dauid Domino tribuit ſuam conuerſionem, tum alias ſæpe, tum vero ibi, *Expectans expectaui Dominum & intendit mihi: Et exaudiuit preces meas & eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fæcis*. Et Hieremias apertius: *Sana me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es*. Et alibi: *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam*. Et ibidem humiliter precatur: *Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus*. Et alibi: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. Et Dauid agnoſcens vnius eſſe Dei hoc tantum beneficium, cōfidenter clamabat. *Deus virtutum, conuerte nos*. Et alibi: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter*. Et alibi: *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant, & viſitabo eos, vt bonos eos faciam*. Ecce aperte hîc dicit Deus, ſe facere, vt boni ſimus. Et Ioannes: *Si quis videris fratrem ſuū peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita*. Et Paulus aperte declarat, Deo vni nos debere, quod pœnitentiam facimus, cum ait: *Cum gaudio gratias agentes Deo & patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine: Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ*. Et cum per Ezechielem prædicit omnes ſe aliquando conuerſurum reliquias Iſrael. Vide vt totam Iudæorum conuerſionem ſibi attribuat Dominus dicens: *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: Et auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri: Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*. Et paulo poſt: *Et ſaluabo vos ex omnibus inquinamentis veſtris: Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorumque non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ & ſcelera veſtra*. Et poſt puſillum: *Hæc dicit Dominus Deus: In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus veſtris & inhabitare fecero vrbes, & inſtaurauero ruinoſa, & terra deſerta fuerit exculta, quæ quondam erat deſolata, in oculis omnis viatoris dicent: Terra illa inculta, facta eſt vt hortus voluptatis: & ciuitates deſertæ & deſtitutæ atque ſuffoſſæ, munitæ ſederunt: Et ſcient gentes quæcunque relictæ fuerint in circuitu veſtro, quia ego Dominus ædificaui diſſipata, plantauique inculta, ego Dominus & locutus ſim & fecerim. Hæc dicit Dominus Deus*. Et ne quis dicat, Faciet quidem Dominus Deus iſta, & facit in conuerſione cuiuſcunque peccatoris infundendo ei gratiam ſuam & virtutes, ſed facit propter merita eorum, qui conuertuntur, bis ibidem dicit Dominus: *Non propter vos ego faciam, notum ſit vobis, ſed propter nomen ſanctum meum*. Et perpulchre ponderat hunc locum Auguſtinus libro quarto contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 6. his verbis. *Quid remanſit pelli morticinæ, vnde poſſit inflari, & dedignetur, quando gloriatur, in Domino gloriari? Quid ei remanſit, quando quidquid dixerit ſe feciſſe, vt eo præcedente hominis merito ab homine exorto, Deus ſubſequenter faciat, quod dignus eſt homo: reſpondetur, reclamatur, contradicitur: Ego facio, ſed propter nomen meum ſanctum, non propter vos ego facio, dicit Dominus Deus. Nihil ſic euertit Pelagianos dicentes gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. Nihil ſic euertit hominum præſumptionem, dicentium, Nos facimus, vt mereamur cum quibus faciat Deus. Reſpondet vobis nō Pelagius ſed ipſe Dominus, Ego facio & non propter vos ſed propter nomen meum ſanctum. Quid enim poteſtis facere*

Marginal notes: Actuum 11. — 2. Tim. 2. — Pſalm. 39. — Hiere. 17. — Thre. 5. — Pſalm. 79. — Pſalm. 84. — Hiere. 32. — 1. Ioan. 5. — Coloſſ. 1. — Ezech. 36. — Auguſtinus locum ex Ezechiele diligenter ponderat.

fac-

cere boni de corde non bono? Vt autem habeatis cor bonum, Dabo vobis, inquit, cor nouum, & Spiritum meum dabo vobis: Nunquid potestis dicere, Prius ambulauimus in iustificationibus eius, & iudicium eius obseruauimus, & fecimus vt digni essemus quibus gratiam suam dares? Quid enim boni faceretis homines mali? Et quomodo ista faceretis, nisi boni essetis? Vt autem homines sint boni, quis facit nisi ille qui dixit, Visitabo eos, vt bonos eos faciam? Et qui dixit, Spiritum meum dabo vobis, & faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis? Itane nondum euigilatis? Non auditis, Faciam vt obseruetis postremo, Faciam vt faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est: nos obseruamus, nos facimus, sed ille facit, vt ambulemus, vt obseruemus, vt faciamus. Hæc est gratia Dei, bonos faciens nos. Hæc est misericordia eius præueniens nos. Quid merentur deserta & exterminata & effossa, quæ tamen ædificabuntur, operabuntur, & munientur? Nunquid hæc pro meritis desertionis, exterminationis, effossionis suæ? Absit. Ista enim merita mala sunt, hæc munera bona. Redduntur itaque malis bona. Gratuita ergo, non debita. & ideo gratia. Ego, inquit Dominus, ego Dominus. Nonne te ista vox comprimit ô humana superbia, quæ dic[is], Ego facio, vt merear à Domino ædificari atque plantari? Nonne audis, Non propter vos ego facio, Ego Dominus ædificaui destructas, plantaui exterminatas? Ego Dominus locutus sum & feci, non tamen propter vos, sed propter nomen meum sanctum. Hæc ibi: Et post hæc etiam ponderat ad hoc propositum, quod sequitur statim in Ezechiele: *Adhuc in hoc inueniet me Domus Israel, vt faciam eis: Multiplicabo eos sicut gregem hominum, vt gregem sanctum, vt gregem Hierusalem in solennitatibus eius.* Ex psalmo enim 94. colligit, neminem esse ouem, nisi quem ipse fecerit. Ipse enim ita legit, *Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius:* vbi nos legimus, *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Et eodem testimonio Ezechielis vtitur c. 14. De gratia & lib. arb. ad probandum eandem veritatem. Et merito profecto post illius citationem, ita subdit: *Quis ita sit cæcus, vt non videat? Quis ita lapideus, vt non sentiat istam gratiam, non secundum merita bona voluntatis dari, Domino dicente, atque testante: Non propter vos ego facio?* Sed hæc satis superq; sint pro primo argumento.

Secundo pro ista sententia argumentor ex diffinitionibus ecclesiæ. Innocentius e- Secundo pro conclusione satis.
nim huius nominis primus, in rescripto ad Carthaginense Concilium, inter cætera ita ait: *Adiutorio Dei quotidiè nos egere, negare non possumus. Hoc enim seu bene viuimus prouocamus, vt melius sanctiusque viuamus, seu praue sentientes, à bonis auertimur, vt ad rectam redeamus viam eius auxilio plus egemus.* Hæc ibi.

Confirmat etiam istam veritatem Cæle- 1 Con. tom. 594.
stinus huius nominis primus, in suæ epistolæ primæ canon. 11. ex sacerdotalium obsecrationum sacramentis, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atq; in omni Ecclesia Catholica vniformiter à Deo, ait, celebrari, vt legem credendi lex statuat supplicandi. Sunt autem eius ista verba: *Cum* Orationes solennes in die Parasceues.
sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia, postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idolatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, vt hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritum rediuiuæ caritatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedium confe[r]atur, vt denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cælestis aulæ misericordiæ reseretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Deo peti, rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere, plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum, transferat in regnum filij caritatis suæ, & ex vasis iræ faciat v[a]sa misericordiæ. Quod adeo totum diuini operis esse sentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referatur. Hæc ibi: Ex quibus patet, præsertim si bene ponderentur postrema verba, sanctum istum pontificem à Dei peculiari auxilio proficisci credidisse conuersionem ipsam peccatorum, illudque auxilium propter preces Ecclesiæ Deum plurimis impartiri. Vnde & ipsa etiam in quadam oratione cõmuni ita orat: *Voluntates nostras, quæsumus, Domine adspirando præueni.*

In Concilio etiam Arausicano secundo, 1. Conc. tom. pag. 722.
canone quarto ita legimus: *Siquis vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare*

ctare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus per sancti spiritus infusionem & operationem in no. fieri confitetur, resistit ipsi spiritui sancto per Salomonem dicenti: Præparatur volunt.as à Domino & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui
Phil. 2. *operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Et canone Sexto: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis dicit misericordiam confe ri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati & obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, neque obediens & humilimus ipsius gratiæ donum esse con-*
1. Cor. 4. *sentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod*
1. Cor. 15. *non accepisti? Et, gratia Dei sum id quod sum.* Et can 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per g atiam baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi Vnde ipsa veritas d cit: Si vos filius libe-*
Ioan. 8. *rauerit, tunc vere liberi eritis.* Hæc ibi. Et ponderanda sunt ista verba. Vt enim supra admonuimus, capitula huius Concilij, diffinitiones sunt Sedis Apostolicę. Et hîc apertissime diffinitur etiam, ipsam voluntatem surgendi à peccato, ab spiritu sancto esse, & contra Apostolum esse, si quis dicat sine gratia Dei fieri illa, quibus obtinemus misericordiam diuinam: & contra Christum, si quis asserat liberum arbitrium posse reparari, nisi ab ipso Christo. Et ibidem can. 8. à recta fide decernitur alienus, qui alios misericordia, alios per liberum arbitrium ad gratiam baptismi venire posse contendit. Quod si liberum arbitrium non est sufficiens, vt quis velit baptizari, neque sufficiet profecto ad pœnitentiam, quæ longe difficilior est.

Tertio induci possunt pro his multa Diui
Ex Augustino pro cõclusione testimonia. Augustini testimonia apertissima. In tertio Hypognosticon ita ait: *Sola voluntate sua si præsumat homo, mundari non potest, immo neque ex corde pœnitere comperitur, quia Petrum nisi Do-*
Matt. 26. *minus respexisset, nunquam pœnitentia motus amarè fleuisset.* Et subdit: *Pœnitentia ergo res est optima atque perfecta, quæ defectos reuocat ad perfectum. Sed omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminũ,* Iacobi. 1.
Iacobus inquit Apostolus. Hæc ibi. Quæ manifeste ostendunt, secundum D. Augustinum non solum esse à Deo, quod mundemur à peccato, & illius gratiam consequamur, sed ipsam dispositionem, per quam hoc assequimur, à Deo esse. Et libro primo de gratia Christi contra Pelagium & Cælestium, ca. 45. citat, & apprpbat beatum Ambrosium libro decimo expositionis Euangelij secundum Lucam, ita dicentem: *Bonæ lachrymæ quæ culpam lauant. Denique quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit primo Petrus & non fleuit, quia non respexerat Dominus. Negauit secundo, & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negauit tertio, & respexit Iesus, & ille amarissime fleuit.* Et addit statim Aug. de suo: *Legant isti Euangeliũ. & videant Dominum Iesum, tunc intus fuisse cum à Sacerdotum principibus audiretur: Apostolum vero Petrum foris, & deorsum in atrio cum seruis ad focum, nunc sedentem, nunc stantem, sicut verissima & concordissima Euangelistarum narratione monstratur. Quod ergo scriptum est, Respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate. Misericordia Dominus latenter subuenit, cor tetigit, mem riam reuocauit, interiore gratia sua visitauit Petrum, interioris hominis vsque ad exteriores lachrymas mouit & duxit affectum.* Hæc ille. Quibus quid dici potest manifestius? Idem tradit in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 5. his
verbis: *Nisi donum Dei ipsa conuersio esset, non ei* Psalm. 79.
diceretur: Deus virtutum, conuerte nos. Deus, tu Psalm. 84.
conuertes viuificabis nos. Conuerte nos Deus sanitatum nostrarum. Et ca. 6. eiusdem libri, propter hoc ait dealbatam d ctam esse Ecclesiam in Canticis, quia per seipsam alba esse
non posset. In libro etiam quinto contra Cantic. 8.
Iulianum, cap. 9. ita ait. *Quantamlibet præbeat Deus patientiam, expectando & sustinendo peccatores, nisi Deus dederit, quis aget pœnitentiam?* Et probat ex citatis Apostoli verbis. Et libro primo Retractationum, cap. 9. *Sponte homo,* id est, libero arbitrio, *cadere potuit, non etiaus surgere.* Eandemque sententiam citat ibi ex libro de libero arbitrio, his verbis: *Non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest.* Et in tertio Hypognosticon, exponens de

genere humano parabolam Euangelicam hominis, qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho: *Homo*, inquit, *Vulneratus libero arbitrio per Adæ peccatum, sine gratia Dei, id est, per se solum sanare se non potest, neque sponte ad paradisum reuerti, sanctorum numero sociandus, neque gratiam meritis vllis accipit, sed totum sua misericordia Deus peragit.* Et paulopost: *Ideo semiuiuus dicitur relictus, quia ad æternam vitam, quam perdiderat, redire non sufficiebat. Cur iacebat, dicite, si per se surgere poterat vel sanari, nullius indigens adiutorio? Sed iacebat vulneratus, quia vires ei propria ad surgendum, quo ad sanandum se medicum, id est, Deum requireret, non sufficiebant.* Et infra: *Ideo misericordia motus dicitur Samaritanus, qui figura fuit Christi, dum videret eum, iacentem videlicet, & non surgentem, neque currentem: quia in eo vt curari dignus esset, meritum nullum inuenit.* Et bene ponderat, quod non proprio gressu, sed iumento superimpositum, in stabulum detulit: quia ille peccata nostra portauit, & pro nobis doluit. Et post aliquanta: *Quid etiam*, inquit, *aliud ostenditur, & in oue illa perdita ex centum ouibus, nisi liberum arbitrium possibilitatis bono vitio primi hominis perdito à iustorum errasse consortio, neque per se ad cohortem, id est, ad paradisum de quo exiuit, fidelium numero resociandum posse reuerti, nisi indebita gratia sua, vtique voluntate sua bonus pastor Christus, qui pro nobis animam suam posuit, de deserto errantem, hoc est, de isto mundo, in quo homo diuini præcepti desertor, exultans est, & errat libero arbitrio in operibus diaboli, humeris suis superimpositum, in adiutorium, scilicet fidei suæ & caritatis, reuocauerit?* Hæc ibi. Et cōtra Iulianum hæreticum, qui bonam voluntatem ex libero arbitrio tantum esse dicebat, atque hominem per liberum arbitrium posse bonum velle & operari sine gratia asserebat, tractans illa verba Aposto-

Rom. 9. li: *Non est volentis, &c.* ita ait: *Apertam de commendatione gratiæ Apostolus sententiam protulit, cum ait: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Hæc si attenderes Iuliane, non extenderes contra gratiam merita voluntatis humanæ. Non enim ideo miseretur Deus alicuius, quia voluit & cucurrit: sed ideo voluit & cucurrit, quia misertus est Deus. Paratur enim voluntas hominis à Deo, & à Domino gressus hominis diriguntur. Ideo que congrue ait: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Non quia hoc sine voluntate nostra agatur, sed quia voluntas hominis nihil boni agit, nisi diuinitus adiuuetur. Vnde quod alibi Apostolus ait: Non ego autem sed gratia Dei me-* 1 Cor. 15. *cum: non ideo dicit, quia nihil boni agebat, sed quia nihil boni ageret, nisi gratia adiuuaretur.* Hæc Augustinus. Et hoc quod ille dicit, potest fieri aliquanto apertius ex textu Græco. Vbi enim nos habemus, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*: Græce sic lego, *Non ego autem, sed gratia Dei quæ mecum*, supple, *est*, vel *operatur.* Vt enim doceret se à gratia habere, quod pro salute omnium tantopere laboraret, immo gratiæ esse id potius, quam sibi imputandum: *Non ego autem*, dixit, *sed gratia Dei.* Ne autem, sicut plerique hæretici docuerunt, & nunc docent, soli gratiæ credatur iustificatio nostra, aut bona vita nostra esse adscribenda, & nullæ esse in his existimentur partes nostri liberi arbitrij adiunxit: *Quæ mecum*, videlicet operatur. Neque valet, si quis dicat, ideo Diuum Augustinum in testimonijs citatis ex Retractationibus, dixisse hominem non posse surgere à peccato, quia non surgit, donec habet gratiam Dei. Habere autem gratiam non potest ex se. Certe enim hominem ex se dicere surgere posse, qui cum iaceret, ex se posset corpus erigere, licet non posset ex se habere qualitatem aliquam, quæ consequeretur ipsam erectionem corporis. Et cum in alijs locis, quæ iam citauimus, vtrunque sit negatum, vtrunq; etiam his in locis videtur posse colligi esse negatum, cum dicit hominem ex se surgere non posse. Et alias ita, sicut sponte cecidit, sponte surgere potuisset. Vt enim sponte cecidit non quia ab ipso fuerit, vt Deus illud peccatum imputauerit ad pœnam, sed quia per liberum arbitrium ei peccato consensit, quod Deus imputauit ad pœnam: ita & surgere posset à peccato, si in potestate eius esset eum actum facere, quem Deus acceptat ad ipsius gratiam & gloriam obtinendam, licet non sit ab ipso, sed à Deo ipsa gratiæ collatio vel acceptio. Apertum etiam est eiusdem testimonium in capite septimo de bono perseuerantiæ, vbi expresse dicit,

dicit, post casum hominis non nisi ad Dei gratiam pertinere, vt homo ad eum accedat. Et hæc eadem diffinita sunt ca. trigesimoprimo, libri de fide ad Petrum, vbi ita dicitur: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuerterit.* Et probatur hoc ibi ex citatis verbis Apostoli. In libro etiam de Ecclesiasticis dogmatibus, ita legimus: *Initium salutis nostræ, Deo miserante, habemus.*

Quarta probatio conclus. Quarto ista omnia confirmare possumus hac ratione: Ad fidem & dilectionem Dei super omnia, requiritur auxilium Dei speciale, vt iam patet ex dictis: Ergo enim ad veram pœnitentiam. Vera enim pœnitentia fidem & dilectionem Dei requirit, & vltra hæc, quæ placuerunt reprobat, & eorum habet displicentiam. Quod non exiguæ difficultatis esse, experientia nobis monstrat. Hinc enim est, rarissimos esse, quos vere pœniteat suorum delictorum. Ex quo & confirmare possumus, ad pœnitentiam requiri Dei speciale auxilium. Nisi enim difficilimum esset vere pœnitere, & diuino egeret auxilio, cum mille bona sequantur ex hoc: & à Deo, qui fallere non potest promissa sine vere pœnitentibus incomparabilia beneficia, innumeraque & importabilia mala impendeant impœnitentibus & obstinatis corde, quomodo tam pauci veram pœnitentiam haberent suorum peccatorum? quomodo etiam ex duobus per omnia æqualibus, & ex æquo ista intelligentibus, vnum pœniteret suorum peccatorum, non alterum?

Quinta cõfirmatio. Quinto idem probo hoc argumẽto: Nemo potest mereri primam gratiam, aut remissionem peccatorum, vt superius quæstione sexta & septima latissime ostendimus. Et oppositum, vt tunc docuimus, est error Pelagij iam sæpe damnatus. Ergo nemo potest ex puris naturalibus conuerti ad Deum, & habere verum dolorem de peccatis, sufficientemq; ad veniendum ad Dei gratiam. Probatur ista consequentia. Ille enim qui ex suis naturalib. facit totũ, quod requiritur & sufficit ad obtinendum gratiam, vere eã meretur. Quid enim amplius requiritur? Et quidem Diuus Augustinus, cum impugnat Pelagium, dicentem: Gratiam secundum merita nostra dari, non tã hoc agit, vt ostendat actus quibus disponimur ad gratiam, non esse merita gratiæ, quam vt ostendat ea opera non esse nobis ex nobis, sed ex Dei dono. Immo ideo contendit ea opera non esse merita, quia non sunt à nobis. Et in hoc potissimum contradicit Pelagio, quia ille dicebat à liberi arbitrij naturali potestate ea proficisci, neq; opus esse nobis ad illa peculiari Dei gratia. Et Mileuitanum Concilium, & Carthaginense, & Arausicanum secundum, & Innocentius, & Cælestinus primus hoc præcipue egerunt, vt patet ex iam citatis, vt mõstrarent necesse esse, vt ad hæc adiuuaret Spiritus infirmitatem nostram, & ea Dei nostri benignitas precibus assiduis imploraretur. Vnde & Diuus Augustinus in De gratia & libero arbitrio, quod Apostolus dicit, *Non ex operibus saluari nos per fidem*, ita concordat cum eo, quod ab eodem dicitur, *Creati in CHRISTO IESV in operibus bonis: Non ex operibus*, inquit, *tanquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tanquam his in quibus Deus te finxit, formauit, & creauit.* Et bene ad hoc propositum aptat allegorice illa verba: *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & potentia manus mea fecit hæc omnia.* Et mirifice consonant illa: *Neque enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.* Et super illa verba psalmi 29. *Vita in voluntate eius: Quid est, ait, Vita in voluntate eius?* Et respondet, *Non in viribus nostris, non in meritis nostris, sed quia voluit. saluos nos fecit, non quia digni eramus. Quo enim est peccator dignus, nisi supplicio?* Hæc ibi. Et non dubito quin Diuus Augustinus concessisset, ex meritis hominem iustificari, si per opera propria liberi arbitrij iustificaretur, immo videtur ipse concessurus ex iustitia iustificari. Pro eodem enim ipse accepit, *Ex meritis, & Ex iustitia iustificari.* Vnde & in libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capite decimonono, cum quæreret, quibus

Deut. 9.

Psalm. 43.

meritis Paulus fuerit repente conuersus, respondet: *Quid ergo dicam. quibus meritis cum ipse clamet, Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Et super illa verba Apostoli, *Quis prior &c. Si aliquid*, ait, *meritorium antecenit gratiam iam non gratis datur, sed ex debito redditur,*

Tit. 3

Rom. 11

Pelagii error in quo fuerit situs.

Quod si quispiam dixerit, in eo potissimum constitisse errorem Pelagij, vt crederet iustificari nos posse operibus nostris, & mereri vitam æternam, sine gratia gratum faciente: is aduertat primo haud quaquam esse verisimile, Pelagium in tantam insaniam venisse, vt diximus in sexta quæstione, vt crederet non esse necessarium ad iustificationem nostram & merita beatitudinis, Deum nos acceptare ad suam amicitiam, vel beatitudinem, siue per solam suam benignissimam voluntatem, siue etiam per gratiam creatam Et quidem, vt aperte docet diuus Augustinus capite sexto De gratia & libero arbitrio, Pelagiani non negabant gratis nobis, & non secundum merita nostra, remitti peccata, sed in hoc errabãt, quod hanc solam asserebant gratiam, non secundum merita nostra, cæteras que aiebant meritis præcedentibus reddi. Secundo aduertat, qui sic existimat, non solum contendisse Patres aduersus Pelagium, quod necessaria esset gratia ad merendum vitam æternam, & consequendum remissionem peccatorum, sed etiam, vt ex dictis patet, ad implenda mandata Dei, & vt ea faciamus, quibus superamus tẽtationes, & in via Dei proficimus, & à peccatis nostris recedimus, & auertimur, neque minus ad hoc quam ad alia statuerunt gratiam necessariam. Neque minus Pelagianicum cẽsuissent, si quispiam diceret, posse nos per facultatem nostræ libertatis omnes eos actus elicere, quos DEVS requirit ad nostram iustificationem, quam si diceret, sine gratum faciente gratia diuina posse nos iustificari. Et Augustinus aperte in capite 14. De gratia & libero arbitrio dicit contra Pelagianos, neque scientiam diuinæ legis, neque naturam, neque solam remissionem peccatorum esse gratiam illam, quæ per Iesum Christum Dominum nostrum nobis datur, sed & eam, quæ facit, vt lex impleatur, & vt natura liberetur, ne peccatum dominetur. Et ad errorem Pelagianorum putat pertinere, si quis dicat gratiam dari secundum merita bonæ voluntatis, etiamsi asserat non dari secundum merita bonorum operum. Tertio. qui sibi persuadet, in eo constitisse errorem Pelagij, velim diligenter aduertat omnes Pelagij impugnatores hoc contendisse, quod per peccatum infirmatum fuerit & attenuatum liberum nostrum arbitrium. Si autem concedimus, per liberum arbitrium posse nos omnes actus efficere & habere, qui requiruntur ad obtinendum gratiam diuinam, licet concedamus non posse nos sine gratia diuina obtinere remissionem peccatorum, aut mereri beatitudinem, nihil est, cur infirmatum aut debilitatum credatur nostrum liberum arbitrium. Si enim potest omnes actus efficere, quos potuisset in statu innocentiæ, etiamsi non possit sine gratia diuina vlla habere merita, certe poterit, quidquid poterat in statu innocentiæ. Quia in eo statu neque mereri potuit beatitudinem sine gratia diuina, neque ad gratiam diuinam peruenire, nisi Deo illam ei liberaliter largiente. Itaque nisi ad hæc concedamus necessariam esse gratiam, quæ communicatur nobis propter merita Christi, esto, indiguerit genus humanum redemptore & reconciliatore ipsius cum DEO, tamen non indiguisset reformatore & reparatore, & quantum ad hoc, non fuisset necessaria nobis passio Christi, vt bene contra Pelagium arguit Augustinus tertio libro Hypognosticôn. Et licet Doctor Subtilis in primo, distinctione decimaseptima, quæstione prima, articulo primo & secundo, dicat, hoc appropinquare errori Pelagij, immo videri ipsius errorem, si quis dicat creaturam aliquam ex solis naturalibus posse meritorie agere, aut, quod idem est, actum ex puris naturalibus esse meritorium: inde non sequitur, ipsum non credidisse, ad errorem Pelagij spectare, si quis dixerit ex solis viribus naturalibus posse quempiam se sufficienter disponere ad gratiam.

Ad argumenta facta in principio quæ-

stio-

Argumenta cõtraria diluuntur. stionis, sic respondeo: Ad primum: Omnia illa dixit Moyses, vt ostenderet dilectionem Dei & pœnitentiam, & generaliter omnia opera mandatorum non esse ex natura operum adeo laboriosa, vt ascendere in cœlum, & transfretare mare. Licet enim ea non possimus ex naturalibus perficere propter infirmitatem & imbecillitatem, quam contraximus ex peccato, tamen suauia sunt & leuia, & non grauia, & ea explere facile possumus cum auxilio diuino, quod & nostræ quoque subest potestati, sicut & concursus generalis. Et aliud est, opera aliqua esse laboriosa & difficilia: aliud, nostras illa exuperare vires. Hoc conuenit mandatis diuinis, non illud. Ioannes enim dicit: *Mandata eius grauia non sunt.* Et ipse Christus: *Iugum*, inquit, *meum suaue est, & onus meum leue.*

1. Ioan. 5. Matth. 11.

Ad confirmationem priorem respondet Aug. cap. 15. De gratia & libero arb. 1. *Ideo iubet quod ipse daturus est, quia dat quod iubet: & adiuuat, vt faciat, cui iubet.* Hæc August. Voluit etiam Deus ostendere illa præcipiendo, quæ sine ipsius auxilio non possumus, liberis nos esse arbitrijs, & potestati nostræ subesse ipsius auxilium. Sed vt agnosceremus ab eo esse, vt proijciamus à nobis iniquitates nostras, ipse alibi dicit se solum facere mundum de immundo. Et vt agnoscamus ab eo esse cor nouum, & spiritum nouum, qui præcepit vt faceremus nobis cor nouum, alibi dicit: *Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum.* Et qui dicit, *Conuertimini, & viuetis:* dicit *Si conuerteris, conuertam te*: Ad confirmationem alteram respondet Augustinus primo Retractationum, cap. secundo: *In potestate hominis est, mutare in melius voluntatem: sed illa potestas nulla est, nisi ab eo detur, de quo dictum est; Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ad secundum: Pœnitentia vera formaliter vel virtualiter annexum habet propositum seruandi omnia mandata diuina. Atq; ideo difficilior est pœnitentia, quam dolor de offensa alicuius amici. Et alioqui sicut difficilius est, vt iam diximus, diligere Deũ quem non videmus, quàm proximũ, quem intuemur, cuiusque beneficia in nos, non credimus, sed experimur, & manibus contrectamus: ita & dolere videtur difficilius de offensa Dei, quam de offensa proximi.

Ezech. 36. Hierem. 15.

Ioan. 1. 2. arg. soluitur.

Ad tertium: Licet raro contingat peccatorem dolere de suis peccatis, quin prius excitetur à Deo aliquibus impulsibus & inspirationibus sanctis, tamen fatemur in potestate cuiuscunque, saltem fidelis, esse dolere de suis peccatis, quandocunque habet vsum rationis, quia Deus paratissimus est præstare totum quod ex parte ipsius requiritur. Et quemadmodum non sequitur, nos non indigere auxilio ipsius generali, quia in nostra potestate esse experimur velle quidquid libuerit: ita non sequitur, nos non indigere auxilio ipsius speciali, quia in nostra potestate experiamur posse nos dolere de peccatis nostris, quandocunque hoc placuerit. Dicet tamen aliquis: Saltem, quando Deo non mouente, neque instigante nos prius ad pœnitentiam, ex potestate nostri arbitrij conuerteremur ad Deum, & doleremus de peccatis nostris, nos limitaremus & determinaremus concursum diuinum specialem ad eam conuersionem & dolorem, & præcederet naturâ efficientia voluntatis, efficientiam diuinã, & non ille faceret, vt nos faceremus: sed nos contra, vt ille faceret, & nobiscum concurreret. Et consequenter, cum nos non hoc faciamus, neque prouocemus concursum diuinum aliquo alio actu, quam ipso dolore, vt supponimus: in hoc enim duntaxat casu loquimur, videtur quod prius natura nos dolebimus de peccatis nostris, quam Deus specialiter concurrat. Et ita non erit necessarium auxilium Dei speciale ad eum dolorem. Ad hanc replicam, quæ vere premit & vrget, & totam difficultatem attingit, quæ est in istis concursibus Dei specialibus, sic respondeo: Quamuis in potestate nostra sit, facere vt Deus concurrat nobiscum ad pœnitentiam, possumus enim pœnitere, hoc autem sine suo concursu fieri non potest: tamen non possumus facere, vt Deus sic concurrat nobiscum ad pœnitentiam, vt concursus ipsius limitetur à nostro, & posterior sit nostro. Semper enim causa prima plus influit in effectum, & plus agit, quam causa secunda, & facit eam

Soluitur argum, 3.

Obiectio.

Solutio obiectionis.

causare, non econtrario. Et quemadmodum quando Deus concurrit nobiscum solum generaliter, licet in potestate nostra sit scribere cum volumus, & facere consequenter, vt Deus nobiscum concurrat ad scribendum, tamen nunquam scribimus, quin Deus prius natura moueat manus nostras ad scribendum, quam nosipsi: ita & in concursu speciali intelligendum est, licet in potestate nostra sit dolere de peccatis nostris, & consequenter facere vt Deus ad dolendũ nobiscum concurrat, tamen nunquam dolebimus, nisi præcedente gratia diuina nostra opera, & mouente voluntatem ad eum dolorem. Et possemus dare hoc exemplum, vt intelligere ista possit, quæ quidem difficilia sunt, etiam rudis. Si Petrus in puerili ætate haberet in potestate sua scribere propter præsentiam angeli sui, vel magistri & pædagogi sui, influentis in manus eius, & facientis eas potentes ad scribendum, & mouentis eas, quandocunque Petrus scribit, & non alias, equidem licet Petrus possit scribere, quandocunque ei colliberet, tamen nunquam scriberet, quin suus angelus prius ipso moueret manus suas, & faceret eas causare motum, & potentiam daret ad eum motum: ita intelligendum est de concursu diuino & voluntate nostra, neque maior est difficultas de concursu generali & speciali. Vtrouis enim modo concurrat Deus, semper præcedit natura efficientia illius, efficientiam nostræ voluntatis. Quod & hoc exemplo potest aliquanto apertius fieri. Sicut enim, dum ego demissis oculis sto contra speculum aliquod, imago mea, quæ relucere videtur in speculo, attollere non potest oculos, nisi ego prius natura attollam: & me attollente, simul ipsa omnino attollit: & si libera esset, vt attollere posset oculos, cum vellet, si tamen non in totum inuerteretur ordo naturæ, non haberet hoc, nisi quia posset facere, vt ego attollam: neque posset ipsa attollere oculos, nisi me prius attollente meos oculos, ac per hoc & ipsius oculos erigente: ita nos, qui ad imaginem Dei facti sumus, & imago ipsius sumus, si quando nos Deo propter peccata nostra deserente, proni spectemus in terrã, & depressis simul oculis mentis nostrę in bona huius mundi: etiamsi propter arbitrij nostri libertatem, in potestate nostra habeamus facere, vt Deus adspectum nostrum á terra erigat, & ad se conuertat, tamen hoc non possumus facere, quin Deus ipse prius se quodam modo erigat & tollat, vt nos leuet, & ipsum possimus erectis oculis rectà adspicere, hoc est, quin Deus ipse prius nostræ humilitatis & depressionis misertus, admirabili quodam modo, & plane suauissimo, & nostræ libertati consono, ab his quæ male amamus, nos abstrahat, & rebelles nostras ad se conuertat voluntates.

QVÆSTIO XII.

De necessitate gratiæ ad bene operandum.

AN necessaria sit gratia auxilij specialis ad quodcunque opus bonum, & ad vincendum quamuis tentationem, & implendum quodcunque mandatum, & vitandum quodcunque peccatum. Et videtur quidem, ad hæc omnia gratiam Dei esse necessariam. Hieremias enim dicit: *Non est in homine via eius, neque viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos.* Hier. 10. Et Dauid victoriam tentationum à Dei adiutorio sperat & non à sui arbitrij viribus. Ait enim: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.* Psal. 43. Psalm. 19. *Neque enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.* Et alibi: *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Dei inuocabimus.* Psal. 17. Et iterum: *Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Psal. 26. Et quoniam nouerat diuini esse muneris rectè agere, alibi precatur: *Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.* Psal. 5. Et iterum: *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.* Psal. 16.

In contrarium autem videtur illud stare, quod per Salomonem Dominus dicit: *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Prou. 16. Nisi enim homo posset aliquod bonum facere per suas vires naturales, cur diceretur ipsius esse præparare animam, hoc est, bene proponere, ne offendat & labatur verbis suis, Domini autem gubernare linguam? Et his fauet, quod alias non

semel

semel scriptura admonet nos præparare corda nostra Domino: quod non faceret, nisi hoc nostræ subesset potestati.

Ad hanc quæstionem hac conclusione respondeo.

CONCLVSIO.

Non ad quodcunq; opus bonum moraliter necessarium est auxilium Dei speciale, neq; ad quamcunque tentationem vincendum, neque ad quodcunque mandatum, vel consilium implendum, neque ad quodcunq; peccatum vitandum: sed media quædam via eligenda est, nempe vt dicamus, ad opera fidei & religionis,& generaliter ad opera præcellentia faciendum,ad implendum consilia & mandata grauiora, ad vincendum difficiles tentationes, necessarium esse auxilium speciale, non vero ad alia, quæ nullius aut certe exiguæ sunt difficultatis, & nullam per eam, vel certe non eximiam laudem meremur. Exempli gratia: Ad fidem, dilectionē Dei super omnia, pœnitentiam, martyrium, virginitatem, diuturnam continentiam, voluntariam paupertatem, & magnam abstinentiam, professionem religionis, susceptionem puram & mundam sacramentorum, eleemosynas grandes, & similia, necessarium est auxilium Dei speciale: non vero ad comedendum, bibendum, dormiendum, arandum, & faciendum opera seruilia, neque ad reddendum debitum vxori, neque ad induendum nos decenter, & similia. Ad huiusmodi enim omnia sufficiunt nostræ naturales vires cum concursu Dei generali. Et ista media via, nunc est communis in schola, & eam tuentur Magister in secundo, distinctione 26. capite 8. Sanctus Thomas prima secundæ, quæstione 109. articulo 7. Sanctus Bonauentura quæstione vltima distinctionis 28. secundi. Doctor Subtilis ibidem, & alias non semel. Durandus in secundo, distinctione 28. quæstione 2. Gabriel eadem distinctione, quæstione vnica, & alij.

Exemplis conclusio illustratur.

Probatur conclusio.

Et pro ista media via videtur primo esse communis existimatio & confessio Catholicorum. Omnes enim Catholici adscribunt communiter auxilio Dei speciali victoriam magnarum tentationum & exercitium magnorum & difficilium operum virtutis, perseuerantiam diutinam in gratia Dei, & continuationem longam aliquorum operum bonorum, & pro istis gratias Deo agunt, & ipsius opem ad hæc perficienda iugiter implorant, nō eadem autem consueuere facere in alijs leuibus & facilimis operibus, tametsi bonis.

Secundo, pro hoc medio possumus argumentari, quia si nihil omnino possemus boni sine auxilio Dei speciali, non ergo per peccatum Adæ, infirmatū esset & vulneratum, siue debilitatum & attenuatum nostrum liberum arbitrium, sed exinanitum & extinctum. Cuius contrarium supra ex Doctoribus ecclesiæ citauimus. Et cum Dionysius quarto de diui. no. dicat, naturalia mansisse integra in angelis malis, & idem tradat Damas. & communiter receptum sit à doctoribus ecclesiasticis, æquum non est, neque verisimile, credere nos impotentes ad bonum factos esse per peccatum.

Imbecillam esse humanam naturam ad bonum, legi in Ambrosio super Esaiam. Non posse esse fortem, nisi diuina ope, lego in Cypriano de oratione Dominica: sed nullam esse ad bonum, in nullo legi doctorum Ecclesiæ.

Tertio ad idem argumentor: Sed nihil omnino boni possumus sine auxilio Dei speciali, nihil ergo possunt facere infideles, vt se disponant ad obtinendum gratiam diuinam, qua trahantur ad fidem & gratiam diuinam. Nam multa opera non ad hæc disponunt, sed potius à Deo alienant.

Quarto idem confirmo: Vnus & idem actus successiue potest esse bonus, & malus. Sed cum est malus, potest à nobis continuari cum auxilio Dei generali. Ergo etiam quando est bonus. Natura enim nostra deprecatur ad optima, neque difficilius videtur esse hunc actum, Volo comedere carnes, continuare pro tempore quo est bonus, quam pro tempore quo est malus.

Quinto: Si nihil omnino boni possumus ex viribus nostris naturalibus, natura ergo nostra modò mala esset, vt dixerunt

Mani-

Matt. 7. Manichæi, & non bona: *Omnis enim arbor*
Luc. 6. *bona*, vt Christus dicit, *bonos fructus facit*. Vnaquæq; enim arbor de fructu suo cognoscitur, neque est arbor bona, quæ malos fructus facit. Et sicut in naturalibus non esset bona alicuius rei natura, si non posset producere aliquid boni: ita videtur neque rationalis creatura esse dicenda bona, si non eadem potest facere aliquod bonum rationale, hoc est, morale.

Sexto etiam & hoc firmare possumus ex
1. Cor. 7. Paulo, expresse dicente: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit.* In his enim verbis clare videtur Paulus vniuscuique subijcere voluntati seruare virginem, quæ suæ curæ incumbit. Quod & ipse bonum ibi diffinit. Et vbi nihil aliud esset, vel hoc solum deberet sufficere ad eligendum

Conclusio media inter Manichæos & Pelagianos sententiam tenet. hanc opinionem, quod mediat inter duo extrema Manichæorum & Pelagianorum: Manichæorum, dicentium nihil nos posse boni: Pelagianorum, dicentium posse nos quiduis bonum. Media enim vbique sunt tutissima, extrema vero periculosa & in errorem præcipitant. Et hoc medio ostendimus nos, neque omnino sanos esse, neque omnino mortuos, sed infirmos, sed læsos, sed ope diuina vbique indigentes, neque euacuamus gratiam Dei, neque naturæ nostræ iniuriam facimus. Sed quantumcunque ista probabilia & apparentia sint, non desunt tamen nobiles authores, qui vsque adeo extollunt gratiam Dei, & nostri arbitrij vires extenuant, vt prorsus dicant post peccatum Adæ neque posse nos vincere etiam minimam tentationem, neque leuissimum aliquod mandatum explere, aut consilium, & breuiter neque posse nos facere aliquod bonum opus moraliter. Et inter eos, qui hoc defenderunt, notissimus est & præstantissimus Gregorius Ariminensis. In secundo enim, distinctio. 26. quæst. 1. artic. 1. & dist. 29 q. 1. artic. secundo, latissime hanc sententiam tuetur ex testimonijs Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij, Isidori, Bedæ, Bernardi, Lincolniensis, & sancti Thomæ in 2. distinct. 29. quæst. 1. art.

Authores contrariæ opinionis.

1. & 2. Quadruplicia autem sunt potissima argumenta, quæ pro illo contra nos fieri possunt, quæ nos, quoniam valde apparentia sunt, oportet, antequam vlterius progrediamur, dissoluere. Ac primo quidem contra nos possunt induci multa testimonia scripturæ. De fructibus enim mandatorum, ac generaliter de omni opere bono dixit Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Et Paulus: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et iterum: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et alibi: *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et alias sæpe scriptura docet, omnia bona esse à Deo, & de omni bono opere Deo esse gratias agendas, & ad omne bonum opus, Dei fauorem & gratiam esse implorandam. Quod non videtur esse faciendum, si quidem nos hæc possemus sine ipsius gratia. Vt enim pulchre ait Augustinus contra Vitalem hæreticum: *Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nosipsos, non illum, credimus facere quod oramus.*

Argumenta contraria. *Ioan. 15.* *1. Cor. 4.* *2. Cor. 3.* *Philip. 2.*

Habent & secundo isti authores pro se multas diffinitiones ecclesiæ, in quibus videntur eadem diffiniri, quæ modo dicebamus tradita esse ab scriptura. Innocentius enim huius nominis primus, in rescripto ad Concilium Carthaginense, ita ait: *Pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solius facere potest auxilium.* Et in epistola ad Concilium Mileuitanum. *In omnibus diuinis paginis voluntati libera non nisi adiutorium Dei legimus esse nectendum, eamq; nihil posse cælestibus præsidijs destitutam.* Et Cælestinus huius nominis primus in epistolæ primæ cap. 8. 9. & 12. videtur hoc ipsum diffinire. In 8. enim capite ita inquit: *Omnia studia, & omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudemq; referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donauerit.* Et confirmat hoc ex verbis Zozimi Papæ, in epistola ad totius orbis episcopos dicentis: *Omnia bona ad authorē suum referenda sunt, vnde nascuntur.* Quæ verba honore mirifico veneratos esse dicit Aphros episcopos, vt quæ illos, qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij liberta-

2. Argū. ex definitione ecclesiæ.

libertatem, districto gladio veritatis ferirent. Et infra: *Preparatur voluntas à Domino & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, vt neque nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Et statim sequitur in cap. 9. *Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Et confirmat hoc ex eodem Zozimo, vbi supra sic scribente: *Quod ergo tempus interuenit, quo Dei non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, caussis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus est. Superbum est enim, vt quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio &c.* Et cap. 11. *Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur authorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere.* Hæc ibi. Citat etiam Ariminensis Cælestinum in quadam epistola decretali approbasse hæc verba Innocentij primi, *Nemo nisi per Christum libero bene vtitur arbitrio.* Et si bene ponderentur, quæ Patres in Concilio Mileuitano, ex authoritate Innocentij primi congregato, cap. 3. & quinto diffinierunt, quæ & postea ibidem à Cælestino primo cap. 10. eiusdem epistolæ, expresse confirmata sunt, & vt propria Apostolicæ Sedis recepta, equidem videri potest, & hocipsum ibi diffinitum, ad quodcunque peccatum vitandum, quamcunq; & tentationem vincendam, & quodcunque bonum operandum, necessarium esse gratiam diuinam. Quamuis enim aliquis posset dicere, ibi tantum esse statutum, requiri gratiam diuinam ad peccata vitanda, ad bona faciendum, & implendum mandata diuina, non vero ad quodcunque peccatum vitandum, vel ad quodcunq; bonum faciendum, vel ad quodcunque mandatum implendum. Verba enim superficietenus considerata, hoc solum sonant, tamen si bene omnia perpendamus, & hoc quoque secundum videntur voluisse statuere. Dicunt enim, per gratiam diuinam præstari nobis adiutorium, vt non committamus peccata, & vt bonum quod cognouimus, facere diligamus atque valeamus: & de fructibus mandatorum dictum diffiniunt à Christo, *Sine me nihil potestis facere.* Quæ quidem non viderentur ab eis esse dicenda, si credidissent aliquod mandatum impleri posse, vel aliquod peccatum vitari, sine gratia diuina. Et in Concilio Arausicano 2. Canone 9. ita lego: *Diuini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum operatur.* Et Canone 20. *Nihil boni hominem posse sine Deo. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit bona, quæ non Deus præstat, vt faciat homo.* Hæc ibi. Allegat etiam Ariminensis ex epistola quadam Bernardi, inter errores Petri Abaylardi, quos multi episcopi ad Innocentium retulere, & hunc quoque fuisse connumeratum, Liberum arbitrium per se sufficit ad bonum.

Ephes. 6. Ioan. 15.

Tertio habent pro se isti authores testimonia multa sanctorum, & in primis Augustini: qui in libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 3. ita ait: *Neque potest homo boni aliquid velle, nisi adiuuetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et libro secundo, capite 5. *Liberum arbitrium ad bene pieque viuendum non valet, nisi ipsa voluntas hominis fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Et cap. 7. *Gratia vtique datur, vt per illa fiant bona opera, ne si præcesserint bona opera, tanquam operibus reddatur gratia, ac sic gratia iam non sit gratia.* Et cap. 8. *Si sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsius cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed meritum nostrum dabitur.* Et ad hoc probandum ponderat Christum non dixisse, *Sine me nihil potestis perficere*: sed, *Sine me nihil potestis facere*, vt initium & finem comprehenderet: & Apostolum dixisse, *Qui in vobis cœpit, perficiet.* Et iterum: Argum. 3. Ioan. 15. 1. Cor. 3.

Non sumus sufficientes cogitare, &c. Quod si non sufficimus cogitare, quomodo, inquit, sufficiemus cupere? Inducit etiam illa, *Aperiam os tuum: Præparatur voluntas à Domino: Et dixi, Nunc cœpi: A Domino responsio linguæ.* Et capite 9. ita dicit: *Hominis bonum propositum adiuuat subsequens gratia, sed neque ipsum esset, nisi præcederet gratia.* Et probat hoc ex illis verbis Pauli, *Gratiæ autem Deo, qui dedit idem studium in corde Titi.* Ex hoc enim clare videtur colligi posse, non fuisse illud studium, nisi à Deo, & cum par sit ratio de alijs operibus bonis, etiam alia opera bona esse à Deo.

Exod. 4. Prou. 16. Psalm. 76. 2. Cor. 8.

Ad hæc, in libro de gratia Christi contra Pelagium & Cælestium, refert, & quidem non improbando, sed probando, Pelagium anathematizasse eum, qui dicit vel sentit gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiã per singulos actus non esse necessariam.

Et capite 31. refert eum in epistola ad sanctæ memoriæ Innocentium Papam dixisse, In omnibus bonis operibus liberum arbitrium diuino semper adiuuari auxilio.

Et capite 1. De prædestinatione sanctorum, laudat quosdam, qui iam ad hoc peruenerunt, vt præueniri voluntatem hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quamq; sufficere posse consentiant. Et monet verbis Apostoli, vt in eo ad quod peruenerunt, ambulent, vt orent Deum, qui dicat intellectum. Et infra eodem libro: *Nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcunque opus bonum, sed in omni opere bono & incipiendo & perficiendo, sufficientia nostra ex Deo est.*

Et in tertio Hypognosticon: Adam, per velle malum, perdidit posse bonum. Et ibidem absque gratiæ adiutorio, neque valet homo incipere, quod Deo placeat, neque perficere sufficit. Et in sexto libro ita ait: *Si quid te boni posse vides, age gratias præparanti, quod potes, non propria voluntati. Quia omnino sine illo nihil potes, qui dixit, Sine me nihil potestis facere.*

Ioan. 15.

Et primo libro ad Simplicianum: *Nihil boni fit à catechumenis sine adiutorio gratia Dei.* Et sermone 9. de verbis Apostoli: *Confiteri à Deo te habere, quidquid habes boni: à te quidquid mali.* Et sermone 12. *Prorsus si adiutorium Dei defuerit, nihil boni agere poteris.* Et subdit: *Cum dico tibi, Sine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico: nam ad male agendum habes sine adiutorio Dei, liberam voluntatẽ.* Et de gratia & libero arbitrio, capite 40. *Liberi arbitrij conatus ad bonum, cassi sunt, si non gratia adiuuentur: nulli, si non excitentur.* Et in epistola ad Paulinum episcopum Nolanum, refert Pelagium in Palæstino concilio coactum esse anathematizare hanc propositionem, vt Catholicæ veritati contrariam: Victoria tentationum non est nobis ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio. Idemque refert Aurelius episcopus Carthaginensis. Et vterq; dicit compulsum ibi fateri, gratiam Dei dari ad singulos actos, videlicet bonos. Et 4. contra Iulianum, à capite 7. vsque ad 19. disputat, neminem posse recte agere absq; gratia.

Et in epistola eadem ad Paulinum: *Sine gratia Dei nos dicimus ad non peccandum nihil valere voluntatis arbitrium.* Et ibidem: *Si quærere homo voluerit ante gratiam quod meruerit vt accipiat eam, mala sua poterit homo inuenire, non bona.* Et subdit: *Ipsum hominis meritum, donum est gratuitum, neque à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, boni aliquid accipere quisquam meretur, nisi accipiendo quod non meretur.* Et in de prædestinatione diuina: *Liberum arbitrium prono ad nequitiam lapsu fluit: & cum ad virtutis indolem, Dei auxilio deserente, nihil possit, ad genus omne peccati idonea fultum virtute subsistit.* Et in epistola ad Vitalem: *Scimus gratiam Dei neque paruulis, neque maioribus secundum merita dari. Scimus maioribus ad singulos actus dari, scilicet bonos.* Et in de correctione & gratia: *Sola gratia Dei homines liberantur à malo, & sine ipsa nullum prorsus, siue cogitando, siue volendo & agendo faciunt bonum.* Et lib. 2. de pec. me. & re. c. 18. dicit se nescire, quid in voluntate nostra boni inueniri possit quod sit nostrum. Et his prorsus concinere videtur barbatus ille Hieronymus, fortissimus Ecclesiæ antesignanus.

gnanus. Nam in libro tertio dialogi contra Pelagium, ita ait: *Hoc longa disputatione conclusum est, vt gratiam suam Dominus, qua nobis liberum concessit arbitrium, in singulis operibus iuuet atque sustentet.* Et in epistola ad Ctesiphontem, ita ait: *Vnde audes lingua temeraria proferre vnumquemque suo regi arbitrio? Si suo regitur arbitrio, vbi est auxilium Dei? Et si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Hie-*
Hier. 10. *remias Non est in homine via eius?* Et subdit: *Ipsum liberum arbitrium, Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget.*

Argum. 4. Quarto principaliter possumus pro istis Doctoribus argumentari scholastice: Ad aliquos bonos actus necessarium est auxilium speciale: Ergo ad omnes. De omnibus enim indifferenter & absque vlla distinctione loquuntur scripturæ & sancti, neque videtur vlla satis certa regula posse explicari, ad quos sit requisitum, & ad quos non. Et confirmare hoc possumus. Si enim non esset necessaria gratia auxilij specialis, cum in dæmonibus manserint naturalia integra, possent illi habere aliquos bonos actus: quod communiter tamen negatur.

Argumenta diluuntur. Sed neque istis argumentis, quantuncunque apparentibus, adduci possum vt credam, tantopere deprauatam esse naturam nostram, vt nihil prorsus possit boni. Ideoque ad ea nitar respondere, & pro solutione trium priorum argumentorum, nam quartum nullam habet difficultatem, dico quatuor.

Primum est: Etiamsi nos possimus aliquod bonum opus ex naturalibus facere, tamen consultissimum & sanctissimum est, ad omne bonum opus, diuinum adiutorium implorare, & in sola spe gratiæ cælestis inniti, & de omni bono opere gratias Deo agere, & ei illud, & non nobis imputare.

Primo enim sic cautius viuemus, securioresque erimus à superbia, vana gloria, philautia, & cælestem opem ad illa bona, & similia alia certius promerebimur in omnibus, videlicet ei gratias agentes, & ipsius gloriam quærentes. Secundo ea re profitebimur, id quod verissimũ est, etiam ea bona, quæ vel facimus, vel obtinemus cum solo Dei concursu generali, ad Deum esse referenda, & pro illis Deo esse gratias agendas, sicut totam ecclesiam videmus Deo gratias agere de pluuia tempestiua, de felicibus terræ fructibus, de bona corporum nostrorum valetudine, de placidis, quietis, & commodis anni temporibus, quanuis ista à Deo per solum suum generalem concursum prouenire sit certum.

Et merito etiam ad illa bona, quæ per generalem cursum naturę nobis accedunt, Deus humiliter implorandus est: & cum illa nobis præstiterit, totis præcordijs est laudandus. Generalem enim suum concursum Deus certe nobis non debet, & subtrahere sine vlla iniustitia posset, & in illis, quæ per ipsius generalem influentiam facimus, plus ille multo facit quam nos, & multa dona ipsius ad id prærequisita sæpe sunt.

Et præterea, vt verissime tradit pientissimus ecclesiæ doctor Bernardus sermone 7. de aduentu, *Triplici incommodo miserabiliter laboramus in hac vita. Nam faciles sumus ad seducendum, debiles ad operandum fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: Si tentamus facere bonum, deficimus: Si conamur resistere malo, deijcimur & superamur.* Hæc Bernardus. Et cum natura nostra adeo simus imbecilles & fragiles, tamen colluctatio est nobis, vt ait Paulus, non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum, ad quorum potentiam nostræ vires collatæ, pene nihil sunt, præsertim cum ipsi omni loco & tempore nobis immineant, & contra nos inuigilent, & attentissimi sint: aliundeque etiam innumerabilia impedimenta, pericula, laquei, doli, fraudes, insidiæ mundi & carnis nostræ passim occurrunt, quæ nos à bono auertant, & ad malum trahant. Tentat enim nos error, vt decipiat. Tentat labor aut dolor, vt frangat. Tentat libido, vt accendat. Tentat mœror, vt sternat. Tentat typhus, vt extollat. Et hoc est iugum graue, quod super filios Adæ dicit esse Ecclesi. sticus à die natiuitatis vsque ad diem mortis. Corpore enim sumus in mundo, & fragili, & infir-

mo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines. Cum igitur tot & tam rigidos habeamus aduersarios, totq; & tam grauibus periculis septi vndique simus, nihil sane possumus neque vtilius, neque salubrius nobis persuadere, quam ad diuinam clementiam semper & vbique confugere, quæ vna facilime potest omnia ista aduersantia vel de medio tollere, vel certe in bonum nostrum conuertere, & contra ea omnia nos velut muros æneos firmare.

Accedit ad hæc, quod incerti sumus, an Deus auxilio speciali ista faciat, quotiescunque bonum aliquod operamur. Vix enim aut nunquam destituitur homo omni gratia gratis data, vt sanctus Bonauentura & Gabriel vbi supra asserunt. Et potest Deus propter suam benignissimam bonitatem, etiamsi non sit necessarium, suum tamen nobis communicare liberaliter auxilium, vt facilius bonum possimus. Atque ideo ne deficiamus à gratijs debitis Deo, & nobis plus iusto tribuamus, æquum est & prudentissimum omnia bona Deo adscribere, & sola mala nobis tribuere. Verissime enim ille per quendam prophetam dicit: *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Et beatissimus Christi martyr Cyprianus, vt sæpe ex illo citat Augustinus, in nullo ait esse gloriandum, quia nostrum nihil est. Et sanctissimus Papa Gregorius 22. Moralium supra illa verba, *Si osculatus sum manum meam ore meo*, hunc fuisse dicit morem sanctorum, vt quidquid boni in se inspiciunt, immortalis gratiæ agnoscant donum. Et ad finem sextæ synodi generalis, inter documenta cuiusdam patris, approbata à synodo, & hoc quoque legimus, vt bonum aliquod quicunque in se viderit, Deo applicet, non sibi. Et imitari conuenit illud Paulinum: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & patri per ipsum.* & cum psalte regio semper dicere: *Tu es susceptor meus, Domine, gloria mea, & exaltans caput meum. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum: Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.* Et iterum: *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet insurgentes in nos. Beatus enim vir, cuius est auxilium ab ipso: hic enim vnus ascensiones in corde suo disponet, & proficiet de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion.* Psal. 83. *Aliudque multo est, dicere nos posse aliqua bona opera facere sine auxilio Dei speciali: aliud, dicere nos ea facere: Multum enim interest inter posse & facere. Et nos posse quidem, concessimus: non autem, facere.* Pleraque autem loca ex citatis, adiuuari nos dicunt in singulis actibus bonis: non autem, nos non posse eos efficere sine peculiari Dei adiutorio.

Osee 13. Colos. 3. Psal. 3. Psal. 17.

Secundo dico: Illa quæ difficilime possunt fieri, moraliter dicuntur impossibilia. Estque istud receptum & in scripturis sanctis, & apud Doctores Ecclesiæ, & in vsu communi. Atq; ideo omnia illa loca, quibus videtur asseri, nos nihil boni posse sine Dei speciali auxilio, ita possumus interpretari, vt dicamus id ideo dici, non quod vere nihil possimus, sed quod difficilime & vix aut nunquam sine Dei gratia bonum quodpiam possimus.

Tertio dico: Quamuis aliquod bonum opus efficere possimus sine speciali Dei gratia, & aliquod peccatum vitare, aliquamque tentationem vincere, tamen nullo modo sine illo omnia possumus peccata vitare, omnesque tentationes vincere, & vbique & semper bene operari, & diuina mandata implere. Ideoque aliqua sanctorum verba, quibus affirmatur, nos non posse bene viuere, aut tentationes vincere, aut peccata vitare, aut mandata implere sine Dei peculiari gratia, exponenda sunt, non quod ad horum singula simpliciter & absolute necessarium sit diuinum auxilium, sed quod ad omnia collectiue necessarium est, neque longo potest quis tempore perseuerare in istis bonis operibus sine illo. Et tam exigua sunt, & tam leuia illa bona opera, quæ quis potest per solum Dei generalem concursum, tam exiguumque est tempus, quo in illis quis potest sine lapsu perseuerare, vt merito moraliter loquendo potuerint sancti dicere, nihil nos posse boni

boni sine Dei gratia. Quod enim parum distat à re, nihil distare videtur. Et hac ratione c. 8. De gratia & lib. arb. dicit Augustinus. *Vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia.*

Quarto dico: Sacræ literæ, sacriq; Doctores illa sola bona appellant, quę ad pietatem pertinent, quæ ad vitam æternam adipiscendam conducunt, quibusque vel vitam æternam meremur, vel ad gratiam consequendam disponimur. Nam alia cum breuissime pereant, & sine vllo fructu trãseant, indigna censent quæ bona appellentur. Vnde Paulus nihil se esse asseruit, quantuncunq; magna bona haberet, si non haberet caritatem, & nihil sibi absque ea, prodesse etiam præcellentia opera constanter docuit: Quia quanuis ad aliqua bona temporalia valere illa possent, tamen certus erat, nihil ea valere ad æterna. Itaque testimonia omnia, quæ affirmant nos nihil boni posse sine gratia diuina, de bono meritorio interpretanda sunt, vel de bono, quod ad pietatem pertineat, & ad vitæ æternæ consecutionem conducat. Et ne quis ista fingere nos existimet, & quoniam Gregorius Ariminensis maxime videtur fretus testimonijs diui Augustini, libet hanc vltimam solutionem, quæ vel sola potest pro omnibus locis inductis sufficere, aliquibus testimonijs ipsius Augustini confirmare, & ostendere obiter non eum pro illo, sed pro nobis potius stare. Libro itaq; 4 contra Iulianum. cap. 3. cum dixisset, in infidelibus nulla esse bona opera, ne quispiam deciperetur, subiunxit statim: *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum potest homo ad æternum Dei donum, regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, quid ad me pertinet:* Hæc ibi Ex quibus manifestum est, diuum Augustinum hæc sola bona appellasse, quæ ad æternã vitam cõducunt, ac proinde nullum illius testimonium ex inductis probare, non posse nos efficere per solum generalem Dei concursum aliqua bona opera moraliter. Atque hinc colligi potest, quo in sensu ibi late disputet, non posse reperiri fructus bonos in arbore non bona. Non enim negat August. in peccatoribus vel infidelib. reperiri posse opera bona, sed tantum negat reperiri posse opera vitæ æternæ meritoria. In tertio etiam Hypognosticon ita scriptum reliquit: *Est igitur in nobis liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, catholicus non est: & quisquis sic esse dixerit, quod sine Deo bonum opus, id est, quod ad eius sanctum propositum pertinet, neque incipere, neq; perficere possit, Catholicus est.* Vides vt exponat bonum opus illud, quod pertinet ad sanctum Dei propositum, videlicet de beatificandis nobis. Et in libro primo de gratia Christi contra Pelagium & Cælestium, cap. 26. ita dicit: *Etsi Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen vbi non est dilectio nullum bonum opus imputatur, neque recte bonum opus vocatur. Quia omne quod non est ex fide, peccatum est: & fides per dilectionẽ operatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni sine ea quod ad pietatem pertinet, veramq; iustitiam fieri posse non dubitet. Patet ex his, ea sola bona opera appellari, quæ ad pietatem pertinent, & in gratia fiunt.* Et de correctione & gratia, ca. 47. non dicit liberum arbitrium nostrũ per se, nullum esse ad bonum, sed paruum. Ait enim sic: *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* & idem dicit in de perfectione iustitiæ, responsione 17. vel 18. Et ca. 8. de prædestinatione sanctorum, cum tractaret illa verba Apostoli, *Quid autem habes quod non accepisti:* & dixisset, nihil esse his verbis tam contrarium, quam de suis meritis sic quempiam extolli, tanquam ipse ea fecerit, non gratia Dei, vt ostenderet de qua gratia loqueretur, mox addit: *Sed gratia quæ discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis & malis:* & de hac vna esse Apostolum intelligendum, probat ex illis verbis: *Quis enim te discernit? Non enim,* ait, *nisi de huiusmodi bonis quæstio erat.* Exponit itaque Augustinus hoc loco illa verba: *Quid habes quod non accepisti?*

Marginalia: 1. Cor. 13. — Augustinus se ipse exponit. — Rom. 14. Gal. 5. Rom. 5. — 1. Cor. 4.

de bono meritorio. Atque ita exposuisset similia Apostoli & Euangelij loca. Et hac ratione sæpe alias, & peculiariter in enarratione in psalmum 32. & in 3. Hypognosticon, & in capite 10 de prędestinatione sanctorum, damnat omnia opera infidelium, & omnia, quæ præcedunt fidem, inania esse dicit, quantumcunque videantur laudabilia. Et in epistola ad Hilarium Syracusanum, liberum arbitrium dicit non habiturum iustitiæ soliditatem, quantacunque scientia legis excellat, si deseratur diuino adiutorio. Quanquam & horum aliam possumus causam assignare ex ipsomet, quinto de ciuit. Dei capite 20. & libro 21. ca. 16. & de spiritu & litera, cap. 27. & 4. contra Iulianum Pelag. ca. 3. Nempe, quod quæ non fiunt ex amore Dei, fiunt vt plurimum propter alios fines non bonos: atque ideo si discutiantur quo fine fiant, vix inuenientur iustitiæ debitam laudem mereri. Et cum in epistola 107. quæ est ad Vitalem, dixisset, liberum arbitrium primi peccati magnitudine perdidimus: ne, sicut faciunt hæretici, hinc sumeret quispiam occasionem negandi liberum arbitrium, aut saltem, sicut facit Ariminensis, negandi potestatem ad bonum, adiecit statim, nullis verbis interpositis, *Et in Deum credamus, & piè viuamus.* Sed ne amplius hunc esse verum sensum Augustini quisquam dubitet, audiat quid is tandem in tertio Hypognosticon, paulo post principium dicat: *Esse, ait, fateamur liberum arbitrium in omnibus hominibus habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinēt, sine Deo aut inchoare, aut certe peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis quam etiam malis. bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle vxorem ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarū rerum, velle quidquid bonum ad præsentem vitam pertinet.* Hæc ibi. Ex quibus perspicuum est, secundum diuum Augustinum, aliqua bona posse nos sine Dei speciali auxilio. Et propter hæc verba colligit, vt opinor, Magister in 2. distinctione 28. capite 8. Augustinum non negare aliqua bona posse nos facere per liberum arbitrium sine Dei gratia. Dicet tamen aliquis studiosus Gregorij, hæc connumerata hîc ab Augustino bona, non * esse moraliter, quia non referuntur in Deum, neq; amore Dei fiunt. Video vnde deceptus fuerit Gregorius, vt crederet nos nihil posse sine auxilio Dei: nempe, quod amorem Dei sine speciali auxilio habere non possumus. Sine eo autem nullum est bonum opus.

* esse bona

Sed certe hanc relationem in Deum, ponere requisitam esse ad opus bonum moraliter, contra rationem est, & contra Philosophum, & contra Augustinum hoc loco, &, vt alias Deo propitio ostendemus, etiam contra sacram scripturam. Ideoque ista satis sunto pro ista quæstione.

QVÆSTIO XIII.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD IMPL. DIVINA MAND.

AN necessaria sit gratia gratumfaciens ad implendum præcepta diuina. Videtur enim necessaria ex can. 5. concilij Mileuitani, qui sic habet: *Item placuit, vt quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit.* Hæc Concilium.

Et approbatus est hîc canon, & vt proprius Apostolicæ Sedis, receptus est á Cælestino primo, canon. 10. suæ primæ epistolæ decretalis. Ex his autem videtur requisita esse gratia gratumfaciens ad implendum mandata diuina. Hæc est enim gratia iustificationis, quandoquidem per eam iustificamur, & formaliter efficimur iusti.

In contrarium autem est argumentum apparens: Per gratiam auxilij specialis, quæ est gratia gratis data, potest impleri præceptum quodcunque diuinum, vt potest colligi ex dictis, & confirmari, quia habitus nō est quo simpliciter possumus, vt ait Philosophus, sed quo facilius possumus. Non ergo est necessaria gratia gratumfaciens, quæ habitus quidam est ad implendum mandata diuina.

Pro

Pro solutione huius quæstionis ponam aliquod conclusiones.

PRIMA CONCLVSIO.

Non stat, aliquem seruare omnia diuina mãdata, quin habeat vel consequatur gratiam gratumfacientem. Probatur: Mãdata diuina sufficiunt ad perducendum hominẽ ad vitam æternam, vt patet ex verbis Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Igitur cum nemo consequatur vitam æternam sine gratia gratumfaciente, nemo etiam seruabit omnia diuina mandata, quin habeat vel consequatur gratiam gratumfaciẽtem. Estque hæc conclusio certa apud omnes Doctores Catholicos. Vnde & sanctus Thomas in 2. d. 29 art. 3. inter errores Pelagij computat, posse hominem implere omnia præcepta sine gratia. (Matt. 19.)

Ex ista conclusione potest inferri corollariè, necessarium esse concedere aliquod mandatum, quo teneatur peccator in Deũ conuerti, & disponere se ad consequendum gratiam. Alioqui peccatori nõ satis erit seruare omnia mandata diuina, vt consequatur vitam æternam. Et ita credunt communiter Doctores. Afferunt enim esse præceptum peculiare de dilectione Dei super omnia, & pœnitentia.

SECVNDA CONCLVSIO.

Non requiritur gratia gratumfaciens ad impletionem cuiuscunq; præcepti, sed possunt peccatores etiam manentes in peccato mortali, implere aliqua præcepta. Hęc conclusio tenetur communiter à Doctoribus Scholasticis, & peculiariter à Doctore Subtili in 2. distinctione 28. & à sancto Thoma in multis locis, & peculiariter in prima secundæ, q. 109. art. 8. & ab Almayno in tract. 2. Moralium, cap. 8. Et licet quidam existiment esse contra Diuum Bonauenturam, tamen eos decipi, neque illius sententiam fuisse assecutos, facile potest colligi ex 2. d. 28 art. 1. q. 3. Est tamen hæc conclusio contra Dionysium Cistertiensem in 1. d. 17. q. 1. vbi extraneam & absurdam hanc opinionem defendit, quod nemo potest præceptum aliquod implere extra caritatem. Sed quidquid ille senserit, nos istam secundam conclusionem certam putamus. Et ne quispiam hoc in dubiũ vertat, probatur aperte.

Primo nusquam habetur hoc præceptũ, neque vlla lege diuina, neque humana talis requiritur conditio. Ergo fictitium ac plane commentitium est, eam requirere circunstantiam ad impletionem præcepti, lucida enim sunt & clara præcepta diuina, sicut Psalmista dicit. Et si Deus tale aliquid requireret, aut legislatores humani, certe hoc expressissent. Diuinare enim hoc nos nõ poteramus, cum lex naturalis nihil minus exigat. Et quidem de principibus & prælatis experientia constat, eos non velle ad hoc obligare quotiescunq; aliquid præcipiunt, & eos qui vouent se daturos aliquam Eleemosynam, vel facturos aliquod Ieiunium, aut peregrinationem, certum est non se obligare ad obseruandum hoc cum adeo rigida conditione. Atque ideo & hi certè extra gratiam Dei implere poterunt sua vota. Et confirmatur: Qui dant Eleemosynam, quam tenentur dare, & ieiunant, & audiunt Missam, quibus tenentur diebus, faciunt totũ quod præcipitur sibi per præcepta Ieiunij, Eleemosynæ, & audiẽdi Missam. Ergo implebunt certè hæc præcepta. Nihil enim amplius requiri videtur ad implendum aliquod præceptum, quam facere totum, quod requiritur ex vi verborum illius præcepti. (Secunda conclusio cõfirmatur. — Psalm. 18.)

Secundo: Potest quis venire ad gratiam, implendo aliquod præceptum, vt martyrij, dilectionis Dei super omnia, pœnitentiæ. Ergo non requiritur gratia gratumfaciens ad ea implendum. Si enim esset requisita, nunquam aliquis per impletionem præcepti veniret ad gratiam, sed illa deberet præcedere, vt impleretur præceptum.

Tertio: Oporteret, si vera esset opinio ista Dionysij discutere & examinare conscientias nostras, quotiescunq; occurreret tempus, quo obligaret aliquod præceptum, perinde ac cum deberemus accedere ad susceptionem vel ministrationem sacramentorum. Quod quidem contra communem sententiam omnium Catholicorum est. Et quidem ad condemnandum hanc opinionem

Digitized by Google

nionem sufficere deberet communis existimatio populi Christiani. Omnes enim pro certo & comperto habent, se non teneri ad confitendum transgressionem præcepti Eleemosynæ aut Ieiunij, cum fecerunt Ieiunia & Eleemosynas ad quas erant adstricti, etiamsi ista impleuerint extra gratiã. Mores autem communes & existimationes populi Christiani, pro lege habendi sunt, sicut Diuus Augustinus dicit in epistola ad Casulanum, & habetur d.11.c. In his rebus, etiamsi hæc impleuerint extra gratiam. Et argumẽta Dionysij tam sunt friuola & nullius momenti, vt me sanè pigeat illorum causa vel tantisper immorari.

Tertia Conclusio.

Aliqua sunt præcepta, quæ impleri non possunt sine gratia gratumfaciente comitante eorum impletionem. Patet hæc propositio de præceptis eorum actuum, quibus positis, semper venitur ad gratiam, vt exẽpli gratia, de præcepto martyrij, de præcepto dilectionis Dei super omnia, & saltem de præcepto pœnitentiæ. Vt enim communis habet opinio Scholasticorum, præceptum habemus de pœnitentia tanta, quanta sufficit, ad reponendum peccatores in gratia Dei. Et idem etiam videtur probabilius de dilectione Dei super omnia, vt multi Doctores defendunt cũ Doct. Subtili in 2.d.28.& in 4.d.14.q.2 & cum Gabriele in 2.d.24 q.vnica, art.3. Non enim diligit ex toto corde Deum, qui non sic diligit, vt per eam dilectionem assequatur gratiam diuinam, & vitet omne peccatum mortale. Præceptum enim dilectionis Dei, est præceptum caritatis & amicitiæ in Deum. Et sicut qui haberet in mandatis diligere Petrũ ex toto corde, non impleret hoc præceptũ, nisi eousque diligeret, vt quantum est ex parte ipsius, perueniret ad gratiam Petri: ita cum nos habeamus præceptum diligendi Deum ex toto corde, habere etiam credendum est in mandatis, vt eousq; diligamus, vt perueniamus ad amicitiam ipsius. Ex parte enim Dei certum est, nihil defuturum si nos non deficiamus ex parte nostra. Diligit enim omnes diligentes se.

Argumen. Sed contra istam propositionem possunt fieri duo argumenta. Primum est: Qui habet attritionem de suis peccatis, & cum ea recipit sacramentum pœnitentiæ, impleuit præceptum de pœnitentia. Venit enim ad gratiam vt sentit communis opinio, neque videtur amplius teneri ad pœnitentiam. Non enim requisita est pœnitentia, nisi vt veniamus ad Dei gratiam. Sed attritionem non comitatur gratia, neque impletur, nisi per eam, præceptum de pœnitentia. Ergo hoc præceptum potest etiam impleri sine gratia, ipsius impletionem comitante. Secundum argumentum est. Si in instanti terminatiuo temporis, quo quis tenetur continuare dilectionem Dei super omnia, vt perueniat ad gratiam Dei, peccet quis, & admittat nouum peccatum mortale, is impleuerit præceptum dilectionis Dei, & tamen sine gratia comitante. Ergo istud etiam præceptum potest impleri ab existente in mortali, quin perueniat ad Dei gratiam. tum contra conclusionem tertiã.

Verum hæc argumenta, non est admodum difficile, diluere. Ad primum ergo dicendum. Non impleuit præceptum de pœnitentia, qui solam habet attritionem, vt patet, quia si sibi constaret, & non doleret propter Deum, dolore, qui vere sit contritio, non digne accederet ad Sacramentum pœnitentiæ. Et quamuis propter ignorantiam inuincibilem excusetur à nouo peccato, & consequatur gratiam in susceptione sacramenti pœnitentiæ, tamen postea, si sibi constaret, se non habuisse dolorem de suis peccatis propter Deum, & vt illius sunt offensæ, sed tantum timore pœnarum, teneretur postea dolere propter Deum.

Ad secundum: Liberi sumus ab omnibus illis angustijs, qui nõ credimus requisitam esse certam aliquanti temporis continuationem ad perueniendum ad gratiam per dilectionem Dei super omnia, vel per pœnitentiam. Sed qui eius sunt opinionis, & falso eam imponunt Doctori Subtili, vt alias ostendemus, possunt dicere, necessarium esse continuare dilectionem Dei, vel pœnitentiam certo aliquo tempore, etiam vsque ad instans ipsius temporis terminatiuum inclusiuè, ita vt illud instans, sit primum instans esse gratiæ: & dispositio ad eam

eam, fit simul cum ea. Alias enim necesse erit concedere, posse aliquem extra viam iustificari, qui semper in via fuit in peccato, vt facile est deducere, si illud instans terminatiuum, sit etiam terminatiuum vitæ. Et si quidem requisita credatur talis continuatio, patet Doctorem Subtilem sensisse, necessarium esse continuare etiam in instanti terminatiuo talis temporis. Ait enim in secundo, distinct. 28. quæst. vnica, ad finem corporis quæstionis: *Quandocunque autem voluntas actum præcepti diligendi Deum exequitur, licet informis, disponit se de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ vel resistet, & peccabit mortaliter: vel consentiet, & iustificabitur.* Hæc ille. Cum autem ponat requisitum consensum, vt iustificetur, patet, secundum eum, eodem instanti deberi continuare dilectionem Dei, & vitare omne peccatum, quo infunditur gratia.

QVARTA CONCLVSIO.

Aliqua sunt præcepta, ad quorum impletionem requiritur gratiam gratum facientem, saltem natura eam præcedere. Patet hæc propositio de præceptis suscipiendi vel ministrandi sacramenta Ecclesiæ. Vt enim hæc impleantur, necessarium est ea nos facere, per quæ veniamus ad Dei gratiam, vt de sanctissimo eucharistiæ sacramento Paulus explicuit. Et similis est, licet non par ratio de alijs. Et est hæc propositio communis in schola, & nominatim eam defendit Durandus in 2. d. 28. q. 3. & 4. Et potest adhuc magis confirmari hoc pacto. Peccat mortaliter quicunque sacramenta vel recipit, vel ministrat, non ea prius adhibita diligentia, vt ad ea mundus accedat, & absque vlla noxa mortali. Ergo ad huiusmodi præcepta de sacramentis implenda, prærequisita est gratia gratum faciens.

1. Cor. 11

Arg. contra 4. conclus.

Sed contra istam conclusionem argumentantur quidam, existimantes Durandū contradixisse sibi. Potest quispiam suscipere eucharistiam in peccato mortali, & non peccare mortaliter, vt & ipse Durandus fatetur in 4. d. 9. q. 4. & patet de eo qui habet ignorantiam inuincibilem sui mortalis, siue habeat attritionem, siue non. Ergo non prærequiritur ad impletionem præcepti de Eucharistia, gratia gratum faciens.

Ad hoc argumentum respondeo: Consequētia nihil valet. Stat enim, quempiam nō facere id, ad quod tenetur, & tamen nō peccare mortaliter, quia excusatur ignorātia inuincibili. Aliudque est, aliquē ad aliquid obligari: aliud, non posse id intermittere sine peccato. Et quia diximus teneri nos ad implendum præcepta de sacramentis in gratia, nō bene inferretur semper nos peccare, & transgredi præcepta, quotiescūque non impleuimus in gratia. Excusari enim potest ea transgressio, propter ignorātiam.

Secundo argumentantur alij: Satis est ad digne recipiendum aliquod sacramentum, vt baptismum & pœnitentiam, attritio. Alias non satis esset ad consequendum gratiam per hæc sacramenta. Ergo non requiritur gratia ad implendum præcepta de susceptione istorum sacramentorum. Non enim amplius ad hoc requiritur, quam satis sit ad digne ea recipiendum.

Ad hoc argumentum breuiter dico. Attritio sufficit ad digne sacramenta ista recipiendum, & consequendum per ea gratiā, si quidem inuincibiliter existimetur cōtritio, non alias.

Tertio tamen fortius potest aliquis instare contra eandem conclusionem. Potest impleri præceptum de baptismo per peccatum mortale, vt patet: quia si sciēter quis illū recipiat in mortali, susceptio ipsa peccatum est mortale, & tamen per illam fit, vt non teneatur amplius baptizari. Ergo non requiritur gratia ad implendum præceptū de baptismo. Et simile videtur de alijs sacramentis.

Ad hoc argumentum, qui tenet præcepta non posse impleri per actus malos, facile dicerent, non impleri præceptum de baptismo à suscipiente ipsum cum conscientia peccati mortalis, neque absolui à recipiendo baptismum, quia impleuerit præceptum de illo recipiendo, sed quia illum non potest iterum suscipere, quia initerabilis est. Sed quia videtur inconueniens, concedere non impleri præceptum per actum,

per quem absoluimur ab obligatione illi⁹, & alioqui contra istam opinionē sunt grauia argumenta, probātia posse impleri præcepta per actus malos, aliter respondeo: Conuincit hoc argumentum limitare conclusionem de impletione præcepti fructifera, & quæ non sit peccatum mortale. Neque oportuit hoc addere in conclusione. Magis enim conueniebat in ea generaliter explicare quid esset requisitum, vt quis sine noua culpa expleret præcepta de sacramētis. Hoc enim est vere implere hæc præcepta. Si quis tamen diceret nō esse duo præcepta, præceptum de suscipiendo vel ministrando sacramenta, & præceptum de non recipiendo vel ministrando ea in mortali, sed vnicum duntaxat esse præceptum de suscipiendo vel conferendo ea absq; mortali, is facile etiam posse in omni rigore defendere nostram conclusionem. Neq; scio vnde hoc satis queat impugnari. Consequenter enim diceret non implere præceptum de baptismo, qui illum reciperet in mortali, non quia non possent impleri aliqua præcepta per actum malum, sed quia præcepta de sacramētis propter dignitatem ipsorum, sunt de digna & munda eorum susceptione & collatione. Et duo requirūt. Alterum est susceptio vel collatio eorum. Alterum est munditia in eorum contrectatione. Nihil autem tale in alijs præceptis est necessarium. Neque verisimile est, à Deo vel homine quidpiam tale requiri. Cuius signum est neminē peccare mortaliter contra alia præcepta, quia ea impleat in mortali etiam scito & noto. Sed si impletio eorum sit mortalis, vel peccatum aliunde est, ab aliqua videlicet extrinseca circunstantia, quæ vitiat talium præceptorum executionem.

QVINTA CONCLVSIO.

Exceptis præceptis de sacramentis, & de illis quæ sunt vltimatæ dispositiones ad g atiam, vt martyrium, dilectio Dei super omnia, pœnitentia, nullum est præceptum, quod non possit impleri sine gratia gratum faciente, neque præcedente, neque comitante. Itaque qui est in mortali, manens in eo, potest implere omnia alia præcepta, neque vnquā hac ratione, vt impleat ea præcepta, necessarium est, neque tenetur conuertere se in Deum.

Hæc conclusio primo est contra Gregorium Ariminensem, qui tenet in 2.d 28.q.1 & 2. propter multa testimonia Augustini, aliquando peccatores propter sua peccata priuari auxilio speciali requisito ad nō peccandum, & nihilominus peccare non implendo præcepta, quia potuerunt antecedenter vitare istam impossibilitatem. Secundo est etiam contra alios doctos sane viros, quos vidi publice defendere, aliquādo ita graues occurrere peccatoribus tentationes, vt eas non possint vincere, nisi se conuertant ad Deum, vel orando humiliter ipsius auxilium, vel certe disponendo se ad gratiam sic, vt per ipsius affectionem vincant, quod alias non possent. Videtur & hæc conclusio contra eos, qui defendūt, ad ignorantiam vincibilem, quæ excuset à transgressione alicuius præcepti, requisitam esse conuersionem ad Deum sufficientem ad consequendum Dei gratiam. Cuius opinionis fuit pius ille Romanus pontifex felici memoria dignus Adrianus sextus in Quodlibeto 4. Tenetur vero hæc conclusio à Doctore Subtili in 2.d.28 & expressius à S.Thoma, 1.2.q.109. articulo, 8 ad primū & S.Bonauen.d. 28.2.art.1.q.3. Et generaliter potest probari hæc conclusio ex experientia, qua videmus multos perseuerantes in mortali, implere aliqua præcepta etiam grauia, & par videtur ratio de alijs. Et cum quidquid Deus potest facere cum causa secunda, possit facere se solo, nō videtur dubitandum, quin per auxilium Dei speciale possimus implere sine gratia gratum facientē præcepta, quæ non requirunt ad sui impletionem, vt facientes ea, sint Deo grati. Peculiariter autem contra Gregorium Ariminensem potest probari nostra conclusio validissimis hisce argumentis. Primo: Paul⁹ dicit ad Corinthios, nulla facta discretione inter iustos & peccatores: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id quod potestis, sed fac et cum tentatione prouentū, vt possitis sustinere* Nulla est ergo tentatio ita grauis circa aliquod præceptum, vt non possit etiam ab existēte

Authores, cum quorū sententia hæc conclusio pugnat.

1. Cor. 10.

Conclusio contra Gregorium Ariminens.

in mortali, vinci, & consequenter impleri illud præceptum, nisi alias ipsa victoria esset dispositio vltimata ad gratiã, vt, de pœnitentia & dilectione Dei super omnia, iam diximus.

Secundo: Vt supra ex Augustino, Hieronymo, & philosopho, immo ex ipsis sacris literis ostẽdimus, nemo peccat in eo, quod vitare nõ potest. Omnia enim peccata sunt voluntaria, & quæ non sunt voluntaria, nõ sunt peccata. Et contra bonitatem & clementiam Dei ineffabilem est, dicere imputari ab ipso cuiquã ad nouam pœnã, quod ab agente vitari non potest. Non ergo peccat nouo peccato, qui est in aliquo mortali, si priuatus sit diuino auxilio necessario ad non peccandum, atq; ea ratione transgreditur aliquod præceptum. Et vtcunq; daremus posse quempiam nouum admittere peccatum per id, quod vitare non potest, vt S. Thomas concedit contingere in ebrijs & dormientibus, certe tamen intolerabile & improbabile est, peccare quempiam nouũ peccatũ sic, vt nouæ pœnæ fiat reus propter illud, si illud vitare non potest. Quo in sensu videtur defendere Greg. suam opinionẽ. Et loquimur de actuali peccato. Alia enim est ratio de originali. Tertio: Nemini, quãdiu hîc viuit, præclusa est via salutis. Vt enim secundum legem communem, quilibet iustus potest, quandiu hîc viuit, cadere à gratia: ita & quilibet peccator potest, ad eam resurgere, quandiu hîc agit, neque est desperandum de aliquo ante, quam veniat nox, quando nemo poterit operari. Ergo semper peccator potest implere præcepta Dei, neq; vnquam propter delicta præcedentia, quantuncunq; sint grauia, est ei impossibile ea seruare. Ad ostium eñ nostræ volũtatis stat semper Deus, & pulsat, parat' adiuuare omnes ad suorum obseruantiam præceptorum.

Dicet aliquis ad hæc tria argumenta Potest quicunq; peccator vincere quascunque ei occurrentes tentationes cõtra præcepta Dei, sed nõ potest, nisi oret humiliter auxilium diuinũ, vel se cõuertat ad Deum, atq; ideo imputant ei illa peccata, quia cũ posset hac ratione ea omnia vitare, nullum vitat. Sed primùm omnium hoc non dicit Greg. contra quem ista argumenta mouimus. Absolute enim concedit, posse peccatores propter sua peccata incidere in huiusmodi impossibilitatem vitandi noua peccata. Secundo, contra eos qui ista dicunt, & contra ipsum Gregorium, stat hoc argumẽtum: Nulla creatura potest necessitare voluntatem vtentis ratione. Licet igitur non possit quis implere præceptum aliquod affirmatiuum sine auxilio Dei speciali, non inde tamen sequitur necessario aliquẽ peccare contra præcepta negatiua. Deus enim neminem adigit in peccatũ, & nulla creatura potest vim inferre voluntati nostræ. Atque ideo neq; erit necessarius recursus ad auxilium diuinũ, vel pœnitentiam, saltem vt possimus vincere tentationes cõtra præcepta negatiua. Quod si propter hoc argumentũ quis limitet opinionem Gregorij ad transgressiones præceptorum affirmatiuorum, quorũ impletio requirit (secũdum eũ) auxilium speciale, quamuis ipse non sic limitet, adhuc tñ possumus argumentari cõtra ipsum: Oportet eñ eum concedere, tũc peccatores peccare omnibus illis peccatis, quæ postea committunt, cum suis peccatis merentur incidere in impossibilitatẽ vitandi illa. Sed intermisso Gregorio, qui nullũ, quod sciã, habet hac in opinione, qui eum sequatur vel defendat, secundò contra authores secundæ opinionis argumentor: Ex quibusdã peccatoribus patientibus graues & pares tentationes, quidam vincuntur & succumbũt, alij erecto perstant animo, & eas vincunt, vel per auxiliũ diuinũ sibi cõmunicatũ propter orationes suas vel aliorum, aut ex benignitate diuina, vel etiã per solius sui arbitrij libertatem. Ergo non requiritur, vt peccatores se conuertant ad Deum ad vincendum etiam graues tentationes contra præcepta, sed possunt etiam in mortali eas vincere, & implere præcepta. Secundæ opinionis authores confutantur.

Tertio: Nusquam probabitur hoc præceptum vel orandi Deum, vel conuertendi se ad Deum propter graues tentationes. Ergo quamuis hoc sit consultissimum & tutissimum, non est tamen asserendum

 esse

esse in præcepto. Oportet enim non multiplicare præcepta sine causa. Et præcepta diuina manifestissima sunt & compertissima. Neq; Deus ad aliquid obligauit, quod non & ipsum manifestauerit, vt nulla possit esse causatio peccatoribus. Et confirmatur. Non est credendum esse aliquod præceptum, de cuius transgressione non possit homini constare. Esset enim hoc contra diuinam bonitatem & prouidentiam. Cum ergo sciri non possit, quanta debeat esse prauitas tentationum, vt teneatur propter eam homo orare vel conuertere se ad Deũ, vnde enim hoc sciamus? sequitur, neminẽ ad hæc teneri propter occurrentes tentationes. Eodem modo etiam potest impugnari opinio Adriani. Potest enim peccator in mortali perseuerans, facere, omnem diligentiam necessariam ad sciendum aliquid, etiamsi non se conuertat ad Deum. Non ergo requisita est conuersio in Deum ad vitandum peccatum, contra præceptum sic ignoratum. Sed de his latius agere non est huius loci, ideoque ista satis sunto pro ista conclusione.

Adriani opinio repudiatur.

SEXTA CONCLVSIO.

Licet quicunque existens in aliquo mortali, pro aliquo paruo tempore cauere omnia alia mortalia possit, & in eo manere, tamen non poterit diù in eo manere, quin etiam aliud vel alia admittat peccata mortalia. Hæc conclusio tenetur à S. Tho. 1.2.q.109. art 8. Et ibidem optime explicatur & defenditur à Cardinali Caietano. Defendit & eandem Henricus Gandensis Quodlibeto 5.q 20. Vbi & dicit hanc fuisse hæresim Pelagianorum, quod homo in mortali absque gratia existens, posset proprijs virib. perdurare, & non peccare mortaliter, & quod gratia non tam datur, vt peccato quis resistat, quam vt in bono proficiat. Tenet & hanc opinionem Marsil. in 2. q. 18 art 2 conclu. 4. Qui & ponit aptum ad hoc exemplum de naui inter duros scopulos à validis ventis agitata, & nauclerum habente fragilem, debilitatum, & impeditum ab ijs curis. Et videtur ante nos omnes eandem sententiam tradidisse Magister in 2. d. 25 c. 6 & 7. Dicit enim ibi, antequam reparetur homo per gratiam, non posse nõ peccare mortaliter aut damnabiliter. Et quamuis Doctor Subtilis in 2. d. 23. impugnet istam opinionem; tamen in solutione quæstionis nihil dicit contra eam, vt de perfecto merito dubitari potest de eius sententia, neq; deberet existimari contraria fuisse sententia ipsius, sicut passim existimatur. Fuit tamen, quod negare non possumus, in ea sententia sanctus Thomas in ea dist. art. 2. Sed reuocauit eam in loco statim citato. Sed vtcunque ista se habeant, prima certè pars huius propositionis, satis efficaciter à Doctore Subtili probatur in 2. dist. 28. Potest enim peccatori pro aliquo paruo tempore non occurrere nisi vnica tentatio, & vnum præceptum, cuius impletio non sufficiat ad gratiam. Cum ergo quamcunque tentationem possit vincere, & quodcunq; tale præceptum possit implere, quicunque perseuerat in mortali, poterit etiam pro illo paruo tempore vitare omnia alia peccata mortalia. Et experientia hoc notum est omnibus peccatoribus. Non est enim aliquis, vt opinor, ita corruptus & deprauatus, qui in aliquo paruo tempore sciat se absque nouo mortali perseuerasse in peccato. Quod vero hoc non contingat diù quæ erat secunda pars huius conclusionis, probatur primo authoritate Gregorij. dicentis super Ezechielem: Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere trahit ad aliud. Et Chrysostomus super illa verba Matthæi: *Soluite & adducite mihi:* idẽ videtur innuere. Ait enim: Sicut nauis, fracto gubernaculo, non quo vult vadit, sed quo tempestas impellit: ita homo diuinæ gratiæ auxilio destitutus, non agit quod vult, hoc est, quod vellet, sed quod diabolus ei intendit. Et accinere his Doctoribus videtur Hieremias in Threnis, cum ait: *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Ex peccato enim ortam esse instabilitatem dicit, vt ab vno in aliud labatur & inflectatur, nolens volens, peccatum. Et ita Glossa ibi dicit: *Non potest diù peccator stare contra insultus diaboli, nisi misericordia Domini adiuuetur.* Experiẽtia etiam videtur hãc partem suadere. Nullus enim inuenietur pecca-

Altera conclusionis pars.

Matth 21.

peccator, qui per vnum annum perseuerauerit sic in vno mortali, vt non etiam admiserit saltem alterum. Et argumentum est pro istis valde apparens. Cùm enim frequentes occurrāt occasiones peccati mortalis, frequentes tentationes, frequentia pericula, & peccator sit suapte natura imbecillis & fragilis ad resistendum, & pronus ad peccandum, & nonnunquam habeat habitus malos inclinantes eum ad malum, & iam semel perfregerit iugum, verecundiamque abiecerit, & timorem Dei, & subiectionem & obedientiam, per quæ facilè vitare potuisset mortalia, & ad hæc finem malum habeat præconceptum, videlicet, vt nullum alium certe amorem sui, in quē sua omnia dirigat vsque ad contemptum Dei, debilitatamque habeat & extenuatam rationis vim, vt omnia præmeditetur, & animaduertat, quam sit malum dereliquisse Dominum, & timorem eius non esse apud se: quid superest, nisi vt in dies singulos inuerecundior fiat, & obstinatior, & magis attritæ frontis. & peccata addat peccatis, & sordes sordibus? Neque cum tot habeat delinquendi incentiua, tam est mirandum, si nouum aliquod pene diebus singulis adjiciat peccatum, quam mirandum est, si non multa addat singulis horis, & corruptior, deprauatior, inquinatiorque fiat. Si enim de extrinsecis socijs verum est illud, *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris*: quomodo non hoc magis contingit cum intrinseco fine malo, cui semel cōsensum suum & libertatem tradidit peccator? Certe periculosior est semper domesticus hostis, & maiorum & certiorum ruinarum causa. Intelligitur tamen hæc secunda pars cōclusionis, sicut doctrina moralis, non de potentia logica, physica, aut metaphysica, sed de potentia morali. Ideo enim dicimus peccatorem non posse diu permanere in vno peccato mortali, quin alia addat, quia difficilimum est oppositū contingere, & vix aut nunquam ex mille peccatoribus vnus inuenietur, qui in solo vno mortali, vno integro anno, aut dimidio ipsius perseuerauerit. Hæc est enim miseria peccatoris. Hoc malum & pœna debita eius, qui abiecit timorem Dei. Et de hac necessitate debent intelligi testimonia Augustini, quæ Gregorius citat pro opinione sua iam impugnata. Et maxime est verum hoc de eo, qui scit se esse in exitiali peccato, & conscius sibi lethalis adeo morbi, in eo libens vidensque perseuerat. Nam qui in mortali est vincibiliter & culpabiliter ignoto, posset fortassis aliquandiu in eo perseuerare, quin nouum admittat: quia potest habere voluntatem obediendi Deo in omnibus, & in nullo displicendi, & per eam se præseruare ab alijs peccatis. Et ex his patere potest solutio argumentorum, quæ sunt in principio quæstionis. Ad primum enim, quatenus applicari potest contra secundam & tertiam & quintam conclusionem, & priorem partem sextæ, dicere possumus, satis esse pro verbis Concilij, non contingere, vt quispiam sit diu in peccato, quin transgrediatur aliquod mandatum, & aliqua esse præcepta, quæ non possint bene seruari sine gratia præcedente, & generaliter nullum esse, qui seruarit & seruet omnia mandata diuina, quin sit in Dei gratia. Aliter etiam possumus dicere: Gratia iustificationis, non ibi appellatur gratia gratumfaciens, sed generaliter sumitur pro gratia quacunque, per quam Deus nos iustificat, vt comprehendat sub se gratiam gratis datam. Cum ergo, vt supra probauimus q. 6. non stet, quempiam seruare omnia diuina mandata sine gratia auxilij specialis, etiamsi posset hoc fieri sine gratia gratumfaciente, nihil facerent contra nos verba ista Concilij.

Psalm. 17.

Argumētis in quæstionis principio productis respondetur.

Ad secundum vero, quod fuit in oppositum, quatenus contra primam & quartam conclusionem & posteriorem partem sextæ videtur militare, dico ipsum conuincere, bene posse omnia & singula præcepta impleri, sine gratia gratumfaciente, de potentia physica, vel logica, vel metaphysica. Quidquid enim & quencūque actum, quo ad substantiam operis, possumus cum habitu, possumus per auxilium Dei sine eo. aliud vero est de potentia morali. Et non est in peccatore impossibilitas seruandi omnia præcepta Dei collectiue, saltem diu ex de-

fectu alicuius habitus, sed ex lege Dei, & ex his, quæ inter probandū quartam & sextam conclusionem, satis explicuimus.

QVÆSTIO XIV.

DE NECESSITATE GRATIÆ IN IAM IVSTIFICATIS.

AN iustificatis necessaria sit gratia auxilij specialis ad implendum præcepta diuina, vincédum tentationes, perseuerandum in iustitia, & generaliter ad vitandum peccatum, & bonum operandum. Videtur enim ad ista non esse necessarium iustificatis auxilium speciale, quia alias gratia iustificationis esset valde imperfecta, neque potentiores efficeret iustificatos, quam erant ante suam iustificationem.

In contrarium vero sunt hæc verba Innocentij primi in rescripto ad Concilium Carthaginense: *Omnes sancti sine adiutorio Dei nihil se agere posse testantur.* Et paulopost: *Nisi quotidianis, quæ Christus contulit, remedijs freti, confisiq; nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante, vincamur.* Et in rescripto ad Mileuitanum Concilium, de Pelagio & Cælestio ita dicit: *Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est etiam restituta nobis pristini status libertate quæramus, quippe neque alias diaboli machinas nisi eadem possumus iuuante vitare.* Hæc Innocentius. Eademque diffiniuit Cælestinus primus Canone 6. suæ epistolæ primæ, his verbis: *Nemo etiam baptismatis gratia renouatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.* Et confirmat hoc ex citatis verbis Innocentij ad Carthaginense Concilium.

Pro solutione huius quæstionis notandum est ante omnia, quæstionem istam cótrouersiam esse inter Doctores Scholasticos. Quidam enim dicunt, necessarium esse etiam iustis auxilium Dei speciale ad bene operandum. Et hoc tenet S. Thomas 1 2. q. 109. art. 9. Et sequitur illum Caietanus ibi, immo extendit hoc ad homines in statu innocentiæ. Tuetur etiam opinionem sancti Thomæ Gregorius Ariminen. in 2. d. 26. q. 1. art. 3. ad 12. & d. 29. q. 1. art. 1. Contrariam vero sententiam alij defendunt. Et videtur eam innuere Henricus Gandéuis in Quodlibeto 4. q. 10. vbi dicit, virtutes infusas hoc differre ab acquisitis, quod acquisitæ dant duntaxat faciliter posse, infusæ vero dant simpliciter posse. Vt autem videamus, vtra istarum opinionum probabilior sit, pono aliquot conclusiones.

Scholastici de quæstione hac discordes.

PRIMA CONCLVSIO.

Aliqua bona possunt iusti sine auxilio Dei speciali. Hæc conclusio patet. Certum enim est apud omnes, neque dubium esse potest, quin ea possint iusti, quæ possunt peccatores. Cum ergo supra q. 12. secuti communem opinionem, docuerimus, posse omnes homines facere aliqua bona, & vitare aliqua peccata sine auxilio Dei speciali, eadem & poterunt iusti.

Ex hac conclusione corollarie sequitur, non esse necessarium auxilium speciale ad omnia opera meritoria. Probatur hoc: Omnia opera bona, facta ab habente gratiā, sunt meritoria, vt probabilius faciemus, Domino fauente, in secundo. Si ergo non est necessarium auxilium speciale ad omnia bona, quæ faciunt iusti, neque erit ad omnia meritoria. Et vehementer decipitur Gregorius Ariminensis, cum in 2. d. 29. q. 1. in responsione ad quoddam secundum argumentū, dicit, contra omnes esse Catholicos, si quis dicat, nos posse in opera aliqua meritoria absq; auxilio Dei speciali, si modo ista referat etiam ad eos qui iusti sunt. Esto enim, requisita sit gratia diuina ad quodcunq; opus meritorium, neq; sufficiat libertas arbitrij, sicut neque possumus nos à nostris peccatis, virtutibus proprijs absq; gratia absoluere: & oppositum, fuit error Pelagij, vt S. Thomas docet in 2. d. 28. art. 2. tamen obtenta iam gratia iustificationis, non omnes Catholici senserunt requisitum esse auxilium speciale, immo oppositum, est communis opinio Doctorum Scholasticorū, vt iam docuimus. Et expressissime hoc asserit Doctor Subtilis in 1. dist. 17. q. 1. artic. 1. ad primum.

Greg Arim. error.

SECVNDA CONCLVSIO.

Aliqua sunt opera bona, quæ iusti possunt

sunt efficere absq; auxilio Dei speciali, quæ tamen non possent neque peccatores, neq; homines in puris naturalib' constituti. Probatur: Per gratiam iustificantem, & virtutes simul cum ea infusas, augentur vires nostræ naturales, & potentiores efficiuntur. Alioqui frustra darentur, & imperfectiores essent virtutibus & habitibus acquisitis. Ergo aliqua bona poterimus facere iam iustificati sine auxilio Dei speciali, quæ antea sine illo non poteramus. Et confirmatur: Per gratiam iustificantem, & virtutes infusas sanantur animæ nostræ, & asseruntur in libertatem, quam perdidimus, & reficiuntur, & reformantur, & reparantur vires naturales læsæ & vulneratæ per peccatum, licet hæc non fiant in via omnino perfecte. Ergo aliquam potentiam ad bene agendum, habēt maiorem iusti, quam peccatores.

Gratia iustificans, vires nostras ad operandū roborat.

Secundo argumentor: Vnumquodque valde imperfectum est, aut frustra est, si nō confert id cuius gratia confertur. Sed gratia gratumfaciens, & virtutes dantur iustis, vt grati sint Deo, & faciant bonum, & vitēt peccatum. Ergo valde erunt imperfectæ, vel frustra, si non per ista dona possemus aliqua bona operari, & aliqua peccata vitare, quæ alias non possemus.

Tertio argumentor pro hac conclusione ex canone 5. Concilij Mileuitani, approbato à Cælestino primo in canone 10. suæ primæ epistolæ decretalis. Qui sic habet: Item placuit, vt quicunque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christū Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit. Et ponderandum est bene, quod de ea gratia, in qua iustificamur, & per quam remittuntur nobis peccata, loquūtur Patres in his verbis, quæ quidem non videntur conuenire, nisi gratiæ gratumfacienti. Ea enim iustificamur, & eius effectus, est remissio peccatorum. Et cum aliter hic loquantur de gratia, quam in canone quinto, citato in principio quæstionis 13. videntur ista voluisse referre ad gratiam gratumfacientem, alia ad gratis datam.

TERTIA CONCLVSIO.

Necessarium est tamen iustis auxilium speciale Dei ad aliqua eximia & præcellentia virtutum opera, & vt impleant omnia mandata Dei, & ne deficiant in multis, quę passim occurrunt, periculis & tentationibus. Prima pars huius conclusionis probatur: Non enim est verisimile, tantam potestatem esse à gratia & virtutibus, præsertim non adeo magnis, & iusti ad ista implorant auxilium diuinum, & ei imputant illa, non suis viribus, neque antiquæ gratiæ. Secunda vero pars satis videtur probata ex testimonijs citatis in argumento ad oppositū. Sed & præter illa eam confirmo ex Augustino, libro De natura & gratia, capite vigesimo sexto: Ita enim ibi ait: Sicut oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic & homo perfectissime etiam iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, recte non potest viuere. Et ponderandum est, non dixisse Augustinum, Recte non potest operari, in quam sententiam inuertit hoc testimonium Ariminensis: sed ait, Recte non potest viuere: vt intelligamus, ad hoc tantum, eum hic dixisse necessarium esse iustis auxilium diuinum, vt non deficiant, vt nō labantur, sed in omnibus bene sese habeāt, & proficiant de virtute in virtutem. Et in hunc sensum interpretandus est Aug. cum cap. 1. De correct. & gratia, dicit, liberatum gratia diuina, indigere auxilio gratiæ, & cum in cap. 6. De gratia & lib. arb. dicit necessariū esse homini, vt gratia Dei non solum iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cum redduntur ei bona pro malis, sed etiam, cum fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam, ne cadat. Et bene ponderat propter hoc scriptum esse in Cant. de ipsa Ecclesia: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, incumbens super fratruelem suum?* quia alba facta, bene ambulat, sed si super eum, à quo dealbata est, perseueranter incūbat. Potest etiam hoc ipsum amplius cōfirmari, quia sancti frequēter orāt & postulāt humiliter auxiliū diuinū ad vincendū tentationes, & implēdum

Cant. 8.

dum mandata Dei, & ne circumueniantur à ſatana. Et quo ſanctiores, eo frequentius & feruentius dicunt, immo clamant
Pſal. 26. cum Dauide: *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neq́; deſpicias me Deus ſalutaris meus*. Et gratias agunt pro victoria tentationum, dicen-
Iob 10. tes: *Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum*. Et
Pſal. 36. iterum: *Salus autem iuſtorum à Domino, & protector eorum eſt in tempore tribulationis*. Et, *Do-*
Pſal. 139. *mine Deus, virtus ſalutis meæ, obumbraſti caput meum in die belli*. Et pro ſuorum cuſtodia orauit Chriſtus tranſiturus ad patrem, vt habetur apud Ioannem: Et tam iuſtos quam peccatores docuit orare, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*. Et, *Et ſanctificetur nomen*
Ioan. 17. Matt. 6. *tuum, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*. Quæ omnia haudquaquam fierent, aut præciperentur, niſi verum eſſet, etiam iuſtos indigere auxilio Dei, & ab ipſo habere, quod declinent à malo, & de ſuis hoſtibus triumphent. Si animaduertamus etiam in iuſtis non eſſe ſanatã perfecte corruptionem & imbecillitatem naturæ, ſed etiam poſt receptam gratiam, adhuc manere in eis carnem procliuem & trahentem ad malũ, & in intellectu obſcuritatẽ ignorantiæ relinqui, vt non perfecte videat, neque cognoſcat quid agendum ſit, & quid vitandum, & tanto in eos magis fremere hoſtes, quanto eos vident clariores & ſanctiores: non erit difficile credere, iuſtis ad hæc, quæ diximus, neceſſarium eſſe auxilium Dei. Vere enim & ipſi etiam quid orent, ſicut oportet, neſciunt. Et cogitationes eorum timidæ ſunt, & incertæ prouidentiæ ſuæ: & corpus, quod corrumpitur, etiam eorum aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, & cum Paulo ſæpe poſſunt & debent
Rom. 7. clamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Ex hac concluſionẽ poteſt corollarie inferri, neceſſarium eſſe iuſtis auxilium Dei ſpeciale, vt perſeuerent in amicitia Dei, & iuſtificationem ſuam tueantur. Et peculiariter poteſt probari hoc corollarium, argumento Auguſtini in libro de bono perſeuerantiæ, ex quo & poteſt firmari concluſio ipſa. Sancti enim inſtanter & feruenter petunt à Deo perſeuerantiam in bono. Quod & intelligitur in illa oratione, *Sanctificetur nomen tuum*, vt Auguſtinus ibi confirmat ex verbus Cypriani. Cur autem, vt ipſiſſimis verbis Auguſtini vtamur, perſeuerantia poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? An & iſta irriſoria petitio eſt, cum id à Deo petitur, quod ſcitur non ipſum dare, ſed ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate? Et capite 6. de correct. & gratia, ita ait: *Perſeuerantia, ſi ab homine homini eſſet à Deo poſcenda non eſſet*. Quod autem à Deo ea ſit petenda, probat ibidem ex expoſitione Cypr. ſuper illa verba, *Sanctificetur nomen tuum*. Et cum videamus ex iuſtis quoſdam perſeuerare, alios non perſuerare: ſignum eſt, aliquid amplius à gratia & virtutibus requiri, vt iuſti perſeuerent.

Sed contra iſtam concluſionem & hoc Arg. contra 3. cõcluſio.
corollarium, poteſt fieri argumentum apparens huiuſmodi: Adam in ſtatu innocentiæ potuit ſine auxilio Dei ſpeciali perſeuerare in eo ſtatu, & implere mandata Dei. Sed plus eſt nobis reſtitutum per donum Chriſti, quam amiſerimus per peccatum, vt Paulus luculenter ediſſerit ad Romanos 5. *Vbi enim abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*. Ergo iuſti per gratiam Chriſti habebunt, vt poſſint in ea perſeuerare ſine aliquo alio auxilio Dei ſpeciali. Hoc argumentum diſſoluit Auguſtinus in lib. de natura & gratia, per hoc quod multo modo accipiunt pro Chriſti merito donum gratiæ, per quod perſeuerare poſſunt: & cum Adam non acceperit, vt perſeueraret, ipſi inſuper hoc accipiunt, vt perſeuerent. Fortius tamen ex his, quæ dixi- Contra 1 & 2 cõcluſiones argum.
mus in hac propoſitione & in probatione ipſius, poteſt quis ſecundam concluſionem & primam impugnare, hoc pacto: Iuſti agunt gratias Deo de cuiuſcunq́; tentationis victoria, & de omni opere bono, quod operantur. Implorant etiam humiliter ad omnia auxilium Dei, & ſicut ex Innocentio citauimus, nihil ſe ſine illo agere poſſe teſtantur. Et ideo in Apocalypſi Ioannes videt ſanctos coronas ſuas ante thronũ Dei mittere, quod exponens Greg. 22. Moralium, cap. 4. dicit, *Coronas ſuas ante thro-*

thronum mittere, est, certaminum suorum victoriā authori suo tribuere. Ergo non solum ad hæc, quæ diximus in hac propositione, sed ad omnia prorsus bona, & ad quæcunq; & qualiacunq; peccata vitandum, indigent præter gratiam quam habent, & virtutes, etiam ope cælestis auxilij. Ad hoc argumentum respondeo. Consequentia n. hil valet. Vt enim iusti teneantur Deo gratias agere de omni bono quod faciunt, & de omni malo quod vitant, satis est, si hæc habeant per gratiam & virtutes sibi infusas, & non per libertatem arbitrij. Ad cœleste enim auxilium reducitur, quidquid eis Deus per hæc adminiculatur & præstat. Et præterea sicut peccatores in sensu, quē exposuimus quæstione 13. possunt singula mortalia vitare sine gratia gratumfaciente, sed non possunt omnia, & iusti possunt singula venialia vitare, sed non omnia: ita non est inconueniens, si dicamus posse iustos sine auxilio nouo speciali facere quodcunque bonum, exceptis supernaturalibus, & nimium præcellentibus operibus, & implere quodcunque præceptum, & vincere quancunque tentationē, nisi forte maximam aliquam, & vehementissimam, & rarissimam, & tamen non posse sine tali auxilio omnia bona facere, omnia peccata vitare, omnes tentationes vincere, omnia præcepta implere. Et per hæc poterit responderi facile ad omnia testimonia sanctorum, quæ Ariminensis & qui sequuntur eum, contra nos allegant. immo posset etiam fortassis nobiscum concordare Sanctus Thomas. Neque enim ideo est necessarium credere, eum ad omne bonum opus requ sisse in iustis speciale auxilium, quod dixerit iustos ind gere auxilio speciali ad recte agendum. Satis enim pro his est, si eo indigeant ad supernaturalia opera, & ad implendum omnia sibi præscripta, & vincendum omnes tentationes: Neque scio, quo pacto aliter & ipse cum seipso possit concordare, cum & ipse expresse dicat in tertia parte suę summæ, q. 62. ar. 6. ad 3. minimam gratiam posse resistere cuicunque tentationi, & eam superare. Neq; placet quod quidam ipsius studiosus dicebat, hoc ideo esse, quia minimæ gratiæ adiuncta sunt specialia omnia auxilia ad hæc requisita. Hoc enim & falsum est, & sine fundamento dicitur, neque ad defendendum S. Thomam sufficit, quādo ipse ipsi gratiæ hanc tantam præcellentiam tribuit, non annexis auxilijs.

DE PERSEVERANTIÆ MERITIS.

QVÆSTIO QVINTADECIMA.

AN iusti mereri possint suam in bono perseuerantiam. Partem affirmatiuā suadet hoc argumentum: Plus est, mereri augmentum gratiæ & impeccabilitatem, quam mereri perseuerantiam. Plus enim est, non posse peccare, quam non peccare. Sed iusti per sua bona opera merentur augmentum gratiæ, & vt supra disputauimus, ipsam beatitudinem æternam, de cuius ratione est impeccabilitas. Ergo multo magis poterunt mereri suam perseuerantiam.

Sed contra est, quod multos videmus iustos deficere, neque perseuerare in gratia recepta, etiamsi multa habuerint opera meritoria. Id autem quod quisque meretur, sine dubio obtinet, nisi impediatur per peccatum. Si vero quis mereretur perseuerare, neque hoc meritum impediretur per pecca um. Directe enim opponitur perseuerātiæ peccatum lethale.

Ad hanc quæstionem Pelagiani, vt facile potest coll gi ex disputatis quæstionibus, affirmatiue responderent: Longe tamen ab eis diuersa respondet Sanctus Thomas in 1.2. quæstione 114. articulo 9. Concedit enim ibi, perseuerantiam patriæ cadere quidem sub merito: sed perseuerantiam viæ, de qua vna modo disputamus dicit neminem posse mereri neque ex cond gno, neque ex congruo, sed gratis eam Deum elargiri, cuicunq; ei placet hoc tantum bonum tribuere: quia perseuerantia viæ, dicit, pendet à motione diuina, quæ est principium omnis meriti. Sed mihi, bona venia tanti Doctoris, duæ conclusiones videntur probabiles in hac quæstione.

PRIMA CONCLVSIO.

Nemo potest mereri de condigno perseuerantiam viæ.

Digitized by Google

CONCLVSIO SECVNDA.

Possunt tamen iusti eam mereri ex congruo, non tamen ex proprijs viribus, hoc enim Pelagianicum est, sed ex gratia & benignitate Dei.

Prima conclusio probatur. Nulla enim est lex facta de hoc. Meritũ autem de condigno, vt supra diximus quæst. 4. requirit legem. Et sicut nullus potest mereri de condigno obstinationem in malo in hac via, nulli enim in ea præclusa est via salutis, alioqui non in via esset, sed in termino: ita videtur, neminem mereri posse de congruo tantum & tam excellens bonum. Si etiam hoc mereri quispiam posset de condigno, cum meritum de condigno semper habeat suum effectum, posset ergo aliquis propter merita sua venire ad hoc, vt non posset perdere gratiam Dei, quod quidem magis est patriæ, quam viæ, neque cuipiam in via cōtigit, nisi ex mera gratia Dei. Secunda conclusio potest effici probabilis hoc pacto: iusti aliquando obtinent perseuerantiam in bono, & sibi & alijs propter humiles & feruentes orationes suas, & propter alia pia & præcellentia opera, quæ ad hoc faciunt & in hunc finem dirigũt, vt hoc donum consequantur. Ergo merentur ex congruo hoc beneficium. Nihil enim deesse videtur, quo minus dicantur illud mereri, cum & ipsi digni sint ea gratia, & DEVS eam illis elargiatur propter suas orationes & bona opera. Neque valet instantia sancti Thomæ vbi supra: *Peccatores enim*, ait, *impetrant gratiam quam non merentur*. Vt enim demus, peccatores nullo modo mereri gratiam, discrimen est magnum inter peccatores, qui digni non sunt nisi supplicijs, & iustos qui ex hoc quod filij sunt Dei, & amici ipsius, digni sunt omnibus, quæ Deus statuit ipsos posse obtinere per orationes & pia studia, & sanctos labores, & bona exercitia. Secundo potest hæc conclusio confirmari: Iusti, vt supra docuimus, & sanctus Thomas aperte fatetur ibidem articulo 6. possunt peccatoribus mereri primam gratiam ex congruo. Ergo multo magis iustis alijs, vel sibi poterunt mereri ex congruo perseuerantiam in bono, quod quidē minus esse videtur, quam primum. Maior enim est gratia, peccatorum iustificatio, quā perseuerantia iustorum. Adnitantur igitur iusti certam facere per bona opera vocationem suam, & pijs studijs & orationibus intenti, & humiliter & feruenter postulent à Deo, ne vnquam ab eo derelinquantur, & despiciantur, neque auertat faciem suam ab eis. Exorari enim se vult & promereri Deus. Et qui dedit velle, dabit pro sua voluntate proficere.

Et hæc satis poterunt esse pro toto isto opusculo De iustificatione & meritis. Modum enim iam excessit opusculi, & vt ingenue verum fatear, amphoram quidem instituere cœperam, & currente rota, iam vrceus exijt. Et alioqui quæcunque aliæ quæstiones curioso lectori occurrere possunt, quæ ad hoc argumentum pertineant, nisi me fallit memoria, ex dictis solui vtcunque possunt. Exacte enim & ad vnguem, non est visum commodum, in hoc tractatu eas seorsum disputare. Illuminet Dominus noster IESVS Christus, lux vera & salus vnica mundi, omnium, qui hæc legerint, mentes: molliatque corda eorum, qui obstinati sunt, vt veritatem intelligant, & qua caritate & amore salutis eorum, ista scripserim agnoscant: & si quopiam adhuc tenentur circa hæc errore, resipiscant à diaboli laqueis, adiuuante ipsius gratia.

Domini & saluatoris nostri IESV
Christi, cui sit honor & gloria
in secula seculorum.
Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX
ERRORVM PRAECIPVORVM,
QVI HOC IN OPERE AB ANDREA VEGA DISCVTIVNTVR ET CONFVTANTVR.

Ddddd 2 36. Iusti

36. *Iusti non possunt perdere suam iustitiam.* 474.a. 479. b. 730.b
37. *Iusti non possunt implere legem Dei sine gratia speciali.* 426. b.
38. *Iusti possunt perseuerare sine gratia speciali.* 513. b. 514. a
39. *Iusti sine reuelatione possunt esse certi per fidem de sua gratia.* 235 b.
40. *Iusti sine reuelatione possunt esse certi de sua perseuerantia & prædestinatione.* 474.b
41. *Iusti tenentur credere se esse in gratia.* 235 a & b. 358. a. (730. b. & seq.
42 *Iustorum æqualis est gratia & gloria.* ibid.
43. *Iustificati æqualiter iustificantur.* 139.b.358.a
44. *Iustificati non sunt vere iusti.* 743.a
45. *Iustificati omnes liberi sunt ab omni culpa & pœna.* 647.a.747 a
46. *Iustitia Christi causa est formalis nostræ iustificationis.* 179.a.733 a.744.a
47. *Iustitia formalis non est aliquid inhærens.* 176 b.744.b
48. *Liberum arbitrium est titulus sine re.* 29.a
49. *Liberũ arbitriũ non habemus ad spiritalia, sed tantũ ad naturalia & moralia.* 33 b.
50. *Liberum arbitrium passiuè tantum se habet ad suos actus.* ibid.
51. *Liberum arbitrium per peccatum Adæ non est attenuatum.* 26 b.
52. *Mortui omnes ante passionem Christi, sunt damnati.* 24.b
53. *Mercedis æternæ intuitus vitiat bona alioqui opera.* 465 a.754 b
54. *Omnia de necessitate absoluta eueniunt.* 28.b.
55. *Opera omnia infidelium & quorumcunque peccatorũ, ante gratiam sunt peccata.* 33 b.
56. *Peccatores lapsi à gratia baptismi, non possunt reparari.* 531 b.
57. *Peccatores non possunt implere aliquod præceptum.* 425 b. (tale 662.a.674 b
58. *Peccatum nullum separat à gratia, præter infidelitatem, & ea sola est peccatum mor-*
59. *Peccatum omne est peccatum mortale.* 441.a.665 a.
60. *Peccatum omne ex ignorantia est veniale.* ibid.b.
61. *Peccatum omne infidelium, est peccatum mortale.* ibid.
62. *Peccatum omne prædestinatorum, est veniale.* ibid.
63. *Peccatum omne reproborum, est mortale.* ibid a. & b.
64. *Peccatum vnum mortale non sufficit ad amittendam gratiam.* 672.b.
65 *Peccata aliqua sunt irremissibilia in hac vita.* 532.b.
66. *Peccatorum aliquis numerus irremissibilis in hac vita.* ibid.
67. *Perfecti non sunt subditi mandatis.* 392.a.397.a. (ctione.579.a.
68. *Pœnitentia lapsi à gratia baptismi, non constat contritione, confessione, & satisfa-*
69. *Pœnitentia prioris vitæ non est necessaria peccatori.* 582.a.
70. *Pœnitentia prioris vitæ non est in præcepto.* 588.b.
71. *Prædestinati soli vere iustificantur.* 474. b. & seq. & 730 b & seq.
72. *Purgatorium non est extra hanc vitam.* 669 a.
73. *Sacramenta non sunt causa gratiæ, sed sola fides.* 192 b.
74. *Sancti defuncti non sunt inuocandi.* 748.b.
75. *Sanctorum nullus seruauit mandata absque transgressione mortali.* 408. a. 722. b.
76 *Satisfactio non est necessaria contritis.* 647.a.747 a.
77 *Timor gehennæ peccatum est.* 109, a 614.b.
78. *Virgo beatissima non caruit veniali peccato.* 703.b.

INDEX

LOCORVM SCRIPTVRÆ SANCTÆ, IN HOC OPERE DILVCIDIVS EXPLICATORVM.

129. Quoniam apud te propitiatio est 724
142 Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, &c. 450.a

Ex Prouerb.

Cap.4. Ducam te per semitas æquitatis, &c. 409.b.& seq.
20. Quis potest dicere, mundum est cor meum, &c. 247.b

Ex Ecclesiaste.

Cap.7. Nemo potest corrigere, quem ipse despexerit 572.b
7. Non est homo super terram qui faciat bonum, & non peccet 450.b.& seq.
9. Sunt iusti atque sapientes. Et tamen nescit homo, vtrum odio &c. 247.b

Ex Cantic.

Cap.3. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, &c. 516.a

Ex Ecclesiastico.

Cap.1. Initium sapientiæ est timor Domini 110.a
5. De propitiato peccato noli esse sine metu 250.b
11. Ante mortem ne laudaueris quenquam hominem 484.a
18. Ne verearis vsque ad mortem iustificari [illegible] 61 a.753 b
25. Timor Dei, initium dilectionis 1 0.a

Ex Esaia.

Cap.5 Quid debui facere vltra vineæ meæ, & non feci? 667.a
5. Væ vobis, qui iustificatis impium pro muneribus 60.a
6. Væ mihi, quia tacui 460.b
11. Delectabitur infans ab vbere, &c. 20.a
26. A timore tuo, vel, à facie tua, Domine, concepimus, &c. 110.a
28. Mittam in fundamentis Sion lapidem 200.b
53. Verè languores nostros ipse tulit, &c. 46.b
55. Derelinquat impius viam suam, &c. 584.a
56. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, &c. 373.b
64. Quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ, octo expositiones 457.a
65. Et seruos suos vocabit nomine alio 243.b

Ex Hierem.

Cap.3. Si dimiserit vir vxorem suam, &c. 540.a
3. Frons mulieris meretricis facta est tibi 572.a
3. Dormiemus in confusione nostra, & operiet nos, &c. 457 b
6. Curabant contritionem filiæ populi mei. Confusi sunt, qui abominationem fecerunt 600.a
7. Tu autem noli orare pro &c. 566.b. 569.b
8. A minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur 458 a
13. Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius ebrietate 256 a
13. Non parcam, & non concedam, neque miserebor, &c. 568.b
17. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, &c. 569.b.
17. Prauum est cor hominis, & inscrutabile 285.b
18. Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam &c. 540 b
23. Ecce dies venient, &c. Dominus iustus noster 50.a

Ex Ezechiele.

Cap. 3. Sanguinem autem eius de manu tua requiram 591.a
14. Si fuerint tres viri isti in medio terræ, Noe, &c. 566.b
16. Auferetur zelus meus à te 568.b
16.* Iustificasse sorores suas &c. 60.b
18. Si impius egerit pœnitentiam, &c. 123. b 540.b.583 b.600 b
33. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat 541.a

Ex Daniel.

Cap. 4. Peccata tua eleemosynis redime, &c. forsitan ignoscet Deus 249 b

Ex Ioel.

Cap.2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, &c. 584.a
2. Quis scit si conuertatur, & ignoscat 250.b

Ex Amos.

Ex 2. Machabæor.

Ex Matth.

Ex Luc.

Ex Ioan.

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epist. ad Romanos.

5. Vbi abundauit delictum, cum quibusdam praecedentibus 49.a.746.a
6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore 413.b
8. Spe salui facti sumus 202 b
8. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro 280.a
8. Certus sum enim, quia neque mors, &c. 287.b
9. Non ex operibus, sed ex vocāte dictum est, &c. 214.b
9. Ignorantes iustitiam Dei, &c. 220.a
11. Si autem gratia, iam non ex operibus 204.a
11. Quis prior &c. 924.a
14. Omne, quod non est ex fide, peccatum est 141.b

Ex 1. ad Corinth.

Cap. 1. Factus est nobis sapientia & iustitia, &c. 49.b
2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, &c. 284.a
2. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est 285 a
2. Animalis homo non percipit, &c. 490 a
3. Qui autem aedificat super fundamentum hoc aurum, &c. 365 b
4. Nihil mihi conscius sum, sed non &c. 247.a 251.b.252.a.253.a.297.a
4. Itaque nolite ante tempus iudicare, &c. 254.b
11. Probet autem seipsum homo, &c. 236.a
15. Non ego autem, sed gratia Dei mecum 424.b.922.b
15. Stella à stella differt in claritate 371.b

Ex 2. ad Corinth.

Cap. 1. Gloria nostra haec, testimonium conscientiae nostrae 283 a
1. Quotquot promissiones Dei sunt, in illo est 38.b
7. Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia &c. 587.a
8. Si enim voluntas prompta est, &c. 75.b
10. Qui gloriatur, in Domino glorietur non enim &c. 46 a.255.a
13. An non cognoscitis vosmetipsos, &c. 285.b

Ex epist. ad Galat.

Ca. 2. Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus 424.b
3. Quicunque ex operibus legis sunt, &c. 721.b
3. Christus nos redemit de maledicto legis 402.b
4. Filioli mei, quos iterum parturio 558.b
5. Testificor omni homini circuncidenti se 779.b
5. In libertatem vocati estis, &c. 402.b
5. Si spiritu ducimini, non estis sub lege 403.a
5. Aduersus huiusmodi non est lex 404.a

Ex epist. ad Ephes.

Cap. 1. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, &c. vsque, In laudem gloriae ipsius 50.b.175.a
1. Praedestinauit nos in adoptionem filiorum 151.a
2. Ergo iam non estis hospites, &c. 48.a
4. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram ibid.a
5. Mundans eam lauacro aquae, &c. 193.a
5. Sacramentum hoc magnum est, &c. 40.b
6. Propterea accipite armaturam Dei 325.a

Ex epist. ad Coloss.

Cap. 1. Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine 58.b
1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit &c. 18.b

Ex epist. ad Philip.

Cap. 2. Cum metu & tremore vestram salutem operamini, &c. 85.b

Ex 1. ad Timoth.

Cap. 1. Iusto non est lex posita 403.a

Ex epist. ad Tit.

Cap. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis 193.a

Ex epist. ad Heb.

Cap. 3. Participes Christi effecti sumus, si tamen initium &c. 476.a
6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. 554.a.557.a.560.a.b

6. Non

6. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri 556.a.b
7. Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat 402.b
10. Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam &c. 561.a.b

Ex epist. Iacob.

Cap. 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, &c. 294.a
2. Abraham nonne ex operibus iustificatus est? 61.a.385.b.752.b
3. In multis offendimus omnes 438.b
5. Et oratio fidei saluabit infirmum 556.b 620.a
5. Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. 622.a

Ex 2. Petri.

Cap. 1. Satagite vt per bona opera vestram &c. 295.a.303.a

Ex 1. Ioan.

Cap. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus 451.a
2. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis 491.a.492.b
2. Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, &c. 292.b
3. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, &c. 488.b.489.a & seq.
3. Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, &c. 289.b
3. Si cor nostrũ non reprehenderit nos, &c. 291.b
3. In hoc scimus, quoniam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis 279.b
4. Timor non est in caritate 114.b,115.a
5. Qui credunt in filium Dei, habent testimonium Dei in se 280.a
5. Scimus, quia audit nos 291.b
5. Est peccatum ad mortem 563.a.565.b

Ex epist. Iud.

Cap. 1. Et hos quidẽ arguite iudicatos, &c. 538.a

Ex Apocalyp.

Cap. 1. Zona aurea super mamillas eius 508.a
2. Vincenti dabo manna absconditum &c. 293.b
3. Si quis mihi aperuerit ianuam, &c. 603.b
4. Mittebant coronas suas 944.b.& seq.
13. Agnus qui occisus est ab origine mundi 45.b
22. Qui iustus est, iustificetur adhuc 60.b 61.a

Digitized by Google

INDEX RERVM AC VERBORVM IN PRÆCLARVM ANDREÆ VEGÆ DE IVSTIFICATIONE OPVS.

Aron pro incredulitate post dimissam culpam punitus fol. 648.a
Abraham alicui incredulus 700.a
certus de sua prædestinatione 298.b.498.b
omnium hominum suæ ætatis iustissimus etiam ante Isaac oblationem 385.b
iustior Loth & Abimelech 376.a
profecit in iustitia per obedientiam 360.a
spe remunerationis labores peregrinationis tulit. 460.a
Absolutio sola forma sacramenti pœnitentiæ 578.b
sola inter partes pœnitentiæ signum efficax gratiæ ibid.
non est vtilis, nisi præcedat pœnitentia 265.b
Absolutio sacerdotis, conformis debet esse absolutioni Dei 631.a
Absolutioni præmittẽda aliqua breuis oratio 620.a
Abstinere non est mera negatio 425.a
Acceptatio personarum non habet locum in gratuitis, ex August. in epist. ad Seleucianum, nec Deo iniuri potest 218.a
Acceptatio nostrorum operum incerta 261.a
Accusatio conscientiæ de operibus 292.b
Actiones Christi quadrupliciter fuerunt nobis vtiles.
Actus intellectus notiores nobis quam voluntatis 314.b
Actus habituum infusorum possunt proficisci ab acquisitis 234.b
Actus exteriores habent aliqua priuilegia, quibus carent interiores 134.b
Actus nostri interiores nobis euidentes 323.a
Actus idem neque bonus & malus moraliter, neque donum Dei & peccatum esse potest 439.b
Adam habuit gratiam ante lapsum 149.b.482.b
per pœnitentiam in gratiam Dei reuersus 57.a
potuit cognoscere aduentum Christi 40.b
satisfactionem consecrauit 651.b
saluus & prædestinatus 481.b.665.b
Adam non peccante nos non morituri 24.b
Adam terreni & cælestis comparatio 48.b
Adam quid per velle malum, perdiderit 930.a
à Deo nihil nobis deberi 931.b
Adolescens euangelicus vere dixit se seruasse mandata 398.b
Adriani sexti Pont. Rom. commendatio & notula 938.b 940.a
Aduentus Christi mysterium 37.b
Aduentus Christi tempus plenitudinis 38.b
cur dilatus 39.a
reuelatus Adæ ante lapsum 40.a
Aduentus filij Dei sex causæ 38.b
Aduentus Spiritus sancti duplex 308.b
Affectuum bonorum & operum quis author 929.a
Alexander Halens. non sensit certitudinem fidei de gratia possibilem 312.a
Amalech, figura diaboli 485.b
Amare non potes quem nescias 201.b
Amati sumus sine merito 353.a
Ambrosius posuit meritum ex congruo 209.b
sensit necessariam confessionem 628.a
Ambrosii sententia de gratiæ certitudine 302.b
Ambrosii de lachrymarum Petri efficacia testimonium 921.b
Ambrosii pia & lepida quædam precatiuncula 891.b
Amicitia causa dilectionis amicorum 187.b
quæ complectatur in se 189.a
Amicitia Dei quam sit preciosa, & quis ea indignus 894.a
Amicitiam Dei nemo sibi debitã facere potest 871.a
Amor Dei prouectus in sapientia 114.a
ob beatitudinem differt ab amore, ob temporalia tripliciter 471.a
Amor verus Dei potest stare cum mortali 298.b
Amor, mercenarius beatitudinis 469.b
Amor mercenarius repugnat caritati 472.a
Amor aliquis concupiscentiæ erga Deũ bonus 471.b
Amor noster signum amoris Dei erga nos 352.b
Amor noster & timor incertus 512.b
Amor proximi perfectissimus 415.a

Amor

Amor amicitiæ non semper repugnat amori concupiscentiæ 471.b
Amor aliorum non ita nobis constat, ac odiũ 290.b
amoris proprium, dilatare corda 410.b
Anathema quis cur Hieronymo dictus aut habitus 905.a
Anathematum in hæreticos ratio 785.a.& b
Angeli ante lapsum qua iustitia iusti 180.a
nullum defectum naturalem habuerunt 28.a
portabant an mas iustorum in sinum Abrahæ 21.b
Angelorum diuersitas 375.a
Anima Christi à morte extra statum merendi 168.a
Anima per peccata fiunt habitationes dæmonũ 67.a
Animæ iustorum ornantur muneribus 185.b
Animæ Purgatorij liberæ à dæmone 21.b
certæ de sua salute 776.b
Animus humanus se non penetrat 246.b
Anselmus non abrogauit meritum congrui 211.a
Anselmi clarissimum de Deo apophthegma 870.b
Antesignanus Ecclesiæ fortissimus quis 931.a
Antichristus secundum legem potest saluari 553.a
Antichristi prædicatio 377.b
Antonius Abbas de qua certitudine loquatur 299.a
Annulus. fides 70.b
Apostoli confirmati in gratia 495.a
non crediderunt resurrectionem antequam eis reuelaretur à Christo 100.a
pœnitentiam præmittebant baptismo 122.a
magis hortabantur ad pœnitentiam quam ad baptismum ibid.b
non remiserunt baptizatis mortalia peccata sine confessione 621.b
hæsitauerunt de peccato, cuius non erant sibi conscij 302.a
contendentes de primatu, non caruerunt veniali 692.a
inter sanctos omnes eximij 371.a
quomodo viderint patrem 314.b
Apostolorum certitudo de sua gratia 241.a
Apostolis reuelata sua prædestinatio 599.b
Apostolicæ Sedis authoritas quanta 872.b
Aquæ benedictæ antiquitas 670.b
Aquæ baptismalis virtus 195.a
Aquarum virtus prædicta à prophetis 193.a
Arausicana synodi secunda quanta sit authoritas 872.b (924.b
Arbitrium lib. vnde infirmatum aut debilitatum
Arbitrium liberum quò sufficiat 934.a
Arca Noe typus Ecclesiæ 266.b
Arguendum qui se Deus offerat, si peccatoris non misereatur 871.a
Argumenta S. Augustini, an demonstratiua & efficacia omnia 895.a & b
Arma quibus de omnibus hostibus triumphare possimus 525.a
Ascensio Christi causa nostræ iustificationis 167.b
non reddidit humanitatem ipsius efficacem in nostram ascensionem 172.b
Ascensus ad magna non facilis 410.b
Ascensus certus de aliqua re 219.a
Ascensus vnus & idem, qui simul falsus & verus esse possit 906.b. & seq.
Assentiens euidenter, certus est se non posse decipi 322.b
Assentire veris an facilius quam falsis 911.b
Athesis laudatissimus fluuius 14.a
Attritio imperfectus dolor 581.b
pars pœnitentiæ ibid.
fit contritio per sacramentum pœnitentiæ, & attritus, contritus 266.b.640.b
vbi quid valeat 937.b
Auaritia idolorum seruitus 420.b
Audire libenter verbum Dei, signum prædestinationis 504.b
Auersio à peccato, quid sit 583.b
Augmentum datur in virtutibus 378.a
Augmentum caritatis, diminutio cupiditatis 380.a
Augmenti iustitiæ causa, opera iustorum 752.a
Augustinus pro incertitudine gratiæ 257.a
pro meritis operum 866.b
quæ opera legis esse dicat 835.b
fidem dicit primum hominis meritum 224.b
vocat bonum simpliciter, quod ad consecutionem vitæ æternæ conducat 224.a
de gratijs variè loquitur 218.b
gratiam, qua credimus, vocauit gratiam iustificationis 222.a
merita putat aduersari gratiæ iustificationis 204.a
merita aliqua iustificationis agnoscit & aliqua negat 208.a 219.a
non credidit effectum baptismi non posse impediri per defectum ministrantis 535.a
non omnem concupiscentiam peccatum credidit 668.a
voluntate peccare, & libere peccare idẽ credidit 406.b

Digitized by Google

distinxit venialia à mortalibus 670 *a*
sensit posse nos ex gratia venialia tota vita vitare 714.*b*
sensit B. Virginem caruisse veniali 705 *b*
subticuit quaestionem de peccato in Spiritum sanctum in concionibus 549 *a*
non pollicetur mortalibus sine reuelatione securitatem 304.*b*
Manichaeorum errori cur assensit 32.*b*
quo sensu dixerit, in infidelibus opera bona non esse 933.*b*
Augustini sententia de praecepto diligendi Deum 779.*a*
Augustini insigne & audax de bonitate Dei apophthegma 870.*b*
Augustini de vi lachrymarum Petri insigne testimonium 921 *a & seq.*
Authoris nostri Vega in Doctorem Subtilem affectus qualis 918.*a*
Authoritas Dei reuelantis exuperat omnium argumentorum certitudinem 276.*a*
Authoritas originis satis ad mittendum filium 39.*b*
Authoritas Episcoporum 704.*a*
Synodi Tridentinae 11.*b*
Authoritate Rom. Pontificis roborantur concilia 737.*b*
Auxilium diuinum potest, quicunque velit, habere 569.*b*
Auxilium ad perseuerandum nemini deficiet 409.*a*.475.*a*
Auxilium speciale ad aliqua, in nostra potestate 93.*b*
custodit iustos 521.*a*
non est ad omnia bona opera necessarium 718.*a*
à generali differt 52.*b*
Auxilio Dei speciali ad diligendum Deum opus esse 913.*a*
Auxilia specialia perdidimus iure, non autem generalia 52.*b*
indigent meritis Christi, non autem generalia 53.*a*
impartiuntur nobis à Deo propter Christū 50.*a*
ad supernaturalia opera dantur propter Christum 52.*a*
sunt duplicia 570 *b*
Auxilia sufficientia & necessaria ad perseuerantiam 5[illegible]

B.

BAchonis sententia de certitudine 312 *b*
Balaam habuit spiritum propheticum sine gratia 299.*a*
Baptismus ianua omnium sacramentorum 80 *b*. 147.*b*
fundamentum fidei 103.*a*.147.*b*.193.*a*.580.*b*
fundamentum euangelicae veritatis 192 *a*
professio religionis Christianae 123 *a*
causa instrumentalis iustificationis 147.*a*.193 *a*
loco circuncisionis institutus 78.*a*
praeceptum omnibus 7[illegible].*b*
in praecepto etiam quibus non innotuit 74.*b*. 123.*b*
nemini negandus 194.*b*
necessarius, etiam obtenta gratia 73.*a*.130.*a*
in re necessarius paruulis 71.*b*.78 *b*.734.*a*
adultis [illegible] tis in voto etiam virtuali 75.*a*.76.*a*
confert primam gratiam 272.*a*
causat remissionem peccatorum 19[illegible].*b*
omnia praeterita peccata condonat 519.*a*. 527.*a*.561.*b*.646.*a*
proficit ad salutem 193.*b*
facit potentiores nostros actus 54[illegible] *b*
interabilis 558.*a*,559.*a*
non est signum perpetuae propitiationis, nec baptizatis est necessaria memoria ipsius ad remissionem peccatorum 747.*a*
coepit esse in praecepto à die Pentecostes 74.*a*
quando coepit praedicari 122.*b*
ad quid institutus ibid.
Baptismus aqua sine poenitentia non iustificat adultos 342.*a*
Baptismus paruulorū semper fuit in ecclesia 194 *a*
Baptismus Ioannis non eiusdem efficaciae cum baptismo Christi 748 *b*
Baptismi praeceptum praecipuum 73.*b*
Baptismi praeceptum & necessitatem indicant illa verba, Nisi quis renatus, &c. 71 *b*.735 *a*
Baptismi propositum, dispositio necessaria ad grattiam 123.*a* *b*.
Baptismi intermissio aliquando sine peccato 336 *a*
Baptismi sufficientia 55.*a*
solennis promulgatio 74 *a*
susceptio qua, & quot requirat 330.*b*
susceptio non ficta sufficit ad gratiam 264 *b*
Baptismi praeceptum qui per peccatum mortale impleatur 95[illegible]

Baptismi susceptio quo casu sit aut fiat peccatum mortale ibid.
Baptismum recepturi admonendi 123.a
non suscipiens ex culpa ministri, non propter hoc damnabitur 336.b
per Baptismum applicatur efficacia mortis Christi omnibus baptizatis 193.b
Baptizatus puerum, potest habere certitudinem iustificationis illius 235.a
Baptizatus quilibet, iure diuino tenetur omnia mortalia confiteri 808.a
Baptizatus ficte quis 266.a
Baptizati possunt credere sine formidine se esse baptizatos 346.a
cogi possunt ad fidem seruandam 147.b
Baptizati baptismate Ioannis, tenebantur baptizari baptismo Christi 73.b
Baptizare seipsum nemo potest 330.b
Beatitudo denarius diurnus 771.b.860.b
corona iustitiæ 866.a
hæreditatis retributio 773.a
merces operum bonorum 757.a.854.b
summum commodum nostrum 468.b
status omnium bonorum aggregatione perfectus 504.a.475.a
est brauium 465.b
est visio Dei & fruitio 148.b
est velut fructus bonorum operum 469.a
omnem valorem nostrorum operum excedit 864.b
haberi non potest, nisi per obseruantiam mandatorum 471.a
statim datur decedentibus in gratia, & sine reatu alicuius pœnæ 764.b
vnica erit cunctis 383.b
debita iustis 771.b.780.b
Beatitudo Christi, causa exemplaris nostræ 174.a
Beatitudo sanctorum non æqualis 371.a
Beatitudo nostra est finis intrinsecus iustificationis nostræ 176.b
Beatitudo qui sub merito cadat 883.a
Beatitudinis intuitu bene operari, & Deum diligere propter ipsam licet 465.b
Beatitudinem Virginis, Baptistæ, Apostolorum, & aliorum multorum reuelauit Deus populis 498.b
Beatitudines à Christo designatæ, explicantur à 502.b vsque 514.a
Beati perfectius implent præceptum diligendi Deum quam nos 421.b
Benedictio presbyteri, sanctificationis traditiis 670.b
Benedictione episcopi, remitti venialia ibid.
Beneficentia ex beneuolentia oritur 416.a
Beneficia iustificationis, expressa in parabola filij prodigi 69.b 71.a
Beneficia spiritualia nobis exhibentur propter Christum, & ab eius pendent meritis 47.b.51.b
Benignitas mentis remunerata in obstetricibus Pharaonis 441.b
Bernardus pro incertitudine gratiæ 459.a
sensit. posse homines spirituales assequi aliquam certitudinem suæ gratiæ 352.a
non negat meritum, quod gratiæ non aduersatur 214.b
non dicit necessarium nos credere nobis remissa esse peccata 237.a
in quo distinguat veros pastores a mercenarijs 469.b
Bernardi expositio in his, quibus aduersari videtur incertitudini gratiæ 308.a
Bernardi de viribus liberi arbitrij sententia 914.b
Bernardi laus & apophthegma insigne 932.b
Blasphemia in iniuriam cedit omnium personarum 551.a
Blasphemia omnis non est peccatum in Spiritum sanctum ibid.
quæcunque illata Deo, potest dici peccatum in Spiritum sanctum 549.b
Blasphemia in Spiritum sanctum sine venia est 553.a
quousque debeat progredi, vt sit æternum delictum incertum est 551.b
Blasphemia Melanchthonis & Caluini 663.a
Blasphemantes Christum, consecuti remissionem peccatorum 551.b
Bonitas moralis assimilatur pulchritudini 429.b
non sufficit ad iustificationem 140.b
Bonus non est, qui melior esse non vult 381.a
Bona in renouatione nobis collata 65.b
propter semetipsa amanda 113.b
Bona omnia Deo a nobis ascribi oportere 931.a
Bona opera & externa necessaria ad secundam iustificationem 386.a
Bona opera iustorum dignissima augmento iustitiæ & causa ipsius 335.a
Bona opera peccatorum, prima iustificatione indigna ibid.
sed causa ipsius 212.b 384.b

Bona temporalia licite possunt appeti 470 a
quomodo habeant rationem obiecti boni & honesti 471.a
Bona qua vnde cur sic sola dicantur 933 a
Bonum maius licet ordinare ad minus 470 a
Bonorum temporalium abdicatio non est in precepto 393
Brachij sui carnem firmare quis qui dicatur 904.b
Buceri execrandus error 737.a
absurdissima opinio 680.b

C.

CÆremoniæ veteris testamenti quid significauerint 176.b
Cain quando grauissime peccauit 546 a
admoneri potuit, mutari non 572.b
Calceamenta significant spem 70 a
Caluinus magis impius, & minus doctus quam Pelagius 753.a
Iouiniano consentit 730 b
scripturam exponit absurde 721.a.722.b.730.b.735.b 747.b.751.a.769.a.779 b
negat libertatem 740.a
negas dispositiones ad gratiam 741.a
negat nos ve e esse iustos 743.a
damnat omnia peccatorum opera 738 b
non intelligit sententiam Patrum 744 a
Caluini errorum aceruus 721 a
error grauissimus 730.b
ineptum exemplum 680 a
cæcitas 730.b
stropha 720.b
inconstantia de fide 676.b
impietas in beatam Virginem 703 b
contradictio 721 a.730.b.731.a.735.a 741.a.742.b.747.a.751.a 767 b.768 a
calumnia 695.a.721 a. 746.a. 757 a.784.b.785.b
errores de pœnitentia 747 a
error de paruulis 734.a
in Caluinum inuectio 703.b
Candacis Reginæ eunuchus quomodo ad fidem perductus 899 a
Canones pœnitentiales non noui 654.a
Caritas plenitudo legis 799 a
finis præcepti 129.a
accidens quoddam creatum 184.a
quoddam Dei opus 835.b
perfecta virtus animi 186 b
animæ pulchritudo 380.a.679 a
vita animæ 192.a
margarita preciosa 506.b
Christiana iustitia 188.b
fundamentum religionis 684 b
vestis nuptialis 188.b.763 b
ignis & lumen 344 a
donum Dei 208.a
glutinum, quo Deo coniungimur 129.a.192 a
amicitia inter nos & Deum 187.a
causa propter quam Deus nos diligit ibid.b
causa bonorum meritorum 129.b
arx omnium virtutum 144.b
apex omnium virtutum 525.b
vita & forma omnium virtutum 144 b.679.a
qua parte maior sit cæteris virtutibus 121.a
tenet primatum in omnibus 129.b.144.b
omnia dura, leuia facit 515.a
omnem languorem sanat 130.a
extinguit delicta 144.b
sequitur timorem diuinæ iustitiæ 113 a
non potest esse, vbi non est spes 202.a
non potest nos facere gratos Deo, nisi quatenus gratia est 188.b
vt gratia est, potest augeri, etsi non augeatur vt caritas 189.a
potest vocari gratia informans ibid.b
distinguitur ratione a gratia 188.c
sola vere bene operatur 208.a
qualiter hic ostendatur ex actibus 267.b
suo in genere perfecta in hac vita 456.a
ignotior fide 314 a
Caritas pertinet ad natiuitatem, quæ ex Deo est, augendam 490 b
est præceptum generale 410.a
sine adspiratione scribendum 189 b
Caritas infusa non prærequiritur ad implendum mandatum de diligendo Deum 131.b
Caritas potissima & perfectissima, quæ 914 a
Caritatis elogia 144.b.192.a
præcellentia 187 a
proprius effectus formalis 189 a
Caritatis & gratiæ officia 187.a
Caritatem habens, cuncta habet 144 b.187 a
sessori assimilat August. 188.b
Caro potest desistere peccare 453 a
non potest his fluctibus, qui ex spiritu oriuntur, redundare ibid.

medium locum tenet inter spiritum & malum 141.a
Caro Christi viuificatrix, sed non ex se 160.a. 161.a
Carum esse alicui 188.a
Castitas est munditia cordis 507.b
signum diuinæ prædestinationis 508.a
meretur gratiam 207.a
Castitate deficiente, cætera nihil 508.a
Catechumenorum exhortatio 333.b
Cathari vnde dicti 315.b.532.a
Catholici quibus in rebus cum hæreticis conueniant, aut ab eis dissentiant 870.a
Catholicorum doctorum excusatio 698.a
Catholicis quidnam semper fuerit certissimū 871.b
Cauda hostiæ quare offerenda in altari 486.b
Causa quare Deus nos diligat 187.b
Causa quæ Patres mouit edere decretum de iustificatione 10.b
Causa delinquendi 28.a
Causa alicuius operis quis dicatur 33.a
Causa efficiens maius quid dicit, quam meritoria vel satisfactoria 162.b.& seq.
Causa formalis denominationem tribuit 176.b
Causa formalis vna solum vnius effectus 179.b
Causa finalis alicuius quid sit 175.a
Causa exemplaris quæ sit 173.b
Causa exemplaris nulla est Deo, nisi sua essentia 174.a
Causa vniuersalis influit plus quam particularis 87.b
mouet particularem ibid.
Causa quæcunque qualiter operetur 168.a
Causa quando non potest euinci ex effectu 264.a
Causæ vocantur aliquando nominibus effectuum 414.a
Causæ nostræ iustificationis quatuor 146.a
cur quinque meminerit S. Synodus 147.a
Cautus potest ad tempus vitare peccata 485.b
Cautior in bonis ambulas, si mala non lateant. 284.a
Certa iam olim hodie in dubiū non vocanda 873.a
Certus de sua innocentia nemo potest esse 277.a
Certi propriè solum deue... 2.9.a
Certi vocabulo non semper certitudo fidei exprimitur in scriptura 288.a
Certo moraliter quibus possimus credere 348.a
Certo nullus tenet credere se esse in gratia 273.a.b
certum est, fuisse semper & esse spiritum sanctum in ecclesia 335.b
Certum ex fide, quod est reuelatum, vel ex reuelatis deducitur 270.a
Certam facere electionem, non est certam habere 295.a
Certam habet suam vocationem de sua perseuerantia vsque ad mortem certus ibid.
Certa, non æqualiter certa 230.a
Certa in se, & incerta nobis, & econtrario 229.a.b
Certitudo firmitas quædam 229.a
Certitudo quæ potest competere viatori 263.a
Certitudo quæ nobis potest competere de nostra gratia, pendet ex operibus 292.a
Certitudo ex parte obiecti & subiecti 242.a
Certitudo ex parte obiecti de gratia haberi potest 240.a
Certitudo humana expers omnis hæsitationis 346.a
tollere potest timorem securitati aduersantem 304.b
Certitudo iustitiæ quæ requiritur ad sumendam dignè Eucharistiam 263.a.305.b.306.a
Certitudo fidei omnium maxima 231.a
subesse falsum non potest 349.a 353.a
non requiritur, vt gratias Deo agamus de gratia 284.a
Certitudo fidei de gratia, nobis negata 496.a
merito iustis negata 243.b.244.a & 272.b
Certitudo spei 513.a
Certitudo de spiritu prophetico, non satis est ad certitudinem de gratia 299.a
Certitudo intellectus euidens & ineuidens 230.b
Certitudo intellectus non requiritur ad spem 318.a
Certitudo ineuidens propria fidei 231.a
Certitudo Dauidis & Iob de gratia 296.b
Certitudo moralis de fide infusa haberi potest 315.b
de prædestinatione non potest haberi 512.b
nonnunquam vocatur scientia 240.b
differt à certitudine fidei 353.a
à coniecturali distinguitur 232.b
non aduersatur definitioni Synodi 355.b
Certitudo coniecturalis non est certitudo simpliciter. 334.b.345.a
ab opinione nihil differt 232.b
Certitudo aliqua fidei humanæ infallibilis 233.a
Certitudo aliqua gratiæ possibilis spiritualib 346.a
Certitudo gratiæ male colligitur ex certitudine fidei 315.a
non rectè colligitur ex certitudine spei 317.b
Certitudinis etymologia 229.a
Certitudini morali subesse falsum potest 353.a

Digitized by Google

Certitudinem fidei infusa asserentium duplex expositio 315.a
Certitudinem euidentiæ de gratia, nemo nostrum potest assequi 234.b
Cessatio à peccatis quid 580 b.561.b
propositum ea cauendi comprehendit 577.b. 580.b
Christus virtus Dei 18 .a
fundamentum iustitiæ 201 a
nostræ iustificationis & origo & consummatio 727.
formaliter redemptio nostra 181.b
sacerdos secundum ordinem Melchisedech 158.a
mare & origo fontium 50.a
viator vsque ad resurrectionem 170.b
legislator 40 .b
lator nouæ legis 673.b
author & institutor sacramenti pœnitentiæ 574.b
solus dimisit peccata sine sacramento 821 b
iustificauit Magdalenam sine sacramento 158.a
iustificauit Paulum per suam humanitatem, & iustificat recipientes eucharistiam 166.a
iustitia sua saluabit nos efficienter 293.a
meruit nobis tria præcipua ad iustificationem 153.a
meruit ex iustitia iustificationem nostram, & satisfecit ad condignum 152 b.153.a
meruit sua morte resurrectionem & ascensionem nostram 172.a
mortuus pro omnibus, sed non orauit pro beatitudine reproborum 43.b.55.a
nemini suam damnationem absolute reuelauit 551.a
non exegit fidem Euangelij ante prædicationem illius 100.a
à pœnitentia suam doctrinam auspicatus 110.b 533 b
non recrucifigitur per peccata Christianorum, sed per secundum baptismum 559.b
quare dicatur occisus ab origine mundi 45.b
quare non mortuus gratis 24.b
quare dicatur factus iustitia nostra, sapientia, & pax nostra 180.b.181.a
promissus solis Abrahæ & Dauidi sub iuramento 41.a.b
præcipuam sanctis cognitionem pollicitus est 301.b
venit ad perficiendum actus nostros 545.b
quid obtulerit Deo 155.b
quos appellauerit beatos 501 a
quæ vasa eripuit à dæmone 20.b
sanauit spiritualiter, quos corporaliter 601.a
tanto gloriosior quanto plures liberauit 175.a
spe remunerationis labores crucis sustulit 467 a
spe præmij homines ad virtutes accendebat 375.a
secundum humanitatem contulit vim regeneratiuam 159.b
inquantum homo quinque modis [illegible] nostræ iustificationis 155.a
vt homo, potuit iustificare quantumlibet distantes 164.b
habuit instrumentalem potestatem iustificandi omnes homines 158.a
habuit pleniorem potestatem absoluendi quam sacerdotes nouæ legis ibid.
absoluit ab omni culpa & pœna paralyticum latronem, & Magdalenam ibid b
habuit potestatem ad miracula omnia necessaria instaurationi mundi 159.a
habet plenam iudiciariam potestatem 616.a
habet absolutum & plenissimum dominium omnium rerum 155.b
in iustificationem nostram non vtitur omnibus actionibus & passionibus suis 171.a
Christus omnes virtutes, quia omnes docuit 182.a
Christus nunc pars in singulis, futurus omnia in omnibus 293 a
in quibus sit per virtutem 286.b
quem habitat per gratiā, habitat per fidē 287.a
videbat cogitationes scribarum 161 a
Christus non confundit vocabula 128 b
distinxit venialia à mortalibus 669 a
distinxit præcepta à consilijs 393.b
nunquam vocatus causa formalis 180.a
formalis causa nostræ iustificationis esse nequit 179.b.744.a
Christi beneficia in peccatores 738.a
Christi corpus nunquam potuit mereri 168.a
Christi mortis rei, qui indigne communicant 434 a
Christi iustitiæ imputatio. Vide Imputatio.
Christo maior cura est iustorum, quam nobis corporis 68.a
nulla ægritudo incurabilis 530 a
nulla gratia facta in acceptatione humanitatis 156.b & seq.
Christiani grauiora merentur transgredientes Euangelium, quam Iudæi legem Mosaicam 562.a

Cor

D.

non

E.

Eccl. fid.

Ecclesia nostra descendit à cælesti Hierusalem 373 b
Ecclesia militans, fideles & sancti viri huius mundi 349 b
Ecclesia potestas ad sanciendum leges 753 a
in Ecclesia quidam fuerūt præstantiores alijs 365 b
Effectus vocatur aliquando nominibus causarum 414. a
Effectus vnius tantū est vnica causa formalis 179. a
Effici ex solis viribus naturalibus quid vnde nequeat 900. a
Egere gloria Dei omnes, quid sit 871 b
Electi sunt filij lucis & diei, 21. b
ante passionē Christi eguerunt redemptore 20. b
Electi in sinu Abrahæ, soli pœna damni erant obnoxij 21 b
Electi qui fuerūt certi de sua prædestinatione 498 b
Electis bona terrena quare negantur 510. a b
Electio bona, à bona superueniente intentione, non potest deprauari 469 a
Eleemosyna medicina peccatorum 255. a. b
ab omni peccato & morte liberat 507. a
comparatur oleo 290 a
quid contineat 526. a
Eleemosynarum vis quanta 897 a. 898 a. b
Eleemosyna & fide delicta purgantur 334 b
Elias certus de sua prædestinatione 499. a
Elisæus non habuit Spiritum sanctum abundantius quam Elias 264. b
Enoch aliquando non placuit Deo 700. a
Episcopi ligandi & soluendi potestatem suscipiunt 576 a
Episcoporum authoritas 704. a
Error Origenis 506. a
Armenorum 25. b
Vuiclefi 667 a
Erroris Ioan Hus absurditas 488. a
Error de certitudine gratiæ, affinis errori Catharorum & Begardorum 315 b
Error non habet tantas vires, ac veritas 342. b
Errores, ex damnati in concilio 531. b
Errores damnati in hoc decreto, & in quatuor prioribus concilijs 8. a b
Errores noui cogunt Patres in concilia 8. b
Errores contra sacramentalem confessionem 615. b
contra absolutionem sacerdotalem 633. a
Essentia diuina, causa exemplaris omnium creaturarum 173 b
Euangelium est bona annunciatio 535. b
gratiam & merita Christi comprehendit 722. a
non est promissio absoluta vitæ æternæ 401. a
Euangelij prædicatio cur non computetur inter instrumentales causas gratiæ 748 a. b
Eucharistia confert primam gratiam 306. a. 636. b
Eucharistiam digne sumenti probatio necessaria 236.
Euidentia exuperat fidem in claritate 321. a
Euidentia quæ quam vbi vim habeat 907 b
Euidentia summa, alia a non summa 322. a
Excæcare quos Deus dicatur 910. b
Ex, causam notat 211. b
aliquando cooperationem significat 819. b
quid apud Paulum denotet ibid.
Experientia posse subesse falsum 323 a
Experimentum est fallax 260. b
Experimentum certum gratiæ non satis ad certitudinem 315. a. b
Expositio cap. Debitum, & cap. Apostolicam 337 a

F.

Facere & proponere differunt 600 b
Facere quod in nobis est, quid sit 614 a
Faciens quod concessum est sibi, non peccat 448 a
Falsitas imbecillis 476 a
nunquam sibi constat 651. a
Falsum neque scibile, neque visibile 229 a
Falsum esse nequit, quod spiritus nobis testificatur 241. b
Felicitas comprehensorum omnem veritatem ab Spiritu sancto erudiri 293 a
felicitatis duo gradus 542. a
Fideles omnes membra Christi 186 b
non vi Christum agnoscunt 88 a
Fideles peccatores membra Christi 192 a
Fidelis quicunque potest ex ignorantia peccare absque fidei iactura 275 a
Fidelium diuersitas figuris præfigurata 366. b
Fidelium salutem posuit Deus in potestate sacerdotum 632 b
Fides opus Dei 386. b
accessus ad Deum 200. b. 201 a
habitus infusus 185 b
in intellectu 680. b. 686. b
actus intellectus 101. a
primus motus virtutis 202. a b
fundamentum totius iustitiæ 842. b
ianua salutis 849. b

causa

causa iustificationis 198.b.202.a.211.b
fuit semper, & est communiter necessaria ad iustificationem 104.a.106.a.
donatur, vt principium possit esse meritorium 200.a
docet opera necessaria ad salutem 275.a.b
Fides assentiens. approbatio sine hæsitatione 685.b
disposi. io vtilis & necessaria ad gratiam 103 a
donum Dei gratuitum 207.b.222.b
fundamentum bonorum omnium virtutum 199.b
munimentum omnium virtutum 525.b
fundamentum iustitiæ 198.b 200.a
instrumentum Spiritus sancti 241.b.354 b
principium & origo fiduciæ ad Deum 200.b
signaculum eorum qui iustificātur à Deo 200.a
principium restaurationis 202.a
initium bonæ vitæ 199.b
initium substantiæ 476 a
initium totius boni 202.a
initium vitæ spiritalis 98 b
humanæ salutis initium 198.a.199.a.202.a
dux vitæ 203.a
ianua & via ad vitam 98.b.200.a.b
Fides non est Christiana iustitia 149.a
non est inuida alienæ laudis 194.b
non potest probari inesse alicui, nisi supposita fide 268 a
non supplet vicem sacramenti quo ad characterem & præsentiam corporis Christi 338.a.b
Fides omnium Christus 200.b
statim & maxime petenda à Deo 199 a
viuificat, cum ei iungitur dilectio 118.b
sine operibus ociosa est 148.a
sine operibus exterioribus multos iustificauit 436.b
per seipsam plena est operibus 436.a
Fides primo datur, ex qua cætera impetrētur 199.a
per verbum Dei nascitur, per pacem seruatur, per caritatem nutritur 682.a
exuperat scientiam in certitudine 321.a
concipitur ex auditu 100.a
ex visu confirmatur 201 b
datur etiam non orantibus 2:8.a.526 a.b
concurrit mediate ad certitudinem moralem 3 5 a
extendebat se in prophetis ad facta contingentia 320.a
Fides spiritus instrumentum 241 b
scuto comparatur 525.b
non dat virtutem sacramentis, & quo sensu sancti dicunt fide aliena saluari paruulos baptizatos 196.b
Fides naturale agens 354.b
iustificat impios, & ex peccatoribus facit sanctos 435.b
manet in peccatoribus fidelibus 732.b.791.a
non deperditur quouis lethali 662.a.676.a
eneruis efficitur per peccata 683.b & seq.
Fides vera, nuptiale vestimentum 685.a
omnia necessaria ad gratiam secum adducit 286 a
omnia vitia expellit ibid.b
vniuersa præcepta complectitur 684.b
dupliciter accipitur 685.a
Fides aliquo modo meretur iustificationem 206.b
meretur gratiam bene operandi 208.a
ante opera debet lucere 435.a.b
incipit operari per dilectionem 676.b
bonæ voluntatis & iustæ actionis genitrix 200.a.b
Fides depositum est creditum pastoribus [illegible]8.a
Fides à diuina gratia excitante 99 b
Fides lege præceptum opus 845.a
formatur per gratiam 798 a
Fides quæ impetrat caritatem 208 a
quæ omnes saluos facit, est vna fides Christi 224.a
Fides quæsit, cui scriptura iustificationem tribuit 807.b
Fides, quæ vsitatior theologis [illegible]
Fides sola interdum sufficit ad gratiam [illegible]
sola nemini satis est ad consequendum r[illegible] cœlorum 431.a.b 679.a
Fides potest esse in dormientibus 686.a
potest inueniri sine caritate 678 a
Fides mediatoris statim post lapsum necessaria 4[illegible] a
Fides Christi inculpabiliter ignorari potest 104.b
Fides Christi explicita in præcepto omnibus ibid.a
Fides euangelij omnibus est in præcepto 105.b
Fides diuina latius patet quam Catholica 23[illegible] a
in quo distinguatur à Catholica 241.a
Fides theologica habitus est & actus 686 a
potest præcedere omnem humanam fidem 101 a
Fides Catholica est alia à fide, cui non potest subesse falsum 241 a
est solum de obiecto communi & Catholico 335 b
Fides humana à theologica seiungitur 99.b

Digitized by Google

Fid[illegible]

G.

H.

I.

Igno-

Ioannes

Ioannes cunctis maior 375 a. 379 a
pœnitentia & totius sanctitatis exemplum 658.b
Ioannes Euangelista aquila 489.a
Ioanni Baptistæ sua reuelata perseuerantia 499.b
Iob quintus à Noe 41 a
à Deo & scriptura summe commendatus 244.b
culpa veniali non caruit 700.a
Iob non deliquit in sermonibus suis 448 a
Iob non omnino certus de sua gratia 244.b
Ioel tradidit incertitudinem gratiæ 250.a
Ionas tradidit incertitudinem gratiæ 281.b
Ioseph vsque in finem iustus perseuerauit 486.b
Iouinianus à fide Apostolica damnatus 474 a
Iouiniano consentit Caluinus 730 b
Ira est natura corruptæ & natiuitatis nostræ 17.b
Iram Dei incurrimus per peccatum Adæ 17.b 18 a
Iram suam mitigauit Deus propter pœnitentiam 480.b
Irinæus Polycarpi discipulus 651.b
Isaac certus de sua prædestinatione 498 b
Iudæa terra futuræ ecclesiæ in cœlis typus est 374 a
Iudæi plerique vnde perierint 15
Iudæi sæpe in sacrificijs consequebantur gratiam 26.a
Iudas aliquando fuit in gratia 478.a
non minus, quam alij apostoli diuina gratia regebatur 519.b
miracula diuina magicis artibus tribuebat 513 a 509 a
tanto maioris criminis, quanto maioris meriti
inter reprobos omnes insignis 478.a
peius de peccato pœnituit, quam peccauit 546 a
filius perditionis quare appellatus 478 b
Iudicium Dei semper debemus expectare 257.a
duplex in hac vita 510 b & seq
Iudicium diuinum formidandum omnibus 245 b
cur timebant sancti 761.a
Iudicium simul metuere & habere quid sit 815.a
Iudicium nostrum incertum tribus rationibus 258.a
Iudicij diuini in rigidum & moderatum distinctio 759 b
Iudicium humanum pœnas imponere pro delictis 651.a
Iugo cuiusmodi nos Adæ filij obnoxij 931.b
Iurare licet vera esse quæ sunt certa ex fide 277 a
nemini licet, se esse in gratia 354.a
Iurans tenetur iurare ad intentionem eius, cui iurat 277.a
Iustus fit iustior per susceptionem sacramentorum 375.b
habet ius ad vitam æternam 755.b.
subiectus vitijs & peccatis 451.b
non in omni opere venialiter peccat 437.b
patientia probatur 51 b
quare nunc flagellatur 510 a
Iustus quid aut quantum mereri possit peccatori 884.b
Iusti suam propriam iustitiam recipiunt 180.b.
sunt bona arbores 432.b
possunt multa bona opera facere per solam gratiam gratum facientem 323 b
vere proficiunt in iustitia, idque per omnia bona opera 358.a.375 a 751 b
arctius adstricti mandatis 430.a
facilius possunt implere mandata ibid.
seruant mandata, & immaculati dicuntur, etiam si incidant in leuia peccata 428.b.429.b. 708 b
venialibus obnoxij 255.b
per Dei gratiam possunt vitare omnia venialia 711.a
à mortalibus possunt abstinere 662 a 720 a
à mortalibus abstinuerant 720.a
debent agnoscere semper infirmitatem suam 429 a
semper possunt peccare 407.a
indigent Dei ope ad perseuerandum 514.b
non deseruntur à Deo, nisi prius deserant ipsum 450.a
non sunt æquales in gratia, neque erunt æquales in gloria 358 a.369 a.375.a
non tam sunt sub lege, quam in lege 39 .a
non tenentur adhibere fidem testimonio Spiritus sancti, antequam innotescat 281.a
non tenentur certo credere suam iustificationem 185 b
permulti non crediderunt se esse in gratia 302.b
possunt habere certitudinem de sua gratia 511 b
experiuntur in se effectus gratiæ 313.b
perseuerare possunt per aliquod breue tempus in gratia 523.b
merentur ex congruo gratiam & conuersionem peccatorum 209 b.565 a b
possunt Dei gratiam amittere 480.b. 483.b. 363 a 544.b 730 b
possunt quocunque instanti vitæ perdere gratiam 605 b
possunt negare Christum 487 a
ignorant pleraque scitu dignissima 293 a
possunt certa fiducia postulare necessaria 310 b

Iustitiam acceptam nemo perdit, nisi ex culpa sua 531.b
Iustificatio est iusti effectio 59.a
est proprium opus Dei 273.b
complectitur beneficia quatuor 57.b.58 a 63.a. 192 a.745.b.746 a
plus complectitur, quam remissionem peccatorum 745.a
debetur ex lege conuertenti se in Deum 210.a.b
nequit stare sine mandatorum obseruatione 271.b.272 a
eripit nos à dæmonis potestate 21.a
huius via non extinguit fomitem 517.a.b
innotuit quibusdam sanctis vi[illegible] 234.b
tribuenda potius dilectioni Dei, martyrio & orationi quam fidei 844.a
cur fidei potius quam alijs virtutibus in scriptura sæpe tribuatur 848.a
Iustificatio prima quid sit 71 a
nemini contingit ex merito suorum operum 386.a.b
Iustificatio actiuè & passiuè accipitur 60.b
actiuè quid sit 71 a
Iustificatio nostra, finis aduentus filij Dei 38.a
præmium mortis Christi 17[illegible].b
à Deo solo, nobis tamen consentientibus 89.b
adoptatio quadam est in filios Dei 176.a
ordinatur ad gloriam Christi 174.b.175 a
redundat in gloriam Christi 175.a
profluit à misericordia diuina [illegible]70.a
subest nostra potestati [illegible]5 a
tribuitur Spiritui sancto 551 a
quare ignota 559 a
Iustificationis essentia 57 a
variæ acceptiones 59.b.60.a.b 745 a
Iustificationis præcipuæ causæ 146.a
præparatoria nosipsi ibid.
Iustificationis nostræ causa finalis vltima, Deus. 146.b.147.a.151.a.174.b
exemplaris, Christus 146.b.173.b
meritoria, Christus 146.b.160.a
efficiens, Christus 167.b.180 a
finalis, Christus 174.b
principalis, solus Deus 160.b
formalis, qualitas creata permanens & inhærens 186.b
materialis, nosipsi 146.b
ministerialis, sacerdotes 148 b
instrumentalis, baptismus ibid.
Iustificatio omnis nostra tribuenda Christo post Deum 32.a
Iustificationis potest reddi aliqua causa ex parte nostra 218 a
Iustificationis doctrina sedulo discussa 12 a
Iustificationis doctrina totius summa 16.b
ad iustificationem quæ concurrant 842 b
in iustificatione simul accipit homo fidem, spem, & caritatem 148.a
de iustificatione secunda dicta, transferri queunt ad primam 382.b
Iustificatur nemo, nisi propter Christum [illegible]44 b
Iustificatur quisque tanto plenius, quanto melius se disponit 142.a.b
non iustificantur omnes per Christi [illegible] efficaciter 166 a
Iustificamur per caritatem magis quatenus gratia est quam quatenus caritas 58 b
Iustificare impium pro muneribus 60 a
Iustificari à Deo qui meruerint 16.
Iustificari possumus & saluari sine fide Christi explicita 105.b
Iustificari dicitur, qui proficit in iustitia 60.b & seq.
Iustificari idem quandoque est, quod absolui à peccatis 745.a
Iustificari gratis 198.a b
Iustificari gratis, & sine meritis, idem 198.b. 204 a
ex gratia, & non ex operibus, tantundem 204.a
Iustificari ex fide, & ex gratia, differunt 845.a.b
Iustificari ex fide, & iustificari ex fide sola, differunt 824.a b
Iustificari ex operibus, & iustificari ex gratia, aduersantur 204 a
Iustificari sine operibus quid sit 810.a
Iustificari absque operibus, cur synodus non explicuerit quid sit 221 b
Iustificari absque meritis & sine operibus 204 b
Iustificari nequeunt ratione vtentes sine interiori ipsorum dispositione 235.a
Iustificandi potestas fuit libertati Christi subiecta 165.a
Iustificatus quomodo mutetur 65.a
Iustificati ex donis Dei, possunt aliquam certitudinem de sua iustificatione habere 353 a
Iustificati accepti ad vitam æternam 643 a
non sunt liberi à mandatis 398.a b
omnes habent fidem infusam 185.a

possunt

possunt etiam in perpetuum amittere suam iustificationem 488.a
si moriantur nullo tempore indigent, vt consequantur beatitudinem 432.a
Iustificati ex meritis, ex debito iustificarentur 205.a b
Iustificari gratis, non excludit fidem neque opera 824.a

L.

Labor ad molestias vitæ refertur 407.a
Laborare nos hic incommodo triplici, & quali 931.b & seq.
Lachrymæ testes dolorum 598 b.612 b
plurimum valent cum confessione 628 a
vnde procedant 598 b
Lachrymæ piæ signum prædestinationis 503.a
Lachrymæ sanctorum triplices ibid.
Lachrymarum vis quanta 92 .b
Lapides onychini super humeralis 24 b
Lapsus a sacerdotali officio resurgere potest 54[illegible].a
Lapsus animæ fidelis plus lugendus, quam ruina templi Salomonis 186 a
Lapsi reparatio perfecta difficilior renouatione. 558 b
Lapsi omnes possunt semper hic reparari 530.a 533.a 544 a
Latro magis amauit Christum in cruce, quam Iudas in cœna 436 a.b
Latronis pœnitentia 436.b.599.b.606.a
Lepræ emundatio est pœnitentia 650 a
Lex iusto necessaria 400 a
in adiutorium nobis data 724.b
sine gratia litera sola est 725 a
per literam iubet, non per spiritum iuuat 25.a
præcipiebat adultis fidem ibid.b
non seruatur sine fide Christi 200.a
non est perfecta nisi omnibus aduersetur peccatis 690.b.& seq.
non potest dici, quæ non obligat eos qui sub ipsa sunt 403.a b
damnat factum non aufert malitiam 836 b
Lex sæpe pro lege Mosaica accipitur 828.b
Lex quo modo apud Paulũ accipienda 826.b & seq.
Lex diuina neque abstulit neque variauit legem naturalem 697.b
Lex noua iustificat 26.b.722.a
Lex vetus, cur lex factorum sit dicta, & nostra lex fidei 825.a
Lex Dei tota est possibilis 711 a
Lex naturalis ante legem Mosaicam à multis seruata 407.b
Lex amicitiæ est inter Deum & iustos 349 b
Lex supplicandi legem statuit credendi 541.b
Legis literæ efficacia 198.b 832.a
Legis effectus 832.a
Legislatorum numerus 349.a
Legem Dei non Deus, sed nos cum ipsius numine implemus 422.b
ad legem iustitiæ qui perueniant 220 a
in lege Domini ambulant omnes iusti 702.a
sub lege non sunt. qui spiritu Dei ducuntur 404.a
Leges positæ propter peccatores 403.a
Liber de Ecclesiast. dogmatibus, non est Augustini, sed Gennadij 76 b
Liber consensus quis 740.a
Libertas fundamentum meriti 796.b
Libertas vera, vbi spiritus Domini 404.a
Libertas & gratia necessaria adulto ad iustificationem & simul ad eam concurrunt 84.b.739.a
non ex æquo concurrunt 85 a.b.86.a
Libertas nostra probatur & explicatur 29.a.b.30.31 521.a
non tota à iustitia originali 28.a
Libertas triplex 740.a
Libertas iustorum 404 a
Libertas quæ in quam nos seruitutem egerit 872.a
Libertatem habemus respectu eorum, in quæ non sufficimus sine influentia generali 34.a b
Libere nos mouemur in Deum per fidem 99 b
Liberum est quod gratia sui est 404.a
Liberum arbitrium attenuatum, non extinctum per peccatum 17.a 27 a.36.b
non sufficit ad gratiam 86.a
esse captiuũ qualiter intelligendũ 409.a.741.a
Liberi arbitrij hostes 28.b
Liberi arbitrij locus Eccles. 15. quomodo intelligendus 905.a b
Locus paratur, si ex fide viuatur 370 a b
Locus è Psalmis quis quomodo intelligendus 892.b.896 a.b 917.a
Lucifer discordiæ author 509 a
propter superbiam eiectus à cœlo 501 b
fuit in gratia, sed non perseuerauit 478.b
Lumbos præcingere quid sit 508 a.b
Lumen naturale indicat nos esse liberos 3[illegible].a
docet præcepta esse possibilia 411.a
docet non satis esse ad iustificationem certis uti[illegible] de ipsa 2[illegible].a

Digitized by Google

distinguit venialia à mortalibus 672.b
ostendit alia esse peccata præter infidelitatem 675 a
ostendit Deum solum esse causam efficientem nostræ iustificationis 150.b
Lutherus vtitur vocabulis, quibus neque scriptura, neque Patres sunt vsi 647 a
hæresin sepultam in lucem reuocauit 806 b
Lutheri error 404.b
blasphemia 358 b.427 a
inconstantia de fide 676 b
tres lapsus 449.a
sex lapsus 452.a
octo contradictiones 32 a. 421.a. 433 b.441.a. 453 b.459 a.b.648.b
Lutheri argumenta omnia futilia 434 a
error de iustitia imputatiua 177.b
Lutheranorum error 416 a
Lutheranorum fides, qualis non est in Paulo intelligenda 801.b

M.

Mali cum ad sacramenta non admittantur, ad cœlum multo minus 815.a
cur puniantur citra condignum 436.a b
Malum est, ex circumstant a 439.b
Mala quæ non displicent. complacent 122.b
Malcho quare Deus restituit auriculam 542.a
Maledictum cur aliquem afferat Hieremias 904.b
Maledicto obnoxij qui 902.b
Manasses sæpissime idololatriam patrauit 539.b
restitutus in regnum propter pœnitentiam ibid.
Mandatum: Non concupisces, exponitur 413 a
Mandatum diligendi Deum, exponitur 418 a
seruatum à multis 421.b.455.a
Mandatum nouum Christi 417.a
Mandatum maximum 399 a.900.b
Mandata minima dupliciter exponuntur 393.a
grauia à non grauibus in quibus dignoscantur 397.a
Mandata generatim omnibus data 397.b & seq.
ad subditos & seruos diriguntur 400.b
distinguuntur à consilijs 392.b.393.a.395.b
Mandata seruare necessarium ad perseuerandum
nolle seruare, nisi propter beatitudinem illicitum 470.a
se seruasse vere dixit adolescens Euangelicus 298 a
Mandata, omnia necessaria ad vitã æternam 72.b
Mandata omnia diuina moraliter non possumus implere in hoc statu 27.a
ante Christum à multis seruata 407.b.& seq
Mandata possibilia peccatoribus 425.a.b
Mandata nobis impossibilia sine gratia Dei 23 b. 409.a
Mandata, parum difficil a, sine gratia possumus implere 27.b
Mandata proprie & large 392 b
Mandata Dei vtilia 545 b
possibilia 406 b.521 a.54..b
homini iustificato possibilia 400 b
ad omnes spectant 400 b
Mandata Dom ni clariora quam ea quæ necessaria sunt ad consequendam remissionem peccatorum 247 a
Mandata ecclesiæ & ciuilia, vere & proprie sunt mandata 392 a
Mandata Dei, cur toties à Dauide iustificationes sint dicta 900.b
Mandata Dei non seruari absque gratia gratum-faciente 935 a
Mandatorum seruatio possibilis natura 23.b
Mandatorum omnium impletio ad vitam sufficit æternam 425 b
Mandatorum & consiliorum tenor idem aliquando 395.b
Mandatorum Dei hic non est perfecta custodia 400.a
Mandatorum decalogi necessitatem non apertius nobis tradit vetus testamentum quàm nouum 721.a
de mandato diligendi Deum sententia Aug. 778 b
Mandatis non conueniunt tropi 416.a
Mare rubrum significat aquam baptismi 333.b. 840 b
Maria aduocata nostra 377.a
socia Christi 704.a
Maria virgo caruit originali 22 a
nullum admisit peccatum 703.a.b
redemptione magis indiguit quam cæteri 23.a
agnouit se supra cæteros exaltatam 366.a
habuit reuelationem suæ prædestinationis 497.a
Maria virgo & mater Domini profecit in gratia post conceptionem filij Dei 360.a
Martyr verus non æquandus falso 342.b
Martyres non possunt esse certi de sua pœnitentia 121 b

Merita, quibus gratia datur, gratia nobis communicantur 218 a
Merita bona à fide incipiunt 218.b.311.b
Merita ex congruo insinuauit Magister 224 a
non sunt dicenda merita simpliciter 225 a
non sunt negata, nec asserta ab Ecclesia 217.b
Merita stricte, quae ex proprio habemus 22 .a
Merita non praeueniunt gratiam 872 b
Merita vbi omnia necessario conticescant 882.b.& seq.
Merita hominum, mere gratuita esse dona 930 b
Merita non omnia, gratiae aduersari 894.a
Merita ex congruo quotuplicia aut qualia 877 b
Meritorum Christi efficacia 445 b
Meritorum nostrorum causa, gratia Dei 853.b. 854 a
de meritis operum religiose loquendum 866.a
Meritis proprijs qua cum diffidendum 775 a
Metanœa est transmentatio 597 b
Metus quare suadeatur 648.a
Mileuitani Concilij laus & authoritas 901 a
Minister infidelis Euangelij quis 251.b
Miraculum conuersionis aquae in vinum quare B. Virgo petierit 706.a
Miracula in communi sunt trium personarũ 551 a
Misericordia est alienae miseriae compassio 3[illegible] a
meretur misericordiam 106.b
semper aedificatur in vnoquoque 515 b
animam confirmat 506 b
Misericordia diuina superior omnibus omnium peccatis 546 a
Misericordia Dei multiplex sub ratione lapsis humanis 541.b
Misericordia in proximos, signum praedestinationis 506 a
Misericordiae virtus quanta 870 a.b
Misericordiam Dei mereri non poterit, qui hic miseri. ors non fuerit 106.a 507 a
Missa sacrificium 749 a
Mites qui dicantur à Christo 501.b
Modus proficiendi in iustitia 43.a 357 a
Modus aliquis non necessarius in dolore, vt reconciliet nos Deo 607 a
Mœror amaritudinis placet Deo 539 a
Monachus quid debeat lugere 486.
Monogamia melior quam digamia 367.a
Mors erat non martyrij 341 a b
Mors Christi quanti valoris 559 a
Mors fidei est separatio caritatis 682.b
Mors inferni superat omnes mortes 564.b
Mors animae prima priuatio gratiae: secunda, damnatio aeterna 664.a
in mortis articulo ad iustitiam Christi recurrendum 775 a
Mortem Christi qui participent 43 b
Mortem subire pro Christo non satis ad salutem, si fiat sine caritate 341.b.& seq.
Mortale est reatus cui quantum est in se solum debetur aeterna damnatio 697 b
reum ad damnationem facit est 672 b
Mortale quantum offendat Deum 674 b
Mortale potest contingere in effectu mercenario ad beatitudinem 471.a
Mortale ab euẽtu, causa, & propria ratione 664.a
Mortalia dicuntur, quae dirimunt gratiam 677.a
sunt, quae grauiter repugnant caritati 689 a
iustificationẽ tollunt, & gratiae repugnant 429 a
omnia confiteri necessarium 630 a.b
omnia multi confitentur in ecclesia 632 a
in poenitentia fiunt venialia 664.a
possunt tota vitari, & a multis vitata sunt. 698 b
Mos & existimatio communis quam vim habeat 914.b
Moyses certus de sua gratia 299.a
certus de sua perseuerantia 499.a
mitissimus super omnes homines 503 a
adspiciens in remunerationem, negauit se esse filium filiae Pharaonis 466 a
de promissione Domini h sit nihil 700.b
peccauit ad aquas contradictionis 4[illegible]0 a b
bis confessus peccatum suum 558 b
Moysi orationis pro Israelitis vtilitas 546.b
Munditia cordis signum praedestinationis 507 b
Munditia cordis duplex ibid.
Mundus quare indiget misericordia Dei 4[illegible]6 a
Mutatio vera quae sit 383 a

N.

Nabuchodonosor mitius punitus quam Pharao 91 b
propter poenitentiam recuperauit sensum, honorem, & regnum 539.b
Natura nostra non sufficit proprijs viribus ad martyrium & similia opera 342.a b
Naturalia manserunt integra in daemonibus 27.b
qualiter manserunt integra ibid.

Natu-

Naturaliter gentes facere ea quæ sunt legis, qui intelligendum 906.b.907.a
Nauis gubernaculo carentis, & hominis gratia destituti, lepida collatio 941.b
Necessitas perseuerandi in gratia 524.b.526.a
Necessitate & naturaliter non permittuntur opiniones nostræ 30.a
Necessaria vt iustificemur, quæ aut quot 900.b
Necessitas gratiæ ad implenda Dei mandata, qualis 934.b 935.a
Necessaria ad iustificationem nostram, quæ aut qualia 900.b
Nemo se amari diffidat, qui iam amat 128.b
tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit 406.b
Nemini quandiu hic viuit, salutis viam esse præclusam 939.a
Neminem iustificari meritis suis 872.b
Neminem Deo tribuisse aliquid, vt mereretur gratiam primam 873.a
Neminem in eo quod caueri nō potest peccare 905.a
Neminem absque peculiari gratia Dei posse, quæ credenda sunt, credere 908.a
Neminem rectè agere absque gratia posse 930.b
Neminem peccare in eo, quod vitare nō potest 939.a
Niniue vitæ incognitæ coronam per pœnitentiam accepit 539.b
Nomini Saluatoris cur adiungatur nomen Dei. 150.a
Nouatum inter fictor pœnitentia 531.b.538.a
Nuptiæ sunt licitæ 394.b

O.

OBedientia Abrahæ, causa promissionis incarnationis 732.b
Obicem ponere sacramentorum effectui quid 122.b
Obicem ponere gratiæ sacramenti quid sit 266.b. 640.a
Obicem ponere suis orationibus 294.b
Obicem non ponere secundum Scotum 264.a
Obseruantia mandatorum quo necessaria 900.b
Obseruationem mandatorum Dei nobis esse possibilem 905.a.b
Obstinatio graue peccatum 390.b
Occasiones seu ansæ, quibus peccatores ad gratiam trahantur, quæ aut quales 870.b
Oculi sani, & hominis iustificati lepida & efficax comparatio 943.b
Offensa tanto grauior, quanto maior assensus 531.a
Offerre quod non debeas, maioris gratiæ, quam reddere quod exigaris 366.b.394.b
Officia gratiæ & caritatis 207.a
Officia virtutis apud barbaras etiam nationes laudi semper fuerunt 446.b
Omnes egere Dei gloria, quid sibi velit 871.b
Omnia cur bona Deo ascribenda 932.a.b
Onus ad pondera & vincula legum refertur 407.a
Opus idem, bonum & malum esse simul nequit 439.b
in nouo testamento magis meritorium, quam in veteri 368.a
Opus ex suo genere bonum non inficitur peccato ei coniuncto 141.a
Opus differt ab operis voto 131.b.134.a
non est perfectum, quousque procedat ex habitu 186.a.b
Operi nostro quid satis sit, vt non sit peccatū 456.a.b
Opera pedissequa fidei 415.a
per se nunquam quenquam iustificarunt ibid.b
sequentia ex dilectione Dei non impediunt, ne feramur in Deum toto corde 455.a.b
ad iustificationem consequendam & retinendam requiruntur 806.b.& seq.
quòd sint meritoria, vnde sit 857.a 858.a 865.b
quo respectu ex condigno mereantur beatitudinem 865.b
Opera quæ in iustis & peccatoribus sunt mala 452.a
quæ appellanda sunt beatitudines 501.a
quæ sancti excludunt, cum fidei videntur tribuere iustificationem 436.a
quæ Deus facit concursu suo speciali, propria opera Dei appellantur 87.b
quibus Deus placatur, carent omni culpa 442.a
quibus adulti disponuntur, sex 84.b
Opera eximia indigent speciali auxilio, non autem quamuis bona 27.a 751.b
Opera facta in peccato sunt proficua 139.
facta à peccatoribus, non merentur ex condigno gratiam præuenientem 98.b
Opera externa vnde procedant 417.a
cur à nobis requirantur ibid.
Opera in filiis seruis Dei necessaria 433.b
Opera iustorum non omnia peccata 437.a.b 692.b
sunt augendæ iustitiæ 752.a
habent suum valorem à gratia 756.a
sunt magis meritoria, quia sunt membra Christi, quam alias essent 68.a
non vitiantur intuitu mercedis æternæ 465.a. 734.b

dupl. ici.

duplicititer considerantur 863.a
Opera bona iustorum, m igna meritoria remunerationis 729.a.771.b
merentur beatitudinem 768.b
Opera bona ex fide esse, non ex operibus fidem 896.b
Opera bona quam sint diuersa & differentia 932.b. & seq.
Opera nostra bona pracedentia iustificationem, à gratia gratis data proueniunt 219 a
Opera nostra non omnia indigent misericordia diuina 460.b
Opera nostra multa pœnas aternas non merentur 693.b
Opera nostra placere Deo est minus, quam placere nosipsos 258.b
non possunt mereri iustificationem 198 b
Opera aliqua non possunt vitiari à fomite 452 a
Opera legis qua intelligantur 384.b
Opera caritatis pietatis, & obedientia ad iustificationem nimium conducunt ibid.
Opera diuinitatis in Christo, distincta ab operibus humanitatis 161 a
Opera Dei ad iustificationem concurrentia, triplicia 67 a
Opera perfectorum quomodo multis imperfectionibus coniuncta 462.b & seq.
Opera peccatorum etiam infidelium, non omnia sunt peccata 158.a.141 b
Opera peccatorum indigna gratia 23 b.217.a
Opera qua, qui ex congruo meritoria 893.b
Operum nostrorum valor ante gratiam exiguus 198.b
Operationi bona an & quam sit necessaria gratia 926 b.927.a
Opinio tenet medium locum inter dubium & certitudinem 234 b
Opinio S. Thoma de virtute operationum Christi 166.a
Opiniones varia de peccato in Spiritum sanctum 549.a
Oportet, aliquando praceptum, aliquando necessitatem indicat 130 b
Orare quid cur potissimum oporteat 903 a
Oratio necessaria ad perseuerandum 526.a,b
non est necessaria dispositio ad gratiam 136.a
aliquando sufficit ad iustificationem ibid b
extorquet clementiam creatoris 519.b
in habente affectum peccandi inutilis 136 b
inter dona Dei computatur 892.a
qua complectatur 526 a
Oratio Christi ad opera miraculosa 136.b
Orationis virtus 136.a
necessitas 426.a.618.b
Orationis virtus quandoque pertingit ad indignos 545 a
Orationis iustorum magna virtus 209 b.210.a. 546 b.565.b
Orationis seu precationis quanta necessitas 903.a.b
Orationi promissa remissio peccatorum 546.a
Orationes Ecclesia cur clauduntur verbo. Per Christum &c. 48 a
Orationes parentum quatenus valeant paruulis non baptizatis 82.a
Orationum & eleemosynarum vis 898.b
Orationibus iustorum non debetur ex condigno iustificatio illorum pro quibus orant 210.a
Orandum pro infidelibus 500.a.b.541.b.& seq.
Ordo summum bonum vniuersi 508 b
Originale dimittitur per baptismum 636.a
Originalis peccati quantus sit reatus 871.b
Osculari duos pedes Domini quid sit 328.a.b.
Ouis coram Deo qua aut quis sit 920.a

P.

PActum inter Deum & Adam 17.b.22.a
Parentes admonendi, vt orent pro filijs in vteris maternis agentibus 82.a
tenentur curare vt filij baptizentur 73.a
Paruuli baptizantur in remissionem peccatorum 22 b 193.b
decedentes sine baptismo damnantur 77.a.b. 194.a
non iustificantur fide propria 194.a
indulgentius iustificantur quam adulti 216.a
Paruuli baptizati quomodo fide aliena iustificentur 196.b 201.b
non baptizati non dicuntur impij 77.a
Paruulo habenti minimam particulam sui corporis extra vterum, subueniri potest per baptismum 81.b.82.a
Pascha is encomia 169.b
Passio Christi effecit salutem nostram 467 b
causa meritoria iustificationis nostra, beatitudinis, resurrectionis, & ascensionis 172.a
ad hoc valuit, vt minores pœna exigantur à iustis pro suis peccatis quam alias 755 a b
ad quid prasentanda semper patri cœlesti 774 b

Passio

filij Dei, & qui diaboli 490.b
peccatum delet Dominus, sed sine vltione non deserit 647.a.b
quod per pœnitentiam non deletur, mox trahit ad aliud 347.a
peccatum omne contra Dei mandatum præsumitur 691.a.b
in ministerio fidei abluitur 542.a
violatio aliqua præcepti, Non occides 594.b
iniquitas est 442.b
voluntarium est 707.b
inobedientia est, & à contemptu mandatorum originem trahit 406.a.459.b
peccatum Adæ sex malis obnoxios nos fecit 17.a.b
peccatum originale est propria cuiusque iniustitia 44.b
fuit in nos transfusum per transgreßionem præcepti negatiui 22.a
peccatum originale nostrum, non est peccatum Adæ 44.b
peccatum mortale, à morte sic appellatur 664.a
repugnat gratiæ 258.a
absque actu proprio non potest dimitti 135.b
peccatum veniale, à venia sic appellatum 664.a
peccatum in Spiritum sanctum quod sit 550.a
non dimittitur, sed est irremißibile secundum legem 553.b
peccatum ad mortem quid sit 548.a.563.b.564.a.565.a
peccatum ex malitia grauius puniendum 374.b
peccatum quoduis, aliqua macula mentis 702.b
dignum perpetua ira 23.b
peccatum, quod inest post baptismum, non potest deleri sine pœnitentia 266.a
peccatum non est, vbi non est legis transgreßio 438.b
peccati cicatrix 652.b
seruitus 18.a
peccati rubigo tanto magis consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne crematur 128.b
peccato superstitionis qui peccent 332.a.b
peccato infidelitatis quando quis obnoxius 104.b
peccata sunt tenebræ 438.a.813.a
dicuntur auersiones à Deo 84.b
propriè non possunt esse inuoluntaria 668.a
cur vitare nolunt homines 719.a
cur nullus omnia vitauit ibid.
quantum homini noceant, & quomodo statim pellantur 65.a
misericordiæ meritis purgantur 206.a
peccata retinere quid sit 634.b.807.b
tandiu retinentur à Deo, quandiu retinentur à sacerdote 619.a
remittuntur baptismo & pœnitentia 575.b
quando verè remittuntur 634.b
peccata quæ non vitarunt Apostoli, poßumus nos vitare 719.a
peccata necessaria & inuoluntaria quæ dicantur 779.b
peccata alia præter incredulitatem 401.b
peccata alia magna, alia parua 440.b
peccata magna, magna delebit misericordia 250.a
grauia, grauißimis lamentis indigent 608.b
peccata iustorum culpabiliora 431.a
peccata Christianorum grauiora quam aliorum Iudæorum, & aliorum infidelium 430.b.43[illegible].642.b
Iudæorum maiora quam gentilium 430.b
peccata Ecclesiasticorum grauiora 431.a
principum & prælatorum grauiora i[b]id.
peccata omnia post baptismum materia sunt confeßionis 6[1]5.b
omnia non merentur æternas pœnas quo ad intensionem 69.b
peccata omnia, esse voluntaria [5]39.a
peccatorum varietates detegendæ sacerdoti 6[1]5.a
in peccatis leuioribus multa difficile remittuntur. 552.b
peccator est à propria culpa 4[1].b
aliqua creatura fruitur 126.b
aliquando iustificatur ad solam admißi peccati detestationem 597.a
momento quouis potest facere totum quod in se est 605.a
non potest celare peccata sacerdoti prudenti de eis quærenti 621.a
per veram pœnitentiam semper potest reparari 428.a
potest omnia & singula seruare præcepta ibid.b
peccator nullus potest esse certus de remißione suorum peccatorum 277.b
peccatoris nomen de libro vitæ deletur 632.a
peccatorum lapsum reparari, quam sit iustum 885.b
peccatores differunt à iustis 313.a
non sunt vasa aurea, neque argentea 365.b
templa dæmonum 454.a
operantur aliqua bona 449.b
admonendi vt bonis operibus incumbant 98.b

suis bonis operibus inclinare valent diuinã bonitatem, vt ad fidem trahat eos 98 a.b
non suis viribus, sed Dei misericordia saluantur 221.a (205.b
nullo opere promerentur gratiam iustificationis
mereri possunt ex congruo gratiam iustificantem 208.b
non possunt diu perseuerare in mortali, quin transgrediantur aliud praeceptum 425.b
possunt aliquando Deum perfectius cognoscere quam aliqui iusti 301.b
quomodo auertantur à Deo 84.b
in multis resistunt Deo 30.a
faciunt multa contra voluntatem Dei ibid.
in dies peiores fieri possunt 363.b
veris comminationibus deterrendi, non fictis 556.a
gratiam adepti tenentur ad pœnitentiam 592.b
peccatores fideles non sunt viua membra Domini. 192.a.b
peccatores omnes iustificantur gratis 213.b
omnes non crucifigunt Christum 559.b
peccatores aliqua ex parte qui 453.b
peccatores quomodo ad gratiam trahantur 870.a
peccatoribus quæ duo potissimum necessaria ibid.b
non peccare, est legis præcepta seruare 447.b
Pelagius quam vbi propositionem anathematizare coactus 901.b
Pelagius quid vbi reuocare compulsus 930.b
Pelagij de dilectione Dei hæresis qualis 914 b
Pelagij tres errores circa condignitatem operũ 217.
Pelagianorum error 868 a
per, causam notat 193.a 211.b
perfectus quis dicatur 420.a
perfectus quiuis adstrictus legibus 399.b
perfectiones naturales non omnino ablatæ 28.a
periculum certò credentis incertis 230.b
pericula & labores huius vitæ 517.a
periculis nos vndique quantis obnoxij 932.a
perseuerantia quæ qui obtineatur 945.b
perseuerantiã via an & quomodo quis mereri queat 946 a
perseuerare absque Dei gratia non possumus 27.a. 475 a.513.a.517.b
perseuerantia donum Dei 497.b.518 b 520 b
omnibus incerta, nisi Deus eam reuelet 475.a.b. 495.b
perseuerantia in gratia non potest haberi nisi à Deo 513.a.b
in bono vsq; ad mortẽ omnibus necessaria 487.b
vsque in finem datur orantibus 526.b
perseuerantiæ donum iusti promereri possunt 528.a
amitti contumaciter non potest ibid.
persuasio iustitiæ non sufficit ad iustitiam 316.a. 676..a
persuasi possumus esse de falsis 229 a
peti à Deo quid iustissime omnium possit 885.a
Petrus tradidit incertitudinem gratiæ 250.b
non perstitit in gratia 480.a
timore seruili compulsus fuit Christum negare. 115.a
peccauit in filium hominis, cum negauit Christum 550.b
quare ad trinam interrogationẽ tristatus 258.b
Petrus & Paulus præcellentiores alijs Apostolis 371 a
Petri fletus satis ad veniam 599 a
Petri sententia præcedit sententiam poli 637.b
Pharisæi vere peccauerunt in Spiritum sanctũ 553 a
pharmaca quæ quibus conueniant, quis inter omnes norit optime 870.a.b
philosophi tumidi cur perierint 15.
Plebis ad seu apud Deum oratores sint legati, qui. 920 b
plenitudo nostri temporis beata 39.a
pluralitas beneficiorum ecclesiasticorum illicita. 271.b 272.a
Pœna simpliciter non respondet, nisi peccatis simpliciter 690 a
pœna maior debetur maioribus peccatis 656 a
pœna mortis signum præcepti 589 a
pœna mortis adiecta legibus veteris testamenti, indicabat eas obligare sub mortali 72 a
pœna damnatorum non erit æqualis 374 a
pœna inferni cur constituta 111.b
pœna peccantium acerbiores post susceptum baptismum 560 b
pœnitendi modus 653 a
pœnitens rectè, quid facere debeat 608.b
pœnitentiæ dolor, quis seu qualis esse debeat 936.b
pœnitentia, præterita mala plangere &c. 124 b. 580.b.581.b.596.a
initium reuertendi ad Deum 122 b
odium & detestatio peccatorum propter Deum. 121 a
est bonorum pœna quotidiana 597.b
est vindicta puniens 649.b
pars iudicij 626.a
medicina magna 530.a.540 b

Digitized by Google

vita animæ 541.a
causa iustificationis 212.a
secunda tabula post naufragium 599.b
dicit respectum ad præteritum 586.b
habet duas facies 596.a
differt à baptismate 530.a.b.747.a
imitatur baptismi gratiam 600.a
necessaria ante baptismum 122.a.271.a
necessaria etiam obtenta gratia 130.a
necessaria vt plurimum peccatoribus, non iustis 592.b
præcepta peccatoribus 588.a
subest potestati peccatorum 541.a
secundum conscientiam exhibenda 608.b
actu agenda, non verbis 652.a.b
opere & veritate facienda 608.b 610.a
nulla, si iterentur peccata 601.a
sola sufficere potest ad remissionem peccati 117.a
non est sola noua vita inchoatio 582.a b
non est peccatum 443.a
non iustificat ex opere operato 646.b
non sanat absque proprio motu 574.a
non requirit certam intensionem 606.b
non vitiatur spe mercedis æternæ 468.a
post caritatem magis ad iustificandum respicitur à Deo 144.b
maiorem virtutem habet modo, quam in lege naturæ vel scripta 545.a b
peccata principaliter extinguit 584 b
iustificat 206.a
remittit culpam & pœnam æternam, non tamen mox temporalem totam 530 a
valet ad sananda omnia peccata 542.a
sarcit potius, quam renouat 558 b
quibus egeat 653.a
requirit prioris vitæ detestationem 582 b
vt placeat Deum, ex fide spe, & caritate procedit 598.a
Pœnitentia à Christo instituta, quinque in se complectitur 530.b
Pœnitentia de peccatis, propositum cauendi futura includit 596.a 598.b
Pœnitentia, non fides, in iustificatione primas tenet 84..b
Pœnitentia feruens quid faciat 609.b
Pœnitentia ex timore vtilis 614.b
Pœnitentia vera, cessare à peccato 580.a
odium peccati, & amor Dei 597.b
venia quadantenus meritoria 206.b
constat ex quinque 530.a
Pœnitentia vana, vbi emendatio nulla 601.a
Pœnitentia tepida signum imperfectæ displicentiæ 609.b
Pœnitentia publica de peccatis publicis 623.b
Pœnitentia nostra, velut actus Christi à Deo computatur 545.b
Pœnitentia minor non sufficit ad gratiam ante baptismum, quam post 277.b.278 a
Pœnitentia formalis vel virtualis necessaria ad reconciliationem peccatoru 289 b
Pœnitentia nostra qualem à Christi merito vim habeat 886.a
Pœnitētia virtualis quid aut sit, aut sub se comprehendat 901.a
Pœnitentia quæ, qualis, aut vnde 918 a
Pœnitentia qui innascatur, aut innasci putetur ibid.b
Pœnitentia vera quid requirat, & cur ita sit rara 923.a
Pœnitentiæ etymologia 597 b
remedium 6[illegible]5.a
fructus 653 b
quinque effectus 558.b
materia duplex 576.a b
partes integrales & essentiales 578.b
Pœnitentiæ virtus quid sit 536.a
Vide plura in Virtus
Pœnitentiæ susceptio quæ requirat 330.b
Pœnitentiæ vocabula præteritum solum respiciunt 598.a
Pœnitentiæ tandiu est locus, quandiu non sunt clausæ fores 543.b
Pœnitentiæ tempora quando prolonganda & abbreuianda 654 a
Pœnitentiæ sacramentum à Christo institutū 574 b
confert primam gratiam 271.b. 634 a. 636 b
Pœnitentiæ sacramentum, nomen commodum, & merito communius 574 a
Pœnitentiæ sacramenti pars non est fides 746.b
Pœnitentiæ sacramenti quinque partes 577.b
Pœnitentiæ quanta necessitas 870.a b
Pœnitentiæ vsus & laus 901.a
Pœnitentiæ quam necessaria sit gratia 916.b.917.a
Pœnitentiam Achab, acceptauit Deus 539.a
Pœnitentiam agere occulte, apud Deum non satis est 575.b
Pœnitentiam non facit, nisi qui sperat misericordiam 530.b.531.a

Pœni-

Pœnitentiam negans, salutem adimit 608.a
per pœnitentiam securi omnino non debemus esse de peccatis dimissis 251.a
ad pœnitentiam excitandi modus efficacissimus. 848 b
Pœnitentiam quis solus hic agere possit 923.a
Pœnitentia vincula omnia facile soluuntur 536 a
Pœnitentiæ vsitata tres sunt in Ecclesia 543.a
Pœnitentis & peccatoris auersio & iustificatio descripta in parabola filij prodigi 69.b
Polycarpus Ioannis Euangel discipulus 651.b
Populus Israel sæpe peccauit 546 b
Porta mystice fides intelligitur 380.b & seq.
Potentia gratia 445 b
Potentia omnis cognoscitiua habet suam appetitiuam 31.b
Potestas excellentiæ Christi 158.a
Potestas dæmonis per aduentum Christi minuta est 20.a
Potestas relaxandi pœnas, quando concessa à Christo 610.b
Potestas pro voluntate frequenter ponitur in scriptura 102.a
Præceptum. est de fide 9 a
ibi est. vbi est pœna peccati 393.a
liber facit. qui libens facit 404.b
Præceptum diligendi Deum, & generale & peculiare 421.a
partim affirmatiuum, partim negatiuum ibid.b
est præceptum amicitiæ 129.a
non prærequirit gratiam 427.b
non pro quolibet tempore obligat 455 a
Præceptum dilectionis Dei & proximi, amoris est præceptum 416.a
præceptum fidei etiā hæretici recipiunt 397.b. 398 a
præceptum spei commune est omnibus 318.b
præceptum confessionis venialium, nullum 628.b
præceptum confessionis tribus temporibus obligat 615.a
præcepta debent esse perspicua 325.a
obligant ad id quod potest innotescere 613.a.b
nullam requirunt ad sui impletionem moram temporis 605.b
ex amore debent impleri 115 b
nulli iustificato impossibilia 404 b
sunt semita æquitatis 409.b
sunt de actibus, & non de habitibus 649.b
omnia egent affectu & effectu 418.a
omnia habent laborem 408.b
præcepta aliqua ad sui impletionem requirunt gratiam 425.b
aliqua mox reponunt peccatores in gratiam sibi.
aliqua ita stricta, vt præceptum de fide 397 b
præcepta Dei mulierum speculu 400.b
leuia & facilia iustis 409.b
leuia amori, dura timori 410.b
aliqua tantum obligant iam baptizatos 123.b
præcepta legis per caritatem impleta 410.a
præcepta Euangelica quæ sint 389.
præcepta positiua obligant omnes subditos etiam ignorantes 74.b
præcepta alia viatorum. alia beatorum 456.b
præcepta aliqua non impleri sine gratia gratum faciente 936.a
præcepta qua 397.a
præcepta esse aliqua, quorum impletionem gratia gratum faciens præcedat oportet 937.a.b
præceptorum signa certissima 396.a
præceptorum decalogus ad legem naturalem pertinet 407 b
præceptorum aliquorum impletio aut transgressio certa nobis esse non potest, neque per fidem neque per euidentiam 324.a
præconia virtutis sacramentorum, commendatio fidei 194 b
præconium gratiæ Dei aliquot catalogus 928.a
Prædestinati sumus, antequam essemus 257.b
prædestinati. vasa fortis 20 a
non semper iustificati 488 a
possunt esse extra gratiam Dei 481.a
nonnulli aliquando fuerunt extra gratiā 479.a
aliquando sunt membra diaboli 492.a.b
qui resurgent 503.a.b
prædestinatio non repugnat inimicitia ad tempus. 493.a
in quo differat à gratia iustificationis 473.
prædestinatio sua nulli certa 495.a.b.730.b
prædestinationis definitio 474.a
mysterium occultum ibid.b
prædicator immunis debet esse à crimine 486.a
prædicatori licet tribuere populo, quæ pro maxima parte vera sunt 279.b
prædicatione Apostolorum maxima pars orbis ad cælum transuolat 20.a
prælati tenentur arctius ad correctionem fraternam 590.b
prælatorum ecclesiæ oratio 541.b
præmium facit leuia mandata 411.a

Digitized by Google

reddendi iuxta mensuram operum 372.a
nullum debetur operibus factis extra gratiam 556.b
premia qua vnde quî promereantur 883.b
preparare qui se homo ad gratiam habendam possit 918.b
preparatio optima ad aduentum Domini est habere gratiam 273.a.b
prescientia aeterna omnia presentia 492.b
presumptio qua quam sit vana 871.b
preuaricationis nomine cur vsi Patres 22.a
preuaricatione Ada quid homo perdiderit 872.a
principium & terminus non sunt idem 223.b
Priscillianus pars Manichaei, & saeculi gladio & totius orbis authoritate damnatus 28.b
priuilegia clauium sacerdotalium magnifica 544.b
priuilegia paucorum non trahenda in exemplum 307.b
non faciunt legem 658.a
probatio sufficiens ad suscipienda sacramenta 236.a.331.a
probabilitas satis est ad securitatem 304.b
profectus per bona opera, iustificatio est 386.a
profectus conuersationis, est crescere meritis 502.b
profectus omnis iustorum in gratia, requirit nouam iustitia Christi imputationem 752.a
profectuum initia, aquae baptismi 735.a
proficere neque perseuerare quis potest in iustitia, nisi ob merita Christi 47.b
progressus & incrementa in omnibus artibus & virtutibus 363.a
prohibita quae dicantur 396.b
promissiones vitae aeternae sub qua conditione debeant intelligi 401.a.b
promissiones de conferenda gratia quomodo intelligantur ibid.b
Prophetae nomine totius ecclesiae & peccatorum pleraque loquuntur 458.a.b
intelligunt mysteria recondita in suis verbis 40.b.41.a
quae possint affirmare vel negare 491.b
de quibus fuerint certi 296.b
Propositum vitandi peccata, ad caritatem spectat 598.b
Propositum confitendi aut satisfaciendi, non requisitum ad gratiam 615.a.b
Propria fides quanto sit aliena valentior 884.b
Prosperitas signum reprobationis 510.a
Praestantes receperunt merita vitae aeterna 768.a
Protestantium error 394.b
dissensus à Luthero 215.b.316.a
Protestantium calumnia in Catholicos 215.b.301.a
Prudentia est moderatrix & auriga virtutum 5.5.b
medium vbique tenet ibid.
Prudentiae sedes, caput ibid.
Publicanus vere iustificatus ob humilitatem 207.b
meruit magis sanctificari quā Pharisaeus 256.a
Publicani & peccatores iustificant Deum 59.b
Pulchritudo iustorum 66.a
Purgatorium certum ex fide 668.b
durabit tantum vsque ad diem iudicij 669.a
Purgatorium vsque operatur virtus passionis Christi 756.b
Purgatorij animae liberae à daemone, & certae de sua salute 21.b.776.b

Q.

Quaestio quae cur illicita aut periculosa 883.a
Quaestiones quae quibus alijs retundēde 621.a
Quotuplici iuxta Bernardum incommodo laboremus 931.b

R.

Raab quando iustificata 387.a
Racha vox indignantis est 669.b
Ratio naturalis duplex 263.b
Reatus ad poenam aeternam non manet dimissa culpa 645.a
ad poenam temporalem manet dimissa culpa. 657.a
Reatum ad mortem incurrimus ex peccato Adae 22.a
Reum facit quandoque culpa aliena 44.b
Regenerationis spiritualis terminus formalis, gratia 43.b
Reginaldi Poli laus 21.b
Regnum Christi futurum sempiternum 21.b
à regno daemonis diuersum ibid.
Regnum caelorum solum propter peccatum deperditur 71.b
non potest haberi nisi per baptismum in re, vel in voto 79.b
quid significet 393.a
in regno caelorum diuersi ordines beatorum 373.b
Relatio in Deum non requiritur ad moralem bonitatem 126.a
Remedia certissima ad defendendum nos ab hostibus 476.a.b

Remissio

Remiſſio peccatorum peculiariter dicitur opus Spiritus ſancti 549.a
Remiſſio quorumcunque peccatorum miſericordia indiget 460 a
Renaſcentia diſtinguitur à gratia 43.
Renouari & regenerari idem 559 a
Renouatio non eſt pœnitentia, ſed baptiſmi 558.a
Renouationis interioris bona 65.b
Reprobus quiuis ſecundum legem poteſt ſaluari. 552.b
Reprobi ſunt aliquando partes Eccleſia 492 a
aliqui fuerunt aliquando in gratia 480 a.b
quare ſint aliquando in gratia 494.a
non ſibi ſed electis quare viuant 486 b
Reproborum ſigna 307.b
ab electis differentia 506 a
Reprobis bona terrena cur conceduntur 510.b
Reprobatio non repugnat gratiæ temporaria 494.a
Reprobationis ſignum certiſſimum 492.a
Reſpectus ſeu reſpectionis cuius vis quanta 921.b
Reſurrectio Chriſti cauſa noſtra iuſtificationis 167.b 174 a
non fuit tantum cauſa exemplaris noſtræ iuſtificationis 169.b
non reddidit humanitatem ipſius efficacem in noſtram reſurrectionem 171.a
Reſurrectio & aſcenſio Chriſti ſolum habent efficientiam mediatam reſpectu noſtræ iuſtificationis 172.a.b
Reſurgentes à peccatis reſurgunt ex miſericordia, non ex iuſtitia 503 a
Reuelatio prædeſtinationis non abſoluit ab obligatione præceptorum 500 a
Reuelatione diuina poteſt quiuis certus eſſe de ſua prædeſtinatione 498.a
Reuelata à Deo, falſa eſſe nequeunt 241 b
Reuelatis æquali certitudine credendum ibid a
Reus poteſt eſſe à culpa aliena 44.b
Ritus confeſſionis ab Apoſtolis 622.a
Ritus vniuerſus veterum ſacrificiorum, teſtimonium reatus manentis poſt culpam 657.b
Romani Deo Iſrael quare nunquam templum erexerint 418.b
Romanis dedit Deus imperium propter aliqua bona ipſorum opera 441.b

S.

SAcerdotis iudicium ſubeundum 621.b
Sacerdotes iudices animarum 651.a
ſunt dij 638.b
vere retinent peccata 619 a.641.b
habent poteſtatem ad remittendum peccata 159.b 576.a
imponunt pœnas pro peccatis 645 a
poſſunt omnem reatum peccatorum expungere 658.b
non oſtendunt peccatores abſolutos 635.b
quibus pœnitentibus non poſſunt negare abſolutionem 607.b
quando legitime ſuo funguntur officio 658.b
Sacerdotes Leuitici infallibiliter exponebant ambigua & difficilia legis 197.736.b
Sacerdotes nouæ legis ſunt veræ cauſæ inſtrumentales gratiæ 158.a
participant à Chriſto ſuam poteſtatem ibid.
Sacerdotium noſtrum antecellit vetus 639 b
Sacramētum pœnitent. à Chriſto inſtitutum 574.a.637.b
Sacramenti pœnitentiæ eſſentialia tantum confeſſio & abſolutio 578.b.579.a
Sacramenta, omnia à Chriſto inſtituta 575.a
cauſant gratiam in iuſtis, qui bene ſe ad ea præparant 147.a b.159.b.266 b.375.b
ſunt cauſa inſtrumentalis noſtræ iuſtificationis 192.b.640.a
non minus efficiunt quam ſignificant, nec contra 637.b
habent virtutem remittendi venialia 52 a
non habent ſuam virtutem à fide 657 a
Sacramenta nouæ legis conferre gratiam, ſemper fuit receptum in eccleſia 184.b
& continent & cauſant gratiam 193.b
differunt à ſacramentis veteris legis 26 a
Sacramenta Eccleſiæ habent virtutem à paſſione Chriſti 755.b
fluxerunt à vulnere lateris Chriſti 170 b
Sacramentorum virtus tribuitur fidei 196 a
Sacramentorū vis inenarrabiliter valet plurimum 194 b
Sacramentorum quam operum, maior vis in noſtræ ſalutis cauſa 848.b
Salomon aliquando in gratia 477 a
non permanſit in gratia ibid.
reprobatus ibid.b.
lapſus in idolatriam propter defectum tribulationum 410.b
Salus omnis per Chriſtum 199.b

Salus

Summa eorum, quæ de operum necessitate in concilijs habentur generalibus 432 b
Superbia exitiale vitium 475 a
signum reproborum 501.b
expulit protoparentes nostros è paradiso ibid.
Superbia nostra deprimenda veris persuasionibus 182 b
Synodus œcumenica quæ sit 11.b
Synodus Tridentina in Spiritu sancto legitime congregata ibid a
Synodum Tridentinam coegerunt errores de iustificatione 8 b

T.

Tabula prima non distinguitur à secunda per operainterna & externa 416 b
Talentum, cum quo iubemur negociari, est gratia 144 a
Techne d aboli detecta ad coruscationem Euangelij 20 a
Temerarium, à communi sententia scholasticorum discedere 260.a
Tempus gratiæ merito dicitur tempus plenitudinis 38.b
Tentari, in potestate tentantis est 304 a
Tentationes quibus afficimur, quantæ & quam variæ 91.b
Tentationum grauium victoria cui vel soli adscribenda 927.b
Terminus actionis potest cadere sub merito, etiam si non cadat principium 221 b
Testimonium conscientiæ potest certitudinem probabilem tribuere 283.b
Testimonium Spiritus sancti 353.a
Testimonia quæ miseri, ordiam pellicentur, & traminantur, quomodo intelligantur 547.b.548.a
Testimonia scripturarum parata debemus habere ad vnamquamque tentationem 525.b
Theologia symbolica, non argumentatiua 344.a b
Theologicis studijs quid quantumve debeatur 912.a
S. Thomæ laus 167 a
Thomæ Vualdensis sententia qualis fuerit 853.b
Tobias patientiæ laude Deum promeruit 378.a
Timebit, qui non amat 115 a
Timens fugit persecutionem ibid.
non est perfectus in dilectione ibid.
Timor est fundamentum spei 113 a
est effector beatitudinis ibid.
quasi locum præparat caritati ibid.
necessarius ad emendationem mentis prauæ 467.b
esse non potest in sanctis, postquam decesserint in gratia 770.a
Timor perfectus soluit omnem pudorem 625 b
Timor mundanus non est in caritate 1 4.b
Timor permanens cum quantacunq; caritate 328.a
Timor omnis minuit aliquid de certitudine
Timor diuinæ iustitiæ vtilis 109.a.112 b
vnde prouentat 109 b
Timor diuini iudicij peccatori iam credenti infunditur 113.b
Timor filialis fuga offensionis Dei 110 a
effectus primus sapientiæ ibid.
Timor seruilis dicitur fuga pœnarum ibid.
Timor pœnarum etiam in eo, qui alias transgrederetur præceptum non malus 115 a
Timor malorum non vitiat opera 466.b
Timor malorum imminentium aliquando retrahit à peccato 91 b
Timore diuinæ iustitiæ vtiliter concutiuntur peccatores 109.a
Timore quis dicatur implere præceptum 115.a
Timore priusquam concutiantur sunt aliqui in gratia 99.a
Totum idem quod integrum & perfectum 418.b. 607 b
Traditio Apostolica, orare pro lapsis, infidelibus, hæreticis & schismaticis 541.b.542 a
Traditiones aliquæ paris auctoritatis cum scriptura 748.b
Tractus ad gratiam causa, voluntas diuina 218.a
Trahere non semper violentiam indicat 88.b
Trahi nos à Deo & quomodo id intelligatur 909.b
Transire de errore ad veritatem nemo potest sine pœnitentia 121.a
Translationis vulgatæ approbatio 754 b
defensio 424.b
Tria requiruntur vt recipiat quis gratiam per sacramentum pœnitentiæ 266 a
Tribulationes dona sunt Dei 510 a
indicia diuini in nos amoris ibid.
verum signum filiorum Dei ibid.
Tribulationum electorum & reproborum discrimen 511.a
Tridenti antiquitas, conditor, constantia, etymologia, religio, situs, fertilitas 14.& 15
Tridentina synodus, vide Synodus.
Trinitas tota illabitur animabus nostris 67.a
Tristitia de peccatis præteritis pœnitentiæ effectus, 587.b.

Virtus paßionis Christi operatur etiam in Purgatorio 756.a.b
Virtus fidei Christi in quo cognoscatur 444.b
Virtus fidei sacramenti non est tanta, quanta sacramenti 337.a
Virtus iustificandi non fuit qualitas humanitati Christi inhærens 165 a.b
Virtus orationis 565.a
Virtus pœnitentiæ magna est cõtra peccatum 601.a
valet semper & ad omnes, & ad omnia peccata se extendit 536 a.541.a
in aliquo maior virtute baptismi 544 b
Virtus infusa est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur 186 b
Virtutes infusæ dona Dei 58.b
connexæ quo ad infusionem 191.a.b
Virtutes infusæ qui differant ab acquisitis 942 b
Virtutum incrementa, sunt incrementa ædificij spiritualis 838.a.b
Vita instituitur præceptis contra peccatum 487.a
Vita noua inchoatur obseruatione mandatorum 125.a.b
Vita bona à fide inseparabilis 822.a
Vita hæc data ad progrediendum in iustitia 361.a
Vita contemplatiua melior actiua 367 a
Vita æterna merces dicitur 768.b
cum gratia appellatur 867 a
Vita æterna redditur gratia donatur 769.b
Vita humana tentatio super terram 497.b.714 a
Vita mutata experientia, certitudinem tantum probabilem præstat de gratia 328.b
Vitam omnes possent ita statuere, vt solatio spiritus aliquando fruerentur 181.a
in vita hac nullus est, qui peccare non poßit & proficere 399 b
Vitia & defectus nostrorum operum nobis debent imputari, non Deo 32.b
Vituperia quæ, quorum sint laudes 661.
Viuere ex fide & viuere ex fide sola, differunt 824 b
Vnitas corporis Christi, conuiuium Domini 10.b
Vnum cole Deum, distinctum à cæteris præceptis 421.b
Vnus idemque actus, quomodo & bonus & malus. 927 b
Vocati sumus, quando Christiani facti sumus 257.b
Vocatio diuina tenet locum primum in dispositionibus 87.b
non immediate subest nostræ potestati 93.a
Vocatio præcedit voluntatem bonam, non contra. 223.a
Vocationem facit certam, qui iugiter studet bonis operibus 295.b
Vocationem qui suam quomodo certam facere debeant 946.b
Volare statim in cœlum, est aliud, quam peruenire statim 337 a
Voluntas est animi motus 406.b
pro facto reputatur 75 b.336.b 339.b
non indiget mora ad suos actus 605 a
Voluntas nostra potentißima 521.b
Voluntas sanata implet legem 403 b
Voluntas Dei est prior in omni opere sancto 87 a
Voluntas moriendi pro Christo potest esse cum mortali 132.a
Voluntas nostra ad quid vel libera, vel non libera. 930.a b
Voluntatis propriæ meritum quãdo sit bonum 892 b
Voluntate sua quisque deserit Deum 573.a
Voluntaria esse nequeunt, quæ sunt penitus ignota. 432.a
Votum formale & virtuale 76 a
Votum confitendi virtuale 615 a.b
Votum confitendi necessarium lapsis ad iustificationem 641.b & seq.
Votum seruandi mandata, necessaria dispositio ad gratiam 123.b
Votum & proposit ũ Christi & sanctorum 176.a.b
Vota iustorum exaudiuntur à Deo 361.b
Votorum continentia obligatio 393 b
Vsus rationis principium ignotum omnibus 339.a
Vsus rationis principio teneri omnes ad conuertendum se in Deum, non improbabile ibid.
Vulneratus ille descendens ab Hierusalem &c. quid 904.b.921.a

Z.

Zacharias non omnino culpa vacauit 700.b. & seq.
Zosimi papa de bonis omnibus apophthegma 932.a

FINIS.

by Google